

Bernard de Clairvaux (saint ; 1090?-1153). S. Bernardi,... Opera omnia, sex tomis in quadruplici volumine comprehensa, post Horstium denuo recognita... tertiis curis D. Joannis Mabillon,... Editio nova. Accessere appendices amplissimae... Accurante J.-P. Migne,..... 1854.

1/ Les contenus accessibles sur le site Gallica sont pour la plupart des reproductions numériques d'oeuvres tombées dans le domaine public provenant des collections de la BnF. Leur réutilisation s'inscrit dans le cadre de la loi n°78-753 du 17 juillet 1978 :

\*La réutilisation non commerciale de ces contenus est libre et gratuite dans le respect de la législation en vigueur et notamment du maintien de la mention de source.

\*La réutilisation commerciale de ces contenus est payante et fait l'objet d'une licence. Est entendue par réutilisation commerciale la revente de contenus sous forme de produits élaborés ou de fourniture de service.

Cliquer [ici](#) pour accéder aux tarifs et à la licence

2/ Les contenus de Gallica sont la propriété de la BnF au sens de l'article L.2112-1 du code général de la propriété des personnes publiques.

3/ Quelques contenus sont soumis à un régime de réutilisation particulier. Il s'agit :

\*des reproductions de documents protégés par un droit d'auteur appartenant à un tiers. Ces documents ne peuvent être réutilisés, sauf dans le cadre de la copie privée, sans l'autorisation préalable du titulaire des droits.

\*des reproductions de documents conservés dans les bibliothèques ou autres institutions partenaires. Ceux-ci sont signalés par la mention Source gallica.BnF.fr / Bibliothèque municipale de ... (ou autre partenaire). L'utilisateur est invité à s'informer auprès de ces bibliothèques de leurs conditions de réutilisation.

4/ Gallica constitue une base de données, dont la BnF est le producteur, protégée au sens des articles L341-1 et suivants du code de la propriété intellectuelle.

5/ Les présentes conditions d'utilisation des contenus de Gallica sont régies par la loi française. En cas de réutilisation prévue dans un autre pays, il appartient à chaque utilisateur de vérifier la conformité de son projet avec le droit de ce pays.

6/ L'utilisateur s'engage à respecter les présentes conditions d'utilisation ainsi que la législation en vigueur, notamment en matière de propriété intellectuelle. En cas de non respect de ces dispositions, il est notamment passible d'une amende prévue par la loi du 17 juillet 1978.

7/ Pour obtenir un document de Gallica en haute définition, contacter [reutilisation@bnf.fr](mailto:reutilisation@bnf.fr).

# PATROLOGIÆ

## CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRÆ, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,  
OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

### RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA  
ECCLESIAE SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS,  
PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;  
OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS  
DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI  
SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM  
SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM  
ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID  
UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO  
SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBIUM QUINAM PATRES  
ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM  
SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS  
CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS  
TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANter  
SIMILIS, PRETH EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA  
SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM,  
PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES,  
LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

### SERIES SECUNDA,


IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIAE LATINÆ  
A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

Accurante J.-P. Migne,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.



PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. —  
VENEUNT MILLE FRANCIS DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINÆ; OCTINGENTIS ET  
MILLE TRECENTA GRÆCO-LATINÆ. — MERE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM  
ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR; HI AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR.

### PATROLOGIÆ TOMUS CLXXXII.

S. BERNARDUS ABBAS CLARÆ-VALLENSIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,  
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO D'ENFER NOMINATAM,  
SEU PETIT-MONTROUGE.



SÆCULUM XII

# S. BERNARDI

ABBATIS. PRIMI CLARÆ-VALLENSIS

## OPERA OMNIA

SEX TOMIS IN QUADRUPlici VOLUMINE COMPREHNSA

POST HORSTIUM DENUO RECOGNITA, AUCTA ET IN MELIOREM DIGESTA  
ORDINEM, NECNON NOVIS PRÆFATIONIBUS, ADMONITIONIBUS, NOTIS ET  
OBSERVATIONIBUS INDICIBUSQUE COPIOSISSIMIS LOCUPLETATA

TERTIIS CURIS

**D. JOANNIS MABILLON**

PRESBYTERI ET MONACHI BENEDICTINI E CONGREGATIONE S. MAURI

EDITIO NOVA

ACCESSERE APPENDICES AMPLISSIMÆ VITAM SANCTI DOCTORIS ET EJUS ÆTATEM ILLUSTRANTES

ACCURANTE J.-P. MIGNE

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ

SIVE

CURSUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

---

VOLUMEN PRIMUM

S. BERNARDI OPERUM DUOS PRIORES TOMOS COMPLECTENS

---

VEVENT 4 VOLUMINA 28 FRANCIS GALLICIS

EXCUEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM  
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO D'ENFER NOMINATAM  
PETIT MONTRouGE

1854

# ELENCHUS

AUTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CLERICI CONTINENTUR.

---

## S. BERNARDUS ABBAS CLARÆ-VALLENSIS.

OPERUM TOMUS PRIMUS. — Epistolæ.	col. 67
OPERUM TOMUS SECUNDUS. — Tractatus morales, doctrinales et ascetici.	721
De consideratione.	727
De moribus et officio episcoporum.	809
Sermo de conversione, ad clericos.	833
De præcepto et dispensatione.	859
Apologia.	895
Liber ad milites Templi de laude novæ militiæ.	921
Tractatus de gradibus humilitatis et superbiæ.	941
Liber de diligendo Deo.	973
Tractatus de gratia et libero arbitrio.	1001
Tractatus de baptismo aliisque questionibus.	1051
Capitula hæresum Petri Abælardi.	1049
Tractatus de erroribus Petri Abælardi.	1053
Vita S. Malachiæ.	1073
Hymnus de S. Malachia.	1117
Tractatus de cantu.	1121
<i>Appendix ad tractatus morales et doctrinales.</i>	
S. Bernardus super hymnum : « Jesu nostra redemptio.	1133
Liber de Passione Christi et doloribus matris ejus.	1134
Tractatus ad laudem gloriosæ virginis Mariæ.	1141
Tractatus de corpore Domini.	1149
Tractatus cantandi Graduale.	1151
Tonale S. Bernardi.	1153

---

SANCTISSIMO PATRI  
ALEXANDRO VIII  
PONTIFICI MAXIMO

*Ad tuæ sanctitatis vestigia, beatissime Pater, venerabundi, at securi accedimus, quo tua non minus dignitas, quam tua dignatio nos vocat. Summus es, sed omnium Pater; idem ipse qui olim fuisti, natura facilis ac benignus adversus omnes, qualem nos nuper et verbis toties, et factis coram experti sumus. Majestate itaque cedente, quidni cedat pudor, ut tantæ dignationis, atque ejus, qua nostram dudum congregationem prosecutus es, benevolentiae memores, iucunda tui Pontificatus initia obsequiorum nostrorum publica professione celebremus? Et ecce nobis in animo agitantibus, ultro sese obtulit sanctus Bernardus, magnus ille abbas Claræ-Vallensis, qui festinantibus prelis quasi exaltationi tuæ præcurrrens, in novam lucem sub tuæ sanctitatis auspiciis prodire gestiebat. Quin etiam ille quondam honorum ac dignitatum osor, nunc summæ tuæ potestatis consortium ambit, non auctoritatem ut minuat tuam, sed ut fulciat, ut pastoralis regiminis curas et sollicitudines levet, ac sacræ doctrinæ ministerium in se suscipiat.*

*Neque vero est, beatissime Pater, quod tam celebri et eximio doctori vices suas committere vereatur sanctitas tua. Nemo quippe illo melius de sancta apostolica sede meruit, nemo rectius de ea sentit, nemo de summo pontifice magnificentius loquitur. Te quippe principem episcoporum, te hæredem apostolorum, te potestate Petrum, unctione Christum agnoscit, et prædicat (1). Parumne hoc? Etiam assertorem veritatis, fidei defensorem, refugium oppressorum, ultorem scelerum, regum patrem, legum moderatorem, canonum dispensatorem, et, ut cætera uno comprehendat, vicarium Christi, et Christum Domini confitetur et asserit (2). Denique in te suspicit plenitudinem potestatis, sed quæ maximam curam et sollicitudinem exigit: adeo ut ei censeat orbe exeundum, qui forte volet explorare, quæ non ad tuam pertinent curam (3).*

*Te vero, sanctissime Pater, ad tantum pondus sustinendum finxit divina providentia, cum ingenium facile, sublime, amplissimum, judicium exquisitissimum, prudentiam et sagacitatem incredibilem tibi liberaliter concessit. Innatam prudentiam confirmavit longus rerum agendarum usus, cum per singulos honorum gradus deductus, non prius ex inferioribus provectus es, quam congruis meritis aditum tibi parasses ad altiores. In actuosa vita semper compos tui, in privata nunquam remissus aut otiosus. In maximis et arduis rebus, ubi alii sub sarcina gemunt, tu ipse, quasi nihil agendo, omnia tranquillus exsequeris: et quæ aliis laboris impatientiam, quietis ac inertis otii amorem asferre solet provecta ætas; tuæ sanctitati contra quietis et otii impatientiam, laboris amorem ac diligentiam inspirat, augetque. Isti sedulitati non dies toti sufficiunt. Ipsius etiam noctis inducias tuæ requieti subducis, dictitare solitus, diligentia et festinatione opus esse in ista ætate, cui multa, et quidem maxime, agendo incumbunt; ratus cum Bernardo, non esse locum otio, ubi sedula urget sollicitudo omnium Ecclesiarum (4). Sic exemplo tuo jubes facessere leges, quæ majorem annis sexaginta otio reddunt (5).*

*Cum sic a natura, a gratia, ab ipsa rerum experientia sis comparatus, Pater sanctissime, in ista tamen suprema dignitate procuranda, non tam tuis te credis consiliis, quam alienis. Hinc*

(1) *De consideratione*, lib. II, cap. 8.

(2) *Ibid.*, lib. IV, cap. 7.

(3) *De consideratione*, lib. II, cap. 4.

(4) *Ibid.*, cap. 6.

(5) Plinius, lib. IV, epist. 23.

*ista ad cardinales vox, maximo certe pontifice digna, nihil e re christiana te moliturum unquam aut facturum, quod ad eorum consilium prius non relatum fuerit. Quod si quem alium insuper consiliarium maxime prudentem, expertumque in istum sacrum senatum adhibere volet sanctitas tua, nullum magis idoneum incorruptumque inveniet, quam Bernardum; cujus vel soli De consideratione libri, plane cedro digni, tot oraculis referti sunt, ut ad dirigendos summos pontifices, imo ad regendam universam Ecclesiam, quasi divinitus dictati esse videantur. Id sane pro comperto jamdudum habuere sanctissimi decessores tui, non modo Eugenius III, ad quem scripti sunt, sed præ cæteris Pius V, et Gregorius XIII, qui sacros illos libros tanti faciebant, ut eorum lectionem etiam mensæ adhiberent. In eisdem porro libris, atque in aliis ejusdem sancti doctoris scriptis, invenient omnes quid fugiant, quid sequantur, cardinales, episcopi, alique inferiorum ordinum ministri. Ab eisdem etiam reges et principes discent leges regnandi, ipsique plebei homines, nedum ingenui ac nobiles, Christianæ vitæ pro suo quique statu documenta haurient. Hoc auctore per te plebes clericis, clerici sacerdotibus, sacerdotes Deo in ea qua oportet humilitate subjecti erunt (6). In monasteriis et locis religiosis servabitur ordo, disciplina vigilabit. Super prava opera et dogmata censura ecclesiastica vigebit, et vestra ipsorum apostolica mandata et instituta, ea qua dignum est sollicitudine observabuntur (7). Hoc duce increduli convertentur ad fidem, perversi ordinabuntur ad rectitudinem; subversi ad veritatem revocabuntur, subversores invictis rationibus convincentur, ut vel emendentur ipsi, si fieri potest; sin minus, perdant auctoritatem alios subvertendi. Denique hoc doctore cessabit ambitio, dominandi libido, cupiditas; nec dignitates honoribus, sed virtutibus, sed cura et sollicitudine æstimabuntur. Atque ita demum Ecclesia in eum reflorescet statum, qui sanctissimum pontificem, qui Alexandrum, qui Petrum, imo qui et Christum ejus sponsum deceat.*

*Id fere perfectum et absolutum Bernardo vivente, satagente, collaborante; nec dubium quin modo simile quid contingat, si Bernardo vocem et auctoritatem integram restituat Alexander. Hanc vocem Bernardo tribuerunt Patres synodi Stampensis, cum dubio pontifice invicem dissidentes, voces universim suas et sua quique suffragia in ejus ore, ac sententia reposuerunt. Eandem mox vocem sibi propitiam sensit Innocentius II, qui sancti Patris prædicatione et auctoritate ab omnibus tandem pro legitimo Pontifice ugnitus, ejusdem lingua et calamo usus est adversus schismatis reliquias, adversus nascentes hæreses atque errores. Inde Bernardus evasit oraculum ac interpres conciliorum, Senonensis, Remensis, et aliorum; adeo ut ex ejus ore penderent fere omnia, nihilque in Ecclesia, aut in aulis regum ac principum, imo nec in privatis fere familiis, absque ejus consilio et sententia gereretur. Vidit illum Roma non semel: quæ quantum ei tribuerit, vel ex hoc solo conjici potest, quod Anacleto extincto, cum Victorem pseudopontificem, usurpatis insignibus nudatum, ad Innocentii pedes adduxisset, tanta apud Romanos in reverentia deinceps habitus est, ut ab omnibus Auctor pacis et Pater patriæ prædicaretur. Denique « exeuntem Roma prosequitur, deducit clerus, honorat populus, universa nobilitas comitatur. Neque enim poterat sine communi mærore dimitti, qui colebatur amore communi (8). » O si eodem honore, eadem reverentia modo tractarentur legerenturque sanctissimi doctoris libri! Quantus inde fructus, quanta utilitas in rempublicam Christianam redundaret! Certe, quoad in nobis fuit, sacris ejus scriptis nativæ formæ gratiam et integritatem, ut gratius, fructuosiusque lectitarentur, restituere conati sumus. Tuum est, beatissime Pater, eidem reddere vocem virtutis, quam illi nec ipsa mors adhuc penitus eripere potuit. Viget etiam nunc apud pios quosque, imo etiam apud hæreticos ipsos, ejus auctoritas; vigebitque amplius in posterum, si tuæ vocis oraculo denuo confirmetur. Si tua sanctitate probante, monente, jubente, omnibus legendus, terendus, sequendusque proponatur Bernardus, erit vox ejus tanquam vox Domini confringentis cedros, intercidentis flammam ignis (Psal. xxviii). Nulla Bernardo vitia, nulla adversa potestas aut vis resistere, Deo suffragante, valebunt. Et confringentur sub Alexandro cedri, id est capita superbiorum et tyrannorum; et*

(6) De consideratione, lib. III, cap. 5.

(7) Ibid., cap. 1.

(8) Vitæ libro II, cap. 7

*intereidetur flamma discordiarum atque bellorum. Et jam suscitavit Deus spiritum vicini regis, qui repletus zelo, miseransque optimi regis dejectionem, ferat opem, ut a suis pulsum, desertumque a cæteris regem, regno restituat suo, quemadmodum suo tempore factum Bernardus scribit de piissimo illo Hiberniæ rege, qui a germano exturbatus, dedit locum iræ, ut suorum sanguini parceret (9). Funestissimam hanc scenam nostris oculis renovatam conspiciamus; similem ejus exitum a maximo pontifice, a maximo rege, suspensis interim animis, exspectamus et exoptamus. Sic fiet, ut quem Ottobono quondam cardinali et legato, qui postmodum Adrianus V fuit, honoris causa cessit Henricus III, eundem thronum alterius Ottoboni, id est Alexandri VIII, curis et subsidiis postliminio acceptum referat Jacobus II. Sed longius abripit nos impetus votorum nostrorum pro gloria tui pontificatus, beatissime Pater, cui non alio ad res magnas aggrediendas monitore, non alio incentore opus est quam Alexandro, ubi in causa Deus est, et Ecclesia. Tantum sanctissimis consiliis tuis propitius sit ille, cujus vicem geris, tuosque de nostris, si liceat, annos augere velit ad omnia illa gerenda et efficienda quæ in Dei gloriam, in Ecclesiæ utilitatem a tua sanctitate agitantur, et sperantur. Nos vero prorsus felices ac fortunatos reputabimus, si hoc votorum nostrorum pignus, hoc perennis observantiæ in se monumentum, benignis, uti alias solet, oculis accipiat sanctitas tua, nosque omnes paterna sua benevolentia et apostolica benedictione dignetur.*

Offerebat supplex nomine suæ congregationis

F. JOANNES MABILLON M. B

(9) Vitæ S. Malachiæ capite 4.

## PRÆFATIO GENERALIS.

I. Posteaquam studiorum meorum primitias in S. Bernardi opera impenderam, non ita primæ illius editionis curam abjicere visum est, ut de ea expolienda et exornanda, imo etiam, si necessarium esset, penitus reformanda nequaquam cogitarem. Cum enim eam juvenis ac pene rudis tiro aggressus essem, non sic rem a me perfectam, numerisque omnibus absolutam fuisse existimavi, quin multa in Bernardo et restituendo, et illustrando limatius et accuratius elaborari possent, ubi litterarum major usus, et experientia diuturnior accessisset. Quapropter, etsi processu temporis in aliena prorsus a tanto doctore studia longius abductus essem, ita nihilominus sanctissimi viri recordatio et amor pectori meo semper inhæsit, ut si qua in evolvendis, versandisque aliis auctoribus, quæ ad ipsius opera vel emendanda, vel illustranda conferre possent, mihi occurrerent; hæc omnia diligenter adnotare, et in opportunum tempus ad secundam editionem seponere non omitterem. Atque ita demum accidit, ut cum tempus pene nullum huic meditationi vacuum mihi ob alias lucubrationes antea concederetur; jam tepescente et refrigerato per has bellorum tempestates aliarum litterarum cultu, unus mihi fere in manibus relictus sit Bernardus, qui ut juventutis, sic ingravescentis ætatis otium occuparet. Libenter itaque hoc otio, ex superiorum nostrorum indulgentia, usus sum ad novam lucem dandam auctori optime de omnibus merito; nec dissimulare possum, me non parum laboris ac diligentia, una cum collegis ac sociis meis, in id operis posuisse, ut non tam secunda, quam nova prorsus, et, quoad in nobis erat, elaborata editio haberetur.

II. Erunt fortasse, qui tot editionum repetitiones improbaturi sunt, easque in litteratorum incommodum verti causabuntur. Nec diffiteor sane longe optabilius fore, si prima statim editione auctores quique in eum statum, qui ad perfectionem quam proxime accedat, omnino restitui possent. Verum qui in ejusmodi studiis versati sunt, næ illi optime norunt quam operosum sit, ne dicam impossibile, id assequi in tanta veterum librorum copia hinc inde dissipata, in tanta etiam eorundem discrepantia: ut multo ac longo labore, atque etiam aliquando OEdipo et interprete opus sit, tum ad faciendam non tam voluminum, quam foliorum hac illaque dispersorum collectionem, ac variantium lectionum delectum; tum ad sanandos locos male affectos et ad obscura penetranda; tum denique ad instruendam genuinorum operum censuram. Quæ omnia, aliaque id genus permulta, ut prima statim recognitione ad amussim comparentur, necessarius est felicior genius, quam ut eum mihi tribuere liceat, nec scio an quisquam sibi arrogare possit. Ut ut est, malim primæ, si qua est, temeritatis culpam deprecari, quam fortasse augere excusando, aut priorem editionem relinquere imperfectam. Aliam itaque castigatorem, politioemque adornare visum est operæ



pretium : atque adeo post novam sancti doctoris operum recognitionem et collationem ad vetera exemplaria factam typographici denuo pistrini importunis servitiis me cum meis sociis mancipavi, certa quadam animatus fiducia, hoc consilium novumque laborem nostrum non ingratum fore cordatis viris, cum facti nostri rationes, atque novæ hujus editionis, quas quidem speramus, utilitates penitus intellexerint.

§ I. — *De variis sancti Bernardi operum editionibus : ubi novissimæ hujus editionis tum causæ, et rationes, tum commoda, utilitatesque explicantur.*

III. In primis nihil magis Bernardi meritum et pretium arguit, quam adeo frequentes et toties repetitæ ejus operum editiones, sive ante, seu post inventam artem typographicam. Quippe multiplex illa editio argumento est, quam comparetur Bernardus a multis, quam avide legatur, quam denique ab omnibus ametur. Neque id sane mirandum. In ejus enim scriptis elucet ingenium natura nobile, generosum, excelsum; sed humanum, civile, et honestum. Eloquentia quasi congenita, sine fuce, non sine ornamento, sed nativo. Stylus pressus, oratio vivax, dictio propria, cogitatus sublimes, affectus pii, lepores sponte nascentes, totus sermo unum Deum ac cœlestia spirans. Ardet, non urens, sed inflammans. Pungit et stimulat, non ut irritet, sed ut moveat. Corripit, increpat, non ut detrahat, sed ut attrahat. Arguit, minatur, terret; sed amando, non indignando. Blanditur, sed non adulatur; laudat, sed non extollit. Urget blande, perstringit absque molestia; delectat, recreat, placet. Quippe oratio ejus, inquit Sixtus Senensis, ubique dulcis et ardens, ita delectat, et ardentem incendit, ut suavissima lingua ejus mel et lac verborum fluere, et ex ardentissimo ejus pectore ignitorum affectuum incendia erumpere videantur. Jam vero doctrinam habet minime vulgarem, Scripturæ sacræ verbis ac succo refertam; sic autem Patrum sententiis inhærentem, ut tamen propria ejus esse sentiatur. Ita quippe scribit de rebus divinis, de gratia et libero arbitrio, de moribus et officio pontificum, clericorum, monachorum, laicorum, ut fontem hæc indicent, non rivum aut canalem. Et miramur si vir tantus amatur? si ejus scripta comparantur, leguntur, teruntur ab omnibus? si editiones eorum sine numero fiant? si viri docti et eruditi illis augendis, illustrandis, emendandis, et ad nativam integritatem revocandis operam adhibeant suam? si Roma ipsa, orbis domina et magistra, quæ Bernardum quondam docentem, imo et redarguentem venerata est; si Roma, inquam, ipsa libros de Consideratione, Eugenio III primum oblatos, tum Nicolai V jussu elegantissime descriptos, demum pontificiis typis sub Clemente VIII publicari passa est, totum Bernardum editura in lucem, si Gerardus Vossius operam itidem suam in totum Bernardum contulisset? Quo minus mirandum est, si in metropoli Galliarum tantum Galliæ lumen regiis typis meruit honorari.

IV. Quamquam quod tot Bernardi editiones et recognitiones factæ sunt, aliæ etiam fuerunt causæ, et quidem non improbandæ, imo necessariæ. Una et quidem præcipua est, quod cum in variis plurimisque codicibus scriptis hinc inde dispersa fuerint sancti doctoris opera, non potuerunt prima statim editione simul prodire omnia, sed per particulas, quatenus in hominum studiosorum manus et cognitionem veniebant.

Prima quippe editio videtur fuisse illa, quæ Moguntia a Petro Schoyffero facta est anno 1475, complectens sermones de tempore et de sanctis, necnon etiam de diversis, atque librum ad milites Templi, cum aliis nonnullis Bernardo perperam ascriptis.

Eodem tempore Rothomagi, absque anni designatione, vulgata sunt tria beati Patris opuscula, nempe libri de Consideratione, apologia ad Guillelmum abbatem, et liber de Præcepto et Dispensatione.

Accessit anno 1481 editio Bruxellensis, quæ sermones de Tempore et de Sanctis, atque prima vice Epistolæ suppeditavit, editoris uti et typographi nomine prætermisso. Deinde Parisiensis anni 1494, epistolæ trecentas et decem exhibens cum sermonibus in Cantica, per magistrum Rouauld, sacræ theologiæ doctorem castigatis et emendatis.

Hanc excepit editio Spirensis anno 1501, et post annos duos Veneta, sed absque epistolis; cæterum spurriis et alienis scriptis media ex parte jam infarta. Brixiensem item anni 1495 suggerit Possevinus, quæ homilias in *Missus est*, cum aliis quibusdam opusculis continebat.

Prima, quæ Bernardi Opera fere omnia in unum corpus redegit, est editio Parisiensis anni 1508, seraphica, uti præfertur, melliflui devotique doctoris sancti Bernardi scripta complectens, diligentissime cum archetypis bibliothecæ Claræ-Vallensis tunc demum in optimam unius codicis formam redacta, cura et industria magistri Joannis Bocardi, impensis autem Joannis Parvi bibliopolæ jurati Universitatis Parisiensis.

Post annos sex, et quidem anno 1515, Jodocus Clitoveus Neoportuensis eadem opera denuo recognovit, ac typis Joannis Cleyne Alemanni vulgavit Lugduni, adjectis Gilleberti de Hoylandia sermonibus in Cantica; quæ recognitio multoties Lutetiæ Parisiorum, uti et Lugduni recusa fuit.

Interim anno 1520 alia prodiit editio Lugdunensis, per duos monachos Claræ-Vallenses, Lambertum Campestem et Laurentium Dantiscenum, adornata; quæ sane omnium emendatissima est.

Secundum hos recognitores (nam varias editiones mitto) Franciscus Comestor Aneduceus, socius collegii Sorbonici, aliam sancti doctoris recognitionem adortus est, præfixa Ludovico De Rie episcopo Genevensi nuncupatoria epistola, in qua testatur, se revolvendo vetera exemplaria, quæ refertissima collegii

Sorbonici bibliotheca tum suppeditabat, incidisse in epilogum libri de Diligendo Deo, in editis prætermisum; deinde in opusculum de Amore Dei ac Dignitate amoris: quos libros viduæ Claudii Chevallonii cum aliis edendos suppeditavit anno 1547.

Non una hujusce recognitionis editio facta est: cum interim Antonius Marcellinus aliam editionem Basileæ apud Joannem Hervagium adornari curavit anno 1552, solerti, quod ipse asserit, ad vetustiorum exemplarium fidem collatione facta, cum nova censura, novoque ordine operum; ut primum locum tenerent Sermo, subsequentem Epistolæ, tertium Tractatus, postremum spuria et aliena.

Hanc editionem anteverit Veneta, cujus meminit Joannes Gillotius Campanus in præfatione ad editionem Nivellianam, apud Parisios anno 1572 procuratam: ubi etiam mentionem injicit recognitionis factæ a theologis Parisiensibus, qui postremas editiones tam suo privato conatu, quam ex collatione veterum codicum, quos in Galliarum bibliothecis corrogare licuit, restituerunt: ut qui post tot, tantosque viros, ait ille, redintegrata instaurare, et sanatis iterum mederi tentaret, labefacere, malumque inferre videretur. Quamquam idem Gillotius subdit, se adjecisse quasdam correctiones non pœnitendas, et argumenta sive distinctiones capitum in libros quinque de Consideratione ad Eugenium, et in libellum de Præcepto et Dispensatione, quos Henricus Cuycius Cutemburgensis ad septem manuscripta exemplaria correxerat. Exponit deinde operam suam, tum in discernendis Bernardi operibus nativis a spuris, tum in nativis ad rectum et commodum ordinem redigendis: tametsi inter genuina Gillotius spuria nonnulla vel jam edita reliquit, vel de novo adjecit, cum Floribus ex S. Bernardi operibus collectis.

Verum ante sex annos, videlicet anno 1566, alia editio Parisiis prodierat apud Guillelmum Merlinum et Sebastianum Nivellium, præmissa epistola Francisci Comestoris, mox laudati, ad episcopum Genevensis: cui editioni adjecta est Appendix Hervagiana, Basileæ apud hæredes Joannis Hervagii vulgata, opera ac studio Jacobi Pamelii Brugensis, qui Bernardi parvos Sermones numero sexdecim, tum Parabolam de Christo et Ecclesia, item Soliloquiorum librum, et alia nonnulla Bernardo supposita protulit in lucem. Eodem anno Ludovicus Miræus Rosetanus aliam Bernardo Appendicem, a Francisco Comestore acceptam, Lutetiæ itidem apud Carolam Guillard adjici curavit.

Mitto alias ejusdem sæculi editiones pene innumeras; ut nullus fere annus abierit, qui non aliqua Bernardi operum editione fuerit insignis. Omnium elegantissima fuit illa quæ anno 1586 sub symbolo navis facta est, cum epistola nuncupatoria Joannis Gillotii ad R. P. Guidonem Cornuatium abbatem Vallis-Clare, ejusdemque præfatione ad lectorem.

Quin etiam eodem sæculo plerique Bernardi Sermones cum Opusculis in Gallicam idioma translati sunt, nempe anno 1575, per Hubertum Lescotum canonicum regularem, sed absque Epistolis; quæ in versione item Gallica anni 1622 per Philippum Le Bel doctorem Parisiensem adjectæ sunt, uti et in novissima versione R. P. Gabrielis a S. Malachia Fuliensis.

V. Jam vero quod attinet ad varias editiones sæculo nostro factas, omnes recensere res fuerit pene infinita, nec minime necessaria. Duas tantum notare juvat: unam Edmondi Tiraquelli monachi Cisterciensis, anni 1601, alteram Joannis Picardi, anni 1609, cum notis et aliquot epistolarum accessione, et cum epistola nuncupatoria Tiraquelli ad R. P. Edmundum a Cruce abbatem Cisterciensem; atque etiam cum epistola et præfatione Gillotii.

Hæc Picardi editio eodem anno Antwerpæ apud Joannem Keerbergium recusa est, atque inde multoties repetita donec tandem optima omnium et accuratissima prodiit anno 1641 Jacobi Merloni Horstii, viri piissimi ac doctissimi, recensio, quæ alias omnes obscuravit, sæpissime deinceps ad prelum revocata.

VI. Quid ab erudito viro in illa editione præstitum sit, paucis observare juvat. Principio mirari se dicit, quod cum inter omnia sanctorum Patrum opera, nullus frequentius versetur in manibus, quam Bernardus, unus tamen adeo hactenus neglectus sit, ut frequentissime quidem, semper tamen idem, imo subinde deformior, corruptiorque prodiret, tanquam vel indignus, vel non indigens curatione. Id in causa fuisse, cur ipse medicam adhibuerit manum. Et primo quidem omnia Bernardi opera in sex tomos distribuisse, ut primus epistolas; secundus sermones de Tempore et de sanctis; tertius sermones in Cantica; quartus tractatus varios; quintus aliena; sextus denique duorum sancti doctoris discipulorum, Gilleberti et Guerrici, opera complecterentur, adhibita pro loco trutinæ ac censura. Deinde se Tractatus in capita et sectiones distinxisse; tum epistolis singulis ac tractatibus argumenta seu summaria præfixisse. Ad hæc non pepercisse diligentiam neque sumptibus, quominus ex variis variarum regionum bibliothecis Bernardinam editionem augetet; tametsi multa, quæ a nonnullis indicantur, puta a Possevino, aliisque, consequi non potuerit. Præter ea, præambula complura adjecta; Vitam S. Bernardi septem libris, cum diversis elogiis et chronologia præmissam. Denique adjectas adnotationes prolixas, præter alias breviores sparsim per totum opus insertas ad marginem, cum indicibus uberioribus locorum Scripturæ, rerum et verborum. Cæterum se conscius esse immensi laboris, quo editionem omnino correctissimam reddere conatus sit; etsi typographorum diligentia votis suis non plane responderit. Aliam quidem editionem, et auctiorem, et accuratorem, parabat vir doctus: sed huic proposito immortuus est die aprilis vigesima, anno 1644.

VII. Primam nihilominus editionem illam, quantum homini docto, diligenti, ac Bernardi perquam studioso, sed privato, licuit, feliciter exsecutus est Horstius: ita ut ejus editio ambabus, ut aiunt, manibus accepta fuerit ab omnibus et probata, et in variis provinciis ac locis sæpissime recusa. Verum cum Bernardi textum Horstianum ad gallicanos codices complures præfectorum nostrorum jussu exegisset noster Claudius Cantelovius; quosdam nihilominus in illo textu deprehendit nævos, qui horum codicum ope sanari postulabant. Et Bernardi quidem sermones de Tempore ac de Sanctis in secunda forma emendatissimos emisit in lucem. Verum, cum aliis eadem diligentia evulgandis daret operam, hanc ipse mihi provinciam morte resignavit, adolescenti in re litteraria novo et inexperto, cui nunquam venisset in mentem cum doctissimo Horstio laborera et industriam conferre, nisi renitentem ac cunctabundum ad persequendum demortui Cantelovii opus præfectus noster generalis piæ memoriæ, reverendissimus Bernardus Audebertus, me compulisset. Parvi itaque vel invitus, et symbolam in primis ex Cisterciensis bibliothecæ exemplaribus conferente religioso viro Jacobo Lannoyo ejus præfecto, editus tandem Bernardus est in majori et in minori forma, non eo quidem modo quo decebat, sed qualem ferre potuit rudis mea ætas, aut vero qualem a librario, suæ magis, quam publicæ rei addicto, impetrare licuit.

VIII. Cum vero ejusmodi studiorum continuo usu multa in dies observassem, quæ ad limandam et illustrandam Bernardi editionem conferre poterant; hæc omnia, ut jam dixi, diligenter notare studui, ut si quando tempus et otium mihi suppeterent, aliam emendatiorem, politioem, perfectioremque adornarem. Verum cum ad id operis me accingerem, in alium scopulum me coniecit misera typographicarum legum conditio, ex qua tandem, tanquam tempestate quadam, in hunc qualemcunque portum delatus sum, ea sane fortuna, quam nihil attinet modo commemorare.

IX. Etsi vero a moribus meis et ab instituto nostro prorsus alienum esse debeat propriam venditare operam, interest tamen hoc in limine demonstrare, quibus in rebus novissima hæc editio tum ab Horstiana tum etiam a priori nostra differat. Et primo quidem in conferendis vetustis codicibus antea mihi non visis, iis maxime, quos vel in variis provinciis a nobis subinde perlustratis consulere et revolvere licuit, vel quos in bibliothecam Colbertinam magno rei litterariæ commodo post nostram editionem congegit vir bonis litteris juvandis et illustrandis natus Stephanus Baluzius, secundas curas adhibui; tum ex variis lectionibus eas seligere, et in textum restituere curavi, quæ Bernardi sententiæ accommodatiores videbantur: quæ res usum veterum librorum pene assiduum, gustum usu acquisitum, maturiusque judicium exigit, quam litteratorum vulgus opinatur, qui araneorum telas captare nos existimant, dum has, quas putant, minutias consecramur. Verum sentiant id genus homines de nobis quidquid volent; modo nostram operam approbet non hominum plausus, sed publica Ecclesiæ, rei que litterariæ utilitas.

X. Neque tantum in textu restituendo censura a me adhibita est, sed etiam in discernendis Bernardi genuinis scriptis a supposititiis et falsis, quæ in editione Horstiana et nostra priori inter Bernardina adhuc delitescebant. Hinc expunctæ epistolæ duæ, ex Bernardi Brito Annalibus ab Horstio Bernardinis insertæ: rejecti sermones quatuor aut quinque ex sermonibus de Tempore et de Sanctis; rejectus etiam liber Declamationum; et alia nonnulla, quæ Bernardi non esse ex certis argumentis et indiciis manifestum est.

XI. Ad hanc censuram faciendam adjumento fuere non modo Vitæ Bernardinæ scriptores, imprimis Gaufridus, qui præcipuorum sancti doctoris operum indicem exhibent; sed etiam veteres codices, veterumque auctorum citationes, præ cæteris vero antiqua collectio ex Bernardi scriptis, quæ Liber Florum, Florilegium, et Bernardinum appellatur, primum edita Parisiis anno 1503, multo probabilior alia collectione, quæ anno 1571 ab Huberto Scuteputæo canonico regulari facta est, in Bernardi editos a Joanne Picardo intrusa. Longe vero antiquior est prima illa collectio, cujus auctorem nobis suggestit vetus codex Cisterciensis, in quo hæc habetur cum sequenti inscriptione: « Incipit prologus domni Willermi, monachi Sancti Martini Tornacensis, in Bernardino, quem idem excepit et compilavit de libris et dictis sancti Bernardi abbatis Claræ-Vallis. » Prologus ita incipit: « Cum non essem alicui exercitio magnopere occupatus, » etc. ut in editis, in quibus desideratur auctoris nomen, quem sæculo tertio decimo vixisse facile colligitur ex antiquitate codicum, in quibus hæc collectio reperitur. Porro etsi quædam opuscula, quæ Bernardum auctorem non habent, laudet collector iste, utputa epistolam ad fratres de Monte-Dei, meditationes, librum Declamationum; in cæteris tamen non levis est momenti ad internoscendos maxime Bernardi sermones: quod in causa fuit, ut sicubi de quibusdam dubitandi ratio occurrit, ut in sermonibus de Diversis, has ex Bernardino citationes adnotare visum sit. Nec vero mirum, quod tum epistola ad Fratres de Monte-Dei, tum Declamationes et Meditationes in illa collectione sub Bernardi nomine adducantur: cum et sanctus Bonaventura idem peccet in laudata epistola; et libri Declamationum et Meditationum ex Bernardi centonibus constant, ut suis locis dicturi sumus.

XII. Præter censuram operum, aliquid etiam mutatum in ordine Horstiano, nempe in dispositione cum tomorum, tum opusculorum. Nam ubi Horstius epistolis secundo loco subiecit sermones de Tempore ac de Sanctis; tertio loco sermones in Cantica; quarto vero opuscula seu tractatus: consultius visum est epi-

stolis subjicere Opuscula seu Tractatus, qui plerique vel epistolari modo scripti sunt, vel ex epistolarum classe in tractatum ordinem redacti. Ex hoc ordine consequitur, ut tertio loco succedant sermones de Tempore et de sanctis; quarto, sermones in Cantica: quibus in quinto subsequitur eorundem sermonum continuatio, id est Gilleberti Sermones in eadem Cantica. De ordine duorum reliquorum tomorum, quinti nimirum ac sexti, in præfatione ad tomum quintum uberius dicendum erit; uti etiam de prioribus in singulis ad eos præfationibus agendum.

XIII. Atque ut genuina omnia Bernardi opera uno volumine continerentur, libros de ejus Vita et Gestis, quos Horstius in primo volumine præmiserat, rejecimus in finem tomi sexti seu secundi voluminis; ne vel germana Bernardi opera a sese divellerentur, vel nimium inæqualis esset voluminum magnitudo. Porro in fine prioris voluminis, uti et secundi, proprios indices copiosissimos collocavimus, ut priores indices omnia genuina opera, posteriores aliena complecterentur.

XIV. Denique uberiores notæ et observationes, quæ ab Horstio vel a me quondam in epistolas et alia opuscula conditæ sunt, textui subjiciuntur. Brevis interim chronologia præmissa est tomo primo, quod ipsarum notarum veluti fax quædam, et quasi commune quoddam sit fundamentum. Ad hæc singulis fere opusculis, in tomo secundo contentis, admonitiones præposuimus ad argumentum cujusque libri explicandum, aliasque circumstantias ad id pertinentes. Hæc fere sunt, quæ universim in hac novissima Bernardi editione præstitimus.

XV. Verum ut ad examen tomi primi, qui Bernardinas epistolas complectitur, descendamus, non mediocrem operam denuo adhibuimus in iis emendandis, illustrandis, ordinandis et augendis. Ad emendationem quod attinet, varios variarum bibliothecarum codices consulimus, Vaticanos, Colbertinos, Belgicos Sancti Petri apud Gandavum, et Aureæ-Vallis, præter eos, quibus in priori editione usi fuimus. Ex uno codice Corbeiensi quasdam aliquanti momenti inscriptiones restituimus, variaque loca tum ex eodem codice, tum ex duobus Colbertinis bonæ notæ, quorum unus signatus est n. 1410; alter n. 2476, Bernardi etiam opuscula continens, cum quo eadem opuscula contulimus. Ad hæc notæ marginales singulis fere epistolis appositæ sunt ad historica maxime facta paucis explicanda.

XVI. De ordine epistolarum diu anceps fuit cogitatio, an ordinem receptum servaremus, an potius novum institueremus. Variæ in utramque partem rationes sese offerebant. Ad servandum antiquum ordinem movebat primo antiquitas illius ordinis, quem ipso Bernardo adhuc vivente institutum fuisse constat, nimirum pro trecentis illis ac decem epistolis, quarum ultima est ea, quæ ad Arnoldum Bonæ-Vallis abbatem a Bernardo extrema scripta fuit. Nam cæteræ, sparsim hinc inde dispersæ, a posteris deinde in corpus Epistolarum in editis libris redactæ sunt, non semel, sed per varia intervalla, prout sese vel collectoribus vel auditoribus obtulerunt. Deinde antiquo ordini favebat temporis ratio, in veteri illa epistolarum collectione utcumque servata: cum alias timendum esset, ne plus incommodi ex illius recepti ordinis mutatione, quam utilitatis consequeretur, ob receptas nimirum epistolarum citationes, ne quid dicam de solemni ordine veterum exemplarium. In contrarium pugnabat epistolarum quarumdam confusio intolerabilis, ubi ordine præpostero aliquando responsio ad quasdam litteras facta, longo intervallo eas præcedebat. Accedebat aliud ex eo consequens incommodum, quod ejusdem argumenti tractatio perturbate relata, a se ipsa devulsa et distracta erat. In his angustiis mediam inire viam satius visum est, vulgatum scilicet ordinem retinendo in prioribus trecentis ac decem epistolis: in aliis vero quæ subinde adjectæ sunt, eas ad rationes temporis revocando, apposito ad marginem ordine, quem unaquæque epistola antea obtinebat. Ubi vero quædam ex novo hoc ordine epistolæ præcedentibus cohærere debuerant, illarum lectionem præmittendam aut jungendam esse monuimus. Sic antiquo ordini servatus est honos, et e novo sublata confusio. Sed ne veterem illum ordinem vivente ipso Bernardo concinnatum gratis dixisse videamur, testem appellamus Guillelmum, S. Theoderici quondam abbatem, qui ante Bernardum vivere desiit. Is enim in libro primo de Vita sancti doctoris, ipso superstite scripto, tradit n. 50 Bernardi ad Robertum consanguineum suum epistolam, quæ in medio imbre non fuerat madefacta, et ob tam grande miraculum in codice epistolarum ejus, scilicet Bernardi, et a fratribus non immerito primam fuisse ordinatam. Cæterum id a se factum memorat tertix Vitæ scriptor a nobis editus, quem Gaufridum sancti viri notarium esse existimamus.

XVII. In omnibus tamen antiquis libris non omnino constans est epistolarum ordo, tametsi in plerisque cum vulgato consentit usque ad epistolam trecentiesimam decimam; qui numerus in omnibus item codicibus non habetur. Ex quo intelligitur, non unam, sed plures factas fuisse Bernardinarum epistolarum compilationes. In tribus codicibus Vaticanis habentur illæ epistolæ, et in primo quidem elegantissimo, signato n. 662, continentur epistolæ ducentæ nonaginta sex eodem fere ordine atque in editis; quarum postrema est ad Hibernienses, de transitu beati Malachix. In alio codice n. 664, idem etiam ordo in epistolis ducentis quinquaginta duabus; ex quibus ultima est ad Hugonem militem Temoli. Verum in tertio,

qui n. 663 præditus est, exstant epistolæ ducentæ quadraginta, quarum ordo ab editis penitus diversus est: ita ut prima sit illa, quæ in antehac editis trecentesima decima tertia, ad Haimericum cardinalem; extrema ducentesima septuagesima quinta, ad Eugenium papam de electione Autissiodorensi. In aliis codicibus idem fere ordo servatur atque in editis, nisi quod in Gandavensi monasterii Sancti Petri hæc epistolarum compilatio dividitur in tres partes: quarum prima continet epistolas centum; altera, epistolas sexaginta quatuor supra centum; tertia epistolas septuaginta sex; quarum penultima est Bernardi ad Rogonem de Abbatis-Villa; ultima Joannis Casæ-Marii ad Bernardum. Et fortasse in nullo alio codice plures simul habentur Bernardi epistolæ, quam in isto Gandavensi; quo codice, vel certe simili, usus est Willermus Tornacensis monachus in suo Bernardino superius laudato, ubi epistolas ex prima, secunda, et tertia parte adducit. Cæterum in codice Vallis-Claræ ordinis Cisterciensis exstant epistolæ trecentæ septem; in Aureæ-Vallensi, trecentæ sex, utrobique postrema ad Arnoldum abbatem, quæ certe Bernardi extrema est. Primam illam haud dubie collectionem ad se mitti petebat Joannes Saresberiensis in epistola nonagesima sexta, ad Petrum Cellensem: cui in epistola sequenti « pro epistolis beati Bernardi » gratias agit.

XVIII. Jam vero ut de epistolarum accessione in hac editione facta (quod postremo loco tractandum erat) agamus, præmittendum est, in prima Bernardinarum epistolarum editione Bruxellensi anni 1481, atque in Parisiensi anni 1494, exhiberi trecentas decem epistolas, quarum antepenultima est ad Arnoldum Carnutensem abbatem; penultima ad fratres Hibernienses, in obitu sancti Malachie episcopi, ultima ad Guidonem abbatem Arremarensis. In editione vero anni 1520 per duos Claræ-Vallenses monachos, ut diximus, adornata, exstant epistolæ omnino trecentæ quinquaginta et una, quarum extrema est ad Hugonem novitium, postea Bonæ-Vallis abbatem. At epistola ad Arnoldum trecentesima decima est; epistola vero ad Hibernienses trecentesima undecima. Hujus discriminis ratio est, quod in priori illa editione desunt epistolæ duæ, nempe epistola octogesima quarta, quæ est secunda ad Simonem abbatem Sancti-Nicolai; et epistola centesima quadragesima septima, ad Petrum abbatem Cluniacensem. Jodocus Clitoveus in sua editione anni 1515 et in consequentibus habet epistolas tantum trecentas quinquaginta, ommissa epistola ad Hugonem novitium, quæ in editione Basileensi anni 1552 ab Antonio Marcellino restituta fuit. uti et in sequentibus usque ad Joannem Picardum. Is epistolas septemdecim jam vulgatis adjecit, sed absque ordine dispositas; quarum duas extra ordinem editis præmisit ex codice Pithæano, cæteras longo post vulgatas intervallo protulit ex bibliotheca sua Victorina. Detractis itaque quibusdam epistolis perperam repetitis, Horstius vulgatum earum numerum redegit ad trecentas sexaginta sex, quibus duas ex Bernardo Brito spurias, et ex codicibus Anglicanis septemdecim genuinas addidit, una cum epistola Fastredi abbatis coronidis loco adjecta, quæ numerum trecentarum octoginta sex absolutebat. Denique in priori nostra editione epistolæ undecim additæ sunt; et in hac novissima epistolarum numerus ad quadragintas octoginta duas accrevit, tum ex viginti octo Bernardi epistolis recens in Germania repertis, et Appendicis instar Horstio Coloniae adjectis; tum ex quibusdam alibi inventis, tum denique ex aliis, sive ad Bernardum, sive in Bernardi causa scriptis, quæ ad Bernardinas illustrandas necessariæ visæ fuerunt. Omnes porro istas epistolas redigimus in tres classes quarum prima quæ prior est epistolas trecentas et decem exhibet, antiquum ac vulgatum relinet ordinem; secunda, ad epistolam quadringentesimam quinquagesimam quartam reliquas Bernardi genuinas epistolas; tertia dubias, spurias et alienas complectitur. Hæc fere sunt quæ in primi tomii recognitione præstitimus; cætera diligens Lector facile observabit. Reliquis tomis singulis præfixa est sua præfatio, in qua quid in unoquoque præstitum sit, abunde docetur.

XIX. Postremo quæ Bernardi opera in variis bibliothecis delitescere causatus est Horstius, ea non esse Bernardi jam olim observavimus. Quippe liber in Hexaameron, est Arnoldi abbatis Bonæ-Vallis in agro Carnutensi; Commentarius in psalmos pœnitentiales, Innocentii III; Expositio in psalmum *Afferte*, Richardi Victorini; alia in psalmum quinquagesimum, Urbani; Commentarius in Pauli Epistolas, Bernardi Clavonensis Augustiniani, teste Possevino. Commentarius in Apocalypsim a Caramuele falso tributus Bernardo est: qui commentarius cum quædam Bernardi opuscula in codice subsequeretur sub titulo « cujusdam, » Caramuel legit « ejusdem » atque hunc Bernardo, uti et præcedentia ascripsit. Sane nulla superesse Bernardi opuscula, saltem alicujus momenti, haud edita existimo, præter nonnullas epistolas, quæ hactenus desiderantur. Sunt autem sequentes, videlicet: Epistola una ad Hugonem Pontiniaci abbatem, ut patet ex epistola trigesima tertia, ad eundem, n. 1; epistolæ duæ ad Innocentium II, adversus Petrum Bisuntinum, ex epistola centesima nonagesima octava. Una item ad eundem pro Petro Pisano, ex fine epistolæ ducentesimæ decimæ tertiæ. Plures item ad eundem pro introductione Præmonstratensium in Viridunense monasterium Sancti Pauli, ex epistola ducentesima quinquagesima tertia, n. 1. Una ad Ansellum subdiaconum Trecentensem indicatur in epistola ducentesima tertia, ad Attonem. Una excusatoria ad Sugerium, in epistola ducentesima vigesima tertia, ad Joslenum, n. 1. Duæ ad Joannem de Buzaiio, in epistola ducentesima trigesima tertia, ad eundem. Una ad Eugenium III, in gratiam episcopi Clari-Montis, ex fine epistolæ ducentesimæ octogesimæ quartæ, ad ipsum Eugenium. Item altera ad eundem Eugenium pro Ecclesia Tornacensi, ex Herimanno monacho Tornacensi, n. 115 (10). Una encyclica contra duella, ad Remensem

(10) Vide *Spicilegii* tomum II, pag. 483.

et Senonensem archiepiscopos, ad episcopos Suessionensem et Autissiodorensem, et ad Theobaldum et Radulfum comites, ex epistola alias trecentesima quinquagesima octava, nunc trecentesima septuagesima sexta. Ad hæc Petrus Venerabilis in quadam epistola, quæ modo inter Bernardinas exstat ordine trecentesima octogesima octava, refert fragmentum cujusdam sancti doctoris epistolæ pro Anglico quodam abbate in hæc verba, n. 4, « Quasi subversum sit iudicium. » etc. quæ quidem in nullis Bernardi litteris legere memini.

XX. Meminit etiam Ordericus Vitalis unius Bernardi epistolæ ad Natalem abbatem Resbacensem pro Uticensibus monachis, qui S. Ebrulfi reliquias petebant, Guarino, eorum abbate imprimis id curante, et postulante a Natali abbate. « Gaufridus Claras-Valles se ire velle intimavit: et si secum ire vellet annuit. Ambo itaque cum suis famulis Claras-Valles abierunt: benigne a fratribus illius cœnobii suscepti sunt, qui Regulam sancti Benedicti omnino ad litteram observare satagunt. Dominum vero Bernardum, illius monasterii patrem, quæsierunt: cum eo locuti sunt, et plurima sciscitantes, magnam in eodem sapientiam invenerunt. De sanctis enim Scripturis luculenter tractavit, et votis eorum et interrogationibus satisfecit. Causam quoque Utensium ut audivit, Guarinum abbatem benigne adjuvit, literasque exhortatorias Resbacensi conventui destinavit. Guarinus ergo abbas epistolam venerabilis Bernardi protulit, quam Resbacensis conventus libenter suscepit, et audita libentius complere decrevit. » Ita Ordericus in libro sexto.

XXI. Præterea Ademarum Ecolismensis monachus in Chronico, ubi de origine Carthusiensium agit « Illic ordo, inquit, teste Bernardo, inter omnes ecclesiasticos ordines primatum tenet, non ratione temporis, sed vigore sanctitatis. Unde ipse vocat eum speciosissimam columnam Ecclesiæ: » quod in editis non invenitur.

XXII. Denique Joannes Picardus, ex Joanne Mauburno in tractatu de Habitu canonicorum regularium, laudat quamdam epistolam ad Fulconem, ex qua hæc verba Mauburnus delibat: « Non comperies nigras aut griseas a collo dependentes; sed alias a mulierculis mutantur a collo dependentes, rubricatas murium pelles: » quasi hæc verba ex quadam epistola nondum edita referantur. Verum ad sensum exstant in epistola secunda ad Fulconem, n. 11. Item quæ idem Picardus ex eodem Mauburno tanquam haud vulgata refert de dotibus cardinalis, hæc habentur in libro quarto de Consideratione, n. 12. Hæc sunt quæ de hac epistolarum editione præmittere visum est operæ pretium.

§ II. — *De Bernardi sanctitate, doctrina, et auctoritate in Ecclesia.*

XXIII. Antequam ulterius procedamus, juvat expendere duos, qui Bernardo tribui solent, titulos, nempe quod sit inter doctores mellifluus, atque ultimus inter Patres, sed primis certe non impar. Doctoris nomen Ecclesia his tribuit, quorum doctrina publico ipsius suffragio approbata est, maxime ubi sanctitati, concentus accedit. Patres vocat eos, quos sanctitas, doctrina, et antiquitas commendat; doctrina, inquam, Scripturæ et traditioni potius, quam rationibus philosophicis inhærens. Itaque doctores appellari possunt statim a morte viri sancti doctrina illustres: Patres vero non nisi quos recepta jamdudum auctoritas venerabiles fecit, et modus tractandi res, a philosophica ratione alienus. Utrumque elogium merito sortitus est Bernardus. Et primum quidem in ipsa ejus canonizatione eidem tribuit Alexander III in missa, quæ de eo tunc celebravit, dicto Evangelio, quod solis doctoribus sanctis assignatur ex Matthæi capite quinto, *Vos estis sal terræ* (Math. v). Diserte vero Innocentius III idem elogium confirmavit in Collecta a se composita, in qua « beatus Bernardus abbas et doctor egregius » appellatur. Melliflui adjectivum, quod recentius est, sancto doctori asseruit Theophilus Raynaudus libello singulari, qui Apis Gallicana inscribitur. Primi inter editores hoc epitheton in fronte apposuerunt, Lugdunensis quidem anno 1508, tum Jodocus Clichtoveus anno 1515, atque etiam duo illi monachi Claræ-Vallenses jam superius laudati; idemque ab aliis subinde postea neglectum restituit Horstius. Verum inter elogia illud referre præstat: cum nudum sancti Bernardi nomen satis ipsius operum titulum commendat, quod auctoris implet elogium. Sane si quod aliud epitheton Bernardo convenit, maxime Θεοδιδάκτου, ab aliis editoribus eidem tributum: propterea quod doctrina non tam humanis viribus acquisita, quam cœlitus infusa præditus fuisse videatur.

XXIV. Quanquam ei non defuit labor et industria in legendis versandisque auctoribus, non modo sacris, sed etiam profanis, ut ex horum verbis subinde adductis manifestum est. Verum haud dubie in sæculo hæc didicerat juvenis, quæ etiam seni in memoriam aliquando recurrebant. At rebus theologicis accurate operam dederat monachus: quarum rerum cognitio quam profunda et sublimis in eo esset, docent imprimis sermones duo in Cantica, nempe octogesimus et octogesimus primus, ubi de imagine Dei, quæ in Verbo et in anima est, et de simplicitate Dei tam alte et apte disserit, ut nemo melius ante vel post eum. Idem etiam dicendum de Christi pro nobis patientis satisfactione, quæ miro sane modo in epistola centesima nonagesima ad Innocentium explicatur. Ad hæc quid in canonum scientia eximiis ejus de Consideratione libris comparari potest? Hinc confirmatur istud Leonis Magni effatum; « Verus recti amor in

semetipso habet et apostolicas auctoritates, et canonicas sanctiones. Denique doctor sanctus quantum in Scripturæ sacræ lectione versatus fuerit, ubique clamant ejus scripta, et quæ nihil aliud quam centones divinorum voluminum, ut Sixti Senensis verbis utar, dici possunt; quippe undecunque Veteris ac Novi Testamenti sententiis ita distincta, ceu gemmeis emblematis, hisque adeo commode et apte insertis, ut ibi nata esse credantur: Qui quidem scribendi modus sicut in quovis argumento promiscue usurpari non decet; ita in rebus sacris non debet improbari. Huc enim adduci potest quod Petrus apostolus ait: *Si quis loquitur, quasi sermones Dei* (I Petr. iv). Quod vero Bernardus quosdam Scripturæ locos in sensum improprium ac minime litteralem quandoque detorquet, adeo ut ludere potius in verbis, quam verba ipsa exponere videatur; id sane ea ratione excusare licet, quod in Scriptura multiplicem sensum, qui ad mores informandos conducat, accommode erui posse crediderit vir sanctus, præsertim ubi non de fide agitur, sed de pio quodam argumento exornando, ad excitandam scilicet auditorum attentionem ac delectationem.

XXV. Jam vero sanctissimum virum non tantum in Scripturæ sacræ, sed etiam in sanctorum Patrum lectione apprime, quantum ferebant variæ ipsius occupationes, versatum fuisse, nemo inficiabitur, qui ejus scripta diligenter lectitarit. Nam et Patres aliquando, eorumque sententiæ in his laudantur, et doctrina eorum per omnia ejus opera respersa est. Unde cum et quercus et fagos se magistros habuisse dicit (11), id eo modo interpretandum est, quem cardinalibus ipse suggerit in libro quarto de Consideratione, n. 12, nempe et in omni re orationi plus fidendum, quam propriæ industriæ vel labori, quod Bernardo re quidem vera Gaufridus aptavit (12). Cæterum quantum ex lectione Patrum, præsertim sancti Augustini, profecerit, probat imprimis liber de Gratia et Libero Arbitrio, quod Augustinianæ doctrinæ eruditum quoddam summarium est. Ambrosium Augustino adjungit in epistola seu opusculo undecimo, ad Hugonem Victorium; additque, ab his duabus Ecclesiæ columnis non facile se avelli. Athanasium item laudat in opusculo decimo, contra Petrum Abaelardum; aliquando etiam Gregarium Magnum. Denique in clausula homiliarum de Laudibus Virginis, multa a Patribus accepisse se fatetur. Mirum vero est, hominem sanctum, tot morbis et infirmitatibus obnoxium, tot curis distractum, negotiisque non modo domesticis (quæ sane nec levia, nec pauca erant in tam numeroso monachorum cœtu), sed maxime publicis interpellatum, parem fuisse, aut tot libris legendis, aut tam disertis eruditisque scriptis elaborandis: adeo ut præter naturale ingenium, quod in eo excellentissimum et sublimissimum erat, divinam quamdam ipsi loquenti, agenti, docenti, ac scribenti sapientiam adfuisse nemo dubitare possit. Unde et confessus est aliquando, ait Gaufridus, et sibi meditati vel oranti sacram omnem, velut sub se positam et expositam, apparuisse Scripturam (13). Etsi vero fateri solitus erat, se melius Scripturarum sensum assequi et in primæ originis suæ fonte, quam in decurrentibus expositionum rivis; sanctos tamen et orthodoxos earum expositores humiliter legens, nequaquam eorum sensibus suos sensus æquabat, sed subjiciebat formandos: et vestigiis eorum fideliter inhærens, sæpe de fonte, unde illi hauserant, et ipse bibebat (14). Hæc sancti doctoris erga sanctos Patres reverentia passim elucet in ejus scriptis, ut in epistola nonagesima octava, n. 1, sermone quinto in Cantica, n. 6, et alibi. Ad eos porro legendos otium ipsi concessit diutina illa infirmitas quæ primis præfecturæ suæ annis ipsum a cœtu fratrum abesse, et quasi privatim seorsim in monasterio degere coegit, primo quidem et ex præcepto Guillelmi et episcopi Catalaunensis, et abbatum et sui ordinis, testante altero Guillelmo abbate; deinde vero ex vi ingravescentis infirmitatis (15). Vidit illum Guillelmus abbas et feriatum ab omni sollicitudine domus, tam interiori quam exteriori, vacantem Deo et sibi, et quasi in deliciis paradisi exultantem. Tunc vir sanctus disseruit illi de Cantico canticorum, ut fusius ille prosequitur. Accessit Bernardo convalescenti ad impetrandam in sacra studia feriatiorem procuratio Girardi germani sui, qui ejus vices in monasterio ita supplebat, ut Bernardus sermone vigesimo sexto in Cantica ei ascribat spiritualium studiorum suorum profectum. Hæc vero studia erant, orare, legere, scribere, meditari, et similia, ex sermone quinquagesimo primo in Cantica, n. 3. Sic beatus Pater vixit per annos quindecim, id est a condito monasterio Claræ-Vallensi, ad schisma Petri Leonis: quo tempore magnis arduisque rebus adhibitus, talis demum evasit, qualem postea tota Europa, ne dicam orbis universus, admirata est.

XXVI. Non immerito itaque magnus ille Nicolaus Faber, Ludovici Justi præceptor, teste Francisco Balbo in ejus Vita, cum Patres omnes summopere venerari solitus erat, tum maxime divum Augustinum, ejus lectioni assidue inhærebat, et ex recentioribus divum Bernardum, quem ultimum Patrum nominabat. Et certe hoc elogium nullus veterum melius meruerit secundum Augustinum, quam Bernardus, nullus ita post eum: cum nulli aut sanctitas miraculis et factis illustrior, aut doctrina purior, traditionisve tenacior, aut dicendi scribendive modus diviniior, aut denique major fuerit auctoritas. Cujus enim, ut Guillelmi verbis utar, et voluntati sic detulit, ejus consilio sic se humiliavit omnis tam sæcularis, quam ecclesiasticæ

(11) *Vitæ* libro 1, n. 25.(12) *Ibid.*, libro III, n. 1.(13) *Ibid.*, n. 7.(14) *Ibid.*, libro 1, n. 24.(15) *Ibid.*, nn. 33, 40.

dignitatis altitudo? Reges superbi, principes et tyranni, milites et raptores sic eum timebant, ut videatur in eis impletum, quod in Evangelio legitur Dominus dixisse discipulis suis: *Ecce, inquit, dedi vobis potestatem calcandi super serpentes (Luc. x)*, etc. Porro inter spirituales... longe ei alia auctoritas erat. Sicut enim dicitur per prophetam de sanctis animalibus, quia cum fieret vox supra firmamentum, quod imminabat capiti eorum, *stabant, et submittebant alas suas (Ezech. i)*: « sic hodie, » inquit, « ubique terrarum spirituales quique, loquente eo seu tractante, stant cedendo præcedenti, et sensibus ejus vel intelligentiis submitunt sensus vel intelligentias suas. Testantur hoc scripta ejus (16), » etc. Merito proinde Cæsarius Heisterbacensis monachus ait tantam fuisse ejus auctoritatem, « ut per unius os Bernardi purpurati patres, reges, principesque terrarum, quasi per commune mundi oraculum, loquerentur (17). » Hæc sancti doctoris existimatio ad nostram usque ætatem propagata est, ut fidem faciunt illustrium virorum de eo testimonia, in quibus Bartholomæus a Martyribus, piissimus ille Bracarensis antistes, Bernardi cultor et admirator, non inferiorem locum obtinere debet.

XXVII. Hanc porro auctoritatem cum multa ei viventi conciliabant, tum maxime eximia ejus in honoribus ipsis humilitas, quo nihil, ipsius Bernardi judicio, sublimius (18). Audi Ernaldum: « Plurima autem in eum probabilia et laude digna concurrunt. Alii namque doctrinam, alii mirantur miracula. Ego quidem, ait ille, « his omnibus honorem defero: sed præ omnibus, quantum in me est, hoc sublimius duco, hoc propensius prædico, quod cum esset vas electionis, et nomen Christi coram gentibus et regibus ferret intrepidus; cum obedirent ei principes mundi, et ad nutum ejus in omni natione starent episcopi; cum ipsa Romana Ecclesia singulari privilegio ejus veneraretur consilia, et quasi generali legatione concessa, subjecisset ei gentes et regna; cum etiam, quod glorio ius judicatur, facta ejus et verba confirmarentur miraculis: nunquam excessit, nunquam supra se in mirabilibus ambulavit: sed de se semper humiliter sentiens, venerabilium operum non se auctorem credidit, sed ministrum; et cum esset omnium judicio summus, suo sibi judicio constitit infimus (19). » Quippe « vincebat sublimitatem nominis humilitas cordis: nec tantum poterat universus eum mundus erigere quantum se ipse dejicere solus (20). » Neque vero tanta sui demissio et abjectio profectum ejus apud alios minuebat, imo amplius augebat. « Nimirum quo humilior, eo semper utilior fuit populo Dei in omni doctrina salutari (21). »

XXVIII. Patris sanctitati ex æquo respondebat sanctimonia filiorum, quæ in Patris etiam gloriam redundabat. Testis ipsa Romana curia, quæ Innocentium ad Claram-Vallem comitata est. « Flebant episcopi, flebat ipse summus pontifex; et omnes mirabantur congregationis illius gravitatem, quod in tam solemnium gaudio oculi omnium humi defixi, nusquam vagabunda curiositate circumferrentur; sed complosis palpebris, ipsi neminem viderent, et ab omnibus viderentur. Nihil in ecclesia illa vidit Romanus quod cuperet. Nulla ibi suppellex eorum sollicitavit aspectum; nihil in oratorio, nisi nudos viderunt parietes. Solis moribus poterat inhiare ambitio, nec damnosa poterat esse fratribus hujusmodi præda, cum minui non posset asportata religio (22). » His columnis ac præsiidiis fulta erat Bernardi auctoritas, adeo ut « austeritatem suavitas morum tolleret, auctoritatem sanctitas conservaret: quasi de cælo afferens inter homines miraculum quoddam conquisitæ apud Deum plusquam humanæ puritatis (23). Porro sanctitatem illam ac puritatem attestabantur miracula, quæ adeo clara et illustria fuerunt, ut etiam ejus adversarii ea faterentur; tam crebra et frequentia, ut Bernardus ipse obstupesceret, apud Gaufridum (24).

XXIX. Non mirum proinde, si tantum potuit ejus auctoritas, primum quidem « circa resuscitandum, » ut Guillelmus loquitur, in monasterico ordine antiquæ religionis fervorem (25), » deinde, ex Gaufrido, « in Catholicorum moribus corrigendis, in schismaticorum furoribus comprimendis, in hæreticorum erroribus confutandis (26). » Quod tum ex ejus Vita, tum ex ejusdem scriptis, maxime ex epistolis manifestum est.

§ III. — *De Bernardi profectu in emendandis moribus clericorum, monachorum, et laicorum.*

XXX. Corruptos sui sæculi mores passim luget ac deplorat vir sanctus, maxime in Ecclesiæ ministris, quorum plerosque ad meliorem frugem adduxit: adeo ut tota Ecclesiæ ac cleri, imprimis Gallicani, facies suis monitis ac sermonibus penitus immutata fuerit, et in antiquum decus restituta. Quippe Eugenium, virum sanctissimum, Romanæ sedi suppeditavit, atque in eo Romanos pontifices omnes ad rectam et legitimam suæ dignitatis administrationem erudit et accendit, libris editis de Consideratione, plane divinis. In episcopis Henricum Senonensem, Stephanum Parisiensem, aliosque permultos ab aulico vivendi genere ad mores episcopali ordine dignos revocavit: multos etiam e suis, in aliorum exemplum, episcopos protulit (27). Clericis omnibus salutaria monita dedit in sermone de Conversione, ad clericos. Quæ omnia si quis accurate videre cupit, legat librum sextum de Vita sancti Bernardi gallice edita, cujus Vitæ tres

(16) *Vitæ* libro I, n. 70.

(17) *De miraculis*, lib. XIV, cap. 17.

(18) *Homilia* IV De laudibus Virginis, n. 9.

(19) *Vitæ* libro II, n. 25.

(20) *Ibid.*, libro III, n. 22.

(21) *Ibid.*, n. 8.

(22) *Ibid.*, libro II, n. 6.

(23) *Ibid.*, libro III, n. 21, et libro I, n. 28.

(24) *Ibid.*, libro III, n. 20.

(25) Guillelmus, lib. I, n. 42.

(26) Gaufridus, lib. III, n. 12.

(27) *Vitæ* libro II, n. 49.



libri posteriores ex ejus scriptis magna cum pietate et cum insigni delectu contexti sunt, De moribus et officio episcoporum legenda imprimis epistola quadragesima secunda ad Henricum Senonensem, quæ in Tractatum classem modo tomo secundo relata est. Merito itaque in libro de episcopis Verdunensibus dicitur is esse Bernardus, « cuius consiliis regna et Ecclesiae Gallicanae hodie, » inquit auctor, « innituntur (28). »

XXXI. Erat in eo mirifica dicendi gratia, « ut non posset ne ipsius quidem stilus, licet eximius, totam illam dulcedinem, totum retinere fervorem. » Quippe « placabilem, et persuasibilem et eruditam linguam dederat ei Deus, ut sciret quem et quando deberet proferre sermonem; quibus videlicet consolatio vel obsecratio, quibus exhortatio congrueret vel increpatio: ut nosse poterunt aliquatenus qui ejus legerint scripta, etsi longe minus ab eis, qui verba ejus sæpius audierunt (29). » Quod si ejus scripta legendo ita accendimur, quanto magis illi qui loquentem audiebant? Non itaque mirum, quod Deus tot et tanta, in sui temporis hominum salutem per eum operatus est.

XXXII. Quis vero explicet, quæ et quanta ab eodem patrata sint ad monastici instituti primigenium fervorem denuo suscitandum? Testantur hoc eximiæ ejus hac de re epistolæ ac scriptiones, liber de Præcepto et Dispensatione, apologia ad Guillelmum abbatem, variique sermones: in quibus monachos ad retinendum revocandumque veterum Patrum primarium institutum animavit, id est, ad poenitentiae labores, austeritates, modestiam et humilitatem, paupertatem, mundi contemptum, amorem solitudinis ac silentii, et ad continuum profectum: in quibus totius rei monasticæ cardinem versari intelligebat. Hinc non immerito Petrus Venerabilis in epistola, quæ est inter Bernardinas ducentesima vigesima nona, vocat eum, n. 30, « lacteam fortemque columnam, cui innititur monastici ordinis ædificium: » ac « rutilum sidus, » quod « exemplo, verboque non solum monachis, sed et toti Latinae Ecclesiae suo tempore insigniter lucem donavit. »

XXXIII. Laurentius de Leodio in libro de Episcopis Verdunensibus, duos ordines, Cisterciensem et Præmonstratensem, comparat cum duobus cherubin propitiatorum obumbrantibus: « quorum unus Cisterciensis, duce Bernardo sanctissimi nominis abbate, monasticum ordinem, jam pene lapsum, ad primam apostolicæ vitæ normam reparavit. » Et « Cisterciensis quidem, per istud temporis, » inquit, « triennium, jam in ducentas circiter abbatias magni nominis, meriti, et numeri accrevit; et usque in barbaros Sarmatas et extremos Scythas jam diffundi cœpit (30). » Tantum potuit Bernardi fama et opinio sanctitatis, ejusque discipulorum! Inde factum est, ut ordinis Cisterciensis, qui Bernardum alumnum habuit, quasi fundator habitus sit ipse Bernardus, ab ejusque monasterio Claræ-Vallensi dictus ordo Claræ-Vallensis suo tempore; imo postea et sancti Bernardi, etsi id vetuit Innocentius VIII in litteris unionis monasterii Claræ-Vallensis cum Cisterciensi. Hinc in litteris Alberonis episcopi Verdunensis apud Laurentium de Leodio mox laudatum, abbates Trium-Fontium et de Caladia dicuntur « de ordine Claræ-Vallensi (31); » et a Petro Cellensi « Cisterciensis sive Claræ-Vallis ordo » vocatur in libro primo, epistola vigesima quarta. Sic in epistola Samsonis Remensis antistitis, quæ est ordine quadringentesima trigesima quinta inter Bernardinas, ordinis Claræ-Vallensis mentio non semel habetur. Quanquam dici potest, ordinis Claræ-Vallensis nomine lineam tantum Claræ-Vallensem, non totum ordinem, sæpius designari.

XXXIV. Qualis ac quanta fuerit sive Cisterciensium, sive Claræ-Vallensium sub Bernardo districtio et rigiditas, non est necesse hoc loco exponere, quando id satis superque patet tum ex Bernardi litteris ac scriptis, tum ex ipsius Vita, maxime ex libro primo, cap. 5, ubi primi Claræ-Vallis incolæ Deo servisse memorantur « in paupertate spiritus, in fame et siti, in frigore et nuditate, in vigiliis multis. Pulmentaria sæpius ex foliis fagi conficiebant. Panis ex hordeo, et vicia, et milio erat. » Ita Guillelmus testis oculatus. Bernardo in epistola prima, ad Robertum, « olus, faba, pultes, panisque cibarius cum aqua, » Cisterciensium deliciae perhibentur. Nec aliæ apud Fastredum in epistola sua inter Bernardinas. « Tanta in cibo parcimonia, » inquit Stephanus Tornacensis in epistola septuagesima secunda, « ut duobus tantum pulmentis utantur, quæ aut ager ex leguminibus, aut ex oleribus hortus affert. Ipsi pisce tanto rarius utuntur, quanto frequentius apud eos audiri solet, quam videri. » Plura videsis apud eundem auctorem, et apud Petrum Cellensem. Perseveravit hic ordinis vigor non modo ad finem sæculi duodecimi, quod patet ex Petri Blesensis epistola octogesima secunda, sed etiam ultra medium sæculum decimum tertium testante Jacobo a Vitriaco in Historiæ orientalis et occidentalis capite decimo tertio: « Carnes, » inquit, « nisi in gravi infirmitate non manducant. Piscibus, ovis, lacte, et caseo non vescuntur communiter. »

Eandem vitæ severitatem nos Galli etiam nunc reflorescere conspicimus in piissimis monachis beatæ Mariæ de Trapa, aliisque nonnullis eorum imitatoribus: qui vitæ suæ puritate, austeritate, solitudinis amore, silentio, labore, aliisque religiosis virtutibus, id factu possibile astruunt, quod de Bernardo, ejusque discipulis legebamur, nec fere credebamus.

XXXV. Subjungit idem Jacobus a Vitriaco in capite sequenti, feminarum sexum fragiliorem « a principio ordinis ad tantæ districtiois severitatem » aspirare ausum non fuisse; sed id demum in morem postea

(28) *Spicilegii* tomo XII, pag. 311.

(29) *Vitæ* libro III, n. 7.

(30) *Spicilegii* tomo XII, pag. 525.

(31) *Ibid.*, pag. 322.

venisse. Verumtamen vivente ipso Bernardo non fuit omnino expers istius instituti femineus sexus. Id probat Hermannus Laudunensis monachus in libro tertio de Miraculis sanctæ Mariæ, cap. 17, ubi agit de Monasteriolo, Cisterciensium virginum ad Laudunum parthenone, a Bartholomæo episcopo constructo : in quo sanctimoniales sub Guiburge abbatissa, « depositis omnibus lineis indumentis atque pelliciis, solis tunicis laneis utebantur; et non solum nendo vel texendo, sed etiam in agris fodiendo, et cum securi et ligone silvam succisam extirpando, spinas et vepres evellendo, manibus propriis assidue laborantes, cum silentio victum sibi quærebant, vitamque Claræ-Vallensium monachorum per omnia imitabantur. »

XXXVI. Longius progredèretur oratio, si quotquot Bernardus ad monasticam vitam pertraxit, illustriores utriusque sexus homines, quos scilicet novimus, in medium adduceremus : quales fuere Henricus, Ludovici VI Francorum regis filius, Ermengardis Britannicæ ducissa, Adelais Lotharingicæ, et alii, aliæque innumeræ. Verum illud paulo minus prædicandum et mirandum, quod hominibus in sæculo remanentibus piissimam et rectissimam vivendi rationem persuasit. « Adhæsit ei præ omnibus quidem ex principibus comes Theobaldus, et se, et sua in subsidia Claræ-Vallis exposuit, et in manibus abbatis posuit animam suam, deposita altitudine principali, se inter servos Dei conservum exhibens, non dominum, ut obediret ad omnia, quæcunque domus illius iussu postulassent (32). » Quid tantus princeps, monente et hortante Bernardo, præstiterit, tum in construendis, dotandis juvandisque monasteriis, tum in egenis sublevandis, tum denique in exercendo optimi principis officio, testis est Ernaldus abbas, ex quo præmissa retulimus : testes etiam Bernardi epistolæ de eodem. Theobaldi pium studium æmulabatur nobilis et illustris femina Beatrix, ut discimus ex epistola centesima decima octava. Denique, quantum Bernardi auctoritas in corrigendis hominum moribus valuerit, exemplo est conversio Guillelmi Aquitanicæ ducis, quem ex pertinacissimo schismatico obsequentissimum et piissimum principem effecit (33). Ut paucis cum Gaufrido absolvam : « Quæ scelera non arguit? quæ odia non exstinxit? quæ scandala non compescuit? quæ schismata non resarcivit? quæ hæreses non confutavit (34)? » Verum hæc duo postrema, nempe quæ ad schismata et hæreses pertinent, peculiarem exigunt tractationem.

§ IV. — *De schismate Anacleti per sanctum Bernardum compresso.*

XXXVII. Etsi Baronius, aliique scriptores ecclesiastici, de schismate, post Honorii II obitum, anno 1130, Innocentium inter et Anacletum conflato, multa scripsere; nonnulla tamen ampliori explicatione egent, quæ ex veterum monumentorum lectione supplere conabimur, ad illustrandas Bernardi hoc de argumento epistolas; atque, ut ordine procedat oratio, primo quidem inquirendum, quales Gregorius de Sancto Angelo cardinalis, et Petrus Leonis (nam hæc Innocentii et Anacleti prima nomina erant) ante schisma fuerint. Deinde propius consideranda Innocentii electio, ejusque accidentia et conditiones, atque Anacleti oppositio. Postremo quid exinde consecutum sit, investigandum.

XXXVIII. Petrus Leonis, ex gente Leonina Romanus, ex monacho Cluniacensi creatus est primum (si Onuphrio credimus) a Paschali II, diaconus cardinalis tit. sanctorum Cosmæ et Damiani: dein a Callisto II, presbyter cardinalis Sanctæ Mariæ trans Tiberim, tit. Callisti, anno 1120. « Fuit hic Petrus, » uti ex Chronico Mauriniacensi discimus, « Petri filius, filii Leonis. Leo vero a Judaismo pascha, » id est transitum, « faciens ad Christum, a Leone baptizari, et ejus nomine meruit insigniri. » Leonem IX interpretare. « Hic vir, » scilicet Leo ex Judæis, « quia scientissimus erat, in curia Romana magnificus effectus, genuit filium nomine Petrum, magnæ famæ, magnæque potentie post futurum. Ea tempestate inter regem Teutonorum, qui ex successione Caroli Magni Romanorum patricius erat, et Ecclesiam Romanam illa turbulentissima de investituris orta est seditio. In qua vir ille in tantum armis strenuus, consilio providus, et Ecclesiæ Romanæ fidelis exstitit, ut ei cum cæteris munitionibus, quæ Romæ sunt, illam quoque, quæ illius urbis videtur obtinere similitudinem, turrin dico Crescentii, quæ a parte Galliarum in parte Tiberini pontis sita est, papa committeret, et eum præ cæteris familiarem haberet. Hac occasione mirabiliter excrescens, quotidie sui melior efficiebatur, et divitiis, possessionibus, honoribus augmentabatur. » Hæc præmittenda fuerunt, quoniam ex Petri genere, Judaismo, potentia, turre Crescentii (arcem Sancti Angeli appellant) qua Anacletus se tutabatur, pendet rei gestæ notitia. Pergit chronographus Mauriniacensis : « Inter cæteram sobolem, cujus plurima multitudine sexus utriusque a quibusdam Antichristus gloriabatur, genuit hunc Petrum, de quo sermo nunc est : qui litteris traditus, a quibusdam Antichristi præambulus appellabatur. » Hoc convicium ex consequentibus seu ex eventu ei impositum existimem. « Iste studii gratia Gallias atque Parisius adiit : et cum repatriaret, apud Cluniacum, ditissimum atque sanctissimum cœnobium, monachilem habitum induit. Aliquantisper inibi regularibus institutionibus imbutus, a papa Paschali II patris admonitione retrahitur ad curiam; et cardinalis effectus tempore Callisti papæ, cum eodem Gregorio, qui postea Innocentius II, missus ad Gallias, Carnoti, Belvacique concilia celebravit. » Nulla hic mentio de titulo diaconi cardinalis, quem titulum Petro Leonis a Paschale concessum fuisse Onuphrius tradit : qua in re potior est auctoritas chronographi Mauriniacensis, ejus temporis æqualis.

(32) *Vitæ* libro II, n. 52.

(33) *Ibid.*, n. 37 sqq.

(34) *Ibid.*, libro III, n. 30.

XXXIX. Gregorius diaconus cardinalis tit. Sancti Angeli ab Urbano II creatus dicitur; ac deinde legatus a Callisto II in Galliam missus cum Petro Leonis, anno 1124, Sagium Neustriæ civitatem cum eo accessit, teste Orderico (35). De hac legatione ita scribit Vincentius in libro secundo de Vita Stephani Grandimontensis cap. 49: « Excellentissimi quoque cardinales, Gregorius et Petrus Leonis, inter quos postmodum de papatu schisma fuit, cum in Galliam missi, in partibus Lemovicis legatione sua fungerentur, ad hunc virum Dei » Stephanum « pariter convenerunt. » Et quidem constitutioni Sugerii abbatis anno 1125 subscripserunt ambo ut legati, apud Chesnium: « Ego Petrus sedis apostolicæ presbyter cardinalis et legatus laudō et confirmo. Ego Gregorius Sancti Angeli diaconus cardinalis et apostolicæ sedis legatus (36), etc. » Eodem tempore Bernardus quasdam epistolas scripsit Petro diacono cardinali legato, nimirum epistolam decimam septimam et sequentes: quem ipsum esse Petrum Leonis aliquando cum Manrico opinatus sum. At cum Petrum illum cui Bernardus scribit, diaconum, non presbyterum cardinalem fuisse constet; epistolæ illæ Petro Leonis convenire non possunt, qui tunc sine dubio presbyter cardinalis erat, ut probat non solum Onuphrius cum aliis, sed etiam præmissa ipsius Petri subscriptio, atque Sugerii testimonium, quod mox adducemus. Itaque Petrus ille diaconus cardinalis ac legatus, cui Bernardi superiores epistolæ inscriptæ sunt, fortassis is ipse fuerit, qui adversus Pontium abbatem Cluniacensem exactoratum, ejusque fautores Pontianos, in Galliam accessit ex mandato Honorii papæ; cujus rei auctorem habemus Petrum Venerabilem in libro secundo de Miraculis, cap. 13: « Decesserat jam e vita supra scriptus venerandus papa Calixtus, nec se inferiorem papam Honorium acceperat successorem. Hic tantæ Ecclesiæ » Cluniacensis « tantos tumultus audiens, misso de latere suo legato, domino scilicet Petro cardinali, Pontium et Pontianos, qui tunc sic vocabantur, omnes adjuncto sibi Lugdunensi primate Hubaldo, terribili anathemate condemnavit. » Cujus vero tituli is cardinalis fuerit, non facile est definire: nam plures tunc temporis erant, præter Petrum Leonis, eo nomine cardinales; nimirum Petrus episcopus Portuensis, Petrus Pisanus tit. Sanctæ Susannæ, Petrus Burgundus tit. Sancti Marcelli, Petrus tit. Sancti Æquitii, qui prima Honorii creatione promotus est anno 1125, Petrus presbyter cardinalis tit. Sanctæ Anastasiæ anno sequente, ac demum biennio post Petrus diaconus tit. Sancti Adriani. Sed ante horum duorum creationem Bernardi epistolæ scriptæ videntur.

XL. Interea moritur Honorius pontifex medio februario anni 1130. Præcedentem assignat chronographus Mauriniacensis de more Gallicano, quo novi anni initium a Paschate deducebatur. Tum « cardinales, » ait idem chronographus, « qui cum cancellario » Haimérico « inibi aderant, et Honorio infirmanti assederant, Gregorium quemdam, » eum scilicet quem modo laudabamus, « scientia ac religione præclarum, sibi præficiunt, et nimis festinanter, ut a quibusdam dicitur, pontificalibus induunt insignibus. Id illius gratia dispensationis factum dicunt, ut Petrum quemdam, qui sæculariter ad papatum videbatur aspirare, spe sua frustrarentur. Fuit hic Petrus Petri filius, filii Leonis, » et cætera, quæ superius de eo retulimus. Factum clarius exprimit Sugerius in libro de Vita Ludovici Grossi, ubi ait, « Romanæ Ecclesiæ majores et sapientiores, » extincto Honorio, « ad removendum Ecclesiæ tumultum » consensisse, « apud Sanctum Marcum, et non alibi, et non nisi communiter Romano more celebrem fieri electionem. » At « qui assiduitate et familiaritate propinquiore apostolici fuerant, timore tumultuantium Romanorum illuc convenire non audentes, antequam publicaretur domini papæ decessus, personam venerabilem, cardinalem de Sancto Angelo diaconum Gregorium, summum elegisse pontificem: qui autem Petri Leonis parti favebant, apud Sanctum Marcum pro pacto alios invitantes convenisse; dominique papæ morte comperta, ipsum eundem Petrum Leonis, cardinalem presbyterum, multorum, et episcoporum, et cardinalium, et clericorum, et Romanorum nobilium consensu votive elegisse: » sicque schisma perniciosum conflatum fuisse. Prior itaque erat Innocentii electio: sed præpropæra, nec ab universo eligentium cœtu facta. « Cum autem Petri Leonis pars tum parentum suffragio, » addit Sugerius, « tum Romanæ nobilitatis præsidio prævaleret; » Innocentius Urbem deserit, et ad partes Galliarum navigio descendit, « nuntiisque ad regem Ludovicum destinatis, » ejus opem cfflagitat. Quamobrem Ludovicus Stampas indicit « concilium archiepiscoporum, episcoporum, abbatum et religiosorum virorum; et eorum consilio magis de persona, quam de electione investigans, » Innocentio dat manus, auctore Bernardo, in cujus suffragium totius concilii vota convenerant teste Ernaldo in libro secundo de ejus Vita, cap. 4. Sub hæc Sugerius, uti ipse persequitur, mandato regis obviam Innocentio missus Cluniacum usque; cujus loci abbas Petrus Venerabilis et monachi Anacleto, monacho quondam suo, Innocentium prætulerant, ut postea notabimus ad epistolam centesimam vigesimam sextam. Rex ipse usque ad Floriacense sancti Benedicti monasterium cum regina et filiis suis papæ occurrit, et regium verticem, « tanquam ad sèpulcrum Petri inclinans, pedibus ejus procumbit. » Ejus exemplo rex Angliæ Henricus, itidem Innocentio « Carnotum occurrens, devotissime pedibus ejus prostratus, » suam suorumque obedientiam ei promittit. Innocentius vero « visitando Gallicanam Ecclesiam, ad partes se transfert Lotharingorum. Cui cum imperator Lotharius civitate Leodii cum magno archiepiscoporum, et episcoporum, et Teutonici regni optimatum collegio celeberrime occurrisset; in platea ante episcopalem ecclesiam humillime se ipsum stratorem offerens, pedes per medium sanctæ processionis ad eum festinat,

(35) Ordericus, lib. xii, p. 877.

(36) Chesnius, tomo IV, pag. 547.

alia manu virgam ad defendendum, alia frenum albi equi accipiens, tanquam dominum deducebat. Descendente vero tota statione, eum suppodando deportans, celsitudinem paternitatis ejus notis et ignotis clarificavit. » Hæc anno 1150 gesta : ubi Sugerius silet de Bernardo, quem assiduum Innocentii comitem itineris per Galliam fuisse ex Ernaldo discimus.

XXI. Antequam cætera persequamur, non ab re fuerit observare, quid tunc temporis Leodii actum sit. Id explicant Annales Magdeburgenses seu Saxonici mss. ad annum 1131 : « Dominica ante mediam Quadragesimam, undecimo Kalendas aprilis, celeberrimus conventus triginta et sex episcoporum et principum fit Leodii, domno apostolico Innocentio et rege Lothario ac regina præsentibus; ubi multa tam de ecclesiasticis quam de regni utilitatibus provide ordinata sunt. Ibidem Halberstadensis episcopus Otto, ab Honorio papa jam triennio episcopatu privatus, interventu regis et principum, officii sui restitutionem promeruit. » Ernaldus tradit, eo in conventu actum de investituris, quas tandem Lotharius, agente Bernardo, Ecclesiæ remiserit. Hoc concilium præcesserat synodus Wirceburgensis; uti habent iidem Annales, ab auctore æquali scripti. « Concilium sexdecim episcoporum mense octobri a rege Wirceburgi congregatur, cui adfuit archiepiscopus Ravennæ, apostolicæ sedis legatus : ubi Gregorius, qui et Innocentius, qui Petro Leoni in electione prævaluit, a Lothario rege et omnibus ibi congregatis eligitur, et confirmatur. »

XXII. Post conventum Leodiensem Innocentius, teste Sugerio, remeant in Franciam Paschæ festum apud Sanctum Dionysium transigit et « transactis tribus post Pascha diebus, » Parisios accedit. « Exinde Galliarum ecclesias visitando, et de earum copia inopiæ suæ defectura supplendo, cum per terram aliquantis per deambulasset, Compendii demorari elegit. » Subinde concilio Remis habito, ut tradit Sugerius, et quidem decimo quarto Kalendas novembris, testante Dodechino, ibidem Ludovicus Junior regia insignia ab Innocentio accepit octavo Kalendas easdem, prout notavit Robertus Sigeberti continuator. Annales Saxonici manuscripti ad annum 1131 : « Innocentius papa, iterum collectis ecclesiasticis viris, » id est post synodum Leodiensem, « et fidelium turbis, apud Remensem urbem in festo sancti Lucae grandi synodo per aliquot dies præsidebat. » Addit Sugerius, papam « soluto concilio, » Autissiodori moras egisse; ac demum cum Lothario repetiisse Italiam. Autissiodori moram chronographus concilio Remensi postponit.

XXIII. Ernaldus in libro secundo de Vita Bernardi, capite primo, concilium Remense ante Leodiense collocat, atque Innocentium Leodio Claram-Vallem, ac deinde, post brevem in Gallia moram cum Lothario Romam contendisse scribit. At synodum Remensem Leodiensi posteriorem esse constat, tum ex Sugerii narratione, tum ex Annalibus Saxonis, sed maxime ex Chronico Mauriniacensi, in quo Innocentii iter accurate describitur. Tradit quippe chronographus, post agnitum Carnoti ab Henrico Anglorum rege Innocentium, « statutum fuisse in curia ad patricium Romanorum et Teutonicorum regem iter dirigere, et de Carnoto statione prima apud Mauriniacum hospitari, » quod Benedictinorum monasterium est in suburbio Stampensi. In illo vero comitatu, præter episcopos et cardinales, adfuisse « Bernardum abbatem Clararum-Vallium, qui tunc temporis in Gallia divini verbi famosissimus prædicator erat; » et Petrum Abælardum monachum et abbatem, qui « vir religiosus, et excellentissimarum, » id est theologiarum, « rector scholarum » dicitur. Mauriniacensis ecclesiæ dedicatione facta, « luce tertia dominus papa cum suo comitatu discessit, et ad suum colloquium, quod apud Leodium fuit, profectus est... Exinde rediens Innocentius ad Galliam, diuque Autissiodori commoratus, cum tempus convocati concilii, quod in festivitate beati Lucae evangelistæ Remis celebraturus erat, appropinquaret, conciliato prius apud Turonum Gaufrido Martello... rursus per Aurelianensem, Stampensemque rediens provinciam, sua præsentia Parisius illustravit. » Interea Philippi regis designati mors accidit. Mortis hujus audito nuntio, papa præcordialiter per-motus, mittit a latere suo ad consolandum regem venerabiles episcopos, Gaufridum Catalaunensem, et Matthæum Albanensem. » Tum Remos profectus, in frequentî synodo Ludovicum regem solemniter inungit. Litteræ obedientiæ et fidei indices ei mittuntur a Lothario Alamannorum, et ab Henrico Anglorum, iidemque ab Hildefonso seniore citerioris, et juniore interioris Hispaniæ regibus. Ad hæc ingenti gaudio pontificem recrearunt « excellentissimorum eremitarum Carthusiensium litteræ, quæ per quemdam venerabilem abbatem de ordine Cistellensi delatæ, et in concilio per Gaufridum Carnotensem episcopum recitatæ sunt. » Abbas iste erat Pontiniacensis, nempe Hugo, ut testantur litteræ, quas idem chronographus refert in fine libri secundi. Addit initio tertii, Innocentium paulo post concilium Remense, Romam repetiisse. « Sed quia Petrus, injustus convicarius, maximam partem sibi sociaverat civitatis, Innocentius ecclesiam beati Petri, in qua divini sacerdotii dignitas pendebat, solus per se obtinuit : Petrus vero Lateranensis palatii sedem, ad quam imperialis celsitudo pertinet, occupavit. » Exstant hac de re litteræ Lotharii imperatoris in tomo sexto Spicilegii, in quibus Norbertus archiepiscopus Magdeburgensis cancellarii titulo afficitur, nempe vicès agens Brunonis Coloniensis, ut legitur in Chronico Saxonico, qui Bruno in Italiam cum imperatore profectus non fuerat. Verum Innocentius civitati consulens, Pisas se contulit, ibique ad mortem usque Petri demoratus est, id est ad annum 1137.

XXIV. Petrus interea temporis, seu Anacletus, nihil non molitur, ut quoscunque insigniores viros ad partes suas adjungat. Ex episcopis ei adhæsit Girardus Engolismensis, qui cum legati munus sub pontificibus proximis gessisset, illud idem vel ab Anacleto impetrare in votis habuit. Idem Guillelmum Picta-

vorum comitem ad Anacletum pertraxit. Præterea Rogerium Apuliæ ducem ut sibi conciliaret Anacletus, sororem suam ei tradidit uxorem, eumque Siciliæ regem coronavit, teste Orderico in libro duodecimo (37). In epistolis Anacleti pontificem se ferentis, quæ omnes in codice Casinensi habentur, partim apud Baronium editæ, una est, in qua vehementer conqueritur de abbate Farfensi, quem, quia sibi contrarius erat, « Ecclesiæ funda percussit, » id est, « excommunicationis sententia condemnavit. »

XLV. Tot tantæque turbæ, quas fusius fortasse quam locus pateretur, hic descripsimus, multum negotii Bernardo facesserunt, qui varias epistolas circumquaque scripsit ad conciliandos Innocentio schismaticos, et continendos in officio fideles; varia item itinera ejusdem rei causa suscepit, ut ex sequentibus epistolis, et ex Vitæ librò secundo, capp. 6 et 7, intelligitur.

XLVI. Superest hic agendum de Girardo Engolismensi episcopo, cujus mores egregie descripsit Arnulfus, tum Sagiensis archidiaconus, dein episcopus Lexoviensis, in tractatu adversus eum edito, quem Acherius noster in tomo secundo Spicilegii typis vulgavit. Ait eum patria Northmannum, ob paternæ domus familiarem inopiam inde profectum, et « casu » tandem electum antistitem Engolismensis Ecclesiæ, ut « exitum qualemcunque » eligentium discordia consequeretur. Tum nepotibus suis, « obscuro loco » natis, dignitates ecclesiæ suæ conferre, crimina impunita relinquere, legati munus a summo pontifice quærere et impetrare, in singulos grassari, concilia et synodos convocare ad fastum. Addit Arnulfus, eum electo Innocentio primum favisse: sed cum legati munus ab ipso impetrare non potuisset, ad Petri Leonis partes concessisse; a quo ipsi nova legatio concessa est, ut quidquid ab Alpibus usque ad fines Occidentis interjacet, ejus ditioni subjectum esset; ac etiamque, ut « ubicunque calcaret pes » ejus, ibi etiam « esset legatio. » Hæc vero dignitate accepta satis egisse, ut Anglorum et Hispanorum reges ad Anacleti partes pertraheret; sed frustra. Pictaviensis ac Lemovicensis Ecclesiarum episcopis ejectis alios nefarios substituisse: ipsum etiam Girardum Ecclesiæ Burdigalensi incubasse, episcopum simul et archiepiscopum; quod etiam Ernardus in libro secundo de Vita sancti Bernardi, cap. 5 tradit. Deinde Anacleti fautores Arnulfus enumerans, ita subdit: « Infidelis universitas illa, quam sequeris, Petri Leonis est, nondum fermento Judaicæ corruptionis penitus expiata: et tyrannus ille, quem altrix tyrannorum Sicilia sustinet... Huic numero solus Pictaviensis comes adjicitur, voluptatum vir, animalis homo, arcana spiritualium non attingens, ob repulsam petitionis illicitæ mancipatus errori. » Hi Anacleti fautores. « Partem vero nostram, » inquit Arnulfus, « omnis imperator, omnis rex, omnis princeps, omnis homo denique profitetur, quicumque Christiani nominis insignitur honore. » Sed « horum in hoc mihi consensus præcipuus est, horum me movet, motum trahit, tractum tenet auctoritas, quibus datum est nosse mysterium regni Dei, quorum in cœlis esse jam ex parte conversatio perhibetur: quales revera sunt, qui Carthusiæ perpetuas nives inhabitant; et qui a Cisterciensi vel Cluniacensi monasterio profluentes, lucis suæ radios undique diffuderunt. » Hæc Arnulfus in Girardum, quem tamen alii nonnulli laudant: sed Arnulfi prævalere debet auctoritas. « Nihil enim scripsi, » inquit, « quod non vel ipse cognoverim, vel auctore probabili non haberem, vel quod saltem fama publica non affirmet. » De eo plura in notis ad epistolam centesimam vigesimam septimam. Interea moritur Girardus anno 1136. Tunc Gaufridus Carnotensis episcopus mandato Innocentii « omnem Galliæ regionem, ipsius quoque Aquitaniæ, studiose circueiens, omnia sanctarum ecclesiarum altaria, quæ vel Girardus ille seditionis auctor et obtentor, vel Gilo Tusculanensis episcopus, aut eorum complices, chrismalis unctionis benedictione schismatis tempore consecraverant, propriis manibus dissipavit, » ut legitur in Chronici Mauriniacensis libro III. Sed diutius his immoramur. Plura qui de Innocentii et Anacleti professione, vita et moribus scire voluerit, legat Arnulfi Tractatum mox laudatum. Paschalis II litteræ de legatione Girardo commissa exstant in Spicilegii tomo tertio: Synodus Losdunensis sub eo habita anno 1109, tomo quarto.

XLVII. Per funesta ac diuturna schismatis illius tempora, quantos Bernardus labores sustinuerit, quot itinera confecerit, ex ejus Vita et epistolis, ut jam diximus, intelligitur. Hujus rei causa ter in Italiam profectus est, ejusque tandem opera schisma compressum, mortuo Anacleto anno 1138: cui schismatici Victorem antipapam substituerunt, « non tam pertinacia schismatis, quam ut opportunius per aliquam temporis moram papæ Innocentio reconciliarentur. » Et re quidem ipsa Victor « ad virum sanctum, » id est Bernardum, « nocte se contulit; et ille eum, nudatum quidem usurpatis insignibus, ad domini Innocentii pedes adduxit (38). » Et hic funesti ac diuturni schismatis finis.

XLVIII. Tanti beneficii, maxime per Bernardum accepti, memor Innocentius, Cisterciensibus decimas ex omnibus quas habebant possessionibus propria auctoritate relaxavit, inconsultis iis ad quos ejusmodi decimæ pertinebant. Et hæc nova discidorum causa, quæ non parum molestiæ Bernardo accersivit. Conquesti sunt potissimum hæc de re Cluniacenses, quibus magna rei familiaris jactura ex gratuita illa Innocentii liberalitate afferebatur: eoque progressa est eorum indignatio, ut monachi Gigniacenses vicinum sibi Cisterciensium monasterium, Miratorium dictum, susquedque verterint. Totam hujus tragœdiæ historiam explicant epistolæ potissimum duæ, una Petri Venerabilis, altera S. Bernardi, quæ sunt inter

(37) Ordericus, lib. XII, pag. 498.

(38) Vitæ librò II, n. 47.

Bernardinas ducentesima vigesima octava et ducentesima octogesima secunda, et Notæ nostræ ad easdem. Neque vero statim extincta est lis illa, sed processu temporis ad alias etiam regiones permanavit.

XLIX. Id patet ex epistola octogesima secunda, quam Richardi archiepiscopi Cantuariensis nomine, Petrus Blesensis « abbati et conventui Cisterciensi » scripsit. In ea enim epistola, præmissis Cisterciensium laudibus, subdit in uno eorum famam decolorari, quod « monachis et clericis decimas auferrent. Et quæ est; » ait; « hæc injuriosa immunitas, ut exempti sitis a decimarum solutione, quibus obnoxie terræ erant, antequam vestræ essent; et quæ solutæ sunt hactenus, non personarum obtentu, sed territorii ratione? Si in vestram possessionem terræ devolutæ sunt, quare in hoc periclitatur alienum jus? nam ad vos terræ, juxta communem æquitatem, cum suo onere transierunt. » Et objecto sibi papæ, id est Innocentii, privilegio, reponit, id potuisse « tolerari ad tempus, quod causa necessitatis fuerat introductum: dum ordo » scilicet Cisterciensis « in paupertate gaudebat, dum in usus egentium suæ tenuitatis viscera liberaliter effundebat. » Verum, multiplicatis possessionibus « etiam in immensum, privilegia hæc potius ambitionis, quam religionis instrumenta censi. » Cæterum « quidquid indulgeant privilegia Romanæ Ecclesiæ, non expedire, contra conscientiam quod alienum est usurpare. » Ad extremum, si pertinaces et inflexibiles hac in re se exhibebunt, interminatur Richardus, se « vinculo anathematis innodaturum universos » qui aliquid Cisterciensibus dederint, aut vendiderint, « unde jus decimationis obveniat; » et ad thronum summi judicis appellaturum, « ne quis hujus vinculum excommunicationis absolvat. » Quia etiam se principum favorem obtenturum, « ut gladio spirituali manus civilis assistat; et quidquid contra principale oraculum, venditum aut donatum » ipsis Cisterciensibus fuerit, « confiscetur. » Hæc ex genio Petri Blesensis.

L. De eadem re itidem conquestus est Gaufrédus prior Vosiensis in Chronico: ubi postquam Cistercienses laudavit, quod eleemosynas de labore suo multas tribuerent; quod in choro psallerent ordinate, pluraque peragerent honesta: in eis tamen id notat, quod cæteris terras et decimas auferrent: ad hæc, quod quorundam sanctorum memoriam indiscrete abraderent (39). Hæc auctor ille exeunte sæculo duodecimo scribebat: quo tempore tempestas illa de decimarum relaxatione, ab Innocentio in gratiam Cisterciensibus facta, nondum sedata erat.

§ V. — *De erroribus Petri Abælardi, et Gilberti Porretani a sancto Bernardo refutatis.*

LI. Illud non parum confert ad Bernardi gloriam, quod non alios habuit adversarios, quam homines erroneos aut hæreticos; imo non homines ipsos; sed eorum errores. Inter errantes censendi sunt in primis Petrus Abælardus; et Gilbertus seu Gislebertus Porretanus: inter hæreticos nequissimus Henricus, ejusque assectæ, ad ipso dicti Henriciani. De duobus primis hoc loco; de Henrico ejusque sequacibus in proximo capite agendum.

LII. Petrus Abælardus vivis coloribus se ipse depingit in Historia calamitatum suarum; eundemque postea Otto Frisingensis episcopus benigno penicillo expressit. Ejus vitæ compendium habes in nostris Notis ad Bernardi epistolam centesimam octogesimam septimam, ubi Abælardi defensores ac patroni refutantur. Hic tantum summam eorum quæ Bernardus contra eum gessit, exhibere juvat: ac deinde ex ipsis ejus defensorum verbis ostendere, quam iniqui sint in veritatem; qui Abælardo favent præ sancto Bernardo.

LIII. In primis observare licet, Abælardum, longe antequam cum Bernardo quidquam commercii habuisset, a Conone sedis apostolicæ legato provocatum fuisse ad concilium Suggestione anno 1121 celebratum: atque in eo librum ejus de Theologia, in quo erronea capitula continebantur, flammis traditum fuisse, auctore in monasterium Sancti Medardi retruso. Inde vero egressus, per varios hic inde discursus, prima sua dogmata disseminare pergit. Hinc hæreticus audit apud plerosque. Quod nomen graviter ferens, Bernardum, quem hujusce convicii auctorem existimabat, ad concilium Sennonense anno 1140 invitum ac renitentem pertraxit. Hic coram episcopis et aliis secundi ordinis illustribus viris iterum auditus Abælardus ipse, atque a Bernardo confutatus; examinata, iterumque proscripita ejus doctrina, intacto auctore, qui ad sedem apostolicam appellavit. Verum intellecto, synodi sententiam ab Innocentio II fuisse approbatam, ab appellatione destitit, atque hortante Petro Venerabili in Cluniacense monasterium se recepit, et tandem apud Cabilonem in Cœnobio Sancti Marcelli laudabili fine quievit.

LIV. Varias Bernardus contra Abælardum epistolas scripsit, quarum præcipua est ad Innocentium epistola centesima nonagesima, quæ inter opuscula undecimo loco relata est. In hac epistola Bernardus præcipua errorum capita, quæ in Abælardi scriptis animadversa fuerant, summatim refert, ac valide revincit. In hac editione eidem epistolæ seu opusculo ex codice Vaticano præmittimus capitula quatuordecim ex Abælardi scriptis a Bernardo excerpta, quæ una cum dicta epistola Innocentio submissa sunt. De tota hac controversia fuse agemus in admonitione eidem opusculo undecimo præmissa. Hic tantum quedam de Abælardi defensoribus delibamus.

LV. Primus adducitur Abælardus ipse, qui in apologia sua conqueritur, sibi quedam « per malitiam » (39) Vide Labbe, Bibliothecæ tomus II, pag. 328.

imposita fuisse : imprimis quod « Pater sit plena potentia, Filius quædam potentia, Spiritus sanctus nulla potentia. » Quæ verba « non tam hæretica, quam diabolica » abhorret, nec in suis scriptis posse reperiri affirmat. Verum de hoc, aliisque capitulis agendum in observationibus ad Bernardi opusculum undecimum. Interim in eadem apologia sua fatetur Abælardus, se aliqua scripsisse « per errorem, quæ non oportuit; » at « nil per malitiam, aut per superbiam: » additque, se, si qua per multiloquium excessit, paratum semper esse « ad satisfactionem de male dictis » suis corrigendis sive delendis; » ac demum se Ecclesiæ filium, « cuncta quæ recipit recipere; quæ vero respuit respuere. » Bene. Nolumus Abælardum hæreticum: sufficit pro Bernardi causa eum fuisse in quibusdam errantem; quod Abælardus ipse non diffitetur.

LVI. Quid vero contra sanctum doctorem, aut pro Abælardo Otto Frisingensis? Nimirum Bernardum « ex Christianæ religionis fervore zelotypum, et ex habituali mansuetudine credulum: » adeo « ut magistros, qui humanis rationibus et sæculari sapientiæ confidenter nimium inhærebant, abhorreret, et si quidquam ei Christianæ fidei absonum de talibus diceretur, facile aurem præberet (40) » Verum hæc ipsa in sancti doctoris gloriam cedunt: cum nihil magis ad doctorem catholicum pertineat, quam ejusmodi homines, philosophicis rationibus plus justo tribuentes; maxime ubi nova eudunt vocabula, quæ in errorem inducere possunt incautos, quamprimum reprimere. « Porro, » ut cum Guillelmo loquat, « si nimietas in eo reprehenditur sancti fervoris, habet certe apud pias mentes excessus iste reverentiam suam... Felix cui solum reputatur ad culpam, quod cæteri sibi solent præsumere ad gloriam (41). » Verum Otto ipse, quantumvis Abælardo favens, fatetur tamen, ipsum tres sanctæ Trinitatis personas nimis attenuasse, non bonis usum exemplis; » atque ob hoc apud Suessionem in provinciali synodo, « Sabellianum hæreticum judicatum. » Quid ergo mirum, si eadem iterum recantans, male audit apud sanæ fidei amatores?

LVII. De Berengario Pictaviensi, qui apologiam pro Abælardo præceptore suo contra synodum Senonensem et Bernardum scripsit, non est quod multum curemus: tum quia homo flocci fuit ac nullius auctoritatis; tum quia idem, ad saniorum mentem reversus, noluit amplius esse « patronus capitulorum objectorum Abælardo, quia etsi sanum saperent, non » tamen « sane sonabant: » librum suum suppressurus, si potuisset, ut ipse testatur in epistola ad episcopum Mimatensem. Cæterum etsi Abælardi opera, in quibus errata sua resperserat, modo non habeamus omnia, in iis tamen quæ restant, multa sunt « salebrosa, » ut notarunt theologi Parisienses, qui « singulis periculosioribus dictis amuletum: » in limine ejus operum adhibuerunt: ex quibus optandum quidem esset, ut præfatio apologetica expungeretur. Sed de Abælardo satis.

LVIII. Non minorem Bernardo invidiam conflavit Gilberti Porretani episcopi Pictaviensis damnatio, quam Abælardi. Is « Pictavis oriundus, » ait Otto Frisingensis, ex discipulo magister, ex magistro tandem ejusdem civitatis episcopus evasit. « Ab adolescentia magnorum virorum disciplinæ se subjiciens, magisque illorum ponderi, quam suo credens ingenio, non levem ab eis, sed gravem doctrinam hauserat, » cum scientiæ laude morum gravitate conjuncta. Magistri illi fuerunt « primo Hilarius Pictaviensis, post Bernardus Carnotensis, ad ultimum Anselmus et Radulfus Laudunenses, germani fratres. » Hilarium hunc non alium esse existimo ab illo magno Hilario Pictaviensi episcopo, cujus auctoritate Gilbertus abutebatur, teste Gaufrido. Bernardus Carnotensis non aliunde, quam ex Ottonis testimonio mihi notus: Radulfus Laudunensis ex Guiberto et Hermanno Laudunensi monacho, et ex Gaufrido sancti Bernardi notario notissimus, uti et Anselmus ejus frater, Laudunensis Ecclesiæ decanus. Commentarios in psalmos et in Pauli Epistolas, atque in Boetium dum condit Gilbertus, nonnulla secus quam licebat de divinitate, aliisque religionis capitibus philosophatur. « Erant inter cætera, quæ illi objiciebantur, de divina majestate, » ait Otto, « quatuor capitula, » nempe: « Divinam essentiam non esse Deum; proprietates personarum non esse ipsas personas; theologicas personas in nulla prædicari propositione; divinam naturam non esse incarnatam (42). » Hæc claris in consequentibus exponemus. « Minora » capitula item alia jactitabat, videlicet: « Nullum mereri præter Christum; nullum baptizari nisi salvandum, » et alia id genus, quæ Gaufridus commemorat (43).

LIX. Cum vero in frequenti suorum clericorum conventu sermonem habuisset episcopus, eosdemque errores disseminasset; duo ejus archidiaconi, Arnaldus et Galo, rem ad Eugenium III, tunc ad Gallias venientem, apud Senas in Tuscia deferunt. Pontifex causæ examen in Gallias remittit. Archidiaconi interim Bernardum in partes suas pertrahunt. Examen factum Autissiodori et Parisiis, judicium prolatum in concilio Remensi anni 1148. Quid in singulis conventibus actum sit, paucis Otto commemorat, pluribus Gaufridus Bernardi notarius, qui et opusculum de rebus in concilio Remensi hac de re gestis, et post annos inde quadraginta epistolam scripsit ad Henricum cardinalem episcopum Albanensem. Utamque descriptionem hic habes in fine tomi sexti.

(40) Otto, *De Frid.* 1, cap. 47.

(41) *Vita* libro 1, n. 41.

(42) Otto, *De Frid.* lib. 1, capp. 46, 50.

(43) *Libello contra capitula Gilberti*: infra in Appendice.

LX. De conventu Autissiodorensi, qui ab uno memoratur Ottone, nihil singulare comperimus: sed contra non pauca de Parisiensi. Habitum fuisse « in solemnitate paschali » tradit Gaufridus, ac proinde anno 1147: quandoquidem concilium Remense « mediana Quadragesima » anni sequentis fuit celebratum, ex Ottone et quidem undecimo « Kalendas aprilis, » ex Appendice ad Sigebertum. « Itaque coram pontifice apud Parisios coram cardinalibus, episcopis, aliisque venerabilibus et eruditis viris sistitur Gilbertus, de his capitulis responsurus: Id actum per aliquot dies. Producentur contra eum duo magistri, Adam de Parvo-Ponte, vir subtilis, et Parisiensis Ecclesiæ canonicus recenter factus; et Hugo de Campo-Florido, cancellarius regis, sancte affirmantes se aliqua eorum ex proprio ejus ore audisse. Interim dum hinc inde multa sibi objicerentur, inter cætera dixisse traditur: « Confiteor Patrem alio esse Patrem, alio Deum; nec tamen esse hoc, et hoc. » Dictum indigne tulit Joslenus Suessionensis episcopus. Hæc prima die contigerunt. Alia die accusatus, quod in prosa de Trinitate « tres personas tria singularia vocasset, » Rothomagensis archiepiscopus (Hugo tertius is erat) causam aggravavit, dicens, « Deum potius debere dici unum singulare. » Ita fere Otto episcopus Frisingensis, de conventu Parisiensi (44).

LXI. Paulo aliter Gaufridus de eo agit, cui synodum Viterbiensem in eadem causa habitam præmittit. Gilberti ad pontificem delatorem unum memorat archidiaconum Arnaldum, cui cognomen tribuit. « Qui non ridet. » In conventu vero Parisiensi unum Gilberto adversarium opponit Bernardum, « cui omne negotium Christi, ubicunque eum contigisset adesse, tanquam omnino proprium, protinus incumbere. Requisite episcopus ut suam ipsius in Boetium expositionem, in qua suspecta continebantur capitula, proferret: ad manus se non habere respondit. Negabat autem episcopus, docuisse vel credidisse aliquando se, vel litteris commendasse, « quod divinitas non esset Deus, » etc. Huc testes producebat e discipulis suis potissimum duos, Rotoldum scilicet Ebroicensem episcopum, postea Rothomagensem; et magistrum Ivonem Carnotensem, alium sine dubio ab illustri illo Ivone episcopo Carnotensi. » Existimo hunc esse magistrum Ivonem, canonicum regularem abbatiæ Sancti Victoris apud Parisios, deinde cardinalem ab Innocentio II creatum, ad quem Bernardi epistola centesima nonagesima tertia. In his altercationibus pontifex jubet prædictum librum afferri ad futurum concilium, « quod eodem anno in civitate Remorum celebrare proponebat: » tamen si dilatatum est in medianam Quadragesimam anni insequentis, sed intra unum annum a conventu Parisiensi, quem in festo paschali præcedente habitum diximus.

LXII. « Interim missam ab auctore expositionem in Boetium Godescalcus, tunc in Monte-Sancti-Eligii prope Atrebatas abbas, postmodum ejusdem urbis episcopus, Eugenii mandato examinat, et ex ea capitula suspecta elicit, atque ex libris sanctorum Patrum auctoritate ipsis contrarias notat. Plura in Gilberti vitam et doctrinam attulisset Albericus Ostiensis episcopus et in Aquitania legatus, nisi eum paulo ante mors præmatura e medio sustulisset. Demum in concilio Remensi ventum est ad discussionem capitulorum, quæ prædictus abbas Godescalcus notaverat: sed quia ipse nimis erat elinguis, liber ille cum sanctorum testimoniis ei contrariis a domino papa traditus est sancto Bernardo. Concilium constabat ex quatuor regnorum episcopis, Galliæ, Germaniæ, Angliæ et Hispaniæ. In his aderant viri magni, nec mediocriter litterati, Gaufridus de Oratorio Burdigalensis archiepiscopus, cujus suffraganeus erat Gilbertus; Milo Morinorum episcopus, Joslenus Suessionensis, et Sugerius abbas Sancti Dionysii, cui Francorum rex Ludovicus, Jerusalem proficiscens, totius regni commiserat administrationem, et quidem, addit Otto, « juxta illius cœnobii prærogativam (45). » Gaufridus de Oratorio, etsi Gilberti doctrinam non probabat, sed homini favebat.

LXIII. « Prima die consistorium ingressis, Gilbertus magnorum voluminum corpora per clericos suos afferri curavit, causatus, decurtata tantum testimonia ab adversariis proferri. Et: « Quid necesse est, ait Bernardus, circa hujusmodi verba diutius immorari? Non aliunde procedit scandali hujus origo, nisi quod plures credere vos credunt, et docere, quod divina essentia vel natura, divinitas ejus, sapientia, bonitas, magnitudo, non est Deus, sed est forma, qua est Deus. Hoc si creditis, palam dicite: aut negate. » Ille ausus est dicere, formam hanc Deum non esse. Tum Bernardus: « Ecce, ait, tenemus quod quærebat: scribatur ista confessio. » Ita præcepit summus pontifex; et dominus Henricus Pisanus, tunc Romanæ Ecclesiæ subdiaconus, futurus postea Clara-Vallensis monachus, et ex abbate Sancti Anastasii Sanctorum Nerei et Achillei presbyter cardinalis, ad ejus mandatum perrexit et attulit chartam, calamum et encaustum. Cum autem scriberet istam confessionem: « Et vos, » inquit ad Bernardum Gilbertus, « scribite, quod divinitas est Deus. » Ad hoc Bernardus: « Scribatur, inquit, stylo ferreo in ungue adamantino. » Cum multis ultro citroque disputatum esset, dixerunt cardinales, se deinceps rem definituros. Commoti hoc dicto episcopi, quod cardinales sibi solis causæ definitionem reservarent, Bernardum interpellant, ut Gilberti capitulis alia contraria cum simbolo fidei conderentur: ne (quod Gilberti plurimi ex cardinalibus fautores volebant) re infecta concilium solveretur. Itaque Bernardus id præstitit: tumque episcopi confessionem ab se subscriptam per Hugonem Autissiodorensis, Milonem Morinensem episcopos, ac Sugerium abbatem pontifici obtulerunt confirmandam; id quod facile obtinuerunt. Vocatus demum in conventum Gilbertus, in insigni palatio, cui

(44) Otto, *de Frid.* lib. 1, cap. 51, 52.

(45) Otto, *de Frid.* lib. 1, cap. 55.



nomen est Tau (sic Remensis archiepiscopi ædes appellabantur ob formam græci elementi), capitulis singulis a se prolatis liberè renuntiavit; eadèmq̃ pontifex damnavit cum libro auctoris, districte præcipiens, ne eundem librum legere, vel transcribere quis auderet, nisi prius eum Romana Ecclesia correctisset. Dicente Gilberto, se ad nutum pontificis correcturum, pontifex negavit. » Hæc carptim ex Gaufrido.

LXIV. Quædam singularia habet Otto, quædam item a Gaufrido discrepantia. Et primo quidem tradit, Gilberti examen « finita synodo, et promulgatis decretis » initum fuisse: tum « decursâ medianæ Quadragesimæ hebdomada, sacroque Dominicæ Passionis tempore inchoante, » Gilbertum in medium vocatum ad iudicium. Deinde lectis ab eo orthodoxorum Patrum libris in sui defensionem, Eugenium lædio affectum intulisse, quod Gaufridus Bernardo tribuit, simpliciter diceret Gilbertus, « anne illam summam essentiam crederet esse Deum. » Hunc vero diutina collatione fatigatum, inconsiderate respondisse, « Non. » Quod dictum, mox ab ejus ore raptum notarius exceperit. Sub hæc conventu dimisso, totum quod superfuit illius diei spatium cum nocte sequente, amicis suis cardinalibus, quos habuit non paucos, prensandis Gilbertum adhibuisse.

LXV. Die subsequente recitatum ipsius scriptum, ejusque rationem ab episcopo exactam: eum vero ita demum sententiam suam exposuisse, ut si Dei nomen pro natura ipsa sumatur, Deum quidem esse concederet; secus si pro persona: ne, si id « indeterminate » profiteretur, eo adduceretur, ut quidquid de quilibet persona dicitur, et de essentia pariter esset asserendum: atque adeo « sicut personam Filii, ita divinam essentiam indeterminate incarnatam, passamque » confiteri cogeretur. Hanc porro distinctionem ab eo assertam testimoniis Patrum, Theodoretii et Hilarii, atque auctoritate concilii Toletani: « quam auctoritatem cum determinare vellet Clara-Vallensis abbas, et aliqua verba protulisset, quæ cardinalibus displicerent; » Gilbertum petiisse, ut id scriberetur: Bernardum vero, quod Gaufridus notat, respondisse: « Scribatur stylo ferreo, ungue adamantino. » Demum abbatem sanctum episcopos convenisse, simulque cum eis fidem suam contra Gilberti capitula exposuisse. Quod Gallicanæ Ecclesiæ factum tam graviter sacer cardinalium senatus acceperit, ut hæc de re ad pontificem conquesti sint, tum contra episcopos, tum contra Bernardum ipsum, quod « tanquam finituræ sententiæ ultimam manum apponendo, » ipsis inconsultis, fidem suam scribere ausi fuissent; quæ res ad Romanam sedem pertineret. Tandem Bernardum jussu pontificis, ut cardinales placaret, accersitum, humiliter et cum reverentia respondisse: « Se, vel dominos episcopos nihil de præfatis capitulis diffinisse: sed quia ab eodem episcopo Pictavino audierat, ut fides sua scriberetur; idcirco, quia solus nollet, illorum auctoritate ac testimonio simpliciter se quod sentiret exposuisse. » Quo humili ac modesto responso accepto, prædicta cardinalium indignatio conquieverit, « ita tamen ut præfatum scriptum, tanquam inconsulta curia prolatum, velut auctoritatis pondere carens, pro symbolo in Ecclesia non haberetur. » Atque ita « de tribus capitulis propter præmissam tumultuationem nihil definiti potuerit. » Quod mirum non esse ait Otto qui et addit, Gilbertum in quarto ab aliis discordasse episcopis, « cum illi profiterentur naturam incarnatam, sed in Filio: » Gilbertus vero: « personam Filii incarnatam non sine sua natura. De primo tantum Romanus pontifex definiit, ne aliqua ratio in theologia inter naturam et personam divideret, neve Deus divina essentia diceretur ex sensu ablativi tantum, sed etiam nominativi. » Quam summi pontificis sententiam Gilbertus reverenter exceperit, atque archidiaconis suis in gratiam receptis, « cum ordinis integritate et honoris plenitudine » ad propriam diocesim remeaverit (46).

LXVI. In his omnibus apparet, Ottonem Gilberto admodum favisse; nec proinde mirandum, quod in consequentibus addubitet, « utrum prædictus abbas Clara-Vallensis in hoc negotio ex humanæ infirmitatis fragilitate, tanquam homo, deceptus fuerit: vel episcopus, tanquam vir litteratissimus, propositum astute celando, Ecclesiæ iudicium evaserit. » Verum Otto morti proximus, teste Radevico, librum suum, in quo hæc scripserat, sibi afferri præcepit, et religiosis viris tradidit: « ut si quid pro sententia magistri Gilleberti dixisse visus esset, quod quempiam posset offendere, ad ipsorum arbitrium corrigeretur (47). » De tota hac disputatione merito Gaufridus lectores ad Bernardi sermones in Cantica remittit, nempe ad sermonem octogesimum, in quo vir sanctus, eos, qui Gilberti sententiam propugnare pergebant, hæreticos pronuntiare non dubitat: tametsi auctoris nomini ob resipiscentiam parcit.

§ VI. — *De Henricianis, aliisque hæreticis a Bernardo repressis.*

LXVII. Gilbertum et Abælardum, qui ex perverso philosophiæ usu theologiam deformabant, ratione et auctoritate revicit Bernardus: at hæreticos factis etiam et exemplis superavit. Variæ id genus pestes varias Galliæ provincias ævo illo infestabant: Tanchelmus Antwerpiensis in Flandria, Petrus Brusius in Provincia, a quo dicit Petrobrusiani; Henricus in Aquitania, alii sine certo duce in Lotharingia et in locis Colonia-Agrippinæ vicinis, quos ob id Colonienses appellabimus. His omnibus Arnaldistas adjungere licet.

(46) Otto, *de Frid.* lib. 1, capp. 56, 57.

(47) Radevico, lib. II, cap. 11.

LXVIII. Tanchelmum, ejusque sequaces aggressus est beatus Norbertus, ut ex ejus Vita constat; atque eorumdem « cursum et impetum retardavit » in Trajectensi diocesi Fridericus Coloniensis antistes: quæ de re exstat apud Tengnagelum: epistola Trajectensis Ecclesiæ ad eundem Fridericum « de Tanchelmo seductore, » ubi istius hæresis origo et summa describitur. Quid in Petrobrusianos egerit Petrus Venerabilis, tractatus contra illos ab eo editus docet. Bernardi in rem Christianam studium exercuit in primis Henriciana hæresis, quam factis et scriptis strenue exagitavit. Legenda hac de re epistola ducentesima quadragesima, et subsequens, cum capite sexto libri tertii de Vita Bernardi auctore Gaufrido, quæ omnia ex aliis monumentis illustrare juvat.

LXIX. Henricus, quem vir sanctus « monachum apostatam, » et post eum Gaufridus appellat, « pseudo-eremita » vocatur in Actis episcoporum Cenomannensium, tomo tertio Analactorum, ubi ejus mores et perversi actus accurate describuntur. Quo ex loco ortus sit, non satis indicant hæc verba: « Per idem fere tempus, » nempe sub Hildeberto episcopo, « in adjacentium finibus regionum surrexit quidam hypocrita, quem propria actio, mores perversi, dogma detestabile scorpionibus et parricidalibus dignum protestantur suppliciis. » Is sub ementito « sanctitatis et scientiæ » nomine turpia flagitia exercens, omnium mortalium « excessus, cæteris incognitos, » ex solo aspectu se cognoscere jactitabat. Missi ad Cenomannos duo ejus discipuli, « die Cineris suburbia civitatis » attigerunt. « Gerebant ex sui doctoris consuetudine baculos ac vexillum crucis, colore et exteriori conversatione habitum prætendentes pœnitentium. » Hac specie delusi Cenomanni, eos « tanquam angelos susceperunt. » Eisdem etiam « blandè » excepit Hildebertus episcopus, qui « Romanum iter » aggressurus, « inter cætera suis injunxit archidiaconis, ut illi pseudoeremite Henrico pacificum ingressum et licentiam sermocinandi ad populum permitterent: » cujus rei postmodum ipsum abunde pœnituit. Ex his forte quis inferat, Henricum fuisse ortum ex proxima Cenomannis regione, quibus primum suæ perversæ doctrinæ virus propinavit. Si enim jam aliunde notus fuisset, eum in suam civitatem non tam facile admisisset Hildebertus antistes doctus et oculatus. Verum ex longinqua regione istuc accedere potuit, et fortasse ex Italia, ut postea dicturi sumus.

LXX. Henrico civitatem ingresso, « vulgus solito more applausit novitati. » Quin etiam « plerique clericorum eidem alimenta ministrabant, tribunalque præparabant, unde concionator ille turbas alloqueretur, » qui « mirum ad modum facundus erat. » Eo audito, « plebs in clericos versa est in furorem, » eos habens « sicut ethnicos et publicanos: adeo ut « famulis eorum minaretur cruciatus, nec eis aliquid vendere, vel ab eis emere vellent. » Imo « non tantum eorum ædes obruere, et bona dissipare, sed illos lapidare, aut affligere patibulo decreverant, nisi princeps et optimates nefandis ausibus restitissent. »

LXXI. Hoc serius licet compertò, clerus Cenomannensis Henrico, ejusque socijs prædicationem edito libello interdixit. Quare Henricus, Hildeberti reditu intellecto, « secessit in castrum Sancti Carilefi, » nequaquam ab inceptis desistens, sed ad pejora prorumpens in dies. Interim cum Hildebertus, ex Romano itinere reversus, populo benedictionem impertiri vellet, indigne habitus est a populo, hæretici sermonibus corrupto. Tum ille seductorem adiit, seiscitatus, « ejus ordinis fungeretur officio. » Hic vero se diaconum esse respondit: qui ex illa provincia discedere iussus, « clam aufugit, cæteras regiones, nisi ocior esset fama, simili modo perturbaturus, » et viperino flatu suo infecturus. Hactenus ex Actis Hildeberti.

LXXII. Inter hæc duo Henrici discipuli, Cyprianus et Petrus, ab ejus præstigijs resipuerunt, ut fidem facit encyclica Hildeberti epistola septuagesima octava, in qua ita eorum magister depingitur: « Henricus is erat, magnus diaboli laqueus, et celebris armiger Antichristi. Huic et habitu religionem, et verbis litteraturam simulanti, tandiu præscripti fratres adhæserunt, donec eis et turpitudine in vita, et error innotuit in doctrina. Ubi enim cognoverunt vias ejus vias esse non rectas, prius ad se reversi sunt; dehinc ad nos transierunt, cujus diocesim sic infecerat, ut renitens ei clerus vix inter parietes ecclesiæ suam tueretur libertatem. » Ita Hildebertus serius agnovit, quantum periculi immineat ex incauta approbatione novorum doctorum qui sub specie pietatis animos auditorum corrumpunt.

LXXIII. Ex his patet, Henricum illum longe prius Cenomannos infecisse, quam ad partes Tolosanas, unde eum expulit Bernardus, subiret: quippe cum Romanum iter, quod Hildebertus adhuc Cenomannensis episcopus aggressus est, quo tempore infamis ille præstigiator zizania sua seminavit apud Cenomannos, contigerit ante annum 1125, quo anno Hildebertus in metropolim Turonicam migravit. At vero Bernardus nonnisi anno 1147 ad Tolosanas partes profectus est. Et certe in epistola ducentesima quadragesima prima, quam in partibus Tolosanis constitutus scripsit ad Hildesoum comitem, id satis innuit vir sanctus his verbis: « Inquire, si placet, quomodo de Lausana civitate exierit, quomodo de Cenomannis, quomodo de Pictavi, quomodo de Burdegali. » Hæc quippe videtur esse series itineris illius apostatæ, qui a Lausana, deinde a Cenomannis prædicandi exordium sumpsit. Et fortasse Lausanam venerat ex Italia, ex qua ejusmodi sæces in partes Gallicanas transmigrarunt, reliquæ Manichæorum, uti et illi Cameracenses hæretici ex Italia advecti, qui anno 1025 damnati sunt in synodo Atrebatensi, quo etiam tempore similis ejusmodi pestes apud Aurelianos igni perierunt. Et quidem Henricianos appellat Manichæos Exordium Cisterciense in libro septimo de Vita sancti Bernardi, cap. 17, ubi legatus papæ, aliique episcopi, « pro

confutanda hæresi Manichæorum, » ad partes Tolosanas cum viro sancto accessisse memorantur. Jam vero quo pacto ejusmodi hæreticis, eorumque sequacibus, Manichæorum nomen et errores cōpetant, illustrissimus Meldorum episcopus in eximio opere suo, quod de Variationibus hæreticorum scripsit, luculenter ostendit libro undecimo.

LXXIV. Idem Henriciani hæretici in Petrocorios effusi, Pontio duce et apsignano, uti docet Heriberti epistola in tomo tertio nostrorum Analectorum: ubi peculiaria Pontianorum illorum commenta referuntur. Inde est, quod Bernardus ad Petrocorios seu Petragoricos populos se contulit, ut patet ex tertia parte libri sexti qui est de ejus Miraculis, n. 4, ubi Arianos plurimos apud Tolosates invenisse, eosque, uti et Henricum hæreticum, fugasse memoratur. Quin etiam idem Henricus, in Pisano concilio antea damnatus, et Bernardo, ut monachus in Clara-Valle fieret, commissus dicitur. Verum ille acceptis a Bernardo ad Clara-Vallenses litteris, in suscepto semel errore obfirmate persistere maluit, quam ad salutis viam hoc compendio redire.

LXXV. Henricum vivis coloribus depingit Bernardus in prædicta epistola ducentesima quadragesima prima, ubi eum litteratum, speciem habentem pietatis, sed aleis et meretricibus deditum scribit. Impia ejus dogmata hæc fere commemorat: Sacerdotum et clericorum respectus nullus; sacramentorum atque festorum abolitio; baptismus parvulis negatus. Alterius classis erat apud Hildebertum in epistola quinquagesima prima hæreticus ille, qui sanctorum intercessionem rejiciebat, ipsum Hildebertum in suæ sectæ patrocinium traducere perperam conatus. An vero iidem cum Henricianis fuerint hæretici illi, quos Bernardus in sermone sexagesimo quinto et subsequenti super Cantica impugnat, modo inquirendum.

LXXVI. Et quidem non alios fuisse aliquando mihi fuit persuasum: at reperta Evervini abbatis Steinfeldensis epistola, quæ prædictis sermonibus occasionem dedit, mutanda est sententia. Colonienses quippe fuerunt isti hæretici, in nonnullis quidem consentientes cum Henricianis, sed ab his in multis discrepantes. Colonienses in duas classes distinguit Evervinus. Uni dicebant Ecclesiam apud se tantum esse, quasi ipsi soli vestigiis Christi inhærent. In cibis vetabant lactis usum, et quidquid inde conficitur. In sacramentis suis velo se tegebant, et quotidie cibum et potum suum in Christi corpus et sanguinem se consecrare asserabant: cæteros in sacramentis procul a veritate abesse. Præter baptismum aquæ, alium admittebant in igne et spiritu per solam manuum impositionem. Baptismum vero nostrum cum nuptiis respuebant. Denique aiebant, quemlibet e suis electum seu baptizatum habere potestatem alios, qui digni fuissent, baptizandi; et in mensa sua corpus Christi et sanguinem conficiendi.

LXXVII. Alii vero sacerdotibus Ecclesiæ, utpote sæculari more viventibus, consecrandi potestatem adjudicabant, aliaque sacramenta conferendi, excepto baptismo, quem solis adultis, non parvulis conferebant. Omne conjugium, præter illud, quod inter virgines masculum et feminam contrahitur, fornicationem reputabant. Postremo suffragia sanctorum, jejunia, cæterasque corporis macerationes respuebant, uti et purgatorium, et suffragia pro mortuis.

LXXVIII. Itaque Henricianis et Coloniensibus hæreticis communis fuit genius, odium in Ecclesiæ ministros, sacramenta, baptismum parvulorum, et nuptias: pauca peculiaria, quæ non sectæ genus, sed quamdam tantum capitum diversitatem arguunt. Uno verbo, diversi fuerunt rami, sed ex eadem radice prodeuntes. Nec dubitem, Colonienses illos hæreticos ex Tanchelmi officinâ prodisse. Is laicus in Flandria, teste Abælardo, maxime apud Antwerpiam, errores suos disseminans, in tantam se erexit dementiam, ut se Dei Filium vocitari, et a seducto populo, ut dicitur, templum ædificari sibi faceret. Ob id Antwerpiæ in ecclesia Sancti Michaelis ab episcopo Tornacensi, cujus ditioni tunc locus subjacebat, institutus est cœtus duodecim clericorum, qui se impiis dogmatibus opponerent: quæ ecclesia postmodum sancto Norberto tradita est. Quæ fuerint Tanchelmi perversa dogmata, discimus ex epistola Trajectensis Ecclesiæ ad Fridericum antistitem Coloniensem « de Tanchelmo seductore. » Is quippe aiebat, « Ecclesias Dei lupanaria esse reputanda; nihil esse quod sacerdotum officio in mensa Dominica conficeretur; pollutiones, non sacramenta nominanda; ex meritis et sanctitate ministrorum virtutem sacramentis accedere: » quæ omnia belle præmissorum hæreticorum deliriis conveniunt. Presbyter quidam, Evervacherus nomine, « a sacerdotali dignitate apostatans, nefandi hominis magisterio adhæsit, et illum Romam persecutus » est, idemque postea multa damna intulit Ecclesiæ Trajectensi. Porro Fridericæ gratias agit clerus Trajectensis, quod Tanchelmi « cursum et impetum retardavit. » Ex quo intelligitur, ejus errores usque in Trajectensem, imo et in Coloniensem (ut ex Evervini epistola patet) diœcesim penetrasse, atque ab eodem auctore Colonienses illos hæreticos ortos fuisse.

LXXIX. Hugo Metellus, tunc apud Tullum-Leucorum canonicus regularis, testis est in epistola ad Henricum ejusdem urbis episcopum, ejusmodi pestes in solum Tullense irrepsisse. « Latent in episcopatu tuo, » inquit, « imo jam apparent pestilentes homines, qui veriori nomine bestię appellari possunt, quia bestialiter vivunt. Conjugium enim detestantur, baptismum abominantur, sacramenta Ecclesiæ derident, nomen Christianum abhorrent. » Hæc sine dubio Coloniensium hæreticorum infesta et infausta soboles erat.

LXXX. Henricianis successere, seu accessere ejusdem farinae homines, qui se Catharos, id est solos mundos, jactitabant : quorum errores, qui Mediolani quondam eorum magister fuerat. Bonacursus detexit, confutavitque libro edito, in Spicilegii tomo decimo tertio; ex quo eos Manichæorum erroribus, uti et superiores illos, infectos fuisse manifestum est. Catharos insectari videtur Gillebertus de Hoilandia in sermone trigesimo sexto in Cantica, n. 6 : « Erumpunt, » inquit, « his diebus ligna quædam, quæ non plantavit Pater cœlestis; ligna, quæ non sunt plantata ex Libano nostro. Fortitudinem prætendunt operis, injuriarum insensibilitatem, parcimoniam tolerantiam. Cedrina videntur sed Libani non sunt : quia imunda est eorum mens et conscientia. » Adversus Catharos item exstant sermones Ecberti abbatis Schongangiensis.

LXXXI. Passagios et Arnaldistas Catharis adjungit Bonacursus : quorum illi Mosaicæ legis ritus omnes observandos esse dicebant, Filii et Spiritus sancti æqualitatem negantes, et Ecclesiæ universæ doctores omnes, Romanæque imprimis auctoritatem abjicientes : hi vero, id est Arnaldistæ, « pro malitia clericorum sacramenta Ecclesiæ esse vitanda » censebant.

LXXXII. Ita dictos existimo ab Arnaldo illo factioso homine, qui specie libertatis ac reipublicæ in Urbe restituendæ, omnia pontifici temporalia jura abrogari volebat, sola sacrorum potestate cum decimis et oblationibus ipsi relicta. Is ex Italiæ civitate Brixia oriundus, ejusdemque Ecclesiæ clericus Petrum Abælardum præceptorem habuerat, singularitatis amator, testante Ottone Frisingensi, novitatis cupidus, qui a Gallicano studio in Italiam reversus, religiosum habitum, quo melius incautos deciperet, induit, monachorum nihilominus osor, et maxime clericorum; sed laicorum adulator. « Dicebat enim, nec clericos proprietatem, nec episcopos regalia, nec monachos possessiones habentes, aliqua ratione salvari posse : cuncta hæc principis esse. Præter hæc de sacramento altaris, de baptismo parvulorum non sâne dicitur sensisse (48). » Atque adeo Petrobrusianorum et Henricianorum erroribus affricus erat. Innocentius II hominem ex Italia fugavit, et Turegum apud Helvetos secedere compulit. Comperta morte Innocentii, circa principia pontificatus Eugenii Romam ingressus, cum eam in pontificem commotam vidisset, seditionis ignem excitavit, Res vero eo tandem progressa est, ut cardinales male habiti, pars etiam sauciati; ipse Eugenius Urbe pulsus sit. Pontificis causam tuendam suscepit Bernardus, scripsitque egregiam hac de re epistolam ad Romanos, quæ est ducentesima quadragesima secunda. Ei succedit alia ejusdem argumenti ad Conradum regem Romanorum, quem litteris suis, ab Ottone relatis, Romani ad suas partes pertrahere frustra moliti sunt (49). Sic nulli Ecclesiæ negotio, nulli necessitati deerat vir sanctus, qui ad communem reipublicæ Christianæ utilitatem natus erat. Ad extremum Arnaldus comprehensus, atque a præfecto Urbis, cui tantopere assentatus fuerat, ligno adactus est, cadavere in favillas redacto, « ne a stolidâ plebe corpus ejus venerationi haberetur. » Plura de eo videsis apud Ottonem, et ex eo in notis ad Bernardi epistolam centesimam nonagesimam quintam.

§ VII. — *De expeditionis sacræ prædicatione per sanctum Bernardum facta, ejusque infelici successu.*

LXXXIII. Inter extremos Bernardi labores censenda est prædicatio sacræ expeditionis in terram sanctam: quæ res quantum sudoris, quantum molestiæ ipsi attulerit, ex ejus Vita et scriptis facile intelligere licet. Hujus expeditionis occasio, ut ex Ottone Frisingensi discimus (50), nata est per Ludovicum Juniorem Francorum regem; qui ad loca sacra pergendi desiderio pressus, quod germanus suus Philippus, « eodem voto astrictus, » morte intercedente exsequi non potuerat, consilium suum regni principibus aperit. Ii Bernardum consulendum decernunt. Accersitus abbas sanctus, tanti momenti negotium « ad Romani pontificis examen » referendum censet. Id magnopere laudavit probavitque Eugenius, « auctoritate prædicandi, animosque cunctorum ad hoc commovendi prænominato abbati, qui apud omnes Galliæ ac Germaniæ populos ut propheta vel apostolus habebatur, concessa. » Paret tandem apostolicis litteris Bernardus, « et excitatis ad transmarinam expeditionem multorum animis, » Ludovicum regem apud Vizeliacum cruce signat « cum Theodorico Flandrensi, et Henrico Theobaldi Blesensis filio, comitibus, » aliisque baronibus et nobilibus.

LXXXIV. Interim Radulfus quidam monachus crucem itidem dum in Germania prædicat, Christianos in Judæorum necem accendit. Hominem litteris repressit Bernardus, atque ipsemet sacræ expeditionis prædicationem aggressus est in orientali Francorum regno, hoc est in ea Germaniæ regione, quæ ad Rhenum sita est. Hinc Conradus imperator generalem conventum Spiræ indixit : quo Bernardus profectus, « Principi cum Friderico fratris sui filio, aliisque principibus et viris illustribus crucem sumere persuasit, plurima in publico vel occulto faciendo miracula. » Fridericum Sueviæ ducem, qui filium suum cruce signatum indignè ferebat, Bernardus emollivit; Radulfum monachum in claustrum suum retrudi jussit; et loco sui Adamum Eberacensem abbatem Conrado, in Bajoariam pergenti, ad urgendum itineris negotium dedit socium. Exstat Bernardi hac de re epistola ad Francos orientales, quæ modo est ordine trecentesima sexagesima tertia, quam proxime subsequitur alia ad Henricum archiepiscopum Moguntinum, ad reprimendum

(48) Otto, *de Frid.* lib. II, cap. 29

(49) Otto, *de Frid.* lib. I, cap. 28.

(50) *Ibid.*, cap. 54 sqq.

Radulfum. « Igitur non solum ex Romano imperio, » ait Otto, sed etiam ex vicinis regnis, id est occidentali Francia, Anglia, Pannonia, innumeris populis ac nationibus hac expeditionis fama ad sumendam crucem commotis, repente sic totus pene Occidens siluit, ut non solum bella movere, sed et arma quempiam in publico portare nefas haberetur. »

LXXXV. Tanta porro totius Occidentis commotio Bernardi prædicationi tributa est : verum cum hæc expeditio non bene pro votis successisset, tota etiam mali eventus invidia in eum rejecta, pro communi more mortalium, qui ex eventis res æstimare solent. Neque fere ulla alia res fuit, quæ Bernardi animum majori dolore affecerit, quam ista, non tam sui, quam Dei causa. Unde ipse initio libri secundi de Consideratione : « Si necesse sit unum fieri e duobus, malo in nos murmur hominum, quam in Deum esse. Bonum mihi, si dignetur me uti pro clypeo. Libens in me recipio detrahentium linguas maledicas, » etc. Adeo porro omnium fere animi hoc eventu turbati sunt, ut sanctus doctor beatum pronuntiet eum « qui non fuisset scandalizatus in eo. » Quanta denique fuerit Bernardi super hoc tristitia, patet tam ex epistola ducentesima octogesima octava, quam in lecto, forsitan ex animi ægritudine, decumbens, hac de re scripsit : tum ex epistola Joannis abbatis Casæ-Marii ad Bernardum ipsum, quæ modo est inter Bernardinas trecentesima octogesima sexta, in qua virum sanctum, quem ob sinistram expeditionis eventum audierat afflictum, consolatur

LXXXVI. Non defuere tamen, qui Bernardi partes defendendas susceperint : quos inter non ultimo loco numerandus est Otto episcopus Frisingensis, Bernardo non admodum favere solitus. Is in libro de Gestis Friderici, capite sexagesimo excursus facit ad excusandum eventum illius expeditionis, cui et ipse interfuit. In fine excursus philosophici potius quam historici, ita concludit in gratiam Bernardi : « Quamvis si dicamus, sanctum illum, abbatem spiritu Dei ad excitandos nos afflatum fuisse, sed nos ob superbiam lasciviamque nostram salubria mandata non observantes, merito rerum personarumque dispendium reportasse, non sit ab antiquis rationibus vel exemplis dissonum. » Unum tamen addit, nempe « spiritum prophetarum non semper subesse prophetis : » ut nempe innuat incertum esse, an Bernardus ex spiritu divino de hac expeditione, ejusque eventu conjecerit.

LXXXVII. Attamen Bernardus ipse initio libri secundi de Consideratione ad Eugenium, ubi factum a calumnia tuetur, se ad id divinitus impulsus esse non diffitetur. Diximus : « Pax, » inquit, « et non est pax : promisimus bona, et ecce turbatio. » Tum hæc subdit ad sui defensionem : « Quasi vero temeritate in opere isto, aut levitate usi simus. Cucurrimus plane in eo, non quasi in incertum, sed jubente te, imo per te Deo. » Et inferius, objectis sibi hominum impropriis : « Unde scimus quod a Domino sermo egressus sit ? quæ signa tu facis, ut credamus tibi ? » ita reponit Eugenium alloquens : « Non est quod ad ista ipse respondeam : parcendum verecundiæ meæ. Responde tu pro me et pro te ipse secundum ea quæ audisti et vidisti. » Quibus verbis miracula, ab se in prædicationis confirmationem facta, sine dubio modeste insinuat.

LXXXVIII. Verum omnium optime Gaufridus sanctum parentem suum a calumnia vindicat in libro tertio de ejus Vita, cap. 4. Primo quod illius expeditionis primum propositum ab eo non sit profectum « Cum enim multorum jam animos permovisset audita necessitas, a rege Francorum semel et iterum propter hoc expetitus, apostolicis etiam litteris monitus, nec sic acquievit super hoc loqui, vel consilium dare, donec per ipsius tandem pontificis generalem epistolam jussus ab eo est, tanquam Romanæ Ecclesiæ lingua, exponere populis atque principibus. » Deinde quod prædicandi officium, ab eo ex obedientia susceptum, divinitus confirmatum sit tot tantisque miraculis ac signis, « quanta vel numerare, nedum narrare difficile foret. » Denique quod si ex illa profectione orientalis Ecclesia liberari non meruit, certe cœlestis meruit impleri et lætari, nempe ob eorum mortem, « qui in fructibus penitentiæ purgatas variis tribulationibus Christo animas reddiderunt. » Et quidem hoc ipsum est, quod Joannes, Casæ-Marii abbas sanctus, sibi ex revelatione compertum Bernardo significavit.

LXXXIX. Sed quid moramur in vindicando Bernardo? cujus tanta auctoritas id jamdudum obtinuit apud omnes, etiam heterodoxos, ut ejus vita, eximia sanctitas, et doctrina communi omnium suffragio et estimatione sint approbatæ.

XC Hæc sunt quæ præfari visum est de nova hac sancti Bernardi operum editione : quæ si viris studiosis accurata videbitur, gratiam habebunt studiorum meorum sociis, domno Michaeli Germano et D. Theoderico Ruinaro, atque etiam D. Edmundo Martenio, qui operam suam in hanc editionem strenue et peramanter impenderunt. Mihi vero hæc una sit gratia, qui unus scopus fuit, sancti Bernardi cultoribus, Ecclesiæ, et reipublicæ Christianæ vel tantillum qualicumque labore meo profuisse.

*Additur in editione anni 1719.*

Hæc sunt quæ præfari visum est D. Mabilonio de nova hac sancti Bernardi operum editione: quæ si viris studiosis accurata videbitur, gratiam habebunt erudito illi auctori, qui toto vitæ tempore eruendis expoliendisque Bernardi operibus, aliis licet iisque gravissimis studiis distractus, omnem curam, diligentiam omnem impendit. Habebunt et D. Massueto qui operam suam in hanc editionem conferre cœperat, et porro conferre perrexisset, ni præmatura mors studiorum ejus cursum abruptisset. Huic debentur ex I vol. duæ recens inventæ epistolæ, scilicet 418 et 419, et tertia ducta ex tom. IV Miscell. Baluz., ordine 425, nec non et duæ chartæ, quarum prima est pro Luxoviensi et S. Apri monasteriis; altera pro monasterio S. Amantii. In altero vero volumine hæc reperientur nova, nimirum tertius liber epistolæ ad fratres de Monte-Dei et Admonitio D. Massueti, qua epistolam integram Guillelmo a S. Theoderico ascriptam, Guigoni V, Majoris Carthusiæ priori vindicat. Item alia ejusdem observatio, quæ *Tractatus de contemplando Deo, ac de natura et dignitate amoris* Guillelmo a S. Theoderico adjudicat. Denique epistola Tromundi monachi Claræ-Vallensis de S. Bernardi canonizatione, antehac inedita.

## CHRONOLOGIA BERNARDINA.

Anno Christi 1091, Urbani papæ II 4, Henrici IV imperatoris 35, Philippi I Galliarum regis 31, natus est Bernardus in castro Fontanis appellato, prope Divionem in Burgundia, patre Tescelino Soro, domino de Fontanis, matre Aletha Bernardi domini Montis-Barrensis filia. Paternæ ejus ædes recens, beneficio Ludovici XIII Galliarum regis, RR. Patribus Congregationis Fulienensis concessæ, in monasterium conversæ sunt. De genere sancti Bernardi lege Admonitionem præmissam initio Vitæ S. Bernardi, et Joannem Eremitam in Vita quarta, ubi Viri sancti genus paternum ex veteri Burgundiæ ducum familia originem duxisse fertur.

1098. B. Robertus abbas Molismensis, assumptis secum ex eodem monasterio viginti et uno monachis, in eremum Cistercii secedit, ibique novum monasterium extruit, in diœcesi scilicet Cabilonensi, quinque circiter leucis a Divione, opitulanti- bus simul et probantibus Gualtéro Cabilonensi et Hugone Lugdunensi præsulibus; prædia vero largiente Odone Burgundiæ duce, quo ibi cum sociis strictius ad amussim observaret Regulam S. P. Benedicti, ejus die sacro in Dominicam Palmarum hoc anno incidente, opus illud tum primum exordium sumpsit. Ex primis B. Roberti sociis fuere Albericus, Odo, Joannes, Stephanus, Letaldus, et Petrus.

1099. Henrici IV imperatoris 45, Philippi Galliarum regis 39, Urbano II decimo nono anno pontificatus, quarto kalendas augusti defuncto succedit Paschalis II ex monacho Cluniacensi.

Beatus Robertus Molismensium interpellationibus in concilio Romano ac Pontificis jussu Molisimum redit eique Albericus ex priore substituitur, apud Cistercium. Ecclesia in honorem beatæ Virginis hoc anno dedicatur.

1109. Hoc anno Joannes, et Ilbodus monachi Romanam mittuntur ab Alberico Cistercii abbate, cum literis commendatitiis Joannis et Benedicti cardinalium, Hugonis archiepiscopi Lugdunensis, atque Walteri præsulis Cabilonensis; quorum precibus Paschalis II institutum Cisterciense confirmat peculiari privilegio dato Trojæ decimo quarto kalendas maii indict. 8, pontificatus anno 2. Exstat apud Baronium et Manriquez.

1101. Albericus abbas arctissimam Regulæ S. Benedicti observationem instituit in novo monasterio, abjiciens quidquid Regulæ adversaretur.

Obiit beatus Bruno institutor Ordinis Carthusiensis (qui anno millesimo octogesimo sexto exordium sumpsit), patria Coloniensis, sanctitate ac scientia illustris.

1102. Odo Burgundiæ dux, Cistercii fundator, moritur, et sepelitur in ecclesia Cisterciensi; eodem-

que anno Henricus ejus filius habitum monasticum ibidem induit.

1103. Cistercienses nigrum habitum in album commutasse creduntur, et beatæ Virginis officium quotidie recitandum sibi proposuisse.

1105. Obiisse putatur Aletha S. Bernardi mater, kalendis septembris, ex Necrologio S. Benigni Divionensis, ubi sepulta est: cujus corpus post annos centum quadraginta quinque translatum est Claravallem. Ejus obitum describit Guillelmus in Vita S. Bernardi, lib. 1, cap. 2.

1106. Paschalis II anno 7, Philippi I Galliarum regis 46, Henricus IV infeliciter vitam clausit anno imperii 49. Huic successit Henricus V hostili in Ecclesiam animo patri non degener filius: qui Romanam pergens, Paschali Pontifici manus injecit; ab eoque per vim ecclesiarum investituras extorsit; sed et coronam imperatoriam anno 1111.

1108. Paschalis II anno 9, Henrici V 2, tertio kalendas augusti, Philippus rex Francorum obiit apud Milidunum: cui Ludovicus ejus filius, cognomento Grossus, successit.

1109. B. Albericus, secundus Cistercii abbas obiit septimo kalendas februarii, anno regiminis nono et dimidio: cui substitutus B. Stephanus Hardingus, nobili apud Anglos stemmate oriundus, prioris antea vice functus, qui et ipse cum aliis, Molismo vitæ arctioris desiderio egressus fuerat.

1110. Hoc anno ad superos migravit tertio kalendas maii B. Robertus abbas Molismensis, Cistercii primus institutor, non anno 1098, ut vulgo creditur.

1113. Paschalis II 14, Henrici V 8, Ludovici VI 6, B. Bernardi conversione celeberrimus est. Qui annos natus circiter viginti tres, Cisterciensium familie sub Stephano abbate una cum triginta sociis nomen dedit. Ex quo tempore Cisterciensis Ordo mirifice propagari et florere cœpit.

Eodem anno Firmitas, prima Cistercii filia, fundatur in diœcesi Cabilonensi ad Gronam fluvium, a dominis Vergiacensibus, Savarico et Guillelmo ejus filio, comitibus Cabilonensibus. Primus abbas Bertrandus.

1114. S. Bernardus metendi artem et facultatem, cum per corporis imbecillitatem alias non valeret, divinitus impetravit, Vitæ libro 1, cap. 4.

Fundatur Pontiniacum, secunda Cistercii filia, quatuor ab Autissiodoro leucis distans, in alodio Heriberti canonici Autissiodorensis, concurrente Hervæo comite Nivernensi, sub Humbaldo episcopo: cujus cœnobii basilica a Theobaldo Campaniæ comite postmodum ædificata, fundatoris nomen ipsi obtinuit. Primus abbas Hugo Matissonensis, postea

episcopus Autissiodorensis, ad quem plures Bernardi A  
epistolæ.

1115. Fundantur hoc anno Clara-Vallis et Morimundus, tertia et quarta Cistercii filia. Clara-Vallis quidem, ad fluvium Albam in comitatu Campaniæ et diocesi Lingonensi, septimo kalendas Julii, non a Theobaldo (ut quidem opinantur, cœnobii Claræ-Vallensis translationem, de qua anno 1035, cum fundatione confundentes), sed ab Hugone Trecepsi comite, ut probabitur in Notis ad epistolam 31. Claræ-Vallensi monasterio præficitur Bernardus, et a Guillelmo de Campellis Catalaunensi episcopo, absentē scilicet Josceranno episcopo Lingonensi, consecratur, quatuor et viginti agens annos. Vitæ libro I, cap. 7. Morimundus vero, in eadem diocesi, ab Odolrico de Agri-Monte et Adelina ejus uxore, dominis de Choiseul. Primus abbas Arnoldus, ad quem epistola 4. Et hæ sunt quatuor abbatia quasi totidem Cistercii filia primigenia, ex quibus inde cæteræ omnes sunt exortæ.

Eodem anno obiit Ivo Carnotensis episcopus, vir doctissimus, qui successorem habuit Gaufridum, legati in Gallia honore perfunctum, S. Bernardo charissimum, de quo epist. 15, 47 et 55, et De Consideratione, lib. IV, cap. 5, tum etiam Vitæ S. Bernardi libro II, capp. 1 et 6, et libro IV, cap. 4.

1116. Primum Cistercii capitulum generale a B. Stephano convocatum, quotannis in posterum frequentandum idibus septembris, ut habet Jacobus a Vitriaco, Historiæ Occidentalis capite 14.

1117. B. Bernardus gravi infirmitate detentus, medico rusticano curandus committitur, procurante Guillelmo episcopo Catalaunensi, Vitæ libro I, cap. 7. Quo quidem anno vel circiter accidisse fertur conversio Tescelini S. Bernardi parentis, qui non multo post sanctitatis fama celebris decessit die 11 aprilis, ut habet Necrologium S. Benigni Diviquensis.

1118. Henrici V 12, Ludovici VI 10, Paschali II post annos pontificatus octodecim et menses quinque vita functo successit Gelasius itidem II ex monacho itidem Cluniacensi, cui Henricus imperator Mauricius Burdinum, archiepiscopum Bracarensem, Gregorii nomine opposuit.

Hoc item anno cœpit Ordo militum Templi, cujus primi auctores Hugo de Paganis et Gaufridus de S. Aldemaro, ut testis est Tyrius, Belli sacri libro XII: quo etiam auctore idem Ordo confirmatur in concilio Trecensi, anno 1128, ut diserte habet Michaelensis scriba concilii, postea exstinguendus a Clemente V sub Philippo IV Galliarum rege, anno Christi 1313, in concilio Viennensi.

Fundatur monasterium Trium-Fontium, prima filia Claræ-Vallis, in diocesi Catalaunensi. Primus abbas Rogerius; secundus, Guido ad quem epistolæ 69, 70. Item Fontanetum, secunda Claræ-Vallis filia, in diocesi Æduensi. Primus abbas Godefridus, Bernardi consanguineus, qui fundato loco regulariterque ordinato, refert liber sepulcrorum Claræ-Vallis, ad suam Claram-Vallē rediit, ubi tertius prior fuit, demumque episcopus Lingonensis.

1119. Henrici V 13, Ludovici VI 11, Gelasio II Cluniaci e vivis sublato successit Callistus II, Viennensis antea episcopus, Guido appellatus, qui hoc anno Remis concilium celebravit duodecimo kalendas novembris, et Burdini schisma feliciter compressit.

Eodem anno conficitur Charta Charitatis vulgo appellata, triginta constans articulis seu capitulis, agente B. Stephano abbate Cisterciensi, assentientibusque cæteris coabbatibus, ad providendum paci et tranquillitati Ordinis Cisterciensis, quæ a summo Pontifici Callisto II approbata est. Exstat apud Mauriquez.

1120. Sanctus Norbertus, quem Bernardus « Spiritus sancti fistulam » vocat epist. 56, Ordinem Præmonstratensem instituit in loco territorii Lau-

dunensis, Præmonstrato vulgo nuncupato. Vide epistolam 255, et Notas ad eandem.

1121. Celebratur synodus Suessionensis adversus Petrum Abælardum, præsidente Cocano episcopo Prænestino, apostolicæ Sedis legato, in qua ipse Petrus librum suum de Trinitate flammis tradere compulsus est. Guillelmus Campellensis episcopus Catalaunensis eodem anno ineunte obiit: de quo vide Notas ad epistolam 3.

Fundatur Fuspiacum, in diocesi Laudunensi, cujus abbati Rainaldo Bernardus scripsit epistolas 72, 73 et 74.

1122. Petrus Mauricius, natione Arvernus, dictus Venerabilis, charissimus Bernardi amicus, sit abbas Cluniacensi in Octavis Assumptionis. Notæ ad epistolam primam S. Bernardi.

1123. Hoc circiter anno eligitur episcopus Tarentasiensis, Petrus Firmitatis abbas, primus e familia Cisterciensis episcopus, substituto in ejus locum Bartholomæo Bernardi fratre.

Item Adamo S. Dionysii prope Parisios abbate defuncto, communibus eligentium votis successor renuntiatus est Sugerius: Exstant Bernardi complures ad eum epistolæ.

1124. Henrici V imperatoris anno 18, Ludovici VI Galliarum regis 16, Callistus papa obiit pontificatus anno 6; Sedemque apostolicam Honorius II antea dictus Lambertus, episcopus Ostiensis, eodem anno conscendit.

1125. Henricus V imperator moritur Trajecti ad Rhenum, cum annos undeviginti imperasset, ac nullis post se liberis relictis, funestum diuturnumque ortum est discidium, Bernardi opera aliquando componendum, inter Lotharium Saxonum ducem et Conradum Henrici decessoris sororium, qui a Friderico fratre et aliis rex proclamatus, conscensus Alpibus, a Mediolanensibus, suscipitur, ac ab eorum archiepiscopo Anselmo, inquit Otto Frisingensis, qui ista narrat Chronici libro VII, cap. 17, Modoyci, sede Italici regni, in regem ungitur. Pro Mediolanensium reconciliatione cum Innocentio atque Lothario hujus nominis II (in cujus gratiam electionis jure Imperii summa cessit) multum fuit Bernardo insudandum, ut postea dicetur.

Eodem anno gravis fames, in Gallia maxime et Burgundia sæviens, Bernardi charitatem exercet, Vitæ libro I, cap. 10; quo anno ipse etiam gravi morbo conflictatus incidit in vitæ discrimen, ope tandem B. Virginis et SS. Benedicti atque Laurentii sanitati restitutus, ibidem: ac postmodum singularis ejus sanctitatis et doctrinæ cœlestis fama per urbem et orbem volavit.

1126. Otto, postea Frisingensis episcopus, celebris historiographus, monachum induit in cœnobio Morimundi. Is, ut scribit familiaris ejus Radevicus, imperatorum Henrici IV nepos, Henrici V sororius, Conradi frater uterinus et Friderici patruus fuit, ex patre clarissimo et pio principe Leopoldo Austriæ marchione, et matre Agnete, filia Henrici IV.

1127. Hoc circiter anno Stephanus, ex cancellario episcopus Parisiensis, a curiæ frequentia ad meliorem frugem Bernardi monitis revocatus, graviter a Ludovico rege exagitatur, tandemque post multas infestationes, Cisterciensium, maxime vero Bernardi opera in gratiam restituitur. Quod etiam Henricus Senonensis archipræsul non multo post eademque de causa expertus, eundem habuit causæ patronum ac defensorem. Consule epistolam 45 et Notas.

Fundatur Igoiacum, quarta Claræ-Vallis filia, diocesis Remensis, a Rainaldo de Pratis Remorum archiepiscopo. Primus abbas Humbertus, ex Casæ-Dei monacho Claræ-Vallensis factus, qui non multo post amore quietis, dimissa præfectura, Claram-Vallē rediit; qua de re a Bernardo in Italia tunc propter schisma detento acriter correptus epist. 147, nihilominus hoc in sancto otio persilit ad diem usque mortis, in quo S. Bernardus de eximiis ejus virtutibus sermonem habuit. Abbas secundus Guer-

ricus pietate juxta ac scriptis percelebris, cujus A sermones hic in tomo sexto.

1128. Concilium Trecense celebratur (non vero anno 1127, teste Michaelensi scriba concilii) in solemnitate S. Hilarii, præsidente Matthæo Albanensi, apostolicæ Sedis legato: eique interfuere Stephanus Cisterciensis, Bernardus Claræ-Vallensis, alique ejusdem Ordinis abbates. In ipso Patres Templariis Regulam vestesque candidas (quibus Eugenius III postea rubeam crucem atlexi curavit) præscripsere.

Fundatur Regniacum, in diocesi Autissiodorensi.

1129. Matthæus Albanensis (verba sunt Alberici in Chronico) legatus, ex Ordine Cluniacensi, concilium tenuit apud Catalaunum in Purificatione beatæ Mariæ Virginis: ubi de consilio S. Bernardi abbatis, Henricus Verdunensis episcopus episcopatum dimisit, et factus est episcopus per biennium quidam Ursio abbas S. Dionysii Remensis.

Fundatur Ursi-Campus, in diocesi Noviomensi, a Simone episcopo.

1130. Lotharii II imperatoris 5, Ludovici VI Galliarum regis 22, mortuo Honorio papa decimo sexto Kalendas februarii, pontificatus sui sexto, gravissimum schisma in Ecclesia Dei oritur, Innocentio II canonice electo decimo tertio kalendas martii, qui Gregorius antea vocabatur; sed Petro Petri Leonis filio, violentia amicorum suorum, qui potentissimi in Urbe erant, favente sibi Rogerio Siculo, intruso. Innocentii causam Bernardus per octo annos strenue propugnavit. Vide epistolam 124 et sequentes. Nam et inter alia hoc ipso anno a Patribus concilii, Stampis ea de re habiti, arbiter una voce constitutus, Innocentium Anacleto præferendum declaravit et Henricum Angliæ regem ad eum suscipiendum induxit; Vitæ libro 2, cap. 1. Vide Præfationem nostram generalem, § 4.

Eodem anno ipse Bernardus summa animi demissione episcopatum Genuensem; Sigefridi anno superiori ad superos translati morte destitutum, recusavit. Balduinus vero in concilio apud Clarum-Montem in Gallia habitò, primus ex Cisterciensibus sacro cardinalium collegio adscriptus est: cui adjunctus putatur Martinus vir ille integerrimus, cujus meminit Bernardus in libro 4 de Consideratione, cap. 5. de Balduino, in epistolis 144, 241.

1131. Innocentio Leodii magnifice recepto, cum prius sub finem anni superioris in Galliam se recepisset, Bernardus repressit Lotharium imperatorem, episcopales investituras repetentem; eumque summus Pontifex ibidem in Germaniæ regem coronavit, Romæ post duos annos imperatorio diademate donandum. Peracta vero Leodii Quadragesima præsentis anni, Innocentius in Gallias redux, ad concilium contra Anacletum mense octobri Remis indictum profectus, Ludovicum Junioem in locum Philippi fratris, ex equilapsu infeliciter necati, regem consecravit. Quo quidem concilio soluto, inquit Sugerius in Vita Ludovici Grossi, dominus Papa autissiodori delegit demorari, reliquo nempe tempore labentis anni, cum prius Cluniacum, cujus ecclesiam dedicavit, deinde Claram-Vallem aliasque ecclesias visitasset, comitante ipsum ubique Bernardo. Leodii conventum post concilium Remense narrat Ernaldus in libro 2 de Vita Bernardi. cap. 1, contra expressam Sugerii auctoritatem.

Hoc etiam anno Bernardus, ut habet magnum Chronicum Belgicum, episcopatum Catalaunensem electus recusavit, et per ipsum Gaufridus abbas Sancti-Medardi-Suessionensis sit episcopus Catalaunensis. Idem refert Albericus, qui et addit, Innocentium Sancti-Medardi ecclesiam consecrasset, idibus nimirum octobris, ante concilium Remense ut habet Chronicum ejusdem monasterii.

Hoc itidem anno, Thomas prior Sancti Victoris Parisiensis, vir integerrimus, pro justitia crudeliter perimitur a nepotibus Theobaldi Neoterii archidiaconi Parisiensis, cui ob exprobratas in ecclesiasticos

exactiones invisus erat. Nec multo post Archembaldus subdiaconus Aurelianensis idem mortis genus eademque de causa subiit, Joanne auctore ecclesiæ S. crucis itidem archidiacono. Pro priore S. Victoris scripsit Bernardus epistolam 158, 159, 160, 162; et pro subdiacono, epistolam 61. Suscepta autem est et agitata utriusque causa in concilio Jotrensi, diocesis Meldensis.

Fundantur Morerola, in Castella et territorio Zamorensi; monasterium S. Joannis de Tarouca in Lusitania, diocesis Lamecensis; Longus-Pons, in diocesi Suessionensi; Clarus-Locus, in diocesi Bisuntinensi; Bonus-Mons, in Sabaudia, diocesis Gebennensis; Rievallis, in Anglia, diocesis Eboracensis.

1132. Discedentem e Galliis Innocentium Bernardus in Italiam prosecutus, Pisanos et Genuenses reconciliavit, oblatumque denuo Genuensem pontificatum, Syro vel deferente, vel in sedem necdum evecto, modeste constanterque rejecit.

Exorta item est Cluniacenses inter et Cistercienses magna controversia, occasione videlicet privilegii, quo istos Innocentius a decimarum solutione exemit. Vide epistolam 228, 283.

Fundantur monasterium Valcellense, in diocesi Cameracensi; vide epistolam 186; ac monasterium Trium-Fontium, in Anglia, diocesis Eboracensis. Vide epistolam 92, 94 sqq.

1133. S. Bernardus, in Italiam anno superiori profectus, cum vires Innocentio non sufficerent ad Romam expugnandam (Lothario quippe armatorum duntaxat duo millia ministrante), Henrico Majoris Britanniæ regi scripsit epistolam 138, ad ferendum suppetias. Sed tandem Innocentius urbem ingressus, in basilica Lateranensi Lotharium coronavit imperatorem; quo abeunte, Anacleto per urbem grassanti cedere coactus, Pisas se contulit. Unde Bernardus mittitur in Germaniam, Conradum cum imperatore Lothario reconciliaturus. Qua occasione captata, Rogerius Siciliæ tyrannus, ab Anacleto regis nomine donatus, Pisanos ab Innocentii obedientia retrahere conatur: quibus in fide constanter persistentibus, S. abbas congratulatoriam hoc anno dedit epistolam 130. Porro in illo ejus itinere contigit Mascelini conversio, de qua Vitæ libro 4, cap. 3, necnon et ducissæ Lotharingiæ, ibid.

1134. Concilium Pisanum celebratur, ad quod cum Bernardus Innocentii jussu facta pace cum Lothario et Conrado accedens per Lombardiam iter ageret, Mediolanenses sacrorum communionem et metropolitanam dignitate privati, quod Anselmum archiepiscopum secuti, Conrado et Anacleto adhæsisent, litteris illum interpellant, de restituenda sibi pontificis et imperatoris Lotharii gratia; quibus peracto concilio adfuturum se promisit, datis epistolis 132, 133. Nec mora, concilio ejus potissimum prudentia absoluto, cum Matthæo Albanensi et Guidone episcopo Pisano cardinalibus, necnon et Gaufrido Carnotensi, delegatur ad componendam Mediolanensium pacem: a quibus ingenti plausu et summa veneratione acceptus, archiepiscopalem honorem sibi pertinaciter delatum vix effugere potuit. Multis vero ibidem conversis de quibus epistola 135, primam eodem loci Ordinis sui coloniam, scilicet Claram-Vallem, aliis mendose Claram-Vallem, excitavit. Inde jussu Innocentii, ut habet Sigonius, de Regno Italiæ, lib. 11, ad pacificandas ipsas inter se Lombardiæ civitates profectus, Papiam et Cremonam se contulit. Cum autem apud Cremenses nihil profecisset, eorum Innocentio pertinaciam significavit epistola 318.

Interim post concilium ad superos migrat Norbertus Ordinis Præmonstratensis fundator. Sed et Stephanus abbas Cisterciensis, quinto kalendas aprilis: cui post rejectum Widonem, qui Stephano adhuc superstite electus, sex menses pedum gessit pastorale, substitutus est Rainaldus, filius Milonis comitis



Barri super Sequanam, inquit lib. 8 Ordericus monachus Claræ-Vallensis. Is præclara instituta capitulis octoginta septem comprehensa in capitulo generali ordinavit, quæ videre licet in Annalibus Manriquez.

Fundantur præter Charam-Vallem Mediolanensem, Hema erodium, in diocesi Trevirensi; Vallis-Clara, in diocesi Laudunensi. Primus abbas Henricus de Murdach, ad quem epistola 321.

1135. Bernardo ex Italia rediit per urbem Mediolanensem, Vitæ libro 2, cap. 4, transfertur Clara-Vallis in commodiorem locum, Vitæ libro 2, cap. 5, ubi cum vix tantisper consedisset, jussus est in Aquitaniam se conferre cum Gaufrido Carnotensi, ad revocandum Guillelmum comitem Pictavensem, aliosque schismaticos a Gerardo Engolismensi episcopo seductos, ibidem cap. 6. Postea aliquandiu sibi redditus, insignem illam in Cantica explanationem, hortante altero Bernardo Portarum priore Cartusiano aggressus est. Vide epistolas 153, 154.

Fundatur Busaium, in diocesi Nannetensi, ab Ermengarde Britannia comitissa, quam in prædicto itinere a sæculi vanitate revocavit. Vide epistolas 116, et 117. Primus abbas Joannes, ad quem epistola 232. Fundantur etiam Alta-Cumba, in diocesi Gebennensi; Gratia-Dei, in Santonensi; Eberbachum, in Moguntina.

1136. Guido, inter Bernardi fratres natu major, extra Claram-Vallem, juxta fratris vaticinium, Vitæ libro 2, cap. 12, moritur, nimirum Pontiniaci.

Fundantur Balerna, in diocesi Bisuntinensi; prius abbas Burchardus, ad quem epistola 146; Dopius-Dei, ad Charum fluvium in diocesi Bituricensi, cujus abbas fuit Robertus Bernardi consanguineus, ad quem epistola 1; Alba-Ripa, in diocesi Lingonensi. Denique adoptatur monasterium Alpense, diocesis Gebennensis, tradente Guarino abbate, postea episcopo Sedunensi. Vide epistolam 253.

1157. Innocentii II 8, Lotharii II imperatoris 12, Ludovicus VI regni sui anno 29 Parisiis mortuus est kalendas augusti; cui successit filius Ludovicus VII Junior appellatus, quod vivente patre regnare cœpisset.

Hoc ipso anno Bernardus ab Innocentio accitus, tertio in Italiam progreditur, sub Anacleto laborantem vexatione Rogerii Siculi, qui a Rainulfo duce Bernardi precibus superatus, cum armis prævalere non posset, ad verba se convertit, atque Anacleti causam in ore Petri Pisani viri eloquentissimi repone se simulans, cum ipsum a Bernardo convictum et reductum vidisset, ne sic quidem ad meliora potuit emolliri.

Fundantur monasterium Columbæ, in Italia, diocesis Placentinæ; Bochia in Hungaria, diocesis Vespriniensis, quamvis a nonnullis ad annum 1133 referatur. Item adoptatur monasterium Belli-Fontis, nunc Vallis-Paradisi nuncupatum, in Hispania, diocesi Zamorensi.

1158. Lotharius II imperii anno decimo tertio regnare desiit tertio nonas decembris, succedente Conrado Franconia duce, quondam ejus æmulo. Quo etiam anno misere interiit Anacletus pseudo-pontifex, cui successit ex Rogerii factione Gregorius cardinalis, Victor vocitatus, qui supremæ dignitatis insignia Bernardo resignans, schismati tandem, post septem annos S. Doctoris studio ac prudentia compresso, finem optatum imposuit. Vide epistolam 317. Abbas vero sanctus Romanam curiam nulla mora interposita deserens, nihil inde in Gallias referre voluit pro xeniis, præter dentem S. Casarii, aiasque sanctorum reliquias, Vitæ libro 4, cap. 1. Qui de statu electionis Lingonensis a Lugdunensi metropolita contra sponsonem Romæ initam celebratæ certior factus, varias scripsit epistolas 165 et sequentes, cui quidem dolori accessit alius longe gravior, nempe de Gerardi fratris obitu, cujus inducias in Italia, ubi eum haluerat in extrema

sua peregrinatione, a Deo impetrarat, quem multis lacrymis prosecutus est sermone vigesimo sexto in Cantica, a quo resumpsit aureum hoc opus a se interruptum.

Ipsa anno Rainaldus Remensis archiepiscopus obiit, ut refert Anetarium Gemblacense: post biennium vero, scilicet anno 1140, Samson Carnotensis ecclesie præpositus Remorum ordinatur archiepiscopus, cum ipse Bernardus hanc dignitatem recusasset.

Fundatur monasterium Benedictionis-Dei, in diocesi Lugdunensi, cui præfectus Albericus, ad quem epistola 173. Adoptatur etiam monasterium Duncense, diocesis Brugensis. Primus abbas Robertus, cui scribitur epistola 324, Bernardo apud Claram Vallem aliquando successurus.

1139. Convocatum est Romæ concilium Lateranense mille circiter episcoporum, in quo iterato damnati Petri Leonis fautores, infirmatæ ab eo factæ ordinationes, torquæmenta interdicta, Arnoldus Brixianus, tanquam hæreticus Italia excedere jussus. A qua quidem sententia adversus Anacleti fautores severitate Bernardus vindicare laboravit Petrum Pisanum cardinalem, Innocentio prius a se reconciliatum, ut patet ex epistola 213. Næc multo post Innocentius ipse a Rogerio Sicilia duce dolose captus est, quod pacis diu exoptatæ inter utrumque componendæ fuit occasio.

Hoc item anno Malachias archiepiscopus, Hiberniæ primas, Romam iter aggressus est, non vero, ut vult Baronius, anno 1137, cum constet ex Bernardo, Vitæ S. Malachia capite 10, Malachiam ab hac peregrinatione novem duntaxat annos supervixisse, itemque ex capite ultimo, anno 1148 decessisse. Malachias vero in hoc itinere Claram-Vallem adiens, ibi sex socios reliquit, qui Cisterciense institutum edocti, illud postea in Hiberniam transtulerunt.

1140. Habetur concilium Senonense adversus Abælardum, qui condemnatis errorum capitulis Sedem Romanam appellavit quidem, sed Petri Venerabilis persuasione cedens appellatione, Cluniaci remansit: ac ejusdem opera Ecclesie reconciliatus, cum per biennium ibi laudabiliter vixisset, in monasterio S. Marcelli Cabilonensi, quo morbi curandi causa se contulerat, cessit e vita. Vide epistolam 197 et sequentes, et ibidem Notas.

Fundantur hoc anno Clarus Mariscus, in diocesi Andomarensi; Blancha-Landa, in Wallia Angliæ provincia, diocesi Menevensi; Ursaria, in regno Calceciæ, diocesi Auriensi; Aripatorium, aliis Ripatorium, in diocesi Trecensi, cui præfectus Alanus, postea episcopus Autissiodorensis, Vitæ S. Bernardi compilator. Item Innocentius monasterium S. Anastasii ad Aquas-Salvias reparatum Claram-Vallensibus attribuit, præfecto Bernardo Pisano, S. Bernardi discipulo, qui subinde Eugenii III nomine in Sedem Romanam assumptus est. Denique adoptantur monasterium Benchorensis, a Malachia Hiberniæ primate Bernardo concessum; necnon et Casæ-Marium, in civitate Verulana, in Italia.

1141. Innocentius papa, ait Robertus, de Monte, interdixit terram dominicam regis Ludovici, quia nolebat recipere archiepiscopum Bituricensem, quem tamen postea recepit, et absolvit eum de sacramento quod irrationabiliter fecerat. Vide epistolam 218 et sequentes.

Quo etiam anno idem rex Francorum Ludovicus, ut habet idem auctor, afflixit comitem Theobaldum, et vastavit terram ejus, maxime in Campania, ubi combussit castellum Vitreuvium, seu Vitriacum, ubi multitudo diversi sexus hominum et ætatis, nimirum mille trecentæ animæ, teste Roberto de Monte in Supplemento ad Sigibertum, qui hoc refert ad annum 1143, cremata est. Consule epistolas 217, 220, 222, 223.

Hoc tempore contigit obitus Humbelinæ sororis sancti Bernardi, de qua Vitæ libro 1, cap. 6.

Fundatur cœnobium Melli-Fontis, in Hibernia; A diœcesis Armachanae, Malachia procurante, ascitis ex Clara-Valle Christiano ac sociis, quos prædictus episcopus instituendos ibi reliquerat. Vide epistolas 356, 357.

1142. Ivo presbyter cardinalis ex canonico regulari S. Victoris apud Parisios, mittitur in Gallias ad ferendam sententiam in Radulphum Viromanduum comitem, qui repudiata priori uxore Petronilla, Theobaldi comitis sorore, Guillelmi Aquitanicæ ducis filiam, Reginæ sororem, superinduxerat. Quo etiam anathemate involuti Bartholomæus Laudunensis, Simon Noviomensis, Petrus Silvanectensis episcopi, divortii auctores. Vide epistolas 216, 217, 220, 221.

Item Alfonsus Lusitanicæ rex se suumque regnum Claræ-Valli vectigale fecit, assignatis quinquaginta marabitinis sive dipondiis auri probati.

Quo etiam anno, teste Roberto de Monte, vel proxime evoluto, ut tradit Ortelius in Anselmo Gemblacensi apud Miræum, animam cœlo reddidit B magnus ille Hugo Victorinus, S. Bernardi amicus et cultor præcipuus, alter sui sæculi Augustinus. Vide epistolam 70.

Fundantur monasteria Melonis, in Callæcia, diœcesis Tudensis, et Superadi, circa hæc tempora in diœcesi Compostellana. Item Alta-Crista, in Sabaudia, diœcesis Lausanensis.

1143. Conradi III imperatoris 5, Ludovici VII Francorum regis 6, Innocentius papa moritur octavo kalendas octobris cum sedisset annos fere quatuordecim: cui succedit Guido de Castello, dictus Cælestinus II, ad quem epistolæ 234, 235.

Fundantur Alvastrum, in Suecia, diœcesi Lincolniensi; Nova-Vallis (aliis post quadriennium), ibidem; Bella-Pertica, in diœcesi Montis-Albani; Meyra, in Callæcia, diœcesis Lucensis.

1144. Cælestinus papa, semestri necdum exacto, decessit: cui subrogatur Gerardus camerarius ex canonico regulari, presbyter cardinalis tit. S. Crucis C in Jerusalem, Lucius II nuncupatus. Quo tempore Bernardus inter Ludovicum regem et Theobaldum comitem pacem composuit. Legendæ epistolæ 220 et sequentes.

Hoc item anno moritur Bartholomæus Firmitatis abbas, frater S. Bernardi. Item Stephanus Catalaunensis cardinalis episcopus Prænestinus ex Ordine Cisterciensi, vir magnæ sanctitatis, cui Bernardus varias inscripsit epistolas.

Fundatur Belli-Locus, in diœcesi Rutenensi.

1145. Conradi III imperatoris 7, Ludovici VII Francorum regis 8, Lucio papæ quinto kalendas martii defuncto substituitur Eugenius III ex abbate S. Anastasii ad Aquas-Salvias, Bernardus antea vocatus, de quo supra anno 1140. Vide epistolam 237 et sequentes. Quo tempore S. Bernardus a Ludovico rege de sacra expeditione consultus, rem ad summi Pontificis sententiam remittit, ex nostra Præfatione generali, § 7.

Fundatur Pratea, in diœcesi Bituricensi.

1146. In concilio Carnotensi pro expeditione sacra indicto hoc anno, ad quod Petrus Venerabilis invitatus, epistola 364, venire non potuit, ut colligitur ex ejus responsione, epistola 18, lib. 6, S. Bernardus in primarium militiæ ducem electus, ex mandato Eugenii, Germanicæ populos, Francos Orientales, Bajoarios, Anglos, etc. ad capessendam Crucem tum litteris, tum viva voce cohortatus est, multis suffragantibus miraculis, epistolis 363, 365, et libro de Miraculis S. Bernardi.

Hoc itidem anno Tornacensis Ecclesia, quæ per quingenos et amplius annos episcopis Noviomensis Ecclesiæ commendata fuerat, proprium episcopum, Anselmum nomine, ex abbate S. Vincentii Laudunensis, ab Eugenio papa III recepit, Bernardo abbate Claræ-Vallensi inter alios procurante.

Fundantur Boxelona, in Anglia, diœcesis Cantuariensis; Villarium, in Brabantia, diœcesis Namur-

ensis. Hujus fundationem Auctarium Gemblacense apud Miræum reponit anno sequenti, his verbis: «Monachi duodecim cum Laurentio abbate, et quinque Conversis, a B. Bernardo ex Clara-Valle in Brabantiam missi, Villariense monasterium ædificarunt.»

1147. Eugenius anno superiori, Romanis Arnaldi factione, de qua epistola 242, infestantibus, in Galliam confugiens, hoc anno Parisiis honorifice excipitur a Ludovico rege, qui cum anno præcedenti, ut refert Robertus de Monte in Appendice ad Sigibertum, apud Vezeliacum, die dominica in Ramis palmarum crucem assumpsisset, simulque Robertus frater ejus, et Gaufridus comes Mellenti, et alii multi, hoc anno Parisiis recesserunt, n mirum die 14 junii, ut habet Chronologia Cluniacensis, in Syriam contra Saracenos profecturi.

Hoc eodem anno plures variis in locis habitæ synodi. Prima Stampis, in qua de negotio Jerosolymitano et regni dispositione, Bernardo præsentate, actum est, Gallicæ administratione Sugerio S. Dionysii abbati commissa. Vide Chronic. S. Dionysii tom. 2; Spicil. et lib. Mirac. S. Bernardi, cap. 16. Secunda Autissiodori, presidente Eugenio. Tertia Parisiis, teste Ottone Frisingensi, in Frid. lib. 1, cap. 50. In quibus causa Gilberti Porretani proposita, ad concilium Remense anno proximo celebrandum remissa est. Vide Præfationem generalem.

Præterea Bernardus cum Alberico cardinali Ostiensi et legato, Gaufridoque Carnotensi, pergit in Aquitaniam contra Henricum hæreticum, de quo in nostra Præfatione generali, et in epistola 241. Quo etiam anno Alfonsus Lusitanicæ rex, urbe Scalabi meritis S. Bernardi expugnata, datis litteris monachos petit ad instituendum Ordinis Cisterciensis in suo regno monasterium.

Fundantur Alcobatia a prædicto rege in Lusitania: diœcesi Ulissiponensi; Vallis-Richerii, in diœcesi Bajocensi; Morganium, in Wallia; monasterium a de Spina, in diœcesi Palentina in Castella a Sancia Alfonsi regis sorore. Vide epistolam 301. Item adoptatur Grandis-Silva Ordinis S. Benedicti in diœcesi Tolosana, Bernardo ejus abbate se et domum suam tradente. Vide epistolam 242.

1148. Initio concilio Remensi decimo quarto kalendas aprilis, Eugenio præsidente, carcere damnatur Eon fatuus hæreticus: Gilbertus vero Porretanus, Pictavensis episcopus, a Bernardo convictus, suos retractat errores. Nec multo post Eugenius, agente sancto abbate, scripta Hildegardis approbavit in concilio Trevirensi, cum prius Tullensis ecclesiæ dedicationem, cui et Bernardus interfuit, peregisset. Quo eodem anno præfatus Eugenius eum capitulo Cisterciensi adfuisse, novumque cæmeterium sacrasset, fratribus non sine lacrymis valedicens, in Italiam remeavit.

Post Eugenii e Gallia discessum, S. Malachias Hibernicæ primas, Romam denuo ad summum Pontificem pallii causa profecturus, optato die et loco apud Claram-Vallem diem feliciter clausit ipso die solemnem Commemorationis omnium defunctorum, ejus memoria statim ab ipsius morte celebris haberi cœpit. Vide epistolam 374, consolatoriam ad Hibernienses; item Vitam ejus, tomo 2; et duos sermones in ejus depositione habitos, tomo 3. Porro cum S. Malachias in extremis jam fere ageret, consummato ædificio novæ Claræ-Vallis, ossa venerabilium Patrum, qui in priori cœnobio obdormierant, e veteri cæmeterio in novum translata sunt, in festo omnium Sanctorum, ex sermone primo de S. Malachia, n. 2. Ejus canonizatio in Chronico Claræ-Vallensi apud Franciscum Chiffletium refertur ad annum 1192.

Eodem anno obiit beatus Humbertus abbas Igna-censis, non anno 1145, ut putat Marrius. Probationes vide in Notatione ad sermonem de ejus obitu a Bernardo habitum, qui exstat in tomo III.

Fundatur Camberona, in diœcesi Cameracensi. Primus abbas Fastradus ex Clara-Valle, cui etiam post Robertum præfuit. Adoptatur etiam Alna, prius Benedictinorum, deinde canonicorum regularium in diœcesi Leodiensi. Item in capitulo Cisterciensi hoc anno Serlo abbas Saviniacensis se ac triginta monasteria, quæ a Saviniaco Benedictinorum monasterio diœcesis Abrincensis pendebant, Claræ-Valli subdidit: quatuor vero Stephanus, congregationis Obazinensis in diœcesi Lemovicensi nascentis pater et institutor.

1149. Hoc anno cum infelicem exitum habuisset transmarina expeditio, Ludovicus in Galliam reversus est. Vide epistolam 386, librum 2 de Consideratione, cap. 1, et Vitam S. Bernardi, lib. 3. cap. 4. Qui quidem ad novam iterum se accingens, a Cisterciensibus retardatur, ut tradit Robertus abbas in Chronico ad annum 1150.

Eodem anno Henricus, Ludovici regis Franciæ frater (verba sunt Chronici Turonensis) prius Theaurarius Beati Martini Turonis, post apud Claram-Vallem monachi veste indutus, provehitur ad episcopatum Belvagicæ civitatis: quod quidem Chronicon Sancti-Petri-Vivi Senonensis anno sequenti reponit. Lege epistolam 307 et Notas.

Fundantur Fons-Moriniacus, in diœcesi Bituricensi; Albæ-Petræ, in Lemovicensi; Longum-Vadum, in Lingonensi; Laus-Beatæ-Virginis, in Tornacensi. Adoptatur Bullencuria, canonicorum regularium in diœcesi Trecensi.

1150. Eugenius Romæ ad S. Petrum post multos conflictus restituto, Bernardus librum secundum de Consideratione transmittens, apologiam de Jerosolymitanæ expeditionis consilio prætexit, recipitque epistolam consolatoriam a Joanne Casæ-Marii in civitate Verulana abbate, que est modo epistola 386 inter Bernardinas.

1151. Rainaldo abbati sub finem anni superioris defuncto, nimirum decimo septimo kalendas januarii, successit Gosevinus ex abbate Bonæ-Vallis Viennensis. Vide epistolam 270.

Item moritur Hugo Autissiodorensis episcopus, vir bonæ memoriæ dictus in Chronico S. Petri-Vivi. De successoris electione vide epistolas 261, 274 et

sequentibus. Obiit item Sugerius abbas S. Dionysii, vir integerrimus, cui in extremis posito Bernardus scripsit epistolam 266. Hoc anno, Ludovicus et Aliënoræ, inquit Robertus de Monte, in Quadragesima apud Balgenceium, de o sacramento coram archiepiscopis et episcopis quod consanguinei essent, separati sunt auctoritate Christianitatis.

Fundatur monasterium Esronense, in Dania, diœcesi Roskildensi.

1152. Eugenii III 8, Ludovici VII Franciæ regis 15, Conradus imperii anno 13 purpuram morte resignat Friderico cognomento Ænobarbæ, Sueviæ duci, Conradi ex fratre nepoti. Sed et Theobaldus Campaniæ comes, vir insignis pietatis, sexto idus januarii defunctus, in monasterio Latiniacensi, ad Matronam aijus fuerat advocatus, sepelitur, ad quem non longe ante obitum Bernardus scripsit epistolam 271.

Adoptatur abbatia de Moroliis, in diœcesi Malleacensi. Fundatur abbatia Clari-Montis, in diœcesi Cenomannensi. Circa hoc tempus adoptatur Armen-taria, in Callæcia, diœcesi Compostellanæ.

1153. Friderici I imperatoris 2, Ludovici VII Franciæ regis 16, Eugenius diem clausit sexto idus julii, cum sedisset annos octo menses quatuor dies tredecim; cui successit Conradus, ex canonico regulari episcopus Sabinensis, dictus Anastasius IV. Nec longe post sanctissimus doctor Bernardus, multis pro Deo et Ecclesia defunctus laboribus, cum a media hiemis tempestate gravi morbo correptus, ut scribit epistolis 288, 307, 308, pacem nihilominus inter Metenses composuisset, in pace tandem ipse quievit decimo tertio kalendas septembris, tribus ante meridiem horis, anno ætatis sexagesimo tertio, monasticæ professionis quadragesimo, præfecturæ trigesimo octavo. Qua etiam hebdomada Ascalon, munitissima civitas in Palæstina, juxta Sancti promissionem frequentius repetitam, a Christianis capta est, ut testatur Gaufridus Vitæ S. Bernardi libro 3, cap. 4. Bernardus apud Claram-Vallem successorem habuit Robertum ex abbate Dunensi.

Fundantur monasteria Petrosæ, diœcesis Petragoricensis; De Moris, diœcesis Lingonensis; et adoptatur abbatia Montis-Rami, diœcesis Auriensis in Callæcia.

# SANCTI BERNARDI

ABBATIS CLARÆ-VALLENSIS

## OPERUM TOMUS PRIMUS

COMPLECTENS

### EPISTOLAS NUMERO CCCCLXXXII

(Collatæ sunt ad tres codices Colbertinos, Cistercienses duos, Corbeiensem unum, unum item Compendiensem consulti etiam codices Vaticani, Sorbonicus, Regiæ Navarrae, Gandavensis S. Petri, Claræ-Vallensis Vallis-Claræ, Auræ-Vallis, etc.)

#### I EPISTOLA PRIMA (51).

AD ROBERTUM NEPOTEM SUUM, QUI DE ORDINE CISTERCIENSI TRANSIERAT AD CLUNIACENSEM (52).

Robertum consanguineum, qui vel horrore strictioris

(51) Scripta circa annum 1119.

(52) Ita scripti fere omnes: in uno S. Germani,

regulæ, seu vitæ laxioris illecebra, vel etiam blanditiis et subdolis aliorum susurris inductus a Cisterciensibus ad Cluniacenses transierat, mira charitate et affectu plusquam paterno revocat.

1. Satis et plusquam satis sustinui, dilectissime

Incipit epistola B. Bernardi abbatis ad domnum Robertum monachum et cognatum suum, qui Ordinem

fili Roberte (53), si forte Dei pietas, et tuam per se, et meam per te animam dignaretur invisere: tibi scilicet inspirando salutarem compunctionem, mihi-que de tua salute lætitiā. Sed quoniam usque adhuc frustratum me cerno ab expectatione mea, jam non valeo tegere dolorem meum, anxietatem reprimere, dissimulare tristitiā. Unde et contra juris ordinem cogor revocare, læsus, eum qui me læsit; spretus, requirere contemptorē; injuriam passus, injuratori satisfacere; rogare denique, a quo rogari debueram. Dolor quippe nimius non deliberat, non verecundatur, non consulit rationem, non metuit dignitatis damnum; legi non obtemperat,

*Cisterciensem post professionem dimiserat, et ad Cluniacum se transtulerat.*

(53). Nulla hujus epistolæ inscriptio, præterquam in duobus S. Germani codicibus, *Bernardus abbas Rodberto adolescenti*, an genuina, incertum.

Hæc epistola sub dio a Bernardo dictata, et in medio imbre sine imbre, et ut loquitur Guillelmus sancti Theoderici abbas, libro primo Vitæ S. Bernardi, cap. 2, ob id miraculi cæteris epistolis præposita est. Locus ubi id contigit, prope Claram-Vallem, oratoriolo spectabilis est ob facti memoriā. Exarata est a Guillelmo, primo postea Rievallis in Anglia abbate, cui non recte quidam tribuunt elogia illa, quæ Gilbertus de Hoilandia sermone 41 in Cantica commemorat de quodam abbate Rievallensi, procul dubio de Guillelmi successore, nomine Aelredo, qui teste Pitsæo obiit anno 1166. Non enim ferri potest, ut Guillelmus ille Rievallensis, anno 1145 ad superos translatus, a Gilberto in eo sermone celebretur laudatione fœnebri ut recens mortuus, cum ipse Gilbertus solum a morte S. Bernardi, nimirum post annum 1153, explanationem in Cantica prosequendam suscepit, ac sermone 30 mentionem faciat schismatis a Friderico imperatore adversus Alexandrum III anno 1159 excitati. Robertus, ad quem hæc epistola directa est, Bernardi carne propinquus vocatur in ipsa epistola, n. 9, et in epistola 32, n. 3. De eo Joannes eremita, illius temporis auctor, in Vita S. Bernardi, libro 1, cap. 2, n. 5, ita scribit: « Nepos siquidem ejusdem matronæ, nempe Alaydis S. Bernardi matris, et de qua volumus pertractare; filius autem sororis suæ, ad quem etiam beatus Bernardus primam epistolarum suarum dirigit. » Ibidem Robertus ad Clara-Vallenses reversus, sexaginta septem annis sub jugo disciplinæ regularis vixisse dicitur. Petrus Franciscus Chiffletius Societatis Jesu, in Appendice ad Diatribam de illustri genere S. Bernardi suspicatur, Roberti matrem fuisse Dianam, uxorem Othonis de Castellione et familia Montis-Barri; ac vulgo Bernardi nepotem vocitatum, vel collectoris epistolarum hallucinatione, vel eo loquendi genere olim usitato, quo nepos dici solebat etiam patruelis, aut consobrinus, aut amitinus, si modo patrueli suo, consobrino, aut amitino esset inferior ætate, qualem fuisse Robertum respectu sancti Bernardi, tum ex hac epistola, tum ex libro primo Vitæ, cap. 2, satis intelligitur. Quod attinet ad rationem temporis, hæc epistola scripta videtur circa annum 1119. Etenim Robertus solentem apud Cistercienses emisisse videtur professionem anno 1116, ut inferius demonstrabitur: quæ audita statim Cluniacenses eum subdole ad se revocare tentaverunt. Sic enim refert Exordium Cisterc. dist. 3, cap. 9: « Interea Cluniacenses fratres audientes quod idem adolescens Ordini Cisterciensi se reddidisset, indignati sunt vehementer.... Cumque auctoritate beati Bernardi premerentur ne eum publice repetere præsumerent, ad callidiora sese argumenta vertere. Missus est namque prior quidam, »

A judicio non acquiescit, modum ignorat et ordinem: id omnimodo et solummodo satagente animo, quo vel careat, quod se dolet habere; vel habeat, quo se dolet carere. At, inquis, nec læsi quempiam, nec sprevi; sed spretus potius jeco, ac multifarie læsus, tantum fugi malefactorem meum. Cui injuriam feci, si injurias fugi? An non expedit cedere persecutori, quam resistere? fugere ferientem, quam referire? Recte: assentio. Non ut contenderem cœpi hæc, sed ut contentionem dirimerem. Fugere persecutionem non est culpa fugientis, sed persequentis. Non contradico. Omitto quod factum est, non requiro cur, vel quomodo factum est: culpas non discentio, non

etc. Interim diu dissimulavit S. Bernardus, ut ex hujus epistolæ exordio constat: sed tandem concepti doloris impatiens, hanc epistolam scripsit, qua nequidem revocari potuit Robertus, ut ille epistola 32 conqueritur, donec a Petro Venerabili restitutus est. Quod autem Robertus anno 1116 professionem emisisset, sic demonstrari posse videtur. Robertum fuisse unum ex triginta sociis, quos Bernardus mundo subtractos Cistercium secum adduxit, sentiunt scriptores pene omnes, tam domestici, quam externi. Quod quidem indicare videtur Bernardus ipse in hac epistola his verbis: « Nam si dignaris, et verbo, et exemplo meo in religionem ego te genui. » Sed cum pro ætatis statu teneriori ad biennium remissus fuisset, ut etiam ibi asserit Bernardus, n. 8, eo tandem elapso ad conversionem admissus est. Atqui Bernardus anno 1113 ingressus est Cistercium: cui numero si tres annos adjeceris, duos scilicet dilationis, probationis alterum; Robertum anno 1116 professum habebis. Hoc argumentum non parum roboratur Exordii jam citati auctoritate, ubi Robertus prius dicitur admissus Cistercii ad probationem, quam Bernardus Clara-Valli præficeretur; proindeque ante annum 1115, quo Clara-Vallem fundatam legimus. Sic enim habet Exordium Cisterciense: « Dominus Robertus, quondam Domus-Dei abbas, et beati Bernardi secundum carnem propinquus, in adolescentia sua jugum Domini suave et onus ejus leve apud Cistercium suscepit. Postmodum vero reverendissimo viro Dei Bernardo Clara-Vallis abbati constituto, sub ipso in eodem cœnobio cœlestibus disciplinis instituebatur. » Ex quibus manifestum apparet, Roberti et Clara-Valle discessum sive potius seductionem contigisse Pontii abbatis Cluniacensis consilio ac impulsu, qui ab anno 1109 ad annum 1122 Cluniaco præfuit; non vero sub Petri Venerabilis præfectura, qui Pontio post Hugonem II tribus mensibus elapsis successit, ut constat ex Chronico Cluniacensi. Et certe quis a Petro Venerabili, pacis ac sinceritatis amantissimo, non existimet alienum, ut priorem miserit Clara-Vallem ad decipiendum adolescentem? vel etiamsi id fecisse concedatur, ut inter beneficia et charitatis officia sancto Bernardo exhibita computaverit Roberti restitutionem? quasi de injuria beneficium promereri potuisset. Ita enim in quadam epistola ad Bernardum: « Cur ergo, » inquit, « mi charissime, unus saltem mihi per mensem non conceditur, cum Robertum tibi sanguine proximum, cum Garnerium, cum quosdam alios, tractus amore tui, non mense uno, sed perpetuo concesserim (libri vi epistola 55)? » Ex quibus obiter observes velim, Robertum tandem aliquando Clara-Vallem rediisse, restitutum scilicet a Petro Cluniacensi statim ab initio præfecturæ, ac Domus-Dei in diœcesi Bisuntinensi abbatem a Bernardo postea institutum. Vide Manriquez in Annalibus, anno 1113 et anno 1117, ex quo nonnulla huc adduximus.

retracto causas, non recordor injurias. Solent enim hæc magis instigare, quam mitigare discordias. Solum quod mihi magis est cordi, loquor. Me miserum, quod te careo, quod te non video, quod sine te vivo, pro quo mori, nihil vivere est; sine quo vivere, mori! Non igitur querò cur abieris, sed quod jam non redieris queror; non causas discessionis, sed inoras causas regressionis. Veni tantum, et pax erit: revertere, et satisfactum est. Redi, inquam; redi, et lætus cantabo: *Mortuus fuerat, et revixit; perierat, et inventus est* (Luc. xv, 32).

2. Fuerit certe meæ culpæ quod discessisti. Delicato quippe adolescentulo austeris exstiteram, et tenerum durus nimis inhumane tractavi. Hinc enim et præsens quondam adversum me, quantum memini, murmurare solebas; hinc et nunc, sicut audivi, etiam absentem derogare non cessas. Non tibi imputetur. Possem forsitan excusare et dicere, quia sic lascivi pueritæ motus coercendi erant; ac rudibus annis debebantur aspera illa disciplinæ districtioris initia. Scriptura attestante, quæ ait, *Percute filium tuum virga, et liberabis animam ejus a morte* (Prov. xxiii, 13); et rursum: *Quos enim diligit Dominus, corrigit; flagellat autem omnem filium quem recipit* (Hebr. xii, 6); et illud: *Utiliora sunt verbera amici, quam oscula inimici* (Prov. xxvii, 6). Sed fuerit, ut dixi, meæ culpæ quod discessisti: ne cum de reatus perpetratiōe contenditur, emendatio retardetur. At vero hinc vel procul dubio incipiet esse et tuæ, si non parcas poenitenti, indugeas contenti: quia potui quidem aliquando in aliquibus fuisse erga te misericors, sed certe non malevolus. Quod si et in futuro hanc ipsam indiscretionem meam suspectam habes; noveris me jam non esse qui fueram, quia nec te puto fore qui fuisti. Mutatus mutatum invenies, et quem ante metuebas magistrum, comitem amplectere securus. Itaque sive mea culpa recesseris, ut tu putas, et ego non excuso; sive tua, ut multi putant, etsi ego non excuso; sive mea simul et tua, quod ego magis puto: ex hoc jam si redire renneris, solus profecto inexcusabilis eris. Vis ab omni culpa liber esse? revertere. Si tuam agnoscis, ignosco: ignosce et tu mihi, ubi meam agnoscò. Alioquin aut tibi nimis indulges, qui tuam culpam et agnoscis, et dissimulas; aut mihi nimis immisericors es, cui nec satisfaciendi ignoscendum putas.

3. Jam si redire recusas, aliam quære occasionem unde falso blandiaris conscientia tuæ: quia non

(54) Theodoretus, Historiæ ecclesiasticæ libro iii, cap. 3, testatur Julianum imperii cupiditate incensum, perlustrasse Græciam, conquisivisse vates et harios, sciscitaturum ab illis, votive compos futurus esset. Atque incidit forte in hominem, qui hoc ei prædicere pollicitus sit. Qui quidem, deducto eo in fauam simulacrorum, et intra ejus adyta collocato, fraudulentos dæmones invocat. Quibus specie qua solent apparentibus, metus coegit Julianum signo crucis frontem suam signare. Dæmones igitur, Dominici tropæi conspicati figuram, et sure ipsorum cladis recordati, confestim evanuerunt. Tum præstigiator, causa cur fugerent intellecta, Julianum

erit ultra quod formidare debeas de rigore districtiōnis meæ. Neque enim formidandum est quod futurus sim præsentem formidolosus, cui adhuc absentem jam toto sum corde [at. corpore] prostratus, totis adstrictus visceribus. Humilitatem exhibeo, charitatem promitto: et tu times? Intrepidus veni quo te vocat humilitas, pertrahit charitas. Securus accede, talibus præventus obsidibus. Fugisti sævum, revertere ad mansuetum: revocet te mea lenitas, cujus severitas effugavit. Vide, fili, quam te cupiam duci, non spiritu servitutis iterum in timore, sed spiritu adoptionis filiorum, in quo clamare et tu non confundaris, Abba, Pater (Rom. viii, 15): causam litique tanti doloris mei non minus apud te, sed blandimentis; precibus, non terroribus agens. Alius forsitan aliter tentaret. Et vere quis alius non magis discuteret reatum, et incuteret metum; non opponeret votum, et proponeret judicium; non argueret inobedientiæ, non indignaretur apostasiæ; quod de tunicis ad pelliceas, de oleribus ad delicias, quod denique ad divitias de paupertate transieris? Sed ego novi animum tuum, qui facilius possit amore flecti, quam timore compelli. Denique quid necesse est his pungere non recalcitrantem, valde timidum magis exterrere, per se satis erubescens confundere amplius: cui sua ratio magister, cui propria conscientia virga, et ingenita verecundia lex disciplinæ est? Quod si cui mirum videtur, quomodo puer verecundus, simplex timoratus, ausus fuerit contra voluntatem fratrum, magistri imperium, regulare decretum, summi deserere et votam, et locum miretur etiam quod et David sanctitati subreptum sit (II Reg. xi), quod sapientiæ Salomonis illusum (III Reg. xi), quod Samson fortitudinis obviatum (Judic. xvi). Qui protoplastum dolo captum expulit de patria felicitatis, quid mirum si tenero subripuit adolescentulo in loco horroris et vastæ solitudinis? Huc accedit quod nec, sicut illos Babylonicos senes, species decepit eum (Dan. xiii, 8); nec, sicut Giezi, pecuniæ amor (IV Reg. v, 20); nec honoris ambitio, sicut Julianum Apostatam (54); sed sefellit illum sanctitas, seduxit religio, perdidit auctoritas seniorum. Queris quomodo?

4. Primo quidem missus est magnus quidam prior ab ipso principe priorum; foris quidem apparens in vestimentis ovium, intrinsecus autem lupus rapax; deceptisque custodibus, æstimantibus quippe ovem esse, væ! væ! admissus est solus ad solam lupus

objurgat: qui tum timorem, quo correptus erat, declaravit, et se virtutem crucis vehementer admirari dixit. Nam dæmones, quoniam ejus figuram ferre non poterant, aufugisse. Cui præstigiator: «Ne, inquit, amabo te, sic existimes. Siquidem non eam ob causam formidabant; sed trum fastum detestati, se ab oculis nostris removerunt.» Ita miser ab eo in fraudem impulsus, tum impiis initiatur mysteriis, tum pectus ejus scelere completur, et infelix propter imperii cupiditatem pietate omnino spoliatur. Ita Theodoretus, cujus verba, etsi prolixiora, recenseo; quia ad ea Bernardus plane mihi allusisse videtur.

oviculam. Nec refugit ovicula lupum, quem et ipsa putabat ovem. Quid plura? attrahit, allicit; blanditur, et novi evangelii prædicator commendat crapulam, parcimoniam damnat; voluntariam paupertatem, miseriam dicit; jejunia, vigiliis, silentium; manuumque laborem, vocat insaniam: e contrario otiositatem, contemplationem nuncupat; edacitatem, loquacitatem, curiositatem; cunctam denique intemperantiam nominat discretionem. Quando, inquit, delectatur Deus cruciatibus nostris? ubi præcipit Scriptura quempiam sese interficere? Qualis verò religio est fodere terram, silvam excidere, stercorea comportare? Nunquid non sententia Veritatis est, *Misericordiam volo, et non sacrificium?* (*Matth. ix, 13.*) et, *Nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat?* (*Ezech. xxxiii, 11.*) et, *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur?* (*Matth. v, 7.*) Utquid vero Deus cibos creavit, si non liceat manducare? utquid nobis corpora dedit, si prohibeat sustentare? Denique, qui sibi nequam, cui bonus? (*Eccli. xiv, 5.*) Quis unquam sanum sapiens, carnem suam odio habuit? (*Ephes. v, 29.*)

5. Talibus tandem allegationibus male credulus puer circumventus seducitur, seductorem sequitur, Cluniacum ducitur; tondetur, raditur, lavatur; exiit rusticanis, vetustis, sordidis; induitur pretiosis, novis ac nitidis; et ita in conventum suscipitur. Sed cum quali putas honore, cum quo triumpho, cum quanta reverentia? Defertur ei super omnes coetaneos suos, et tanquam victor rediens a pugna, sic laudatur peccator in desideriis animæ suæ (*Psal. x, 3*). Sustollitur in altum, statu non mediocri collocatur, ita ut multis senioribus prælatus sit adolescens: favel, blanditur, congratulatur ei universa fraternitas; exsultant omnes, tanquam victores capta præda; quando dividunt spolia (*Isai. ix, 5*). O Jesu bone! quam multa facta sunt pro unius animulæ perditione! Cujus ad hæc quantumlibet robustum pectus non emollesceret? cujus interior, quantumvis spiritualis, oculis non turbaretur? cui inter talia ad suam liceat recurrere conscientiam? quis denique in tanta pompa vel veritatem valeat agnoscere, vel obtinere humilitatem?

6. Mittitur interea pro eo Romam. Apostolica compellatur auctoritas; et ut Papa non neget assensum, suggeritur ei infantem olim a parentibus oblatum fuisse monasterio. Non fuit qui reselleret (nec enim contradictor est expectatus), judicatum est de parte, abjudicatum absentibus. Justificati sunt qui injuriam fecerunt, exciderunt a causa qui passi sunt, absque satisfactione absolvitur reus: firmatur privilegio crudeli nimium clemens sententia absolutionis; quo reportato confirmaretur fluctuanti male suasa stabilitas, securitas dubitanti. Et hic tenor litterarum, hæc judicii summa, hæc totius causæ definitio, ut teneant qui tulerunt, sileant qui amiserunt: inter hæc autem pereat anima pro qua Chri-

(55) Promissio votum parentum spectat; donatio, pueri oblationem per eosdem factam, cujus forma

stus mortuus est, et hoc, quia Cluniacenses volunt. Fit professio super professionem, votetur quod non solvetur; proponitur quod non tenebitur; et cum primum pactum irritum factum sit, in secundo geminatur prævaricatio, et sit supra modum peccans peccatum (*Rom. vii, 13*).

7. Veniet, veniet qui male judicata rejudicabit, illicite jurata confutabit; qui faciet judicium injuriam patientibus (*Psal. cxlv, 7*), qui judicabit in justitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ (*Isai. xi, 4*): Veniet pro certo, qui per prophetam minatur in Psalmo dicens: *Cum accipero tempus; ego justitias judicabo* (*Psal. lxxiv, 3*). Quid faciet de injustis judiciis, qui ipsas quoque justitias judicabit? Veniet, inquam, veniet dies judicii: ubi plus valebunt pura corda, quam astuta verba; et conscientia bona, quam marsupia plena: quandoquidem Judex ille nec fallatur verbis, nec flectetur donis. Tuum, Domine Jesu, tribunal appello: tuo me judicio servo; tibi committo causam meam, Domine Deus sabaoth, qui judicas juste, et probas renes et corda (*Jerem. xi, 20*); cujus oculi sicut fallere nolunt, ita falli non possunt; tu vides qui tua, vides qui quærunt et sua (*I Cor. xiii, 5*). Tu nosti quibus ei visceribus in cunctis tentationibus suis semper adfuerim, quantis pro eo gemitibus aures tuæ pietatis pulsaverim, qualiter ad quæque illius scandala, perturbationes; molestias ego urebar, torquebar, alligebam. Et nunc timeo ne frustra. Puto enim, quantum expertus sum, adolescentis per se satis ferventis et insolentis nec corpori talia expedire fomenta, nec menti illa gloriæ tentamenta. Itaque, arbiter meus Domine Jesu, de vultu tuo judicium meum prodeat, oculi tui videant æquitatem (*Psal. xvi, 2*).

8. Videant et judicent, quid potius stare debuerit, an votum patris de filio, an filii de se ipso, præsertim cum filius aliquid majus devoverit. Videat et famulus tuus legislator noster Benedictus, quid regularius fuerit, utrum quod factum est de infante, nesciente ipso; an quod ipse per se postmodum prudens et sciens fecit, cum jam ætatem haberet ut de se loqueretur. Quanquam dubium non sit; promissum illum fuisse, non donatum (55). Nec enim petitio quam Regula præcipit, pro eo facta fuit a parentibus; nec manus illius cum ipsa petitione involuta palla altaris, ut sic offerretur coram testibus. Ostenditur deinde terra, quæ cum illo, et pro illo dicitur data fuisse, Sed si cum terra eum receperunt, cur non et cum terra eum retinuerunt? An forte requirebant magis datum quam fructum, et plaris æstimata est terra quam anima? Alioquin oblatus monasterio, quid quærebat in sæculo? nutriendus Deo, cur expositus erat diabolo? Ovis Christi cur inventa est patere morsibus lupi? De sæculo quippe, non de Cluniaco, te teste, Roberte, venisti Cistercium. Quæsisti, petisti, pulsasti; sed præcipitur a sancto Benedicto in Regulæ capite 59, quæ oblatio pueros olim ligabat.

pro tui adhuc teneritudine, te licet invito, dilatus es per biennium. Quo tempore patienter expleto, et absque calumnia, tuis demum precibus, multisque (si meministi) lacrymis, diu expectatam impetrasti misericordiam; et quem satis desideraveras ingressum, obtinuisti. Post hæc per annum juxta Regulam (*Reg. S. Benedicti*, capp. LVIII, 58, 59), in omni patientia probatus, perseveranter et sine querela conversatus, post annum sponte professus; tunc primum sæculari veste rejecta, religionis habitum suscepisti (56).

9. O insensate puer! quis te fascinavit non solvere vota tua, quæ distinxerunt labia tua? Annon vel ex ore tuo justificaberis, vel ex ore tuo condemnaberis? Quid de parentis voto sollicitus es, negligens tui; cum ex ore tuo, non illius, habeas B judicari; tuorum, non illius, vota labiorum exigendus sis? Et quid tibi 5 frustra quispiam blanditur de absolutione apostolica, cujus conscientiam divina ligatam tenet sententia? *Nemo*, inquit, *mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei* (*Luc. ix, 62*). Nunquid et hoc persuadebunt non esse retro respicere, qui dicunt tibi: *Euge, euge?* (*Psal. xxxix, 16.*) Filiole, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis (*Prov. i, 10*). Noli credere omni spiritui (*I Joan. iv, 1*). Sint tibi multi necessarii, unus autem sit sibi consiliarius de mille (*Eccli. vi, 6*). Tolle occasiones, respue blandimenta, adulationibus claude aures, te interroga de te, quia tu te melius nosti quam alius. Attende cor tuum, discite intentionem, consule veritatem: tua C tibi conscientia respondeat, cur abieris, cur Ordinem tuum, (57) cur fratres, cur locum, cur me, qui et tibi propinquus carne, et propinquior spiritu sum, deserueris. Si ut arctius, ut rectius, ut perfectius viveres; securus esto, quia non retro aspexisti: sed et gloriare cum Apostolo dicens: *Quæ retro oblitus, et ad ea quæ ante sunt extentus, sequor ad palmam gloriæ* (*Philipp. iii, 13*). Sin alias, noli altum sapere, sed time (*Rom. xi, 20*): quoniam, ut cum venia tui dixerim, quidquid tibi amplius indulges in victu, vestituque superfluo, in verbis otiosis, in vagatione licentiosa et curiosa, quam videlicet promisisti, quam apud nos tenuisti; hoc procul

A dubio retro aspicere est, prævaricari est, apostatare est (58).

10. Et hæc dico, fili, non ut te confundam, sed ut tanquam filium charissimum moneam: quia etsi multos habeas in Christo pædagogos, sed non multos patres (*I Cor. iv, 14*). Nam si dignaris, et verbo, et exemplo meo in religionem ego te genui. Nutrivi deinde lacte, quod solum adhuc parvulus capere poteras; daturus et panem, si expectares ut grandesceres. Sed heu! quam præpropere et intempestive ablactatus es! Et vereor ne totum quod foveram blandimentis, roboraveram adhortationibus, orationibus solidaveram; jamjamque evanescat, deficiat, pereat; et lugeam miser, non tam cassi laboris damnum, quam damnatæ sobolis miserabilem casum. Placetne tibi quod alius nunc gloriatur de te, qui nihil utique laboravit in te? Simile mihi contigit, quod et illi meretrici apud Salomonem: cui videlicet parvulus suus ab altera, quæ suum a se oppressum exstinxerat, furtim sublatus est (*III Reg. iii, 20*). Tu quoque de sinu mihi, et utero abscissus es. Ablatum gemo, repeto violenter avulsum. Non possum oblivisci viscera mea; quorum nimirum parte detracta non modica, non potest nisi torqueri pars reliqua.

11. Verumtamen quo tuo commodo, qua tui necessitate hoc nobis moliti sunt amici nostri? quorum manus sanguine plenæ sunt (*Isai. i, 15*; *Lix, 3*), quorum animam meam pertransivit gladius (*Luc. ii, 35*), quorum dentes arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus (*Psal. lvi, 5*). Nam utique mihi, si in 6 aliquo unquam eos offenderam (quod utique mihi conscius non sum), plenam prorsus rependere vicem. Mirum vero si non plus talione recepi; si videlicet tale aliquid in eos deliquisse potui, quale nunc ab eis pertuli. Nam, ut verum fatear, non os de ossibus meis, vel carnem de carne mea; sed tulerunt mihi gaudium cordis mei, fructum spiritus mei, coronam spei meæ, et (velut mihi sentire videor) animæ meæ dimidium. Utquid hoc? forte miserti sunt tui: et cæco cæcum ducenti indignantes, ne perires post me, in suum te transtulere ducatum. O molesta charitas! o dura necessitudo! Tantum tuam dilexere salutem, ut in meam impin-

D

(56) Nimirum pueri Deo oblato statim monasticis vestibus induebantur: adulti vero non nisi post annuam probationem, ex Regulæ capitibus 58, 59; qui ritus initio servatus apud Cistercienses ex hac epistola, postea mutatus est exemplo Cluniacensium, apud quod Novitiorum habitus Professorum vesti « omnino similis » erat, uti modo apud omnes, « præterquam quod, quandiu erant absque benedictione, » sic professionem vocabant, « sola cuculla carebant, » sic ex Udalrico, in libro II, cap. 1. Quo tempore Cistercienses hunc morem admiserint, vide librum VII de Vita S. Bernardi, cap. 15.

(57) Sic Bernardus in libro de Vita sancti Malachie, n. 36, Mailros « Ordinis nostri » monasterium vocat: et in epistola 2, n. 9, Ordinem aut disciplinam, quasi synonyma videtur usurpare. Confer epistolam 4, n. 2, et epistolam 198, n. 2. Petrus Vene-

rabilis nihilominus Cluniacenses et Cistercienses « ejusdem Ordinis viros » appellat in sequente epistola 229, n. 40; et n. 30, « unius nominis Ordinis maximas congregationes. » Denique Bernardus ipse Guillelmum abbatem sancti Theoderici « Ordinis nostri » virum appellat in epistola 79; et in epistola 42 « Ordinis nostri » abbates vocat etiam nigrorum (quos vocant) monachorum, n. 33. Diversum Ordinem dicit Nicolaus Claræ-Vallensis in sua epistola 22.

(58) Formidolosa sententia in monachos, qui laxiora quærentes, regulares institutiones pro minimo habent quibus « si pudor negat apostasiam corporis, timendum est ne tepor ipse paulatim ingerat apostasiam cordis, » ut loquitur Bernardus sermone 3. in Psalmum xc. Confer epistolam 382, maxime epistolam 313.

gerent. Nisi me perempto, tu salvati non poterat? A Et utinam ipsite absque me salvent. Utinam et si ego moriar, vel tu vivas. Sed quid? Salus ergo magis in cultu vestium, et ciborum est opulentia, quam in sobrio victu vestituque moderato? Si pelliciae lenes et calidae, si panni subtiles et pretiosi, si longae manicae et amplum caputium, si opertorium silvestre et molle stamineum (59), sanctum faciunt; quid moror et ego quod te non sequor? Sed haec infirmantium sunt fomenta, non arma pugnantium. Ecce enim qui mollihus vestiuntur, in domibus regum sunt (*Matth. xi, 8*). Vinum et similia, mulsum et pingua corpori militant, non spiritui. Frixuris non anima saginatur, sed caro. Multi in Ægypto fratres, multo tempore Deo sine piscibus servierunt (60). Piper, gingiber, cuminum, salvia, et mille hujusmodi species salsamentorum, B palatum quidem delectant, sed libidinem accendunt. Et tu mihi in his securitatem pones? tu cum hujusmodi tutam ducis adolescentiam? Prudenter sobriique conversanti satis est ad omne condimentum sal cum fame; qua sola non exspectata, necesse est alias atque alias de nescio quibus succis extraneis confici permissiones, quae videlicet palatum reparent, gulam provocent, excitent appetitum.

12. Sed quid faciet, inquis, qui aliud non potest? Bene. Scio quia delicatus es, et quod his assuetus modo, duriora non possis. Sed quid, si potes facere ut possis? Quæris quomodo? Surge, præcingere, tolle otium, exere vires, move brachia, complosas explica manus, exercitare in aliquo; et statim sen- C tias sola te appetere quae famem tollant, non fauces demulceant. Reddet quippe sapes rebus exercitium, quos tulit inertia. Multa quae respuis otiosus, post laborem sumes cum desiderio. Siquidem otium parit fastidium, exercitium famem; fames autem

(59) Hic notat Bernardus vestium genera, quae Cistercienses abjecerant, tanquam Regulæ contraria, cum in usu essent apud Cluniacenses. Quippe illi rejecerant « froccos, pelliceas, staminea, caputia quoque et femoralia, pectinia et coopertoria lectorum » ut legitur in parvo Exordio Cisterciensi. Hinc in libro Institutorum « cucullæ deforis floccatæ » rejiciuntur, cap. 15. Cluniacensibus apud Bernardum Cluniacensem, in codice manuscripto Consuetudinum Cluniacensium, cap. 30, inter alia conceduntur ad amictum « duo frocci et duæ cucullæ, stamineæ duæ, tria pellicia; » et ad lectum « capitale, coopertorium, supercoopertorium, lodex, et stragula. » Frocci a cucullis differebant materia et forma: quod cucullæ absque ullis, aut certe cum strictis manicis et angusto caputio; frocci amplis et manicis et caputiis, et quidem ex pretioso panno, quem froccum seu floccum (unde inditum froccis nomen) appellabant. Cucullis hæsit vetus flocci nomen vulgare apud nostros; Cisterciensibus cucullæ vocabulum, vulgo *couille*, ob innatum odium froccorum. Coopertorium silvestre sancto Bernardo est primum stragulum ex pellibus animalium ferarumve silvestrium. Cattinum redarguit Apologia ad Guillelmum, n. 24, Bernardus Cluniacensis jam dicto loco: « Coopertoria, quæ non licet esse discooperia, aut agnini sive putini, seu leporini generis, et nunquam de ullo genere majoris pretii. » Confer Vitæ librum iv, n. 36.

(60) Hinc patet, Cisterciensibus pisces in usu tunc non fuisse (nisi rarius, et in itinere, ut ex

A miro modo dulcia reddit, quæ fastidium facit insipida. Olus, fabæ, pultes, panisque cibarius (60\*) cum aqua, quiescenti quidem fastidio sunt, sed exercitato magnæ videntur deliciae. Jam forte tunicis dissuetus (61) exhorres nimium eas, tam propter hiemis frigus, quam propter ætatis ardorem: sed 7 nunquid legisti, *Qui timet pruina, veniet super eum nix?* (*Job vi, 16*.) Vigiliis times et jejunia, manuumque laborem: sed hæc levia sunt meditati flammæ perpetuas. Recordatio deinde tenebrarum exteriorum facit non horrere solitudinem. Si futuram cogitas de verbis otiosis discussionem (*Matth. xii, 56*), non valde displicebit silentium. Fletus æternus et stridor ille dentium, ante cordis oculos reductus, pares tibi reddet mattam et culcitram. Denique si totum de nocte, quod Regula præcipit (*Reg. S. Benedicti, cap. 9 sqq.*), bene ad psalmos vigilaveris; nimis durus erit lectus, in quo quiete non dormias. Si tantum in die, quantum professus es, manibus laboraveris; durus erit cibus quem libenter non comedas.

13. Surge, miles Christi, surge, excutere de pulvere, revertere ad prælium unde fugisti, fortius post fugam præliaturus, gloriosius triumphaturus. Habet quidem Christus multos milites qui fortissime ceperunt, steterunt, vicerunt: paucos autem qui de fuga conversi, rursus se periculo ingesserint quod declinaverant; rursus fugarint hostes quos fugiebant. Et quia omne rarum pretiosum; gaudeo te de illis posse esse, qui quanto rariores, tanto apparebunt gloriosiores. Alias autem si multum timidus es, cur vel times ubi non est timor, non autem times ubi magis est timendum? An quia fugisti ex acie, putas te manus hostium evasisse? Libentius te insequitur adversarius fugientem, quam sustineat repugnantem;

Vitæ libro vii, cap. 20); imò neque ova, neque vinum, ex numero sequenti. De ovis id colligitur ex epistola Fastredi abbatis, edita hic post Bernardinas, ubi Novitius inter extremi morbi nauseam, « ovi cocti desiderio affectus, » abstinentiam ad finem usque servavit. Ibidem « herbæ sine oleo et abdomine coctæ » dicuntur: et Bernardus ipse « pultes ex farina » confectas, « addito oleo et melle, » non butyro, « cum scrupulo » comedit ad stomachum calefaciendum. Hanc epistolam perlege cum sequente epistola Petri de Roya, in qua Claræ-Vallenses cerevisia, ejusque loco aqua simplici usos legimus, « raro vino, » et quidem « misto aqua plurima, » quali ob infirmitates vix ex obedientia utebatur Humbertus, de quo Bernardus in Sermonibus de Sanctis, n. 4; item Bernardus ipse ex libro primo de ejus Vita, n. 46: vide sermonem 30 in Cantica. De vinea Claræ-Vallensi maledicta, vide Joannem Eremitam in libro secundo de Vita Bernardi, n. 10.

(60\*) Quali pane uterentur eo tempore Claræ-Vallenses, docet liber secundus de Vita S. Bernardi, n. 6; et Fastredi epistola mox laudata panem « ex avena » confectum habet.

(61) Nempe tunicas corpori adhærentes gerebant Cistercienses absque intermedia interula, lanæ seu staminea ex dictis: non tamen cilicium, ex libro primo de Vita Bernardi, n. 39. Vide præfationem in tomum II.



et audacius insistit a tergo, quam resistat in faciem. **A** Securus nunc projectis armis capis matutinos somnos, cum illa hora Christus surrexerit: et ignoras quod exarmatus, et tu timidior, et hostibus minus timendus sis? Armatorum multitudo circumvallaverunt domum, et tu dormis? Jam ascendunt aggerem, jam dissipant sepem, jam irruunt per posticum. Tutiusne est ergo tibi ut te inveniant solum, quam cum aliis; nudum in lectulo, quam armatum in campo? Expergiscere, sume arma, et fuge ad commilitones tuos, quos fugiens deserueras; ut qui te ab eis disunxerat, ipse te denuo timor jungat. Quid armorum refugis pondus et asperitatem, delicate miles? Adversarius instans et circumvolantia spicula facient clypeum non esse oneri, lorica non sentiri vel galeam. Et quidem subito procedenti de umbra ad solem, de otio ad laborem, grave cernitur omne quod incipit; sed postquam ab his dissuescere, et ad illa se paulisper assuescere coeperit, usus tollit difficultatem, invenitque facile esse quod impossibile ante putavit. Solent etiam fortissimi milites audita buccina ante congressum trepidare; at ubi ad praelium ventum fuerit, spes victoriae, et timor ne vincantur, reddit intrepidus. Quid vero tu trepidas, quem fratrum unanimitas armorum circummuniet, cui Angeli assistent a latere, quem dux belli Christus praebit, suos animans ad victoriam, et dicens: *Confidite, ego vici mundum?* (Joan. xvi, 33.) Si Christus pro nobis, quis contra nos? (Rom. viii, 31.) Securus potes pugnare, ubi securus es de victoria. O vere tuta cum Christo, et pro Christo pugna! in qua nec vulneratus, nec prostratus, nec conculcatus, nec millies (si fieri possit) occisus, fraudaberis a victoria, tantum ne fugias. Sola causa, qua perdere possis victoriam, fuga est. Fugiendo potes illam amittere, moriendo non potes: et beatus si pugnando moriaris, quia mortuus, mox coronaberis. Vae autem tibi, si declinando pugnam, perdis et victoriam simul et coronam! Quod ipse avertat a te, fili dilectissime, qui in iudicio de his meis litteris majorem tibi habet inferre damnationem, si nullam ex eis in te repererit emendationem.

### § EPISTOLA II (62).

AD FULCONEM PUERUM QUI POSTEA FUIT LINGONENSIS ARCHIDIACONUS (63).

*Fulconem canonicum regularem, quem avunculus blanditiis et promissis ad saeculum retraxerat, graviter et serio monet, ut potius Deo quam avunculo obediat et adhaereat.*

Bonae indolis adolescenti FULCONI, frater BERNARDUS peccator, inde laetari in adolescentia, unde in senectute non poeniteat.

1. Non miror si mireris, sed miror si non mireris; unde mihi ut ad te scribere vellem, civem rusticus, scholasticum (64) monachus, cum nulla hinc tibi occasio necessaria occurrat, nulla se ratio patens

(62) Scripta circa annum 1120.

(63) Sic titulus in manuscriptis; ex quo patet Fulconem Bernardi monitis non obtemperasse, sed

ostendat. At si attenderis quod scriptum legis, *Sapientibus et insipientibus debitor sum* (Rom. i 14); et illud, *Charitas non quaerit quae sua sunt* (I Cor. xiii, 5): forsitan intelliges quidquid illa jusserit, non esse praesumptum. Charitas enim ad te objurgandum me compulit, quae tibi condolet, quamvis non dolenti; quae tibi miseretur, licet non miserabili. Et inde magis dolet, quod cum sis dolendus, non doles: et inde magis miseretur, quod cum miser sis, miserabilis non es. Nec frustra forsitan tibi compatitur, dummodo patienter tu audias unde compatiatur. Vult te tuum sentire dolorem, ut jam non habeas unde dolere: vult te tuam scire miseriam, ut incipias miser non esse. O bona mater charitas, quae sive soveat infirmos, sive exercent profectos, sive arguat inquietos; diversis diversa exhibens, sicut filios diligit universos! Cum te arguit, mitis est; cum blanditur simplex est. Pie solet saevire, sine dolo mulcere: patienter novit irasci, humiliter indignari. Ipsa est quae hominum mater et Angelorum, non solum quae in terris, sed etiam quae in caelo sunt, pacificavit. Ipsa est quae Deum homini placans, hominem Deo reconciliavit. Ipsa est, mi Fulco, quae fratres illos, cum quibus olim dulces capiebas cibos, habitare facit unius moris in domo (Psal. lxxvii, 7). Haec talis tamque honorabilis mater a te se queritur offensam, expostulat laesam. Laesa tamen non provocat: sed spreta te revocat, ostendens tibi in te de se veraciter scriptum esse, *Charitas patiens est, benigna est* (I Cor. xiii, 4). Licet laesa, licet offensa, si conversus fueris ad illam, obviabit tibi quasi mater honorificata. Contemptus oblita sui, ruet in amplexum tui; gaudens quem perdiderat, esse inventum; qui mortuus fuerat, vivum (Luc. xv, 32).

2. Sed in quo, inquis, laesi? in quo contempsi? Audi. In eo, procul dubio, quod te quem sinu suo lacte nutriendum materno susceperat, ante tempus ablaetasti; quod expertam lactis dulcedinem, in quo posses creescere in salutem, tam leviter, tam celeriter exsufflasti. O puer insensate! o puer magis sensu quam aetate! quis te fascinavit a bene incepto itinere tam cito discedere? Avunculus, inquis. Sic Adam quondam uxorem, uxor serpentem ad excusandas excusationes in peccatis (Psal. cxl, 4), praetendebant, uterque tamen suae culpae dignam excepit sententiam (Gen. iii, 16). Nolo decanum accuses, nolo te per illum excuses: inexcusabilis enim es. Illius culpa tuam non excusat. Quidam ille fecit? Nunquid te rapuit? nunquid vim intulit? Rogavit, non ligavit; blandiendo attraxit, non violenter traxit. Quis te cogebat credere blandienti, assentire attrahenti? Ille sua nondum reliquerat; quid mirum si te qui suus eras, requirebat? Si agnum de grege, vitulum de armento cum perdit, requirit, et nemo causatur; te quoque, qui multis ovibus vel vitulis apud eum plaris es, adem-

in saeculo remansisse.

(64) Scholarem puerum, infra n. 8, id est adolescentem.

ptum si repetit, quis inde miretur? Siquidem non usurpat illam sibi perfectionem, de qua dicitur: *Si quis abstulerit tua, ne repetas* (*Luc. vi, 50*). Repe-tebat ergo suum, qui sua adhuc tenebat. At tu qui jam sæculum spreveras, sæcularem sequi debe-bas? Fugit ovis tremebunda, veniente **9** lupo; abscondit se columba tremens, accipitre viso; de cavernula sua mus esuriens exire non audet, am-biente cato: et tu cum videbas furem, currebas cum eo? (*Psal. XLIX, 18.*) Nam quid aliud quam fu-rem dixerim, qui pretiosam Christi margaritam, id est animam tuam, furari non dubitaverit?

3. Voiebam, si possem, illius errorem dissimula-re, ne odium et nullum fructum consequerem ex ve-ritate. Sed non potui, fateor, intactum transire, quem usque ad hanc diem comperi Spiritui sancto **B** pro viribus restitisse. Nam qui manum non retinet a malo quo [*al. quod*], potest, licet quandoque fru-stretur effectus, non minus culpatur affectus. In me certe fervorem novitium extinguere voluit; sed, Deo gratias, non valuit. Alteri quoque nepoti suo Guirri-co, cognato tuo, multum restitit: sed quid nocuit? Imo plurimum præstitit. Destitit invitus tandem se-nex avunculus a persecutione; exstitit invictus puer nepos, gloriosior de tentatione. Sed heu! quomodo te vicit, qui illum vincere non potuit? Aut quomodo qui te vicit, ab illo superatus est? Nunquid te fortior ille? nunquid prudentior? Certe qui antea utrumque noverant, Guirrico Fulconem præferebant. At postquam ventum est ad bellum, exitus indicavit **C** hominum errasse iudicium. Ibi, proh pudor! fugit qui præferebatur, ubi fortiter vicit qui inferior cre-debatur.

4. Sed quid de avunculi dicam malitia, qui a Christi militia retrahit nepotes suos, ut secum tra-hat ad inferos? Itane solet beare amicos? Quos Christus vocat secum in æternum mansuros; avun-culus revocat secum in æternum arsueros. Miror si jam Christus ei non irascatur, et dicat: *Quoties vo-lui congregare nepotes tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti? Ecce re-linquetur tibi domus tua deserta* (*Matth. XXIII, 37*). Christus dicit, *Sinite parvulos venire ad me; talium enim est regnum cælorum* (*Matth. XIX, 14*): avunculus ait, *Sinite nepotes meos ut ardeant mecum.* Chri-stus dicit, *Mei sunt, mihi debent servire:* Sed oportet, inquit avunculus, eos mecum perire. Christus dicit: *Mei sunt, ego illos redemi:* Sed ego, inquit avunculus, eos nutriti. Tu quidem, ait Christus, illos nutriti, sed pane meo, non tuo; ego vero redemi non sanguine tuo, sed meo. Sic carnalis avunculus contra Patrem spirituum pro nepotibus certat, quos dum bonis cupit onerare ter-renis, cælestibus exhæredat. Christus tamen non rapinam arbitratus, si suos quos fecit et redemit sanguine proprio, ad se venientes collegerit, juxta quod ante promiserat, *Et eum qui venit ad me, non ejiciam foras* (*Joan. vi, 37*), Fulconi primo pul-santi lætus aperuit, lætis amplexibus lætum exce-

pit. Quid plura? veterem hominem exiit, et no-vum induit; quodque solo nomine exstiterat, moribus et vita canonicum profitetur. Fama volat, bonus odor Christo; rei novitas circumquaque dif-fusa pervenit ad aures avunculi.

5. Quid ergo faceret carnalis nutritius, qui car-nis, quam nutrierat, quam carnaliter amabat, sola-tium perdebat? Etsi aliis fuit res illa odor vitæ ad vitam (*II Cor. II, 16*), sed non illi. Quare? Quia *animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Stultitia enim illi videtur* (*I Cor. II, 14*). Nam si spiritum Christi haberet, non tam de carne doleret, quam gauderet de spiritu. Sed quia terrena, non quæ sursum sunt, sapiebat, turbatus et tristis tale aliquid secum volvebat: Quid audio? vae mihi! a quanta spe cecidi! Sed quid? debetne stare quid-quid absque meo consilio, absque mea licentia fe-cerit? Quod jus, quæ lex, quæ justitia, quæ ratio, ut quem ex utero nutriendum suscepi, alius fruatur adulto? Jam caput aspersum canis, heu! vitæ meæ reliquum expendam cum mœrore, quia me deseruit baculus senectutis meæ. Heu mihi! si hac nocte expetitur a me anima mea, quæ paravi, cujus erunt? (*Luc. XII, 20.*) Promptuaria mea plena, eru-ctantia ex hoc in illud: oves meæ fetosæ, abun-dantes in egressibus suis; boves meæ crassæ cui re-manebunt? (*Psal. CXLIII, 13.*) Prædia, prata, domus, argentea vasa et aurea, **10** cui congregata sunt? Ditiores quosque ac quæstuosiores ecclesiæ meæ ho-nores acquisieram mihi; reliquos, etsi non licebat habere, spe tamen in Fulcone tenebam. Quid igitur faciam? Propter illum unum tot et tantâ perdâm? Nam quidquid sine illo possederim, amisisse me ju-dico. Quin potius et ista retinebo, et illum revocabo si potero. Sed quomodo? Factum est, auditum est. Quod factum est, non potest non fieri: quod audi-tum est, celatum esse non poterit. Fulco canonicus est regularis; si revertitur ad sæculum, notabilis erit et infamis. Sed tolerabilius est hoc audire de illo, quam vivere sine illo. Cedat ergo nunc hone-stas utilitati, pudor necessitati. Malo non parcere verecundiæ pueri, quam miserabili subjacere tristi-tiæ.

6. Acquiescens itaque consilio carnis, rationis oblitus et legis, tanquam leo paratus ad prædam (*Psal. XVI, 12*), et sicut læna raptu catulo rapiens et fugiens, sacra non veritus, sanctorum irrupit ha-bitaculum, in quo tirunculum suum Christus ab-sconderat a contradictione linguarum, postmodum admisturus consortio Angelorum. Quærit ac flagitat reddi sibi nepotem suum; queritur et clamat inju-ste se ab illo relictum, Christo reclamante et dicen-te: Quid agis, miser? quid furis? quid me perse-queris? Non sufficit tibi, quod tuam, tuoque exemplo multorum mihi animas tuleris, si non etiam hunc ausu sacrilego rapias de manu mea? Non times tu futurum iudicium? an contemnis terrorem meum? Cui hoc facis? cui bellum indicis? Terribili utique, et ei qui aufert spiritum principum (*Psal. LXXV, 13*).

Insane, redi ad cor tuum; memorare novissima tua. A et non peccabis (*Eccli. vii, 40*): memorare quæ tua substantia, et utiliter timebis. Et tu puer, inquit, si assenseris, si acquieveris, morte morieris (65). Memento uxoris Lot de Sodoma quidem ereptæ, quia Deo credidit; sed in via mutatæ, quia retro aspexit (*Gen. xix, 26*). Disce in Evangelio quod non liceat retro aspicere ei, qui semel manum ad aratrum misit (*Luc. ix, 62*). Avunculus tuus quærit animam tuam, qui jam perdidit suam. Verba oris ejus, iniquitas et dolus. Noli intelligere, fili mi, ut male agas (*Psal. xxxv, 4*); noli intendere in vanitates et insanias falsas (*Psal. xxxix, 5*). Ecce in via qua ambules, abscondit laqueos, tetendit retia. Molliti sunt sermones ejus super oleum, et ipsi sunt jacula (*Psal. lrv, 22*). Vide, fili mi, ne capiaris a labiis iniquis, et a lingua dolosa. Configat carnes tuas divinus timor, ne te decipiat carnalis amor. Blanditur, sed sub lingua ejus labor et dolor; lacrymatur, sed insidiatur; insidiatur ut rapiat pauperem, rapere pauperem dum attrahit eum (*Psal. x, 7, 9*). Cave, inquam, fili mi, ne acquiescas carni et sanguini (*Galat. i, 16*); nam gladius meus devorabit carnes (*Deut. xxxii, 42*). Sperne blandimenta, contemne promissiones. Promittit magna, sed ego majora; offert plura, sed ego plurima. Dimittes ergo pro terrenis cœlestia, pro temporalibus æterna? Alioquin oportet te solvere vota tua, quæ distinxerunt labia tua. Juste exigitur ad solvendum, qui non cogitur ad vovendum: nam etsi cum pulsares, non repuli; tamen ut intrares, non compuli. Non licet ergo dimittere quod sponte promisisti: non est fas requirere quæ per te dimisisti. En utrumque vestrum præmoneo, utrique salubriter consulo. Tu, inquit ad avunculum, regularem ne reducas ad sæculum; quia si reducis, seducis quem apostatare facis. Tu, regularis, sæcularem ne sequaris; quia si illum sequeris, me persequeris, cui de te ipso injuriam facis. Tu si seduxeris animam pro qua mortuus sum, crucis meæ te constituis inimicum. Qui enim non colligit mecum, dispergit (*Matth. xii, 30*); quanto magis qui collectos dispergit? Tu vero si ei consentis, a me dissentis; quia qui non est mecum, contra me est (*Ibid.*). Quanto magis qui mecum fuit, si me deserit, contra me est? Tu si circumvenis parvulum qui ad me venit, seductor ac sacrilegus judicaberis: tu vero si quod ædificaveras, iterum destruis; prævaricatorem te constituis. Ambos vos necesse est meo iudicio præsentari, ambos assistere meo tribunali: alter de propria prævaricatione, **¶** alter de alterius seductione judicabitur; et unde alteri in iniquitate sua morietur, inde morientis sanguis de manu alterius requiretur (*Ezech. iii, 18*). Hæc et his similia, utriusque teste conscientia, utrique, Christe, invisibiliter, sed terribiliter intonabas; his

(65) Solet Bernardus de salute eorum dubitare, qui ad religionem vocati, Deo vocanti non acquieverunt; nedum qui ingressi, sed non professi, in sæcu-

lucis sacræ monitis amborum mentes pie terrendo pulsabas. Quis ad hæc non timeret, timendo recipisceret, nisi qui more aspidis surdæ et obturantis aures suas, vocem venefici incantantis sapienter, aut non audiret (*Psal. lvn, 5, 6*), aut se audire dissimularet?

7. Sed usquequo jam satis vel nimis longam protrahimus epistolam, dum inviti loquimur rem silentio dignam? Cur tantis circuitibus ad veritatem ambimus, dum pudenda revelare timemus? Dicam tamen, dicam cum pudore, quod multis cognitum, occultare etsi volo, non valeo. Sed quare cum pudore? Ut quid me scribere pudeat, quod illos non puduit facere? Si pudeat audire quod impudenter egerunt; non pudeat emendare quod libenter non audiunt. Proh dolor! neutrum illorum revocare potuit, aut illum a seductione timor et ratio; aut hunc a prævaricatione pudor et confessio. Quid plura? verba præcipitationis concinnat lingua dolosa: concepit dolorem, et persuasit iniquitatem. Subvertit perversus conversum: revertitur canis ad vomitum (*II Petr. ii, 22*). Ecclesia vestra suum recepit alumnum, quem melius habebat amissum. Sic Lugdunum olim, studio similiter et industria sui decani, ejusdem decani nepotem, suum canonicum, quem bene perdiderat, male recuperavit. Sicut ille Fulconem beato Augustino, sic Othbertum iste sancto Benedicto subripuit. O quam ordinatius ipse cum sancto sanctus efficeretur, quam cum perverso sanctus perverteretur! o quam pulchrius senem sæcularem puer religiosus ad se traheret, et sic vinceret uterque, quam religiosum sæcularis ad se retraheret, in quo victus est, uterque! O senem infelicem! o avunculum crudelem! qui jam decrepatus, statim moriturus, nepotis animam prius interfecit; quem ut peccatorum suorum haberet hæredem, a Christi sorte privavit! Sed qui sibi nequam est, cui bonus? (*Eccli. xiv, 5*.) Maluit in suis facultatibus habere successorem, quam pro iniquitatibus intercessorem.

8. Sed quid ad me de decanis magistris nostris, qui principatum meruerunt in ecclesiis? Clavem scientiæ tenent, et primas cathedras in conventibus possident. Viderint ipsi qualiter subditos judicent, fugitivos revocent, revocatos, si ita voluerint, iterum effugent, dispersos colligant, collectos dispergant: quid ad me? Fateor, aliquantum in illos propter te, mi Fulco, modum nostræ parvitatatis excessi; dum tuam de illis cupio palliare verecundiam, temperare culpam. Omitto ergo illos, ne non tam reprehensioni, quam reprehensori juste indignentur; nec tam de sua correctione cogitent, quam mihi de præsumptione calumnientur. Non Ecclesiæ principem, sed puerum scholarem objurgare suscepi, qui nesciat indignari, non norit irasci. Nisi forte et tu sensu, non malitia parvulus, idipsum redierint. Confer epistolas 107 et 108. At Fulco religionem professus erat.

sum mihi calumnieris, et dicas: Imo quid mihi et ipsi? quid ad illum de peccato meo? Nunquid ego sum monachus? Et ad hoc, fateor, quod respondeam non habeo; nisi quod confisus sum tum de tua, quam in te credidi, ingenita mansuetudine, tum de Dei claritate, qua et in principio epistolæ excusasse me memini. Ejus zelo tantum tui erroris misertus, tantum tuæ miseriæ compassus sum, quatenus supra modum et morem meum de te non meo me intromiserim. Gravis lapsus tuus ac miserabilis casus provocavit me ut hoc præsumpserim. Quem enim coætaneorum tuorum me vidisti arguere? cui vel brevissimas aliquando litteras direxisse? Non tamen quod omnes cæteros sanctos putaverim, aut nihil in eis reprehensione dignum invenerim.

9. Cur ergo, inquis, singulariter me reprehendis, cum et in aliis videas quod justius forsitan reprehendere possis? Ad quod ego: Propter singularitatem erroris tui, propter immanitatem peccati tui. Nam etsi **12** plerique alii perditæ vivunt, etsi inordinati et indisciplinati sunt; nondum tamen ordinem aut disciplinam professi sunt. Sunt quidem peccatores, sed non prævaricatores. Tu vero quantumlibet modeste et honeste vivas; si caste, si sobrie, si omnino religiose te habeas: Deo tamen minus accepta est tua religio, quam deturpat voti prævaricatio. Idcirco, charissime, ne te tuis coætaneis compares, a quibus professio te separat; nec respectu sæcularium de tua tibi forte paulo graviori continentia blandiaris, cum tibi Dominus dicat: *Utinam te calidum aut frigidum invenissem.* Hic ostenditur aperte, quia minus Deo tepidus places, quam si vel quales illi sunt, frigidus esses. Illos utique Deus patienter expectat de frigore quandoque ad calorem proficere, te vero indignans advertit de calore jam in teporem defecisse. Et quia tepidum te inveni, *incipiam*, inquit, *te evomere ex ore meo* (Apoc. III, 15, 16). Et merito, quia tu ad tuum vomitum redisti, quia tu ejus gratiam evomisti.

10. Heu! quomodo Christum tam cito fastidis de quo scriptum est: *Mel et lac sub lingua ejus?* (Cant. IV, 11.) Miror, quod ad gustum cibi dulcissimi nausearis; si tamen gustasti quam dulcis est Dominus. Aut certe nondum gustasti, et nescis quid sapit Christus; ideoque non appetis inexpertum: aut si gustasti, et dulce non sapuit, sanum non habes palatum. Ipse quippe Dei est sapientia, quæ ait: *Qui comedit me, adhuc esuriet; et qui bibit me, adhuc sitiet* (Eccli. XXIV, 29). Sed quomodo potest esurire vel sitire Christum, plenus quotidie siliquis porcorum? Non potes bibere simul calicem Christi, et calicem dæmoniorum (I Cor. X, 20). Calix dæmoniorum superbia est, calix dæmoniorum detractio et invidia est, calix dæmoniorum crapula et ebrietas est; quæ cum impleverint vel mentem vel ventrem tuum, Christus in te non invenit locum. Non mireris quod dico. In domo avunculi tui non potes inebriari

ab ubertate domus Dei. Cur, inquis? Quia domus deliciarum est. Quomodo ignis et aqua simul esse non possunt, sic spirituales et carnales deliciae in eodem se non patiuntur. Ubi crapulam ructantis inter pocula senserit Christus, vina sua, dulciora super mel et favum, menti propinare non dignatur. Ubi curiosa ciborum diversitas, ubi divitis supellectilis discolor varietas oculos pariter pascit et ventrem, coelestis panis jejunam deserit mentem. Eia lætare, juvenis, in adolescentia tua, ut decedente pariter cum ætate temporali lætitia, succedat quæ te absorbeat æterna tristitia. Sed absit hoc ab adolescentulo nostro, avertat hoc Deus a puero suo. Quin potius disperdat Dominus universa labia dolosa eorum qui tibi tale concilium donant, qui dicunt tibi quotidie, Euge, euge; et quærunt animam tuam. Hi sunt cum quibus habitas, quorum prava colloquia [al. concilia] adolescentis bonos mores corrumpunt.

11. Sed quamdiu jam non exis de medio eorum? Quid facis in urbe, qui claustrum elegeras? quid tibi cum sæculo, qui sæculum spreveras? Funes ceciderunt tibi in præclaris, et tu opibus inhias terrenis? Si vis habere simul et hæc et illa, breviter tibi respondebitur: *Memento, fili, quia recepisti bona in vita tua* (Luc. XVI, 25). *Recepisti* dixit; non, *Rapuisti*: ne etiam de hoc tibi frustra blandiaris, quod tuis contentus, aliena non rapias. Verumtamen quæ sunt illa tua? Beneficia Ecclesiæ? Recte. Quia surgis ad vigiliis, vadis ad missas, horis chorum nocturnis diurnisque frequentas; bene facis. Sic Ecclesiæ præbendam gratis non accipis. Dignum est ut qui altario deservit, de altario vivat. Conceditur ergo tibi, ut si bene deservis, de altario vivas; non autem ut de altario luxurieris, ut de altario superbias, ut inde compares tibi frena aurea, sellas depictas, calcaria deargentata, varia griseaque pellicea a collo et manibus ornatu purpureo diversificata. Denique quidquid præter necessarium victum ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est; rapina est, sacrilegium est. Orabat quidem sapiens tantum victui suo tribui necessaria non superflua (Prov. XXX, 8). **13** *Habentes*, ait Apostolus, *victum et vestitum* (I Tim. IV, 8); non, *victum et ornatum*. Et quidam alius sanctus: *Si dederit, inquit, mihi Dominus panem ad manducandum, et vestimentum quo operiar* (Gen. XXVIII, 20). Nota, *quo operiar*. Sic ergo et nos contenti simus vestimentis quibus operiamur, non quibus lasciviamus, non quibus superbiamus, non quibus mulierculis vel simulari, vel placere studeamus. Sed hoc faciunt, inquis, cum quibus habito; si non facio quod cæteri, de singularitate notabor. Propterea, inquam, exi de medio eorum. ne aut in urbe notabiliter vivas, aut exemplo pereas aliorum.

12. Quid agis in urbe, delicate miles? Commilitones tui quos fugiens deseruisti, pugnant et vincunt; pulsant et intrant; cælum rapiunt et regnant.

et tu sedens super ambulatorem tuum, indutus purpura et bysso, circuis plateas, vicos perambulas? Hæc sunt pacis ornamenta, non belli munimenta. An dicis, *Pax et non est pax?* (*Exech. xiii, 10.*) Purpura non propulsat libidinem, non superbiam, non avaritiam repellit; et si qua sunt alia ignea inimici jacula, non exstinguit. Denique, quod magis metuis, febrem non prohibet, mortem non arcet. Ubi sunt arma bellica? ubi scutum fidei? ubi galea salutis? ubi patientiæ lorica? Quid trepidas? Plures sunt nobiscum, quam sum illis. Sume arma, resume vires, dum adhuc prælium durat. Adsunt Angeli spectatores et protectores; adest ipse Dominus adiutor et susceptor, qui doceat manus tuas ad prælium, et digitos tuos ad bellum (*Psal. cxliii, 1*). Procedamus in adiutorium fratrum, ne si forte sine nobis pugnent, sine nobis vincant, sine nobis ingrediantur; novissime cum clausa fuerit janua, sero pulsantibus, nobis de intus respondeatur: *Amen dico vobis, nescio vos* (*Matth. xxv, 12*). Fac, quæso, te prius sciri, fac te prius videri: ne tunc nesciaris ad gloriam, sciaris autem ad pœnam. Si te Christus agnoscit in bello, recognoscet in cœlo; et sicut promisit, manifestabit tibi se ipsum (*Joan. xiv, 21*); si tamen, et tu pœnitendo et resipiscendo talem te exhibueris, ut cum fiducia dicere possis: *Tunc cognoscam, sicut et cognitus sum* (*I Cor. xiii, 12*). His interim admonitionibus verendum adolescentis animum pulsatum esse sufficiat. Jam enim nostris etiam precibus pro eo divina pulsanda est pietas; quæ si ad ictus nostrarum invectionum ejus mentem vel parum mollitam invenerit, confido de ipsa, quod citius nos de ipso lætificabit.

### EPISTOLA III (66).

AD CANONICOS REGULARES DE AILDICURTE.

*Laudibus suis se terreri magis, quam demulceri.*

(66) Scripta anno Christi 1120.

(67) Hunc titulum sic restituimus ex codice Corbeiensi. Quinam sint isti canonici regulares, non liquet.

(68) Hic dictus de Campellis, mortuus anno 1121, Bernardi in primis amicus, in ejus Vita laudatus non semel. Ante episcopatum, abdicato docendi munere, secesserat ad monasterium Sancti-Victoris Parisiense, Hildebertus, Cenomannensis tunc episcopus, ei de hoc facto gratulatur epistola prima, quæ sine titulo in editis, in codice Sancti-Taurini Ebroicensis inscripta est « ad Willelmum de Campellis. » Conon cardinalis et legatus in Mauriniacense prope Stampas cœnobium accessit anno 1120, « habens secum velut auxiliatorem magnum Willelmum Catalaunensem episcopum, qui sublimes scholas, id est theologicas, « rexerat; et tunc zelum Dei habens, super omnes episcopos totius Galliæ divinarum Scripturam scientia fulgebat: » ex Chronico Mauriniacensi. Unde redarguas eos qui ejus obitum reponunt anno 1119. Hugo Metellus in epistola 4, ad Innocentium, occasione Abælardi, qui Guillelmi discipulus et adversarius fuerat: « Mortuo, » inquit, « Anselmo Laudunensi et Guillelmo Catalaunensi, ignis verbi Dei in terra defecit. » De hoc Guillelmo ita anonymus auctor apud Chesnium, in notis ad Abælardum: « Eodem tempore, » inquit, « magister Willelmus de Campellis, qui fuerat archidiaconus Parisiensis, vir admodum litteratus et religiosus, assumens habitum canonici regularis, cum aliquibus discipulis extra urbem Parisius, in loco ubi erat capella quædam S. Victoris martyris, cœpit ædificare monaste-

*Deinde quosdam ex canonicis S. Augustini, a se susceptos non esse impediendos.*

Clericorum qui sunt in loco qui dicitur Aildicurtis, Deo servientium, sancto conventui, magistro S. et discipulis, pusillus grex Claræ-Valleusium fratrum, et eorum qualiscumque minister frater BERNARDUS, in spiritu ambulare, et spiritualiter omnia examinare (67).

Exhortatio illa in litteris vestris tam salubris, tam compendiosa, magna quidem scientiæ mira charitatis vestræ indicia, mirantibus nobis et congratulantibus præfert. Sed quod de laudibus nostris pro vestra devotione, quæ tamen non probastis, tam excellentiæ præmisistis; etsi ad humilitatis quoque formam (quantum ex vobis est) non mediocriter instruere nos potuit, conscientias tamen nostras multo inferius jacentes, quantum in nobis est, vehementer exterruit. Quis enim nostrum suam attendens conversationem, tanta **14** de se et tam indebita, sine magno vel metu, vel periculo possit audire? De hujusmodi quippe alieno, seu etiam proprio se judicio committere, securum non est. Qui enim judicat nos, Dominus est (*id. iv, 4*). Cæterum de fratribus, de quorum salute vestram nimirum charitatem sollicitam esse cognovimus, ut securos vos reddamus; noveritis multorum illustrium virorum, et maxime clarissimi viri Willelmi (68) Catalaunensis episcopi, hortatu et consilio ad nos declinasse, seque a nobis suscipi multis precibus ac supplicationibus impetrasse: ea videlicet intentione, ut ob tenorem arctioris vitæ, ab institutionibus beati Augustini ad observantias sancti Benedicti Dei adiutorio sic transeant, ut tamen ab ejus magisterio qui unus est omnibus Magister in cœlo et in terra (*Matth. xxiii, 8*), non discedant; illamque primam fidem, quam apud vos,

rium clericorum, » quod postea Ludovicus Grossus rex magnifice consummavit. « Assumpto autem illo ad episcopatum Catalaunensem, » anno scilicet 1115, ut habet Albericus in Chronico, « venerabilis Gilduinus ejus discipulus primus abbas ibi factus est. » Is ipse est Guillelmus, qui sanctum Bernardum abbatem consecravit, libro primo Vitæ, cap. 7; eumque tam impense coluit, ut cum Sanctus in gravem infirmitatem incidisset, ejus curam suscepit; ibid. ubi plura de eo. Diem feliciter clausit, non quidem anno 1119, ut multi volunt, ejus ordinationem ad annum 1112 referentes; sed anno 1121, ut scribit idem qui supra Albericus, cui suffragantur vetera monumenta Ecclesiæ Catalaunensis et Acta episcoporum ejusdem Ecclesiæ apud Carolum Rapineum. De eo Roberius de Hoveden, Annalium parte prima, ad annum 1121, ita scribit: « Willelmus de Campellis, Catalaunensis episcopus, octo diebus ante obitum suum, suscepto habitu monachico » (nempe cum in lecto morti proximus decumberet, pro more illorum temporum) « vita decessit decimo quinto Kalendas Februarii. » Qua in re variat Necrologium Corboliense, in quo teste Joanne Picardo sic legitur: « Octavo kalendas februarias anniversarium Willelmi Catalaunensis episcopi et nostri canonici. » Sepultus est apud Claram-Vallem, teste Rapineo, in sacello a se exstructo. Cæterum cum hæc epistola eo adhuc vivente scripta sit, sub annum 1121 reponenda est. Varia Guillelmi de Campellis theologica scripta laudantur in Panchrysis codice manuscripto Cheminiensi; Mofalium epitome in Claræ-Valleusii.

imo quam primum in Baptismo promiserunt, non irritam faciant, sed salvam integramque custodiant. Talibus itaque taliter susceptis, absit ut sinceritatem vestram, aut in suscipiendo læsam, aut in retinendo lædendam esse credamus: dum tamen illos, si forte infra annum probationis, qui regulariter constitutus est, cœpta deserere, et ad vos redire velle contigerit invitos non detineamus. Alioquin, sanctissimi fratres, vestra non refert, ut spiritum libertatis qui in eis est, anathemate inconsulto frustra impedire nitamini: nisi forte (quod Deus avertat) quæ vestra, non quæ Jesu Christi sunt, quærere studeatis.

#### EPISTOLA IV (69).

AD ARNOLDUM (70) ABBATEM MORIMUNDI.

*Arnoldum abbatem, temere relicto monasterio peregrinantem, ad monasterii curam revocat, fratrum scandala et gregis pericula exponens.*

Domno abbati ARNOLDO, frater BERNARDUS de Clara-Valle, spiritum compunctionis et consilii.

1. Primo scire te volo, domnum Cisterciensem, necdum quando tuus nuntius ad nos venit, de Flandria, quo paulo ante per nos transierat, remeasse; et ob hoc nec litteras accepisse, quas ei jussisti præsentari, et adhuc esse tantæ a te præsumptæ novitatis ignarum. Felix interim, cui tam tristes rumores, vel ad tempus liceat ignorare. Deinde quod de tui, desperando nos, revocatione interdiciis, ne quod quasi inconcusse apud te fixum est, frustra tibi litteras dirigendo dissuadere conarer: in hoc tibi obedire fortasse quidem pro ratione non debui; revera autem præ dolore, fateor, non potui: cum etsi pro certo scirem, ubi te opportune invenissem, ipse potius venissem, quam has misissem, effecturus fortasse per me ipsum, quod nullis litteris possum. Rides forsitan meam hujusmodi tanquam casam fiduciam, utpote propriæ pertinaciæ conscius: ad quam utique flectendam, nullam vim, nullam precem, nullam speras prævalere industriam. At vero ego de illius potentia non diffidens qui dixit: *omnia suntabilia credenti* (Marr. ix, 22): fidenter usurpans et mihi illam sententiam, *Omnia possum in eo qui me confortat* (Philipp. iv, 13): quamvis in magna parte lapidei cordis tui obstinationem et ipse non ignorem, utinam nunc tamen,

(69) Scripta circa annum 1127.

(70) Hic patria Coloniensis, genere nobilis, Friderici tunc præsulis Coloniensis germanus, magnæ spei juvenis, a Stephano Cistercii abbate primus præficitur Morimundo (hæc est quarta Cistercii filia), fundato anno 1115 in diocesi Lingonensi. Cui cum decennio præfuisset, tribus monasteriis excitatis, nempe Bella-Valle Bisuntinensi, Crista-Alba Lingonensi, et Veteri Campo Coloniensi, demum sæcularium vicinorum infestatione turbatus, et quorundam e suis inobedientia, ut testatur Bernardus, epistola 141, ad Humbertum, monasterium deseruit, nonnullis monachis secum abductis, inter quos quatuor præcipui, Adamus, Everardus, Henricus, Conradusque, cum interim Stephanus Cisterciensis in Flandria pro negotiis Ordinis sui detineretur, quod quidem contigisse affirmat Manriquez ad annum 1125. Interim Bernardus fugitivos revocare nititur litteris ad Arnoldum Adamumque seorsim datis (scilicet epistolis

sive fructuose, sive frustra, tuo lateri adhærerent. Quanta quæ me movent adversum te, frustra nescio an fructuose, jacerem tibi in faciem; non solum verbis, sed et vultu et oculis. Tuis deinde provolutus vestigiis, tenerem pedes; amplecterer genua; totusque a collo pendens, illud mihi dulcissimum 15 caput deoscularer, quod sub uno mecum proposito, suavi jugo Christi jam pluribus annis attritum est. Flerem quoque, quantum valerem, rogarem et obsecrarem per Dominum Jesum, quatenus parceres, primo quidem ejus cruci, quæ utique redemit quos tu quantum in te est, perimis; collegit quos tu dispergis. Perimis, inquam, et dispergis, sive quos tecum ducis, sive quos hic deseris: quibus utique etsi diversum, non dispar tamen utrisque metuimus periculum. Deinde etiam parceres et nobis amicis tuis: quibus licet immeritis, non nisi fletum et lacrymas reliquisti. O si hoc mihi licuisset, flexissem forsitan affectione, quem ratione non possum: pectusque illud ferreum, quod nec Christi timore in hac re duntaxat cedere acquiescit, fraterna forte pietas emollisset. Sed heu! et hanc nobis copiam substraxisti.

2. O magna nostri Ordinis columna! Patienter quæso, audi amicum vel absentem, tuæ penitus discessionis impatientem, tuo medullitus et labori, et periculo compatientem. O, inquam, magna nostri Ordinis columna! non metuis te ruente magnam mox procul dubio ruinam secuturam? At ego, inquires, non ruo: scio quod facio; bonam conscientiam habeo. Esto: credimus tibi de te. Sed nunquid de nobis, qui jam et gravia tuo ex discessu gementes sustinemus scandala et graviora paventes expectamus pericula? An et tu quoque non ignoras ista, sed dissimulas? Qua ratione ergo multorum faciendo ruinam, te ruere non præsumis: qui in hoc videlicet positus eras, ut non quod tibi est utile, sed magis quod aliis; nec quæ tua, sed quæ Jesu Christi sunt, quærere debeas? Quomodo, inquam, securus abis, qui gregi tibi commisso omnem de se securitatem in perpetuum aufers? Quis occurret lupis incursantibus? quis consolabitur in tribulationibus? quis providebit in tentationibus? quis denique leoni resistet rugienti, et quærenti quem devoret? Pate-

D 4, 5), quibus alias addit (epistolam 6), ad Brunonem nobilem Coloniensem, qui postea Friderico successit, ut eos curaret revocari. Sed frustra: nam Arnoldus diem clausit extremum in Belgio, anno 1126, tertio nonas Januarii. Quo audito, Bernardus ex capituli generalis indicto errantes alios denuo persecutus est, scripta Adamo epistola (nempe epistola 7), excommunicationem intentans nisi resipiscerent. Quod quidem feliciter obtinuit, eumque Adamum scriptores esse vulgo suspicantur, qui primus monasterio Eberbacensi diocesis Herbipolensis in Franconia prælatus sit anno 1127, quique expeditionem sacram prædicaverit apud principes Germanos, ut refert Otto Frisingensis, de Gestis Friderici imperatoris, libro I, cap. 40, denique in sanctitatis existimatione diem ultimum clausit. Plura de istis vide apud Manriquez, Annalium tomis I et II, præcipue ad annos 1115, 1125, 1127.

bunt sine dubio morsibus malignantium, qui devorant plebem Christi sicut escam panis. Heu! quid facient novellæ plantationes Christi, quæ per manus tuas consitæ fuerant diversis in locis, et locis horro-  
ris, et vastæ solitudinis? Quis circumfodiet? quis impinguabit simo? quis sepem circumdabit? quis succrescentes sollicitus erit rescindere surculos? Aut flante profecto tentationum vento, tenerrimæ adhuc, heu facile eradicabuntur: aut inter fruteta certe simul exorientia, cum non erit qui purget, suffocatæ nullum afferent fructum.

3. Quæ cum ita sint, judica tu quale hoc tuum bonum erit, aut si vel esse poterit bonum cum tantis malis. Quantumlibet dignos facturum te fructus poenitentiae confidas, nonne hujuscemodi spinis necesse erit suffocari? Nonne denique si recte offers, et non recte dividis, peccas? (*Gen. iv, 7, sec. LXX.*) Quid enim? Rectene forte dividere esse dices, soli animæ tuæ consulere; et filios tuos quos orphanos relinquis, consilio paterno destituere? O miseros et miserabiles, et eo miserabiores, quo vivo se conspiciunt orbari patre! Quanquam dubitare te quoque oportuerit, an vel tibi recte consulas, in eo videlicet, quod absque consilio fratrum et coabbatum tuorum, absque patris et magistri tui licentia, rem tam novam præsumis. Illud etiam multos permaxime movet, quod pueros imbecilles et delicatos juvenes tecum ducis. Alioquin si boni et robusti sunt, desolatae domui fuerant necessarii: si delicati (ut dixi) et imbecilles, duræ ac laboriosæ peregrinationi non erunt idonei. Sed et regendis animabus eorum nequaquam te ultra credimus velle præesse: quippe cujus cognovimus esse propositum, pastorem abjicere sarcinam duntaxat tuorum, et soli deinceps vivere tibi. Valde enim incongruum esset, ut alibi præsumptuose non vocatus resumeres, quod alibi prohibitus inconsulte relinquis. Sed jam ne omnia scienti multa superfluo ingeram: in fine et in fide tibi polliceor, si opportunitatem loquendi tecum mihi dederis, daturum **16** me operam, quatenus id ipsum quod inordinate et periculose aggressus es, licite et ob hoc secure peragas. Vale.

#### EPISTOLA V (71).

AD ADAM MONACHUM.

*Dehortatur, ne Arnaldo abbati Morimundi adhæreat, nec se peregrinationis, aut potius vagationis ejus socium præbeat.*

1. Tua mihi satis comperta humilitas, et instantis periculi necessitas præbet mihi fiduciam conveniendi te acrius, et arguendi liberius. O insensate! quis te fascinavit tam cito recedere ab illo saluberrimo consilio, in quo dudum tibi pariter et mihi, Deo solo teste, conventum est? Cogita, insipiens, vias tuas, et converte pedes tuos in testimonia Domini. Non recordaris, quod primo in Majori-Mona-

(71) Scripta anno Christi 1125.

(72) De Majori-Monasterio prope Turonos lege epistolam 397; de Fusniaco, diocesis Laudunensis, epistolam 72.

sterio tuæ conversionis initia dedicasti; secundo apud Fusniacum (72), nostræ te qualicumque providentiæ commendasti; tertio in Morimundo stabilitatem tuam firmasti; quarto mecum rursus inito consilio, suggestæ tibi ab abbate Arnaldo peregrinationi, imo vagationi, ingenuè abrenuntiasti; ipsius quoque tibi consortium, si non ipse licite posset abire, illicitum judicasti? Quid enim? Licetene, dices, illum recedere, qui et sibi commissis lacrymabile scandalum reliquit, nec commissoris licentiam expectavit?

2. Sed quorsum, inquires, tendunt hæc, quæ sic retractare voluisti? Ut te manifestæ levitatis arguam, ut Est et Non esse apud te evidenter ostendam: sicque errorem tuum jam tandem agnosceas et erubescens, vel sero discas ab apostolo, non omni spiritui credere (*Joan. iv, 1*); discas a Salomone multos quidem amicos, unum autem habere consiliarium de mille (*Eccli. vi, 6*); discas Præcursoris Domini exemplo, non solum mollibus non vestiri, sed nec in modum vento agitatæ arundinis (*Matth. xi, 9, 8*) circumferri omni vento doctrinæ; discas ex Evangelio domum tuam supra petram fundare (*Matth. vii, 24*); discas et cum discipulis serpentis non oblivisci prudentiam cum simplicitate columbæ (*Matth. x, 16*): et tam ex his, quam ex aliis atque aliis Scripturarum testimoniis hanc colligas summam, quantum tibi videlicet usque modo milleformis ille seductor illusit, qui cum in te boni initium non valuit præpedire, invidit perseverantiæ: hoc nimirum suæ posse sufficere malitiæ judicans, si hanc posset auferre tibi, quam solam virtutum noverat coronari. Obsecro te per viscera misericordiæ Christi, ut nullatenus abeas, aut vel non priusquam ad nos loco quidem opportuno venias loqui, si quod forte tantis malis, quæ jam nobis ex vestra discessione, aut venisse sentimus, aut ventura metuemus, queat remedium inveniri. Vale.

#### EPISTOLA VI (73).

AD BRUNONEM COLONIENSEM.

*Monachos quosdam abbatis Morimundi vagabundos opera Brunonis reduci cupit ad monasterium.*

Domino BRUNONI viro illustri (74), et dilecto suo, frater BERNARDUS abbas dictus de Clara-Valle, salutem, et si quid potest peccatoris oratio.

1. Ex quo dudum Remis nostri invicem utrique gratam cepimus notitiam, non puto vos nostræ poenitus fuisse parvitas oblitum. Et ob hoc non timide tanquam ad extraneum, sed fidentissime scribo ad vos quæcumque volo, ut ad notum et familiarem nostrum. Arnoldus abbas Morimundensis, in grave totius nostri Ordinis scandalum, suum nuper monasterium satis inordinate deseruit: quippe qui nec coabbatum suorum in tam scrupuloso facto expectavit consilium; nec ipsius, cui præcipuam debebat

(73) Scripta anno Christi 1125.

(74) Is postea Coloniensis archiepiscopus, ad quem epistolæ 8, 9.

subjectionem, abbatis **17** scilicet Cisterciensis, licentiam vel assensum : sed cum esset homo sub potestate, habens et ipse sub se milites; potestatis impatiens superioris, alienum quidem jugum a propria cervice superbus abjecit, suum autem superior in subjectos retinuit. Siquidem de magna multitudine monachorum, quos circueiens mare et aridam inaniter congregarat, non Christo, sed sibi; paucis admodum, hisque simplicioribus ac remissioribus relictis desolatis, meliores quosque et perfectiores sui socios erroris assumpsit. Inter quos, tres quorum nos maxime ablatione turbavit; ausus est etiam seducere, et secum ducere statuit; Evrardum videlicet fratrem nostrum [al., vestrum], et Adam quem bene nostis, nobilemque illum puerum Conradum, quem et pridem non sine scandalo tulerat de Colonia. Quos tamen, si operam dare volueritis, vestra confidimus posse revocari industria.

2. Nam de ipsius Arnoldi revocatione, quia jam in pluribus ejus inflexibilis animi obstinationem probavimus, incassum laborare vos nolumus. Audivimus autem Evrardum et Adam, et nonnullos ejusdem consortii alios fratres, in vestris adhuc partibus demorari. Quod si verum est, oportet vos eos per vos interim, si dignamini, convenire, flectere precibus, ratione convincere, et columbinam eorum simplicitatem prudentia instruere serpentina; ne putent obedientiam inobedienti adherere, ne licite sequi se posse confidant vagantem illicite, ne seducantur deserere professum Ordinem propter inordinatum hominem; cum ipsum quoque angelum de cælo, si aliud eis evangelizaverit, dubitare non oporteat apostolica auctoritate anathema dicere (*Galat. 1, 8*) (75) : et ab ipso doceantur Apostolo, se ab omni fratre inquiete ambulante debere subtrahere (*II Thess. III, 6*). Qui vos quoque doceat, non superbe sapere, nec sperare in incerto divitiarum (*I Tim. VI, 17*), donec omnibus abrenuntiantem, probatum sibi Christus vindicet discipulum. Valet.

### EPISTOLA VII (76).

AD ADAM MONACHUM (77).

Adamum ut ad monasterium vel nunc tandem abbate mortuo redeat, hortatur : ostendit, in tali causa nullum fuisse obedientiæ vinculum. Demum respondet, cur aliorum Ordinum religiosos recipiat.

1. Si maneres in charitate, quam in te olim aut novimus aut putavimus, charitatis profecto damna sentire, quæ utique sunt scandala pusillorum. Nec enim charitas charitatem offenderet aut contemneret, cum sentiret offensam. Nam se ipsam non potest negare, nec enim in se divisa est. Novit potius in se divisa conjungere : conjuncta dividere nescit. Proinde, ut dixi, si maneret in te, non sileret, non quiesceret, non dissimularet, gemens et æstuans,

(75) Ita in scriptis omnibus, et recte ad sensum Apostoli, ipsum angelum dicere anathema, id est reprobatum.

(76) Scripta anno Christi 1126.

A et intra piûm pectus tuum procul dubio submurmurans illud : *Quis scandalizatur, et ego non uror?* (*II Cor. II, 29.*) Siquidem benigna est, pacem diligit, congauget unitati. Sola quippe est quæ illam generat, colligat, solidat, et conservat ubicunque servari cognoscitur in vinculo pacis. Infensa ergo vobis hac tam honorabili matre unitatis et pacis, quo pacto, quæso, vestrum quodcumque sacrificium Deo fore acceptum præsumitis, cum absque illa nec martyrium quidem aliquid esse putet Apostolus? (*I Cor. XIII, 3.*) Aut qua ratione vobis forte infensam non esse confiditis [al. creditis], cujus castis visceribus, cujus charis pignoribus tam inhumane agendo non pepercistis nec parcitis, scindentes unitatem, rumpentes vinculum pacis? Ponendum est ergo munus quodcumque offerre paratis, et prius habenti adversum vos, non fratri, sed fratrum multitudini reconciliandum. Ecce nimirum universæ fraternitatis unitas adversum vestram paucitatem, quodam veluti vestri discessus gladio sauciata conqueritur, **18** quasi quæ plangens miserabiliter dicat : *Filii matris meæ pugnaverunt contra me* (*Cantic. I, 5*). Et merito : qui enim non est cum illa, contra illam est. Putas sine gemitu tam justum filix gemitum pia possit mater charitas audire? Ideo et ipsa nostris lacrymis jungens suas, ait de vobis : *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me* (*Isai. I, 2*). Charitas ipse Deus est. Pax nostra Christus, qui fecit utraque unum (*Ephes. II, 14*). In trinitate unitas maxime commendatur. Cui ergo charitas, pax et unitas irata cognoscitur, quid habet in regno Christi et Dei?

2. Sed forsitan dicis : Abbas noster abduxit nos, et secum ire præcepit; num inobedientes esse debuimus? Scis quidem, nisi forte oblitus sis, quid quadam die, communicato mecum jam conspirati scandali consilio, ac diligenter mutua collatione discusso, inter nos convenerit. In quo si permansisses, et de te illud non incongrue diceretur : *Beatus vir qui non abiit in concilio impiorum* (*Psal. I, 1*). Sed esto. Debuistis obedire filii patri, magistrum sequi discipuli. Licuerit certe abbati monachos suos ducere quo libuerit, et docere quod voluerit : sed quandiu vixit. Nunc vero mortuo illo, quem vel audire doctorem, vel sequi ducem cogimini, quo adhuc tam grave scandalum emendare cunctemini? Quis jam prohibet, non dico me, sed Deum nostrum per os Jeremiæ benigne vos revocantem audire? Ait enim : *Nunquid qui cecidit, non resurget? aut qui aversus est non revertetur?* (*Jerem. VIII, 4.*) An et ille moriens interdixit, ne vel post casum tentetis resurgere, post aversionem mutire audeatis de reversione? Itane etiam defuncto necesse est vos obedire, et obedire contra charitatem, obedire in vestræ ipsorum salutis periculum? Sed arbitror quod nequaquam firmiter seu tenacius

(77) In codice regio inscribitur, *De discretionem obedientiæ*. Hæc epistola scripta fuit post mortem Arnoldi abbatis, quæ in Belgio contigit anno 1126.



dices esse vinculum abbatum ad subditos, quam A conjugum ad se ipsos, quorum quippe Deus copulam, et non homo, inviolabili ligavit sacramento, loquente Salvatore: *Quod Deus conjunxit, homo non separet* (Matth. xix, 6). Apostolo autem asserente, solutam esse mulierem a lege viri mortuo illo (Rom. vii, 2); tu te abbas existimas defuncti lege teneri, et hoc contra legem quæ sanctor est, legem videlicet charitatis?

3. Et hæc dixi, non quod putem vos vel viventi in hoc paruisse debere, aut vel dicendam esse obedientiam sic paruisse. Alioquin generalis de hujusmodi illa sententia est: *Declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem* (Psal. cxxiv, 5). At ne forte quis abbatum etiam in malo obedientiam ab hoc maledictoliberam esse contendat, audi alibi apertius: *Filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii* (Ezech. xviii, 20). Ex his ergo liquido apparet, mala imperantibus non esse parendum, præsertim dum pravis obtemperans imperiis, in quo homini videris obediens, Deo plane, qui omne quod perperam agitur interdixit, inobedientem te exhibes. Valde autem perversum est profiteri te obedientem, in quo nosceris superiorem propter inferiorem, id est divinam propter humanam, solvere obedientiam. Quid enim? quod jubet homo, prohibet Deus; et ego audiam hominem surdus Deo? Non sic Apostoli. Clamant quippe dicentes: *Melius est obedire Deo, quam hominibus* (Act. v, 29). Hinc Dominus in Evangelio Pharisæos increpans: *Quare et vos, inquit, transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras?* (Matth. xv, 3.) Et per Isaiam: *Sine causa autem, ait, colunt me, mandata et doctrinas hominum tenentes* (Isai. xxix, 13). Et item ad Protoplastum: *Pro eo quod obedisti voci uxoris tuæ plus quam meæ, maledicta terra in opere tuo* (Gen. iii, 17). Igitur facere malum, quolibet etiam jubente, constat non esse obedientiam, sed potius inobedientiam.

4. Sane hoc advertendum, quod quædam sunt pura bona: quædam pura mala, et in his nullam deberi hominibus obedientiam: quoniam nec illa omittenda sunt, etiam cum prohibentur; nec ista, vel cum jubentur, committenda. Porro inter hæc sunt media quædam, quæ pro modo, loco, tempore D vel persona, et mala possunt esse, et bona: et in his lex posita est **19** obedientiæ, tanquam in ligno scientiæ boni et mali, quod erat in medio paradisi. In his profecto fas non est nostrum sensum sententiæ præscribere magistrorum: in his omnino prælatorum nec jussio, nec prohibitio contemnenda. Videamus ne forte tale fuerit quod arguimus in vobis; et ob hoc forsitan argui non debuerit. Quod evidentius elucebit, si præmissæ divisionis exempla subjecero. Fides, spes, charitas, et cætera hujusmodi, pura sunt bona: quæ quia male non possunt vel juberi vel teneri, bene non possunt vel prohiberi vel non teneri. Pura mala sunt furtum, sacrilegium, adulterium, et cætera talia, quæ utique nec vel bene

A præcipi vel perfici possunt, nec male prohiberi vel non fieri. Adversus hujusmodi non est lex. Nullius quippe prohibitio valet obviare præceptis: nullius jussio præjudicare prohibitis. Sunt deinde media, quæ quidem per se nec bona esse noscuntur, nec mala: possunt tamen indifferenter et bene pariter et male vel prohiberi, vel juberi, sed male nullatenus in his a subditis obediri. Ex his sunt, ut exempli gratia ponam, jejunare, vigilare, legere, et quæque talia. Sciendum vero quia media quædam in purorum plerumque bonorum seu malorum trans-eunt rationem. Nam conjugium cum et fieri liceat, et non fieri, factum jam solvi non licet. Quod ergo ante nuptias medium esse liquebat, in jam conjugatis puri boni vim obtinet. Item propria possidere, sæculari quidem homini medium est, quoniam et non possidere licet: monacho vero quia possidere non licet, purum malum est.

5. Videsne jam, frater, vestrum factum cui potissimum membro divisionis conveniat? Si puris aptandum bonis, probabile est: si puris malis deputandum, vituperabile est: sin vero collocandum inter media: via quidem excusari forsitan potest propter obedientiam, mora vero penitus non potest, quæ non fit per obedientiam. Nam mortuo jam abbati, si quid ante jussit quod non debuit, nequaquam esse parendum, superior patefecit disputatio. Et si res per se jam satis elucescat, tamen propter quosdam qui quærunt occasionem, ubi ratio non suppeditat, clarum faciam breviter, et ita clarum ut omnis dubietatis umbra dispareat; quod nec purum, nec medium bonum, sed plane purum fuerit malum sic obedisse, sic vestrum monasterium reliquisse. Et quidem taceo de mortuo, qui suum et solum jam judicem habet Deum, et vere nunc suo domino aut stat aut cadit: ne forte indignans, et merito indignans dicat Deus: *Tulerunt omnes a me iudicium*. Tamen ad correctionem viventium, non quidem quod gessit, sed quod jussit discussio; utrum videlicet illa jussio vim habere debuerit, quatenus in scandalum multorum ei fuerit obsequendum. Et præmittendum, quod si qui simpliciter, nihilque suspicantes mali, male licet proficiscentem secuti sunt, putantes eum episcopi Lingonensis et abbas Cisterciensis (nam utrique debitor erat) licentia proficisci (quod utique nonnullos de illo comitatu sic credidisse incredibile non est); nostra hæc illos non tangit reprehensio, dummodo ubi compererint, sine mora regrediantur.

6. Igitur adversus illos tantum, imo pro illis sermo est nobis, qui scientes et prudentes miserunt manus in ignem, qui conscii præsumptionis secuti sunt præsumptorem; non audientes Apostolum prohibentem et denuntiantem, ut se ab omni fratre ambulante inordinate subtraherent (II Thess. iii, 6); contemnentes et ipsius Domini vocem dicentis: *Qui non colligit mecum, dispergit* (Matth. xii, 30). Vos, fratres, vos, inquam, aperte et specialiter notat illud apud Jeremiam, quod cum dolore quidem re-

miniscor, opprobrium. *Hæc est, inquit, gens quæ non audit vocem Dei sui (Jerem. vii, 28).* Dei enim proprie vox est ista, hostem suum proprio designantis ex officio, et tanquam digito demonstrantis, ut simplices ab ejus impio deterreat consecratu: *Qui non est, inquit, mecum, dispergit*: ac si dicat, In hoc te jam mecum non esse intelligas, si sequeris dispersorem. Deo ergo clamante, **20** *Qui non colligit mecum, dispergit*; sequi vos oportuit dispersorem? Deo, inquam, vos invitante ad colligendum, homini potius ad dispergendum obsequi debebatis? Magistros contemnebat, subditos exponebat, socios conturbabat; et vos videntes furem currebatis cum eo! Si lere de mortuo statueram: sed compulsus sum, fateor, aliquantulum prætergredi, dum non potuit improbari obeditio, si non reproba monstraretur et jussio. Porro jussio et actio hominis cum diversa non fuerint, impossibile visum est unam sine altera vel approbari, vel respui. Liqueat tamen hujuscemodi jussioni non fuisse obtemperandum, Deo quippe imperante contraria. Item majorum institutis, minorum non esse præponenda, aut communibus privata non præjudicare imperia quis dubitat? Nam ex Regula sancti Benedicti (*Jerem. lxxi*) hoc habemus.

7. Possem quidem abbatem Cisterciensem ad medium deducere, qui utique superior illo quantum pater filio, quantum magister discipulo, quantum denique abbas commisso sibi monacho, merito se a vobis propter ipsum queritur fuisse contemptum. Possem et episcopum, cujus nihilominus quia non fuit expectatus consensus, inexcusabilis est et contemptus, cum ad ipsos et de ipsis Dominus dicat: *Qui vos spernit, me spernit (Luc. x, 16)*. Sed quoniam his posset amobus opponi et anteponi Romani pontificis tanquam gravior auctoritas; cujus quippe vos aiunt præmuntios fuisse licentia (quæ et ipsa licentia suo quidem loco erit discutienda (*Infra*, n. 9)); talis potius proferatur, cujus omnino fas non sit auctoritati contradicere. Certe summus ille Pontifex qui per sanguinem proprium solus et semel introivit in sancta, æterna redemptione inventa (*Hebr. ix, 12*) terrificæ voce denuntiat in Evangelio, ne quis unum de pusillis ejus audeat scandalizare (*Matth. xviii, 6*). Vobis autem unius donetur scandalum, si non ultra processit malum. Facilis sequetur venia culpam, ex qua grave damnum non oritur. Nunc vero quod dubium non est, pluribus scandalizatis, quis aperte non videat quam inhumane humanam jussionem divinæ prætulêritis? Quod quidem audere, quis nisi amens dicere audeat bonum esse aut bonum fieri posse, quantælibet dignitatis homine præcipiente? Quod autem nec bonum est, nec bene fieri potest, purum procul dubio malum est. Unde consequenter advertitur, quod iter vestrum in multorum usurpatum scandalum, ac per hoc et contra Dei mandatum, non purum bonum aut medium, sed purum omnino fuerit malum: quoniam quidem et purum bonum semper bonum est, et medium bene fieri potest.

8. Quomodo ergo vel abbatis jussio, vel Papæ permissio licitum facere valuit, quod purum (sicut irrefutabiliter probatum est) malum fuit: cum superius nihilominus allegatum sit, ea quæ hujuscemodi sunt, id est pura mala, ut nunquam justè juberi, sic nec licite posset fieri? Vides quam inanis excusatio de humana obedientia, ubi in Deum convincitur facta transgressio? Nec timendum mihi arbitror, quod ad illud Domini responsum de sibi nuntiato scandalo Pharisæorum refugias, ut quomodo ille nihili pendebat dicens, *Sinite illos, cæci sunt, et duces cæcorum (Matth. xv, 14)*; ita et nostra vobis scandala non esse timenda existimes. Vides nempe quam nil simile habeat in hac parte proportio. Nam si compares personas, illic Pharisæi superbi, hic pauperes Christi scandalizantur: si causas, hic levitas ibi veritas in causa esse dignoscitur. Rursus, quod et superius propositum est, vos non solum divinæ humana, sed et communibus privata prætulisse imperia, hoc solum ad probationem sufficiat, quod vestræ illi et novitati insolitæ, et insolenti præsumptioni, non tantum nostri Ordinis universitas, sed etiam omnium monasteriorum et consuetudo, et institutio reclamare videtur.

9. Quod et vos quoque non immerito timentes, nec satis de propria causa confidentes, remorsas ac remordentes conscientias apostolica conati estis delinire licentia. O frivolum satis remedium! quod non est aliud, nisi more Protoplastorum cauteriatis conscientis **21** texere perizomata, videlicet ad velamentum, non ad medicamentum. Apostolicam, inquit, licentiam quæsiimus, impetravimus. Utiam non licentiam quæsiissetis, sed consilium; id est, non ut liceret, sed an liceret. Unde tamen quærebatis licentiam? Ut liceret quod non licebat? Facere itaque volebatis quod non licebat. Sed quod non licebat malum erat. Mala igitur erat intentio, quæ in malum tendebat. Nisi forte tale hoc fuisse dicatur, quod absque licentia quidem non liceret, liceret autem si cum licentia fieret. Verum id jam superius invincibili exclusum est ratione. Nec enim Deus ubi ait, *Nolite contemnere unum ex iis pusillis qui in me credunt*; addidit etiam, *Nisi cum licentia, aut dicens: Qui scandalizaverit unum de pusillis meis (Matth. xxiii, 10, 6)*, et cætera, determinavit subjungens, **D** Sine licentia. Constat igitur ubi veritas, et veritas necessaria in causa non est, nec licite scandalum quodlibet posse a quolibet committi nec justè præcipi, nec innoxie consentiri. Hujus tamen patrandi mali quærendam putastis esse licentiam. Sed ad quid? An ut quanto licentis, tanto securius; et quo securius, eo et periculosius peccaretis? Mira cautela, et stupenda providentia! Malum quod jam corde conceperant, opere tamen cauti fuerant non implere nisi eum licentia. Conceperunt dolorem, sed non pepererunt iniquitatem, donec iniquo Papa conceptui præbisset assensum. Quo luero? quove saltem compendio mali? Nunquid ideo aut malum esse desiit, aut vel minoratum est, quia Papa concessit? Quis vero malum esse neget, assensum præbere malo?

Quod tamen summum fecisse Pontificem nequaquam crediderim, nisi aut circumventum mendacio, aut importunitate victum. Quando etenim aliter hujusmodi vobis licentiam indulgeret, seminandi videlicet scandala, schismata suscitandi, amicos contristandi, fratrum conturbandi pacem, et confundendi unitatem, propriumque insuper contemnendi episcopum? Et hæc qua necessitate, necesse non habeo dicere, cum rei exitus satis indicet. Profectos nempe plangimus, profectum non cernimus.

10. His ergo talibus et tam gravibus malis dare assensum, exhibere obsequium, impendere adiutorium, tu mihi obedientiam nominas, modestiam nuncupas, appellas mansuetudinem? Tu, inquam, conaris pessima vitia virtutum palliare nominibus? An te putas hoc sine injuria facere Domini virtutum, quod virtutibus facis injuriam? Vanissimam presumptionem, turpissimam levitatem, crudelissimam dissensionem, obedientiæ, modestiæ, mansuetudinis nominibus velas, et velatis sordibus sacra illa vocabula maculas. Hanc ego nunquam æmuler obedientiam: talem mihi nunquam libeat modestiam, vel potius molestiam, imitari: hujusmodi mansuetudo semper longe fiat a me. Talis siquidem obedientia omni est contemptu deterior: talis quoque modestia ultra omnem modum extenditur. Ultra dicam, an citra? Sed verius forsitan et utroque competentius dixerim, extra. Qualis denique illa est mansuetudo, quæ ipso etiam auditu omnium aures exasperat? Volo tamen eam ipsam ut et mihi modo exhibeas. Cum tam patiens sis, ut a quolibet etiam quo non licet, pertrahi non contendas; liceat et me, obsecro, paulo nunc confidentius agere tecum. Alioquin male multum merui de te, si (quod nemini soles) soli mihi indignandum putaveris.

11. Igitur tuam convenio conscientiam. Volens, an invitus profectus es? Sed si ex voluntate, jam non ex obedientia. Si autem iavitus, suspectum videris habuisse imperium, cui obsequi gravabaris. Ubi vero suspicio, ibi discussio necessaria. Verum tu ut tuæ patientiæ dares vel caperes experimentum; nihil discutiens, trahi te passus es, non solum præter voluntatem tuam, sed et contra conscientiam. O patientia omni digna impatientia! Non possum, fateor, non irasci huic contentiosissimæ patientiæ. Videbas dispergentem, et sequebaris: scandala dictantem audiebas, et obsequebaris. Vera patientia est, pati vel agere contra quod libeat: sed non præter quod liceat. **22** Mirum vero quod hominem audiebas furtive susurrantem, Deum non audiebas aperte reclamantem, tali quasi cœlitis emisso tonitru: *Væ illi per quem scandalum venit!* (Matth. xviii, 7.) Non tantum autem Dominus, sed et sanguis ipsius clamore nihilominus, vehementi, surdis licet, terribiliter irrugiebat. Clamor ejus, ejus effusio. Effusus quippe pro dispersis filiis Dei ut eos congregaret in unum, juste fremebat in dispersores. Odit nimirum dispersores, qui non novit nisi colligere. Magnus ejus

clamor, et vehemens, qui corpora de sepulcris, animas ab inferis excitavit. Terram cœlosque tuba illa convocavit in unum, quippe quæ in terra et quæ in cœlis sunt, pacificans. In omnem terram exivit sonus ille, et vestram non valuit rumpere surditatem? Vox nempe illa in virtute; vox illa in magnificentia. Et quid clamat? *Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus* (Psal. xvii, 2): et iterum: *Disperge illos in virtute tua et dispone eos protector meus Domine* (Psal. lviii, 12). Sanguis Christi est, frater Adam, sanguis Christi est qui pro piis congregatis adversus impios dispersores quasi tuba exaltat vocem suam. Minatur autem se dispersores dispergere, qui pro dispersis colligendis effusus est. Et si ejus vocem tu non audis, audit eam de cujus latere manavit. Quomodo namque proprium non audit, qui Abel sanguinem audiebat? (Gen. iv, 10.)

12. Sed quid ad me, inquis? Ille viderit cui mihi contradicere fas non erat. Non est discipulus super magistrum. Docendus, non docturus, ejus lateri adhærebam. Sequi debui, non præire præceptorem auditor. O istorum temporum Paule simplex, si tamen et ille alterum se tibi exhibuisset Antonium, ut quidquid vel leviter de labiis ejus procederet, necesse non haberes discutere, sed sine cunctatione ad omnia nihil hæsitans obedires? O monachum obedientissimum, cui ex quibuslibet seniorum verbulis ne unum quidem iota prætervolet! Non attendit quale sit quod præcipitur, hoc solo contentus quia præcipitur, hoc solo contentus quia præcipitur (78). Et hæc est obedientia sine mora. Si ita oportet, sine causa legitur in Ecclesia: *Omnia probate, quod bonum est tenete* (Thess. v, 21). Si ita oportet, deleamus jam de libro Evangelii, *Estote prudentes sicut serpentes, sufficiente quippe quod sequitur, et simplices sicut columbæ* (Matth. x, 16). Nec dico a subditis mandata præpositorum esse dijudicanda, ubi nil juberi deprehenditur divinis contrarium institutis: sed necessariam assero et prudentiam, qua advertatur si quid adversatur; et libertatem, qua et ingenue contemnatur. Cæterum iste, Nihil, inquit, habeo interrogare: viderit ille quid jussit. Dic, quæso, si dato in manus gladio, suum te armari jussisset in jugulum, acquievisses? aut si se tuo voluisset impulsu in ignem vel in aquam præcipitem dari, obtemperasses? Nonne etiam ab his non prohibere cum possis, in crimen tibi reputatur homicidii? Age ergo, vide ne forte sub prætextu obedientiæ in quidpiam ei gravius inservieris. Non ignoras certe quis dixerit (nam mihi hinc fortasse non crederes) expedire scandala facientibus demergi potius in profundum maris (Matth. xviii, 6). Cur hoc dixit, nisi quia significare voluit tam gravia illos in posterum manere tormenta, ut eis comparata mors temporalis, nec pœnalis esse videatur, sed commoda? Quid ergo eum scandala facere juvisti? juvisti enim sequendo illum, obsequendo illi. Nonne utilius, juxta præmissam Veritatis sententiam,

(78) Alias deest hoc... præc.

molam asinariam colle ejus suspenderes, et sic eum demergeres in profundum maris? Quid ergo? Tu ille obedientissimus discipulus, illum patrem et præceptorem tuum, quem ne puncto quidem temporis, vel transverso, ut dicitur, pedis, a te, quandiu vixit, passus es elongari, ita ut in foveam quoque post eum, non quidem cæcis, sed apertis more Balaam, oculis cadere non cunctatus sis: tune, inquam, illum tuo ita beandum putasti obsequio, ut morte illi graviolem exhibueris obedientiam? Revera nunc experior, quam vera sit illa sententia: *Inimici hominis, domestici illius* (Michææ vii, 6). Sic itaque sentiens, sic conscius ipse tibi, nonne, si sapis, gemis; et si non desipis, tremis? Quippe cujus obedientia non **23** meo, sed Veritatis iudicio, pejor inventa est homicidio.

13. Si hæc non ignoras, quomodo non trepidas? quod si trepidas, quomodo non emendare festinas? Alioquin qualem hinc ad illud tribunal terrificum conscientiam portas, ubi iudex teste non indiget, ubi veritas discutit intentiones, ubi inquisitio culparum pertingit ad abdita cordis, ubi denique secretissimos recessus mentium divinus ille investigat intuitus, et ad subitum illum Solis justitiæ fulgorem, animarum expansi sinus, cuncta sive bona, sive mala evomunt quæ celabant? Ibi, frater Adam, facientes et consequentes pari pœna punientur. Ibi fures et socii furum similem sunt excepturi sententiã. Ibi par subibunt iudicium et qui lactant, et qui lactantur peccatores. Perge igitur jam dicere, Quid ad me? ille viderit. Tange picem, et dic: Non sum inquinatus ab ea. Absconde ignem in sinu tuo, et te jaectato non aduri. Pone denique portionem tuam cum adulteris, nihilque tua interesse putato. Non ita Isaias: redarguit enim se ipsum, non solum quia ipse immundus, sed et quod socius sit immundorum: *Quia, inquit, vir pollutus labiis ego sum, et in medio populi immunda labia habentis ego habito.* Redarguit autem se dixerim, non quia cum malis habitaret, sed quia mala non redarguerit. Sic namque ait: *Væ mihi quia tacui!* (Isa. vi, 5.) Quando vero ipse malum facere acquiesceret, quod se in aliis non redarguisse redarguit? Quid enim etiã David? nonne alieni contagione peccati se senserat inquinari posse, cum diceret, *Cum hominibus operantibus iniquitatem, et non communicabo cum electis eorum?* (Psal. cxi, 4.) denique et orat dicens, *Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo* (Psal. xviii, 13, 14). Unde etiã malorum, quorum noluit participare malum, studuit declinare consortium. Ait etenim: *Non sedi cum concilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo.* Huic versiculo concinit et subsequens: *Odivi, inquit, ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo* (Psal. xxv, 4, 5). Audi denique et Sapientis consiliũ: *Fili mi, ait, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis* (Prov. i, 10).

14. Tu ergo adversus hæc atque alia in hunc modum innumera veritatis testimonia, putasti cupiam obediendum? O odiosa perversitas! Obedientiæ

A virtus quæ semper militat veritati, adversus veritatem accingitur. Felicem ego dixerim fratris Henrici inobedientiam, cui cito resipiscenti ab errore, et revertenti ex itinere, talem contigit non experiri obedientiam. Quam potiore nunc et dulciorem suæ huiusmodi inobedientiæ caput, jamjamque degustat fructum, bonam habens conscientiam, quod cæteris collegis suis fraterna corda gravi scandalo concutientibus, ipse inter fratres in proposito et Ordine suo sine querela conversetur? Cujus ego, si opto detur, pigram potius elegerim inobedientiam cum ipsius conscientia, quam horum studiosam obedientiam cum scandalo. Æstimo enim, quia melius agit iste sic inobediens abbati, sed non charitati, servando unitatem in vinculo pacis; quam illi qui ita obtemperant homini uni, ut unum præferant unitati. Fidenter et hæc addiderim, expedire magis cuilibet sola unius hominis periclitari obedientiam, quam reliquis omnibus pietatis bonis, et votis propriæ professionis.

15. Siquidem, ut cætera taceam, duo præcipua nobis in monasterio conversantibus observanda traduntur; subjectio abbati, et stabilitas in loco: et ita observanda, quod neutrum præpediat alterum, nec alterutrum sibi præjudicent. Ut, verbi gratia, sic te stabilem in loco exhibeas, ut abbati subijci non contempnas: sic obedias subjectus abbati, ut stabilitatem non amittas. Porro, si detestaris in loco licet perseverantem, qui abbati forte subdi contemnit imperiis; miraris si reprehendimus obedientiam, quæ vobis vestrum deserendi locum vel causa existit, vel occasio? præsertim cum in professione regulari sic promittatur stabilitas, ut de subjectiõne abbati exhibenda nulla penitus mentio fiat.

16. Sed quæris forsitan, inquit, mihi: Qui ergo **24** tu de stabilitate tua facis, quam apud Cistercium firmasti; et nunc alibi habitas? Ad quod respondeo: Ego quidem Cisterciensis monachus ibidem professus, ab abbate meo ubi nunc habito missus sum, sed missus in pace, missus sine scandalo, sine discordia, missus juxta consuetudinem et communem institutionem. Quandiu ergo in eadem qua missus sum, pace et concordia persevero, quandiu in unitate sto, communibus privata non præfero, quietus et subditus in quo positus sum permaneo, secura dico conscientia, quod promisi, firmiter teneo. Quomodo enim stabilitatis prævaricor votum, qui unanimitatis non rumpo vinculum, pacis firmitermentum non desero? Et si corpus absentavit obedientia, sed spiritum semper ibidem præsentem tenet concursus devotio, et in nullo dissimilis conversatio. Qua die autem (quod quidem Deus avertat) aliis incipiam vivere legibus, aliis moribus conversari, diversis diservire observantiis, adinvenire nova, extraneas usurpare consuetudines: transgressor professionis, promissam stabilitatem jam non me tenere confido. Dico ergo abbati per omnia obtemperandum, sed salva professione. Verum tu professus secundum Regulam sancti Benedicti, ubi promisisti obedien-

tiam, promisisti et stabilitatem. Quod si obedieris quidem, stabilis autem non fueris; dum offendis in uno, factus es omnium reus: si omnium; et ipsius obedientiæ.

17. Vides itaque pondus tuæ obedientiæ? Quomodo nempe stabilitatis transgressionem sufficit excusare, quæ nec sibi quidem valet patrocinari? Idem notum est solemniter ac regulariter profiteri quemquæ in præsentia abbatis. In præsentia ergo tantum; non etiam ad nutum ipsius sit cuiusque professio. Testis proinde adhibetur abbas, non dictator professionis; adiutor, non fraudator adimplentionis; vindex, non auctor prævaricationis. Quid igitur? Ponam in manu abbatis quod absque ulla exceptione coram Deo et sanctis ejus propria manu et ore firmavi, audiens ex Regula (*Reg. S. Benedicti*, cap. 58); si quando aliter fecero, a Deo me esse damnandum, quem irrideo? Si abbas meus, aut etiam angelus de cælo contraria jusserit, libere recusabo hujusmodi obedientiam, quæ me transgressorem voti proprii, et pejerare faciat nomen Dei mei. Scio enim me juxta Scripturæ veritatem ex ore meo vel condemnandum (*Luc. xi, 22*), vel justificandum; et quia *os quod mentitur, occidit animam* (*Sap. i, 11*); et quod Deo veraciter canitur, *Perdes omnes qui loquuntur mendacium* (*Psal. v, 7*); et quia *unusquisque onus suum portabit* (*Galat. vi, 5*), et *unusquisque pro se rationem reddet* (*Rom. xiv, 12*). Alioquin qua fronte psallam mentiens in conspectu Dei et angelorum illud de Psalmo: *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea?* (*Psal. lxxv, 13, 14*.) Viderit denique abbas meus, quid sibi faciendum putet de eo quod ex Regula ad ipsum specialiter dirigitur, « Ut præsentem regulam in omnibus conservet: » et item, quod universaliter præcipitur, et nemo excipitur, « Ut omnes » scilicet « per omnia magistrum sequantur regulam; nec ab ea temere devietur a quoquam » (*Reg. S. Benedicti*, capp. 64, 3). « Ego sic ipsum sequi decrevi semper et ubique magistrum, ut nequaquam a Regulæ, quam teste ipso juravi et statui custodire, deviem magisterio.

18. Occurramus breviter quæstioni, quæ a latere nobis surgere posse videtur, et sic jam nimis longam finiamus epistolam. Videor nempe contraria loqui rei quam facio. Quæri etenim a me potest, si hos damno, qui abbatis sui non solum consensu, sed et jussu suum monasterium deseruerunt, quo pacto illos et recipiam, et retineam, qui de aliis monasteriis, fracto stabilitatis voto, et contempto seniorum imperio, ad nostrum Ordinem veniunt. Ad quod quidem brevis responsio, sed periculosa. Vereor namque displicere quibusdam quod dicturus sum. Cæterum mihi magis verendum puto, ne tacendo veritatem, illum versiculum non veraciter cantem: *Justitiam tuam non abscondi in corde meo; veritatem tuam et salutare tuum dixi* (*Psal. xxxix, 11*). Hac ergo illos ratione suscipimus, quoniam non putamus esse malum, si vota labiorum suorum, quæ in locis suis potuerunt quidem promittere, sed nequaquam

A 25 persolvere; Deo qui ubique est, ubicumque poterunt; reddant; et solius ruptæ stabilitatis damna reliquorum regularium præceptorum integra observatione compensent. Si cui displicet hoc, et murmurat adversus hominem quærentem salutem suam; respondebit pro eo salutis Auctor: *Nonne oculus tuus nequam est, quia ille bonus?* (*Matth. xx, 15*.) O quisquis es qui saluti invidens alienæ, parcito vel tuæ. An nescis quod *invidia diaboli intravit mors in orbem terrarum* (*Sap. ii, 24*). Attende itaque tibi. Si enim ubi invidia, ibi mors; profectio non potest simul et invidere, et vivere. Quid molestus es fratri tuo, quoniam satagit quemadmodum quæ processerunt de labiis suis, non faciat irrita? Si quærat homo, ubi et quomodo persolvat quod pollicitus est Deo; quid tu perdis? Fortassis si aliquantæ pecuniæ tu eum debitorem teneres, circuire cogeres mare et aridam, donec usque ad novissimum quadrantem debitum redderet universum. Quid igitur meruit de te Deus tuus, quoniam non vis ut et ipse a suo quod suum est, debitore recipiat? Imo uni invidens, duos tibi reddis infensos: dum et dominum servi obsequio, et domini gratia servum fraudare conaris. Tu quare illum potius non imitaris, et ipse videlicet persolvendo quod debet? Putasne et tuum non requiretur debitum? An potius propter hoc magis irritas impie Deum, quia dicis in corde tuo, Non requiret?

19. Quid inquis? omnes ergo damnas qui similiter non faciunt? Non: sed audi quid et de ipsis sentiam; et noli frustra calumniari. Quid me vis odiosum facere multis millibus sanctorum, qui sub nostra professione non nostro conversantes more, tamen aut sancte vivunt, aut beate defuncti sunt? Non ignoro quod reliquerit sibi Deus septem millia virorum, qui non curvaverunt genua sua ante Baal (*III Reg. xix*). Audi ergo [*al. ausculta ergo*]; æmule; calumniator, ausculta. Dixi cur de aliis monasteriis ad nostra venientes, recipiendos censuerim. Nunquid non venientes damnavi? Excuso illos, non istos accuso. Soli sunt invidi, quos excusare nec volo, nec valeo. Quibus exceptis, si quis cæterorum ad Regulæ cupiat transire puritatem, sed propter scandalum non audeat, aut certe etiam ob certam corporis infirmitatem; puto quia non peccat, dum tamen in suo studeat loco sobrie, et juste, et pie conversari. Nam si qua ex more monasterii minus forte districte, quam Regula constituisse videtur, observare compellitur; excusabit hoc forsitan aut illa charitas, qua cunctatur migrare ad melius propter scandalum, juxta illud, *Charitas operit multitudinem peccatorum* (*I Petr. iv, 8*); aut illa humilitas, qua propriae conscius infirmitatis se reputat imperfectum: siquidem et de ipsa scriptum est: *Deus humilibus dat gratiam* (*Jac. iv, 6*).

20. Multa quidem tibi, charissime, locutus sum, cum multis opus non habeas; quippe cui sit et ingenium velox ad intelligendum quod dicitur, et voluntas agilis ad eligendum quod utiliter suadetur,

sed licet specialiter quidem ad te, non tamen tam multa propter te scribenda putavi. Hæc itaque, quibus Deus providit fore necessaria. Te autem, ut meum jam olim familiarissimum, paucis et cum omni fiducia moneo; ne jam diutius animas desiderantium te, in tuæ quidem animæ horrendum periculum, tui exspectatione suspendas. En tua eorumque (ni fallor) qui tecum sunt, et mors, et vita in manu tua est. Arbitramur enim quidquid feceris tu aut volueris, illos esse facturos. Alioquin aperte denuntia illis, quia juxta omnium abbatum nostrorum non contemnendam sententiam, quæ merito processit in vos: Qui redierint, vivent; qui renuerint, morientur.

## 26 EPISTOLA VIII.

AD BRUNONEM COLONIENSEM ELECTUM (79).

*Bernardus a Brunone consultus de acceptando episcopatu Coloniensi, ita respondet, ut suspensum eum teneat, imo terreat mole tanti muneris, monens per orationes consulere Deum.*

1. Queris a me consilium, vir illustris Bruno, an volentibus te promovere ad episcopatum acquiescere debeas. Quis hoc mortalium definire præsumat? Deus forsitan vocat: quis audeat dissuadere? Forte non vocat: quis appropinquare consulat? Utrum vero vocatio Dei sit, an non sit; quis scire possit, excepto Spiritu qui scrutatur etiam alta Dei, vel si cui forte revelaverit ipse? Magis quoque dubium reddit consilium illa in litteris tuis humilis, sed terribilis confessio, qua vitam tuam tam graviter, et, ut credo, non nisi veraciter accusas. Nec enim negandum est, hujusmodi vitam esse indignam tam sacri dignitate ministerii. Sed rursus non immerito e regione times (nam et nos id ipsum metuimus) si ob malum conscientiae de commisso scientiae talento non facis lucrum: nisi quod alio forte negotiandi genere, etsi minus copiose, minus tamen periculose fructificare valeres. Horreo, factor, sic enim tibi, ut mihi loqui debeo quod sentio; horreo, inquam, considerans, unde, quo vocaris: præsertim cum nullum intercurrerit poenitentiae tempus, per quod utcumque hujusmodi periculosissimus transitus fiat. Et quidem rectus ordo requirit ut prius propriam, deinde alienas curare studeas conscientias. Primus quippe pietatis gradus est, de quo scriptum est: *Miserere animæ tuæ placens Deo (Eccli. xxx, 24)*. Ex hoc autem ad miserandum proximum recto jam tramite charitas ordinata procedit; quippe quem ad sui quisque mensuram amare præcipitur. Quod si in hunc modum quo te hactenus ipse amasti, et tibi committendos amaturus es, malo ego quidem tibi non committi, quam sic

A diligi. Si autem prius te diligere didicisses, et me forsitan scires amare.

2. Sed quid, si suam Deus acceleret tibi gratiam, et multiplicet misericordiam, et sit ad restituendam innocentiam efficacior velox clementia quam diuturna poenitentia? Beatus siquidem, cui non imputabit Dominus peccatum (*Psal. xxxi, 2*). Nam quis accusabit adversus electum Dei? Si Deus justificat, quis est qui condemnet? Hoc salutis compendium sanctus ille latro consecutus est: uno eodemque die simul et confessus latrocinia, et introductus in gloriam, brevi quodam contentus ponte crucis ad transigendum [*al. transeundum*] de regione dissimilitudinis in terram viventium, et de luto facis in paradysum voluptatis (*Luc. xxiii, 40-43*). Hoc subitum pietatis remedium percepit felix illa peccatrix, cum repente ubi superabundaverant delicta, abundare coepit et gratia. Absque multo poenitentiae labore dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multam (*Luc. vii, 37-50*); et in brevi meruit charitatis accipere latitudinem, quæ, ut scriptum est, *cooperit multitudinem peccatorum (I Petr. iv)*. Hoc et ille paralyticus in Evangelio duplex atque celerrimum potentissimæ bonitatis persensit beneficium, prius mente quam carne curatus.

3. Sed aliud et celerem adipisci veniam peccatorum, et aliud de ipsis sceleribus ad infulas mox proveli dignitatum. Video tamen Matthæum de telonio ad apostolatus culmen assumptum (*Matth. ix, 2-9*); sed hoc me rursus conturbat, quod non prius audierit cum cæteris coapostolis suis, *Ite in orbem universum, prædicate Evangelium omni creaturæ (Marc. xvi, 15)*; quam egerit poenitentiam, multo tempore ac labore sequendo Dominum quocumque iret, permanens cum eo in tentationibus suis. Sed et si **27** occurrat de Ambrosio, quod de tribunalibus ad sacerdotium raptus fuerit (*THEODORET, Hist. lib. iv, cap. 6*), non me valde confortat, cum a puero mundam in mundo duxerit vitam, et sic etiam fuga et latebris multisque dissimulationum modis declinare conatus sit. Si de Saulo quoque factus repente Paulus, repente vas electionis, repente Doctor gentium in exemplum adducitur: hoc exempli evacuat similitudinem, quod ille ideo misericordiam consecutus sit, quia ignorans ipso teste peccavit, manens in incredulitate (*I Tim. i, 15*). Quanquam si tale quidpiam quandoque bene et utiliter factum fuisse agnoscitur, de quo dici veraciter possit, *Hæc est mutatio dexteræ Excelsi (Psal. lxxvi, 11)*, non tam exemplum, quam miraculum afferri debeat.

4. Hæc interim a me ad id quod quæritis, suspensive responsa sufficiant. Neque enim possum,

(79) Scripta anno Christi 1151. Bruno II, filius Engelberti Altenæ comitis, consecratus anno 1152 a Guillelmo cardinali episcopo Prænestino, Friderico sub finem anni 1151 mortuo successit in sedem Coloniensem. Anno 1156 cum Lothario imperatore in Italiam profectus, in pervigilio Pentecostes anni insequentis ex minutione sanguinis extinctus, Barri in Apulia sepultus est, in ecclesia B. Nicolai; Hugone decano ipsi successit, qui et ipse anno proximo itidem

ex minutione decessit. Hæc ex Chronographo Saxonico inedito. Porro Brunonis sepulcrum uti et Ranulphi ducis Rogerius Sciliæ princeps paulo post effregit, et cadavera eorum educta per forum traxit, ac demum plus quam barbara crudelitate dilaceravit. Vide Baronium ad hunc annum; Ottonem Frisingensem, Chronici libro 17, capp. 21, 23; Sigonium, De Regno Ital. libro 2, et Chronographum Saxonicum ineditum.

unde certus non sum, certam proferre sententiam. Sic contingere debet quærenti rem ubi non sit sermo a propheta. Consilium a sapiente quærendum est. Nunquid enim de luto limpidum quidpiam haurire potestis? Unum tamen est quod amico absque periculo, et nequaquam sine fructu impendere possumus, nostræ videlicet pro hac re orationis ad Deum qualecunque suffragium. Deo ergo relinquentes sui, quod ignoramus, secretum consilii, ipsum supplici devotione et devota supplicatione precamur, ut in vobis et de vobis operetur, quod et se deceat, et vobis expediat. Habetis autem dominum Norbertum, (80) quem melius præsentem præsens de talibus interrogare potestis. Nam tanto vir ille in divinis aperiendis mysteriis nobis promptior, quanto et Deo propior esse cognoscitur.

#### EPISTOLA IX (81).

AD EUMDEM JAM ARCHIEPISCOPUM COLONIENSEM.

*Brunonem recens creatum archiepiscopum Coloniensem ad timorem inducit.*

Dignationis vestræ suscepi scripta devotus, et ad injuncta sollicitus fui; et si profui, vos probabit. Sed de hoc satis. Porro in eadem charitate audeo quæ sequuntur. Si cunctos qui vocantur ad ministerium, constat eligi et ad regnum; profecto securus est Coloniensis archiepiscopus. Quod si etiam et Saulem in regno, et Judam in sacerdotio legitur elegisse non alius quam ipse Deus; et non potest solvi Scriptura quæ hoc asserit: timeat necesse est et Coloniensis archiepiscopus. Si vero (quod verum est) et illa sententia hodie quoque viget, quia non multos nobiles, non multos potentes, non multos sapientes elegit Deus (I Cor. I, 26), nunquid non triplicem quoque habet timendi causam Coloniensis archiepiscopus? Curemus ergo in alto positi, non altum sapere, sed timere, sed humilibus consentire. *Principem, inquit, te constituerunt: esto in illis tanquam unus ex illis (Eccli. xxxii, 1): et iterum: Quanto major es, tanto humilia te in omnibus (Eccl. iii, 20). Sapiens est qui hoc consultit, quippe haud secus sentiens ab ipsa Sapientia quæ ait: Qui major est vestrum, fiat sicut minor (Luc. xxii, 26). Alioquin judicium durum his qui præsent (Sap. vi, 6): timeat potestas. Servus quoque sciens voluntatem domini sui, et non faciens digna, vapulabit multis (Luc.*

(80) Præmonstratensis Ordinis fundatorem. Vide de eo epistolam 59.

(81) Scripta anno Christi 1132.

(82) Scripta anno Christi 1132.

(83) Scripta circa annum 1125. Guigo, cognomento de Castro, natione Gallus, patria Delphinus, nativitate Valentiniensis, Cartusie majoris a B. Brunone quintus prior generalis, Statutorum primus scriptor, Bernardo charissimus, ut constat tum ex hac epistola, tum ex libro tertio Vitæ S. Bernardi, cap. 1. Petro Venerabili infra, in epistola 388, dicitur « singularis suo tempore et præclarissimus religionis flos. » Idem in libri 6 epist. 40, ad Basilium, Guigonis in Cartusie majoris regimine successorem: « Decreveram renovare tecum, » inquit, « antiquas illas et sanctas felicitis memorie domini Guigonis prædecessoris tui mecum sæpe habitas collationes,

xii, 47): timeat qui cognovit litteraturam. Timeat nobilis, quia iudex omnium non est acceptor personarum. Iste profecto necessarij timoris funiculus triplex difficile rumpitur. Durusne videor, quia non blandior, quod metum incutio, quod amico cupic initium sapientie? Sic mihi contingat semper beare amicos, id est, terrendo salubriter, non adulando fallaciter. Ad illud me provocat qui dicit: *Beatus homo qui semper est pavidus (Prov. xxviii, 14). Ab hoc revocat qui ait: Popule meus, qui te beatificant, in errorem inducunt (Isai. iii, 12).*

#### 28 EPISTOLA X (82).

AD EUMDEM.

*Brunonem ad justum corripiendi zelum excitat.*

Horrendum punire nefas, etsi duplici ratione incumbat vobis, tum videlicet pro debito officii, tum quia et apostolica injungit auctoritas; puto tamen quod non supervacua in re tanta etiam amici commotio accedit. Hoc autem est quod amicum et patrem cupimus esse admonitum, ut hæc ipsa ultio quæ facienda est, eo quoque relo quo facienda est, fiat: quatenus non solum præsens facinus mulctum esse videatur, sed etiam a simili temeritate audiens omnis malignitas compescatur.

#### EPISTOLA XI.

AD GUIGONEM PRIOREM (83), ET CÆTEROS CARTUSIE MAJORIS RELIGIOSOS.

*De veræ et sinceræ charitatis lege, signis, effectis, gradibus, perfectione Patriæ reservata, multa prædissert.*

Inter patres reverendissimis [*al. reverentissimis*], et inter amicos charissimis, GUIGONI priori Cartusienſi, cæterisque sanctis qui cum eo sunt, frater BERNARDUS de Clara-Valle, salutem æternam.

1. Sanctitatis vestræ litteras tam lætus accepi, quam avidus et olim desideraveram. Legi eas, et quasolvebam in ore litteras, scintillas sentiebam in pectore: quibus et concaluit cor meum intra me, tauquam ex illo igne, quem Dominus misit in terram (Luc. xii, 49). O quantus in illis meditationibus exardescit ignis, e quibus hujusmodi evolvuntur scintillæ! Vestra illa succensa et succendens salutatio sic mihi, ut verum fatear, accepta fuit, et est, quasi non ab homine, sed certissime ab illo qui mandat salutes Jacob, descendere videretur. Non me sane

quibus velut scintillis ab ejus ore prodeuntibus accendebar, et omnium pene humanarum rerum oblivisci cogebam. » Vir erat insignis modestie, uti suis se ipse coloribus depinxit in quadam epistola ad Petrum Cluniacensem: « Petimus, » inquit, « per eam qua in nos indignos vestra fervent viscera dilectionem, ut quando nostræ exiguitati vestra scribere dignatur serenitas, ita de propria cogitetis ædificatione, ut infirmitatem nostram periculosa non inlletis elatione. Et illud præ omnibus et super omnia quæsumus, et defixis in terram genibus obsecramus, ne vilitatem nostram Patris nomine dignam ulterius æstimetis. Satis et super satis est, si frater, si amicus, si filius appelletur, qui nec servi nomine dignus habetur » (inter Epistolas Petri Venerabilis, libri I epist. 25). Quo quidem exemplo ipse Venerabilis Petrus ad Bernardum scribens postmodum usus est,

arbitror salutatum in via, non in transitu, non veluti ex occasione, ut assolet, consuetudinis; sed plane ex visceribus, ut sentio, charitatis prodiit hæc tam grata et inopinata benedictio. Benedicti vos a Domino, qui me in benedictionibus dulcedinis tantæ prævenire curastis, ut daretur puero vestro, vobis primum scribentibus, fiducia rescribendi, scribere quidem ad vos jam pridem gestienti, sed non præsumenti. Verebar nimirum sanctam, quam in Domino habetis, importunis scriptitationibus infestare quietem, jure illud vestrum sacrumque silentium a sæculo, susurrium cum Deo, vel ad modicum interrumpere, nostraque ingerere auribus secretis penitus occupatis supernisque eulogiis. Timebam omnino molestus fieri vel Moysi in monte, vel Eliæ in deserto, aut certe excubanti in templo Samuëli, si divinis intentissimos confabulationibus aliquatenus avocare tentassem. Clamat Samuel, *Loquere, Domine, quia audit servus tuus (I Reg. iii, 10)*: et ego me audiri præsumerem? Timebam, inquam, ne si et David elonganti se et fugienti, manentique in solitudine, importunus insisterem, indignans excusaret et diceret: Sine me, non audio te modo; audiam potius quod dulcius ausculto. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus; quoniam loquetur pacem in plebem suam, et super sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad cor (Psal. lxxxiv, 9)*. Aut certe illud: *Declinate a me, maligni, et scrutabor mandata Dei mei (Psal. cxviii, 115)*. Quid enim? egone tam temerarius essem, ut inter sponsi brachia suaviter quiescentem auderem suscitare dilectam, quousque vellet ipsa? Putarem illico auditurum me ab illa: Noli mihi molestus esse: *Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia (Cantic. ii, 16)*.

**29** 2. Verum quod non audeo ego, audeat charitas, et cum omni fiducia pulsat ad ostium amici, nequaquam putans pati se debere repulsam, quæ amicitiarum matrem se novit; nec veretur vestrum, etsi gratissimum, paulisper inquietare otium, propter suum negotium. Ipsa profecto, ipsa cum vult, facit vos excedere Deo; ipsa et cum voluit, fecit sobrios nobis: adeo ut minime duceretis indignum, non modo sustinere loquentem, sed tacentem insuper benigne provocare. Amplector benignitatem,

ut videre licet hic epistola 388: uterque forsitan æmulatus Bernardum, epistola 72. Scripsit vero et ipse plura, quibus, inquit Trithemius, nomen suum immortalitate donatum est: nempe Vitam S. Hugonis Gratianopolitani episcopi, quæ Innocentio II dicata reperitur apud Surium tome II, die prima Aprilis; Meditationes, quæ exstant in Bibliotheca Patrum; tractatum de Veritate et Pace, manuscriptum in Bibliotheca Cartusiæ Coloniensi, Institutorum Cartusiensium librum unum; item librum de Contemplatione; Epistolas denique varias, ex quibus quatuor hic habes tome 6, aliis a me post Horstium inutili diligentia perquisitis. Cum enim ea de re scripsissem ad reverendissimum Patrem D. Joannem Pegon, priorem Cartusiæ majoris atque Ordinis Generalem, hoc ab eo responsum habere merui, nimirum, post

A dignationem admiror, laudo et veneror puritatem, qua de nostris profectibus, quos putatis, tanta in Domino exultatione gloriamini. Glorior et ego plurimum tanto testimonio, et servorum Dei tam grata, quam gratuita admodum familiaritate delector. Hæc jam gloria mea, hoc gaudium meum, hæc deliciae cordis mei, quod non frustra levarim oculos meos in montes, unde quippe jam non mediocre venit auxilium mihi. Hi jam nobis stillarunt montes dulcedinem; et adhuc spero quia stillabunt, quousque valles nostræ abundabunt frumento. Festivus enim erit mihi dies ille ducendus, et memoriale sempiternum, in quo virum illum videre ac suscipere merui, per quem factum est ut in cordibus vestris ego reciperer. Et quidem jam ante receperatis, ut B apparet in litteris vestris: sed nunc arctius, ut comperi, et familiarius, cum ille vobis retulit de me quædam, quæ etsi non probaverit, putavit tamen, Fidelis quippe et religiosus, absit ut aliter loqueretur, quam credidit. En revera in me experior quod ait Salvator: *Qui recipit justum in nomine justo, mercedem justo accipiet (Matth. x, 41)*. Mercedem quippe justo dixerim, quod justus reputor, non ob aliud, nisi quod justum recepi. Nam si qua superaddita sunt, ea justus non tam ex veritate rei, quam ex puritate sui locutus est. Audistis, credidistis, exultastis, scripsistis, et me non parum lætificastis, non solum quod aliquem locum gratiæ, et locum non mediocre, apud vestram merui sanctitatem, sed et quod nobis vestrorum non parva ex parte puritas animorum innotuit. Paucis pro certo aperuistis, cujus spiritus estis.

3. Gaudeo proinde mihi, gaudeo et vobis; meæ utilitati, et vestræ sinceritati. Illa siquidem vera et sincera est charitas, et omnino de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta judicanda procedere, qua proximi bonum æque ut nostrum diligimus. Nam qui magis, aut certe solum diligit suum, convincitur non caste diligere bonum, quod utique propter se diligit, non propter ipsum. Et hie talis non potest obedire prophætæ, qui ait: *Confitemini Domino, quoniam bonus (Psal. cxvii, 1)*. Confitetur quidem quia fortasse bonus est sibi, non autem quoniam bonus est in se. Quapropter noverit in se dirigi illud ab eodem propheta opprobrium: *Confitebitur tibi cum benefeceris ei (Psal. xlviii, 19)*.

sex incendia, quæ sacra illa domus ab incunabilis passa est, vix quidquam superesse instructissimæ illius manuscriptorum supellectilis, quam majores sui summa cura et diligentia adornaverant. Tribuitur etiam eidem Guigoni liber de Scala Claustralium, relatus tome 6. Nec omittendum quod de illo refert Trithemius, scilicet quod Epistolas S. Hieronymi nimio scriptorum vitio depravatas, diligenti studio ad veritatis limam emendaverit, et in unum comportaverit. Guigonis hæc de re epistolam habes hic ex Analectorum tome 4. Porro quinquagesimum ætatis agens annum, inquit Sutor, de Vita Cartusiana, libro 2, cap. 5, conversionis vero trigesimo, Prioratus sui vigesimo septimo vel circiter, non sine sanctitatis opinione spiritum Domino reddidit anno 1137, ab inchoatione vero Ordinis quinquagesimo tertio.



Est qui confitetur Domino, quoniam potens est; et est qui confitetur, quoniam sibi bonus est: et item qui confitetur, quoniam simpliciter bonus est. Primus servus est, et timet sibi; secundus mercenarius, et cupit sibi; tertius filius, et desert patri. Itaque et qui timet, et qui cupit, uterque pro se agunt: sola quæ in filio est charitas, non quærit quæ sua sunt. Quam ob rem puto de illa dictum, *Lex Domini immaculata, convertens animas* (*Psal. xviii, 8*); quod sola videlicet sit, quæ ab amore sui et mundi avertere possit animum, et in Deum dirigere. Nec timor quippe, nec amor privatus convertit animam. Mutant interdum vultum vel actum, affectum nunquam. Facit quidem etiam servus nonnunquam opus Dei: sed quia non sponte, in sua adhuc duritia permanere convincitur. Facit et mercenarius; sed quia non gratis, propria trahi cupiditate cognoscitur. Porro ubi proprietas, ibi singularitas; ubi autem singularitas, ibi angulus; ubi vero angulus, ibi sine dubio sordes sive rubigo. Sit itaque servo sua lex timor ipse, quo constringitur; sit mercenario sua cupiditas, qua et ipse arctatur, quando ab ipsa tentatur abstractus et illectus. Sed harum nulla aut sine macula est, aut animas convertere potest. Charitas **30** vero convertit animas, quas facit et voluntarias.

4. Porro in eo eam dixerim immaculatam, quod nil sibi de suo retinere consuevit. Cui nempe de proprio nihil est, totum profecto quod habet, Dei est: quod autem Dei est, immundum esse non potest. Lex ergo Domini immaculata, charitas est, quæ non quod sibi utile est quærit, sed quod multis. Lex autem Domini dicitur, sive quod ipse ex ea vivat, sive quod eam nullus nisi ejus dono possideat. Nec absurdum videatur quod dixi etiam Deum vivere ex lege, cum non alia dixerim quam charitate. Quid vero in summa et beata illa Trinitate summam et ineffabilem illam conservat unitatem, nisi charitas? Lex est ergo, et lex Domini charitas, quæ Trinitatem in unitate quodammodo cohibet, et colligat in vinculo pacis. Nemo tamen me existimet charitatem hic accipere qualitatem, vel aliquod accidens; alioquin in Deo dicerem (quod absit) esse aliquid quod Deus non est; sed substantiam illam divinam: quod utique nec novum nec insolitum est, dicente Joanne, *Deus charitas est* (*I Joan. iv, 16*). Dicitur ergo recte charitas et Deus, et Dei donum. Itaque Charitas dat charitatem, substantiva (84) accidentalem. Ubi dantem significat, nomen est substantiæ; ubi donum, qualitatis. Hæc est lex æterna, creatrix et gubernatrix universitatis. Siquidem in pondere, et mensura, et numero per eam facta sunt universa: et nihil sine lege relinquitur, cum ipsa quoque lex omnium sine lege non sit; non tamen alia quam se ipsa, qua et se ipsam etsi non creavit, regit tamen.

5. Cæterum servus et mercenarius habent legem non a Domino, sed quam ipsi sibi fecerunt, ille

A Deum non amando, iste plus aliud amando. Habent, inquam, legem non Domini, sed suam, illi tamen quæ Domini est subjectam. Et quidem suam sibi quisque legem facere potuerunt; non tamen eam incommutabili æternæ legis ordini subducere potuerunt. Tunc autem dixerim quemque sibi suam fecisse legem, quando communi et æternæ legi propriam prætulit voluntatem, perverse utique volens suum imitari Creatorem: ut sicut ipse sibi lex, sui que juris est, ita is quoque se ipsum regeret, et legem sibi suam faceret voluntatem: grave utique et importabile jugum super omnes filios Adam, heu! inclinans et incurvans cervices nostras, adeo ut vita nostra inferno appropinquaverit. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? (*Rom. vii, 24.*) quo utique sic premor, ut nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea (*Psal. xciii, 17*). Sub hoc onere gravatus gemebat qui dicebat: *Quare posuisti me contrarium tibi, et factus sum mihi metipsi gravis?* (*Job vii, 20.*) Ubi dixit, *Factus sum mihi metipsi gravis*, ostendit quod lex ipse sibi esset, nec alius hoc quam ipse sibi fecisset. Quod autem Deo loquens præmisit, *Posuisti me contrarium tibi*; Dei se tamen non effugisse legem indicavit. Hoc quippe ad æternam justamque legem Dei pertinuit, ut qui a Deo noluit suaviter regi, pœnaliter a se ipso regeretur; quique sponte jugum suave et onus leve charitatis abjecit, propriæ voluntatis onus importabile pateretur in vitas.

C 6. Miro itaque modo æterna lex fugitivum suum, et posuit sibi contrarium, et retinuit subjectum: dum videlicet nec justitiæ pro meritis legem evasit, nec tamen cum Deo in sua luce, in sua requie, in sua gloria remansit; subjectus potestati, et submotus felicitati. Domine Deus meus, cur non tollis peccatum meum, et quare non auferis iniquitatem meam (*Ibid. 21*), ut abjecta gravi sarcina propriæ voluntatis, sub levi onere charitatis respirem, nec jam servili timore coercear, nec mercenaria cupiditate illiciar, sed agar spiritu tuo, spiritu libertatis, quo aguntur filii tui: qui testimonium reddat spiritui meo, quod et ego sim unus ex filiis, dum eadem mihi lex fuerit quæ et tibi; et sicut tu es, ita et ipse sim in hoc mundo? Hi siquidem qui hoc faciunt, quod ait Apostolus, *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis* (*Rom. xiii, 8*), procul dubio sicut Deus est, et ipsi sunt in hoc mundo; nec servi aut mercenarii **31** sunt, sed filii. Itaque nec filii sunt sine lege, nisi forte aliquis aliter sentiat propter hoc quod scriptum est: *Justis non est lex posita* (*I Tim. i, 9*). Sed sciendum quod alia est lex promulgata a spiritu servitutis in timore, alia a spiritu libertatis data in suavitate. Nec sub illa coguntur esse filii, nec sine ista patiuntur. Vis audire quia justis non est lex posita? *Non accepistis*, inquit, *spiritum servitutis iterum in timore. Vis audire quod*

(84) Alias; mendose, *substantia*.

tamen sine lege charitatis non sint? *sed accepistis*, A ait, *spiritum adoptionis filiorum* (Rom. viii, 15). Denique audi justum utrumque de se fatentem, et quod non sit sub lege, nec tamen sit sine lege. *Factus sum*, inquit, *his qui sub lege erant, quasi sub lege essem, cum ipse non essem sub lege; his qui sine lege erant, tanquam sine lege essem, cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi* (I Cor. ix, 21). Unde apte non dicitur: *Justi non habent legem; aut, Justis sunt sine lege: sed Justis non est lexposita; hoc est, non tanquam invitis imposita, sed voluntariis eo liberaliter data, quo suaviter inspirata. Unde et pulchre Dominus: Tollite*, ait, *jugum meum super vos* (Matth. xi, 29). Ac si diceret: *Non impono invitis, sed vos tollite si vultis. Alioquin non requiem, sed laborem invenietis animabus vestris.*

7. Bona itaque lex charitas et suavis, quæ non solum leviter suaviterque portatur, sed etiam servorum et mercenariorum leges portabiles ac leves reddit, quas utique non destruit, sed facit ut impleantur, dicente Domino: *Non veni legem solvere, sed adimplere* (Matth. v, 17). Illam temperat, istam ordinat, utramque levigat. Nunquam erit charitas sine timore, sed casto; nunquam sine cupiditate, sed ordinata. Implet ergo charitas legem servi, cum infundit devotionem; implet et mercenarii, cum ordinat cupiditatem. Porro timori permixta devotio ipsum non annullat, sed castificat. Pœna tantum tollitur, sine qua esse non potuit dum fuit servilis; et timor manet in sæculum sæculi castus et filialis (Psal. xviii, 10). Nam quod legitur, *Perfecta charitas foras mittit timorem* (I Joan. iv, 18), pœna intelligenda est, quæ servili, ut diximus, nunquam deest timori, illo scilicet genere locutionis, quo sæpe causa ponitur pro effectu. Deinde cupiditas tunc recte a superveniente charitate ordinatur, cum mala quidem penitus respuuntur, bonis vero meliora præferuntur, nec bona nisi propter meliora appetuntur. Quod cum plene per Dei gratiam assecutum fuerit, diligetur corpus, et universa corporis bona tantum propter animam, animam propter Deum, Deus autem propter se ipsum.

8. Verumtamen quia carnales sumus, et de carnis concupiscentia nascimur, necesse est cupiditas vel amor noster a carne incipiat: quæ si recto ordine D dirigitur, quibusdam suis gradibus duce gratia proficiens, spiritu tandem consummabitur: quia non prius quod spirituale, sed quod animale, deinde quod spirituale; et prius necesse est portemus imaginem terrestris, deinde cœlestis (I Cor. xv, 46-49). In primis ergo diligit se ipsum homo propter se. Caro quippe est, et nil sapere valet præter se. Cumque se videt per se non posse subsistere, Deum sibi quasi necessarium incipit per fidem inquirere et diligere. Diligit itaque in secundo gradu Deum, sed propter se, non propter ipsum. At vero cum ipsum cœperit occasione propriæ necessitatis colere et frequentare cogitando, legendo, orando, obediendo, quadam hujuscemodi familiaritate paulatim sensim-

que Deus innotescit, consequenter et dulcescit; et sic gustato quam suavis est Dominus, transit ad tertium gradum, ut diligit Deum, non jam propter se, sed propter ipsum. Sane in hoc gradu statur, et nescio si a quoquam hominum quartus in hac vita perfecte apprehenditur, ut se scilicet homo diligit tantum propter Deum. Asserant hoc si qui experti sunt: mihi, fateor, impossibile videtur. Erit autem procul dubio cum introductus fuerit servus bonus et fidelis in gaudium Domini sui, et inebriatus ab ubertate domus Dei. Quasi enim ebrius, miro quodam modo oblitus sui, et a se penitus velut deficiens, 32 totus perget in Deum, et deinceps adhærens ei unus spiritus erit.

9. Arbitror hoc prophetam sensisse cum diceret: B *Introibo in potentias Domini; Domine, memorabor justitiæ tuæ solius* (Psal. lxx, 16). Sciebat profecto cum introiret in spirituales potentias Domini, exutum se iri universis infirmitatibus carnis, ut jam nil de carne haberet cogitare, sed totus in spiritu memoraretur justitiæ Dei solius. Tunc pro certo singula Christi membra dicere poterunt de se, quod Paulus aiebat de capite: *Etsi cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus* (II Cor. v, 16). Nemo ibi se cognoscit secundum carnem, quia caro et sanguis regnum Dei non possidebunt (I Cor. xv, 50). Non quod carnis substantia illic futura non sit; sed quod carnalis omnis necessitudo sit defutura, carnisque amor amore spiritus absorbendus, et infirmæ quæ nunc sunt humanæ affectiones in divinas quasdam potentias habeant commutari. Tunc sagena charitatis, quæ nunc tracta per hoc mare magnum et spatiosum, ex omni genere piscium congregare non desinit, cum perducta ad littus fuerit, malos foras mittens, bonos solum mundo retinebit. Siquidem in hac vita ex omni genere piscium, intra sinum suæ latitudinis, charitatis rete concludit: ubi se pro tempore omnibus conformans, omniumque in se sive prospera, sive adversa trajiciens, suaque quodammodo faciens, non solum gaudere cum gaudentibus, sed etiam flere cum flentibus consuevit. Sed cum pervenerit ad littus, velut malos pisces omne quod triste patitur, foras mittens, sola quæ placere et jucunda esse poterunt, retinebit. Nunquid enim tunc, verbi gratia, Paulus aut infirmabitur cum infirmis, aut uretur pro scandalizatis, ubi scandala et infirmitas procul erunt? aut certe lugebit eos qui ante non egerunt pœnitentiam, ubi certum est, sic neminem sane fore qui pœniteat, quomodo qui peccet non erit? Absit autem ut vel eos qui ignibus æternis cum diabolo et angelis ejus deputandi sunt, plangat et defleat in illa civitate, quam fluminis impetus lætificat (Psal. xlv, 5), cujus diligit Dominus portas super omnia tabernacula Jacob (Psal. lxxxvi, 2); quod videlicet in tabernaculis etsi quandoque gaudetur de victoria, laboratur tamen in pugna, et plerumque periclitatur de vita: in illa autem patria nulla prorsus admittitur adversitas

sive tristitia, quemadmodum de illa canitur: *Sicut lætantium omnium habitatio in te* (Psal. 86, 7); et rursum: *Lætitia sempiterna erit eis* (Isai. LXI, 7). Denique quomodo misericordiae recordabitur, ubi memorabitur justitiae Dei solius? Proinde ubi jam non erit miseriae locus, aut misericordiae tempus, nullus profecto esse poterit miserationis affectus.

10. Longum quidem adhuc texere sermonem insatiabili colloquendi ad vos desiderio pulsor, fratres mei charissimi et desideratissimi; sed tria sunt quae finem indicunt. Primum quidem, quod maxime vereor ne fiam onerosus vobis: secundum, quia pudet loquacitatis: tertium, quod domesticis urgeor curis. In fine precor, miseremini mei; et si exultastis in bonis de me tantum auditis, certis, quaeso, compatimini malis. Vidit fortassis qui vobis ea narravit, aliqua parva, et de parvis grandia aestimavit; vestra autem sinceritas facile credidit quod libenter audivit. Gratulor quidem de charitate, quae omnia credit (I Cor. XIII, 7); sed confundor pro veritate, quae omnia novit. Volo vos mihi credere de me magis quam alteri, qui tantum videt in facie. Nemo quippe scit quae sunt in homine, nisi spiritus hominis qui in eo est (I Cor. II, 11). Dico vobis ego qui de me loquor non ex conjectura, sed ex sententia: Non sum talis qualis putor vel dicor. Quod quidem tam securus fateor, quam certus experior: ita ut nil malim vestris orationibus specialiter obtinere, quam ut talis fiam, qualem litterae vestrae praedicant.

### 33 EPISTOLA XII.

AD EOSDEM.

*Orationibus eorum se commendat.*

Amantissimo domino, et reverendissimo patri GUIGONI priori Cartusiensi, et sanctis fratribus adherentibus ei, frater BERNARDUS de Clara-Valle, modicum id quod est.

Primum quod, accedens ad partes illas, non adjeci pervenire usque ad vos videre facies vestras, rememorari iniquitates et necessitates meas: etsi vobis forsitan satisfacere possum, mihi, fateor, non possum. Irascor occupationibus meis, quibus factum est, non ut neglexerim, sed ut nequiverim. Hoc

(85) Scripta anno Christi 1126. Illustris cardinalis Baronius hanc epistolam refert ad annum 1129, sicut et tres sequentes. Verum, ut optime advertit Manriquez in Annalibus, ad annum 1126 pertinere debet. Nam ex suppresso Bernardi nomine, iuno ex ipso contextu, prima ad Honorium scripta intelligitur, cui se tunc incognitum Bernardus existimabat. At certe exstant aliae ad ipsum Honorium datae, scilicet epistolae 47 et 49, quas ipse Baronius reponit ad annos 1127 et 1128; proinde haec anno superiori, nimirum 1126, collocanda est, quo Ebali Catalaunensis obitum, in cuius locum electus est Albericus, Acta ejusdem Ecclesiae contigisse probant.

(86) Illustris certe fuit Albericus, Remensis nuncupatus, si non genere, saltem doctrina et virtute, Abaelardi quondam sub Anselmo Laudunensi condiscipulus, demum antagonista, quo potissimum agente in synodo Suessionensi, is suum librum de Trinitate flammis tradere compulsus est. Ipse vero Albericus ex Remensi scholiarcha episcopus Catalaunensis

frequenter patior, et ideo frequenter irascor: dignus utinam, cui omnis sanctus condoleat. Alioquin dupliciter miser sum, si nec miserabilis sum. Ego vero fraternae pietati locum in me ostendo, non meritum. Miseremini mei, non quia dignus, sed quoniam inops et pauper sum ego. Justitia meritum quaerit: misericordia miseriam intuetur. Vera misericordia non judicat, sed afficit: non nititur discussione, occasione contenta. Non enim expectatur ratio, ubi affectio trahit. Lugebat Samuel Saul, miserans, non deliberans (I Reg. xv, 35). Fundebat lacrymas David filio parricidae, etsi non profuturas, pias tamen (II Reg. xviii, 35). Ita et vos miseremini mei, non quia merui, sed quia egeo. Miseremini tanquam misericordiam consecuti a Domino, ut sine timore a mundi tumultibus liberati, serviatu ei. Felices, quos abscondit in tabernaculo suo in umbra alarum suarum sperantes, donec transeat iniquitas. Caeterum ego infelix, pauper et nudus, homo natus ad laborem, implumis avicula pene omni tempore nidulo exsulans, vento exposita et turbini, turbatus sum et motus sum sicut ebrius, et omnis conscientia mea devorata est. Miseremini proinde, etsi nil meriti, certe sic affecti.

### EPISTOLA XIII.

AD DOMINUM PAPAM HONORIUM (85).

*Alberici electionem ad episcopatum Catalaunensem ratam haberi petit.*

Summo pontifici Honorio, frater quidam professione monachus, conversatione peccator, se ipsum quantillus est.

Aliant apud vos plus valere pauperis precem, quam potentis vultum. De qua vestra singulari dignatione tam sancta opinio facit me dignitatis celsitudinem non vereri, quo minus audeam loqui ad vos, id praesertim quod charitas suggerit. De Ecclesia dico, domine, Catalaunensi, cujus, quantum in me est, nec valeo, nec debeo dissimulare periculum. Videmus nimirum, jamjamque imminere sentimus, nos qui vicini sumus, pacem videlicet memoratae Ecclesiae graviter mox esse turbendam, si electioni illustri illius viri, id est, magistri Alberici (86), in quam 34 utique totus tam clerus, quam populus

nensis est electus post obitum Ebali, non vero Guillelmi de Campellis ut volunt Picardus, Horstius, Chesnius et alii. Sive enim Guillelmus decesserit anno 1119, ut ipsi numerant; sive anno 1121, quod supra probatum est in notis ad epistolam 3, verisimile non est sedem Catalaunensem vacasse ad promotionem Honorii papae (ad quem Bernardus pro Alberico scribit), factam anno 1124. An autem electio et Bernardi commendatio effectum sortita sit, affirmat alter Albericus in Chronico ad annum 1126; negant alii fere omnes, quod quidem certissimum videtur. Nam in nomenclatura Patrum qui concilio Trecensi anno 1127 seu 1128 interfuere, recensitis Patribus ipsoque Catalaunensi episcopo, suppresso licet nomine, magister Albericus Remensis inter alios inferioris ordinis exprimitur. Denique constat ipsum in sede Bituricensi defuncto Ulgrino successisse, ut recte probat Chesnius in notis ad Abaelardum. Albericus, Ecclesiae Remensis scholarum magister, et scientia litterarum atque consilii prudentia clarissimus, teste

pari voto et voce convenerant et conveniunt, vestrae pietatis assensum impetrare nequiverint. De qua re si et nostra quaeritur aut curatur sententia, novimus hominem sanæ fidei et doctrinæ hactenus existisse; in divinis pariter et humanis prudentem esse; et speramus in domo Dei (si tamen ipse elegit eum) fore vas in honorem, et utilem futurum non solum illi, sed et omni Gallicanæ Ecclesiæ. Vestrae jam discretionis est judicare, an merito flagitetur a vobis facienda dispensatio, unde talis potest sperari recompensatio.

## EPISTOLA XIV (87).

AD EUNDEM HONORIUM PAPAM.

*Causam Ecclesiæ Divionensis, summo Pontifici commendat.*

Summo pontifici HONORIO, frater BERNARDUS vocatus abbas Claræ-Vallis, salutem, et si quid potest peccatoris oratio.

Quanto ad vos timore scribam, novit ipse quem timemus in vobis. Sed ut audeam, domina charitas facit: quippe quæ imperat et vobis. Pro Ecclesia Divionensi rogatus (88), suscepi facere precem; sed quid potissimum præcari debeam, pene dubito. Nam sicut tentare aliquid vel prece vel pretio adversus justitiam iniquum est: sic pro justitia multum labo-

Roberto de Monte, « Remensis » originte dicitur a Petro Abælardo in *Historia Calamitatum suarum*, cap. 5, et discipulus Guillelmi de Campellis, « condiscipulus » Abælardi, ab Heloissa in epistola 2. Ad eum de Christi timore Gualterus episcopus Laudunensis scribit epist. 4 quæ exstat in *Spicilegii* tomo 2, pag. 469. Fallor si non ipse est « magister in Francia, » quem tacito nomine suggillat Abælardus in *Theologiæ introductione*, pag. 1066. Obiit anno 1141. Confer epistolam 58, quæ ante hanc scripta est ad Ebalum, et legis Marlotum in *Metropolis Remensis* tomo 2, pag. 285. Fuit alter Albericus Remensis, dictus de Porta-Veneris, de quo Joannes Saresberiensis, epistola 182. Quod spectat ad periculum, quod Bernardus in hac epistola dicit imminere Ecclesiæ Catalaunensi, nisi confirmetur Alberici electio, non videtur interpretandum de ambitu Henrici Viridunensis, quem Baronius, Manriquez ad annum 1129, et auctor Gallicæ purpuratæ in *Matthæo*, asserunt voluisse invadere sedem Catalaunensem; sed potius de perturbatione consequenda, si vota et unanimis tam cleri quam populi postulatio frustrarentur, ut in consequentibus Bernardus satis insinuat. Quod autem asserunt præfati auctores pro fundamento suæ sententiæ, fragmentum videlicet epistolæ 48 ejusdem sancti ad Haimericum, ubi sic ait, « Quid in me, o boni viri, displicuit paternitati vestrae? utrumne quod apud Catalaunum amotus est a villicatione sibi credita homo usquequaque diffamatus, qui in Ecclesia Viridunensi, cui præfuerat, dissipasset bona Domini sui? » hoc tantum indicat Henrici depositionem apud Catalaunum a Matthæo legato factam esse, ut refert Albericus ad annum 1129, dicens concilium a Matthæo legato « Catalauni celebratum in Purificatione beatæ Virginis, ubi de consilio sancti Bernardi Henricus Viridunensis episcopatum dimiserit. » Exstant apud Wassebourg, *Antiquitatum Belgicæ Gallicæ* libro 4, hujusce rei testes Honorii ad Matthæum litteræ, in quibus inter alia sic habetur: « Tu vero tam prædictum episcopum » (nempe de honorum ecclesiasticorum dilapidatione accusatum) « quam partem adversariam » (Viridunenses canonicos, prout ibi utrumque expri-

A rare apud justitiæ amatorem superfluum. Verum etsi nos quid oremus, sicut oportet, nescimus, confidimus tamen quod vestra benignitas, præsertim in causa religiosorum (89), otiosa esse non poterit. Et quidem sanctitatis vestrae prudentia sollicitaque discussio quid inventura sit, ego nescio; sed hoc dico quod audivi et frequenter audio, quia videlicet longo et inconcusso tenore fertur Divionensis Ecclesia possedisse ea, de quibus adversus eam causantur Luxovienses: ita ut hi qui videntur antiquiores de vicinis, mirentur et indignentur, novam abominantes calumniam (90).

## EPISTOLA XV.

AD HAIMERICUM CANCELLARIUM (91).

*Unde supra.*

B Viro illustri domino HAIMERICO apostolicæ Sedis cancellario, BERNARDUS de Clara-Valle, quæ retro sunt oblivisci, et ad ea quæ ante sunt, Apostolum sequi.

Non latet amicos nostros quod me familiari affectu diligitis, et tantæ mihi felicitatis fructum invident, si solus habere voluero. Monachi Divionenses ob antiquam illius Ecclesiæ religionem mihi charissimi sunt. Sentiant, si placet, quod non sit amor otiosus, sive vester ad nos, sive noster ad illos, salva tamen

mitur) « ad tuam præsentiam evocas, Catalaunum » « adeas, ibique adscitis tibi Treverensi archiepiscopo » « et aliis episcopis, sapientibus etiam et religiosis » « viris, negotium studiose audias, et diligenti indagatione perquiras. Quod si accusatores et testes idonei apparuerint, communicato fratrum consilio » « canonicè causam definias, » etc. Sed de his satis. (87) Scripta circa annum 1126.

(88) Id est pro monasterio Divionensium S. Benigni monachorum, quos ob antiquam religionem sibi charissimos in epistola sequente dicit Bernardus, cujus pater et mater in eorum ecclesia sepulti sunt, inde postea translati Claram-Vallem. Bernardo, aliisque ejusdem ævi scriptoribus familiare ecclesiæ nomine significare monasteria, infra in epistolis 59, 60, 359, 382, 384, 395, etc. cum alias ecclesiæ quævis non raro monasteria dicta sint. Nota hic S. Benigni ecclesiam simpliciter vocari Divionensem, quod primaria sit urbis ecclesia

(89) Hoc nomine non raro Bernardus aliique utuntur ad monachos designandos, ut in epistolis 45 et 202, et in sermone 26 de Diversis, n. 2; sed et longe ante eum Gregorius Magnus in libro 1, epistola 59.

D (90) Lis ista vertebatur de duabus cellis, Clari-Montis et Vangionis-Rivi, anno tandem 1129 decisa per Stephanum archiepiscopum Viennensem et alios, apud Perardum in *Burgundicis Monumentis*, pagg. 224 et 228.

(91) Scripta eodem anno. Haimericus, natione Burgundus, ex Castra Bituricensium oppido, quod Castreæ familiæ nomen dedit, oriundus, Petri de Castra Biturigum archipræsulis consobrinus, ex canonico Lateranensi a Calixto II. creatus est cardinalis diaconus tituli S. Mariæ novæ, anno 1120, et cancellarius sanctæ Romanæ Ecclesiæ institutus ante obitum Chrysogoni Pisani, sui in hoc manere antecessoris; quo per aliquot annos præclare functus, decessit anno 1141, quinto Kalendas Junii, ut fidem facit kalendarium Sancti-Victoris Parisiensis. Bernardus frequentes et familiares ad eum scripsit epistolas, necnon tractatum De diligendo Deo.

in omnibus justitia, contra quam ne amicum quidem respicere fas est.

### 35 EPISTOLA XVI (92).

AD PETRUM PRESBYTERUM CARDINALEM.

*Unde supra.*

Charissimo domino suo PETRO presbytero cardinali, frater BERNARDUS abbas Claræ-Vallis, salutem, et non in via.

Ego causam non habeo; causam tamen Divionensium monachorum, quia viri religiosi sunt, meam facio. Manu tenete eam ut meam; sic tamen meam, ut et justitiæ sit. Quod utique et nos confidimus, et tota fere patria testatur.

### EPISTOLA XVII.

AD PETRUM DIACONUM CARDINALEM (93).

*Excusat se quod vocatus non venerit: de scriptis postulatis respondet.*

Domino venerabili PETRO, Romanæ Ecclesiæ diacono cardinali et legato, frater BERNARDUS, se ipsum quantum potest.

Quod ad vos non veni ut mandastis, non mea pigritia, sed causa fuit non contemnenda. Siquidem salva vestra omniumque honorum reverentia, mihi propositum est nequaquam egredi de monasterio, nisi certis ex causis, quarum utique nulla modo se obtulit, ut licite possem vestræ in hoc, imo et nostræ satisfacere voluntati. Verum vos quid facitis de eo quod jamdudum vestrarum priorum litterarum promissione tenemus, vestro scilicet, quem adhuc sustinemus, adventu? Quæ illa deinde scripta sint, quæ et ante vobis [*al. nobis*] fieri jussistis, et nunc requiritis, omnino nescimus; ideoque nihil paravimus. Ego enim nescio me quidpiam quandoque scriptitasse de moralibus, quod vestræ Excellentiæ (94) studio dignum putem. Aliqui fratres nonnulla ex his quæ me coram audire loquentem, stilo suo excepere. Quorum unus vobis præsto est, præcentor videlicet Trecensis et archidiaconus Gebuinus (95); et facile potestis habere, si qua placent, quæ ab illo accepta sunt. Tamen si curæ vobis, aut curis quandoque vestris vacuum fuerit, et ita dignum judicatis, dignitatis videlicet vestræ promissam præsentiam expectantibus exhibere filiis, tunc si quid in manibus inventum, aut nostro posse adhuc elaborari studio visum fuerit quod forte delectet, vestræ

(92) Scripta eodem anno.

(93) Scripta circa annum 1127. Petrus iste alius sine dubio est a Petro Leonis itidem legato, sed presbytero cardinali, ut probavimus in Præfatione ad hunc tomum. Videtur esse Petrus, quem legatum de latere suo Honorius II initio sui pontificatus in Galliam misit contra Pontium et Pontianos, teste Petro Venerabili, in libro secundo de Miraculis, cap. 13. An Petrus de Fontanis, Bernardi conterraneus, cardinalis tituli S. Marcelli a Calixto creatus anno 1120.

(94) Excellentiae nomine S. Bernardus cardinales compellere solet, ut in epistolis 306 et 311; aliquando Sanctitatis, epistola 306. Excellentiae titulum tribuit etiam regibus, epistola 45, n. 2; item Papæ, epistola 349; imo episcopis, epistola 65.

(95) Gebuinum & moribus et litteratura conspi-

omnino pro viribus non deero voluntati. Diligimus enim bonam famam vestram; reveremur quam in vobis audivimus, circa res Dei sollicitudinem et sinceritatem; et ideo valde gratum habemus, si nostra vobis forte in aliquo esse possit officiosa rusticitas.

### EPISTOLA XVIII (96).

AD EUMDEM (97).

*Opinionem sanctitatis a se amoliri nititur, et promittit se quos scripserat libellos communicaturum.*

1. Cum totum me dederò vobis, parum est, ut digne mihi videar recompensasse vel dimidium benevolentiae, quam erga nostram humilitatem habere vos aiunt. Gaudeo quidem de gratia: sed temperat, fateor, pro tanto favore lætitiā, quod eundem mihi favorem non opus, sed opinio acquisierit. Pudet nimirum granditer exultare, cum sentio in me **36** venerari vel diligi, non quidem quod sum, sed quod putor. Neque enim ego tunc diligor, quando sic diligor: sed nescio quid in me pro me, quod non sum ego (98). Imo ut verius loquar, non nescio: nam certissime scio quod nihil. Nihil enim procul dubio est, quidquid putatur et non est. Porro cum amatur quod non est sed esse putatur, non amor vel amans nihil est, sed quod amatur. Mirandum, sed magis dolendum quam mirandum, quod id quod nihil est, amari potest. Hinc plane sentimus unde, quo venimus; quid perdidimus, quid invenimus. Adhærendo ei qui semper et beate est, semper et nos esse, et beate esse poteramus. Adhærendo autem dixerim, non solum per cognitionem, sed per amorem. Nam quidam ex filiis Adam cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: sed evanuerunt in cogitationibus suis. Merito proinde obscuratum est insipiens cor eorum: quia cum veritatem cognoscerent et contemnerent, jure receperunt in pœnam ut nec cognoscerent. Heu! sic adhærendo veritati per cognitionem, sed ab illa defluendo per amorem, amando pro illa scilicet vanitatem, homo vanitati similis factus est. Et quid vanius quam diligere vanitatem; et quid iniquius, quam contemnere veritatem? Quid vero justius quam contemptoribus subtrahi et ipsam cognitionem? quid, inquam, justius, quam ut jam de ejus cognitione gloriari non possit, qui cognitam non

eum & vocat Hildebertus in epistola 53. Ejusdem eloquentiam et sapientiam prædicat Nicolaus Claræ-Vallensis in epistola 5, ubi ejus sermonem memorat in illud Evangelii, *Si Filius vos liberaverit, etc.* Sermonum ipsius volumen exstat in Bibliotheca Victorina. Hic est ille cantor Trecensis, cujus flores petit Joannes Saresberiensis in epistola 96. Confer Petrum Venerabilem in libro II, epistolis 34 et 35.

(96) Scripta circa annum 1127.

(97) Variant in hoc titulo manuscripti. Colbertinus n. 1410, et Compendiensis habent, *Ad eundem Aimericum*, alii tres Colbertini, *Ad eundem*, ut id referatur ad Petrum diaconum: quod præferendum, ob libros petitos in superiori epistola, et in hac, n. 5.

(98) Ita fere Augustinus in epistola 143, n. 3.

glorificavit? Itaque appetitus vanitatis est contemptus veritatis; contemptus veritatis, causa nostræ cæcitatæ. *Et quia non probaverunt*, inquit, *Deum habere in notitiam, tradidit illos in reprobum sensum* (Rom. 1, 21, 28).

2. Ex hac ergo cæcitate descendit, quod plerumque pro eo quod est, amamus vel approbamus quod non est: quoniam dum sumus in hoc corpore, peregrinamur ab eo qui summe est. Et quid est homo, o Deus, nisi quod innotuisti ei? Itaque si notitia Dei causa est ut homo aliquid sit, ignorantia facit ut nihil sit. Sed qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, miseratus quodammodo redactos in nihil; manna illud absconditum (de quo Apostolus, *Et vita, inquit, vestra abscondita est cum Christo in Deo* (Coloss. III, 3), quia necdum possumus contem-  
plari per speciem, vel plene amplecti per amorem, dedit interim nobis et sapere per fidem, et quærere per desiderium: per quæ utique duo ad esse de non esse secundo reducti, fieri incipiamus initium aliquod creaturæ ejus, transituri quandoque in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Quod procul dubio erit, cum justitia convertetur in judicium, hoc est, fides in intellectum, justitia videlicet quæ ex fide est, in judicium plenæ cognitionis, et item desiderium peregrinationis in plenitudinem commutabitur dilectionis. Si enim adhuc absentes inchoat fides, et desiderium; præsentibus profecto consummat intellectus et amor. Sicut autem fides ducit ad plenam cognitionem, sic desiderium ad perfectam  
dilectionem. Et sicut dicitur: *Nisi credideritis, non intelligetis* (Isai. VII, 9, sec. LXX): sic dici æque non absurde potest, Si non desideraveritis, non perfecte amabitis. Intellectus igitur est fructus fidei, perfecta charitas desiderii. Interim justus ex fide vivit (*Habac. II, 4*); nam beatus ex intellectu. Interim justus desiderat ad Deum sicut cervus ad fontes aquarum: nam beatus haurit jam in gaudio de fontibus Salvatoris, hoc est, delectatur in plenitudine charitatis.

3. His igitur fortassis quasi duobus animæ brachiis, intellectu videlicet et amore, id est cognitione et dilectione **37** veritatis, amplectitur et comprehenditur cum omnibus sanctis longitudo, latitudo, sublimitas et profundum, hoc est æternitas, charitas, virtus et sapientia. Et hæc omnia Christus. Æternitas est, quia hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, et quem misisti Jesum Christum (*Joan. XVII, 3*). Charitas est, quia Deus est: Deus enim charitas est (*I Joan. IV, 16*). Est et Dei virtus, et Dei sapientia (*I Cor. I, 24*). Sed quando hæc erunt? quando videbimus eum sicuti est? Quando amabimus eum prout est? Nam expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura subjecta est non volens (*Rom. VIII, 19, 20*). De qua universali vanitate inest nobis et velle laudari, cum simus vituperabiles; et nolle laudare quos scimus esse laudabiles. Sed et hoc va-

(99) Guillelmum scilicet S. Theoderici abbatem, quæ Apologia legitur hic in tomo II.

num est, quod nostra plerumque ignorantia et taceatur quod est, et prædicatur quod non est. Quid ad ista dicemus, nisi quia *vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum?* (*Psal. LXI, 10.*) Laudamus [al. laudamur] mendaciter, delectamur inaniter; ut et vani sint qui laudantur, et mendaces qui laudant. Alii adulantur, et ficti sunt; alii laudant quod putant, et falsi sunt; alii utrorumque præconiis gloriantur, et vani sunt. Solus sapiens qui cum Apostolo dicit: *Parco autem ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me* (*II Cor. XII, 6*).

4. Hæc interim vobis nimis festine, et ob hoc minus festive exaravi potius quam dictavi, ac fortassis loquacius quam debui, sed omnino veracius non potui, prout sapui. Sed ut inde sumat epistola finem, unde sumpsit exordium, nolo vos de me incertæ famæ nimis credulum esse: quæ, ut optime nostis, saepe in sua solet utrobique falli sententia; et de laude videlicet, et de vituperatione. Probate, si placeat, et æstimate, quatenus amor vel favor vester et justus, et eo sit amplius amico gratus, quo pro meritis moderatus: ut cum laus de gravitate judicii, non mendacio processerit vulgi, et si minus honoris, minus quoque conferat et oneris. Est certe quod me magis, quantumcumque sum, facit esse vestrum: quod videlicet in rebus Dei strenue sincereque, ut aiunt, pro vestra vice versamini. Hoc ut semper de vobis vere dicatur, semper in vobis vere  
inveniatur.

5. Librum quem quæsisistis ad transcribendum, habetis. Opuscula nostra quæ requiritis, et pauca sunt, et nihil est in eis omnino quod vestro studio dignum putem. Tamen quia melius judico mihi, nostrum culpam ingeniolam, quam voluntatem; et periclitari apud vos potius imperitiam, quam obedientiam: quæ horum, et quo vobis placet ut mittam, scripto nobis per præsentem nuntium significate; ut quæ modo penes me non sunt, ab his qui habent ea requiram, et dirigam quocumque mandaveritis. Et ut scialis quid petatis, scio me scripsisse libellum, qui inscribitur, De humilitate; et quatuor homilias in Laudibus Virginis Matris (nam hunc habet titulum), super illum videlicet locum Evangelii apud  
Lucam, ubi dicitur, *Missus est angelus Gabriel* (*Luc. I, 26*); necnon et Apologiam ad quemdam amicum nostrum (99), ubi aliqua disserui de Cluniacensibus, et nostris, id est Cisterciensibus, observantiis. Sed et paucas ad diversos epistolas dictavi. Aliqui fratres ex his qui me coram audire loquentem, suo stilo exceperunt, et penes se retinent. Utinam, quod minime spero, nostra vobis in aliquo possit esse officiosa rusticitas.

### 38 EPISTOLA XIX (100).

AD EUMDEM.

*Commendat Remenses legatos.*

Tempus est ut promissum exigam; utque probem

(100) Scripta circa annum 1127.

ne forte frustra de vobis semper confisus sim, ex quo vestram et notitiam merui, et amicitiam. Mihi siquidem vos præstitisse confidite, quidquid opis vestræ isti Remenses (101) legati præsto sibi esse persenserint. Non quia me tanti putem, hæc audeo, sed quia vos promisistis: utrumne digne, vos videritis.

## EPISTOLA XX (102).

AD HAIMERICUM CANCELLARIUM.

*Unde supra.*

Viro illustri domino HAIMERICO sanctæ Romanæ sedis cancellario, frater BERNARDUS de Clara-Valle, salutem et orationem.

Quia semel coepi, loquar, et loquar ad vos: eroque importunus, sed importunus charitatis, sed veritatis, sed justitiæ. Nam etsi tanti non sum, ut Romæ habeam propria negotia, nulla tamen quæ Dei esse constiterit, a me duco aliena. Quapropter si veræ id mihi gratiæ apud vos manet quod multorum habet opinio, liceat illud obsecro legatis domini, archiepiscopi Remensis in præsentis negotio experiri. Nil quippe eos, nisi quod justum est, perferre vel quærere suspicamur.

## EPISTOLA XXI.

AD MATTHÆUM LEGATUM (103).

*Excusat se perbelle, quod vocatus ad negotia tractanda, non accesserit.*

1. Fuit quidem parere paratum cor meum; sed non æquè et corpus meum. Sævientis siquidem acutæ febris exusta ardoribus et exhausta sudoribus, non valuit sufficere spiritui prompto caro infirma. Volui ergo, sed prævolanti voluntati obstitit ea quam dixi occasio. Quæ an justa sit, ipsi judicent amici nostri, qui me omni exclusa excusatione, obediëntiæ retribus circumclusum, quotidie de claustro ad civitates pertrahere moliantur; simulque attendant istam me occasionem non fallaciter adinvenisse, sed graviter pertulisse: ut vel nunc experiantur, quia non est consilium contra consilium Domini. Quibus si ego respondissem, *Exui tunicam meam, quomodo induam illam? lavi pedes meos, quomodo inquinabo*

(101) De hac legatione nihil lego apud Marlotum. Forte directa est Honorio ad obtinendum pallium pro Rainaldo de Martiniaco, qui ad sedem Remensem ex Andegavensi translatus est anno 1124. Sed aliud negotium innuit epistola sequens.

(102) Scripta circa eundem annum.

(103) Scripta sub finem anni 1127. Matthæus, nobilibus fuit parentibus in Remensi provincia ortus, deinde canonicus Remensis, sed mox omnibus repudiatis, Ordinem Cluniacensem Parisiis in monasterio Sancti-Martini a Campis professus, demum episcopus Albanensis et cardinalis creatur ab Honorio II, anno 1125, et in Franciam legatus concilio Trecensi præfuit anno 1128, ejus auctoritate convocato, cui Bernardus repugnans licet interesse compulsus est. De hac concilii Trecensis celebratione sic loquitur Johannes Michaelensis scribe Concilii: « In solemnitate S. Hilarii, anno 1128 ab incarnato Dei Filio, ad Treca, Deo duce in unum convenientes, etc. De Matthæi vita et virtutibus fuse agit Petrus Venerabilis in libro tertio de Miraculis, cap. 3. sqq.

(104) Scripta ante annum 1128. Hunc et Humber-

illos? (*Cantic. v, 3.*) profecto indignarentur. Nunc autem divino aut succenseant, aut acquiescant iudicio, quo factum est ut etsi velim, non valeam proficisci.

2. Sed grandis, inquiunt, fuit causa, gravisque necessitas. Quærendus ergo fuerat qui grandibus deliniendis fuisset idoneus. Si me talem putant, ego me talem non esse nequaquam puto, sed scio. Denique sive grandia sint, sive parva, ad quæ me ita perurgent ego causam non habeo. Quæro siquidem: Facilia sunt an difficilia, quæ ad perturbandum amicum silentium tantopere imponere curatis amico? Si facilia, absque me possunt fieri; si difficilia, per me non possunt effici, nisi forte tanti æstimor, cui grandia et impossibilia reserventur, tanquam ea ego possim, quæ nemo alius facere potest. Quod si ita est, Domine Deus meus, quomodo tuum de me solo frustratum est iudicium, ponens sub modio lucernam, quæ poterat lucere super candelabrum; et, ut apertius loquar, tentans me facere monachum, et volens abscondere in tabernaculo tuo in die malorum, hominem necessarium mundo, sine quo episcopi non possunt sua pertractare negotia? Sed et hoc mei mihi necessarii præstiterunt, ut nunc quoque videar loqui turbatus homini, cujus nunquam nisi serenus et cum omni jucunditate soleo recordari. Vos tamen vobis (dico, pater) noveritis quia paratus sum, et non sum perturbatus, ut custodiam mandata vestra. Vestræ autem indulgentiæ erit parcere mihi, ubi parcendum decreveritis.

## EPISTOLA XXII.

AD HUMBALDUM (104) LUGDUNENSEM ARCHIEPISCOPUM ET LEGATUM.

*Causam episcopi Meldensis commendat.*

Reverendissimo domino et patri suo HUMBALDO Lugdunensi archiepiscopo, Romanæ sedis legato, frater BERNARDUS Claræ-Vallis abbas, si quid potest peccatoris oratio.

Dominus episcopus Meldensis (105) cum accepit litteras vestras, forte tunc ad nos visitandi gratia veniebat. Cumque jam e domo nostrâ rescribere pa-

tum vocat Ordericus, et alias dicitur Humbaudus. Is ex archidiacono Aduensi primas Lugdunensis creatus, in legationis munere adjunctus est Petro Fontanensi cardinali, initio pontificatus Honorii II, non vero sub Callisto, ut habet Sévertius in Historia Episcoporum Lugdunensium, ad coercendam in primis Pontii Cluniacensis nuper cœnobiarchæ insolentiam: quod et præstitum est ab ipsis, Pontio anathemate perculso, prout hæc omnia diligenter scribit Petrus Venerabilis in libro secundo de Miraculis, cap. 15. Unde hæc epistola scripta videtur non longe ab anno 1125, certe ante annum 1129, quo obitus Rainaldi, Humbaldi successoris (qui paucis diebus sedem Lugdunensem occupavit), constanter a Severtio reponitur.

(105) Nimirum Burchardus, non Manasses II ejus successor. Hoc enim exigit concursus temporis cum Humbaldo, defuncto (ut vidimus) ante annum 1129; cum Burchardus ad annum 1133 supervixerit, utique post cruentam cædem Thomæ Sancti-Victoris Prioris, juxta quem sepultus commune habere meruit epitaphium, ut videre licet in Gallia Christiana et

raret, suis nostras tanquam vestri familiaris litteras jungere curavit, suo sperans negotio profuturas. Cui cum non possem negare quod vellet, id solum vestræ Reverentiæ familiariter breviterque intimandum putavi quia si adversus episcopum quærentem quæ sunt Jesu Christi, homines se ipsos amantes, et quæ sua sunt quærentes audieritis, hoc nec vestræ congruit dignitati, nec officio.

## EPISTOLA XXIII.

AD ATTONEM (106) TRECENSEM EPISCOPUM.

Attonem episcopum, qui in morbo mortem cogitans, omnia sua distribuerat in pauperes, restitutum valetudini solatur, et laudat.

Pauperi episcopo pauper abbas, paupertatis consequi præmium, quod est regnum cælorum.

1. Laudarem vos, et jure laudarem, si non me revocaret illa sententia, *Neminem laudaveris in vita sua* (Eccli. xi, 30); siquidem rem laude dignam egistis: sed ei laus adscribenda est, a quo accepistis et velle, et perficere quod merito laudaretur. Deum ergo per vos, et in vobis operantem glorificamus,

Severtio. Unde mendum irrepsisse liquet in Tabularium Sancti-Martini de Campis relatum a Chesnio in notis ad Abælardum, ubi Manasses II Sancto Martino ecclesiam de Choisiaco legitur concessisse anno 1125, quem pro anno 1135 mendose inductum testatur Historia ejusdem cœnobii a P. Marrier evulgata. Quæ quidem observatio etiam facile persuadet, episcopum Meldensem, cujus mentionem Bernardus facit statim ab initio epistolæ 42, ad Henricum Senonensem, non esse Manassen II, ut multi hactenus opinati sunt, sed ipsummet Burchardum. Hæc enim epistola scripta est ad Henricum recens ab aulico vivendi genere conversum, ut clare insinuat Bernardus tum his, tum aliis verbis: « Nuper autem, » inquit, « nobis a vestris partibus flare cœpit aura secundior. Rumoribus siquidem recentioribus nuntiata sunt de vobis solito lætiora, » quod scilicet Carnotensis episcopi consiliis vitam in melius instituisset, ut infra declarat. Atqui hanc præsulis Senonensis mutationem Honorii II tempore contigisse constat tum ex epist. 49, ad ipsum Honorium, cui Henricum maxime commendat adversus Ludovici Grossi infestationes; tum ex ipsarum causa infestationum, quam non aliam fuisse præter Henrici conversionem, disertis verbis ibidem asserit. « Qui ante, » inquit, « in habitu actuque sæculari honorati sunt sublimes, judicati fideles, habitus familiares: modo inimici facti sunt digne suo sacerdotio conversantes, et per omnia honorificantes ministerium suum.... Hinc et nunc domini Senonensis constantiam concutere et labefactare conatur, » etc.

(106) Scripta circa eundem annum. Attonem (alias, *Hatonem*) monachum fuisse Cluniacensem affirmant omnes: sed qui ante adeptum pontificatum, facile revincuntur ex Petri Venerabilis epistolâ 50, lib. 2: « Ubi est, » inquit, « devotio illa, ubi est affectus ille cœlo appropians, imo ipsum cœlum, ut jam videbatur, exsuperans, quo te mihi non dico in fratrem, sed, ut verbis tuis te familiariter arguam, in filium ac monachum devovisti? Ubi fides data, ubi tempus constitutum, ubi denominata dies, quando te mundum deserere, humilem et pauperem Jesum sequi sublimis adhuc et dives episcopus devovisti? » Idem habet libri quarti epistola 27: « Quod non dedit, » inquit, « amicitia juvenis, conferet saltem senectus. » Sed omnem omnino difficultatis umbram abigit epistola Petri Prioris... Joannis Evang. Senonensis ad eundem Attonem congratulatoria, quam publici juris fecit Severtius in Catalogo episcoporum

qui tantum ad hoc in vobis voluit glorificari, ut et vos redderet gloriosum. Qui nimirum cum sit mirabilis in majestate sua, etiam in sanctis suis gloriosus apparere dignatur, ne solus habeat gloriam. Ipse nempe licet sit sibi sufficiens ad omnem magnificentiam, quærit tamen gloriam et in sanctis, non ut augeat sibi, sed ut suis communicet. Novit autem qui sunt ejus: sed nobis non facile innotescunt, nisi cum ipse revelare dignabitur. Scimus sane de qualibus scriptum est: *In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur* (Psal. LXXII, 5). Et quia vobis hæc ipsa sententia non congruat, nihilominus modo cognoscimus. Scriptum quoque est: *Quem diligit Dominus corripit, flagellat autem omnem filium quem recipit* (Prov. III, 12, et Hebr. XII, 6). Flagellatum video et emendatum, et aliud suspicer quam unum esse ex filiis? Porro correctionis vestræ clarum satis insigne tenemus, ipsam nunc paupertatem vestram. Nobilis revera titulus paupertatis, quam ipse Deus ore commendans prophético: *Ego sum, ait, vir videns paupertatem meam* (Thren. III, 1).

Matisconensium, in Joceranno, § 4, cujus hic aliquot apices representare lubet:

« *Dilectissimo D. et patri suo venerando pontifici Hatoni caputio B. Benedicti feliciter laureato, P. pusillus servus Christi, oblivisci populum suum et domum patris sui.* »

« Sacramentum unctionis tuæ transmigratio tua, venerande pater, non dissolvit: sed quo magis accedis ad Dominum, eo gemma tui meriti pulchrius elucet. Lucerna quippe ne a ventis exsulletur, a publico sublata melius in domo lucet; et navis quam tempestas in fluctibus agitabat, latibula cryptarum ingressa tuta manet; et persona quæ mundi turbines evadens domum pacis ingreditur, jacturam aliorum respiciens de tranquillitate sua gratulatur. Recessus a mundo, sicut Paternitas tua novit, accessus est ad cœlestem thronum, et cathedra sponte derelicta majoris est dignitatis signum. Eapropter domos suas plures exierunt, et majori satis felici commercio lucrati sunt. Gregorius Nazianzenus sedi suæ renuntians, rurî vitam monachi egit. Justus Lugdunensis ad eremum Ægyptium declinavit. Wilfrannus Senonensis, Frisonum apostolus, monasterio Fontanellæ ad extremum se tradidit. Quia hi quidem meritis exigentibus sacris pulvinaribus corporaliter exhibentur: pontificale vero nomen sepultis etiam conservatur. Possem et alios hujusmodi adducere plures in medium: sed in omni verbo sufficere potest trium testimonium. Cæterum ad te, charissime pater, stilum verito, tuæque felicitati totus congaudeo, quem Senonensis Ecclesia decanum et archidiaconum habuit, Trecassina sedes pontificem gloriosum obtinuit, Cluniacus civem sanctorum et domesticum Dei facit. »

Idem episcopus interfuit concilio Trecensi anno 1128, tum etiam Pisano anno 1134, in reditu capite sauciatus prope Tremulum Pontem Italiæ oppidum, captivusque abductus cum plerisque Galliarum præsulibus: de qua quidem injuria Petrus Cluniacensis missis litteris, nempe epistola 27 lib. 5, apud Innocentium expostulavit. Diu tamen supervixit, demum Cluniaci mortuus anno 1145, quarto kalendas septembris, ut notatur in Calendario cœnobii Arremarenensis. Vide Camusatium in Promptuario sacrarum antiquitatum Trecassinæ diœcesis, et Severtium in Catalogo Episcoporum Trecensium et Episcoporum Matisconensium.



Super omnes regios thesauros hic vos titulus nobilitat amplius, et reddit illustrem.

2. Scio me ex Scriptura commemorasse superius, non esse laudandum hominem in vita sua. Verum quomodo me possum cohibere a laude illius, qui post aurum abire jam desiit, et sperare contempsit in pecuniæ thesauris? De quali nimirum viro Scriptura sic loquitur: *Quis est hic, et laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua (Eccli. xxvi, 8, 9).* An fortasse non est quidem laudandus homo in vita sua, quæ tentatio est super terram, nec ideo tamen laudandus non est, cum mortuus peccato vivit Deo? Vana quidem laus et seductoria, qua laudatur peccator, in desideriis animæ suæ, in quo qui me beatificat, in errorem inducit: sed non idcirco prædicanda, et multum commendanda non erit illius vita, qui dicere potest: *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus (Galat. ii, 20).* Cum ergo laudatur homo in quo jam vivit non ipse, sed Christus, non in sua laudatur sed in Christi vita, ac per hoc non laudatur contra sententiam, quæ prohibet hominem laudari in vita sua.

3. Cur denique dignis meis laudibus non erit, quem sui quoque hominis Deus laude dignatur, dicente David: *Pauper et inops laudabunt nomen tuum? (Psal. lxxiii, 21.)* Laudatur Job, quod sua patienter amisit: et non laudabitur episcopus qui et libenter dimisit, et liberaliter distribuit? Non expectavit mortem; quando jam nec dare, nec retinere in sua haberet potestate: quod utique multi faciunt, quorum videlicet testamentum non nisi in mortuis confirmatur: sed adhuc inter spem vitæ metumque positus mortis, vivens libensque dispersit et dedit pauperibus, ut justitia ejus maneret in sæculum sæculi (*Psal. cxi, 9*). Numquid et pecunia mensura similiter erat in sæculum sæculi? Bona ergo recompensatio justitiæ pro pecunia, quando pro eo quod teneri non poterat, id restitutum est quod feliciter maneat in æternum. Melior est enim incomparabiliter justitia, quam pecunia, quod illa ditet et repleat arcam, hæc animam. Denique sacerdotes Dei induuntur justitia, et multo utique decentius et ditius, quam auro vel serico.

4. Sed gratias Deo, qui jam harum rerum in vobis gloriæ transitorie gloriosum est operatus contemptum, dum de animæ periculo saluberrimum incussit metum. O mira circa vos divina clementia! Mortem intentavit, ne inferret: formidare vos voluit, quam vos noluit experiri. Cum hoc fecit, quid effecit, nisi ne vestra vobis essent chariora quam vos? Inter medullas artuum febris acuta sæviebat, et tardante sudore, cruciatus vehemens in dies ingravescibat.

(107) Scripta circa annum 1130. Sic dictus, Gillebertus quod in cunctis hujus mundi sapientium litteris luderet, seu excelleret, ut hoc loco scribit Bernardus. Fuit ante pontificiam dignitatem canonicus Autissiodorensis, de quo Necrologium ejus Ecclesiæ: «Secundo idus augusti obiit venerabilis memorie magister Gislebertus, Veteris et Novi Testamenti glossator eximius, hujus Ecclesiæ canonicus, postmodum vero Londoniensis episcopus factus:

A Cumque jam foris membris frigescentibus calor mollestissimus introrsum se colligens, exhausta longafinedia viscera depasceret, pallidæ interim mortis ante oculos tristis versabatur imago. Et ecce tanquam de supernis vox emissa divinitus insonuerit: *Ego sum, ego sum qui deleo, non te, sed iniquitates tuas (Isai. xliii, 25);* mox ubi sacerdos Dei, ut pauper moreretur, sua omnia pauperibus erogavit, cœperunt subito de intimis desperati jam sudoris inopinati fontes erumpere; sicque animæ pariter et corporis suo ordine salus utraque procedens, liquido monstravit in vobis adimpletum quod in Scriptura sua pollicetur Deus: *Ego occidam, et ego vivere faciam; percutiam, et ego sanabo, et non est qui de manu mea possit eruere (Deut. xxxii, 39).* Percussit carnem, ut anima sanaretur: occidit avaritiam, ut justitiæ viveretis. Sic vivificato et sanato, quid sperandum est, nisi ut jam non sit qui vos de manu Dei possit eruere? si tamen evangelicum illud consilium observare non negligitis: *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat (Joan. v, 14).* Quod videlicet idcirco præmonet pius Pater, quia non vult ut contingat: quippe qui non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat. Et merito. Quæ enim utilitas in sanguine peccatoris? non enim infernus confitebitur Deo, neque mors laudabit eum: sed vos qui vivitis, benedicitis Domino, et dicitis: *Non moriar, sed vivam et narrabo opera Domini; et illud: Impulsus eversus sum ut caderem, et Dominus suscepit me (Psal. cxvii, 17, 13).*

#### 41 EPISTOLA XXIV.

AD MAGISTRUM GILBERTUM UNIVERSALEM (107), EPISCOPUM LONDONIENSEM.

*Laudat Gillebertum, quod factus episcopus paupertatem colat.*

Longe satis exiit sermo quem fecisti, et magnum dedit suavitatis odorem, ad quoscunque potuit pervenire. Exstincta est avaritia; cui non suave redoleat? charitas regnat; cui dulce non sapiat? quando hoc cognoscunt omnes; quia vere sapiens sis, qui sapientiæ hostem maximum contrivisti: hoc certe et tuo sacerdotio dignum et nomine. Tali profecto decebat specialem [al. spiritualem] tuam philosophiam clarescere testimonio, hoc præclara illa tua studia sine compleri. Vera illa et indubitata sapientia est, quæ turpia lucra contemnit, et indignum sibi judicat eodem cum idolorum servitute contubernio frui. Non magnum fuit magistrum Gillebertum episcopum fieri: sed episcopum Londoniensem pauperem vivere (108), id plane magnificentum. Nec enim tanto nomini quidquam augere

qui præter cætera quæ ecclesiæ nostræ ex Anglia transmiserat ornamenta, octoginta duas libras eidem ecclesiæ contulit, etc. Londoniensi Ecclesiæ præfuit ab anno 1128 ad annum 1133.

(108) Avaritiæ (sic sunt hominum judicia) id in Gisleberto imputavit Henricus Huntindoniensis in epistola de Contemptu mundi, edita in Spicilegii tomo 8.

gloriæ potuit sublimitas dignitatis : auxit autem plurimum humilitas paupertatis. Pauperiem æquo animo ferre, virtus sapientiæ est ; sponte appetere, sapientiæ laus est. Laudatur denique et admirabilis prædicatur, qui post aurum non abiit ; qui vero et abiecit, plus nihil merebitur ? Nisi quod vigil ratio mirandum minime ducit, si sapiens sapienter agit, et ille sapiens qui in cunctis hujus mundi sapientium litteris et studiis ludens, omnem quoque studuit et potuit divinam quodammodo revocare et renovare Scripturam. Quid enim ? Dispersisti, dedisti pauperibus, sed pecuniam. Quid vero pecunia est ad illam quam pro ea commutasti justitiam ? *Justitia*, inquit, *ejus manet in sæculum sæculi* (Psal. cxl, 9). Num ita et pecunia ? Quæstuosum sane honestumque commercium, illam quæ præterit, pro illa dare quæ permanet. Sic semper tibi negotiari detur, bone et omni laude prosequende magister. Superest ut laudabile principium condignum consequatur finem, et cauda hostiæ capiti jungatur (109). Benedictionem tuam libenter accepimus, præsertim quod tantæ hujus perfectionis fuerit cumulata jucunditate. Latorem epistolæ, etsi pro seipso satis commendabilem, tamen etiam pro me vestræ magnificentiæ esse cupio commendatum. Est siquidem mihi pro sua honestate et religiositate charissimus.

## EPISTOLA XXV.

AD HUGONEM, ROTOMAGENSEM ARCHIEPISCOPUM (110).

*Hortatur Hugonem, ut apud suos Rotomagenses patientis simul ac pacificus esse studeat : zelum quoque discretionem moderetur.*

1. Si diei malitia invalescit, non prævaleat ; si turbat, non perturbet. Mirabiles elationes maris, sed mirabilior in altis Dominus. Benigne, si non dissimulas, egit tecum usque adhuc superna miseratio, pater illustris. Provida namque dispensatione, non prius præfectus es malis, quam sociatus bonis, quorum consortio et exemplo bonus fieres, et sic postmodum etiam inter malos vivere bonus posses. Et quidem inter bonos bonum esse, salutem habet ; inter malos vero, et laudem. Illud tantæ facilitatis est, quantæ et securitatis : hoc tantæ virtutis, quantæ et difficultatis. Quale nempe est istud, tangere picem, et non inqui ari ex ea ; in igne sine læsione versari, et in tenebris absque caligine ? Palpabant quondam tenebras Ægyptii, cum tamen de populo

(109) Parœnia Bernardo familiaris ad significantem perseverantiam, ex Levitico, III, 7. Vide notas ad epistolam 78. Petrus Cellensis in libri quinti epistola 8 : « Cave caudam ; cum tam omnis laus, quam omne vituperium in cauda, id est in fine terminetur. »

(110) Scripta anno Christi 1130. De electione Hugonis, quæ anno 1130 facta est, exstat cleri Rotomagensis epistola ad Honorium II papam in Spicilegii tomo 5, pag. 151, ubi hæc verba : « Elegimus electione communi filium nostrum Hugonem, abbatem Radingensem, nobis in pontificem. » Fuerat is monachus primum Cluniaci, dein abbas primus Radingæ in Anglia, diœcesis Salesberiensis. Unde in iisdem litteris subditur : « Super hoc quæsivimus assensum domini nostri Henrici regis Anglorum, et

A Dei Scriptura dicat : *Ubiunque Israel erat, lux erat* (Exod. x, 23). Erat David verus Israelita, et ideo caute dicebat se habitare non in Cedar, sed *cum habitantibus Cedar* (Psal. cxix, 5), tanquam qui semper habitaret in lumine, licet ipsi fuerit cum habitantibus Cedar corporalis cohabitatio. Unde et arguit quosdam non veros Israelitas, quod commisti inter gentes didicerint opera eorum, et factum s. t. illis in scandalum (Psal. cv, 35, 36).

2. Dico ergo : sufficiebat tibi apud Cluniacenses custodire innocentiam, sicut scriptum est, *Cum viro innocente innocens eris* (Psal. xvii, 26). Porro apud Rotomagenses [al. Rotomagum] opus est patientia, quemadmodum docet Apostolus : *Servum Dei, inquit, non oportet litigare, sed magis patientem esse ad omnes* (II Tim. II, 24) ; nec solum patientem, qui nolit vinci a malo, sed et pacificum, qui vincat in bono malum : alterum, ut malos portes ; alterum, ut et quos sustines, sanes. In patientia tua possides animam tuam (Luc. xxi, 19) : sed sis etiam pacificus, ut et commissas tibi possideas. Quæ tanta gloria quam dicere posse : *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus ?* (Psal. cxix, 7.) Esto ergo patiens, quia es cum malis : esto pacificus, quia præes malis. Habeat charitas zelum, sed adhibeat pro tempore modum severitas. Censura quidem nunquam remissa, intermissa tamen plerumque plus proficit. Vigor justitiæ semper fervidus, sed nunquam præceps. Sicut non omne quod libet, licet ; sic non omne quod licet, statim etiam expedit. Hæc melius me ipse nosti, ideoque supersedeo. Orari pro me instanter postulo, quia incessanter pecco.

## EPISTOLA XXVI (111).

AD GUIDONEM LAUSANNENSEM [al. LAUSENNENSEM] EPISCOPUM.

Manum vestram misistis ad fortia, opus est fortitudine. Speculator domui Israel factus estis ; opus est prudentia (112). Sapientibus et insipientibus debitor estis, opus est justitia. Postremo maxime temperantia opus est : ne qui aliis prædicat, ipse (quod absit) reprobus fiat.

## EPISTOLA XXVII (113).

AD ARDUTIONEM [al. ARDUTIUM] GEBENNENSEM ELECTUM.

*Monet ut electionem suam divinæ gratiæ tribuat, eique sedulo demæps cooperari studeat.*

Credimus electionem tuam esse a Deo, quam tanto obtinuimus ; ab episcopo quidem Salesberiensis, sub cuius manu abbatis officio fungebatur, nobis eum reddi liberum et absolutum quæsivimus, et cum libertate suscepimus, » etc. Ejus electionem ad annum 1130 refert Ordericus, in fine libri XII, his verbis : « Eodem anno Hugo Ambianensis, monachus Cluniacensis, abbas Radingensis, factus est archiepiscopus Rotomagensis. » Quantum sedulitatis Innocentio II exhibuerit, docet idem auctor in libro XIII pag. 900.

(111) Scripta circa annum 1130.

(112) Eadem verba leguntur in epistola tertia Nicolai Claræ-Vallensis in persona Bernardi ad episcopum Lucanum : infra, epist. 463.

(113) Scripta circa annum 1135.

cleri populi que consensu fuisse celebratam accepimus. Gratulamur gratiæ ejus, ne dicam meritis tuis, quoniam ne tibi plusquam oportet, blandiamur: non ex operibus justitiæ, quæ fecisti, sed secundum suam misericordiam hoc fecit tibi. Si secus tu (quod absit) sapis, erit exaltatio in ruinam. Si **43** autem cognoscis gratiam, vide ne in vacuum acceperis. Bonas fac de cætero vias tuas, et studia tua, et ministerium sanctum: si vitæ sanctitas non præcessit, sequatur saltem. Tunc vere fatebimur te præventum in benedictionibus dulcedinis, tibi de bonis meliora sperantes. Exsultabimus et lætabimur, quod fidelis servus et prudens constitutus sit super familiam Domini: futurus ex hoc filius felix et potens, super omnia bona Patris constituendus. Alioquin si aliorum quam meliorem esse delectat, non præmium, sed præcipitium expectamus. Optamus et oramus ne hoc contingat: parati, si opus est, obvias manus apponere, et pro nostro exiguo posse, juvare ad id potius quod decet et expedit.

#### EPISTOLA XXVIII (114).

AD EUMDEM JAM EPISCOPUM.

*Interim hortatur ut dignitatem, quam sine meritis præcedentibus obtinuit, saltem subsequentibus ornent.*

1. Præbet audaciam charitas, ut fiducialius loquar tibi. Cathedra, charissime, quam nuper sortitus es, hominem multorum expetit meritorum: quæ in te aut nulla, aut non quantum satis est, præcessisse dolemus. Siquidem et facta tua, et studia tua præterita in nullo prorsus visa sunt episcopali convenire officio. Quid tamen? Non potest Deus de lapide hoc suscitare filium Abrahamæ? non potest facere Deus, ut quem præire debuerant bona, vel subsequantur? quod utique et libentius accipimus, si contingat. Nescio enim quo pacto plus placebit subita hæc mutatio dexteræ Excelsi, quam si vitæ prioris merita suffragarentur. Dicemus nempe, quia *a Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris* (*Psal. cxvii, 23*). Sic Paulus ex persecutore Doctor gentium factus est; sic Matthæus de telonio vocatus, sic Ambrosius de palatio assumptus est: iste ad episcopatum, ille ad apostolatam. Sic alios quam plures novimus de vita et habitu sæculari utiliter exstitisse promotos. Denique nonne multoties ubi superabundaverunt delicta, videtur superabundare et gratia?

2. Et tu igitur, charissime, his atque hujusmodi animatus exemplis, præcinge sicut vir lumbos tuos, bonas facito deinceps vias tuas, et studia tua: quatenus novissima tua antiqua sopiant, et delicta juventutis tuæ deleat vespertina correctio. Paulum imitari curato in honorificando ministerium tuum.

(114) Scripta anno Christi 1135.

(115) Scripta circa annum 1126. Hic anno 1120 ejecto Adalberoni, ejus nominis quarto Metensium episcopo, subrogatus est ut lego in brevibus Annalibus cœnobii Sancti Vincentii Metensis ad cyclos Paschales adjunctis, in quibus Stephanus anno 1163 obiisse memoratur, tertio kalendas Januarii. De eo

A Honorificabis autem gravitate morum, maturitate consiliorum, actuum honestate. Hæc sunt quæ officium episcopale maxime nobilitant et ornant. Omnia fac cum consilio, nec tamen omnium aut quorumcunque, sed tantum honorum. Bonos in consilio, bonos in obsequio, bonos habeas contubernales, qui vitæ et honestatis tuæ et custodes sint, et testes. In hoc enim te bonum probabis, si testimonium a bonis habueris. Sint pietati vestræ commendati pauperes fratres nostri, qui circa vos sunt; Alpenses, illi de Bono-Monte, et illi de Altacumba. In his experiemur quanta vobis de nobis cura sit.

#### EPISTOLA XXIX.

AD STEPHANUM METENSEM EPISCOPUM (115).

*Congratulatur Stephano de pace Ecclesiæ reddita, idque non nisi unius Dei beneficio tribuendum.*

B STEPHANO Metensis Ecclesiæ Dei gratia strenuo ministro; ejus in Christo humiles fratres de Clara-Valle, salutem et orationem.

Ex quo dudum, si recolitis, nostræ vos fraternitati dignanter sociastis, nostris vos orationibus **44** humiliter commendastis; semper solliciti fuimus, ut debuimus, aliquid scire de esse vestro; et eventus vestros crebro sciscitari studuimus a quibus potuimus, desiderantes jugiter et orantes vos prosperari in Dei opere ad quod assumptus fueratis et gressus vestros dirigi in semitam mandatorum ipsius. Benedictus itaque Deus, qui non amovit orationem nostram, et misericordiam suam a vobis; lætificans utique nos per hunc venerabilem fratrem Guillelmum, **C** cujus profecto nos non minus verbis, quam nostris credimus oculis de vestra sospitate et prosperitate ac pace per vos Ecclesiæ reddita. Congratulamur vobis; sed damus gloriam Deo: scientes quod estis et quod potestis, ipsius, non vestrum esse. Quod et vos semper sentire in vobis amicabiliter admonemus: ne nihil et esse, et posse incipiatis, si quid aliter sapitis, et vestris (quod absit) meritis vel viribus quidpiam horum adscribitis. Alioquin verendum, ne convertatur pax vestra in perturbationem, et prosperitas in adversitatem; sic nimirum illo juste judicante, qui ut humilibus gratiam dare, ita et superbis resistere consuevit: qui et non solum cum sancto sanctus, sed et cum perverso perversus, in Psalmo legitur (*Psal. xvii, 26*); nec tantum faciens pacem, sed et creans malum, per prophetam describitur (*Isa. xlv, 7*).

#### EPISTOLA XXX.

AD ALBERONEM PRIMICERIUM METENSEM (116).

*Negotium quoddam, quod Albero urgebat, ex Dei beneplacito perficiendum monet, non tam requirens datum, quam fructum.*

D Honorabili viro ALBERONI, Dei gratia Metensis Ecclesiæ primicerio, fratres qui in Clara-Valle qua-

graves Bernardi quereke in epistolis 177 et 178. De pace, ejus hic mentio, lege Historiam Laurentii de Leodio, Spicilegii tomo XII, pagg. 318, 319.

(116) Scripta circa annum 1126. Tres adverte hujus nominis in primicerii dignitate sibi succedentes: primum ex stirpe ducis Lovaniensis, postea episcopum Leodiensem, de quo Ægidius Aureæ-Vallis

licunque obsequio serviunt Deo, salutem et orationem.

Fidelem curam vestram in his quæ Dei sunt, etsi jam olim et audieramus et videramus; sed nunc in nobis ipsi experiendo persensimus. Cæterum cum in his quæ nuper a nobis missi fratres, vestro quidem consilio, suggesserunt episcopo, et vestram benevolentiam, et ipsius episcopi promptum teneamus assensum: quia tamen Dei quoque beneplacitum in omnibus, et his maxime quæ ad eum pertinent, ante omnia et super omnia necesse est nos et inquirere, et custodire; idcirco ad comprobandum certius quid ipse de hac re potius velit, rem sicut inter episcopum monachosque convenerat, vestra utique industria mediante et ordinante qualiter fieri deberet, et hortante ut celeriter, et juvante ut honorabiliter

A fieret; non quidem omittendam, sed usque post missionem, tum pro vestra, tum pro temporis opportunitate expectanda, necessario intermittendam esse putavimus. Jam vero tunc, si et episcopi voluntas in eodem perstiterit, et vobis nihilominus idipsum æque ut modo placuerit: tali conjectura Dei quoque esse consilium securius confidentes, speramus nos vestræ utriusque devotioni juxta quod diffinitum erat, satis esse facturos. Arbitramur enim acceptum esse Deo, si quantum in nobis est, nemini oneri esse studuerimus: ne non tam fructum, quam datum in hoc ejus negotio requirere (quod absit) videamur; et præcipue vestris nos majoribus atque instantioribus occupationibus sub hujus rei occasione importunius ingerere, et molestos, cum B necesse non est, vobis exhibere; et hoc gratum

Ordinis Cisterciensis monachus, de Gestis Pontificum Leodiensium, cap. 23: « Successit domino Friderico, » anno scilicet 1122, « dominus Albero primicerius ex clero Sancti Stephani Metensis, frater ducis Lovaniensis Godefridi, vir summæ auctoritatis et innocentiae, etc. Obiit in Circumcisione, anno Domini 1128. » Alterum lego Alberonem ex primicerio Metensi factum archiepiscopum Treverensem, qui cum Gerardo Sedis apostolicæ legato sanctum Norbertum ad sedem Magdeburgensem promovendum curavit. Sic enim habet Robertus in Supplemento ad Sigibertum, ad annum 1127: « Parthenopolitanae civitatis archiepiscopo defuncto, cum clerici et cives ejusdem urbis coram imperatore Liuthero ad eligendum archiepiscopum apud Spiram convenissent, nutu domini Gerardi Romanæ Sedis legati, qui postea factus est papa Lucius, et Alberonis Metensis primicerii, qui postea factus est Treverorum archiepiscopus, » nimirum anno 1132, « Norbertum Præmonstratæ ecclesiæ patrem... in pastorem eligunt. » Idem legitur in Vita sancti Norberti apud Surium, cap. 40. Ejus nomine Bernardus scripsit epistolam 176 ad Innocentium II. Is in antiquis membranis frequenter subscripsisse reperitur, promiscue vocatus Albero, Adelbero, cum altero Alberone archidiacono. Sic enim in quadam charta Sancti Arnulfi Metensis: « Ego Adelbero primicerius subscripsi et collaudavi, Richerus decanus subscripsi, Adelbero archidiaconus, etc. anno Dom. Incarn. 1126. » In alia vero Sancti Petri de Monte, scripta anno 1127: « Hujus vero donationis testes sunt, Albero primicerius, Richerus decanus, » etc. quas videsis apud Meurcium, in Historia Episcoporum Metensium, qui hunc Alberonem eundem facit non recte cum altero Alberone itidem primicerio, Conradi comitis Luxemburgensis filio, qui hac dignitate potiebatur ad annum 1086, ut apparet ex Conradi patris epitaphio ab ipso auctore prolato, pag. 386, cum iste, de quo agimus, ab anno duntaxat 1122, quo Alberoni Lovaniensi successit, ut plurimum hanc dignitatem obtinuerit. Præter Luxemburgensem itaque tertium habemus Alberonem, qui ex primicerio factus est Leodiensis episcopus hujus nominis secundus, anno 1135, de quo ita Ægidius superius laudatus: « His diebus, » inquit, « cum in derisum et subsannationem venisset civitas Leodiensis his qui erant in circuitu suo per turpem Alexandri depositionem, communibus votis, pari assensu clerus et populus subrogavit sedi Leodiensi Alberonem, hujus nominis secundum, primicerium Metensis Ecclesiæ, juvenem quidem ætate, etc. Elegerunt enim sane columnæ Ecclesiæ, hac spe maxime, quod esset de prosapia Namurcensi, » etc. Tres igitur, præter Luxemburgensem, habemus primicerios Metenses ejusdem nominis sibi continué

succedentes. Ad quem vero ex his Bernardus hanc epistolam scripserit, non ita in promptu est definire. Verumtamen, quantum ex serie litterarum colligere licet, ad secundum referenda videtur, eum scilicet, qui postea ad archiepiscopatum Treverensem assumptus, sanctum Virum maxime familiarem habuit, ut constat ex pluribus epistolis, quas in ejus gratiam ad Innocentium Romanamque curiam direxit. Quin et argumentum epistolæ hujus, quæ agit de fundatione cujusdam monasterii, procurante Alberone, a Stephano Metensi episcopo concepta, suffragari videtur. Quod quidem non est intelligendum de ullo cœnobio ab ipso Stephano constructo; sed vel de illa Capetarum domo, quam ipso conferente monialibus sui Ordinis Bernardus attribuit, imposito nomine Claræ-Vallis, circa annum 1130; vel de fundatione Belli-Prati prope Lunæ-Villam, a Folmaro comite Metensi constructi, quam quidem ipse Stephanus ratam habuit et confirmavit, ut constat ex diplomate, cujus hoc initium: « Ego Stephanus manifesto generationi quæ nunc est et futuræ, quod Folmarus comes Metensis construxit abbatiam monachorum Cisterciensis ordinis in banno Morasine, quæ vocatur Bellum-Pratum, etc. Datum anno 1130, » quamvis in alia charta Henrici episcopi Tullensis, ad annum 1135 hæc fundatio referatur, quod fortasse de ædificiorum integra perfectione accipiendum est. Quod spectat ad Primicerii nomen apud antiquos usitatissimum, non uni officio vel dignitati proprium fuit, sed iis tribui solitum, qui in quocumque ordine primum locum obtinerent. Hinc in Novella Constit. 8, sæpius repetitur, « Notariorum primicerius; » et, « Primicerius fabricæ, » l. 2, C. de Fabricens. l. 11. « Primicerius domesticorum protectorum equitum, » l. 2, et l. ult. C. de Domesticis et prot. « Primicerius mensorum. » C. 1 de Mensor. l. 12. « Primicerius in officio protectorum. » Præterea apud Vegetium, lib. 2, cap. 21, « Primicerius protector; » apud Ammianum Marcellinum, lib. 18, « Primicerius Præceptorum, Singulariorum Augustalium, Scriniorum, Deputatorum, Sacri cubiculi, » l. 1, qui a præbit, tiro in Codice Theodos. et apud Cassiod. lib. 11, variat. Sic « Primicerius legionis » apud Gu Helium Tyrium, de Bello sacro, lib. 2, cap. 19. Sic « Primicerius defensorum et cardinalis primicerius, » apud Luitprandum, lib. 6, de Rebus per Europ. Sic sanctus Augustinus vocat sanctum Stephanum « primicerium martyrum, » sermone 21, de Tempore. Hic vero apud Bernardum, Primicerii Metensis nomine intelligitur prima canonicorum ecclesiæ Sancti Stephani Metensis dignitas, cui quidem inter alias prærogativas crucem ad pectus gestare concessum erat, uti veste purpurea, primumque locum in choro et capitulo tenere.

non esse Deo, et nostris scimus moribus non congruere.

#### 45 EPISTOLA XXXI.

AD HUGONEM COMITEM CAMPANIÆ (117), MILITEM  
TEMPLI FACTUM.

*Hugoni gratulatur ob susceptam militiam sacram; et beneficiorum memoriam promittit.*

Si causa Dei factus es ex comite miles, et pauper ex divite, in hoc profecto tibi; ut justum est, gratulamur, et in te Deum glorificamus, scientes quia hæc est mutatio dexteræ Excelsi. Cæterum quod tua jucunda præsentia nobis ita nescio quo Dei est subtracta iudicio, ut ne interdum quidem videre te valeamus, sine quo nunquam, si fieri posset, esse vellemus, æquanimiter, fateor, non portamus. Quid enim? possumusne oblivisci antiqui amoris, et

(117) Scripta anno Christi 1125. Hugo, Theobaldi III, Campaniæ comitis filius, erga ecclesias, maxime Arremarensem et Molismensem, munificentissimus, primo quidem Barrensis ad Albam comes, deinde vero Trecensis post decessum Odonis fratris. Ipso auctore factum est, ut extincto post illam unionem Trecensis et Barrensis comitatum nomine, successores Campaniæ comites nuncuparentur, cum antea hoc nomen Barrensis æque ac Trecensis singulatum usurparent, ut notavit Franciscus Chiffletius in sua Diatriba de illustri genere sancti Bernardi. Ad eundem spectat Ivonis Carnotensis epistola 245, cujus argumentum ex ipso limine accipimus his verbis: « Audivimus et cognovimus, quod Jerusalem profecturus militiæ Christi te ipsum devovisti, illam evangelicam arrepturus militiam, quam cum decem milibus secure pugnatur adversus eum, qui cum viginti milibus adversum nos pugnatur occurrit. » Et infra: « Duxisti uxorem, » etc. Demumque ita concludit: « Oportet ergo ut in hoc proposito sic tibi provideas, quatenus ita novissima vota impleas, ut statuta naturalia et legitima non frangas. » Horstius suspicatur Ivonem eo loci revocare Hugonem a militia Templi proposita lege vinculi conjugalis. At cum teste Guillelmo Tyrio, de Bello sacro lib. 11, cap. 13, cui astipulantur universi, Ordo Templariorum anno duntaxat 1118 sumpserit exordium; Ivo autem anno 1115 certo calculo desierit, consequens est eum intelligendum esse vel de militia Hospitalium, quam Hugo Jerusalem profiteri statuisset; vel de spirituali et evangelica seu temporaria quadam continentia, quam in secundæ peregrinationis ad loca sacra intervallo servare deberet. Ter siquidem ipsum Jerusalem iter aggressum esse constat, ut recte probat idem qui supra Chiffletius. Primo quidem anno 1113, iterum circa annum 1121, postmodum vero quando Templariorum militiæ sese addixit, quod anno 1125 diserte collocat Albericus in Chronico. « Eo postremum discessurus, » (si fides habenda Petro Pithæo, inquit Chiffletius) comitatum suum Theobaldo fratris sui Stephani filio vendidit, Odonem filium exheredavit, et quam secundam uxorem duxerat (Constantia Philippi I Galliarum regis filia ob consanguinitatem dimissa, anno scilicet 1104) gravidam reliquit, obiitque in partibus transmarinis die mensis junii decima quarta, quamvis in Necrologio Sancti-Claudii obiisse dicatur undecimo kalendas julias. Ita fere ille. Porro Hugonem istum alium esse ab Hugone militiæ Templi magistro, cui Bernardus direxit Exhortationem ad Milites Templi, colligitur ex Guillelmo Tyrio, de Bello sacro, lib. 12, cap. 7 apud quem hic « de Paganis » cognominatur, et successorem videtur habuisse Robertum, quantum ex eodem auctore, lib. 17, cap. 1, conjicere licet.

(118) Nimirum ipse Hugo Bernardo fratribusque concesserat locum ipsum Claræ-Vallis cum suis

beneficiorum quæ domini nostræ tam largiter contulisti (118)? Utinam ipse pro cuius amore fecisti, in æternum non obliviscatur Deus! Nam nos, quantum in nobis est, minime prorsus ingrati, memoriam abundantiæ suavitatis tuæ mente retinemus, et, si liceret, opere monstrarem. O quam libenti animo et corpori tuo pariter et animæ providissemus, si datum fuisset, ut simul fuisset! Quod quia non est, restat ut quem præsentem habere non possumus, pro absente semper oremus.

#### EPISTOLA XXXII (119).

AD ABBATEM SANCTI-NICASII REMENSIS.

*Abbatem ob discessum et transitum Drogonis monachi ad aliud monasterium, consolatur, et ad patientiam hortatur.*

1. Quanto affectu tibi condoleam, scit ille qui appendicibus, ut merito Fundatoris nomine censi debet. Quod cum hactenus paucis innotuerit, lubet hic ipsam describere chartam donationis, quam sæpe laudato Chiffletio, qui eam primus in sua Diatriba divulgavit, ex autographo Claræ-Vallensi acceptam referre debemus:

*In nomine sanctæ et individue Trinitatis incipit charta comitis Hugonis. Notum sit omnibus presentibus et futuris, quod ego comes Trecensis de Deo et beatæ Mariæ et fratribus Claræ-Vallis, locum ipsum qui vocatur Clara Vallis, cum pertinentiis, agris, pratis, vineis, silvis et aquis, nihil omnino mihi aut hæredibus meis retinens. Unde testes Acardus Remensis, et Petrus, et Robertus Aurelianensis, milites mei. sciendum quod Gaufridus Felonia dat pasturas suas in sinagio de Juvencourt, tam in bosco quam in plano, omni tempore: et si aliquod damnum intulerint animalia dictorum fratrum, solum capitale restituetur sine emenda. Hæc autem omnia dedi in præsentia supradictorum testium. Sciendum quoque est, quod dominus Josbertus de Firmitate, cognomine Rufus, et dominus Rainaudus de Perceris dederunt eisdem fratribus pasturam et usuarium per totam terram suam, et præcipue in aquis, silvis, pratis, in sinagio de Perrecin. Hujus rei testes sunt Acardus Remensis, et Robertus miles mei. Item sciendum quoque est, quod ego Hugo comes Trecensis laudo et concedo eisdem fratribus libere et quiete possidere terram et silvam de Aretela. Has donationes confirmamus ego Joscerannus Lingonensis episcopus, et ego Hugo comes Trecensis de sigillo et annulo meo.*

Quod spectat ad annum foundationis, qui non exprimitur in his tabulis, idem auctor Sancti Mariani Autissiodorensis Chronographum secutus, refert ad annum Christi 1114, mense Junio. Et quidem de mense conveniunt omnes: quoad annum vero, cum tam externa, quam domestica instrumenta refragari videantur, inter alia vero Exordium Cisterciense, dist. 2, cap. 1, tabella sancti Bernardi tumulo appensa, quæ disertis verbis annum 1115 exprimit; receptæ jamdudum sententiæ adhærere satius videtur, cum alioqui vix Bernardus professionem emisisset mense Junio anni 1114, et Hugo ipse, qui locum concessit, adhuc in Oriente versaretur. Clara-Vallis itaque primo quidem ab Hugone Campaniæ comite fundata, postea vero, anno 1135, in amplio-rem locum translata, opitulante Theobaldo ipsius successore, nova fabrica donata est; unde primi fundatoris nomen obtinuit apud aliquos, translationem cum fundatione confundentes, ut bene monet Manricus in Annalibus, ad annum 1115, cap. 1.

(119) Scripta circa annum 1120. Drogo (cujus occasione scripta est tum epistola 33 et epistola 34), videtur non perseverasse in ordine Cisterciensi, sed abbatis sui Joranni (ad quem hæc epistola) importunis tandem querelis ante professionem fuisse

nostros omnium dolores in corpore suo tulit. Quam A libenter tibi, si scirem, consulerem; si possem, succurrerem: tam efficaciter ipse mihi qui omnia scit, et omnia potest, in cunctis meis necessitatibus consulat et succurrat. Si frater Drogo de sua discessionem me consulisset, absit ut consentirem: si post discessionem ad nos divertisset, absit ut susceperem. Denique, quod solum potui, ad abbatem qui eum suscepit, nostras mox, sicut scis, pro eo litteras (120) misi. Et nunc super hoc quid tibi ultra possum facere, pater? Jam vero quantum ad te pertinet, optime mecum novit Sanctitas tua, perfectos solere viros non solum in spe, sed et in tribulationibus gloriari, consolante eos Scriptura, et sic loquente: *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio* (Eccli. xxvii, 6). *Juxta est Dominus his qui tribulatio* B *sunt corde* (Psal. xxxiii, 20); et, *Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum cœlorum* (Act. xiv, 21); et, *Omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur* (II Tim. iii, 12). Nec idcirco tamen immerito his quos in anxietate positos videmus, amicis nostris compatimur; quibus utique dum exitum ignoramus, defectum metuimus: quoniam quidem sicut sanctis et electis tribulatio operatur patientiam, patientia probationem probatio spem, spes autem non confundit (Rom. v, 3-5); sic damnandis et reprobis tribulatio parit e contrario pusillanimitatem, pusillanimitas perturbationem, perturbatio desperationem, et illa interimit.

2. Ne ergo hæc te tam horrenda (quod Deus aver- C tat) demergat tempestas aquæ, ne hujus tam tremendæ abyssi absorbeat profundum, neve urgeat super te tam inexplebilis puteus os suum: sollicitè studeat humilis prudentia tua non vinci a malo, sed vincere in bono malum. Vinces autem, spem tuam in Deo fortiter figendo, et rei finem longanimiter exspectando. Et si quidem ille resipuerit, sive ob tui timorem, sive ob suum laborem; bene: sin autem, bonum est tibi humiliari sub potenti manu Dei, et nequaquam velle resistere supernæ dispositioni; quia 46 si ex Deo est, non poterit dissolvi. Conan-

revocatus; isque idem ipse videtur, qui expulsus sanctimonialibus e monasterio Sancti-Joannis Laudunensis, monachorum cœtum illuc adduxit, quibus ex Priore Sancti-Nicasii Remensis in primum abbatem præfectus est anno 1128, ut dicitur infra ad D epistolam 48. Postmodum vero cardinalis et episcopus Ostiensis creatus est ab Innocentio II, anno 1136 (ut probat noster Acherius in suis ad Guibertum notis), non vero 1133, ut habet Ciaconius; vel 1134, ut censet Ughellus in Italia sacra. Gesta Drogonis percurrit Hermannus, de Miraculis, lib. iii, cap. 22; et auctor Appendicis ad Sigibertum, ad annum 1128, qui eum e vita migrasse asserit anno 1138, his verbis: « Obiit Drogo bonæ memoriæ Ostiensis episcopus, vir religione ac sapientia clarus. » Et Necrologium Sancti-Joannis Laudunensis: « Decimo quarto kalendas januarii obiit Drogo Ostiensis episcopus et cardinalis, primus abbas nostræ congregationis, et Mathildis soror ejus. » Scripsit sermonem de Passione Domini, qui exstat in Bibliotheca Patrum. Soliloquia quoque edidisse notatur in Bibliotheca Belgica manuscripta. Porro quod spectat ad Jorannum abbatem, quantum eo regente asceterium

dum est potius tibi, tuæ licet justæ indignationis stimulos illa reprimere sententia, quam quidam sanctorum in simili fertur causa protulisse. Siquidem instigantibus eum quibusdam fratribus atque increpantibus, cur suum in sui injuriam ab alia susceptum Ecclesia fugitivum non requireret: « Nequaquam, » inquit, « Ubicunque enim est, si bonus est, meus est. »

3. Fraudulenter tibi et non fideliter consulo, si idipsum a meipso non exigo. Nam, cum unus noster non solum religione professus, sed et carne propinquus (121), Cluniaci me invito et susceptus sit, et detineatur; doleo quidem, sed sileo, orans et pro illis ut velint ablatum reddere, et pro illo ut velit sponte redire: sin vero, servans ei vindictam qui facturus est iudicium injuriis patientibus, et arguere habet in æquitate pro mansuetis terræ. Fratrem Hugonem de Lausanna ore tuo, et nostro spiritu commonemus non omni spiritui credere, et ne cito moveatur certa pro incertis deserere, sciens diabolus soli semper perseverantiæ insidiari, quam solam virtutum novit coronari: tutiusque esse in ea vocatione qua vocatus est, simpliciter perseverare, quam sub specie quasi melioris boni, id quidem quod jam cœpit, dimittere, nec ad id quod præsumit, fortassis sufficere.

#### EPISTOLA XXXIII (122).

AD HUGONEM PONTINIACENSEM ABBATEM.

*Planius mentem suam perscribit de susceptione Drogonis, et omnem a se sinistram suspicionem depellit.*

Dilectissimo suo domno HUGONI abbati, frater BERNARDUS de Clara-Valle, idem quod sibi.

1. In nostris prioribus litteris (125) aut ego, quantum ex vestris perpenditur, minus aperte scripsi quod volui; aut vos aliter illas intellexistis quam debuistis. Siquidem quæ vobis de monachi illius susceptione eventura denuntiavi, veraciter ita timui, et adhuc timeo, ut scripsi. Non tamen ad hoc illa vobis prædicere studui, quo vel suaderem, vel consulerem; vel certe ut scribitis, censerem illum de-

Nicasianum floruerit, probant viri insignes, qui ex eo ad regularem disciplinam longe lateque propagandam prodire. Nam præter Drogonem istum, Gaufridus apud Sanctum-Theodericum prope Remos, ac post eum Guillelmus in abbatem assumptus est; Simon apud Sanctum Nicolaum de Bosco in diocesi Laudunensi, ad quem epistolæ 83 et 84; Arnulfus apud Gemblacum, ut testatur Auctarium Gemblacense. Ipse vero Jorannus solitudinis studio accensus, Ordinem Carthusianum in cœnobia Montis-Dei amplexus est anno 1138, ubi se tam præclare gessit. ut in cardinalium numerum ab Innocentio II sit cooptatus. Cæterum cum hæc epistola scripta sit Roberto sancti Bernardi consanguineo nondum sibi restituto, ut sanctus Doctor hic asserit, ad annum circiter 1120 referenda est.

(120) Priores istæ litteræ exciderunt, ut patet ex epistola sequente, in qua earum quædam verba referuntur.

(121) Robertus ad quem epistola 1.

(122) Scripta circa annum 1120.

(123) Exciderunt hæc litteræ.

bere reddi : quippe qui ipsius jamdudum ferventissimum desiderium novi, et ei potius, quod nunc illud adimpleverit, debeo congratulari. Sed cum a familiarissimo nobis abbate ejus, et ab archiepiscopo Remensi (124), nostræ litteræ ad requirendum illum vehementer exigenter; ut a me, si fieri posset, omnem depellerem suspicionem, tales, prout scivi, dictare curavi, quibus et ipsis satisfacerem, et vos contra eorundem imminentes calumnias, vobis illas non tacendo, præmunirem. Hæc me ita in illis litteris sensisse vestram sagacitatem vel ex eo advertere posse credidi, quod in fine illarum posuisse me meministi, si tamen eo a vobis oculo legeretur, quo a me scriptum fuit. Nam, cum denuntialis malis quæ non immerito vobis metuebam, tandem inferrem, « Quod si hæc omnia pati melius ducitis, quam illum amittere; mea nihil interest, vos videritis : » aut enim ipsa mea verba sunt hæc, aut proprie ipsa : cum itaque hoc in fine dixi, quid aliud vobis quam illa superiora dispensatorie (ut non dicam, simulatorie) a me ita scripta fuisse latenter intimavi?

2. Quod vero scripsistis, me per nuntium eidem monacho de quærenda, si ad nos divertisset, ipsius absolute privatim insinuasse; veritatem testor, hoc verum non esse. Egone de notissimo mihi monasterio vel jactarem, vel sperarem monachum me posse suscipere, quem nec vos quidem puto sine grandi scandalo posse retinere? Sed esto. Invidebam illum vobis et mihi attrahere gestiens, aliquid de ejus obtinenda absolute machinari me posse sperabam sive **47** sorgebam. Sed nunquid credendum fuit, me hoc meum consilium ipsi nuntio, quod utique contra suum monasterium excogitaveram, voluisse patefacere? Sed jam, ne quod de nostra erga vos dilectione hucusque credidistis, falso vos credidisse inveniatis; pro vestra (ut video) causa, non saltem æque ut pro mea, imo multo amplius laborandum est mihi, et hoc non quomodo hucusque solebam, ut videlicet nostra unanimitas fortius solidetur, sed ne penitus dissolvatur. Quid dicam vobis? Ego certe nec vobis, nec de vobis tale aliquid credere possem, quale vos sola de me suspicione divinastis. De cætero noverit vestra Benignitas, comitem Theobaldum (125) nostras pro Humberto litteras jam recepisse, sed necdum suo mihi rescripto quidquam respondisse. Quid super hoc vobis agendum sit, ipsa vos melius pietas docebit, si pia hominis injuste exulantis miseriam pensare non negligitis.

#### EPISTOLA XXXIV (126).

##### AD DROGONEM MONACHUM (127).

*Congratulatur Drogoni, quod ad strictiorem observationem transierit; hortaturque ad perseverantiam.*

1. Quam non immerito tui jamdudum non mediocri fueram affectus amore, nunc apparet, dilectis-

(124) Radulfo Viridi.

(125) Theobaldus comes Campaniæ. Vide infra epistolam 37 et sequentes.

(126) Scripta circa annum 1120.

(127) In Colbertino 1110 et in Compendiensi ad

A sime Drogo. Et ante quidem totum pulchrum, totum erat amabile quod cernebaris; sed ego nescio quid aliud de te supra id quod videbam aut audiebam ex te, excellentiori dignum veneratione præsenferam. Nunquid forte cælestis Sponsi, cujus nunc arctius castis te amplexibus impressisti, jam tunc vocem audieras dicentis ad pudicissimam turturam suam animam tuam : *Tota pulchra es, amica mea; tota pulchra, absque eo quod intrinsecus latet?* (Cantic. iv, 7.) Quid fecisti? Quis hoc crederet? Sanctum te ac religiosissimum tota civitas personabat, ita ut nihil tibi addi posse crederetur ex omnibus bonis : et tu velut e sæcularibus unus, monasterium tanquam sæculum deserens, jam attritum Christi sarcina collum novæ rursus observantiis disciplinæ submittere non erubescis? In te nunc, frater, veram probamus illam esse sententiam, qua dicitur : *Cum consummatus fuerit homo, tunc incipit* (Eccli. xviii, 6). Indicium ergo tuæ consummationis est quod nunc cœpisti; et in quo arbitraris te non comprehedis, jam comprehenderas. Nemo quippe perfectus, qui perfectior esse non appetit; et in eo quisque perfectiorem se probat, quo [al. quod] ad majorem tendit perfectionem.

2. Sed ecce, charissime, is cujus invidia mors intravit in orbem terrarum, arcum suum tetendit, et paravit illum : et quia pulsus de corde tuo intus potestatem amisit, foris sæviet quantum poterit. Et, ut apertius loquar, nescis quia Pharisei scandalizati sunt in hoc verbo quod fecisti? Sed memento non omnium scandalum magnopere esse curandum, juxta responsionem Domini dicentis : *Sinite illos; cæci sunt, et duces cæcorum* (Matth. xv, 14). Melius est enim ut scandalum oriatur, quam veritas relinquatur (GREG. homil. 7 in Ezech.). Memento, qui natus fuerit in ruinam et resurrectionem multorum (Luc. ii, 34); et non mireris, si tu quoque aliis quidem sis odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem. Si maledictiones intentaverint, si anathematum intorserint spicula, audi Isaac pro te respondentem : **48** *Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus; et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur* (Gen. xxvii, 29). Sed et tu muro inexpugnabili conscientie tuæ circummunitus, de intus responde, et dic : *Si constiterit adversum me castra, non timebit cor meum; si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo* (Psal. xvi, 5). Non enim confunderis cum sic loqueris inimicis tuis in porta. Confido autem in Domino, quod si ad primos ictus fortiter steteris, et nec minis eorum cesseris nec blandimentis, cito conteres Satanam sub pedibus tuis : et tunc videbunt recti et lætabuntur, et omnis iniquitas oppilebit, os suum.

*Hugo-Drogonem, tametsi in contextu epistolæ legitur; Drogo. Nomen est compositum ex vocabulo Hugonis abbatis Pontinniacensis, cui acceptissimus erat Drogo.*

## EPISTOLA XXXV.

AD MAGISTRUM HUGONEM FARSITUM (128).

*Humberti cujusdam causam ei commendat, monet, que ut in sententia quadam erronea corrigi non erubescat.*

Charissimo fratri et coabbati suo HUGONI, frater BERNARDUS, debitum sincerissimæ dilectionis affectum.

Humbertum istum, injuste, ut aiunt, exhereditatum, ejus nos pro Dei amore apud vestrum Comitum causam tueri suscepimus, de vestra confidentes charitate vestro patrocinio committimus, per vos, ut fideliter speramus, terræ principi, cœli Domino cooperante, reconciliandum; patriæ, uxori, filiis, rebus et amicis suis restituendum. Hoc autem satagendo, et egenum de manu peccatoris liberabitis, et oppressoris ipsius nihilominus saluti consulitis; nobis quoque vos non mediocriter officiosum exhibebitis; sed et officium implendo pacificorum, vobis inter filios Dei sedem in excelso collocabitis. De cætero, epistolam illam, quam ad me jam olim scribere Sanctitas vestra dignata est, non me (sicut vos audisse audivi) incendio tradidisse, sed penes me adhuc servare noveritis. Quid enim hoc livoris, imo furoris fuisset, opus utile et laudabile, ubi nihil nisi quod sanæ fidei, quod doctrinæ saluberrimæ, quod ædificationis spiritualis est deprehendi, temerario damnare judicio? excepto, quia inter amicos contra veritatem nulla debet esse meticulosa, cum sit periculosa, palpatis, quod hoc me, fateor, movit et moyet, quod illam inter nos jam ante habitam de

(128) Scripta anno Christi 1128. Conjectiebam eundem esse Hugonem Farsitum, cujus sententiam impugnat Bernardus in epistola 77, quæ inter tractatus relata est, ad Hugonem Victorium; quod tamen nolim asserere.

Plures invenio per id tempus Hugones Farsitos, Duo monachos: alterum Latiniacensem, laudatum in libro sexto de Re diplomatica, pag. 585; alterum Sancti Luciani apud Bellocos, de quo Necrologium sexto kalendas Aprilis, « Obiit Hugo Farsitus monachus professus. » An qui in Historia Louveti, p. 555? Tertium lego Hugonem Farsitum, canonicum regularem Sancti-Joannis-de-Vincis, laudatum in Necrologio Ecclesiæ Suessionensis. Quartum suggerit Farsitum Abælardus in sermone de S. Joanne Baptista, pag. 967, ubi Norbertum et coepistolam ejus Farsitum memorat, forsitan Hugonem Præmonstrati abbatem, Ordinisque præpositum post Norbertum, cujus primus ac præcipuus discipulus fuit, ad quem epistola 253. Qualis fuerit Hugo Farsitus, insigni discimus harum epistolarum testimonio, in quibus eum Bernardus « charissimum fratrem et coabbatem, antiquum dilectorem et dilectum » appellat, imo et « sanctum » fama et opinione contestante; sed quis tandem fuerit, non ita liquet. Apud doctos familiare nomen, cætera fere ignota. Possavimus in Apparatu affirmat eum fuisse monachum Sancti-Medardi Suessionensis, sed mera, ut puto, conjectura. Ex litteris nostri Hildelonsi Yrayet olim acceptis, Hugonem Farsitum fuisse canonicum regularem Sancti-Joannis-de-Vincis apud Suessiones, ut manifeste probant ejusdem abbatiæ Necrologia, publicaque instrumenta, quibus ipse frequens subscriptus reperitur. In Calendario cathedralis ecclesiæ sancto Gervasio sacræ hæc de eo habetur memoria:

A sacramentis collationem, in principio prædicti opusculi defendere et astruere conati estis. In qua utique collatione, si vestræ summam sententiæ bene meministis, an sensui conveniat [al. con rual] ecclesiastico, vos videritis. Vestræ autem ingenuæ humilitatis est non erubescere corrigi, si quid aliquando aliter sapuistis. Valet.

## EPISTOLA XXXVI (128 \*)

AD EUMDEM.

*Respondet litteris Hugonis, suadetque ut ab impugnanda episcopi jam defuncti sententia desistat.*

Dilectissimo suo, et olim, et modo, Dei gratia sancto abbati HUGONI, frater BERNARDUS de Clara-Valle, irreverberatum sinceræ dilectionis affectum.

B Ad litteras vestræ dignationis, licet quidem breviores quam cupierim, longiores tamen quam meruerim, rescribere largius et debui, et volui: sed festinans nuntius non permisit. Ne tamen vacuus omnino recederet, pro tantis, quarum me debitorem agnosco, has tantillas, quas et vix exspectavit, velocissime reddidi. Ubi primum breviter ac veraciter insinuo, antiquum nostrum et dilectorem, et dilectum, totis me charitatis visceribus et suscipere ut catholicum, et suscipere [al. venerari] ut sanctum, et amplecti ut charissimum. Siquidem de integritate fidei, credo vestræ confessioni; famæ et opinioni, de sanctitate; de affectu, quem erga vos me habere protestatus sum, propriæ conscientiæ. Nam, quod illius sententiæ, quæ meæ simplicitati merito, ut mihi videbatur,

« Pridie nonas augusti obiit Hugo Farsitus, canonicus regularis, qui dedit nobis libros suos tam divinæ paginæ quam secularis. » Cujus loci abbas fuerit, incertum. Alii apud Castrum-Theodorici præfuisse suspicantur, alii apud Valencenas; forte potius abbatiæ Sancti-Joannis Carnotensis, cui anno 1151 abbatem nomine Hugonem præpositum lego. Locum utcumque inuivit epistola 35, abbatiæ nempe ditioni subjectam Theobaldi comitis, quem ipsius Hugonis « Comitem » appellat. Existimo eum, cui directa est præsens epistola, esse illum ad quem Hugo Metellus per id tempus canonicus regularis apud Tullum-Leucorum, epistolam 34 manuscriptam inscripsit « Hugoni Carnotensi magistro venerabili. » An Hugo iste in regimen abbatiæ Sancti-Joannis apud Carnutes successit Stephano, qui anno 1128, electus patriarcha Jerosolymorum, ad quam epistola 82? Ceterum quam non mediocri literaturæ fuerit, probat in primis, illa librorum suppellex ecclesiæ cathedrali concessa; insuper liber Sacramentorum, cujus meminit Bernardus in epistola 35; in quo libro cum aliquid ad fidei apices non satis accuratum admisisset reprehendatur, facile inducor de eo esse intelligendum Hugonem Victorium Bernardum consulentem de sententiâ ejusdam auctoris, aliter quam par esset, de Baptismo sentientis, quem ideo suppresso nomine designavit, quia suum. Denique præ manibus est liber manuscriptus de Miraculis beatæ Mariæ Suessionensis ab eodem in triginta et unum capita distinctus, in cujus titulo scribitur, « Hugo Farsitus venerabilis memoria. » Hic liber totus editus est in Historia gallica parthenonis Suessionensis, auctore nostro Michaele Germano.

(128 \*) Scripta anno Christi 1128.



scrupulum movebat, oblitum vos esse fatemini, tam libenter accipio, quam lætus compendiosam purissimæ veritatis assertionem in litteris vestris novissimis lego: ita ut me potius sensa vestra non intellixisse, quam vos quidpiam mali sensisse pene crediderim. Deinde modestiæ vestræ fraterna præsumptione consulo, quatenus episcopum sanctum et doctum (129), quem quiete vivere permisistis, mortuum inquietare desinatis: ne, dum non valentem pro se respondere reprehenditis, magis hoc ex charitatis inopia, quam veritatis fiducia descendere, totam pro eo respondentem Ecclesiam audiatis. Pro Humberto, sicut rogavi vos, iterum rogō; ut vestrum ei, cum poteritis, nec consilium desit, nec patrocinium. Valet.

### EPISTOLA XXXVII.

AD THEOBALDUM COMITEM CAMPANIÆ (130).

*Miratur se in causa Humberti justa et æqua petentem pati repulsam: monetque intuitu supremi Judicis misero non neget opem et misericordiam*

Laudabili principi THEOBALDO, BERNARDUS eorum qui in Clara-Valle sunt, servorum Dei inutilis servus, sospitatem et pacem.

1. Quod de nostra infirmitate vos audivi fuisse

(129) Fallor si non is est Guillelmus de Campellis, episcopus Catalaunensis, Bernardo charissimus, ex dictis ad epistolam 3: cujus Guillelmi varia Theologiæ opuscula in codice Cheminionensi diocesis Catalaunensis memorantur in libro dicto Panchrysis, in quo multa eorum fragmenta referuntur.

(130) Scripta anno 1128. — Mira et magna Theobaldi encomia passim leguntur apud scriptores ejus ætatis. Anselmus Gemblacensis, ad annum 1134: « Theobaldus comes, » inquit, « Blesensis sive Carnotensis, præ cunctis principibus Galliæ, magno pondere justitiæ eminet in Francia, religiosis monachis et clericis pius ac familiaris, Ecclesiæ defensor, pauperum adjutor, mœrentium consolator, in commerciis negotiatorum cautus et discretus, in reis et a re toto deviantibus ultor et vindex. » Iisdem omnino elogiis celebratur ab Hugone monacho Autissiodorensi, ad annum 1136. Quod spectat ad justitiæ zelum, ob quem præcipue commendatur ab hoc Anselmo, illustre habes argumentum ex epistola 39 et aliis, ex quibus discimus quam rigide in monachos a principibus fere ubivis toleratos, primus, aut certe inter primos, animadverterit, id quod clericis longe antea interdixerant canones, ut docet Ivo Carnotensis episcopus in epistola 247. Idem Theobaldus ab officiis charitatis et misericordiæ ab Ernaldo Bonæ-Vallis abbate mirifice prædicatur in Vita sancti Bernardi, lib. II, cap. 8; item a Gaufrido, lib. IV, cap. 3, quibus adde novam epistolam 416. Unde apparet quantum ex sancti Doctoris familiaritate et documentis profecerit. Obiit sexto idus januarii, anno 1152, sepultusque est, non in monasterio Pontiniacensi, ut vult Jongelinus, et post eum Manricus, ad annum 1114, cap. 2, n. 6, Vincentium Bellocacensem secuti; neque in Claræ-Vallensi, ut Brito Lusitanus; sed in monasterio Latiniacensi Ordinis sancti Benedicti ad Matronam fluvium, cujus fuit advocatus, teste Bernardo epistola 230: quod nimirum hæc abbatia ab Heriberto Campaniæ comite circa annum 990 instaurata fuisset, ubi tumulus ipsius Theobaldi porphyreticus etiamnum visitur. Sepulturæ locum sicut et diem obitus Elinandus monachus in Chronico aperte indicat: « Anno 1152, » inquit, « moritur comes

A sollicitum, non mediocriter gratum habeo. In hoc quippe dum vestram erga me agnosco dignationem, Deum quoque vos diligere non dubito. Quando enim tantillum tantus vel nosse dignaremini, nisi propter Deum? Cum ergo constet quod diligitis Deum, et me propter ipsum; miror quomodo ad unam Dei fiducia præsumptam petitiunculam, nec injustam, ut puto, nec irrationabilem, a vobis tamen repulsus sum. Si aurum, si argentum, vel quodcumque hujusmodi quæsissem; vere, prout de vobis confido, sine dubio accepissem (131). Sed quid dico, quæsissem? Nam etiam non quærens, jam plurima vestræ largitatis beneficia suscepi. Hoc autem unum, quod non mei, sed Dei causa, nec tam mihi, quam vobis a vobis postulavi (132), B quid causæ exstitit, quod accipere non merui? Quid enim? ergone judicatis indignum vel mihi ad petendum, vel vobis ad præbendum, ut homini christiano, quantolibet apud vos crimine accusato, postquam se purgavit, faciatis misericordiam? Aut certe, si non creditis quod plene se purgaverit, quia hoc in curia vestra non fecit; ejusdem rursus vos in vestri præsentia recipiatis satisfactionem, et sic consequatur indulgentiam.

Campaniæ Theobaldus, sexto idus januarii, et apud Latiniacum sepelitur. Habuit autem filias sex. Prima fuit Mariâ Burgundiæ ducissa; secunda, Agnes Barri-Ducis comitissa; tertia quædam ducissa in partibus remotis. Hanc postea duxit Guillelmus Goez in diocesi Carnotensi. Quarta, comitissa Mathildis Pertici; quinta, monialis Fontis-Ebraldi: sexta fuit Adela Francorum regina. » His omnibus astipulatur Albericus in Chronico, ad annum 1152, qui et addit Theobaldum quatuor habuisse filios hoc ordine: « Henricum, comitem Trecensem Palatinum, largitate et liberalitate famosum; Theobaldum, comitem Blesensem et Carnoti; Stephanum, comitem de Sancerra; et Guillelmum, archiepiscopum Senonensem, et postea Remensem. » Theobaldi epitaphium, quod Henrici comitis precibus composuit magister Simon, cognomento Capra Aurea, Sancti-Victoris Parisiensis canonicus, edidit in Diatriba Franciscus Chiffletius, ex manuscripto codice monasterii Charitatis Ordinis Cisterciensis, dignum certe quod in honorem tanti principis hic transcribatur:

*Transiit ille comes Theobaldus, clarus ubique,  
Ecclesiæ matris filius, imo pater.  
Magnus honore, potens armis, spectabilis ortu,  
Mente sagax, verbis lucidus, ore decens.  
Exiguus parvus, tumidis serus, asper iniquis.  
Simplicibus simplex, omnibus omnis erat.  
Lætus pauperibus, monachis, agrisque paraba:  
Incessanter opem, munera, templa, domos.  
Hujus erat servare bonos, punire nocentes;  
Hujus erat juste vivere, justa loqui.  
Omnes virtutes in eo lucere videres,  
Certabantque simul mirificare virum.  
Gallia nostra gemens tanto viduata patrono,  
Sicut eo stabat stante, jacendo jacet.  
Ergo dies decimus Jani fuit ultimus illi,  
Cui Deus est melior millibus una dies.*

(131) Ita codex S. Germani. Alias omittitur, vere, prout de vobis confido, sine dubio accepissem.

(132) Hinc patet non esse hanc primam pro Humberto epistolam, sed priorem esse tempore epistolam 39, ex qua discimus Humberti patriam et supplicii genus.

2. An ignoratis quis minetur : *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo ?* (*Psal. LXXIV, 3.*) Quod si justitias, quanto magis injurias? An non timetis quod rursum scriptum est : *Quia in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis ?* (*Matth. VII, 2.*) An nescitis quia quam facile vos Humbertum, tam facile, imo incomparabiliter facilius Deus Theobaldum (quod absit!) exhæredare possit? Et quidem in talibus, ubi culpa tam aperta atque inexcusabilis esse videtur, quatenus nulla nisi cum justitiæ periculo misericordiæ occasio relinquatur; etiam tunc tremens et dolens vindicem vos exhibere debetis **50**; magis videlicet officii compulsus necessitate, quam vindicandi libidine. Ubi autem objectum crimen, aut minus certum esse cognoscitur, aut excusandum suscipitur; hoc non solum non renuere, sed et libentissime debetis amplecti, lætus nimirum quod salva justitia, pietas vestra locum invenerit. Ecce hoc secundo vestræ supplico Eximietati, ut sicut Deum vobis vultis misereri, ita vos Humberto misereamini: sive illa vobis promissione dominica blandiente: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth. v, 7*); sive illa vos comminatione terrente: *Judicium sine misericordia illi qui non fecerit misericordiam* (*Jacobi II, 13*). Valete.

## EPISTOLA XXXVIII (133).

AD EUNDEM.

*Unde supra.*

Pio principi THEOBALDO, BERNARDUS abbas de Clara-Valle, salutem et orationes.

1. Valde timeo ne occupatissimis auribus vestris, crebris interpellationibus meis præsumptuosius me ingerendo molestus fiam. Sed quid faciam? Si vos offendere timeo, sæpius ad vos scriptitando; quanto magis Deum, cui utique magis timoris debeo, timendum est mihi, ne offendam non interpellando pro misero? Alias autem indulgeat mihi Benignitas vestra, quia non possum non misereri illius miseri, pro quo jam en et alia vice importunus forsitan precator accessi, Humberti videlicet mendici et pauperis, et hoc facti de divite, quod est infelicius. Non possum non compati viduæ et orphanis, sed vivo orbatis patre, quod est miserabilius. Gratias ago vobis pro gratia, quam de hac re in oculis vestris invenire merui, et quod ipsius Humberti pro se dignanter acquievistis veram suscipere defensionem, et quod falsam adversus ipsum justissime repulistis accusationem. Illud autem quod ad consummandum pietatis opus, reddendam uxori et liberis ejus suam hæreditatem benignissime disposueratis; satis

(133) Scripta anno Christi 1128.

(134) Alias, domno. Vide epistolam 56.

(135) Scripta anno 1127.— Inter cætera de quibus Theobaldum sollicitat hac epistola sanctus Bernardus, intercedit pro misero quodam, nomine Humberto, pro quo prima hæc epistola scripta est ante epistolam 37; qui duello victus, jussu principis et oculis et oculis mulctatus est, ut nec superesset unde miseram utcumque vitam sustentaret. Gravis quidem poena, et quæ Bernardi animum charitatis spiritu de-

mirari non possum quid impedierit, ut tam pium verbum vestrum necdum factum consecutum sit.

2. Et quidem in aliis principibus si quando verbum levitatis, aut etiam falsitatis deprehendimus, nec novum, nec mirum reputamus. At vero apud comitem Theobaldum Est, et Non nequaquam omnino patienter audimus: cui, ut dicitur, simpliciter dicere, jurare est; et leve mendacium, grave perjurium imputatur. Inter plurima quippe virtutum insignia, quæ vestram plurimum nobilitant dignitatem, et vestrum per orbem clarum reddunt et celebre nomen, præcipue laudatur in vobis veritatis constantia. Quis ergo suo vel hortatu, vel consilio tantum robur firmissimi pectoris vestri enervare tentavit? quis, inquam, veritatis in vobis tam sanctum, tam eximium, tam omnibus imitabile principibus propositum evellere sua fraude conatus est? Fallaciter, non veraciter vos diligit, fraudulentè et non fideliter vobis consulit, qui tam gloriosam de veritate famam vestram obnubilare sua cupiditate contendit: dum verbum quod os vestrum locutum est, et verbum Deo placitum, vobis dignum, pie justum, ac juste pium, evacuare, nescio qua malitia, nocendo pauperi satagit. Obsecro vos per misericordiam Dei, ut eandem vos consequamini, cavete ne superbiat impius, unde incenditur pauper: et hoc potius agite, quatenus promissionis vestræ veritas compleatur; qua primum quidem domino (134) Norberto, deinde etiam nobis pollicitus estis, restitutum vos Humberti hæreditatem ejus et uxori, et filiis. Valete.

## 51 EPISTOLA XXXIX.

AD EUNDEM (135).

*Diversorum causas Theobaldo commendat. Denique ut erga episcopos, concilii causa in ejus civitate constitutos, honorifice et reverenter se gerat, hortatur.*

1. Cum multa mihi vestræ erga me dignationis indicia præbeatis, hoc me maxime toto vobis affectu dilectionis astringit; quod cum sciam me vestram jam pro multis ausum fuisse, interpellare Dignitatem, in nullo tamen repulsum me memini. Hinc non immerito factus fidentior, rursus pro canonicis de Larzicurve (136) non dubius precator accedo. Non quidem pro ipsorum jure nunc precor, in tantum quippe de vestra justitia et legalitate confidens, ut nec hosti vestro in vestra curia placitanti de suo jure timendum esse existimem: sed hoc est quod pro ipsis et cum ipsis omni, qua possum, absens supplicatione depono, et quod eis omnino esse cognovi necessarium, ut videlicet ad vestræ Serenitatis vultum, solito illis clementiorem atque prom-

linitum justissime movit; sed tanto et tam pertinaci morbo talis medicina debebatur. De monomachiae usu et ritu teterrimo vide si lubet Sirmundum, in notis ad Gaufridum Vindocinensem, lib. III, epist. 38; Chesnium, ad Bibliothecam Cluniacensem et alios. Confer Bernardi epistolam modo 376.

(136) Canonici de Larzicurve regulares ordinis S. Augustini, diocesis Catalaunensis in decanatu Partensi, ubi quondam prioratus possidebatur a Patribus societatis Jesu.

ptiorem indulgentiæ accessum, quatenus vicini eorum religioni debitam discant exhibere reverentiam, cum vos eis benevolentiam esse cognoverint: et si quis forte ministerium seu ministrorum vestrorum res illorum iniuste contingere, aut quietem, quam in Deo habere debent, infestare in aliquo tentaverit; pro certo se sciat vestram sibi ob hanc rem gratiam gravissimè restitutum infensam.

2. Item aliud est quod supplex exoro. Nuper forte per Barrum transeuntem occurrit mihi mulier satis miseranda; anima quippe ejus in amaritudine erat; et mea super suis doloribus commovit viscera, satisque egit suis precibus ac lacrymis, quatenus pro ipsa apud vos intercedere deberem. Ipsa est uxor Belini filius hominis vestri, in quem dudum juxta malum quod ipse commiserat, multa et gravia reddidistis. Facite cum ea misericordiam, ut et vos apud Deum eam inveniat.

3. Et quia scilicet cepi, loquar adhuc cum domino meo. In manu Barrensis prepositi dudum facto duello, qui victus fuit, statim ex vestra jussione oculos amisit. Insuper quoque, quasi parva hæc mala essent, quod et victus, et oculis orbatus fuerat, res ei omnes suæ a ministris vestris, sicut ipse conqueritur, ablatae sunt. Justum est, si vobis placet, ut ei vestra pietate restituatur, unde misera ejus vita possit utcumque sustentari. Sed et filius ejus innocentibus patris iniquitas non debet imputari: quomiluis paternæ, si qua sunt, hæreditent ædificia.

4. In fine volumus vos sanctos episcopos, qui pro his quæ ad Deum pertinent; in vestra civitate convenerunt; omni habere acceptione dignos. Sed et ipsi legato, qui vos vestramque civitatem tanti celebratione concilii (137) voluit honorare, per omnia, quantum in vobis est, devotus et obediens assistatis; corroborare et confirmare bona quæque ab eo jussa et instituta, curetis. Nostrum quoque ac vestrum pariter episcopum id est Lingonensem, abundantiori, ut decet, honore suscipiatis; et de casamento (138) quod tenetis, hominum [al. homagium] quod debetis, reverenter ei et humiliter offeratis. Valete.

## 52 EPISTOLA XL (139).

AD EUNDEM.

*Pauperem religiosum Theobaldum commendat.*

Duo vobis commendamus in homine isto quem videtis, paupertatem et religionem, ut si uni non

(137) Trocensis ineunte anno 1128 celebrati, de quo in notis ad epistolam 21, ad Matthæum legatum, cujus hic mentio.

(138) Casamentum, feudum quod a casa dominica pendet.

(139) Scripta circa annum 1127.

(140) Scripta circa eundem annum.

(141) Henricum I scilicet Anglorum regem, qui Theobaldi avunculus erat, teste Ernaldo in libro secundo de Vita Bernardi, sub finem; et Roberto de Monte ad annum 1151, nimirum quod Theobaldus matrem habuerit Adelam, Guillelmi Conquæstoris filiam, Henrici sororem.

(142) Scripta circa annum 1128.

compatimini, alterum in eo revereamini: quo nullatenus id ei negare possitis, propter quod vos cum tanto labore de longe requirere curavit. Itaque etsi non propter ipsum, certe propter vos ei succurrite: quia quantum vos illi sua paupertas, tantum, imo amplius, vobis illum necessarium facit sua æque religiositas. Denique de multis quos eadem de causa jam ad vos misimus, nullum fuisse recolimus, de quo magis Deo placere sciamus, quam si huic benefeceritis. Valete.

## EPISTOLA XLI (140).

AD EUNDEM.

*Senem religiosum commendat.*

Timeo vos gravari in tam crebris scriptitationibus nostris; sed in hanc importunitatem urget me Christi charitas, et amicorum necessitas. Hunc itaque et senem, ut videtis, et de domo, ut nos scimus, religiosa ad vos missum non remitti vacuum supplicamus: et insuper ut vestris litteris ad avunculum vestrum regem (141) iturum munire dignemini, rogamus. Vellem omnes servos Dei, si fieri posset, vestros fieri debitores, qui pro mammona iniquitatis quandoque vos reciperent in æternâ tabernacula. Valete.

## EPISTOLA XLII.

AD HENRICUM SENONENSEM ARCHIEPISCOPUM.

*Hæc epistola potius justî tractatus nomen et locum merebatur: itaque e sede sua submotam ad tomum secundum inter Tractatus remisimus, cum hoc titulo: De Moribus, et officio episcoporum epistola 42 seu tractatus, ad Henricum Senonensem archiepiscopum.*

## EPISTOLA XLIII (142).

AD EUNDEM HENRICUM.

*Scribit pro libertate ecclesie Molismensis*

Pilbris precis nostræ benigna susceptio præbet ampliora sperandi fiduciam. Præmissa itaque devotissimam gratiarum actionem pro experta benevolentia, iterum addeb petere quod iterandis gratiis secundo hic faciat debitorem: quatenus videlicet Molismensi Ecclesie (143) ipsam ecclesiam, pro qua se vestram serenitatem quibuscumque modis obstituisse solebat, eadem libertate tenere concedatis, qua predecessorum vestrorum temporibus eam certum est tenuisse. Valete.

## EPISTOLA XLIV (144).

AD EUNDEM.

*Unde supra.*

Videtis certe quantum præsumam de vestra be-

(143) Monasterium Ordinis S. Benedicti, diocesis Lingonensis, auctorem habuit Robertum abbatem, qui primus illidem Cisterciæ abbas. Unde Molismensium causam sæpe agit Bernardus in epistolis 44 et 60. Vide epistolam 80. Petrus Cellensis in libri vii, epistola 14, ad Molismenses: Gallina illa Molismensis, plena plumis, et bene pentata, quot et quales de utero suo fetus produxit, dum ex se collegium Cisterciense originario germine pullulavit? Hic agitur de ecclesia Senona, ut in epistola sequenti, quæ olim Prioratus diocesis Senonensis in decanatu Curtiniacensi.

(144) Scripta circa annum 1128.

nevolentia : ut nec crebra impetratio precēs finiat, A et toties exauditus, rursū accedere precator impotūnus non verear. Magna quidem præsumptio; sed non meretur indignationem, quoniam de charitate, non de temeritate descendit. Meminit, nisi fallor, **53** vestra Paternitas, quod dudum Trēcis quærelas universas, quas pro Ecclesia Senōina adversus Molismenses monachos ante habueratis, pro amore Dei et nostro penitus omisit. Et ecce iidem monachi conqueruntur, quod nescio quas novas, et, ut ipsi aiunt, indebitas vobis consuetudines in prædicta Ecclesia vindicatis. Obsecro ergo et ipsas dimitti, confidens me, ne hæc quidem vice passurum repulsam : ut qui jam de majoribus merui non repellī, in obtinendis minoribus non confundar *Valete* (145).

### EPISTOLA XLV (146)

AD LUDOVICUM REGEM FRANCORUM (147).

*Cistercienses Ludovicum regem, Parisiensi episcopo infestum ac injurium, graviter ac libere redarguunt, causam illius apud pontificem Romanum acturi, si rex a male ceptis non destiterit.*

Eximio regi Francorum LUDOVICO, STEPHANUS abbas Cisterciensis, totusque conventus abbatum et fratrum Cisterciensium, salutem, sospitatem, et pacem in Christo Jesu.

(145) Hic manuscripti codices repetunt epistolam 15.

(146) Scripta anno Christi 1127.

(147) Cognomento Crassum.

(148) Stephanus, qui ab anno 1124 ad annum 1144 Parisiensem Ecclesiam rexit, alius a Stephano de Garlanda dapifero. Causa hujus infestationis secessus Stephani a curia, Ecclesie libertas. Eadem fortuna, eandem fere ob causas, contigit Henrico Senonensi, ex epistola 49. His litteris non flexus est Regis animus, e jus litteris Philippum, jam regem designatum, ob id morte a Deo mulctatum ferunt. Mirum est eo mortuo proceres et episcopos de impedienda Ludovici Junioris successione cogitasse, teste Orderico, in libro XIII, pag. 895 sqq. Mira in sanctis viris dicendi libertas, intrepidus justitie zelus, quo pro episcopi defensione adversus regem humiles monachi insurgere non verentur. Sed qualis fuerit Ludovico Stephani Parisiensis episcopi insectandi ratio, ex antiquis monumentis non ita facile est divinare. Rem utcumque Bernardus insinuat in simili causa Henrici archiepiscopi Senonensis, epist. 49, ad Honorium papam : « Rex, » inquit, « non tam episcopos, quam in episcopis justitie persequitur zelum. » Quod amplius declarans ait : « Qui ante in habitu ac uque seculari honorati sunt sublimes, iudicium fideles, habiti familiares; modo inimici facti sunt digne suo sacerdotio conversantes, et per omnia honorificantes ministerium suum. » Hinc Baronius ad annum 1127 totum latius explicat his verbis : « Profecerant siquidem episcopi provincie Senonensis Cisterciensis tum monachorum exemplo, atque verbis litterisque sancti Bernardi, precipue vero quem diximus Parisiensis episcopus, atque Parisiensis abbas Sancti Dionysii Sugerius, qui monasterium illud monasticæ penitus disciplina solum, sedula regularis observantia arte construxerat : quo nomine ipsi sanctus Bernardus congaudens, gratuloriam ad eum dedit epistolam » (nimirum epist. 78). « Quod vero etiam et ipse metropolitanus Senonensis archiepiscopus Henricus æque admonitus litteris sancti Bernardi » (ep. 42), « et quidem prolixioribus, ad

1. Rex cœli et terræ regnum vobis in terra donavit, donaturus et in cœlo, si id quod accepistis, juste et sapienter administrare studueritis. Hoc est quod vobis optamus, et pro vobis oramus; ut et hic fideliter, et illic feliciter regnetis. Cæterum vos quonam consilio eisdem nostris pro vobis orationibus (quas, si recolitis, olim tam humiliter requisistis) modo tam acriter repugnatis? Qua enim jam fiducia manus pro vobis levare præsumimus ad Sponsum Ecclesie, quam ita, et sine causa (ut putamus), ausu inconsulto contristatis? Gravem siquidem adversum vos apud eundem Sponsam et Dominum suum quærimoniam deponit, dum quem acceperat defensorem, sustinet oppugnatorem. Attenditis jam cui ex hoc infensum vos redditis? Non utique episcopo Parisiensi (148), sed Domino paradisi; et quidem terribili, et ei qui aufert spiritum principum (*Psal. LXXV, 12, 13*). Ipse quippe est qui ad episcopos dicit : *Qui vos spernit, me spernit* (*Luc. X, 16*).

2. Hæc ita vobis et pro vobis audacter quidem, sed amanter intimare curavimus : monentes et rogantes per illam invicem amicitiam nostram et fraternitatem, cui vos satis dignanter sociastis, sed nunc ipsam graviter læsistis, quatenus a tanto malo citius desistatis. Alioquin si non merentur exaudiri, sed contemnimur, et nos fratres, et amici vestri, et

melliolem frugem conversus, ea quæ essent optimi pastoris munera diligenter expleret, eadem ex causa ejusdem principis indignationem incurrit, etc. Sed quæ ista reformatio, » inquit, « fuit, quæ adeo displicere potuerit regi christianissimo? Illa scilicet, quod episcopi assueti prius, relicta ecclesia, curie regis assistere, militiam sectari, jam sese ad ecclesiam e curia atque militia avocassent, atque etiam subditos sibi clericos pariter revocassent. Erat hordum haud exiguus numerus in palatio Regis militantium, nec in ipsa palatina tantum, sed et in castrensi militia merentium. Quod deplorat idem sanctus Bernardus cum in pluribus locis, tum præsertim, quod ad rem spectat, in epistola ad Sugerium abbatem Parisiensem, » etc. Huc usque Baronius. Sed ut historiae apud auctores illius ætatis alto silentio sepultæ ex veteribus etiam instrumentis nonnihil lucis afferamus, lubet cujusdam familiaris ad ipsum Stephanum Parisiensem epistolam, quam noster Acherius Spicilegii tomo tertio divulgavit, proferre in medium, cujus hæc verba sunt :

Quamvis Paternitati vestræ constantiam nihil adhuc mutari nec debilitari persenserim, tamen pro vobis amore amici sollicitus vos moneo et remoneo, ne a proposito vestro et justitiæ rigore declinetis, nec Ecclesie vestræ libertatem, quæ temporibus antecessorum vestrorum floruit, annihilari permittatis, illamque Dominicam sententiam memoriter retineatis : Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Sciatis autem me in omnibus et per omnia vobiscum perseverare, nec pro damnis, quæ mihi et hospitibus meis pro vobis contigerunt, a proposito meo pedem retrahere. Rex enim et regina meis hospitibus duodecim libras dederunt, et hoc totum pro redemptione suarum rerum abstulerunt : et mei parentes et amici regi et reginæ vineas meas exstirpari jubentibus, decem libras dederunt, et hoc totum decani et archidiaconorum instigatione, imo G. succentoris nocturna susurrante peractum est. Deo vero vobis et mihi subveniente, me omnia, quæcunque amiserim, recuperaturum non vereor, nec vos sine me rerumque mearum recuperatione pacem recepturum arbitror. Præterea nisi vos consilio satis abun-

qui quotidie oramus pro vobis et filiis vestris et regno; ex hoc jam noveritis parvitatem nostram, in quibus valuerit, non posse deesse Ecclesie Dei, et ministro ejus, venerabili videlicet patri et amico nostro episcopo Parisiensi: qui nostram adversus vos humilitatem interpellans, nostras pro se ad dominum Papam jure fraternitatis (149) litteras requisivit. Verum nos justum ducentes his prius litteris vestram Excellentiam convenire, præsertim quia idem episcopus per manum omnium Religiosorum

*dare sentirem, parvitas mea Paternitati vestræ consuleret, ut dominum Senonensem archiepiscopum et coepiscopos vestros precibus vestris et amicorum vestrorum vobis alliciatis, et ad justitiæ vestræ aggravationem, ut in episcopatibus suis a divinis cessent, modis omnibus impetrare non differatis, ut ejusdem justitiæ participes vobis contra omnes subveniant, et, si necesse fuerit Romam nobiscum veniant.*

Ex hac epistola tria colligimus notatu digna: primo, non solum episcopum, sed et familiares iisque conjunctos, bonis omnibus a rege spoliatos; secundo, hanc persecutionis procellam instigantibus quibusdam clericis excitatam; tertio, libertatem ecclesiasticam a rege violatam. Quæ quidem omnia mihi facile persuadent, totam hujus mali ternam a quibusdam clericis repetendam, qui cum pro regis arbitrio ecclesiasticis personis exactiones imponerent, experirenturque Stephanum adversantem; regis animum adversus illum pessime irritantes, in honorum omnium discrimen adduxerint, imo etiam in ipsius necem conspirarint, ut patet ex alia epistola (Spicilegii tomo III; pag. 162, epist. 37) ad Stephanum scripta. Unde factum est, ut etiam ipso in regis gratiam bonaque omnia resituito, Thomas Sancti-Victoris Parisiensis Prior pro istius causæ defensione postmodum occubuerit, ut videre est epist. 158<sup>a</sup> sqq. At quodcumque tandem hujus tragediæ seminarium fuerit, Stephanus armis spiritualibus utens, regis terram interdicto supposuit; ejusque indignationem declinans, ad Henricum Senonensem, tum ambo ad capitulum Cisterciense confugientes, fraternitatis jure, qua tum ipsi, tum etiam rex Cistercio se sociaverant, litteras ad flectendum regis animum a Patribus impetrarunt: quas Bernardus cum Hugone Pontiniacensi, multisque aliis prælatibus, Ludovico supplex offerens, repulsam indigne passus est. « Episcopos, » inquit Æmilius in Ludov. « deprecantes a genibus suis repulit Ludovicus: cui impœnitentiæ Bernardus abbas iram cœlestem vindicem instare, denuntiasset fertur. » Addidisse vero Bernardum Gaufridus, Vitæ S. Bernardi libro IV, cap. 2, et ex eo Gaguinus Historiæ Franc. libro VI memorat: « Hæc, inquit, tua, rex, pertinacia filii interitu mulcabitur. » Cujus vaticinii veritas in Philippi nece infelici probata est. Tanta dicendi libertate a proposito princeps aliquanto dimotus, ad Honorii papæ litteras, quibus interdictum solvebatur, animum refricans, male cœpta ardentius prosecutus est. Quod Bernardus impatienter ferens, tam suo, quam Gaufridi Carnotensis nomine litteras ad Honorium justæ querimoniæ plenas dedit (epist. 46, 47). Tandem vero tam pertinax, tamque concitata dissensio finem accepisse videtur in concilio Trecentiensi, anno 1128, vel certe non multo post, ipsius Honorii auctoritate: qua de re Bernardus gratias tulit, ad eum denuo scribens, epist. 49: « Hinc enim, » inquit, « gravibus contumeliis et injuriis episcopi Parisiensis constantia pulsata est, sed non quassata: quia Dominus supposuit manum suam, cum vestram opposuit. » Porro hunc Stephanum Parisiensem, antea cancellarium, distinctum esse a Stephano de Garlanda dapifero, de quo in Annalibus Teulsi, diserte probat Chesnius in notis ad Abælardum, nec obscure intelligitur ex epistola quadam Gaufridi

A se ad justitiam offert, si tamen prius (quod quidem eadem ipsa justitia videtur exigere) res ei suæ injuste ablatae restituantur (150): ejus interim petitioni differendo supersedimus. Et siquidem Deo inspirante placuerit vobis nostris precibus aurem inclinare, nostro consilio studioque pacem cum episcopo, imo cum Deo reformare; parati sumus hujus rei gratia fatigari usque ad vos, quocumque vobis placuerit: sin autem, nos amicum audire, et Dei sacerdoti obedire necesse est. Valete.

Carnotensis, quæ exstat Spicilegii tomo III, pag. 260, in qua scribit sanctum Bernardum fuisse electum ad pacem cum Stephano Parisiensi et Stephano de Garlanda componendam. Quod ulterius ad Ludovicum spectat, quem sanctus Bernardus ad Honorium scribens epist. 49, alterum Herodem appellat; memoria certe dignum est, quanta religione et pœnitentia diem clausurit extremum, anno scilicet 1157. « Qui ut erat in consilio providus, » inquit Sugerius in ejus Vita, « sibiipsi consulens, et miseratus animæ suæ Deo placens, frequenti confessionis et orationis sibi devotione providebat, hoc unum toto animi affectu peroptans, apud sanctos martyres protectores suos, Dionysium sociosque ejus, se quomodocumque deferri, et ante sacratissima eorum corpora, regni et coronæ depositione, coronam pro corona, pro regalibus insignibus et imperialibus ornamentis humilem beati Benedicti habitum commutando, monasticum ordinem profiteri. » « Videant, » inquit optime cardinalis Baronius ad annum 1156, « qui monasticæ paupertati derogant; quomodo non solum archiepiscopi, sed et ipsi reges transitoria vitam æternam præferentes, ad securissimam monastici ordinis tutelam confugiunt. » Addit vero Sugerius, regem facta peccatorum confessione, « inopinate se levasse, obviamque corpori Domini exisse, ac devotissime astitisse. Ubi, » inquit, « videntibus cunctis, tam clericis quam laicis, regem, exiens regnum deponit, peccando regnum administrasse confitetur, filium suum annulo investit, Ecclesiam Dei, pauperes et orphanos tueri... sive obligat. Ubi etiam aurum et argentum et ecclesiis, et pauperibus et egenis pro amore Dei distribuens, nec clamidibus, nec regis indumentis usque ad camisiam pepercit. » Mirandum sane in tanto rege exemplum! Cæterum de donis pretiosissimis Ecclesie Sancti-Dionysii ab ipso attributis videsis apud eundem auctorem.

(149) Fratres quippe censebantur qui in societatem suffragiorum admissi erant. Ita Casæ-Dei monachi Ludovicum Juniorem fratrem vocant in epistola 308, inter Chesnianas tomo IV.

(150) Nimirum exspoliati prius sunt restituendi, quam ad causam vocandi. Vide Canones a Gratiano collectos, Causa 3, q. 1, ubi ait Caius papa: « Episcopis suis rebus exspoliatis, vel a propriis sedibus ejectis, omnia quæ eis ablata sunt, legibus sunt redintegrandæ; quia priusquam hoc fuerit factum, nullum crimen eis objici potest. » Ibidem Joannes papa: « Redintegrandæ sunt omnia exspoliatis... et in eo loco, unde abscesserant, funditus revocandæ... ante accusationem, aut regularem ad synodum vocationem eorum, » etc. Vide ibidem plura: item Capitula in Decretal. Gregor. tit. de Restit. spol. Unde et Gouffridus Vindocin. epistola ad Ivonem ita scribit: « Cum de re nostra a nobis diu et juste possessa, et injuste ablata, secundum sacros canones investiti fuerimus; si postea de nobis conqueruntur, quod justus iudex, quod divina lex faciendum judicaverit, non recusamus. » Vide eundem, epistola ad Ranulfum Sanctonensem episcopum, ubi etiam, eum Bernardo, testatur legibus apostolicæ Ecclesie prohibitum, « ne quilibet exspoliatus vocetur ad iudicium. »

## 54 EPISTOLA XLVI (151).

AD DOMINUM PAPAM HONORIUM II.

*Unde supra. — Conqueruntur apud Pontificem, quod relaxatione interdicti subreptitie obtenta, Rex Galliarum jam pridem pronus ad pacem, factus sit obstinatior.*

Summo Pontifici HONORIO, pauperum Christi abates, HUGO de Pontiniaco, et BERNARDUS de Clara-Valle, quidquid potest peccatorum oratio.

Lacrymabilem episcoporum, imo totius Ecclesie querimoniam, nos quoque ejus filii, si tamen digni, dissimulare non possumus. Quæ vidimus loquimur. Magna siquidem nos necessitas de claustris ad publicum traxit: ubi et quod loquimur vidimus. Tristes vidimus, tristes et loquimur: honorem Ecclesie, Honorii tempore non minime læsum. Jam Regis flexerat iram humilitas, vel potius constantia episcoporum: cum ecce a summo Pontifice summa superveniens auctoritas, heu! dejecit constantiam, superbiam statuit (152). Scimus quidem id a vobis per mendacium fuisse subreptum (quod ex vestris litteris palam datur adverti), ut everti tam justum tamque necessarium interdictum juberetis. Sed nunquid non vel tandem deprehenso mendacio, mentitam se sentiet iniquitas sibi, et non tantæ utique majestati? Est autem quod miramur, quam ratione judicatum sit de parte, adjudicatum absenti. Quod quidem non temeraria præsumptione reprehendimus, sed filiali amore paterno cordi suggerimus, quantum ex hoc et superbit impius, et incenditur pauper. Cæterum quandiu illum pati, quantumve huic compati debeatis; non est nostrum præscribere vobis: vos vestra hinc potius, dulcissime Pater, viscera consuete lite. Valet.

## EPISTOLA XLVII (153).

AD EUMDEM EX PERSONA GAUFRIDI CARNOTENSIS EPISCOPI.

*Exponit Pontifici causam episcopi Parisiensis a rege Ludovico inique oppressi, qui interdicto ab episcopi Gallicanis compulsus restitutionem promiserat, sed absolute ab Honorio obtenta contumacior factus non præstitit.*

Tristissimæ historiæ seriem vobis et causam replicare superfluum est; qua jam quippe Paternitatis vestræ viscera, scribente religioso Parisiensi episcopo, commota esse non ambigo. Ne tamen fratri et coepiscopo etiam nostrum deesset testimonium; quæ vidi ego et audivi, necessarium duxi breviter intimare. Accepta siquidem tam modesta prædicti episcopi querimonia, Senonensis diocesis universi episcopi una cum venerabili metropolitano nostro; adscitis etiam nobiscum quibusdam aliis religiosis

(151) Scripta anno Christi 1127.

(152) Relaxando scilicet interdictum, quod a com-provincialibus episcopis in terram Regis illatum fuerat ob infestationem episcopi Parisiensis, ex epistola sequente.

(153) Scripta anno Christi 1127.

(154) Scripta circa annum 1130.

(155) Ita constanter omnes scripti, aut fere omnes, et recte nam cardinales olim absolute dicebantur. Fratres, in libro secundo de Vita S. Bernardi, n. 42; et in Chronico Andrensi, Spicilegii tomo IX, pag. 481,

A personis, Regem super gravi injuria per nosipsos humiliter, ut debuimus, convenimus: ut episcopo, nil quidem tale merito, sua quæ tulerat, restitueret, rogavimus; nec impetravimus. Sentiens tandem nos ad arma Ecclesie pro Ecclesia velle confugere, timuit, annuitque sese omnia redditurum. Sed in eadem forte hora supervenientibus litteris vestris, quibus ejus terram ab interdicto absolvi præcepistis, male in malo confortatus, quod bene promiserat, minime exsecutus est. Die tamen nominata, qua id se rursus promisit exsecuturum, ejus non conspectui præsentantes, sustinuimus pacem, et non venit: quæsimus bona, et ecce turbatio. Hoc denique litteris 55 vestris factum est, ut male ablata pejus teneantur, et reliqua passim in dies rapiantur, eo utique secure, quo impune illa retinentur. Solutonepe ad vestrum imperium episcopi justo (ut putamus) interdicto, nostroque quod parabamus et quo sperabamus pacem consequi, vestro æque timore suspenso, facti interim sumus opprobrium vicinis nostris: quousque? vestræ viderit pietatis compassio.

## EPISTOLA XLVIII (154).

AD HAIMERICUM CANCELLARIUM, UNDE SUPRA, ET CONTRA OBTRACTORES.

*Bernardus querelas in se factas diluit, et solitudinis silentiique facultatem precatur.*

Viro illustri HAIMERICO, sanctæ Romanæ sedis cancellario, frater BERNARDUS abbas dictus Claræ-Valis, salutem, et non in via.

1. Etiamne pauperi et inopi veritas odium parit, et ne ipsa quidem miseria declinare invidiam potest? Querar, an glorier, quod factus sum et ipse inimicus vera dicens? Vera dicens, an recta agens? Sed hoc viderint fratres vestri, qui contra legem maledicunt surdo (*Levit. xix, 14*), et maledictum propheticum non verentes, dicunt *bonum malum, et malum bonum* (*Isai. v, 20*). Quid in me, o boni viri, displicuit fraternitati vestræ (155)? Utrumne quod apud Catalaunum amotus est a villicatione sibi credita homo usquequaque diffamatus, quia in ecclesia Vir-dunensi cui præfuerat, dissipasset bona domini sui? An quod in urbe Cameracensi monasterii sui manifestus destructor Fulbertus cedere compulsus est Parvino, qui omnium testimonio fidelis est servus et prudens? An certe quod Lauduni de prostibulo Veneris suum Deo sanctuarium restitutum est (156)? Propter quod horum me, non dico, lapidatis, sed laceratis, ut minus aliquid recipiam a Domino meo? (*Joan. x, 32.*) Et hoc merito atque cum omni gloria responderem, si quid in eis meum cognoscerem. Nunc autem ut-

Petrus abbas tam dominum Papam, quam Fratres ex more visitasse perhibetur; et initio hujus epistolæ *Fratres vestri*, mendose quibusdam *nostris*; et apud Willelmum Tyrensem in libro XIII, cap. 15, (*Fratres vero tam episcopi, quam presbyteri et diaconi cardinales,*) etc. Confer librum de Conversione ad Clericos, infra tomo IV.

(156) Tribus de rebus apud Haimericum hac in epistola purgat sese Bernardus. Primo quidem, de Henrici Vir-dunensis episcopi depositione: de qua agitur apud Laurentium de Leodio, in Historia Vir-dunensi,

quid iudicor ego de factis alienis? aut si meis, cur A  
tanquam de malis? cum cuncta hæc juste atque  
præclare gesta fuisse nulla imprudentia dubitare,  
nulla negare impudentia possit. Eligite nunc utrum-  
libet: aut negate certe, aut fateamini me horum  
auctorem. Si feci; laude dignum est laudabilia  
peregisse, et iniique redarguor, unde laudari merue-  
ram. Si non feci; ut laudem non merui, sic profecto  
nec vituperationem. Novum genus detractionis, et  
revera simile aliquid habens operi Balaam, qui du-  
ctus et conductus ad maledicendum populo; magis  
benedictionibus cumulabat (*Num. xxii-xxiv*). Quid  
justius, quid jucundius, quam ut quem reprehendere  
intendis, plus commendes; ut præconis pro con-  
viciis utaris nescius; et volens detrahere laudes in-  
vitus? Quasi vero nulla mea mala inveniant ut pro  
malis mihi bona objiciant, vel potius adjiciant  
aliena.

2. At ego nec indignis vituperationibus moveor,  
nec indebitas recipio laudes: nil mea refert de his,  
quorum auctor non existi. Laudent si volunt, vel  
vituperent, si audent; de primo quidem dominum  
Albanensem, de secundo vero dominum Remensem;  
porro de tertio eundem æque archiepiscopum simul  
et episcopum Laudunensem, cum Rege pariter et  
56 multis aliis reverendis personis qui se utique  
auctores in his et principes existisse minime dissi-  
tentur. Si bene egerunt, quid ad me? si aliter, quid  
æque ad me? An tota et sola culpa mea est quod  
adfui, homo solis latebris dignus; soli mihi iudex,  
soli accusator et arbiter constitutus; quatenus non  
stret actio quod habet professio, et nomen monachi  
solitaria mihi conversatio interpretetur? Adfui enim,  
negare non possum; sed vocatus, sed tractus. Si hoc

Spicilegii tomò XII, pag. 311, ubi ejus causa ab Ho-  
norio commissa dicitur Matthæo Albanensi episcopo  
et in Gallis legato, qui Catalauntum hæc de resynodo  
indixit. « Henricus primo capit consilium a Bernardo  
sanctæ memoriæ, abbate Claræ-Valleis, cujus con-  
siliis regis et ecclesiæ Galliarum hodieque, » ait  
Laurentius, « imitantur. Ille consulti gravissimum  
esse injuris violenter præesse. Ideoque priusquam  
ignominiosa in eum accusatio ad publicam tantorum  
virorum audientiam veniat, solus omnibus cedat,  
episcopatu abrenuntiet. Credidit se consilio ejus ille;  
baculum reddidit, et abrenuntiavit episcopatu, ac  
recedit anno decimo tertio ex quo suscepit eum de  
mano Cæsaris, » nempe anno 1129, ex notis ad epi-  
stolam 13. Ad eundem epistolam 62 et 63. Secundo  
purgat se Bernardus de ordinatione Parvini in ab-  
batem Sancti-Sepulchri Cameracensis, ex monacho  
Sancti Vincentii Laudunensis, teste Hermannò mo-  
nacho, De miraculis, lib. iii, cap. 20, in locum Ful-  
berti expulsi a Rainaldo de Præis, Remorum archi-  
episcopo, ob malam administrationem, ut Bernardus  
ille tradit. Porro cœnobium Sancti-Sepulchri Ordinis  
S. Benedicti olim extra muros Cameraci, fundatum  
est anno 1064, a Lietherto episcopo, cujus Vita ex-  
stat in Spicilegii tomò nono. Vide Meyerum et Mi-  
ræam. Tertio denique purgat se Bernardus de refor-  
matione monasterii Sancti-Joannis Laudunensis, ubi  
puellis ob vitæ licentiam eiec. is, substituti sunt mo-  
nachi: cujus rei historiam ita describit præfatus  
Hermannus, De miraculis B. Mariæ, libro tertio, cap.  
22: « In diebus vero præfati domni Bartholomæi  
episcopi, Laudunensis scilicet, antiqua religio non

amicis displicat; fateor, et mihi. Utinam non is-  
sem ad illa, utinam non irem ad similia. Utinam et  
nuper non issem, ubi vidissem adversum Ecclesiam  
apostolica (proh dolor!) auctoritate violentam ar-  
mari tyrannidem, quasi non satis per se insanisset.  
Tum demum sensi juxta prophetam adherescero  
linguam meam palato meo (*Psal. cxxxvi, 6*): cum su-  
bito pondus superjectum est nostris cervicibus, atque  
irrefragabilis auctoritas litterarum. Heu! obmutui,  
et humiliatus sum, et silui a bonis, et dolor meus  
renovatus est (*Psal. xxxviii, 3*), quando vidi repente  
ad illas litteras impleri facies innocentium ignomi-  
nia, et lætari amplius impios quod malefecerint, et  
exultare in rebus pessimis. Misertum est impio, ut  
juxta dictum propheticum, non disceret facere ju-  
stitiam: et qui in terra sanctorum iniqua gessit (*Isai.*  
xxvi, 10), ipsius terra justissimo quo tenebatur,  
absoluta est interdicto (157).

3. Propter hujusmodi, etsi aliud non sit, gravor  
interesse causis: quarum præsertim mea non inter-  
esse cognosco. Gravor, sed trahor. At vero ab hac  
necessitate per quem melius retrahi posse sperave-  
rim, quam per vos, vir optime? cui in hac re, nec  
potestas deest, nec voluntas, ut comperi. Gaudeo  
nempe, quod et vestræ prudentiæ nostram in talibus  
deceptionem displicere cognovi. Et quidem justis-  
sime, et amicitissime. Agere ergo si ita vultis, imo quia  
sic cernitis ac feceritis, et amico expedire, et mo-  
nacho convenire: date, quæso, operam, quatenus  
una utriusque voluntas citius impleatur, quo et vo-  
bis videlicet satisfiat ad justitiam, et mihi ad salu-  
tem animæ consulatur. Iudicatur, si placet, clamoris  
et importunis ranis de cavernis non egredi, sed suis

parum in eodem monasterio refrigerat, exteriores  
quoque possessiones paulatim diminutæ erant, sed  
et nonnulla sinistra fama de eisdem virginibus di-  
cebatur. Unde multum contristatus idem pontifex  
(videbat enim eas frequenter a se communitas emen-  
dationem quidem verbo promittere, sed facto non  
implere) consilio et auctoritate domini pape Inno-  
centii, dominique Rainaldi Remorum archiepiscopi,  
Ludovici quoque regis Francorum, ad quem eadem  
ecclesia proprie pertinere dicebatur, omnes pariter  
illas sanctimoniales ex illa ejecit. Assumens quoque  
virum religiosum dominum Drogonem cœnobii San-  
cti-Nicasii Remensis Priorem, eum ibidem primum  
abbatem ordinavit, et monachos illic sufficienter ex  
diversis monasteriis posuit. Ita ille. Quod autem  
Innocentii auctoritate hoc factum asserit, intelligen-  
dum est de confirmatione, non vero de ipsa reor-  
matione, quæ biennio ante Innocentii creationem  
agitata est, et deinde in comitiis episcoporum, præ-  
sente Ludovico rege Atrebatii habitis sexto idus  
marii, anno 1128, quibus interfuere Rainaldus Re-  
mensis, Joslenus SueSSIONENSIS, Bartholomæus Lau-  
dunensis, Simon Noviomensis, Joannes Morinensis,  
Garnus Ambianensis, Robertus Atrebatensis, Cla-  
renbaldus Silvanensensis, et Petrus Belfacensis, prohi-  
tæc omnia constant, tum ex diplomate regio, tum ex  
decreto Matthæi Albanensis, hisque trifus historiæ  
monumentis, quæ una cum Innocentii litteris in In-  
com edidit noster Acherfus in suis ad Guibertum  
notis, pag. 828 sq.

(157) Vide supra epistolas 46, 47.

contentas esse palatibus. Non audiantur in coeli-  
 liis, in palatiis non inveniuntur: ad causas, ad ne-  
 gotia nulla necessitas, nulla trahere possit auctoritas.  
 Sic forsitan vester posset amicus declinare præsum-  
 ptionis notam. Nam noxam unde contrahere potue-  
 rim, ignoro: cum sciam mihi consilium esse et  
 propositum, nunquam (si causa duntaxat nostri  
 ordinis non fuerit) exire de monasterio, nisi aut  
 apostolicæ Sedis legato, aut certe proprio vocante  
 episcopo: quibus nostræ humilitati, sicut optime  
 nostis, contradicere omnino fas non est, nisi ex quo-  
 cumque superioris auctoritatis privilegio. Quod uti-  
 que si unquam per manum vestram, ut spero, mihi  
 in manus venerit, tunc procul dubio et pax mihi, et  
 pax erit de me. Non tamen idcirco etiam me latente  
 et tacente cessare puto murmur ecclesiarum, si non  
 cesset Romana curia pro voluntate assistentium  
 facere præjudicium in absentes. Valet.

### 57 EPISTOLA XLIX (158).

AD DOMINUM PAPAM HONORIUM, PRO HENRICO SENONENSI ARCHIEPISCOPO.

Summo pontifici Honorio, servi, et (si digni iudi-  
 cemus) filii, STEPHANUS Cisterciensis, HUGO Ponti-  
 niacensis, BERNARDUS de Clara-Valle, quod reveren-  
 tissimo domino, quod benignissimo patri:

Degentes in monasteriis, ad quæ nos nostra pec-  
 cata compulerunt, non cessamus orare pro vobis,  
 et pro commissa vobis Dei Ecclesia: congaudentes  
 et sponsæ Domini super tam lido custode, et sponsi  
 amico super laborem tam fructuoso. Fidenter proinde  
 atque fideliter vestræ Paternitati suggerimus, quæ  
 in regno nostro eidem matri nostræ dolentes cerni-  
 mus adversari. Quantum quidem nos sentimus qui  
 vicini sumus, rex Ludovicus non tam episcopos,  
 quam in episcopis iustitiæ persequitur zelum, pietatis  
 cultum, habitumque ipsam religionis. Quod ve-  
 stræ quoque prudentiæ Sanctitatis vel ex eo facile  
 advertere potest, quod qui ante in habitu acique  
 sæculari honorati sunt sublimes, iudicati fideles,  
 habitus familiares; modo inimici facti sunt, digne suo  
 sacerdotio conversantes, et per omnia honorificantes  
 ministerium suum. Hinc gratibus contumeliis et in-  
 juriis episcopi Parisiensis innocentia pulsata est, sed  
 non quassata; quia Dominus suppositit manum  
 suam, eum vestram opposuit. Hinc et nunc domini  
 hujus Senonensis constantiam concutere et labela-  
 ctare conatur: ut metropolitano (quod absit!) dejecto,  
 facile prout voluerit, grassetur in suffraganeos.  
 Postremo quis ambigit non aliud eum quam oppu-  
 gnare religionem, quam nimirum aperte sui regni  
 destructionem, suæ coronæ pronuntiat inimicam?  
 Et alter Herodes Christum non jam in cunabulis  
 habet suspectum, sed in ecclesiis invidet exaltatum.

(158) Scripta anno Christi 1128.

(159) Hæc non absolute dicta in regem, quem alio-  
 qui minime malum fuisse constat; sed quod in eis  
 iustitiæ zelum persequi videretur, primigenios con-  
 versionis motus in Senonensi et Parisiensi antistiti-  
 bus, quasi in ipsis novæ vitæ cunabulis, extinguere  
 volendo. Cæterum quam pie vitæ supremos dies

Nec aliud sane credimus enim habere adversus ar-  
 chiepiscopum, nisi quod spiritum in ipso, sicut in  
 cæteris, laborat extinguere (159). Denique si fallere  
 de his quæ attestamus, fallere pulamur; vestræ citius  
 inveniet examinationis discussio: si tamen (quod et  
 vehementer optamus, et suppliciter oramus) de vul-  
 tu tuo, Pater sanctissime, iudicium prædeat, de quo  
 profecto confidimus, quod custodias Innocentiam, et  
 videas æquitatem. Alioquin reddet causam, in regis  
 præsentia atque potentia, non plane est aliud quam  
 tradi, heu! hominibus in animam inimicorum ejus.

### EPISTOLA L (160)

AD EUMDEM.

Unde supra. — Postulat ut archiepiscopo liceat ad  
 sedem apostolicam appellare.

Oportebat quidem, si ita vestræ visum fuisset  
 auctoritati, ut in vestri præsentia causa domini  
 Senonensis discuteretur; ne infensus videlicet regi,  
 in regis præsentia et potentia suis pro se adversariis,  
 responsurus, traditus homo videretur in animam  
 inimicorum ejus. Sed quoniam, ut tenendum irrefra-  
 gabiliter quidquid præcipitis, sic sperandum indu-  
 bitanter bonum de omni re quam decernitis: id  
 solum a vestra, Pater, pietate deprecor omnium, qui  
 apud nos esse videntur, religiosorum humilitas, ut si  
 se ad vulum forte potentis (ut assolet) senserit præ-  
 gravari, confugere sibi liceat ad viscera Patris, quod  
 utique hactenus oppresso nemini negatum audivimus.  
 Alioquin videat Joseph vir justus, quid sibi etiam  
 nunc faciendum sit de puero et matre ejus, quia  
 ecce etiam nunc in Senonensi provincia Christus  
 quæritur ad perdendum. Nam, ut quod verum est,  
 manifestius 58 proferamus, rex in archiepiscopo  
 ex eo aperte novam persequi religionem dignoscitur,  
 quod eum in antiqua sæculari conversatione et ha-  
 bitu, sicut promoveri omnimode [al. commodè]  
 voluit, sic ab omni penitus securum infestatione  
 dimisit.

### EPISTOLA LI (161).

AD HAIMERICUM CANCELLARIUM.

Unde supra.

Viro illustri HAIMERICO, sanctæ Romanæ Sedis  
 cancellario, BERNARDUS abbas dictus de Clara-Valle,  
 salutem, et si quid valet peccatoris oratio.

Quousque durat illa sententia: Omnes qui pie  
 volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur?  
 (II Tim. III, 12.) Quousque relinquitur virga pec-  
 catum super sortem justorum? Quis det ut stare  
 incipiant justus (162) adversus eos qui se angustiave-  
 runt? Quis jam ferat tantam inter cælum terramque  
 discordiam, ut exsultantibus Angelis super emenda-  
 tione malorum, filii Adam fremant et tabescant?  
 Quasi non sit passus Jesus pacificans in sanguine

exegerit Ludovicus, docent notæ in epistolam 45,  
 quidquid pinguedinem ipsi objiciat Henricus Hun-  
 tingtoniensis, Spicilegii tomo VIII.

(160) Scripta anno Christi 1128.

(161) Scripta anno Christi 1128.

(162) Aditur alias, in magna constantia, sed deest  
 in manuscriptis.



suo quæ in terra sunt, et quæ in cælo; aut in ipso Deus non fuerit mundum reconcilians sibi. Laudabatur quondam archiepiscopus in desideriis animæ suæ, et in sæculari vita et habitu benedicebatur. At nunc sub pannis infantie Jesu quæritur simonia, et inter nascentes virtutes emortuorum vel cadavera vitiorum scrutatur curiosa malitia. Videtis et nunc stare Jesum in signum cui contradicitur. Per ipsum vos obsecro, pro ipso supplico vobis. Habet siquidem et unde illum revereamini, et unde illi misereamini. State pro ipso nunc in defensione archiepiscopi, cui quandoque et vos adstare habetis in examinatione vestri. Valet.

## EPISTOLA LII (163)

AD EUMDEM.

*Episcopum Carnotensem non affectasse professionem Jerosolymitanam. Causis et negotiis publicis absolvi se rogat.*

Amicus vester et noster dominus Carnotensis episcopus (164) voluit vobis etiam per me certum fieri, quia id quod de ipso a quibusdam domino papæ persuasum fuisse cognovimus, ut eum videlicet Jerosolymam permetteret proficisci, nec sui fuerit studii, nec voluntatis. Quod etsi multum voluisset, proficisci tamen non poterat nisi cum gravi scandalo omnium qui apud nos sunt honorum, metuentium quippe ne plus mali ejus absentia faceret suis, quam boni alienis præsentia. Hæc pro episcopo. Cæterum ut et pro me aliquid loquar secundum quod Scriptura admonet, *Miserere*, inquit, *animæ tuæ placens Deo (Eccli. xxx, 24)*; placetne vobis ut causis onerer, occuperque negotiis, nihilque prosit exoccupari propriis, cum totus implicer alienis? Si inveni gratiam in oculis vestris, date operam ut prorsus amovear ab hujusmodi, quatenus liceat mihi pro meis atque vestris orare delictis. Et quidem nihil mihi securius judico, quam obedire domini papæ voluntati; sed si dignetur attendere ipse quid possim. Utinam nempe noverit quam ista non possim aut quam difficile possim. Et de hoc satis dictum sit sapienti. Quæsivit a me præfatus episcopus aliqua ex nostris opusculis, quæ vobis mitteret; sed non fuit ad manum, quod vestro dignum crederem studio. Libellum tamen De gratia et libero arbitrio nuper edidi: illum vobis libenter mittam, cum vos velle cognovero. Valet.

## 59 EPISTOLA LIII (165).

AD EUMDEM.

*Duos religiosos, et in his seipsum Haimericum repræsentat.*

Pro multis et per multos memini me scripsisse ad vos; sed nunc ipse qui loquebar, ecce adsum. Tres in duobus conspiciatis, quoniam absque me esse non

(163) Scripta circa annum 1128.

(164) Gaufridus: infra epistola 55.

(165) Scripta circa annum 1128.

(166) Scripta circa annum 1136.

(167) Scripta circa annum 1128. Virtutum hujus magni præsulis, magnus admirator et præco, uti et testis oculatus, Bernardus fuit, utpote qui cum eo ad varia Ecclesiæ negotia conficienda sæpius

A possunt, in quorum jugiter pectoribus requiesco, et quidem securius atque suavius quam in proprio. Mentiri videor, sed ei qui amicitie vim nunquam sensit, qui virtutem charitatis ignorat, qui non credit multitudinis credentium fuisse cor unum, et animam unam (Act. iv, 32). Qui ergo videt eos, videt et me, etsi non in meo corpore: et quod loquuntur ipsi, ego pariter loquor, sed eorum linguis. Corpore, fateor, absom: sed hæc est exigua portio mei. Porro qui vidit faciem meam tantum, sine culpa et sine nota mendacii asserit se vidisse non partem mei, sed me: cum tamen non nisi partem, et partem modicam viderit. Quanto itaque verius esse me dixerim, etiam sine præsentia corporis, ubi meam sentio voluntatem, meum spiritum et amorem, quæ utique est pars potior digniorque mei? Tribus ergo in corporibus unum nos esse noveritis, non pari sanctitate, qua ambobus ego inferior sum, sed eadem voluntate, et summa concordia animorum. Cur enim unitatem hanc inter diversos non faciat compago charitatis in uno spiritu, si carnalis copula efficit ut sint duo in carne una? Quartum vos addi velim, si dignum iudicatis et in eadem concurrere unitatem dilectionis. Quod facile, si non contempnitis, obtinebitis: tantum id vos nequaquam contemnere eis cognitum faciatis. Valet.

## EPISTOLA LIV (166).

AD EUMDEM.

*Vivianum abbatem commendat, monetque de cura animæ serio gerenda.*

Volo et precor ut harum lator venerabilis Alæcumbæ abbas Vivianus, mihi ob suam religiositatem admodum familiaris amicus, amicum vos pro Dei amore et nostro, in suo negotio experiatur. Et hæc pro illo, reliqua autem vobis. *Quid prodest homini si universum mundum lucratur, animæ autem suæ detrimentum patitur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? (Matth. xvi, 26.)* Nec totus mundus sufficeret. Magna res anima quæ Christi sanguine redempta est. Gravis animæ casus, quæ non nisi Christi cruce potuit reparari. Si rursus corruerit peccato duntaxat ad mortem, unde jam reparabitur? Nunquid aut alter Christus, aut idem iterum crucifigi habet pro illa? Super hoc vellem vos nunquam oblivisci illud Sapientis consilium: *Fili, memorare novissima tua, et in æternum non peccabis (Eccli. vii, 40).*

## EPISTOLA LV.

AD GAUFRIDUM CARNOTENSEM EPISCOPUM (167).

*Monachum quemdam reclusum desertorem instituti, sed jam resipiscentem, a Gaufrido suscipi et juvari postulat.*

Fidelissimo ac prudentissimo servo Dei GAUFRIDO Carnotensi episcopo, BERNARDUS pauperum Christi

auctoritate Pontificis adhibitus fuit. Vide Vitam sancti Bernardi, libro II, capp. 1, 2, 6, et alibi. Sed fuisse virum vere apostolicum, et Bernardi moribus, affectui et ingenio per omnia parem, vel ex eo patet quod dulcissimam illius sibi fateatur esse memoriam. En quibus id ipsum verbis ostendat: « Sed, o mihi locum suavem, » inquit, « ubi incidit occasio memorandi et nominandi suavissimi odoris virum, epi-

mundus a sorde, nec infans cujus est unius diei vita super terram. Nunc abluitur sponsa, nunc purificatur, ut in cœlestibus illis nuptiis sponso suo sine omni macula præsentetur. Quæramus ergo hydrias sex, in quibus hæc ablutio Judæorum, id est confitentium, purificatio fiat. Nam si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est, quæ sola liberat, sola salvat, sola lavat. Quod si confiteamur peccata nostra, non deerunt veris Judæis purificationis hydriæ; quoniam fidelis est Deus, qui dimittat nobis peccata, et emundet nos ab omni iniquitate (I Joan. 1, 8, 9).

7. Ego quidem sex hydrias, sex observantias arbitror esse, quas ad purificanda confitentium corda sancti patres instituere, et omnes illas, ni fallor, hic poterimus invenire. Prima siquidem hydria, continentia est castitatis, qua diluitur quidquid ante luxuria inquinavit. Secunda vero jejunium est, ut quod maculaverat crapula, nunc abstinentia mundet. Per segnitiam quoque et otiositatem, quæ inimica est animæ, multas contraximus sordes contra Dei sententiam, in sudore vultus alieni, non nostri, pane vescentes (Gen. 3, 19); propter hoc quoque tertia hydria nobis apponitur, ut sordes illæ in labore manuum diluantur. Sic **8** et per somnolentiam cæteraque noctium et tenebrarum opera, multa deliquimus; ideo quoque quarta hydria vigiliarum observantia ponitur, ut nocte surgentes ad confitendum Domino, non bonas noctes præteriti temporis redimamus. Jam vero de lingua quis nesciat, quam multum inquinaverit nos per vaniloquia et mendacia, per detractiones et adulationes, per verba malitiæ et verba jactantiæ? Pro his omnibus necessaria est hydria quinta, silentium scilicet, custos religionis, et in quo est fortitudo nostra. Sexta quoque hydria disciplina est, qua non nostro arbitrio, sed alieno vivimus, ut deleatur quidquid indiscipline vivendo deliquimus. Lapidea sunt hæc, dura sunt, sed necesse habemus in his lavari, nisi forte volumus [alias voluerimus] propter foeditates nostras a Domino accipere libellum repudii. Attamen in eo quod dicuntur lapideæ, non solum duritia, sed multo melius soliditas potest intelligi; quoniam non lavant hæc, nisi firma stabilitate permanserint.

8. Ait ergo Dominus ad ministros: *Implete hydrias aqua.* Quid sibi istud vult, Domine? Ministri solliciti sunt de vini penuria, et tu dicis: *Implete hydrias aqua.* Illi de poculis cogitant, et tu præcipis ut vasa purificationis impleant. Sic omnino, sic suspiranti

A Jacob ad Rachelis amplexus, Lia a patre supponitur (Gen. xxix, 22-24). Nobis, fratres, qui ministri sumus et servi vestri, per Christum nobis præcipitur implere hydrias aqua, quoties deest vinum. Ac si dicatur: Illi devotionem desiderant, vinum requirunt, fervorem flagitant; sed nondum venit hora mea: implete hydrias aqua. Quæ est enim aqua sapientiæ salutaris, etsi non adeo suavis, nisi fons vitæ, et initium sapientiæ timor Domini? Dicitur ergo ministris: Incutite metum, et spiritu timoris non tam vasa quam corda replete; quia, ut ad charitatem perveniant, initiandi sunt a timore, ut dicant et ipsi, *A timore tuo concepimus, Domine, et parturivimus spiritum salutis* (Isai. xxvi, 18). Sed quomodo implebuntur hydriæ? Prædixerat enim Evangelista: *Cipientes singulæ metretas binas vel ternas.* Quæ sunt duæ metretæ, quæve tertia? Utiqve duplex timor communis, et notus omnibus; at tertius quidem minus communis, et minus notus. Primus enim timor est, ne cruciemur in gehenna; secundus, ne exclusi a visione Dei privemur tam inestimabili gloria; tertius replet animam omni sollicitudine timidam, ne forte deseratur a gratia.

9. Et quidem omnis timor Domini, sicut aqua exstinguit ignem, sic exstinguit peccati concupiscentiam; sed is maxime cum ad omnem tentationem statim occurrit, ne forte contingat amittere gratiam, ut sibi derelictus homo labatur quotidie de malo in pejus, de peccato minori in graviolem culpam; quales utiqve multos videmus cum in sordibus sunt, sordescentes adhuc. Nam adversus timorem istum non est unde sibi blandiatur anima sive de minori forte quantitate peccati, sive de emendatione futura. Talibus enim blandimentis impediuntur aliquatenus duo prima genera timoris. Præcipit ergo nobis Dominus, ut hac aqua hydrias impleamus. Sunt enim aliquando vacuæ, et plenæ vento, si quis tamen adeo insanus est ut in eo per vanitatis studium illæ, quas prædiximus, observantiæ mercede perpetua vacuentur, ut sunt fatuæ virgines, in quarum vasis oleum non habetur (Matth. xxv, 3). Interdum autem (quod pejus est) plenæ quidem sunt, sed plenæ veneno, quod est invidia, murmur, rancor animi, et detractio. Propterea ne forte subintrent ista, dum **D** vinum deest, jubemur implere hydrias aqua, ut observentur mandata Domini in timore; quæ tunc mutatur in vinum, cum timor expellitur a charitate, et implentur omnia fervore spiritus et jucunda devotione (17).

## IN SEPTUAGESIMA,

### SERMO I.

1. Magna mihi consolatio est, fratres mei, in verbo illo Domini, *Qui ex Deo est, verba Dei audit* (Joan.

viii, 47) **811**. Propterea enim vos libenter auditis, quia ex Deo estis. Nec ignoro quod alio in loco dicit Scriptura: *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt*

(17) Confer sermonem 55 de Diversis. ubi eodem fere modo hydriæ istæ moraliter explicantur, et de metretis sermonem 57.

rum se mortem, nisi prius videat generalem in Ecclesia persecutionem. De cætero memorari vestram pietatem volo illius pauperis et exulis Humberti nomine : qui dudum, cum Trevis essetis, vobis supplicabat, quatenus ad comitem Theobaldum, qui eum exheredaverat, intercederetis. Quod et ego nunc pro ipso, et cum ipso itidem a vestra flagito pietate. Nam nostras litteras de hac re precatorias jam ad prædictum principem misi (172) : sed gratiam non inveniens nihil effeci. Jam quod libenter auditis, libenter debeo dicere vobis. Stephanus vester sic currit, non quasi in incertum : sic pugnat, non quasi aerem verberans. Orate, quatenus sic currat ut comprehendat ; sic pugnet ut vincat.

## EPISTOLA LVII (173).

AD EUNDEM.

*Per minora vota non debere impediri majora bona.*

astrologus. Item Henricus Ranzovius nobilis Danus, in suo de Annis climacter. et superiorum periodis libro. Sic plures astronomi, dum voluerunt ex siderum motu, conjunctionibus, et variis aspectibus futura prænuñciare, quæ mera Dei subsunt arbitrio et gubernationi, toti se mundo ridiculos præbuerunt. Eventusque illis, quod S. Thomas in 4. distinct. 44. scribit : « Omnes, » ait, « qui tempus prædictum numerando voluerunt prænuñciare, falsa loqui inventi sunt, quorum falsitas jam patet, et similiter patebit falsitas illorum, qui adhuc computare non cessant. » Si quem forte magis lepta et ridicula fanaticorum hominum de fine mundi præsentia, aut potius somnia et deliramenta legere delectat, adeat Tilmanni Bredenbachii, viri piissimi, et illustris Ecclesiæ Sancti-Gereonis hic quondam canonici, Collationes sacras, lib. vii, capp. 32, 33 : adeat Cochleam in Actis Lutheri, anno 1533 ; Fridericum Nauseam episcopum Viennensem, libro de Consummatione sæculi, vel præ cæteris Florimunduli, de Progress. hæres. lib. ii, cap. 4, et lib. de Antichristo, cap. 7 ; denique Harpocratem divinum Remachi de Vault. Hæc occasione memorati de Antichristo vaticinii commemorare visum est, non tamen in suggillationem Norberti, viri sanctissimi, quem supra « fisulam celestem » Bernardus appellat. Nec enim solus ipse, sed et plures sanctorum Patrum finem mundi suo tempore haud procul abesse opinati, aut ominati sunt : ut inter cæteros, Tertullianus, libro de Fuga in persec. cap. 12 ; Cyprianus, epist. 56, 58, 63 ; Hieronymus, epist. ad Ageruch. vel Geront ; Leo, serm. 8, de Jejun. decimi mensis ; Basilius, epist. 71 ; Chrysostomus, homilia 33 in Joannem ; Ambrosius, oratione in Satyrum frat. Gregorius, lib. iv, epist. 72, et homilia 4 et 15 in Evangelium ; Bernardus, serm. 6, in Psal. xc ; Vincentius Ferrerius, Ordinis Prædic. epist. ad Benedictum papam, et plures alii. Sed adverte longe diversa ratione viros sanctos de fine mundi locutos, quam quos supra meminimus. Illi enim vel ex observatione siderum et planetarum (quæ fere in aliis prædictionibus, sed in hac maxime, nimis fallax est), vel ex quibusdam Scripturæ sententiis in falsum sensum detortis, vel sola mentiendi et fallendi libidine, vel studio popularis auræ et venerationis, hujusmodi commenta sparserunt. At sancti viri, horrore scelerum et malorum, quæ passim toto orbe inundabant, vix ultra posse mundum consistere putabant, nec aliud superesse, quam ut propediem, mole criminum et iniquitatum impellente, fatisceret, ira scilicet Dei terminum orbi constitutum prævertente. Et hinc pie ac prudenter inquit auctor quidam recentior, ita inquit : « Si plures Patres, quos propter eximiam san-

**A** Videtur hoc, nisi fallor, scribere in causa monachi, de quibus supra epistola 55.

Sicut is a vestra mihi parte reportavit, idcirco ipsius desiderio et petitioni usque adhuc satisfacere distulistis ; quia primum volum, pergendi videlicet Jerosolymam, irritam vobis fecisse videtur. Super quo si nostram requiritis sententiam, ego non arbitror minora vota impedire debere majora ; nec Deum exigere quodecumque sibi promissum bonum, si pro eo melius aliquid fuerit persolutum. Enimvero alicui forte **61** debenti vobis duodecim nummes, nunquid si pro eis die constituto marcæ solveret argenti, juste irascere mini ? Jam si et ab hujus episcopo aliquid timetis, securum vos reddo, quia non solum ei, si quod huic auxilium impenderitis, non displicebit, sed etiam valde gratum habebit. Valete.

**B**

ctitatis et doctrinæ præstantiam admiramur, animadvertentes suorum temporum, vel improbitatem ac malitiam, vel magnitudinem atrocitatemque persecutionum, Christianos urgentium, vel horrendas hæreticorum grassationes, aut denique invidia urbium, bellorum procellas, ingentes terremotus, cœli, aerisque atque elementorum tetras ac funestas immutationes, imperiorum occasus, humani sanguinis inhumanas effusiones, in eam cogitationem metu et trepidatione tot tantorumque malorum adhibentur, ut jam prope adfuturum Antichristum et finem sæculi, vel pertimescerent, vel forte crederent ; non sunt aut levitatis aut falsitatis traducendi, vel quoque modo linguæ virulentia contaminandi. Nam sic opinati aut locuti sunt, quod præsentia mala semper videantur atrociora : quorum intuitu, timore prope consternebantur, ac aliis timorem, ut nimirum emergerent, et se ad frugem bonam, ut dicitur, reciperent, incutere, et animo commovebantur, et prædicatione contendebant ; arbitrabantur etiam totum hoc tempus quod decurrit, vel brevissimam moram esse æternitati comparatum. Denique Dei iudicium in dies singulos magis atque magis appropriare, citra veritatis dispendium, et dicere poterant, et proclamare. Quod quidem Scripturis familiare esse ac proprium, nemini eorum qui illas legent, potest esse impervium. Ita auctor Harpocratis divini. Nec absinthia fuerunt varia prophetarum oracula, quibus finem mundi ob impendentia mala, quasi jam futurum præciperent. Cujusmodi est illud apud Ezech. iv, 2 : *Finis venit, venit finis super quatuor plagas terræ, et hinc similia.* Huc referri potest visio illa Remachi, Florentiæ civitatis episcopi, de qua B. Gregorius, lib. iii Dial. cap. 38. Mira sunt, quæ narrantur apud Baronium, nempe circa annum Domini 419, tot visa signa et tam horribilia portenta super montem Oliveti ; ut multæ vicinarum gentium, tam visu quam auditu pectorent, ad Christianorum sacra convolverint, quorumque baptizatorum in tunicis crucis Christi Salvatoris, divinitatis nutu expressa fuerit. Hujus rei admirabilis occasione de tempore adventus Domini, ex divinis prædictionibus cœpti sunt ubique misceri sermones. Et hinc videtur Iesychius scripsisse ad sanctum Augustinum de supremo mundi die inquirendo, cui respondet Augustinus epistolis 78 et 88, quam posteriorem in hac materia omnino expediet legere, quippe quæ plurima Scripturæ loca varie de fine sæculi loquentia, doctè et prolixè explicat. Sed nunc ad alia transeamus.

(172) Epist. 77-79.

(173) Scripta circa annum 1128.

## EPISTOLA LVIII.

AD EBALUM CATALAUNENSEM EPISCOPUM (174).

*Hortatur Ebalum, ut monasterio seu ecclesie Omnium Sanctorum virum idoneum præfici curet.*

Domino EBALO venerabili sancte Catalaunensis Ecclesie Dei gratia episcopo, frater BERNARDUS abbas de Clara-Valle, si quid potest peccatoris oratio.

1. Naviculæ illius (de ecclesia loquor Omnium Sanctorum (175), quæ sub oculis vestris gubernatore destituta fluctuat) non est bonum vobis negligere vel dissimulare periculum. Res quippe vestræ curæ est. Unde miror, qua ratione, quæve securitate a clerico illo, qui a religiosis personis vir, ut aiunt, religiosus eidem ecclesie electus est, requirendo desistitis, etiamsi hoc quorundam, qui in ipsa ecclesia sunt, incuria vel desidia non mereatur: qui, ut audivimus, illum qui electus est nolentes, nec aliud nisi quod religiosus est, afferentes [*al. asserentes*], de eligendo alio vestram quoque ausi sunt compellere gravitatem: quasi qui videatur esse communior et affabilior, qui non sit extraneus: sed civibus tam gratus quam cognitus, morum patriæ gnarus, rebus ecclesie tractandis idoneus: revera (ut ad istos cautissimos consultores me vertam) qui vitia vestra non redarguat, qui miseræ conversationi vestræ, aut consentiat, aut contradicere non audeat. Non sunt audiendi; sed potius, velint nolint, omnimodo satagendum est vobis, ut is qui boni testimonii est, ecclesie desolatæ quantocius perquiratur: quoniam, si talis est qualis prædicatur, Deus procul dubio cum ipso erit, qui suam ei gratiam ministrabit, placentem omnibus, efficacem in omnibus.

2. Quod si hunc, istis fortasse non merentibus, nullo modo haberi posse contigerit; alius de alia qualicumque domo religiosa qui videatur idoneus, provideatur: non qualem isti volunt, qui, nisi quod suæ carnalitati blanditur, volunt; sed qui sic sciat negotia disponere rerum exteriorum, ut norit per omnia præponere curam animarum. Certe duobus monasteriis, sancti videlicet Petri, et sancti Urbani (176), pastoralis aliquando solatio similiter destitutis, bonæ memoriæ prædecessor vester dominus Guillelmus non longi iunioris laborem, non hiemis repu-

ans asperitatem, bis (nisi fallor) Cluniacum, semel Divionem per seipsum adiit: hincque virum bonum domnum Hugonem, qui post defunctus est; illinc virum venerabilem, qui adhuc superest, domnum Radulfum vix multis precibus impetratos abducens, singulum singulo præposuit monasterio, tutum videlicet non arbitrans cuiquam monachorum domesticorum illam committere curam. Quod ideo vobis in exemplum adduxi, **62** ut vestram charitatem commonefaciam, qualiter et in hoc quod nunc in manibus est, oporteat eam esse non minus cautam quam sollicitam

## EPISTOLA LIX (177).

AD GUILENCUM LINGONENSEM EPISCOPUM.

*Hortatur ut res quasdam ecclesie S. Stephani Divionensis, per obitum Garnerii vacantes, ad tollendam scandalis et calumniis ansam, eidem ecclesie cedat.*

Domino suo et patri GUILENCO (178), Dei gratia Lingonensi episcopo, frater BERNARDUS Clara-Vallis abbas, seipsum.

Audito obitu domini Garnerii archidiaconi (179), necessarium duximus vestram Paternitatem precibus prævenire, imo præmunire consilio, si tamen dignum putatis monitis nostræ acquiescere parvitas: quatenus videlicet de rebus sancti Stephani Divionensis, quas tenet, placeat liberalitati vestræ misericordiam superexaltare iudicio. Siquidem non ignoramus, quod in manum vestram debeant redire, juxta quod in Capitulo Lingonensi dispositum, et scripto firmatum fuisse etiam nos meminimus, quando filius vester Herbertus in ecclesia illa primus abbas regularis constitutus est. Sed quia canonicis gravis scandali, et abbati magni improprietatis occasionem fore cognovimus, si ad ea quæ diu tenuit illa ecclesia, quacunque occasione non in vestram extenderitis; conquerentibus quippe illis de illo, quasi qui malum principium dederit adveniens, cum ejus causa et ad ejus introitum tam grande ecclesia damnum incurreret: pietati vestræ supplicamus, et supplicando consulimus, ut et tot pars Christi a tanto scandalo pareatis, et hunc vicarium Christi a tanto improprietate simul liberare curetis,

Compellis ad meliorem frugem revocaverat.

(177) Scripta anno Christi 1129.

(178) Wilencus, alius et Guillelmus, ex archidiacono Lingonensi, apud Perardum in Burgundicis Monumentis, pag. 87.

(179) Is etiam abbas fuerat ecclesie Sancti-Stephani Divionensis, antequam eo inducerentur canonici regulares, quod fieri coeptum anno 1113, quo anno quatuor canonici ex ea ecclesia in villam Quintiniacum secesserunt, ut ibi vitam regularem profiterentur. Anno 1116, duodecim jam numero existentes, ad suam ecclesiam reversi sunt. Interim a Prioribus Arnulfo et postea Galone ecclesia ista gubernata fuit usque ad annum 1125, quo dominus Erbertus seu Herbertus abbas institutus est, presentibus Hubaudo Lugdunensi archiepiscopo, Stephano episcopo Eduensi, Goceranno seu Joceranno Lingonensi, aliisque personis. Hæc fusius apud Perardum, pagg. 86, 87, ubi Vita Garnerii legitur

(174) Scripta circa annum 1128. Fuit Ebalus nepos Hilduini comitis Rocciensis, filius Andreæ comitis de Rameruco, teste Hermanno monacho Laudunensi, in libro primo de Miraculis B. Mariæ, cap. 2, anno 1122 creatus episcopus Catalaunensis post Guillelmum Campellensem, de quo in epistola 5 successorem sortitus Elbertum seu Robertum anno 1126, et post eum Gaufridum ex Sancti-Medardi abbate, ad quem epistola 66. Itaque hæc epistola scripta est sub annum 1126, et quidem ante epistolam 13 scriptam in gratiam Alberici, qui post Ebalum electus, sedem tamen ejus non obtinuit.

(175) Abbatia canonicorum regularium Ordinis S. Augustini apud Catalaunum, ejus abbati Petro, forsitan a reformatione primo, epistolam scripsit ineditam Hugo Metellus, canonicus itidem regularis Sancti-Leonis apud Tullum Leneorum.

(176) Monasteria hæc Ordinis S. Benedicti, deinde sub congregatione S. Vitoni, primum in ipsa urbe, alterum in diocesi Catalaunensi: quæ Guillelmus de

concedendo ecclesiæ utique, quod hactenus juris A  
ecclesiæ fuisse cognoscitur (180).

EPISTOLA LX (181).

AD EUMDEM.

*Supplicat pro ecclesia Molismensi.*

Pro ecclesia Molismensi supplex, non, ut arbitror, importunus interventor, accedo. Multa quippe sunt quæ me confortant, ut repulsam non metuat hæc nostra petitio. Primum quia non pro qualibet extranea, sed pro vestra vobis ecclesia supplicamus. Deinde quod eandem ecclesiam non alienum usurpare, sed suum jus tantum a vestra æquitate requirere credimus. Tertio quod idipsum talis nobiscum postulat, qui solus ad impetrandum etiam majus aliquid a vobis sufficere possit; videlicet comes Theobaldus. Quartum quoque si addidero, non temere id me præsumere putaverim. Neque enim vel ipsi de nostra adeo humilitate diffidimus, quin audacter, si opus sit, per nosmetipsos ad vestræ celsitudinis nobis jam satis expertam benevolentiam, petituri quod rationabile visum fuerit, accedamus. Valete.

63 EPISTOLA LXI (182).

AD RICUINUM TULLENSEM EPISCOPUM.

*Hominem qui pœnitentiam subiturus, jussu episcopi Tullensis venerat, ad eundem remittit curandum.*

Reverendo patri, domino RICUINO (183), gratia Dei Tullensi episcopo, frater BERNARDUS dictus abbas de Clara-Valle, salutem et orationes.

Peccatori huic, quem ad nos peccatores ob animæ suæ consilium vestra, ut ipse perhibuit, dirigere curavit dignatio nihil ad præsens sanius consulere in promptu habuimus, quam ut ad sinum paternæ pietatis rediret, et ex ore sacerdotis legem requireret. Nos enim nostræ parvitatatis et officii mensuram attendentes, nec nos ultra nos extendentes, dare pœnitentiam, maxime in criminalibus, nulli hominum præsumere omnino solemus, nisi solis, quos in nostram curam suscepimus. Quæ namque temeritate tractanda episcoporum negotia, et hujusmodi negotia, peccatores et imperiti suscipimus, qui ipsi quoque, sicut et cæteri hominum, quoties gravior aliqua causa inter nos oboritur, quam per nos definire aut nescimus, aut nequimus, aut non audemus; episcopali, ut dignum est, sententiæ reservamus: et nisi summi prius Sacerdotis vel iudicio vel consilio confirmati, securi non sumus? Provideatur igitur morbidæ ovi a proprio

(180) Id a Guileuco præstitum docet ejus charta apud Perardum, pag. 97 edita, cui subscribunt inter alios abbates Cisterciensis et Claræ-Vallensis apud Lingonas, anno 1129. Eodem anno controversia quæ erat inter eandem ecclesiam et Sancti-Sequani monachos, composita est ab eodem Joceranno, iudicio et consilio Galterii Cabilonensis, abbatumque Cisterciensis, Besuensis, Claræ-Vallis, ibid. pag. 102. Res ad Innocentium postea delata, Stephano Cistellensi et Bernardo Claræ-Vallensi a pontifice commissa est, pag. 103. Sic unus omnia præstabat Bernardus, unus omnes lites et controversias finiebat.

(181) Scripta circa annum 1128.

pastore, et tali pastore, qui canones non ignorat, congrua pœnitentiæ medicina: ne si in peccato, quod absit, anima pro qua Christus mortuus est, moriatur; sanguinem ejus de manu vestra summus Pastor requirat. Verum nos Deo illi inspirante mundum relinquere persuasimus: si tamen homo senex et pauper in aliquo se recipi intra diocesim vestram sanctorum conventu, vestro obtinere potuerit interventu. Plenum vos dierum suscipiat dies una illa melior in atriis Domini super millia, sancte ac venerabilis Pater.

EPISTOLA LXII (184).

AD HENRICUM VIRDUNENSEM EPISCOPUM (185).

*Feminam multis obstrictam peccatis, sed jam pœnitentem commendat episcopo.*

B DOMINO HENRICO, Dei gratia Virdunensi episcopo, frater BERNARDUS dictus abbas de Clara-Valle, salutem et orationem.

Hæc muliercula, quam ecce jam multis annis, multis et perplexis peccatorum nodis Satanas alligavit, super statu salutis suæ, nostræ parvitatatis consilium expetiit: et tale accepit, ut post multum videlicet ac diuturnum erratum, ad proprii pastoris sinum profuga ovicula fidenter recurreret: qui utique eo citius ac sollicitius inopi ferret opem, quo se certius scit atque districtius de sibi commissa, Agno qui pro ipsa mortuus est, redditurum rationem. Nostrum fuit deviantem corrigere; vestrum sit peccatricem non despiciere, imo pœnitentem suscipere: et si vera est suæ, quam nobis exposuit, infelicitatis historia; aut viro suo priori, si adhuc vivit, reconciliare; aut, si ille noluerit, sicut hanc innuptam, sic illum cogere absque uxore manere. Valete.

64 EPISTOLA LXIII (186).

AD EUMDEM.

*Purgat se de facto temerario, cujus insimulatus fuerat: ejus notitiam cupit: Guidonem eidem commendat.*

Super his quæ a nobis vestræ excellentiæ placuit sciscitari, aut nos fallimur, aut ille qui ea vobis retulit, fallit. Si quid tamen fuit (suspectam quippe habeo meam, quam novi, labilem memoriam), ne tantam in fratre qui hæc loquitur, suspicer falsitatem: hoc me certissime scire confido, et vos D indubitanter credere volo, nemini me super nomine vestro reprehensionis aliquando vel accusationis verba fecisse, vel injunxisse. Absit hæc a nostra pusillitate temeritas, ut contra episcopos, et absen-

(182) Scripta circa annum 1125.

(183) Ricuinus anno 1126 obiit, uti ex Alberico probant Sancta-Marthani. Unde hæc epistola post hunc annum differri non potest: certe ante annum 1124 scribi vix potuit, cum scilicet Bernardi fama et doctrina jam celebris erat. Ad eundem Ricuinum epistola 396.

(184) Scripta ante annum 1129.

(185) De eo vide epistolam 48, ubi eum suadente Bernardo episcopatu cessisse notavimus, et quidem anno 1129.

(186) Scripta circa annum 1128.

tes, loqui quæ ad nos non attinent, audeamus, præsertim quæ non probavimus! Deinde quod nostri notitiam dignanter expetitis, gratanter accipimus, abundantius nos et innotescere vobis, et vos noscere cupientes. Qua jam sanè fiducia Præstantiæ vestræ supplicamus, imo vestram fidenter commo- nemus benevolentiam, de loco illo (187) quem sub tutela vestra, vestro, ut aiunt, hortatu, frater reve- rendus et coabbas noster dominus Guido de Tribus- Fontibus construere suscepit. In illo nobis quantum nos curatis, ostendite; et quidquid ei feceritis, no- bis factum reputate. Valete.

#### EPISTOLA LXIV (188).

AD ALEXANDRUM LINCOLNIENSEM EPISCOPUM (189).

*Philippus volens proficisci Jerosolytam, ad Claram- Vallem forte divertens, illic manere decrevit. Alexandri ad hoc consensum requirit. Negotium cum creditoribus Philippi illi commendat. Deni- que hortatur eundem ne gloriæ mundanæ nimium fidat.*

Viro honorabili domino ALEXANDRO, Dei gratia Lincolniensi episcopo, BERNARDUS abbas Claræ- Vallis, velle honorari magis in Christo, quam in sæculo.

1. Philippus vester, volens proficisci Jerosolytam, compendium viæ invenit, et cito pervenit quo volebat. Transfretavit in brevi hoc mare magnum et spatiosum, et prospere navigans attigit jam littus optatum, atque ad portum tandem salutis applicuit. Stantes sunt jam pedes ejus in atriis Jerusalem; et quem audierat in Ephrata, inventum in campis sil- væ libenter adorat in loco ubi steterunt pedes ejus. Ingressus est sanctam civitatem, sortitus est cum illis hæreditatem, quibus merito dicitur: *Jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum et domestici Dei* (Ephes II, 19). Cum quibus intrans et exiens, tanquam unus e sanctis, gloriatur et ipse cum cæteris, dicens: *Conversatio nostra in cælis est* (Philipp. III, 20). Factus est ergo non curiosus tantum spectator, sed et devotus habitator, et civis conscriptus Jerusalem, non autem terrenæ hujus, cui Arabiæ mons Sina conjunctus est, quæ servit cum filiis suis; sed liberæ illius, quæ est sursum mater nostra (Galat. IV, 25, 26).

2. Et, si vultis scire, Clara-Vallis est. Ipsa est Jerusalem, ei quæ in cælis est, tota mentis devo-

(187) Caladia scilicet, diocesis Viridunensis, anno 1128 fundari cepta sub Henrico, ab Adalberone ejus successore consecrata, « ubi nunc, » inquit Lau- rentius de Leodio, « sub abbate sanctæ memoriæ Guntero, militant regno cælorum fere trecenti ser- vorum Dei. » Cœpit autem sub Henrico præsule, quando ibi Robertus, venerabilis nostri cœnobii, « id est, Sancti-Vitoni Viridunensis monachus, « cum duobus sociis primum eremitavit, ecclesiola et qui- busdam mansiunculis fabricatis. Sed eo ad ecclesiam Belli-Loci assumpto, cum locus vacuus remansisset, a viro nobili Waltero nepote, cujus erat, data est venerabili Guidoni abbati de Tribus-Fontibus, Hen- rico pontifice annuente et monente, et maxime Herveo viro nobili, hoc totum innitente et hortante: qui Herveus se cœtibz eorum associavit exemplo mirabili, » nempe uxore dimissa, et laqueo circum-

lione, et conversationis imitatione, et cognatione quadam spiritus sociata. Hæc requies ejus, sicut ipse promittit, in sæculum sæculi: elegit eam in habitationem sibi; quod apud eam sit, etsi non- dum visio, certe expectatio veræ pacis, illius uti- que de qua dicitur: *Pax 65 Dei, quæ exsuperat omnem sensum* (Philipp. IV, 7). Verum hoc suum bonum, etsi desuper accepit, in vestro tamen bene- placito hoc facere cupit, imo se fecisse confidit, sciens vos Sapientis non ignorare sententiam: quod filius utique sapiens sit gloria patris (Prov. X, 1) (190). Rogat autem paternitatem vestram, rogamus et nos cum illo et pro illo, quatenus de præbenda sua quod ipse suis creditoribus constituit (191), im- mobiliter stare faciatis; ne in aliquo fraudator (quod absit!) debiti, et prævaricator pacti inveniatur; et ita munus contriti cordis, quod offert quotidie, non recipiatur, dum frater quispiam habet aliquid ad- versus eum. Precatur deinde ut domus quam ipse matri suæ in terra Ecclesiæ construxit, cum terra quam ibi delegavit, eidem matri, quamdiu vixerit, concedatur. Hæc pro Philippo.

3. Reliqua hæc pauca pro vobis, ipso quidem inti- mante, imo vero inspirante Deo, adjicienda putavi- mus, hortari vos in charitate præsumentes, ne ca- suri gloriam mundi quasi stantem aspiciatis, et ve- stantem amittatis; ne plus vobis aut pro vobis ve- stra diligatis, et sic vos et vestra perdati; ne blan- diens præsens prosperitas sui vobis finem abscondat, et adversitas sine fine succedat; ne lætitia tempo- ralis luctum vobis æternum et operiat quem parit, et pariat quem operit; ne mors longe esse putetur, et præoccupet improvidum; et vita, dum longa expectatur, cito deserat male consciùm, sicut scriptum est: *Cum dixerint, Pax et securitas, tunc subitaneus superveniet eis interitus, tanquam in utero habenti, et non effugient* (I Thess. V, 3). Valete.

#### EPISTOLA LXV.

AD ALVISM ABBATEM AQUISCINCTI (192).

*Laudat in Alviso paternam erga Goduinum mansue- tudinem. De admissione se excusat, et veniam pre- catur.*

ALVISO abbati Aquiscincti monasterii, BERNARDUS, salutem ex corde.

1. Retribuat vobis Deus misericordiam, quam fe- gulam alligato, ex Spicilegii tomo duodecimo, pag. 337.

(188) Scripta circa annum 1129.

(189) Alexander Lincolniensi seu Lincoliensi apud Anglos Ecclesiæ præfuit ab anno 1123 ad annum 1147.

(190) Ita Bernardus passim hunc locum citat; Vulgata, *Filius sapiens latificat patrem.*

(191) Ejusdem argumenti est Philippi abbatis epi- stola 18, ad Alexandrum III, rogantis ut bona archi- diaconi Aurelianiensis, qui religionem ingressus fue- rat, creditoribus concedantur, in tomo primo Biblio- thecæ Cisterciensis, pag. 246.

(192) Scripta circa annum 1129. Monasterium ordinis sancti Benedicti ad Scarpum fluvium, se- cundo milliari a Duaco. Anno 1029 inceptum est hoc cœnobium, Sancti Salvatoris dictum, in insula

cistis sancto filio vestro Goduino: Audivimus enim quod, audito ejus obitu, mox velut immemor pristinae calumniae, sed non amicitiae, consolatorem potius quam ultorem vos exhibuistis. Patrem quippe vos cognovistis, ut res exigebat, non judicem. Ideoque quod pietatis, quod charitatis est, ut vere filio pater impendere studuistis. Quid melius, quid laudabilius, quid vobis dignius agere poteratis? Sed quis hoc crederet? Vere nemo scit quae sunt in homine, nisi spiritus hominis qui in eo est (1 Cor. ii, 11). Ubi est nunc illa austeritas, illa severitas, illa indignatio, quae olim in illum lingua, vultus, oculi, terribiliter ostentare et intentare solebant? Ad unum nempe nuntium de morte filii, paterna viscera commota sunt; subitoque haec omnia, quae simulatoria, sed dispensatoria, ac per hoc transitoria erant, disparuerunt; illa vero quae vera erant, sed latebant, charitas, pietas, benignitas apparuerunt. Siquidem in religioso animo vestro misericordia et veritas obviaverunt sibi; et quia nimirum misericordia superabundavit iudicio, justitia et pax osculatae sunt. Nam quantum mihi videor conjiciendo videre, quid animi tunc habueritis, cum ad ulciscendam illam, quae vobis videbatur facta, injuriam, justitiae zelo accensa veritas se accingeret, illa quae exemplo Joseph prudenter antea dissimulabatur misericordia, ultra jam laterè non ferens, ne in hoc quidem dissimiliter ab Joseph (Gen. XLV. 1), ex abdito celatae pietatis erupit, seque veritati adjungens repressit motum, temperavit zelum, pacem cum justitia fecit.

2. Tunc de purissimo placidi pectoris fonte talium credo limpidissimi cogitationum rivuli ebullierunt: Quid opus est indignari? misereri potius oportet, et non oblivisci quod scriptum est: *Misericordiam volo, et non sacrificium* (Osee vi, 6); et implere quod insum est: *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis* (Ephes. iv, 3); et expectare quod promissum est: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (Matth. v, 7). Alioquin num filius meus erat iste? quis vero irasci filio potest? Nisi forte tunc tantum filius fuit, dum mecum fuit, et non etiam cum me deseruit. Sed nunquid quia corpore ad tempus recessit, etiam

quae dicitur Aquiscinctus, a viris illustribus Sichero ac Waltero, sub Gerardo II Cameracensi praesule, ad cujus diocesim tunc locus ille pertinebat. Vide Aub. Miræum in Chronico Ordinis sancti Benedicti, cap. 68. Porro congregationi Cluniacensi Aquiscinctini monachi se aggregarunt, ejusque reformationem susceperunt anno 1110, uti refert Iperius in Chronico suo Bertinensi. Anno Domini millesimo centesimo decimo, monasterium Aquiscincti ad religionem reparatum est et reductum per dominum Lambertum abbatem nostrum, cum ex monachorum dissensionibus nactus esset opportunitatem, monachis Aquiscincti inter se tumultuantibus, in tantum, ut suum abbatem expellentes deponerent. Hoc itaque dominus Lambertus considerans, per secretos internuntios illos induxit ut virum venerabilem, moribus egregium, et prudentia facundiaque decoratum, sibi sumant in abbatem, quo collapsa eorum ecclesia releveretur. Et eis nominari fecit dominum Alvisum,

A animo recedere potuit? aut forte vel ipsa mors eum mihi poterit auferre? Itane localis corporalisve necessitas animorum sese amantium libertatem angustat? Certus sum quia nec locorum distantia, nec corporum vel mors vel absentia disjungere poterit quos unus spiritus vegetat, una charitas ligat. Denique, si justorum animae in manu Dei sunt (Sap. iii, 1), profecto et qui jam in ipso, deposita carne, quiescunt, et qui ipsi adhuc in carne non secundum carnem militamus, simul procul dubio sumus. Meus ergo erat vivus, meus erit defunctus, meum in patria recognoscam. Si quis est qui de manu Dei possit eruere, et a me illum separare valebit.

3. Itaque pro filio quidem vestra vobis affectio satisfecit; sed de nobis, pater, quid erit? quae, inquam, de nobis digna vobis satisfactio placebit, quibus utique pro grandi injuria imponitis quod, a vobis recedens, a nobis receptus sit? Quid dicam? si dixerò: Non recepimus (quod utinam sine peccato dicere possem), mentior plane; si dixerò, Recepimus quidem, sed juste, excusare me velle videor. Sed tutius respondebo, Peccavimus. Verumtamen quantum? Non ad defensionem dico: a quo enim ille non reciperetur? quis, inquam, sanctum illum aut pulsantem repelleret, aut susceptum expelleret? Quis vero scit si de vestra abundantia nostram Deus voluerit supplere inopiam, ut scilicet unum de multis, qui forte apud vos religiosi tunc erant, ad nos dirigeret, nobis quidem ad solatium, sed nihilominus vobis ad gloriam? Filius quippe sapiens gloria est patris (Prov. x, 1). Denique non eum praevenerimus sollicitando, non circumvenimus attrahendo, quo vos desereret, vel ad nos veniret; quin potius rogantem, pulsantem, supplicantem non prius, Deus scit, consensimus recipere, quam remittere ad vos tentavimus. Non autem eo acquiescente, ejus nos importunitati vix tandem acquievimus. Hominem ergo religiosum, peregrinum, solum, si culpa est quod suscepimus et ita suscepimus, non erit vobis indignum semel tantum commissam culpam, talemque culpam dimittere; cui etiam fas non est ne usque quidem septuagies septies peccantibus in vos veniam negare (Matth. xviii, 22).

4. Ut tamen noveritis quam non leviter seu ne-

D monachum nostrum reformatum, ecclesiae Santi-Vedasti tunc intendentem. Igitur Acquiscinctenses monachi Alvisum instinctu Lamberti abbatis nostri in suum abbatem elegerunt, qui consilio et auxilio ejusdem Lamberti, eandem ecclesiam reformavit, et in spiritualibus ac temporalibus sic exaltavit, ut ejus nomen celebre fieret ubique, et idem Alvisus tandem eligeretur in episcopum Atrebatensem. Hactenus Iperius. Porro hujus monasterii fama ac gloria plurimum toto orbe crevit a gymnasio Aquiscinctino, quod in Duacena academia excitavit Joannes Lentaillerus, hujus loci abbas dignissimus, et Patribus societatis Jesu, raro sed praclaro exemplo, tradidit. Vide Jacobum Bonfrer, societatis Jesu theologum et insignem Scripturae interpretem, Dedicat. in Pentateuchum. Alvisus, de quo item mentio infra in epistola 66, Atrebatensem Ecclesiam, cui paret Acquiscinctum, episcopus rexit. Ad eum hoc nomine scripta epistola 395.

gligenter, imo quam non impune feramus quod unquam Reverentiam vestram quoquo modo offendimus, sæpe Deum testor, quod corpore non possum, mente ad vos supplici transeo, sæpe genibus flexis humiliter satisfaciens, vobis adstare me video. Utinam ipse qui id mihi fortasse inspirat, vobis quoque Spiritus sentire faciat quam flebilis, quam miserabilis, tanquam præsens, ad genua usque vestra descendo! quam frequenter nudus humeros, virgasque in manibus gestans, et quasi ad vestram jussionem vapulare paratus, peto veniam, gratiam tremebundus exspecto! Hæc qualiter vobis, Pater, accepta sint, vestro, si vos non gravat, citius scire flagitamus rescripto; ut, si satis, jam securi de indulgentia consolemur; si quo minus, magis (ut dignum est) humiliemur, et amplius aliquid a nobis si possumus, exigamus, quo dignius satisfacere debeamus. Valet.

### 67 EPISTOLA LXVI.

AD GAUFRIDUM ABBATEM SANCTI-MEDARDI (193).

*Operam ejus requirit in reconciliando sibi abbate Alviso: solatur eundem in tribulationibus.*

Domno GAUFRIDO abbati Sancti-Medardi, frater BERNARDUS ecclesiæ Claræ-Vallis ordinator incompositus, salutem, et non in via.

Primo precor ut præsentis litteras domno abbati Aquiscineti monasterii dirigere non graveris. Deinde ut, ad id quod portant, pro absente amico præsens

(193) Scripta circa annum 1129. Editi ac scripti præter unum (quos quidem viderimus) omnes habent, S. Theoderici; at legendum, S. Medardi, ut in codice Corbeiensi, ex quo sequentem inscriptionem (quæ aliis deest, præterquam in Spicilegii tomo 3), restituimus: Domno etc. Et quidem licet utrique cœnobio, nempe S. Medardi apud Suessionas, et S. Theoderici prope Remos, successive præfuerit Gaufridus; abbas tamen S. Medardi erat tum, cum hæc epistola scripta est. Scripta est autem (ut ex epistolarum serie intelligitur) ante annum 1131 quo evectus est Gaufridus in episcopatum Catalaunensem ex abbacia S. Medardi, cui ab anno 1119 præfuerat post annos octo regiminis apud S. Theodericum.

Procurante sancto Bernardo, qui electus acquiescere noluit, in sedem Catalaunensem suffectus est anno 1131 in locum Herberti, non post dedicationem ecclesiæ Sancti-Medardi, ut tradit Albericus in Chronico, Idibus Octobris ejus anni, ab Innocentio factam; sed ante illam, ex Chronico Sancti-Medardi, ubi « prædictus Papa, ante dedicationem ecclesiæ prædictæ, Odonem abbatem ecclesiæ Beati-Medardi, nolente sed contradicente episcopo Suessionensi, Aurelianus benedixisse perhibetur pridie Kalendas Octobris. » Obiit, teste Alberico, anno 1143, et quidem sexto Kalendas Junii, ut Sancti-Theoderici Necrologium testatur his verbis: « Sexto Kalendas Junii obiit Gaufridus noster abbas, Catalaunensis episcopus. » In serie vero anniversariorum notatur, « ipsum tres præbendas in Refectorio legasse in elemosynam pro se et pro Adalberone Remensi archiepiscopo, qui ibidem monachos restituit. » Exstat epistola Gaufridi ad Petrum Venerabilem in Bibliotheca Cluniacensi, ipsiusque Petri ad eundem rescriptum, in quo eum vocat « Cluniacensis, imo divini Ordinis, per totam Franciam primum disseminatorem, auctorem, provectorem, inveterati draconis de tot monasteriorum cubilibus expulsorem, diuturni somni et monastici torporis excitatorem de duobus alterum » (Bernardus alter, imo primus erat), « quos non fictæ charitatis vertice totius

A satagas cum venerit locus. Neque enim cujuslibet, nedum tanti patris, justum injustumve adversum me debeo scandalum dissimulare; quod quam non faciam, loquens potius quam scribens, ei aperire forsitan potuissem. Nam solet in talibus acceptior esse sermo vivus quam scriptus, et efficacior lingua quam littera. Oculi quippe loquentis fidem faciunt dictis; nec ita potest affectum exprimere digitus, quomodo vultus. Nunc autem, quia absens per me non possum, per te satisfacio quantum possum. Rogo ergo te, et iterum rogo, ut de regno Dei, quod est videlicet intra nos, scandalum auferas, dum salubriter potes; ne si (quod absit!) usque ad angelos, qui utique in fine sæculi in id ministerii deputandi sunt (Marc. xiii, 27), perduraverit rancor, necesse sit irrevocabiliter aut ambos aut alterum a nobis de medio tolli. Unde autem ad me tu jamdudum scripsisti, conquerendo super tribulationibus vestris, scitis quia juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde. De ipso confidite, quia ipse vicit mundum. Ipse scit inter quos habitatis, et in conspectu ejus sunt omnes qui tribulant vos. Ipse exaudiet vos in abscondito tempestatis, qui nunc probat ad aquas contradictionis. Valet.

### EPISTOLA LXVII.

AD MONACHOS FLAVIACENSES (194)

*Susceptionem B. monachi tuetur, tanquam de ignoto*

Galliæ Belgicæ amicis præponendos non tantum crederet, sed et publice prædicaret. Præclara certe elogia, quæ tandem his verbis ita concludit: « In ultimo fratrem domni Garnerii subprioris nostri, charissimi mei, ita vobis commendo, ut cum labore vestro probus, sapiens, litteratus factus fuerit, nobis eum, sicut de altero fecistis, reassignetis. » Ex quibus colligere est, Gaufridum doctrinæ et sapientiæ laude conspicuum, instituendæ juventutis cum ipso episcopali munere operam suscepisse. Sub eo apud Suessionas habitum est generale monachorum Ordinis nostri capitulum de quo in epistola 91. Interfuit concilio Senonensi anno 1140; et in epistola synodali ad Innocentium directa, quæ est inter Bernardinas 191, tertius nominatur.

(194) Ita legendum cum purioribus manuscriptis; non vero *Flaviniacenses*, ut perperam volunt Horstius et alii nonnulli, quod ex ipsius contextu epistolæ tribus argumentis manifeste refellitur. Primo namque sanctus Bernardus asserit quod eorum ad quos scribit, « non habitationis, non religionis ac conversationis usque ad hoc tempus vel tenuem notitiam habuerit, sed nec aliquam aliquando mentionem sibi de ipsis factam » fuisse meminere. Deinde, « Multis, » inquit, « terrarum spatiis, et diversis provinciis, et dissimilibus linguis ab invicem distamus. » Postremo denique, « Nec solum, » ait, « episcopatibus propriis absumus, sed etiam in eodem archiepiscopatu non degimus. » Quæ omnia Flaviniaco non posse competere clarius est, quam ut probatione indigeat. Est enim Flaviniacum oppidum in Burgundiæ ducatu, Fontanis, unde Bernardus originem traxit, vicinum, nec multum distans a Clara-Valle, habens olim monasterium Ordinis sancti Benedicti, diocesis Eduensis sub metropoli Lugdunensi, sicut et Clara-Vallis, pretiosis sanctæ Regiæ reliquiis illustratum. Restituendum itaque, *Flaviacenses*; sumpta denominatione a Flaviano, qui vicus est diocesis Bellovacensis ad Eptam fluvium, in quo a beato Geremaro conditum est nobile Benedictinorum cœnobium sub annum 650, unde nonnunquam



sibi hactenus monasterio, et justas ob causas discedentis.

Domino H. Patri Flaviacensis (195) ecclesie, et fratribus qui cum eo sunt, fratres qui in Clara-Valle sunt, salutem.

4. Lectis litteris vestris, vestram Reverentiam propter quemdam monachum qui apud nos est, contristatam cognovimus. De qua vestra tristitia nos quoque contristati sumus, timentes ne non sit illa tristitia, de qua quibusdam dicebat Apostolus: *Contristati enim estis secundum Deum* (11 Cor. vii, 9). Nam, si secundum Deum esset, non usque adeo vos commovisset, ut nos, etsi vobis ignotos, fratres tamen vestros, et si placet amicos, quos necdum vel presentes verbo conveneratis, vel absentes scripto premonueratis, hac prima vice tam subito, tam acriter argueretis. Miramini, ut scribitis, quod fratrem Benedictum (196) suscepimus; minamini nisi eum vobis cito restituerimus. Proponitis nobis de Regula, de noto monasterio monachum non suscipiendum (*Reg. S. Benedicti*, cap. 61), pro constanti scilicet habentes vestrum non esse ignotum. Sed quid si aliis notum, dummodo nobis ignotum sit? Etsi enim, ut verba ipsa **68** vestra ponam, religionis vestrae se adeo fama effuderit, ut etiam Romae ecclesiae vestrae habeatur notitia, nos tamen, qui utique multum citra Romam positi sumus, nescio quo pacto ita praeteriit, ut ne uniusquidem vestrum, abbatis scilicet vel monachorum, non ipsius vestrae habitationis, non religionis ac conversationis, usque ad hoc tempus vel tenuem notitiam habuerimus, sed nec aliquam aliquando mentionem nobis de vobis factam fuisse meminimus. Nec tamen mirum, quia et multis terrarum spatiis, et diversis provinciis, et dissimilibus linguis ad invicem distamus; nec solum episcopatibus propriis absumus, sed etiam in eodem archiepiscopatu non degimus. Putamus autem quod non de cuicumque notis, sed tantum de nobis notis monasteriis monachos suscipere prohibemur; alioquin, cum nullum monasterium sit quod alicui notum non sit, nullum nobis relinquitur de quo quis regulariter suscipiatur. Quomodo ergo illud implebitur quod a beato Benedicto vel praecipitur vel permittitur, peregrinum

Flaviacum, passim vero Sancti-Geremari de Flaviaco, appellabatur. Quod spectat ad nomen abbatis Flaviacensis hoc grammate decurtatum, *Domno H. Patri Flaviacensis ecclesiae*, etc. exprimendum esse puto Hildegarium I, qui ab anno 1106 usque ad annum 1123 Flaviaco praefuisse memoratur in vulgato indice Acheriano ad Guibertum. Verum eum ad annum saltem 1126 pervenisse colligo ex serie harum epistolarum. Sunt qui Hugonem hoc loco notent, sed perperam. Duo quidem leguntur ejus loci abbates, Hugonis nomine; sed primus desiit anno 1100, secundus Hildegario II successit anno duntaxat 1172, uterque proinde longe extra sancti Bernardi calculum. Porro ex eodem coenobio viri doctrina et pietate insignes prodierunt, ex quibus Radulfus, Levitici interpres, circa annum 912, multique alii deinceps, maxime praefati Hildegarii tempore florere, quos inter Guibertus, exinde in abbatem Novigenti prope Codiciacum assumptus, velut sidus

videlicet monachum non solum debere suscipi ad habitandum pro hospite, quanto cupit tempore, sed etiam inventum utilem suaderi ad manendum omni tempore? (*Reg. S. Benedicti*, cap. 61.)

2. Quanquam tamen nos aliter erga praedictum fratrem egerimus. Nam cum veniens se suscipi a nobis humiliter postularet, primo quidem repulsus, deinde admonitus est ut ad monasterium suum rediret. Sed ille non acquiescens, in vicinam nobis eremum se contulit, ibique septem ferme menses, nullam interim calumniam passus, quiete habitavit. Sed cum sibi tutum non crederet quod solus degeret, post primam repulsam, idipsum quod prius a nobis requirere non erubuit. Rursus nos admonentes eum de reditu, cum causam suae ab eo discessionis inquireremus: « Abbas, inquit, meus habebat me non monachum, sed medicum (197). Cogebat servire, imo ipse serviebat per me, non Deo, sed saeculo, quando, ne saecularium malevolentiam incurreret principum, mederi me compellebat etiam tyrannis, raptoribus, excommunicatis. Quod animae meae periculum cum ei nunc privatim nunc palam suggessissem, nec profecissem, quorundam tandem sapientium virorum consilio fretus, fugio meam damnationem, non congregationem, perditionem, non religionem. Consulite salutem quaerenti, aperite pulsanti. » Cujus nos videntes constantiam, audientes causam, et nullam contra eum calumniam, annuimus introitum, probavimus susceptum, adstrinximus probatum, tenemus professum. Nec intrare compulimus, nec exire cogemus. Quamvis si eum ejiceremus, ad vos (ut ipse asserit) non rediret, sed magis se adhuc a vobis elongaret. Desinite ergo, fratres, desinite tam indebitis innoxios lacessere jurgiis, et cassis scriptitationibus inquietare: quia nec cumulatis etiam contumeliis provocari poterimus ut vobis, nisi quod reverentiae est, respondeamus, nec minis exterreri quominus monachum teneamus, quem regulariter suscepisse nos credimus.

## 69 EPISTOLA LXVIII,

AD EOSDEM.

Unde supra.

Reverendis fratribus Flaviacensibus, abbati H.

eminebat; ut non immerito Flaviacenses in sua ad Bernardum epistola, ut hic ipse testatur, monasterii sui famam Romam usque diffusam gloriarentur.

(195) Ita legendum, non, *Flaviniacensis*; ut constat ex momentis in nota modo praecedenti expositis.

(196) In editis, *C*; at in scriptis non paucis, *B*. Nomen integrum, *Benedictum*, exhibet codex Corbeiensis optimae notae, ex quo etiam sequentis epistolae inscriptionem praeter alias restitimus.

(197) Medicos olim agebant et clerici et monachi. De clericis id probat Christianus Lupus in notis ad varias epistolas concilii tum Ephesini, tum Chalcedonensis, p. 100 sq. Monachorum item varia exempla suppetunt, quorum unum insigne est apud Lupum Ferrariensem, in epistola 72, de Didone abbate Senonensi. Utrisque medicina recentiori jure interdicta.

cæterisque omnibus fratribus, frater BERNARDUS, salutem.

1. Modestiae quidem vestrae erat, o boni fratres, super querimonia vestra priori nostra satisfactione contentos esse debere, et jam ab immeritorum infestatione quiescere. Sed quia prioribus malis pejora junxistis, et rursum nobis jurgiorum seminaria transmisistis (quæ absit ut germinent! sicut nec priora germinarunt in nobis), ne tamen, non respondendo, culpam, quæ non est, agnoscere videamur, hoc etiam secundo ad ea quæ procaciter objicitis, veraciter respondemus. Hæc tota nostra culpa est, quantum æstimamus, hæc grandis illa injuria quam vobis fecimus, quod monachum, solum, peregrinum, pauperem, miserabilem, animæ suæ periculum fugitantem, salutem suam sollicitè quærentem, pulsantem, supplicantem suscepimus; seu quod talem, taliter a nobis susceptum, denuo sine causa non ejicimus, ut, quod ædificavimus iterum destruentes, prævaricatores nos constituamus. Hinc Regulæ, hinc canonum, hinc ipsius naturalis legis transgressores judicamur. Opponitis enim indignantes, cur vestrum et a vobis excommunicatum nobis sociare præsumpsimus, quod utique ab alio pati volumus. Sed de excommunicatione quid respondebimus, quando vos inde vobis satisfacitis pro nobis, scientes procul dubio prius a nobis fuisse receptum, quam a vobis excommunicatum? Cum autem prius susceptus, dum tamen regulariter, fuerit, profecto non jam in vestrum, sed in nostrum vestrae maledictionis sententiam intorsistis; quod si recte factum sit, vos videritis.

2. Restat igitur sciendum, et hoc tantum quæritur inter nos, an rationabiliter susceptus fuerit. Et vos quidem, quoniam de ignoto monasterio monachum regulariter posse suscipi negare non potestis, vestrum nobis notum esse contenditis. Negamus, et non creditis. Verum si non creditis simpliciter negantibus, credite vel jurantibus. In veritate, quæ Deus est, vobis dicimus: nec novimus vos, nec noscimus, ignotorum scripta suscepimus, ad ignotos rescripsimus. Sensimus quidem stimulationes et inquietationes vestras, sed necdum stimulatorem et inquietatorem ipsos agnovimus. Vos tamen ad convincendum nos de simulata ignorantia invictissimum argumentum inducitis, non posse videlicet ignotos esse nobis, quorum et abbatis scilicet et ipsius monasterii nomen in nostris posuimus litteris; quasi mox ut rerum vocabula scimus, etiam res ipsas noverimus. Multum ergo valet mihi Michaelis, Gabrielis, Raphaelis nomina nosse, quando ex solo auditu vocabulorum, etiam de ipsorum beatorum spirituum cognitione jam beatus sum. Non mediocriter, inquam, profeci quia didici ab Apostolo paradysum et tertium cælum nominare, si, etiam non raptus cum Apostolo, solis ex nominibus secreta cælestia jam novi, et audiivi ineffabilia verba quæ non licet homini loqui. Stultus ego, qui jam sciens nomen Dei mei, nescio quid adhuc superflue quoti-

die gemo, frustra suspirans et dicens cum Propheta: *Vultum tuum, Domine, requiram (Psal. xxvi, 8)*; et illud: *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei? (Psal. xli, 3.)* et: *Ostende nobis faciem tuam, et salvi erimus (Psal. lxxix, 4).*

3. Sed quid est quod vobis facimus, quod nobis fieri nolumus? Hoc nos utique nolle putatis, ut quis a nostro monasterio discedens monachus, in alio suscipiatur. Utinam omnes nobis commissos, sine nobis salvare possetis! Si quis de nostris ad vos majoris perfectionis gratia et arctioris vitæ desiderio convolaverit, non solum non causamur si ei in tali studio consulitis, sed et multum precamur ut hoc faciat; nec offensos nos conqueremur, sed valde in hoc adjutos esse fatebimur. Negatis deinde quod de vobis audieramus, vestro scilicet jussu vel assensu fratrem B., quamdiu fuit apud vos, in medicinali arte sæcularibus deservisse; ipsumque, qui hoc dixit, falsitatis arguitis. Si mentitus sit, nescimus; ipse viderit; sed hoc scimus, quia sive per se ipsum, ut vos fateamini, sive per vos, ut ipse testatur, hæc fecerit, in magno interim periculo fuit. Quis vero tam inhumanus, qui sic periclitanti non succurreret si posset, non consuleret si nosset? Attamen si, ut assèritis, non compulsus obedientia, sed proprii quæstus cupiditate ac vagandi curiositate, hac illacque artem suam venditans discurrebat, quid causæ exstitit quod a vobis discessit? An quia jam tandem censuræ pastoralis districtione non ei licebat quod ante licuerat? Cur igitur cum jam apud nos esset, volentes eum revocare, ad persuadendum de reditu promisistis ei quietem in claustrum, nisi quia hoc velle hominem noveratis, hoc quæsisse memineras? At ille, jam adepto apud alienos quod non potuit inter suos, ne certa pro incertis desereret, tenuit quo jam fruebatur, spernens quod sero sibi offerebatur.

4. Desinite itaque, fratres, desinite fratrem sollicitare, de quo non valde necesse est vos sollicitos esse, nisi forte, quod absit! quæ vestra, non quæ Jesu Christi sunt, quærat, et magis vestrum de illo solatium, quam ejus salutem diligatis. Nam cum semper apud vos gyrovagus fuisset, et, ut scribitis, contra suum propositum et abbatis imperium, in proprios usus quod de arte sua conquirebat expenderet, gaudeat qui eum diligit, quod apud nos Deo miserante sanatus sit. Testimonium enim ei perhibemus quod nusquam modo aliqua occasione vagatur, sed quiete perseverans in monasterio, pauper inter pauperes sine querela conversatur, primam fidem, quam quidem apud vos promisit sed non tenuit, non irritam, ut dicitis, faciens, sed ratam integramque custodiens, morum utique conversione, et obedientissima conversatione, sine qua sese fallit qui de loci stabilitate confidit. Rogamus vos, fratres, ut quiescat jam indignatio vestra, et desinat inquietatio nostra. Sin autem, facite quod vultis, scribite ut vultis, persequimini quantum vultis: charitas omnia suffert, omnia sustinet. Nobis autem decretum est ex hoc

jam vos pure diligere, reverenter suspicere, familiariter colere.

EPISTOLA LXIX.

AD GUIDONEM ABBATEM DE TRIBUS-FONTIBUS (198).

*Guidonem, qui incuria ministrantium in consecratione calicis erraverat ob defectum vini, instruit.*

1. Unde te contristatum cognovimus, contristatum quidem te esse laudamus, sed si non nimis. Contristatus enim, nisi fallor, quomodo ait Apostolus, *secundum Deum* (II Cor. vii, 9); nec dubium est hujusmodi tristitiam tuam converti quandoque in gaudium. Itaque, dilectissime, irascere, et noli peccare. Peccabis autem non minus nimis irascendo, quam omnino non irascendo. Siquidem non irasci ubi irascendum sit, nolle emendare, peccatum est: plus vero irasci quam irascendum sit, peccatum

(198) Fuit is secundus abbas Trium-Fontium, jam laudatus in epist. 63. Anno 1129 successerat Rogero primo abbati, de cujus obitu in epist. 71. Primum abbatem fuisse Rogerium legimus in Vita sancti Bernardi, lib. 1, cap. 13, cui, anno 1127 desinenti, manum dedit Guido, qui anno sequenti cum Bernardo et Hugone Pontiniacensi, concilio Trecensi interfuit, postea vero Ordinem suum quatuor monasteriorum fundatione, nimirum Caladiæ, Castellionis in diocesi Virdunensi, Auræ-Vallis in Treverensi, Alti-Fontis in Catalaunensi, non parum promovit et ampliavit. Porro Trium-Fontium cœnobium, prima filia Claræ-Vallis, agente Guillelmo de Campellis episcopo Catalaunensi, ut testatur Guillelmus abbas Sancti-Theoderici, Vitæ sancti Bernardi libro I, cap. 13, in sua diocesi constructum est anno 1118, cujus quidem primordia, nonnihil adhuc obscura, lubet paulisper illustrare. In Actis episcoporum Catalaunensium recitatur Charta Bozonis episcopi septimi a Guillelmo, qua partem silvæ Luis ab Alardo, aliisque Sancti-Salvatoris canonicis regularibus contraditam, condendo monasterio impensisse testatur. Sic enim habet: « Nihil æque securitatem parit in longinquum, quam cum ea quæ piis et fidelibus donantur ecclesiis cura diligentibus traduntur litteris. Ideoque ego Bozo, Dei gratia Catalaunensis episcopus, notum facio omnibus tam præsentibus quam futuris, quod Hugo, comes Trecensis, illam divisionem silvæ, quæ dicitur Luis, quam jussit fieri per Petrum Vitriaci præpositum, et per majores ejusdem silvæ, id est Milonem de Sera, Walterum, Vierdum et alios, Alardo sacerdoti, cæterisque confratribus in Oratorio Sancti-Salvatoris, quod in eadem parte situm est, canonicè et regulariter vivere volentibus, in manibus Willelmi, Catalaunensis Ecclesiæ episcopi, dereliquit; Alardo præcipiens ut quod ab eo postulabat, a confratribus Compendiensi ecclesiæ exciperet; et quod ipsi concederent, episcopus sibi confirmaret. Hæc autem omnia habitatores loci illius per manus Willelmi episcopi Catalaunensis dederunt Bernardo abbati Claræ-Vallis, concedente Hugone comite, ad abbatiæ construendam, quod et factum est. » Ex quo vides non tam Guillelmum, quam Hugonem comitem, de quo supra actum est in notis ad epistolam 31, censi debere Trium-Fontium fundatorem. Quod vero additur de concessione confratrum Compendiensi, quid inde actum sit, discimus ex litteris sequentibus, ex Archivio monasterii Compendiensi primum erutis:

*In nomine sanctæ et individue Trinitatis, Gaufridus, sanctæ Compendiensi ecclesiæ decanus, Joannes cantor, nosque simul ejusdem loci fraternitas universa, tam futuris quam præsentibus cunctis volumus innotescat quia domini regis Ludovici, ejusque conjugis reginæ Adelaidis, atque comitis Theobaldi, necnon*

*A peccato addere est, Quod si malum est peccatum non emendare, quomodo malum non erit augmentare? Si ex rerum eventibus reatum penderet judicium, non foret culpanda tua etiam ingens tristitia, ubi nimirum constilisset quod ingens fuisset et culpa. Tanto quippe culpa gravior, quanto res sacrior appareret. Nunc vero quia rerum causa, non materia, nec exitus actuum, sed intentionis propositum culpas discernit et merita, dicente 71 Domino, Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit; si nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit (Matth. vi, 22, 23), in tui quoque examinatione commissi, non tam, ut arbitror, sacrorum est attendenda majestas, quam propria intentio discutienda. Porro ego et Prior noster multum rem ipsam et intra nos pensantes, et inter nos conferentes;*

*virorum venerabilium Goisleni Suessionensis, Gaufridi Carnotensis, Guarini Ambianensis episcoporum, domini Claræ Vallensis abbatis petitionibus, locum quemdam, qui Tres-Fontes vocatur, in silva Luis, quæ tota de jure nostræ est ecclesiæ, fratri Guidoni abbati et monachis cum eo ibidem Deo servientibus inhabitandum concessimus. Quod ne longæva temporum vetustate a memoria tolleretur, litteris fecimus assignari. Placuit itaque nobis ut terram illam, et nemus, et quidquid de terra ecclesiæ nostræ, ubicunque jaceat in eadem silva, salvis aliorum terminis, ulterius eis accesserit, dicti monachi possiderent. . . . et quidquid in ea nostri juris erat, libere et quiete perpetualiter obtinerent. Firmatum est igitur hoc præsentis chirographo, firmatum est et sigillo, signisque personarum quæ adsuerunt ad posterorum notitiam roboratum, scilicet Goisleni Suessionensis, scilicet Gaufridi Carnotensis, scilicet Guarini Ambianensis episcoporum, scilicet Bernardi Claræ Vallis abbatis, scilicet Gaufridi decani, scilicet Joannis cantoris, scilicet Odonis et Haimonis præpositorum, scilicet Rainardi abbatis Sancti-Bartholomæi, scilicet Theoderici abbatis Sancti-Eligii Noviomensium. Actum Compendii in publico capitulo, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo tricesimo.*

Ex quibus cernitur illorum temporum fides, ut concessio ab Hugone facta, sine litteris in annum 1154, quo Bozo episcopus regere cœpit Catalaunensem Ecclesiam, vignerit, simulque donatio Compendiensi annos a monasterii fundatione duodecim. Ex abbatiâ Trium-Fontium processisse perhibetur. ut jam diximus, abbatiâ Alti-Fontis, in eadem diocesi Catalaunensi sita, de cujus incremento has ab illustrissimo hujus loci abbate de Noaliis accepimus:

*In nomine sanctæ et individue Trinitatis, B. (Bozo) Catalaunensis episcopus. Præsentibus et futuris notum fieri volumus quod Theobaldus, digne reverendus abbas Dervensis, communi totius capituli sui assensu, interventu summæ religionis viri abbatis Bernardi Claræ-Vallis, pro amore Dei concessit ecclesiæ de Alto-Fonte, existente ibidem Guarino abbate, omnem partem quæ ad ecclesiam Dervensem pertinet, de decimis eorum quæ propriis aratris operabuntur in parochia de Alta-Villa. Actum est hoc in præsentia abbatis Claræ-Vallis, abbatis Theobaldi Dervensis, Araldi abbatis Sancti-Urbani, Guarini abbatis de Alto-Fonte, Amaluci monachi, Joannis conversi ejusdem loci. Ut autem hoc donum ratum et inconvulsum permaneat, præsentem paginam sigilli nostri impressione per manum Manni cancellarii nostri firmari præcepimus.*

Alia est abbatiâ Trium-Fontium, seu sanctorum Vincentii et Anastasii ad Tres-Fontes prope Romam, ad quam abbatiâ spectat electio Tuoldi abbatis, de qua in epistola 306.

tuam quidem ibi deprehendimus ignorantiam, ministrantium quoque negligentiam, sed plane nullius malitiam. Et certe optime nosti nullum esse bonum, nisi fuerit spontaneum. Malum ergo poterit esse magnum, quod constat voluntarium non fuisse? Alioquin si quod fit a non volente, bonum quidem nullam gratiam, malum autem multam consequitur pœnam, hoc est si circa unam eandemque causam, et malum imputatur, et bonum non suscipitur, quisquis ita sentit, asserat, si vult, quod non sapientia malitiam, sed malitia vincit sapientiam.

2. Ut tamen faciamus satis inquietiori conscientiae tuæ, et ne forte malum hoc mali cujuscumque gravioris latentis adhuc in monasterio fuerit commonitio, pro pœnitentia tibi injungimus septem psalmos pœnitentiales quotidie usque ad Pascha, septies prosternendo te, decantare (199), septem disciplinas accipere. In hunc modum satisfaciat et ille qui tibi ad illam Missam ministravit. De illo autem qui sibi ante apparuerat (200), et oblitus est mittere vinum in calicem, cujus et majorem in hoc æstimamus culpam, si tamen et tu ita putas, tuo arbitrio derelinquimus. Sane si sermo exiit inter fratres, et ipsi omnes singuli singulas accipiant disciplinas, ut fiat quod legitur, *Alter alterius onera portate* (Galat. vi, 2). Deinde quod comperta, sero licet, negligentia, vinum sudisti in calicem super hostiæ sacratæ particulam, laudamus, nec sub tanto articulo melius fieri potuisse putamus, arbitrantes liquorem, etsi non ex consecratione propria atque solèmi in Sanguinem Christi mutatum, sacrum tamen fuisse ex contactu Corporis sæcri (201). Aiunt tamen nescio quem alium aliud sensisse scriptorem, non posse videlicet absque tribus, id est pane, vino, et aqua, hoc sacrificium esse, ita ut si quodlibet horum deesse contigerit, reliqua non sanctificentur. Sed de hujusmodi unusquisque in suo sensu abundat.

3. Ego autem pro meo fatuo sensu, si mihi idem contigisset quod tibi, vellem ad remedium mali unum e duobus egisse: aut ipsum quod fecisti, aut certe, ab illo loco ubi dicitur, « Simili modo postquam cœnatum est, » verba sancta iterasse; et sic complesse quod restabat de sacrificio (202). Neque enim dubitaverim de Corpore jam consecrato, qui utique juxta ritum Ecclesiæ didici ab ipsa quod et ipsa accepit a Domino, panem scilicet ac vinum, et simul apponere, non simul tamen ex his sacra conficere. Cum ergo prius de pane Corpus, quam de vino Sanguis more ecclesiastico conficiatur, si per oblivionem tardius quod posterius sacrandum est, apponatur, non video quid sacris

A præcedentibus tarditas possit præripere consequentium. Puto enim quod si Domino post factum de pane suum Corpus, vini consecrationem placuisset aliquandiu intermittere, aut certe penitus omittere, nihilominus Corpus mansisset quod fecerat [al. fuerat], nec factis facienda præscriberent. Nec nego panem et vinum, aqua quidem mixtum, simul debere apponi, quin potius assero haud aliter debere fieri; sed aliud est culpæ negligentiam, aliud negare efficaciam. Aliud, inquam, est quod causamur non bene quidpiam fieri, et aliud quod mentimur nec fieri. Hæc interim de hac re dixerim et senserim, absque præjudicio vel tuæ sententiæ, si quid melius sapis, vel cujuslibet sanius sapientis.

## 72 EPISTOLA LXX.

AD EUNDEM.

*Docet qualis misericordia in pastore esse debeat, monetque ut sententiam in monachum transgressorem latam retractet.*

Domno abbati GUIDONI, frater BERNABDUS, spiritum scientiæ et pietatis (203).

Considerans miseri hujus miserabilem conditionem, misereor quidem, sed vereor ne frustra. Neque enim non ideo mihi videor frustra misereri, quod, ipso licet remanente in sua miseria, mea tamen vel mihi non sit infructuosa misericordia. In quam utique misericordiam non propria utilitas inclinavit, sed intimis eam visceribus proximi miseria et fraternus dolor inflixit. Misericordia quippe affectio est, quæ nec voluntate coercetur, nec rationi subjicitur; quando non eam in se quisque pertrahit voluntario motu [al. nutu], sed ipsa piæ mentes ad compassionem dolentium necessario cogit affectu, ita ut, etiam si peccatum esset misereri, etsi multum vellem, non possem non misereri. Potest quidem ratio vel voluntas affectui effectum subtrahere; sed nunquid ipsum affectum evellere? Discedant a me qui me consolantur, et dicunt quia oratio mea in sinu meo revertetur, dum is pro quo emissa est, nondum convertitur. Nec audio illos qui mihi blandientes afferunt, *Justitia justi super eum erit*, (Ezech. xviii, 20), dum impius in sua adhuc impietate remoratur. Non, inquam, recipio consolationem ubi fratris video desolationem. Si ergo, dulcissime fili, tua quoque pia mens similiter affecta est, imo quia aliter affecta non est, quanquam tibi infelix iste cunctas suæ egressionis de monasterio, et denuo regressionis, regulares vices infeliciter percussisset, quia tamen ipse aliter putat, non solum patienter, sed etiam libenter audiendum est quod humiliter calumniatur, si forte tam desperatæ salu-

(199) Id est recitare, quo sensu *decantare* passim usurpatur apud veteres. « Sanctus antistes Ambrosius, » inquit Beda in epistola ad Egbertum apud Waræum, « hoc de Fide loquens admonet, ut verba Symboli matutinis semper horis fideles quique decantent. »

(200) Quidam codices, *apparaverat*. At præferendum, puto cum plerisque, *apparuerat*; id est qui adverterat: Gallice, *qui s'en etait aperçu*.

(201) Idem censet præter scholasticos Jacobus a

Vitriaco, in Historia occidentali, pag. 427; qui auctor præsentem casum proponit pag. 444. Vide Commentarium nostrum in Ordinem Romanum; vide etiam nostrum Edmundum Martene, de Ritibus monasticis, libro II, cap. 7.

(202) Vide rubricas generales Missalis, cap. *De defectibus materiæ*, artic. De defectu vini.

(203) Et hæc inscriptio restituta ex codice Corbeiensis, n. 553.

tis reparandæ rationabilis ulla occasio inveniatur, **A** tur cor vestrum. Deus vobis providebit alium, sicut speramus, pro eo idoneum; sed nec istum perdetis. Nam etsi translatus est, non tamen ablati. Tantum qui vobis fuerat specialis, erit communis et nobis. Donec ergo venio, viriliter agite, **73** et confortetur cor vestrum, et omnia vestra in charitate fiant. Valete.

EPISTOLA LXXI (205).

AB MONACHOS EJUSDEM LOCI.

*Se distulisse hactenus visitationem, non incuria, sed expectatione opportunitatis; de Rogerii abbatis obitu eos consolatur.*

Quod nondum veni ad vos, non putetur incuria. Curamus siquidem vos tanquam viscera nostra. Si mater potest filii uteri sui negligere curam, possum et ego forsitan in suspicionem duci et argui negligentiae. Itaque opportunitatem expectavimus et expectamus, ut, cum venerimus, visitatio nostra non sit sine fructu. Interim de abscessu patris vestri non turbe-

(204) Ex octo quos vidimus hujus epistolæ codicibus scriptis, quinque sunt in quibus sequens legitur additamentum, nempe duo Cistercienses, unus Vallis-Lucentis, Corbeiensis item unus, et quintus Fulcardi Montensis; at in tribus Colbertinis desideratur. Post extrema verba, *superexaltetur judicio*, additamentum est hujusmodi: *Rem similem, quam mihi contigisse memini, exempli causa refero vobis. Olim frater quidam (alius, Bartholomæus) dum adhuc viveret, quadam die, quia me constrictaverat, furore commotus vultu et voce minaci præcepit ut de claustro exiret; qui statim egressus est, et ad unam de nostris grangiis pergens, ibi demoratus est. Quo cognito, cum eum revocare vellemus, respondit se non aliter rediturum, nisi in suo et non in ultimo ordine, nec ut fugitivum, sed ut inconsulte et sine judicio expulsus reciperemus. Dicebat quippe non debere se subire regulare judicium in revertendo, quod expectatum non fuit in expellendo. De hoc ejus responso et meo facto, quia propter carnalem affectum, proprium judicium habui suspectum, fratribus omnibus commisi judicandum. Itaque me absente judicatum est ejus receptionem regulari sententiæ non esse obnoxiam, cujus expulsionem constabat non fuisse regulariter factam. Si ergo in illo tantum semel egresso tanta habita est consideratio pietatis, quantam putamus debet esse in isto in tantæ articulo necessitatis? Hoc totum additamentum a Bernardi genio, moribus, cæterisque factis prorsus alienum videtur. Impetus ille furoris, præceptum monachi ejectio e monasterio nunquam cecidissent in tantum virum, in quo quidem zelus erat, sed mansuetudine et clementia conditus, ut vel ex ipsa epistola patet, ubi tantum lenitatis in transfugam exhiberi suadet. Imo, etsi in hanc culpam lapsus fuisset Vir sanctus, eam potius poenitentiam diluere, et silentio tegere studuisset, neque eo imprudentiæ devenisset, ut id Guidoni abbati attulisset pro exemplo, quod et ipsius Bernardi scopo contrarium, et scandali occasio Guidoni futurum fuisset. Omnino id ad marginem cujusdam codicis, forsitan Cisterciensis, primo id scriptum fuisse videtur a quodam abbate, ac deinde e margine translatum in textum; quo ex codice quidam alii id acceperint, neutiquam vero Claræ-Vallenses, qui in hac causa majoris momenti sunt.*

(205) Scripta anno Christi 1227.

(206) Fusniacum, diocesis Laudunensis, filia Claræ-Vallis a Bartholomæo episcopo anno 1121 fundari

tur cor vestrum. Deus vobis providebit alium, sicut speramus, pro eo idoneum; sed nec istum perdetis. Nam etsi translatus est, non tamen ablati. Tantum qui vobis fuerat specialis, erit communis et nobis. Donec ergo venio, viriliter agite, **73** et confortetur cor vestrum, et omnia vestra in charitate fiant. Valete.

EPISTOLA LXXII.

AD RAINALDUM FUSNIACENSEM ABBATEM. (206)

*Ostendit quam sit alienus a laudibus. Jugum Christi leve esse. Patris nomen detrectat, Frater vocari contentus.*

Dilectissimo suo RAINALDO, BERNARDUS ejus, non pater aut dominus, sed frater et conservus, quod fratri charissimo et fideli conservo.

**B** 1. Primo ne mireris si terrear dignitatis nominibus (207), cum me ipsis rebus sentiam indignum. Et te quidem decet ut facis, sed mihi assentire non expedit. Nam si tibi observandum putas illud, *Honore invicem prævenientes* (Rom. xii, 10), et, *Subjici invicem in timore Christi* (Ephes. v, 21); si non frustra utrobique positum est *invicem*, intelligis et mihi

coeptum, ex Charta in Notis ad Guibertum relata, pag. 659, ubi Elbertus seu Eilbertus, Sancti-Michaelis in Terascia abbas e nostris, locum monasterio condendo cessisse perhibetur. Primus Fusniaci abbas Rainaldus, cui hæc epistola inscripta est. De Fusniaco vide epistolam 5 et librum 1 de vita S. Bernardi, n. 25.

(207) Nempe *Domni* (nam ita legendum) et *Patris*. Mirum certe modestiæ in Bernardo exemplum, terri videlicet ad dignitatum nomina, quibus alii, imo ipsis amplius dignitatibus lascivunt. Simile habes (præter ea quæ supra retulimus, in notis ad epistolam 11) in Vita beatae Mechthildis exemplum, cap. 10: « Soror Mechthildis, » inquit auctor, « contendit appellari sine *Domnæ* adjectione, altum omne contempsit in nomine; sed usus exegit domus et monasterii Regula ut *domna* vocaretur et *abbatissa*. » Et certe quantum ad primum, Augustus, teste Suetonio, in Augusti Vita, cap. 53, domini appellationem ut maledictum et opprobrium semper exhorruit, et Tiberius dominus aliquando appellatus, contumeliæ loco reposuit. Unde postea a scriptoribus, ut vocabulo humiliori uterentur, littera per syncopem detracta, sanctos viros, episcopos, aliasque personas ad ipsa usque Bernardi tempora dominos vocitatos legimus. Sic Severus Sulpicius epistola 2, « *Domnum Martinum*, » inquit, « obiisse nuntiant. » Sic Gregorius Magnus, lib. 1, epist. 6, et lib. vii, epist. 127; sic passim in epistolis Desiderii Cadurcensis, et apud Gregorium Turonensem Historiæ libro ix, cap. 42, ex quibus mos ad Hispanos et Italos derivatus invaluit; imo apud ipsos Græcos recentiores pro τὸ κύριος in simili casu κύριος usurpari solet, ut doctissime observavit e nostris Hugo Menardus in notis ad Concord. Regul. cap. 70. Hujus autem vocabuli *Domnus* mentio facta est a sancto Patre Benedicto, in Regula, cap. 63, ubi sic habet: « Abbas autem, quia vices Christi agere videtur, *domnus* et abbas vocetur, non sua assumptione sed honore et amore Christi. » Quod quidem nomen, etsi ex Regulæ auctoritate soli abbati concedatur, decurrentium tamen temporum lege ad ipsos etiam monachos sacerdote initiatos, sicut et Patris nomen, traductum est. Quae de re vide Menardum loco citato; Haesten. lib. iii, Disq. tract. 4, Disq. 4 et 5; Julium Nigron. in Regul. comm. societatis Jesu reg. 22.

æque utrumque congruere. Quod si cogitas tibi illam Regulæ sententiam observandam, « Juniores priores suos honorent (*Reg. S. Benedicti*, cap. 63), » mihi e regione in mentem venit ex regula Veritatis: *Erunt primi novissimi, et novissimi primi* (*Matth.* xx, 16); et: *Qui major est vestrum, fiat sicut junior* (*Luc.* xxi, 26); et: *Quanto major es, tanto humilia te in omnibus* (*Eccli.* iii, 20); et: *Principem te constituerunt? esto inter illos quasi unus ex illis* (*Id.* xxxii, 1); et: *Non quia dominamur fidei vestræ, sed adjuutores sumus gaudii vestri* (*II Cor.* i, 23); et: *Nolite vocari ab hominibus rabbi*; et: *Patrem nolite vocare vobis super terram* (*Matth.* xxiii, 8, 9). Quantum itaque tuis attollor favoribus, tantum his molibus premor. Unde merito in Psalmo non canto, sed plango: *Exaltatus autem humiliatus sum et conturbatus* (*Psal.* lxxxvii, 16); et: *Quia elevans allisisti me* (*Psal.* ci, 11). Sed verius fortasse proferrem quod sentio: quia videlicet qui me exaltat, humiliat; et qui me humiliat, exaltat. Tu me ergo potius exaltando dejicis, et extollendo premis. Sed ne ita premas ut opprimas, consolantur me hæc et his similia Veritatis testimonia, quæ miro modo, dum reprimunt, erigunt; dum dejiciunt, erudiunt; ita ut unde projectus, inde et proventus, tota cum hilaritate decantem: *Bonum mihi, Domine, quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas. Bonum mihi lex oris tui, super millia auri et argenti* (*Psal.* cxviii, 71, 72). Et hoc miraculum agit sermo Dei vivus et efficax; hoc illud Verbum per quod facta sunt omnia, benignissime et potentissime operatur; hoc denique facit jugum Christi suave, et onus leve (*Matth.* xi, 30).

2. Libet admirari quam leve sit onus Veritatis. Num vere leve est, quod portantem non gravat, sed levat? Quid eo levius onere, quod non solum non onerat, sed et portat omnem, cui portandum imponitur? Hoc onus potuit uterum gravidare virgineum, gravare non potuit. Hoc onus ipsa, quibus se præbuit sustentandum, senis Simeonis brachia sustentabat. Hoc etiam Paulum, in gravi licet et corruptibili corpore positum, rapiebat usque ad tertium cælum. Quæro in rebus si quid forte huic exoneranti oneri simile inveniam, et occurrit mihi de pennis avium, quod ei utcumque coaptem; quæ, quodam videlicet singulari modo, et corpulentiorum reddunt substantiam et agiliorem. Mirum opus naturæ! Unde grossescit materia, inde sarcina levigatur; et quantum crescit in massa, tantum decrescit in pondere. Hoc plane in pennis, Christi oneris exprimit similitudinem, quod et ipsæ ferunt a quibus feruntur. Quid et de quadriga dicam? Hæc nimirum admota jumento, sarcinam quæ ab ipso moveri non poterat, auget quidem, portabiliorem facit. Onus oneri additur, et minus onerat. Sic et oneri gravissimo legis accedens quadriga Evangelii, et auxit perfectionem, et difficultatem minuit. *Velociter, ait, sermo ejus* (*Psal.* cxlvii, 15). Sermo utique ante notus in Judæa tantum, nec se præ sui quidem gravedine valens ultra extendere, quippe qui et

A ipsius 74 Moysi manus suo pondere prægravata demitteret, levigatus per gratiam, et rotis evangelicis superpositus, velociter in omnem terram exivit, et in fines orbis terræ celerrime pervolavit. Sed longe nimis digredior.

3. Tu itaque, dilectissime, cessa jam indebitis me honoribus magis obruere quam attollere; alioquin cœtui te inimicantium mihi, amica licet voluntate, commisces. Ipsi sunt de quibus soleo soli Deo ita conqueri in orationibus: *Et qui laudabunt me, adversum me jurabant* (*Psal.* ci, 9). Ad quam meam querimoniam Deum audio respondentem mox, et attestantem quod verax sit: *Vere, inquit, qui te beatificant, in errorem te mittunt* (*Isai.* iii, 12). Et ego: *Avertantur ergo, iuquam, statim erubescentes, qui dicunt mihi, Euge, euge* (*Psal.* lxix, 4). Quod tamen ne putetur in quoscunque adversarios a me quandoque intorta maledictio vel imprecatio, exponere debeo qualiter intelligam. Precor nimirum ut quicumque existimant de me supra id quod vident in me, aut audiunt aliquid ex me, avertantur, id est, a laudibus meis, in quas ignari nimie feruntur, resiliant et pedem retrahant. Quomodo? Quandoque videlicet cognoscentes plenius quem immoderatus laudant, et consequenter erubescens vel errorem suum, vel amici deprehensam inutilitatem. Et hoc modo utrumque nocentium genus, et illi scilicet qui volunt mihi mala, et me adulatorie commendant, et hi qui, licet innocenter, tamen nocent, dum benevole quidem sed nimie laudant, avertantur retrorsum, et erubescant; hoc est, tam vilis et abjectus eis appaream, quatenus pudeat eos talem ita laudasse, et sic desinant jam indiscrete laudare. Igitur adversus utrosque laudatores illis me duobus munire consuevi versiculis: contra malevolos quidem priorem, *Avertantur retrorsum et erubescant qui volunt mihi mala*, contra benevolos autem proferens sequentem: *Avertantur statim erubescens qui dicunt mihi: Euge, euge.*

4. Cum ergo, ut ad te revertar, exemplo Apostoli tuæ religiositati non dominari, sed congratulari tantum debeam, et juxta verbum Domini unus sit pater noster in cœlis, nos autem omnes fratres simus, non immerito domini patrisque celsa nomina, quibus me honorandum, sed non onerandum putasti, scuto a me veritatis repuli, congruentius pro his me fratrem nominans et conservum, tum propter eandem hæreditatem, tum propter æquam conditionem, et ne, si forte quod Dei est usurpavero mihi, audiam ab ipso: *Si ego Dominus, ubi est timor meus? si Pater, ubi est honor meus?* (*Malach.* i, 6). Et patris quidem habere me erga te affectum non nego, sed auctoritatem renuo. Nec enim te minore, ut existimo, quam paterno complector affectu. Hæc ergo pro tituli causa.

5. Jam vero ut ad reliqua epistolæ tuæ respondeam, eandem, quam tu de mei, possem et ego vicissim de tui absentia non immerito facere querimoniam; nisi quia nostris (quod ipse non negas) et affectibus

et profectibus Dei est præponenda voluntas. Alioquin quando ego te comitem mihi charissimum valdeque necessarium, quippe obedientissimum in agendis, studiosissimum in inquirendis, in conferendis utilissimum, promptissimum in rememorandis, paterer longe fieri a me, si non esset Christus in causa? Beati si sic permanserimus usque in finem, semper et ubique quærentes non quæ nostra sunt, sed quæ Jesu Christi.

### 75 EPISTOLA LXXIII.

AD EUMDEM.

*Rainaldum de commisso sibi prælationis munere nimis anxium et querulum instruit; monetque opem et solatium suis volius impendendum quam ab eis requiringendum.*

Dilectissimo filio suo Fusniacensi abbati, spiritum B fortitudinis (208).

1. Plangis, dilectissime filii Rainalde, super multis tribulationibus tuis, piisque querimoniis me quoque excitas ad plangendum. Nec enim te dolente possum dolere, nec nisi molestus et anxius tuas molestias et anxietates audire. Verum quia hæc ipsa mala, quæ te invenisse causaris, et ego prævideram, et tibi, si recordaris, prædixeram, puto te levius præscita portare debere, et mihi, unde parcere potes, molestum non esse. Satis namque et plusquam satis crucior te carendo, te non videndo, te, dulcissimo mihi solatio, non fruendo; ita ut pene poeniteat me quod te elongaverim a me. Et licet charitas hoc cogeret, quacumque tamen necessitate, quo te non videam, missum, plango te tanquam amissum. Cum ergo super hoc etiam velut quodam tuæ pusillanimitatis baculo me percellis, qui mihi debueras esse baculus sustentationis; tristitiam super tristitiam ingeris et cruciatum cruciatibus addis: et si mihi pium est nullas tuas angustias dissimulare, tibi tamen durum est sic affecto cunctas indicare. Quid enim necesse est satis sollicitum amplius sollicitare, et absentia filii saucia patris viscera gravioribus torquere doloribus? Onus meum tibi partitus sum ut filio, ut necessario, ut fidei coadjutori meo. Vide quomodo te oporteat paternam portare sarcinam. Si enim sic portas ut me non alleves, sed magis premas; tu quidem es oneratus, sed ego non sum exoneratus.

2. Hoc autem onus animarum est, et infirmarum. Nam quæ sanæ sunt, portari non indigent, ac, per hoc, nec onus sunt. Quoscunque igitur de tuis inveneris tristes, pusillanimes, murmurosos, ipsorum te patrem, ipsorum te noveris esse abbatem. Consolando, exhortando, increpando agis opus tuum, portas onus tuum, et portando sanas quos sanando portas. Si quis vero ita sanus est ut magis juvet te quam juvetur a te, hujus te non patrem, sed parem, comitem, non abbatem agnoscas. Quid igitur causaris te aliquorum

A qui tecum sunt magis gravari consortio quam frui solatio, cum solus omnium omnibus datus sis solatium, tanquam omnibus sanior, omnibus fortior, qui omnibus sufficias per Dei gratiam solatiari, et a nemine omnium indigeas confortari? Denique in quantum gravaris, in tantum lucraris; et in quantum juvaris, in tantum tua tibi præmia minuis. Elige ergo quos eligas, an qui gravando juvant, an qui juvando gravant. Hi tibi promeritores, illi fraudatores meritorum existunt. Nam qui socii laboris, procul dubio et mercedis participes erunt. Sciens ergo te missum juvare, non juvari, illius te agnosce vicarium qui venit ministrare, non ministrari. Plura tibi ad tui consolationem scribere volebam; sed non fuit necessarium. Nam quid opus est verbis superfluis mortuam chartam implere, ubi viva præsens loquitur? Viso siquidem Priore, puto quod ista tibi sufficiant, et ad ejus præsentiam spiritus tuus revixerit, ita ut jam consolationem scriptorum non requiras, cui interim licet verborum illius solatio relevari, in quo et per quem meum quoque spiritum, quem tibi in tuis litteris mitti postulasti, si quo modo tamen mittere potui, missum esse non dubites; cui quippe, ut bene nosti, idem mecum consilium, eadem solet esse voluntas.

### 76 EPISTOLA LXXIV.

AD EUMDEM.

*Optaverat Bernardus Rainaldum molestis abstinere querimoniis; nunc jubet de rebus ejus se reddi certiores.*

C Sperabam, charissime, aliquod me percepturum meæ pro te sollicitudinis remedium, si tua te non indicante nescirem incommoda. Unde et alia in epistola memini me ad te sic inter cætera scripsisse: « Et si, inquam, mihi pium est nullas tuas angustias dissimulare, tibi tamen durum est sic affecto cunctas indicare (Epist. 73, n. 1). » Sed ecce unde meas mihi curas credidi levigari, inde fateor amplius gravari me sentio. Nam ante quidem sola quæ te innotescente perceperam, aut dolebam, aut metuebam; nunc autem quid unquam mali evenire potest, quod ego non metuam? Imo juxta tuum Ovidium (Heroid. epist. 1, vers. 11).

*Quando ego non timui graviora pericula veris?*

D eo quippe suspectus omnia, quo incertus de omnibus, veram sæpe de falsis tristitiam contrahere cogor. Mens siquidem quam semel affecerit charitas, sui juris esse non sinitur. Metuit quod nescit, dolet quod non oportet, sollicitatur plus quam voluerit, et unde noluerit, compatitur nolens, miseretur invita. Et quia vides, fili, nec meam meticulosam industriam, nec tuam piam prudentiam in hac parte prodesse mihi, jam, quæso, noli celare quæ circa te aguntur, ne unde te mihi parcere putas, magis affligas. Opuscula mea quæ habes, da operam, cum opportune potueris, ut habeam.

## EPISTOLA LXXV.

AD ARTALDUM PRULLIACENCEM ABBATEM (209).

*Dissuadet monasterii conditionem in Hispania.*

Dulcissimo amico et confratri suo ARTALDO abbati, frater BERNARDUS, salutem (210).

Quidquid gratiæ et dilectionis impendere sibi possunt absentes amici, puto et me debere tibi, et mihi deberi a te, non solum ob consortium propositi et professionis, sed etiam ex debito nostræ invicem pristinæ societatis quæ tam grata utrique; tamque debita devotio quantum in unoquoque nostrum serveat, in nullo evidentius agnoscere seu innotescere possumus, quam si alterutrum non celemus, si quid forte de alterutro quod non deceat audimus. Audivi autem ego de te, quod de sancto conventu tuo abbatiam in Hispania construere velis. Quod mihi nimirum in magnam admirationem venit, quid causæ videlicet sit, quid consilii, quidve utilitatis, quod filios tuos exulare cupis, in locum utique tam longinquum, tanto sumptu et labore et quærendum et ædificandum, cum prope te habere possis, ubi eos colles, jam ædificatum et bene præparatum. Nec enim, ut reor, hinc te excusare potes, quod locus ille tuus non sit, cum certissime sciam quod facillime, si vis, tuus esse possit. Numquidnam domnus abbas Pontiniacensis (211), qui illum tenet, tibi requirenti negaret? Imo si velles accipere, gratissimum haberet; non quia bonus non est, sed quia sibi, ut scis, opus non est. Timendum valde tibi pariter et mihi ne, si sollicite in operibus nostris non servamus quod Apostolus dicit: *Nemo adolescentiam tuam contemnat* (I Tim. iv, 11), citius, quia juvenes sumus, de levitate notemur. Sed confido quia tu consultius ages, et locum qui vicinior et jam constructus est, eliges; quem amico quidem tenenti nosti oneri esse, tibi autem necessarium fore. Vale.

## 77 EPISTOLA LXXVI.

AD ABBATEM CANONICORUM S. PETRI-DE-MONTE (212).

*Quid agendum cum viro qui, post diuturnam in aomo*

(209) Scripta anno Christi 1127. Artaldus iste, seu Artaudus, abbas fuit Prulliacensis. Ita legendum, non *Pultariensis*, de quo vide notas ad epistolam 80. Erat autem Prulliacum, cœnobium ordinis Cisterciensis in diœcesi Senonensi, fundatum anno 1118 a Theobaldo Campaniæ comite et Adela ejus matre, ut refert Guillelmus Nangius in Chronico, relatus a Manrico in Annalibus ad hunc annum, quo quidem anno nihilominus Theobaldus Campaniæ comitatum necdum habebat, ut colliges ex notis ad epistolam 51. Hanc epistolam dirigi ad Prulliacensem seu Cisterciensem, non autem ad Pultariensem, manifeste colligitur ex ipso contextu; nam Bernardus Artaldum sibi charissimum esse dicit, non solum ob consortium propositi et professionis, sed etiam ex debito suæ invicem pristinæ societatis.

(210) Hanc inscriptionem, uti et plures alias, restituit codex Corbeiensis.

(211) Sic codex Corbeiensis. In aliis, abbas P. Locus de quo hic agitur, est Vallis Lucentis, in quo

A *et habitu religioso conversationem ad sæculum et secundas nuptias transierat.*

Reverendissimo patri canonicorum Sancti-Petri-de-Monte, frater BERNARDUS, debitæ dilectionis officium.

Unde placuit tuæ dignationi fratrem hunc nostram parvitatem consulere, sic nos, quod nobis visum fuit, noveris consilium dedisse, ut saniori non præjudicaverimus. Ne ergo rerum quas scis superflua narratione te gravemus, hæc est summa consilii. Periculosum quidem est et fortassis illicitum, hominem, post diutinam in domo et habitu religionis conversationem, ad sæculum redisse, quique prius, et adhuc prior uxore sua vivente ac consentiente, fortissime ac diutissime continentiam tenuit, secundis rursus amplexibus se ineptissime atque inhonestissime implicuisse. Quia tamen publice ac solemniter juxta morem cæterorum hominum, et sine querela vel calumnia, ipsum qualecumque conjugium celebratum fuit, non nobis videtur tutum, illum illam non consentientem dimittere, nisi prius episcopalis auctoritatis vel consilio fretum, vel imperio, aut certe ecclesiastico canonicoque judicio (213). Quoniam vero hoc tam grande hominis periculum ad te nimirum non minima ex parte respicere credimus (ex eo quippe quod volentem ac flagitantem suum confirmare propositum, nimis suscipere distulisti, occasione sumpta, diabolus in hæc eum mala præcipitavit), omnino ex charitate suademus et consiliarius ut quacunq; industria, quocunq; sumptu vel labore potes, miserum omni modo satagas liberare: conveniendo scilicet aut mulierem, ut illum sponte dimittat, et continentiam promittat; aut episcopum, ut ambos vocari jubeat, et, quod recto posse fieri credimus judicio, separet.

## EPISTOLA LXXVII.

AD MAGISTRUM HUGONEM DE S. VICTORE.

Hæc quoque Epistola hoc loco sublata, inter Tractatus Tomo secundo locum meruit.

D Artaldus, consilio Bernardi, monasterium construxit anno 1127 (quæ hujus epistolæ epocha), duodecim monachis eo missis sub Norpaldo abbate.

(212) In editis hæc epistola hactenus inscribitur, *Ad eundem*. Sed veram inscriptionem, ac proinde titulum, restitimus ex sæpe laudato Corbeiensi manuscripto. Erat autem abbatia S. Petri-de Monte, diœcesis Tullensis, ordinis S. Augustini, non procul a Mortana fluvio, qui in Murtam influit.

(213) Quidam post diutinam in domo et habitu religionis conversationem ad sæculum reversus uxorem duxerat. Inde consultus Bernardus, non satis aperit mentem suam, quid de hujusmodi conjugio sentiat. « Periculosum » id ait fuisse, et « fortasse illicitum; » et quia illud « qualecumque conjugium solemniter celebratum sit, » sibi non videri tutum uxorem invitam dimitti. Præterea non satis patet, quali voto obstrictus ille fuerit. Confer ejus opusculum de Præcepto et Dispensatione, cap. 17, et notas ad eundem locum.



## EPISTOLA LXXVIII.

AD SUGERIUM ABBATEM SANCTI DIONYSII (214).

*Laudat Sugerium, misso fastu et externo splendore, ad modestiæ et religiosæ disciplinæ curam inopinato conversum. Clericum aulæ potius quam Dei ministerio deditum acriter perstringit.*

1. Exiit sermo bonus (215) in terram nostram, in bonum sine dubio bonis cooperaturus, ad quoscumque pervenerit. Enimvero audientes omnes qui timeant Deum, quanta fecit animæ tuæ, gaudent et stupent super tanta et tam subita mutatione dexteræ Excelsi. Ubique in Domino laudatur anima tua, audiunt mansueti et lætantur; et mirantur etiam qui te non noverunt [*al. viderunt*], sed tantum audiunt qualis de quali factus es, atque in te Deum glorificant. Auget vero gaudium et miraculum pariter, quod salutis consilium, cœlitus infusum tibi, protinus tuis refundere, atque ita implere satigesti quod legitur: *Qui audit, dicat: Veni (Apoc. xii, 17)*; et illud: *Quod dico vobis in tenebris, 78 dicite in lumine; et quod in aure auditis, prædicate super tecta (Matth. x, 27)*. Sic strenuus in bello miles, imo sic pius ac fortis militum dux, ubi suos fortè conspexerit in fugam versos, jamque hostili passim gladio trucidari, etsi se vel solum videat evadere posse, libet tamen mori magis cum illis, sine quibus vivere pudet. Proinde stat in prælio, fortiter dimicat, et inter cruentos gladios per medias acies hac illacque discurrens, voce et ense terret quantum valet adversarios, animat suos. Ubi acrius insistere hostem, sociisque gravius comperit imminere periculum, ibi adest. Occurrit ferienti, pereunti succurrit, eo quippe mori paratus pro singulis, quod deperatus de universis. At vero, dum paulisper retentare et retardare nititur insequentés, suos vero quos valet, erigit corruentes, revocat fugientes; sit plerumque ut in manu forti tam gratam quam inopinatam obtineat salutem suis, hostibus confusionem. Fugant tandem quos fugiebant, superant quos pene sustinebant victores; et qui prius periclitabantur de vita, postmodum exsultant de victoria.

2. Sed quid nos tam religiosum, tam forte factum

(214) Scripta anno 1127. Abbatia Sancti-Dionysii Areopagitæ, Franciæ apostoli, secundo a Lutetia Parisiorum urbe lapide, in vico Catuliaco, Ordinis S. Benedicti inter abbatibus Galliæ celeberrima, fundata a Dagoberto rege Francorum, ejus nominis primo. Porro Sugerius successit Adamo, quem falso ut vitii infamem Abaelardus accusat in Historia Calam. pag. 49. Vide Duchenum ibid. in notis. Successit, inquam, anno 1123 electus absens. Agebat enim apud Calixtum II papam, missus a rege Ludovico Crasso, pro quibusdam regni Galliarum negotiis. Obiit anno 1152, ætatis septuagesimo, sepultus in ecclesia, quam ipse instauravit eo schemate quo etiamnum visitur perquam magnifica in formam crucis, longa pedes trecentos et nonaginta, lata centum, alta a pavimento ad fornicem octoginta, columnis seu pilis sexaginta suffulta. Vitreis fenestris incomparabilibus, choro vario marmore strato, et sexaginta sedibus superioribus ornato, pluribus regum procerumque aliorum sepulcris decorata. Hic ergo, attestantibus Annalibus dicti monasterii, « Per

A sæcularibus comparamus, quasi exempla nobis de ipsa desint de religione? An non liquido certus erat Deo pollicente Moyses, si quidem perisset populus cui præerat, se non solum pariter perituro non esse, sed insuper et missum iri in gentem magnam? Et tamen quo affectu, quo studio, quibus pietatis visceribus irritantibus subvenit, obviat irascenti? Denique et se objiciens pro delinquentibus ait: *Si dimittis, dimitte; sin autem, dele me de libro tuo quem scripsisti (Exod. xxxii, 31, 32)*. Fidelis advocatus, qui, quoniam non quærit quæ sua sunt, facile obtinet omne quod quærit. Plane benignus, qui tanquam caput unitum membris, genti suæ firma charitate cohærens, aut illam salvabit secum, aut non potest nisi idem cum illis subire periculum.

B Jeremias quoque vinctus [*al. junctus*] et ipse inseparabiliter suis, sed affectu compassionis, non contentionis assensu, præ communi exsilio et servitute contempsit natale solum ac propriam libertatem [*al. voluntatem*]. Quippe cui cæteris migrantibus libere manere in patria liberum fuit; sed maluit captivus adduci cum populo, cui se fore [*al. forte*] et in ipsa captivitate noverat necessarium. Paulus eodem procul dubio spiritu optans anathema esse ab ipso etiam Christo pro fratribus (*Rom. ix, 3*), proprio expeditur affectu quam vera sit illa sententia: *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio (Cant. viii, 6)*. Videtis quorum vos imitatores probaveritis? Sed addo adhuc (quem pene prætermiseram) et sanctum David, qui, cernens dolensque populi stragem, angelo percutienti festinus occurrit, et in se potius domumque patris sui divinam transferri flagitat ultionem (*II Reg. xxv, 17*).

3. Quis hanc tibi perfectionem proponebat? Ego tanta fateor audire de te, etsi desiderabam, non tamen sperabam. Quis nempe te crederet saltu, ut ita dicam, repentino summa occupare virtutum, sublimia meritorum attingere? Sed absit ut pro nostræ fidei speive angustiis immensa Dei pietas æstimetur, qui quod vult, in quo vult operatur, accelerans opus, et allevans onus! Quid enim? tua certe, non et tuorum errata, sanctorum carpebat

industriam suam, ordinem sanctæ Religionis instauravit. Antea namque per abbatum negligentiam, qui ante ipsum fuerant, et quorundam illius monasterii monachorum, regularis institutio ita ab eodem loco abjecta fuerat, ut vix speciem religionis monachi prætenderent, uti etiam hic Bernardus dicit. Vide notas in epistolam 266.

(215) Nempe de ejus conversione, haud dubie Bernardi monitis concepta sub annum 1127, tametsi monasterii Sancti-Dionysii reformatio per Sugerium anno 1123 forsitan anticipato, refertur in Chronico Nangiano, in quo Sugerii electio ita describitur: « Sugerius, Sancti-Dionysii in Francia monachus, Scripturarum scientia clarus, cum solummodo esset ad diaconatus ordinem promotus, a Roma regrediens, quo fuerat a rege Franciæ Ludovico missus, abbate suo Adam defuncto, eligitur in abbatem; qui reversus primo presbyter ordinatur, et post, præsertim rege, a Bituricensi archiepiscopo in sua Sancti-Dionysii ecclesia in abbatem benedicitur. »

zelus; tuis, non ipsorum excessibus succensebant, A solamque in personam tuam, non etiam in abbatiam fraternum susurrium immurmurabat. Solum denique te in causam vocaverant. Tu te corrigeres, et nil residuum quod pateret calumniæ. Te, inquam, mutato, mox omnis tumultus concideret, quiesceret strepitus. Solumque ac totum erat quod **79** nos movebat, tuus ille scilicet habitus et apparatus cum procederes, quod paulo insolentior appareret (216). Denique deponeres fastum, habitumque mutares, et facile omnium quiescere poterat indignatio. Cæterum tu et fecisti satis causantibus, et adjecisti quod merito collaudemus. Quid enim jam in humanis operibus jure laudabitur, si hoc summa admiratione et laude dignissimum non habetur? Quanquam non humanum, sed divinum profecto sit. B opus, tantorum simul et tam repentina immutatio. In cœlestibus magnum suscitatur gaudium unius peccatoris conversio; quid totius congregationis? quid et istius?

4. Locus quippe ab antiquo nobilis, et regię dignitatis exstiterat; palatii causis regumque exercitiis deservire solebat. Sine cunctatione et fraude, sua Cæsari reddebantur; sed non etiam Deo quæ Dei sunt persolvebantur æque fideliter (217). Quod audivimus, non quod vidimus, loquimur: claustrum ipsum monasterii frequenter, ut aiunt, stipari militibus, urgeri negotiis, jurgiis personare, patere interdum et feminis. Quid inter hæc cœleste, quid divinum, quid spirituale poterat cogitari? Nunc vero vacatur inibi Deo, studetur continentię, disciplinae invigilatur, lectionibus sanctis intenditur. C Juge quippe silentium, et ab omni strepitu sæcularium perpetua quies cogit cœlestia meditari. Porro continentię labor et rigor disciplinæ psalmodiarumque dulcedine revelantur. Pudor de præteritis novæ conversationis temperat austeritatem. Is autem qui in præsentibus per patientiam capitur bonæ conscientię fructus, futurorum quoque bonorum operatur desiderium, quod non frustrabitur, et spem, quæ non confundit. Venturi timor judicii pio cedit fraternæ charitatis exercitio; charitas quippe foras mittit timorem (I Joan. iv, 18). Tædium et acediam procul pellit sanctarum varietas observationum. Et hæc reteximus ad laudem et gloriam Dei, tanquam omnium auctoris; non tamen sine vestra, tanquam ipsius coadjutoris in omnibus. Potuit quidem ea ipse agere sine vobis; sed maluit vos operum habere consortem, ut haberet et gloriæ. Increpabat Salvator quosdam, quod orationis domum speluncam latronum facerent (Matth. xxi, 13). Habebit ergo sine dubio commendatum, qui e regione operam dedit vindicare sanctum a canibus, a porcis margaritam; cujus studio et industria Vulcani

A officina studiis videtur mancipata cœlestibus, imo sua Deo habitatio reddita; et, in id potius quod ante fuit, ex synagoga Satanæ restituta.

5. Sane non ad confusionem cujuscumque sive improprium præterita mala reteximus, sed ut, ex comparatione veterum, novitatis decus gravius venustiusque appareat, quia tunc recentia jucundius bona clarescunt, cum fuerint malis comparata prioribus. Similia ex similibus innotescunt, sed ex contrariis contraria aut placent amplius, aut displicent. Junge nigra candidis, et mutua collatione in proprio quoque colore distinctius enitescunt. Sic foeda adnota pulchris, pulchriora reddunt, magis foeda redduntur. Ne qua tamen offensionis vel confusionis subrepat occasio, replicamus et nos vobis illud Apostoli: *Et hoc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis (I Cor. vi, 11)*. Jam nullus sæcularibus in domum Dei patet aditus, nullus ad sancta curiosis accessus. Nulla jam cum otiosis confabulatio permiscetur, solitus puerorum aut puellarum strepitus non auditur. Solis pueris Christi, de quibus dicitur, *Ecce ego et pueri mei mecum (Isa. viii, 18)*, locus sanctus pervius et expositus, divinis tantum laudibus ac sacris solvendis votis, debita sollicitudine et reverentia custoditur. Quam læta martyres aure, quorum permaxima locum ipsum turba nobilitat, horum clamores puerorum strepitusque **80** percipiunt? quibus et vicissim non minori utique suæ affectionis clamore respondent: *Laudate, pueri, Dominum; laudate nomen Domini (Psal. clii, 1)*; et rursus, *Psallite Deo nostro, psallite; psallite regi nostro, psallite (Psal. xlii, 7)*.

6. Dum manibus pectora, genibus pavimenta tunduntur, votis et devotis precibus altaria cumulantur, sordent genæ lacrymis, gemitibus atque suspiriis mugiunt diversoria; et pro forensibus causis, canticis spiritualibus sacra tecta resultant, nil supernis civibus magis spectare libet, nil Regi summo jucundius exhibetur. Quid enim aliud est quod ait: *Sacrificium laudis honorificabit me? (Psal. xlix, 23)*. O si quis haberet oculos apertos, quos orando propheta puero revelavit! (*IV Reg. vi 17*) videret procul dubio quemadmodum præveniunt principes conjuncti psallentibus, in medio juvenularum tympanistriarum (*Psal. lxxvii, 26*). Videret, inquam, qua cura quoque tripudio intersunt cantantibus, adsunt orantibus, insunt meditantibus, supersunt quiescentibus, ordinantibus et procurantibus præsentibus. Agnoscunt nimirum supernæ postestates concives suos, et pro his qui hæreditatem capiunt salutis, sollicitè congaudent, confortant, instruunt, protegent, providentque omnibus omnes in omnibus. Felicem ego me dixerim qui adhuc vivam, ista etsi non videre, quoniam absens sum, certe vel audire. Cæterum

(216) Forte de ipso intelligendum quod Bernardus ait in Apologiæ capite 10: « Mentior, si non vidi abbatem sexaginta equos, et eo amplius, in suo ducere comitatu, » etc.

(217) Id confirmat Guillelmus Nangius ad annum

1123, ut jam supra fusius relatam est: « Nam per abbatem negligentiam qui ante ipsum fuerant, et quorundam illius monasterii monachorum, regularia instituta ita ab eodem loco abjecta fuerant, quod vix speciem religionis monachi prætendebant. »

vos, fratres, longe feliciores, quibus ea datum est et actitare. Porro super omnes benedictus, quem tanti primatu boni totius auctor boni dignatus est; de qua merito prerogativa tibi præcipue, charissime, congratulamur, per quem utique totum est quod miramur.

7. Gravaris forsitan laudibus nostris: sed non oportet. Nil quippe simile habet quod loquimur, illorum blanditiis qui dicunt *bonum malum, et malum bonum* (Isa. v, 20), atque ita quemcumque beatificant, in errorem inducunt. Blanda, sed periculosa laus, cum *laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur* (Psal. ix, 3). Noster qualiscumque favor de charitate procedit, et veritatis limitem, prout sapimus, non excedit. Securus gloriatur qui in Domino gloriatur, hoc est in veritate. Nos non malum bonum, sed malum diximus quod malum erat. Verum si malis audacter, cum vidimus, oblatravimus (218), nunc, cum ad bona ventum est, silere debemus, et non magis testimonium perhibere bono? Alioquin corrosores fuisse conyincimur, non correctores, et mordere quam emendare maluimus, si bonis obmutescimus, qui in tantum reclamavimus malis. Justus corripit in misericordia, peccator adulatur in impietate: ille, ut curet; iste, ut occultet quod erat curandum. Nihil tibi apud eos qui timentes Dominum glorificant, suspicandum est de oleo peccatoris, quo tuum quondam caput impinguare solebant. Laudamus te, quoniam tu facis unde non nos sane adulamur; sed in te Dei munere adimpletur quod psallis: *Qui timent te, videbunt me, et lætabuntur, quia in verbo tuo supersperavi* (Psal. cxviii, 74); et item: *Collaudabunt multi sapientiam ejus* (Eccli. xxix, 12). En tuam quam plures prædicant sapientiam, sed qui priorem detestati sunt insipientiam.

8. Volo te talium præconiis delectari, qui tam timeant palpare vitia, quam detrectare virtutibus. Veri isti sunt laudatores, qui ita bona laudare soleant, ut lactare in malis non noverint. Sunt enim facti laudatores, veri autem detractores, quos Scriptura commemorat, dicens: *Vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum* (Psal. lxi, 10). Hi plane sunt devitandi, juxta consilium Sapientis dicentis: *Fili, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis* (Prov. i, 10). Habent ergo et lac et oleum peccatores, suave quidem, sed venenosum, sed mortiferum. *Molliti sunt, inquit, sermones ejus, hoc est adulatoris, super oleum, et ipsi sunt jacula* (Psal. liv, 22). Habet oleum et justus; sed misericordiae, sed sanctificationis, sed lætitiæ spiritualis. Habet etiam et vinum, quod animæ insolentis infundat vulneribus. Siquidem dolentis, et quem [al. quam] corde viderit esse contrito, oleo misericordiae consuevit delinire tristitiam. Ubi corripit, vinum infundit;

(218) Hinc apparet, Bernardum in laxiores ejus cœnobii monachorum mores antea scripsisse, forsitan in Apologia, ut mox notatum.

oleum, cum blanditur; et quidem vinum absque odio, oleum sine dolo. Proinde non omnis laus adulatio, sicut nec omnis reprehensio de animi rancore descendit. Beatus qui dicere potest: *Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum* (Psal. cxl, 5); quod ubi longe fecisti a te, dignum te probasti oleo et lacte sanctorum.

9. Quærant sibi jam in parvulis Babylonis dulces, sed truces matres, quibus lac mortis emulgeant, quos blandis mulceant favoribus ac flammis nutriant sempiternis. Nam Ecclesiæ alumnus ex uberibus sapientiæ, lactis melloris expertus dulcedinem, jam in eo cœpit crescere in salutem; jam et ex eo satiatuseructat, dicens: *Meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis* (Cantic. i, 1, 2). Et hoc ad matrem. Verum item gustato, ac probato quam suavis est Dominus, ut vere patrem dulcissimum, ait ad ipsum: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* (Psal. xxx, 20). Impletum est profecto desiderium nostrum. Olim enim, cum dolens cernerem tanta te aviditate de labiis adulantium, mortis escam, peccati sugere fomitem (219), optans tibi et gemens, intra me aiebam: *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ?* (Cantic. viii, 1). Sint procul a te jam blandi ac fraudulenti lactatores, qui, cum in faciem te benedicerent, probris omnium atque ludibriis exponebant et eorum præsens *Euge* (Psal. xxxiii, 21) orbis tibi fabulam parjebat, imo te fabulam orbi. Si mussitant etiam nunc, dicito illis: *Si adhuc vobis placerem, Christi servus non essem* (Galat. i, 10). Quibus in malis placuimus, neque et in bonis placere non possumus; nisi forte, mutati, prius incipiant et ipsi odisse quod fuimus, et sic demum quod sumus diligere.

10. Duæ nostris temporibus ortæ sunt in Ecclesia novæ et exsecrandæ præsumptiones, quarum una (ut pace tua commemorem) tua est illa pristinae conversationis insolentia. Sed hæc auctore Deo emendata est, ipsi ad gloriam, tibi ad coronam, ad gaudium nobis, omnibus ad exemplum. Potest etiam facere Deus ut citius et super altera consolemur. Quam sane odiosam admodum novitatem et vereor proferre in medium, et prætermittere gravor. Urget quippe linguam in verba dolor, sed timor ligat. Timor duntaxat ne quem offendam, si palam fecero quod me movet, quoniam veritas nonnunquam odium parit. Verumtatem de hujusmodi odio, ipsam, quæ parit illud, ita me audio consolantem: *Necesse est, ait, ut veniant scandala*. Nec me, ut æstimo, tangit omnino quod sequitur: *Væ autem homini illi per quem scandalum venit* (Math. xviii, 7). Cum enim carpuntur vitia et inde scandalum oritur, ipse sibi scandali causa est qui fecit quod argui debeat, non ille qui arguit. Denique nec cautior sum in

(219) Alludit Bernardus hoc loco ad Sugerii nomen.

verbo, nec circumspectior in sensu, illo qui ait: **A** Quod plane credibilius ex eo videtur, quia, cum  
 « Melius est ut scandalum oriatur, quam veritas  
 relinquantur. (S. GREG. Magn. *Hom. 7 in Ezech.* paulo  
 post init., et S. AUG. *De lib. arbitr. et De prædest.*  
*sanctorum.*) » Quanquam nescio quid prosit si quod  
 mundus clamat ego tacuero, omniumque passim  
 naribus injecto fetore solus dissimulo pestem, nec  
 audeo nasum contra pessimum putorem propria  
 munire manu.

11. Cujus enim cor non indignatur, cujus vel clam  
 lingua non submurmurat, diaconum contra Evange-  
 lium Deo et mammonæ pariter ministrantem, sic  
 quippe sublimatum honoribus ecclesiasticis ut nec  
 episcopis inferior videatur, sic implicatum militari-  
 bus officiis ut præferatur et ducibus? Rogo quid hoc **B**  
 est monstri, ut, cum et clericus et miles simul videri  
 velit, neutrum sit (220)? Par satis utrobique abusio,  
 sive quod diaconus mensæ regis deputetur ministe-  
 rio, sive quod Regis dapifer mysteriis altaris inser-  
 viat. Quis sane **82** non miretur, imo et detestetur,  
 unius esse personæ et armatum armatam ducere  
 militiam, et, alba stolaque indutum, in medio ecclesiæ  
 pronuntiare Evangelium; tuba indicere bellum mili-  
 tibus, et jussa episcopi populis intimare? Nisi forte  
 (quod intolerabilius est) erubescit Evangelium, de  
 quo Vas electionis admodum gloriatur (*Rom. 1, 16;*  
*II Tim. 1, 8, etc.*); et confunditur videri clericus,  
 magisque honorabile ducit putari se militem;  
 curiam Ecclesiæ præfert, Regis mensam altari  
 Christi, et calici Domini calicem dæmoniorum. **C**

(220) Diaconus ille fuit Stephanus de Garlanda,  
 seneschallus sive dapifer regis Galliarum, quem  
 alii male confundunt cum Stephano cancellario, qui  
 postea factus est episcopus Parisiensis, ut recte pro-  
 bat Duchenius in notis ad Abælardum. De quo Teul-  
 fus in Annalibus Moriniacensis cœnobii, ita scribit,  
 libro II: « Defuncto Vuillelmo, Anselmi dapiferi ger-  
 mano, Stephanus frater amborum Major regis domus  
 effectus est. Hoc retroactis generationibus fuerat  
 inauditum, ut homo qui diaconatus fungebatur offi-  
 cio, militiæ simul post regem duceret principatum.  
 Hic vir industrius, et sæculari præditus sapientiâ,  
 cum multis ecclesiasticorum honorum redivisibus, tum  
 familiaritate regis, quam sic habebat ut ei potius  
 diceretur a quibusdam imperare quam servire,  
 temporali felicitate supra cæteros mortales nostris  
 temporibus effloreat. Tradita vero nepte sua in  
 conjugium Almarico de Monte-Forti, cum honore de **D**  
 Rupe-Forti, qui puellæ de matrimonio obvenerat,  
 tumefactus oblitusque sui, Adelam reginam frequen-  
 tissimis molestiis sibi reddidit infestam; odiisque  
 crescentibus, rege turbato, depositus ab honore pul-  
 satus a curia. Ipse vero, veluti quadam correptus  
 insania, regnum turbare totis viribus enititur; et  
 viri in armis strenni, Almarici dico, fretus auxiliis,  
 patriam hanc bellis accendit, etc. Idem, nisi fallor,  
 Stephanus (nam et de Garlanda cognominatur)  
 male audit apud Ivonem episcopum Carnotensem,  
 epistola 87, ubi apud cardinales arguit Belvacenses  
 eum sibi in episcopum assumptis. « Nempe quod  
 postposita omni canonica obedientia clericum quem-  
 dam illitteratum, aleatorem, et cæteris hujusmodi  
 lenociniis vacantem, procul etiam a sacris ordinibus  
 inventum, quondam quoque propter publicum adulte-  
 rium a legato Romanæ Ecclesiæ, Lugdunensi archi-  
 episcopo, de Ecclesia ejectum, pro voluntate regis et

hones non paucos, sed quantos nec canones  
 nisi inviti patiuntur, teneat in Ecclesia, unius  
 tamen, quem et in palatio assecutus est, magis, ut  
 aiunt, gloriatur ex nomine, quam cæterorum quolibet  
 appellari. Cumque sit archidiaconus, decanus, præ-  
 positusque in diversis Ecclesiis nihil horum tamen  
 tam eum quam Regis delectat vocitari dapiferum. O  
 nova et exosa perversitas! itane plus decet hominis  
 quam Dei famulum nominari? ac terreni, quam cœ-  
 lestis Regis dici officialem, altioris ducitur dignitatis?  
 Qui clero militiam, forum anteponit Ecclesiæ; divinis  
 profecto humana, cœlestibus præferre terrena con-  
 vincitur. Ergo pulchrius est vocari dapiferum, quam  
 decanum, quam archidiaconum? Est equidem, sed  
 laico, non clerico; militi, non diacono.

12. Mira, sed cæca ambitio, magis imis quam sum-  
 mis delectari; et cui funes ceciderant in præclaris,  
 insatiabili desiderio amplexari stercora, et pro nihilo  
 habere terram desiderabilem! Confundit penitus or-  
 dines, et utroque officio delicate satis abutitur,  
 dum et hinc eum delectat pompa, non militia sæcula-  
 ris, et illinc quæstus, non cultus religionis. In quo  
 quis facile non advertat quantum sit dedecoris, non  
 minus utique regno quam sacerdotio? Ut enim cle-  
 ricalis constat non esse dignitatis regum stipendiis  
 militare, sic nec regis majestatis, rem fortium  
 administrare per clericos (220\*). Denique quisnam  
 regum suæ unquam militiæ clericum præfecit  
 imbellem, et non magis quempiam fortissimum ex

illius contubernalis suæ, in episcopum assumpserunt.  
 Prædictus autem intrusus, Stephanus vocatur de  
 Guarlanda, cui si ad episcopalem ministrationem,  
 aliquando apostolica auctoritate patuerit aditus,  
 manifestum est temporibus nostris exitiale silentium  
 impositum esse canonicis legibus. Quomodo enim ad  
 fontem scientiæ pertingemus, si ab ipsis, qui clavem  
 tenent, intrare non permittimur? Ita Ivo. Hunc  
 etiam Stephanum Deo lucratus est Bernardus.

(220\*) Illic Bernardus pariter et clericum regi mili-  
 tantem reprehendit, et regem clerico militaria mu-  
 nia demandantem perstringit. Et vero uterque re-  
 prehensibilis: ille, quod dignitatem sui status non  
 agnosceret; hic, quod aulæ militiæque funciones  
 siue personarum delectu ac discrimine conferret,  
 clericos abhibens ubi laicos oportebat. Occurrit  
 simile quid in alio quoque Galliarum rege Ludovico  
 XI. Nam cum ab eo cardinalis Balua, episcopus Ebroi-  
 censis, Lutetiam Parisiorum missus ad recensendos  
 milites, veste linea ornatus, mula vectus, munus  
 illud indignum pontifice exsecutus esset, id equi-  
 tum magister Chabanius ægerrime tulit, et regem  
 adit, et provinciam visitandi Ebroicense canonicorum  
 collegium, seu de initiandis ibi clericis scruti-  
 nium sibi demandari cupit. « Mirum, » inquit rex,  
 qua id fronte petere audeas. An nescis illud muneris  
 a persona et conditione tua nimis alienum esse? »  
 Tum Chabanius: « Cur minus, » inquit, « mihi  
 conveniat clericos in ordinem cogere, quam episcopo  
 milites recensere? » Quæ verba regi stuporem, cæte-  
 ris risum moverunt. Guaguinus, *Historiæ* libro X;  
 Claudius Espencæus, vir eruditione ac sanctitate in  
 Gallia celebris, lib. II, cap. 6 Digress. in Epistola  
 prima ad Timotheum; Bosquier, in Plutarcho christ.;  
 Dorozetus, in Apophteg. Gall.

militibus? quis item clericorum aliquando æque sibi non iudicavit indignum, laicæ cujuscumque personæ mancipari obsequiis? Ipsum certe quod gestat in capite signum, plus regius decet fastus, quam famulatus; itemque regale fastigium magis armis, quam psalmis innititur. Sane si alteri forte (ut assolet) accessisset quod detrahitur alteri, quo vel regis videlicet humiliatio clericum amplius sublimasset, aut clerici certe dejectio regio contulisset honori (ut verbi gratia, si nobilis aliqua mulier viro nubat plebeio, illa quidem minuitur ex illo, sed ex illa crescit ille); si ita, inquam, vel rex ex clerico, vel clericus ex rege proficeret, malum, quod ex parte fuisset, utcumque forsitan tolerari debuerat. Nunc autem, cum utriuslibet diminutio neutrum provehat, sed suæ potius alterutrum plurimum detrahant dignitatis, quando nec clericum decet regis, ut dictum est, esse vocarive dapiferum, et nihilominus regem, nisi in manu utique fortium, regni gubernacula possidere; mirum valde quomodo utraque potestas hoc patitur, quod vel Ecclesia non abiecit diaconum militarem [*al. militem*], vel curia clericum principem non contemnit.

13. Et acrius ista et multiplicius inculcare volebam, ac fortassis debueram, nisi epistolaris brevitatis supersedendum indiceret; maximeque quia te offendere veritus sum, peperci homini, quippe quem tibi aiunt familiaribus jam olim amicitias esse devinctum. Sed nollem te habere contra veritatem amicum. Si tamen persistis, verum te amicum proba, et da operam quomodo et ipse amicus sit veritatis. Tunc demum veræ erunt amicitiae, si veritatis fuerint fœderatæ consortio. Quod si ille non acquieverit tibi, tene quod tenes, hostiæque caudam junge capiti (221), ac tunicam, Dei gratia jam polymitam, **83** cura facere et talarem; quoniam crepisse nil proderit, si (quod absit!) non perseverare contigerit. Et hic sit epistolæ finis, ubi tu de fine boni commonitus es.

#### EPISTOLA LXXIX.

AD ABBATEM LUCAM (222).

*Feminarum contubernium fugiendum monet. Et quid de fratre in crimen lapso faciendum*

1. Bonum nobis de te, charissime, et bonum valde rarum ostendisti, dum minoris te non solum non contempseris monita, sed gratias insuper re-  
D  
teris monitori, prudenter utique non a quo, sed

(221) Id est, finem junge principio. Hortatur ad perseverantiam, alludens ad ritum legis, jubentis caudam hostiæ simul offerri. Exod. xxix. Levit. iii. Rationem tropologicam dat Radulfus: « Cauda, » ait, « quæ finis est corporis, symbolum est consummationis et perseverantiæ in sanctis operibus. » Unde et S. Gregorius, I Moral. cap. 40: « Cauda, » ait, jubetur adoleri Deo, ut omne bonum quod incipimus, etiam perseverantiæ sine impleamus. » idem, Homil. 25 in Evang.: « Præcepto legis, » inquit, cauda hostiæ in sacrificio jubetur offerri. In cauda quippe finis est corporis, et ille bene immolat, qui sacrificium boni operis usque ad finem debitæ perducit actionis. »

(222) Haudquaquam Montis-Cornelii apud Leodium

quid moneris attendens. Gratias ago et ipse Deo, quod mea præsumptio gratiam egit magis, quam indignationem meruerit. Tenentes itaque tuæ tantæ humilitatis insigne, ampliori jam fiducia monemus quod et prius monuimus. Obsecramus per sanguinem illum qui pro animabus fusus est, ne tanti emptarum parvipendatur periculum, quod maxime ex virorum et feminarum cohabitatione non immerito timetur ab his qui, in schola Dei diu jam contra diaboli tentamenta luctati, propria experientia edocti dicere possunt cum Apostolo: *Non enim ignoramus astutias ejus* (II Cor. ii, 11). Denique quam non negligenter te oporteat audire non meum, sed ipsius Apostoli de hac re consilium, imo præceptum, aperte clamantis, *Fugite fornicationem* (I Cor. vi, 18), ipsius nunc tam turpiter lapsi fratris (super quo et nostram dignatus es consulere parvitatem) te doceat experimentum. De quo quidem miror, quid tibi visum fuerit me tam remotum expetere consultorem, cum prope habeas virum sapientem nostri Ordinis, et tuæ præcipue domus amatorem, Guillelmum scilicet abbatem Sancti-Theoderici. Sed et apud Præmonstratum non ambigo viros esse consilii, qui in rebus dubiis enodandis et prudentes sint et fideles.

2. Verumtamen quia sic tibi placuit, videris tu cur ita placuerit, ego labia mea non prohibebo. Si frater casum suum, quantumlibet gravem, quantumlibet turpem, prior ipse confessus fuisset, et curandus foret, et non effugandus. Nunc autem, quoniam tanti mali aliunde fetor emersit, nihilominus quidem ejus, si fieri potest, curationi operam dare necesse est, sed aliter. Fortassis enim non expedit ut ulterius apud vos remorari sinatur ne forte, quod te non immerito quidem timere scripsisti, pusillus et novellus grex hujusmodi tabe contaminetur. Nec tamen filio, quantumlibet peccatori, paterna omnino claudenda sunt viscera. Arbitror autem et patri pium et filio tutum esse consilium, si quæras ei quomodo in aliqua e remotioribus domini Norberti domibus recipiatur, ubi sub districtiori disciplina, mutato loco, non proposito, pœnitentiam agat, donec quandoque, cum tibi visum fuerit, ad locum proprium revocetur. Nam ad nostrum Ordinem ut transeat, vestro fortassis non expedit. Et quidem quod scripsisti illum sæpe dixisse nostra se promissione tenere quia eum, si cum licentia veniret,

(qui nunc Belli-Reditus appellatur) quod falso putaverunt Picardus et Horstius; sed monasterii Cuissiacensis, Ordinis Præmonstratensis, in diocesi Laudunensi, ut habet bibliotheca Præmonstrat., et satis ipse Bernardus indicat, dum mirari se profitetur, cur Guillelmum Sancti-Theoderici abbatem, utpote viciniorum, vel aliquem ex Præmonstrato sibi proximo, consuluerit. De Luca ac de monasterio Cuissiacensi sic habes apud Hermannum monachum: « Sed et aliud construxit » (Bartholomæus episcopus Laudunensis) « monasterium clericorum in loco qui vocatur Cuissiacus, abbatemque ibi ordinavit dominum Lucam, virum religiosum. » Ita ille, De miraculis B. Mariæ Laudunensis, libro iii, cap. 46.

susciperemus; hoc in nostra præsentia etiam ipse negavit. Sane si tibi non placet usquam eum illorum quæ dixi locorum mittere ad habitandum, aut te volente iste forsitan non consentit, aut cum utriusque placeat, forte non inveniatur qui eum recipere velit; tunc oportet ut aut urgente necessitatis causa, quocumque ad salvandam animam suam ire voluerit, cum litteris dimittatur; aut dispensante pietatis gratia, in suo loco retineatur: si tamen persentiri potuerit, quomodo ibidem **84** omnis ei occasio iterandi aut seminandi hanc turpitudinem penitus subtrahatur. Et de isto ista sufficiant.

3. Est aliud apud vos de quo ea præsumptione, qua soleo, non cunctabor dicere quod sentio. De molendino illo dico, quod Conversi (223-43) custodientes, feminarum pati coguntur frequentiam. Si mihi creditur, unum e tribus fiet: aut videlicet feminarum accessus omnimodis a molendino prohibebitur; aut molendinum cuicumque extraneo, et non Conversis custodiendum committetur; aut idem omnino molendinum relinquatur.

#### EPISTOLA LXXX (244)

AD GUIDONEM ABBATEM MOLISMENSEM (245).

*Consolatur afflictum ex gravi injuria: vindictam vero misericordia temperandam.*

Quanto tibi in hac, quam audiui, tua adversitate affectu condoleam, novit affectuum Deus omnium cognitor, bonorum immissor. Sed rursus cum considero, non per quem, sed a quo immissa sit hæc tribulatio; quantum tibi de præsenti molestia compatiatur, tantum de prosperitate mox futura spero congratulari: si tamen et tu consilium in perturbatione non amittendo, id ipsum tecum sapias, et de manu Domini mala, sicut et bona, cum sancto Job æquanimitè suscipias (*Job* 11, 10); imo exemplo sancti David, non tam his, etsi servis tuis, pro tantis malis indignari, quam sub potenti manu Dei (qui procul dubio illos misit ad malefaciendum tibi) humiliari te oportere scias (*II Reg.* xvi, 10). Verum quia et ad te constat pertinere correctionem illorum, utpote servorum ecclesiæ tibi commissæ, dignum est ut pro tam nefaria præsumptione servi nequam corripiantur, ac de rebus eorum damnum monasterii aliqua ex parte recompensetur. Sed ne tuam magis in hoc ulcisci injuriam, quam illorum ferire culpam videaris; rogo, rogansque consulo, ne tam

(223-43) De conversis infra, ad epistolam 143. Similis epistola 404 de fugiendo consortio mulierum.

(244) Scripta circa annum 1130.

(245) Guido secundus post S. Robertum abbas coenobii Molismensis, de quo in epistolis 43, 44, 60.

(246) Scripta circa annum 1130. Horstius legendum putat, *Prulliacensem*; sed perperam, reclamantibus nimirum manuscriptis, imo ipsis epistolæ verbis, ex quibus satis intelligitur Bernardum non loqui ad ullum abbatem ordinis Cisterciensis, qualis est Prulliacensis; alias comitem Nivernensem ad reformanda istius monasterii vitia neutiquam interpellasset. Ex qua observatione addendus videtur Gerardus ad seriem abbatum Pultariensium, hactenus omissus. Erat autem Pultariense monasterium, ordinis S. Benedicti, diocesis Lingonensis, fundatum a Gerardo comite, non longe a suo castro, ubi et postea cum uxore sua Berta sepultus est. Vide Acherii nostri notas ad Opera Guiberti de Novigento, pag. 953 sqq.

A quod illi digni sunt, penses, ut quod tibi dignum est non consideres: ut videlicet misericordia iudicio superexaltetur, et in tua modestia Deus glorificetur. Porro illum filium tuum, mihi quoque propter te et propter se ipsum satis charum, ore tuo et nostro spiritu commonemus, ut non eatenus sua, etsi justa, indignatione debrietur; quatenus domini illius præcepti obliviscatur; quo percutienti unam maxillam, præbere jubemur et alteram (*Matth.* v, 39).

#### EPISTOLA LXXXI.

AD GERARDUM ABBATEM PULTARIENSEM (246).

*Purgat se adversus iniquam criminationem.*

Scriptis me aliquid ad comitem Nivernensem in tuæ personæ accusationem, nec recordor, nec verum est. Cæterum si pro ecclesiâ tua ad eundem principem litteras misi, hoc non adversum te, sed pro te egisse me arbitror. Siquidem audieram ipsum tuo et assensu, et consilio proposuisse venire ad visitandum vos; ad probandum de tantis malis quæ de domo vestra divulgabantur, an vera essent, aut cujus culpa essent: ut quod forte sinistrum reperiret, ibidem ejus et studio et sollicitudine corrigere-tur (247). Cujus tam justum et tam pium propositum si hortatu nostro roborare curavi, cur te inde læsum jure conqueraris, non video. Puto enim me recte fecisse, si de domo Dei zelum Dei habens, ejus providentiam qui emendaturus erat, commonui. Quod autem ex auctoritate Scripturæ arguis me peccasse, quasi qui **85** prius te non corripuerim: scito me nullam de persona tua querelam habere; sed solum ut pax fiat in ecclesiâ tua, ex charitate procurare. Denique ipsius rei veritatem plenius cognosces, si ad nos causam ipsam, ut dicis, attuleris. Poteris autem hic me invenire, quacumque instantis hebdomadæ die libuerit.

#### EPISTOLA LXXXII.

AD ABBATEM SANCTI JOANNIS CARNOTENSIS (248).

*Abdicationem curæ pastoralis, et peregrinationem Jerosolymitanam dissuadet.*

1. Ad ea de quibus nostram curasti consulere parvitatem, primum quidem non respondere statueram: non quod dubitaverim quid respondere deberem, sed quia viro consilii consilium dare aut præsumptuosum judicabam, aut superfluum. Cæterum cogitans quod plerisque, imo cunctis penè contingere sapientibus solet, in rebus videlicet

nensis, fundatum a Gerardo comite, non longe a suo castro, ubi et postea cum uxore sua Berta sepultus est. Vide Acherii nostri notas ad Opera Guiberti de Novigento, pag. 953 sqq.

(247) Nempe is in jus successerat Gerardi comitis, Pultariensis monasterii fundatoris.

(248) Scripta circa annum 1128. Indubie Stephanum innuit, qui ex abbate Sancti-Joannis apud Carnotenses Ordinis S. Augustini, factus est patriarcha Jerosolymorum ineunte anno 1128, post Germundum, teste Orderico Vitali sub finem libri xii. Idem epistolæ Fulconi Andegavorum comiti per Willelmum de Buris misisse perhibetur in tomo tertio Analectorum, pag. 335. Confer epistolas 35 et 82, atque Papebrochii Præfationem de patriarchis Jerosolymitanis ad Maii tomum III.

dubis plus alieno se, quam proprio credere iudicio; et qui aliorum facile ambigua quæque elucidant, in suis consueverunt scrupulosius hæsitare: statutum non, ut arbitror, irrationabiliter frango, sed simpliciter pando quod visum est mihi, non præiudicans sanius sapienti. Significasti mihi, nisi fallor, per vitium religiosum Ursum abbatem Sancti Dionysii (249), suggeri tibi a cogitationibus tuis, deserere patriam, domumque, cui Deo auctore præes; et pergere Jerosolymam, vacare deinceps Deo, vivere tibi. Et quidem tendenti ad perfectionem, patriam relinquere fortassis expediat, dicente Deo: *Exi de terra tua et de cognatione tua* (Gen. xii, 1): sed qua ratione curam tibi creditam animarum exponere debeas, omnino non video. Quid enim? blanditur depositæ sarcinæ libertas? Sed charitas non quærit quæ sua sunt. Forte quietis provocat et otii gustus suavior? Sed evacuatur dispendio pacis. Libenter carebo quantolibet etiam spirituali quæstu, qui non possit acquiri nisi cum scandalo. Ubi enim scandalum, ibi procul dubio charitatis est detrimentum: ubi autem diminutio charitatis, miror quod vel quale possit spiritualis exercitii sperari lucrum. Denique si propriam quisque quietem communi prætulit utilitati, quis jam veraciter dicere poterit: *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum?* (Philipp. i, 21), ubi erit quod item dicit Apostolus: *Nemo sibi vivit, et nemo sibi moritur?* (Rom. xiv, 7). Et: *Non quod mihi utile est, sed quod multis?* (I Cor. x, 33). Et: *Ut qui vivit non jam sibi vivat, sed ei qui pro omnibus mortuus est?* (II Cor. v, 15.)

2. Sed dicis: Unde ergo mihi tantum desiderium, si ex Deo non est? Pace tua dixerim quod sentio. *Aquæ furtivæ dulciiores sunt* (Prov. ix, 17), et huiusmodi omni, ut ita loquar, absinthio amariorem dulcedinem ab angelo satanæ sub prætextu angeli lucis, sitienti cordi tuo infundi non dubitat, quisquis ejus astutias non ignorat. Et revera quis alius possit scandalorum esse suggestor, discidii auctor, turbator unitatis et pacis, nisi veritatis adversarius, charitatis æmulus, hostis antiquus generis nostri, et

(249) Ursus seu Ursio, abbas quintus Sancti Dionysii apud Remos canonicorum regularium ordinis S. Augustini, episcopus postea Viridunensis, de quo in Spicilegii tomo XII, pag. 312. Hic ad Viridunensem cathedram proventus, anno 1129, successorem apud Sanctum-Dionysium habuit Gillebertum; sed, abjecta dignitate, ad suos tandem reversus, abbatiae regimen denuo resumpsit: apud Marlotum in Metropoli Remensis tomo II, pag. 152. In Necrologio abbatiae suæ « Ursio piæ memoriæ abbas » laudatur quarto Kalendas Martii.

(250) Scripta circa annum 1129. Simon ex monacho Sancti-Nicasii apud Remos, factus est abbas Sancti-Nicolai in silva Vedogii, diocesis Laudunensis, de quo Hermannus monachus Laudunensis in libro tertio de Miraculis B. Mariæ, cap. 18. Frater erat Guillelmi abbatis Sancti-Theoderici, de quo supra in epistolis 85 et 86. Vide infra, tomo quinto, Admonitionem in epistolam seculibrum ad Fratres de Monte-Dei.

(251) Huc etiam spectat illa persecutio, quam passus est Simon a monachis suis propterea quod

inimicus crucis Christi diabolus? Siquidem is cujus invidia mors intravit in orbem 86 terrarum, etiam nunc bonis quæ te facere videt, invidet: et cum sit mendax ab initio, mentitur et nunc, meliora pollicens quæ non videt. Quando namque veritas fidelissimæ illi sententiæ obviaret: *Alligatus es uxori? noli quærere solutionem* (I Cor. vii, 27), aut quando charitas scandalum suaderet, quæ ad omnium scandala uri se perhibet? (II Cor. xi, 29.) Ille ergo, ille, inquam, nequissimus, et charitati per livorem, et per mendacium veritati contrarius, falsum mel cum vero felle permiscens, dum promittit dubia pro certis, immitit etiam vera pro falsis: non ut conferat quod frustra speras, sed ut auferat quod fructuose tenes. Circuit et quærit, qualiter ovibus curam pastoris subripiat, procul dubio perituris, dum non erit qui eripiat; et nihilominus pastorem horrendo illi maledicto subjiciat: *Væ illi per quem scandalum venit* (Matth. xviii, 7). Sed confido de sapientia tibi a Deo data, quod nullis maligni versutiis abduci vel seduci poteris, spe incerti boni certum inire malum, et æque certum deserere bonum.

#### EPISTOLA LXXXIII.

AD SIMONEM ABBATEM SANCTI NICOLAI (250).

*Eum in persecutione solatur. Pios conatus non semper optatos habere successus. Præfato arctioris disciplinæ studioso quid agendum cum subditis.*

1. Persecutionem (251) quam propter justitiam pateris, per litteras tuas non sine compassione cognoscentes, hæc Christi consolatio de promissione regni tibi sufficiat; tamen nos quod nostrum est, et consolationem quam possumus, et consilium quod intelligimus sanum, fideliter exhibemus. Quis enim sine anxietate videat Petrum de mediis fluctibus brachia tendentem? sine dolore audiat columbam Christi non cantantem, sed gementem, tanquam quæ dicat: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* (Psal. cxxxvi, 4.) Quis, inquam, sine lacrymis lacrymas ipsius Christi, de limo profundi etiam nunc levantis oculos suos in montes, unde veniat auxilium tibi, respiciat? Verumtamen nos, ad quos pro humi-

altaria quædam (sic parochiarum curas appellabant) episcopo Atrebatensi ob simoniæ notam resignasset. Legimus hac de re litteras Samsonis Remensis et Josieni Suessionensis pontificum, ad Innocentium II, qui eos istius causæ arbitros designaverat: legimus et alias Eugenii III ad Bartholomæum Laudunensem, quibus significat se causam litis inter Alvisum episcopum Atrebatensem et G. abbatem Sancti-Nicolai motæ velle cognoscere. In litteris Samsonis ad Innocentium dicitur abbas Simon, « quia monachi sui cum eo non consentiebant ut altaria illa redderet, aliquanto tempore abbatiam dimisisse, et in longinquam regionem abiisse; » sed tandem a suis revocatum, « magis eligentibus, altaribus illis quam abbate suo velle carere. » Unde colligitur tum integritas et probitas Simonis, sub quo monasterium « religione et multimoda possessione » floruisse dicitur ab Hermanno; tum tempus scriptæ epistolæ, haud dubie ante Innocentii pontificatum, id est ante annum 1130. De Gilleberto Simonis successore vide ad epistolam nunc 399.

litate tua respicere te dicis, montes non sumus; sed et ipsi de convalle lacrymarum laboriosis conatibus emittentes adversus renitentis inimici insidias, ac mundialis malitiæ violentiam, tecum clamamus: *Auxilium nostrum a Domino, qui fecit cælum et terram* (*Psal. cxx, 2*).

2. Omnes quippe, qui pie velunt vivere in Christo persecutionem patiuntur (*II Tim. III, 12*): ita ut cum eis nunquam desit pie velle [*al. vivere*], non semper iamen adsit et perficere pro bona voluntate. Sicut enim impiorum est piis bonorum propositis assidue reluctari, sic contra pietatem non est, propter multitudinem adversantium, quamvis justa et sancta desideria paucorum plerumque non perfici. Sic Aaron sceleratis tumultuantis populi, contra voluntatem suam clamoribus cessit (*Exod. xxxii*). Sic Samuel eidem populo, inordinate regem petenti, invitus Saulem inunxit (*I Reg. x*). Sic David cum vellet construere templum, propter infestantium tamen bella inimicorum, quia vir bellicosus erat, prohibitus est facere **87** quod sancte proposuit (*II Reg. vii*). Simili forma tibi, pater venerande, consulimus, ut tamen sapientiorum consilio non præjudicemus, quatenus ad tempus propositi tui tibi que consentientium rigorem sic temperes, ut infirmorum salutem non negligas. Invitandi quippe sunt ad arctiorem vitam, non cogendi, quibus utique semel in Ordine illo Cluniacensi præesse consensisti. Illis autem qui arctius vivere desiderant, aut condescendere imbecillioribus ex charitate, quantum sine peccato possunt, suadendum est, aut ibidem tenere quod cupiunt permittendum, si absque utrarumque partium scandalo fieri potest; aut certe de congregatione liberos dimitti, fratribusque aliis secundum eorum propositam viventibus sociari oportet.

#### EPISTOLA LXXXIV.

AD EUMDEM.

*Monachum erroneum (252) remittit, sed reducem lenius et mitius tractari suadet.*

Provide, ut videtis, et non frustra erronea ovicula vestra contra morem nostrum a nobis, non nobis,

(252) At similia non sunt; nam secundum philosophos, causæ finales et impulsivæ faciunt actionum discrimina. Itaque similia tantum sunt in genere entis, ut cum iisdem loquamur, non in genere moris. Sed hoc axioma eleganter enarrantem Augustinum audiamus. « Cum boni, » inquit, « et mali eadem faciunt, eademque patiuntur; non factis et pœnis, sed causis utique discernendi sunt. Pharaon populum Dei duris laboribus atterebat; Moyses eundem populum impie agentem duris coercionibus affligebat. Similia fecerunt, sed non similiter prodessse voluerunt: ille dominatione inflatus, iste dilectione inflammatus est. Jezabel occidit prophetas: Elias occidit pseudopphetas. Puto quod diversa sint merita facientium, diversa passorum. Aspice etiam tempora Novi Testamenti, quando jam ipsa mansuetudo charitatis non solum in corde erat servanda, verum etiam in luce monstranda; quando Petri gladius in vaginam revocatur a Christo, et ostenditur non debuisse de vagina eximi nec pro Christo. Legimus tamen non solum, quod ceciderunt Judæi Paulum apostolum, verum etiam quod ceciderunt et Græci pro Paulo apostolo Sosthenem Judæum: nonne similitudo facti quasi utrosque conjungit, et

sed sibi et vobis detenta est, cum tali circumventione, imo utili subventione, ut fratri pro arctioris vitæ desiderio, et pro fratris reditu vestræ tandem nihilominus voluntati satisfactum sit. Hæc autem dico non ut nostram erga vos in hoc velim commendare benevolentiam, quam per quidquid facere possum, vix sufficerem, sicut est, demonstrare: sed ut certum nunc habeatis, quod et ante vobis dixisse me memini, quia sæpe inquietos animos, quibus sua, in qua sunt, vita non sufficit, districtior experta compescit. Consilium nostrum super ipso fratre reconciliato velle vos scripsistis audire: sed non putavi necesse fore, cum paratus veniat non suam, ut solet, a vobis extorquere, sed vestræ, ut decet, in omnibus voluntati acquiescere. Difficultatem ingressus, quam valde timet, pro ipso et cum ipso supplicamus pie temperari, et aliquanto mitius cum eo agi, quam cum cæteris solet fugitivis. In similibus enim factis (253) causa dissimilis simile recusat iudicium. Multum quippe differunt a se, qui timore aut odio religionis de monasterio fugit, et qui ejusdem amore et desiderio transit ad aliud

AD GUILLELMUM ABBATEM S. THEODERICI.

*Hic inseritur ab aliis Epistola ad Guillelmum Sancti Theoderici abbatem, quam vice Præfationis Apologice ad eundem scriptæ prælixam vide tomo II.*

#### EPISTOLA LXXXV.

AD EUMDEM GUILLELMUM (254).

*Suaviter perstringit Guillelmum, conquerentem sibi a Bernardo paribus amoris officiis non responderi.*

Domno abbati GUILLELMO, frater BERNARDUS, charitatem de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta (255).

1. Si nemo scit quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis qui ipso est (*I Cor. II, 11*); si sola in facie videt homo, quia solus Deus intuetur cor (*I Reg. xvi, 7*), miror, nec satis mirari possum, quomodo, quave ratione sic tuam atque meam ad invicem dilectionem pensare et distinguere potuisti, quatenus non solum de proprio, sed et

tamen eos causæ dissimilitudo discernit? Nempe Deus proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: nempe de Filio ipso dicitur, *Qui me dilexit, et tradidit semetipsum pro me*: nempe et de Juda dicitur, quod introierit in eum Satanæ, ut traderet Christum. Cum ergo et Pater tradiderit Filium suum, et ipse Christus corpus suum, et Judas Dominum suum; cur in hac traditione Deus est pius, et homo reus, nisi quia in re una quam fecerunt, causa non una est ob quam fecerunt? Et post inducta plura exempla, tandem subjungit: Discamus in similitudine operum, discernere animos operantium. Ita S. Augustinus, epist. 93. n. 6, 7.

(255) Nicolaum vocat Bernardus ipse in Apologia ad Guillelmum, n. 4.

(254) Scripta circa annum 1125. Venerabilis Guillelmus, sancti Bernardi quondam delicia, ex urbe Leodiensi nobili genere ortus, Remos studiorum causa missus cum alio nobili adolescente, nomine Simone (quem Majoris-Monasterii codex manuscriptus plures Bernardi complectens epistolas, ipsius Guillelmi

(255) Inscriptio ex codice Corbeiensi.



de alieno sententiam corde proferres. Error siquidem est humanæ mentis, non modo bonum putare malum, et malum bonum, aut verum falsum, et e converso: sed etiam certa recipere pro dubiis, dubia pro certis. Forte verum est quod dicis, minus scilicet a me amari **88** te, quam me diligis: sed certe certus sum, certum non esse tibi. Quomodo ergo pro certo affirmas, de quo certum est quia certus minime sis? Mirum! Paulus se suo iudicio non credit, *sed neque*, inquit, *me ipsum iudico* (I Cor. iv, 5). Petrus luget suam quæ se fefellerat præsumptionem, cum de suo loqueretur, dicens: *Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo* (Matth. xxvi, 35). Discipuli de prædicatione Domini, nec in suis fidentes conscientis, singuli respondebant: *Nunquid ego sum, Domine?* (Ibid.) David suam de se ignorantiam fatetur orans et clamans: *Et ignorantias meas ne memineris* (Psal. xxiv, 7.) Tu vero nescio qua fiducia, non solum de tuo, sed et de meo corde tam aperte declamas: « Ut plus amans, » inquit, « minus diligar. »

sus Guillelmi fratrem fuisse testatur), spretis mundi deliciis in Sancti-Nicasii Remensis asceterium, regularis observantiæ tunc temporis fama celebre, cum illo se recepit: ubi peracto felicibus auspiciis tirocinio, cum uterque virtutum laude excelleret, ille abbatiæ Sancti-Nicolai de Saltu diocesis Laudunensis, Guillelmus vero in locum Gaufridi, ad Sanctum-Medardum Suessionensem translatus, monasterio Sancti-Theoderici prope Remos præfectus est anno 1120. Cum autem Bernardi fama sanctitatis sese undique diffunderet, plurimosque ad sui contemplationem et admirationem alliceret; Guillelmus noster, tum privatus apud Sanctum-Nicasium, audita ægritudine, qua Vir sanctus non multo post a sua ordinatione correptus est, cum quodam abbate eum invisit: quocum aliquandiu conversatus, sibilam constrinxit arctissimæ illius necessitudinis, qua sese postea mutuo complexi sunt. « Tanta enim Guillelmus affectus est suavitate circa Bernardum, tantoque desiderio in paupertate illa et simplicitate cohabitandi ei, ut si optio illa die sibi data fuisset, nihil tam optasset, quam ibi semper cum eo manere ad serviendum ei. » S. Bernardi Vitæ libro I, cap. 7. Hinc proficiscebatur sensus ille doloris, quo calumnias Bernardo impactas iniquius ferens, eum ipsum ad sese purgandum adversus Cluniacensium querelas induxit, eleganti Apologia ad se scripta, quam vide tomo II et ibid. notas. Verum nec has etiam Guillelmi in Bernardum amor passus est angustias: imo pastoralis sarcinæ pertæsus, et Bernardi consuetudinis cupidissimus, cum sæpius a Claræ-Vallis ingressu repulsus fuisset, ut etiam patet ex hac epistola, tandem abdicata præfectura in cœnobium Signiacense ordinis Cisterciensis diocesis Remensis se contulit sub annum 1135, siquidem annos quatuordecim et menses quinque abbatem apud Sanctum-Theodericum egisse testatur ejusdem monasterii abbatum Catalogus manuscriptus, cui suffragatur charta quædam cœnobii Sancti-Nicasii Remensis, in qua Rainaldus Remorum archiepiscopus res a Joranno abbate acquisite confirmat anno 1135, teste Helino Sancti-Theoderici abbate, qui ex priori Sancti-Amandi Guillelmo successus est. Guillelmus vero, Signiaci stabilitatem professus anno circiter 1135, cum aliquot annos in summa animi demissione ac modestia, jugique rerum cœlestium contemplatione (quam « quotidianum ejus exercitium » vocat Chronicon manuscriptum Signiacense) exegisset; ad superos translatus est circa annum 1150, certe post annum 1144, cum epistola ad fratres de Monte Dei, cujus est auctor, nuncupata sit Haimoni priori, qui

2. Hæc quippe sunt verba tua, quæ nollem fuisse tua, quia nescio si sunt vera. Sed et tu, si scis, unde scis? unde, inquam, probasti magis nos a te diligi, quam te a nobis? An ex hoc quod in tuis litteris subjunxisti, quia videlicet qui vadunt et veniunt per te de nostris, nullum tibi a nobis deferunt monumentum gratiæ vel amoris? Quod vero monumentum, quod amoris experimentum a nobis requiris Nunquid forte scrupulum movet tibi, quod ad plura jam tua ad nos scripta, necdum vel semel rescripti (256)? Sed quando ego maturitatem sapientiæ tuæ delectari posse putarem scriptitationibus imperitiæ meæ? Sciebam enim qui dixit: *Filioli, non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate* (I Joan. iii, 18) Quando vero unquam opere meo opus tibi fuit, et defuit? **B** O scrutans renes et corda Deus! qui unus sol justitiæ diversa servorum tuorum corda diversis gratiis, velut radiis, illustras; quod diligam illum ex dono tuo, et suo merito, tu scis, et ego sentio: quatenus autem diligam, tu scis, ego nescio. Tu, inquam, Domine, isto anno Gaufrido primo priori successit: at vero ante S. Bernardi obitum, a quo statim Ernaldus librum ejus Vitæ secundum, mortuo Guillelmo, aggressus est, ut ex notis ad epistolam 310 intelliges. De Guillelmi obitu ita scribit Chronicon Signiacense: « Cursum vitæ suæ sancto fine complens obdormivit in Domino. Corpus ejus in claustro juxta introitum capituli traditum est sepulturæ: » postmodum vero, nempe octogesimo post mortem anno, Ægidius Signiaci abbas novus « ossa D. Guillelmi, » pergit idem Chronicon, « abbatis Sancti-Theoderici, Arnulfi abbatis Sancti-Nicasii » (in Catalogo Abbatum Sancti-Nicasii dicitur simpliciter monachus), « et Gerardi abbatis Florinensis » (quos Signiaci Guillelmus conversionis socios habuerat) « de tumulis, in quibus usque ad illud tempus jacuerant, levavit, et eadem intra murum oratorii, et juxta introitum ecclesiæ a parte claustrum in quadam theca cum honore debito collocavit. » Hæc quidem de Guillelmo fuisse, sed non otiose fortassis. Quem quanti Bernardus fecerit, quamque non impari sit prosecutus affectu, ex ipsius epistolis innotescit: maxime ex epistola 85, in qua Guillelmo amice expostulanti, quod multum diligens, minus a Bernardo amaretur, eleganti et Christiana omnino responsione facit satis: sed et ex epistola 88 ad Ogerium scripta, ubi arrepta ex improvise Guillelmi mentione, in hæc verba prorumpit: « Sed heu! in quanta sermonis angustia mentio se ingessit de tali viro: ne liceat, ut dignum erat, in tam dulcissima nobis memoria aliquandiu immorari, quoniam jamjamque desiderat epistola finem? » Porro tantum ejus etiam probavit eruditionem et doctrinam, ut librum De gratia et libero arbitrio, Guillelmo nuncupatum, ipsius censure subjecerit; et Lucæ Cnissiacensi, de quibusdam difficultatibus se consulenti responderit (epist. 79), mirari se, cur Guillelmo prætermisso, suum expectasset suffragium. Certe viri doctrinam et pietatem spirant et loquuntur egregia illius monumenta, in primis vero diserta illa et plane aurea ad fratres de Monte-Dei epistola, ultimus (si forte librum primum Vitæ S. Bernardi excipias) Guillelmi fetus: ubi cum suarum lucubrationum catalogum in præfatione, quam tomo quinto hic integram exhibemus, instruat, nihil est quod iis amplius immoremur. Plura de eo in Admonitione ad epistolam ad Fratres de Monte-Dei, tomo quinto, et in tomo tertio Bibliothecæ Patrum Cisterciensium.

(256) Hæc ergo prima est Bernardi ad Guillelmum epistola, quæ primum sub annum 1125 scripta est.

qui dedisti, seis quantum dedisti vel illi me, vel mihi illum amare. Et quomodo aliquis nostrum, cui tu non dixisti, audeat dicere, « Plus amans, minus diligor : » nisi forte qui jam in lumine tuo videat lumen suum, id est, in lumine tuæ veritatis agnoscat quanto ardeat igne charitatis?

3. Ego autem, Domine, interim contentus videre in lumine tuo tenebras meas, quoadusque visites sedentem in tenebris et umbra mortis, et per te revelentur cogitationes cordium, et manifesta fiant abscondita tenebrarum, fugatisque tenebris jam non videatur in lumine tuo nisi lumen : sentio quidem de munere tuo quod eum diligam; sed necdum video in lumine tuo, si vel satis diligam. Neque enim scio si jam pervenerim ad illam, qua nemo majorem habet, dilectionem, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Nam quis gloriabitur castum se habere cor, nedum perfectum? O Domine, qui illuminas lucernam meam, qua jam video et horreo tenebras meas; Deus meus, illumina ipsas quoque tenebras meas, ut videam et gaudeam ordinatam in me charitatem, sciens et diligens quæ diligenda sunt; et quantum, et ad quid diligenda sunt; me quoque volens diligi nisi in te, et quantum diligendus sum. Væ etenim mihi, si (quod valde vereor) aut ego plus ab illo quam merui, aut ille a me minus quam dignus sit, diligatur. Verumtamen si meliores magis diligendi sunt (sunt autem meliores, qui magis diligunt): quid aliud dixerim, quam illum plus me diligere, quem meliorem esse non dubito; me vero minus illum quam debeo, quia minus valeo?

4. Sed quanto in te (tibi, pater, dico) major est charitas, tanto minus contemnenda est a te nostra possibilitas, quia, etsi plus diligis, quoniam plus vales; non tamen plus diligis quam vales. Nos autem, etsi minus diligimus quam debemus, diligimus tamen quantum valemus: tantum autem valemus, quantum accepimus. Trahe nos post te, ut te apprehendamus et tecum amplius accipiamus, unde largius diligamus. Quid ergo tu niteris nos apprehendere, et quereris non posse? quos apprehendisti, si attendisti; et adhuc facere poteris, cum volueris, quales quidem sumus, non quales sperabas. Nescio quippe quid aliud intueris in nobis, quod non habemus; et sequeris pro nobis, quod non sumus. Ideoque non consequeris, quia non sufficimus: et ut denique in epistola tua juste causaris, Deus tibi in nobis, non nos deficimus. Nunc vero si talia placent, qualia modo negatus sum, mandato, et adjiciam: ut cum obediero, præsumptionis non timeam notam. Præfatiunculam (257) quam tibi mitti jussisti, non habui modo ad manum: neque enim adhuc dictaveram,

(257) Epistola scilicet quæ præfigitur Apologiæ ad eundem Guillelmum, quæ huic epistolæ in plerisque præmittitur manuscriptis. Confer epistolam 88, n. 5, et alias ad Guillelmum.

(258) Scripta circa annum 1150.

(259) Cisterciensium, ut puto, exemplo, quorum omnia monasteria beatis imæ Virgini dedicata sunt, Domina nostra vocari cœpit. Hinc Petrus Cellensis

quia nec necessariam esse putabam. Quidquid vel tibi, vel amicis tuis recte vis; qui dedit velle, det et perficere pro bona voluntate, omni mihi amicitiae jure colende, pie ac reverendissime pater.

#### EPISTOLA LXXXVI (258).

AD EUNDEM.

*Monachum fugitivum dure increpatum et increpandum remittit. Ipsi vero Guillelmo, mutationem aut vitam privatam meditati, perseverare suadet.*

FRATER BERNARDUS de Clara-Valle, suo illi quod suo.

1. Hanc mihi tu salutationis formulam tradidisti, scribendo, « Suus ille quod suus. » Accipe quod tuum est, et agnosce usurpationem unanimitalis esse indicium, et cum quo est mihi commune verbum, animum non distare. Jam ad tuas litteras breviter pro tempore respondendum est: quæ cum mihi in manus venerunt, Natalis Domine nostræ (259) dies festus illuxerat, cujus me totum jure sibi devotio vindicans, nihil aliud cogitare sinebat. Sed et nuntius repedare festinans, vix usque in crastinum, ut hæc jam festo exoccupatus qualiacunque rescriberem, expectavit. Fugitivum itaque fratrem dure a me, utpote durum corde, increpatum, nihil melius interim potui, quam ad locum remittere unde fugerat [al. exierat]: quippe quem juxta nostras consuetudines domi absque consensu abbatis sui retinere non debui. Oportet autem et a te eum similiter aspere increpari, et ad humilem provocari satisfactionem; deinde tuis confortari litteris, ad abbatem pro eo directis.

2. De infirmitate nostra nihil certius modo sciscitanti tibi indicare possum, nisi quod infirmus et fui, et sum; nec minus solito, nec multum plus. Quod vero non nisi quem missurus eram, causa est, plus me animarum scandalum, quam unius corporis periculum timuisse. Jam ne quid horum, de quibus mandasti, omnino prætermittam, venio etiam ad te. Velle te audire scripsisti, quid te ego (tanquam qui omnia tua norim) facere velim. Sed hoc, nisi fallor, si modo dicerem, nec tu posses, nec ego consulerem. Volo enim et ipse quod te velle de te jam olim non latet me (260). Cæterum mea atque tua æque, ut æquum est, voluntate postposita, magis quod velle Deum de te puto, et mihi ut tibi suadeam, tutum duco; et tibi si persuadeam, non incommodum. Tene itaque meo consilio quod tenes, mane in quo es, et stude prodesse quibus præes; nec præesse refuge, dum prodesse potes: quia væ quidem tibi si præes, et non prodes; sed væ gravius, si quia præesse metuis, prodesse refugis.

de Bernardo, in libro vi, epistola 23: « Alumnus enim familiarissimus fuit domine nostræ, cui non unam tantum basilicam, sed totius ordinis Cisterciensium basilicas dedicavit. »

(260) Cupiebat nimirum Guillelmus abdicata abbatibus dignitate se recipere ad Claram-Vallem: sed, Bernardo non sinente, Signiacum secessit, ut dictum est supra, in nota ad epistolam 85.

## 90 EPISTOLA LXXXVII.

AD OGERIUM CANONICUM REGULAREM (261).

*Improbat abdicationem curæ pastoralis, etsi piæ quietis amore factam. Instruit nihilominus, quomodo deinceps privatus in cœnobio vivere debeat.*

Totis visceribus charitatis amplectendo fratri OGERIO canonico, frater BERNARDUS monachus, sed peccator, digne Deo conversari usque in finem.

1. Si tibi ad tuas litteras tardius videor rescripisse, noveris potius opportunitatem nuntii defuisse. Quas enim nunc primum legis, jamdudum crede dictatas: sed, ut dixi, propter latoris inopiam tardavi mittere, quod scribere non tardavi. Legi itaque in tuis litteris, te illam, quam graviter ferebas, curæ pastoralis sarcinam deposuisse, licentia siquidem ab episcopo vix impetrata, imo extorta tua importunitate: et hoc non aliter, nisi ut in ejus episcopatu, quocunque alibi manens, ab ejus subjectione non recederes. Tu vero cum tibi hoc non placeret, archiepiscopum adiens, et ab ipso tanquam superiori auctoritate securitatem accipiens, ad priorem locum, et ad tuum abbatem reversus es. Ubi qualiter post hæc vivere debeas, a me doceri flagitas, egregio utique doctore et magistro incomparabili, qui cum cœpero docere quod nescio, vel tunc incipiet sciri quam nihil scio. Itane lanam querit ovis a capra, aquam molendinum a furno, verbum sapiens a stulto? Præterea per totam seriem litterarum attollens me supra me, multum de me laudabilis intermiscet: quorum quia ipse mihi conscius non sum; et tuæ hæc lenivolentiæ adscribo, et ignosco igno-

A rantia. Tu enim vides in facie, Deus autem in corde: sub cujus tremendo aspectu si sollicite me circumspicio, certum est quod eo ipse mihi notior sum quam tibi, quo propinquior. Ideoque magis credo mihi de me videnti me, quam tibi opinanti de me quod non vides in me. Quod si quid forte a me audisti quod posset prodesse tibi, gratias Deo age, in cujus manu sumus nos et sermones nostri.

2. Satisfacis etiam mihi pro eo, quod consilium meum non tenueris, confortantis te et monentis animo non frangi, pusillanimitate non vinci, sed portare patienter onus impositum, quod semel susceptum deponere non licebat: de qua re ipse mihi, sicut postulas, satisfacio pro te. Agnoscens siquidem sapientiæ meæ siccitatem, imo insipientiæ meæ semper suspectam habens temeritatem; cum non sit quod fieri laudo, nec audeo, nec debeo indignari, desiderans quemque consultius agere, quam a me acceperit. Quoties vero mea sententia eligitur ac tenetur, gravi, fateor, onere me premi sentio, rei finem semper pavidus et nunquam securus exspectans. Videris tu tamen, si consulte meum de hac re consilium mutaveris (262). Viderint hi quorum saniori, si quorum tamen, super hoc fretus es consilio, an rationabiliter egeris. Viderint, inquam, si liceat Christiano injunctam sibi dimittere obedientiam ante mortem, cum Christus factus sit obediens Patri usque ad mortem. Etiam, inquis, per licentiam: nam quæsi vi eam ab episcopo, et accepi. Bene, licentiam quidem quæsiisti, sed quomodo non licebat; ac per hoc non accepisti, sed extorsisti. Extorta

(261) Scripta circa annum 1126. — Hujusmodi titulum plerique calumniantur aut rident, quod verba synonyma seu idem significantia, etsi diverso idiomate, frustra congeminet: quasi canonici alii sint quam regulares; sive quasi regulares alii sint, et alii irregulares. Sed vide Joannem Baptistam Signinum, libro De Ord. Canon. cap. 2; et Navarr. Com. 1 De Regul. ad cap. 12 *Cui portio Deus*, q. 1, ubi docet non omnem verborum geminationem censendam esse battologiam. Nam et apud jurisperitos ejusdem clausulæ vel dictionis geminatio plurimum operatur. V. l. *Baptista*, § ad Senatuscons. Trebell. Adde quod et geminatio ejusdem verbi apud Hebræos singularem habet vim, et emphasis intendendi vel augendi id quod dicitur: Psal. lxxxvi, 5, *Homo et homo natus est in ea*, id est, multi homines; Psal. lxxvii, 15, *Rex virtutum dilecti, dilecti*, id est dilectissimi, et alibi sæpe. Vide Genebr. locis citatis. Porro cujus loci abbas fuerit Ogerius, discimus ex Historia Restorationis monasterii Sancti-Martini Tornacensis, auctore Hermanno monacho Tornacensi, ubi Oggerus religiosus canonicus de Monte-Sancti-Eligii prope Atrebatum, a Simone episcopo Tornacum evocatus memoratur, ut ecclesiæ Sancti-Medardi præset; ibique et super planitiem Scaldi duminis ecclesiam lapideam in honorem S. Nicolai cum officinis congruentibus construxisse, pluresque tam clericos, quam laicos, necnon et mulieres ibidem congregasse, ipsamque abbatiam appellari fecisse Sancti-Nicolai de Prato, hæc in Spicilegii tomo II, pag. 469. Novæ ecclesiæ dedicatio facta est anno 1125. Similiter Ogerium primum præsidem fuisse Sancti-Nicolai Præatensis ad Tornacum Nerviorum, testatur Picardus ex schedis Dionysii Villarii, canonici et cancellarii Tornacensis.

(262) Suaserat Bernardus ne renuntiaret curæ pastorali, etiam amore quietis propriæ. Hinc jam improbat factum Ogerii, huic consilio non parentis: et quamvis licentiam ab episcopo acceperit, eum tamen non esse securum, ut quæ extorta sit, et violentia potius dicenda sit: additque divinæ eum ordinationi resistere, ut qui promotus a Deo, sese dejiciat, aliaque plura in eandem sententiam. Hinc ergo oritur gravis quæstio: An non liceat renuntiare curæ pastorali, et sese subducere turbis et negotiis, ad quietius vacandum Deo et saluti propriæ? Augent quæstionis difficultatem tam multa sanctorum virorum exempla, quos id fecisse novimus. Inter minores quidem prælatos plurimi fuerunt, sed nec pauci episcoporum, cardinalium, imo et pontificum nonnulli. Bruno III comes de Altena, Coloniensis præsul, abdicato pontificatu, ad monasterium Veteris-Montis ordinis Cisterciensis secessit anno 1119. Eskilus Lundensis in Dania archiepiscopus, in Clara-Valle vitæ se privatæ dedit. Petrus Damiani ex monacho Benedictino cardinalis et episcopus Ostiensis, postquam pro ratione officii et dignitatis causam Ecclesiæ annis aliquot strenue et mira constantia gessisset, amore solitudinis et quietis in cellam reversus, vitam cum fratribus in tranquillitate deinceps exegit: sed redargutus a summo pontifice, cur publicam curam saluti privatæ, vir utilis et idoneus posthaberet. De quo illud memorabile, quod injunctam ob repudiatum episcopatum a pontifice centum annorum poenitentiam (qua nempe jubebatur in dies ad Psalmi L recitationem disciplinam facere, idque centum annis, si tot viveret) unius anni spatio, integrum compleverit. Ita alias legisse memini. Vide Operum ejus tomum I, epist. 10; seu, juxta novam editionem, tomum III, Opusc. 20, ad Alexandrum ponti-

autem seu coacta licentia, licentia non est, sed violentia. Quod ergo tua importanitate victus **91** episcopus fecit invitus, non fuit absolvere, sed abrumperere.

3. Congratulor quidem tibi, quod sis exoneratus : sed vereor ne Deus a te, quantum in te est, exonoratus sit; cujus procul dubio ordinationi resistis, dum promotus ab illo tu te dejicis. Quod si excusans paupertatis præteritis necessitatem; necessitas parit coronam : si difficultatem, si impossibilitatem; omnia possible sunt credenti. Sed responde quod verius est, quia scilicet placuit tibi magis quies tua, quam utilitas aliena. Nec mirum : placet fateor et mihi, quod hæc quies placeat tibi, si tamen non nimis. Quodcumque autem bonum ita placet, ut si recte fieri non possit, placeat tamen fieri eo etiam modo quo fas non est, nimis est : ac per hoc jam quia bene non fit, non est bonum. Scriptum est enim : *Si recte offers, et non recte dividis, peccasti* (Gen. iv, 7, sec. LXX). Aut ergo oportuit te gregem dominicum minime servandum suscipere, aut susceptum nequaquam relinquere, juxta illud : *Alligatus es uxori? noli quærere solutionem* (I Cor. vii, 27).

4. Sed ad quid nitor his ratiocinationibus? Nunquid suadeo tibi redire ad onus regiminis, cum jam non pateat locus recuperationis? aut desperare te intendo, quasi qui te tali ligaveris culpa, quam jam solvere non possis? Absit! sed tantum nolo te illud, tanquam nullum vel parvum malum, negligere; imo semper timere, semper poenitere, semper securum non esse, sicut scriptum est : *Beatus homo qui semper est pavidus* (Prov. xxviii, 14). Vides certe quem timorem tibi incutere nitor, non qui tibi sit laqueus desperationis, sed qui spem acquirat beatitudinis. Est siquidem timor inutilis, tristis, crudelis, qui veniam, quia non quærit, non consequitur. Est et timor pius, humilis, fructuosus, qui cuilibet, quantumlibet peccatori, facile misericordiam promeretur. Talis timor generat, nutrit, et servat humilitatem, sed mansuetudinem, sed patientiam, sed longanimitatem. Quem non delectet tam inclyta proles? Alterius vero misera soboles est pertinacia, immoderata tristitia, rancor, horror, contemptus et desperatio. Non hoc ergo qui desperationem, sed illo qui generat spem, timens ne non timeres, vel parum timeres, tuam tibi culpam sic memorandam esse putavi.

5. Est etiam adhuc, quod magis timeo tibi, ne forte, sicut de quibusdam scriptum est, quod *lætantur*

*tur cum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis* (Prov. ii, 14); tu quoque deceptus, non solum hoc putes culpam non esse, sed insuper (quod absit) in corde tuo glorieris, te magnum aliquid, et quod a paucis solet fieri, fecisse : dum qui emancipatus etiam aliis præeras, contemnens prælationem rursus subdi prælato malueris. Falsa humilitas, veram inducens superbiam in cor talia cogitantis. Quid namque superbius, quam spontanæ et tanquam liberæ ascribere voluntati, quod vel cogit necessitatis vis, vel pusillanimitatis infirmitas? Quod si nec labore victus, nec necessitate compulsus, sed volens hoc fecisti; nihil hoc quoque superbius. Dei quippe consilio tuum prætulisti, magis eligens tibi quiescere, quam ejus operi deservire, ad quod te ipse assumpsit. Si ergo unde Deum contempsisti, inde ad majorem ejus gloriaris contemptum, non est bona gloriatio tua. Sed cave gloriationem, tollé et securitatem : quatenus utiliter semper sollicitus sis, semper humiliter pavidus, non illo scilicet timore, qui, sicut jam dixi, provocat iram, sed illo qui mitigat.

6. Qui horribilis timor si quando terrendo tuum pulsaverit animum, tacite suggerens tuum obsequium Deo esse non posse acceptum, et quod tua sit infructuosa poenitentia, quia videlicet unde Deus a te offensus est, per te emendari non potest : ne ad momentum quidem recipias, sed fidenter responde et dic, Male quidem egi, sed factum est, et jam non potest non fieri. Quis scit si hoc mihi Deus expedire providerit, et de malo meo ipse qui bonus est, bonum mihi operari voluerit? Malum ergo puniat quod ego feci, **92** bonum autem maneat quod ipse providit. Nostris quippe inordinatis seu voluntatibus, seu actionibus novit bonitas Dei uti, semper quidem recte in sui ordinis pulchritudinem; sæpe etiam pie in nostram utilitatem. O clementissima circa filios Adam divinæ pietatis recordatio! quæ sua non desinit largiri beneficia, non solum ubi nullum invenit meritum, sed plerumque etiam ubi totum videt contrarium. Sed ad te redeamus. Secundum ergo duos timores qui supra distincti sunt, volo te timere, et non timere; præsumere, et non præsumere. Timere, ut poeniteas; non timere, ut præsumas : porro præsumere, ne diffidas; non præsumere, ne torpescas.

7. Agnosce, frater, quantum de te confisus sum, qui te tam acriter increpare; tuum factum, nec mihi satis probatum, tam audacter dijudicare non dubitaverim, cum id forsitan rationabilius a te actum fuerit, quam mihi hucusque notum sit. Neque

ficem et Hildebrandum cardinalem qui postea factus pontifex nomine Gregor. VII, ubi se purgat ob dimissum episcopatum, et factum suum, improbatum a pontifice et cardinali, plurimis adductis exemplis tuetur. Sed si legibus potius quam exemplis judicandum est, uti jurisconsultus ait, vide Augustinum, epist. 84, ad Eudoxium; Liberium papam, epist. ad omnes episcopos: Leonem I; epist. 52, ad Rusticum Narbonensem; Innocentium III, ad episcopum Arelatensem, et de Regular. cap. *Licet*; Bellarmianum, ad Henricum a Lotharingia episcopum.

Viridunensem; S. Gregorium; De cura past. lib. i, cap. 5 sqq. Petrum Blesensem, epist. 44 et 401, S. Thomam, 2-2, q. 85; Gillebertum de Hoylandia, elegantissima epistola ad Ogerium (an forte eundem, ad quem est præsens Bernardi epistola? certe utriusque epistolæ et inscriptione et argumento conveniunt) quam habes hic tomo V. Item vide Tubas nostras disciplinæ eccles. pag. 521; Glandium Espenæum, lib. iii Digress. in Epistola I ad Timotheum.

enim tu in tuis litteris fortasse rationes omnes illas, quibus excusari posset hoc factum, ponere voluisti, vel propter tuam humilitatem, vel propter litterarum brevitatem. De re ergo quam plene non novi, suspensam relinquens sententiam, unum quod fecisti irrefractabiliter laudo, quod videlicet deposito jugo regiminis, sine jugo tamen esse noluisti: sed amicam repetens disciplinam, de magistro fieri denuo discipulus non erubuisti. Nam cum pastoralis vinculo solutus esses tui remanere juris: siquidem promotio abbatis, emancipatio filii est (263): tu tamen hac potestate tui non utens, sicut aliis dominari renueras, sic tibi quoque præesse timuisti: quique ut magister esses aliorum, minus te iudicabas idoneum; nec te quidem tibi credens, tuus fieri discipulus contempsisti. Et merito: quia qui se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum subdit (264). Et quidem quid alii de se sentiant, ignoro: ego de me expertus sum [al. sentio] quod dico: et facilius imperare, et securius possum præesse aliis multis, quam soli mihi. Prudens ergo humilitas humilisque prudentia fuit, quod nequaquam credens ad salutem te posse sufficere tibi, alieno potius arbitrio deinceps vivere proposuisti.

8. Laudo etiam, quod non novum vel magistrum, vel locum requisisti, sed ad claustum de quo exieras, et ad patrem sub quo profeceras, familiariter redisti. Rectius quippe fuit ut domus quæ te nutrierat, sed pro fraterna charitate dimiserat, excupatum reciperet, quam de ejus desolatione aliena gauderet. Quod tamen in hoc episcopi licentiam non habueris, nolo ut negligenter ducas: sed aut per te, aut per mediam personam, quantum in te est, satisfacere non differas. Post hæc conversare simpliciter inter fratres, devotus Deo, magistro subditus, senioribus obediens, junioribus contemperans [al. obtemperans]. Angelis placens, verbo utilis, humilis corde, mansuetus ad omnes. Cave autem, ne, quia olim in honore positus fuisti, etiam nunc te putes præ cæteris honorandum: sed magis humilem omnibus exhibeas, tanquam de cæteris unum. Nec enim dignum est ut inde exigas honorem, unde refugis laborem.

9. Potest hinc etiam nasci aliud periculum, ad quod te præmonitum et præmunitum esse volo. Nam sicut omnes ita mutabiles sumus, ut plerumque quod heri volebamus, hodie recusemus; et quod

hodie nolumus, cras desideremus: sic quandoque diabolo suggerente poterit contingere, ut ex memoria relictis honoris tui animus pulset cupiditas; ita ut omnia quæ viriliter contempsisti, pueriliter desiderare incipias. Dulcescent animo quæ prius amara fuerunt, sublimitas loci, domus cura, rerum dispensatio, obsequia famulorum, libertas tui, potestas in alios; in tantum ut prope reliquisse te pœniteat, quod prius tenere gravabat: cui pessimæ tentationi si vel ad horam (quod absit) assensum præbueris, non mediocre damnum incurres tuæ conversationis.

10. En tota illius elegantissimi et eloquentissimi **93** doctoris sapientia, a quo doceri de tam longinquo postulasti: en illud expectatum ac desideratum eulogium, quod audire tantopere studuisti: hæc summa nostræ eruditionis. An adhuc aliquid magnum exspectas? totum audisti. Quid amplius requiris? exhaustus est fons, et tu quæris aquam in sicco? Exemplo illius evangelicæ viduæ, de paupertate mea totum quod habui, misi (Luc. xxi, 2-4). Quid verècundaris? quid vultum dimittis? Tu me coegisti. Sermonem quæsisisti; sermonem habes. Sermonem, inquam, habes jam satis longum, sed mutum; verbis plenum, sensibus vacuum: non quo, ut petieras, in corde tua charitas ordinetur, sed quo mea inscitia publicetur. Nam unde jam poterit excusari? Possem forsitan dicere, quod febre tertiana laborans, quod pro officio meo curis occupatus hæc dictaverim, cum scriptum sit: *Sapientiam scribe in otio* (Eccli. xxxviii, 25). Sed hæc recte prætenderem, si grande aliquod atque operosum opus aggressus fuisset. Nunc autem in tantillo opusculo, ut occasionibus me non exousem, nihil horum certius prætendere possum, quam, ut sæpe jam dixi, scientiæ paupertatem.

11. Sed habeo nonnullam meæ confusionis consolationem. Nam etsi non feci ut petieras, si non misi quod speraveras; agnoscis certe quia volui. Sufficiet autem voluntas, ubi deesse vides facultatem explendi. Denique etsi tibi nullam conferat utilitatem, vel mihi proficiet ad humilitatem. Stultus quippe dum non loquitur, sapiens putatur (Prov. xvii, 28): nam quod non loquitur, non sensus inopia, sed humilitatis esse custodia creditur. Ego itaque si adhuc siluissem, sapiens dicerer, sed non essem. Nunc autem alii insipientem me ridebunt, alii subsannabunt

(263) Nimirum qui ex monacho fit abbas, eximitur a jure et subjectione sui abbatis.

(264) Argutum et sapiens sancti Bernardi dictum. Nam *φιλοτιμία* seu amor sui ipsius, magnus errorum artifex, in causis propriis fere mentem et oculos homini surripit: facitque adeo illum stultescere, et verum de rebus iudicium amittere, ita ut qui aliis non raro recte norunt consulere, in propriis foede cæcutiant, imo desipiant, seseque misere decipiant. Porro in via vite spiritualis seu religiosæ sine duce velle procedere, res plena discriminis est, ut passim sancti Patres et ascetici scriptores ostendunt. Adi August. Prol. lib. De doctrina Christ. Basil. Constit. Mon. cap. 23, et Quæst. Brev. n. 301; Gregor.

Nyssen. lib. De Virg. Hieron. epist. 4, ad Rusticum; Greg. Magn. lib. 1 Dial. cap. 4, et lib. 11, in librum 1 Reg. Cassianum, Collat. 2, capp. 11, 15; S. Dorothei. Serm. 5; Vincent. Ferrer. tract. De Vita spir. cap. 4; Turrecrem. tract. 9 in Reg. S. Benedicti; S. Bonav. lib. De Sex Alis; Alphons. Rodrig. in p. Exercit. tract. 7, cap. 24; Ludov. de Ponte, p. 11. Duc. spir. tract. 4, cap. 2, et p. 1, De Perf. Chr. tract. 2, cap. 9; Rossignol, De Discipl. Perf. lib. 1, cap. 1; Hier. Plat. De Bon. Stat. rel. lib. 1, cap. 24; Jacob. Alv. de Paz. De Vita spir. tomo 1, lib. v, capp. 12, 13; denique Julium Nigron. in Tract. ascet. tract. 1.

idiotam, alii præsumptori indignabuntur. Putasne parum, hoc mihi conferat religionis emolumentum, cum humilitas, ad quam utique ducit humiliatio, totius sit spiritualis fabricæ fundamentum? Siquidem humiliatio via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam. Si virtutem appetis humilitatis, viam non refugas humiliationis. Nam si non pateris humiliari, non poteris ad humilitatem provehi. Prodest itaque mihi meam insipientiam sciri, et a scientibus [al., sapientibus] jure confundi, cui sæpe contigit a nescientibus injuste laudari. Terret me Apostolus, qui et ipse territus dicit: *Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me (II Cor. xii, 6)*. Quam pulchre dixit, parco. Non parcat sibi arrogans, non parcat sibi superbus, non cupidus vanæ gloriæ, et jactator actuum suorum, qui vel sibi arrogat quod est, vel mentitur de se quod non est. Solus qui vere humilis est, parcat animæ suæ: qui ne putetur, quod non est, semper quantum in se est, vult nesciri quod est.

12. Grande revera periculum, audire quemquam de se supra quam sentit in se. Quis dabit mihi apud homines tantum de veris digne humiliari, quantum vel de falsis datum est indigne exaltari? Illam mihi vocem propheticam jure assumerem: *Exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus (Psal. lxxxvii, 16)*; et illud: *Ludam, et vilior fiam (II Reg. vi, 22)*. Ludam scilicet ut illudar. Bonus ludus, quo Michol irascitur, et Deus delectatur. Bonus ludus, qui hominibus quidem ridiculum, sed Angelis pulcherrimum spectaculum præbet. Bonus, inquam, ludus, quo efficiuntur opprobrium abundantibus, et despectio superbis. Nam revera quid aliud sæcularibus quam ludere videmur, cum, quod ipsi appetunt in hoc sæculo, nos per contrarium fugimus; et quod ipsi fugiunt, nos appetimus? More scilicet jocularum et saltatorum, qui capite misso deorsum, pedibusque sursum erectis, præter humanum usum stant manibus vel incedunt, et sic in se omnium oculos designant. Non est hic ludus puerilis, non est de theatro, qui femineis fœdisque anfractibus provocet libidinem, actus sordidos repræsentet: sed est ludus jucundus, honestus, gravis, spectabilis, qui cœlestium spectatorum delectare possit aspectus. Hoc casto et religioso ludo ludebat qui dicebat: *Spectaculum facti sumus Angelis et hominibus (I Cor. iv, 9)*. Hoc ludo et nos interim 94 ludamus, ut illudamur, confundamur, humiliemur, donec veniat qui potentes deponit, et exaltat humiles; qui nos lætificet, glorificet, in æternum exaltet.

## EPISTOLA LXXXVIII (265)

## AD EUMDEM.

*Se multis occupationibus impeditum, hactenus non potuisse votis ejus satisfacere; cogique etiam modo parcius scribere. Opusculum quoddam suum edi in publicum vetat, nisi recognitum.*

1 Omitto nunc imperitiam meam, taceo profes-

(265) Scripta circa annum 1127.

sionis humilitatem, seu humilitatis professionem, nec jam obtendo vel loci, vel nominis mei non dico abjectionem, sed mediocritatem: quia quidquid tale dixerō, tu hoc non necessariam excusationem, sed dilatoriam occasionem nominabis, qui meam, ut mihi videbatur, justam verecundiam, pro tuo libitu nunc indiscretionem, nunc falsam humilitatem, nunc etiam veram superbiam interpretaris. Horum itaque, quia tibi in dubium venire possunt, nihil assero. Illud autem simpliciter tuæ dilectioni intimo, quod indubitanter te credere volo: toto scilicet hoc tempore, ex quo tuus nuntius, non is, sed alius recessit a me, nullum mihi omnino fuisse otium ad id quod poscis idoneum, tum propter dierum malitiam, tum propter noctium brevitatem. Sed et nunc quoque ita me novissimæ tuæ litteræ occupatissimum invenerunt, ut ipsas etiam occupationem causas pro mei excusatione longum fuerit mihi scribere tibi. Vix quippe illas tuas inter prandendum (nam illa hora mihi primum redditæ sunt) perlegere potui. Vix has meas quantulascunque furtim, raptim, anticipatis horis, breviter succineteque rescripsi. Quarum quidem brevitatem an æquo animo feras, tu videris.

2. Ego enim, ut verum fatear, propter te, mi Ogeri, ipsis curis meis compellor irasci, quanquam in his teste conscientia, soli charitati cupiam deservire: cujus profecto imperio, quia sapientibus et insipientibus debitor sum, ipsa sola facere potuit, ut necdum tibi potuerim satisfacere. Quid ergo? Charitas tibi denegat quod tu petis ex charitate? Petisti, quæstisti, pulsasti; et charitas te frustrata est. Quid mihi indignaris? Si vis, si audes, irascere charitati. De qua namque præsumis impetrare quod postulas, ipsa prohibente fit ne impetres. Et ecce jam longum causatur sermonem, et tibi indignatur qui cogis. Non quod sibi displiceat zelus quo id facis; quippe quem et ipsa donavit tibi: sed vult te illum habere secundum scientiam, ut cautus sis majora minoribus non impedire. Vides quam invitus avellor a longiori epistola, dum ductus delectatione tibi colloquendi, et desiderio satisfaciendi, dominæ charitati molestus fio, qua jamdudum imperante finem fieri, necdum taceo. O quam lata in tuis litteris patet materia respondendi. Quod si digne licuisset ut libuisset, et tibi forsitan satis esset et mihi. Sed quæ aliud præcipit, domina est, imo dominus est. Deus enim charitas est (I Joan. iv, 16): et satis agit pro imperio, quatenus debeam potius obtemperare sibi, quam vel mihi, vel tibi. Et quoniam oportet charitati Deo magis obedire quam hominibus; nolens dolensque, non quidem nego quod postulas, sed interim differo: ne dum tuæ cupio humiliter satisfacere voluntati, sub prætextu falsæ humilitatis per veram superbiam, arcem tantæ potestatis, quæ, te veraciter attestante, etiam Angelis imperat in cœlis, terrenus vermiculus in terris videar impugnare.

3. Libellum quem quæris, ipse quoque antequam tuus nuntius ad nos veniret, ab eo cui commenda-  
veram, requisivi : sed necdum recepi. Dabo autem  
operam ut vel cum veneris, si tamen unquam ali-  
quando veneris, illum invenias, videas, et legas;  
non autem transcribas. Nam illum alium quem te  
significas transcripsisse, ego quidem legendum tibi  
miseram, non transcribendum : videris tu, qua vel  
quorum utilitate transcripseris. Quod autem te mit-  
tentē eum nunc habet abbas de **95** Sancto-Theo-  
derico, ego quidem non jusseram (266), nec tamen  
displicet mihi. Utquid enim libellus meus oculos ejus  
formidaret, cui se videndum animus quoque meus  
totum, si posset, expanderet? Sed heu! in quanta  
sermonis angustia mentio se ingressit de tali viro,  
ne liceat, ut dignum erat, in tam dulcissima nobis  
memoria aliquandiu immorari, quando jamjamque  
desiderat epistola finem? Obsecro te ne graveris  
opportunitatem quærerere quomodo ad eum pergas,  
prædictumque opusculum non prius cuiquam scri-  
bendum vel legendum exponas, quam cum eo totum  
pervideas; pariterque conferatis, et corrigatis quæ  
corrigenda sunt, ut in ore duorum testium stet  
omne verbum. Et tunc demum an passim cuilibet,  
an paucis tantum, an vel cuiquam, an forte etiam  
nulli expediat demonstrari : et si illa quoque præfa-  
tiuncula (267), quam de nostris aliis litteris eidem  
coaptasti, apte sedeat, an vero aptior quæri debeat,  
vestro utriusque iudicio derelinquo.

4. Sed jam pene mihi exciderat quod in principio  
epistolæ tuæ questus es, quod te arguerim menda-  
cii. Hoc aliquando me locutum fuisse, non satis re-  
colo. Si quid tamen fuerit (nam magis me oblitum,  
quam tuum nuntium mentitum crediderim), jocando  
potius quam serio dictum fuisse non dubites. Egone  
levitate te usum putaverim, aut apud te esse Est et  
Non? Absit a me hæc suscipio de te, qui iugo veri-  
tatis beatus quod portas ab adolescentia, lascivos  
annos morum superas gravitate! Nec tam simplex  
sum, ut simplicem oris prolationem sine cordis dupli-  
citate mendacium putem : nec tam incuriosus tui,

(266) Opusculum istud procul dubio non aliud est,  
quam Apologia ad Guillelmum abbatem, quam  
Ogerius expectabat urgebatque apud Claram-Vallem,  
dum eam Bernardus perficiebat, ut patet ex ultimis  
ejusdem Apologiæ verbis. Sed cum eam necdum  
accurate descriptam ante discessum obtinere po-  
tuisset Ogerius, eam postea a Bernardo missam  
accepit examinandam, atque eo inconsulto commu-  
nicavit Guillelmo abbati, cui inscripta est, quam  
Bernardus emendatam ipse transmissurus erat.

(267) Præfatiuncula hæc epistola est ad eundem  
Guillelmum; quæ inter Bernardinas censeri solet,  
ordine octogesima quinta, in capite Apologiæ relata.

(268) Scripta circa annum 1127.

(269) Hæc epistola gravibus verbis significat vir  
sanctus, quam sit alienus a litteris ad amicos minus  
utilibus et necessariis scribendi, quod id fiat cum  
jactura temporis et otii, gravioribus magisque san-  
ctis negotiis tribuendi; item silentii, quod religiosis  
incumbit; denique quietis et tranquillitatis internæ,  
cujus dispendium adfert illa scribendi cura et occu-

ut oblitus sim, vel quod jamdudum conceperis in  
affectu, vel quid ab effectu impedierit.

### EPISTOLA LXXXIX (268).

AD EUMDEM.

*Scriptio brevitatem excusat protextu sacri tem-  
poris, cui potius silentium competat: item profes-  
sionis et ruditalis, ut docendi munus usurpare non  
audeat.*

1. Indignaris forsitan, vel, ut temperantius dicam,  
miraris, quod pro longiori epistola, quam a nobis  
speraveras, tam brevem chartulam receperis. Sed  
memento juxta virum Sapientem, omnia sub cælo  
tempus habere : et tempus quidem loquendi, et  
tempus esse tacendi (*Eccle. iii, 1, 7*). Quando au-  
tem suum tempus silentium habebit, si hos etiam  
sacros dies Quadragesimæ nostra sibi vindicat con-  
fabulatio? Eaque ipsa tanto occupatior, quanto  
laboriosior; dum non quidem præsentēs alter-  
utrum dicere leviter valemus quæ volumus, sed  
absentibus necesse est nobis invicem diligenter  
dictare, quæ vel pelimus ab invicem, vel peti-  
mur. Dum vero absens cogito, dictito, scriptito,  
mittoque quod præsens legas; rogo ubi otium, ubi  
silentii quies (269)? Sed hæc, inquires, omnia facere  
potes in silentio. Mirum si ex sententia hoc respon-  
deas. Quantus enim tumultus est in mente dictan-  
tium, ubi multitudo perstrepat dictionum, ubi ora-  
tionum varietas et diversitas sensuum concurrat:  
ubi sæpe respuitur quod occurrit, et requiritur  
quod excidit: ubi quid pulchrius secundum litte-  
ram, quid consequentius juxta sententiam, quid  
planius propter intelligentiam, quid utilius ad con-  
scientiam, quid denique, cui, vel post, vel ante po-  
natur, intentissime attenditur; multaque alia quæ  
a doctis in hujusmodi curiosius observantur? Et tu  
in hoc mihi dices esse quietem? tu hoc, etiamsi  
lingua sileat, silentium nominabis?

2. Quanquam non solum temporis, sed nec meæ  
**96** professionis est, huic rei operam dare quam  
postulas, nec possibilitatis adimplere quod optas.  
Siquidem vel monachi quod esse videor, vel pecca-

patio. Loquitur Bernardus de officio et vocatione  
monachi secundum se. Nam monachus, quatenus  
talis, non vocatur ad prædicandum et docendum;  
sed ad vacandum in solitudine Deo et salutem propriam,  
per meditationes et virtutum exercitia. Unde epi-  
stola 42 (habetur tomo II inter Tractatus) ait S. Ber-  
nardus « Labor et latebræ et voluntaria paupertas,  
hæc sunt monachorum insignia; hæc vitam solent  
nobilitare monasticam. » Quapropter ne fortassis  
temere et imprudenter inertes, si qui tales alicubi  
latitant monachi, auctoritate sancti Patris abutantur  
ad fomentum ignaviae suæ, quasi studia litterarum  
et scientiam improbet in monachis, audiant hi  
ipsum alibi tales manifeste redarguentem. « Videar  
forsitan, » inquit, « nimis in suggillatione scientiæ,  
et quasi reprehendere doctos, ac prohibere studia  
litterarum. Absit! Non ignoro quantum Ecclesiæ  
profuerint et prosint litterati sui, sive ad refellendos  
eos qui ex adverso sunt, sive ad simplices instru-  
endos, » etc., ejusdem sermonis, quæ legisse juvabit  
serm. 36 in Cantica, n. 2.

toris quod sum, officium non est docere, sed lugere. A Indoctus quoque (quod et vere me fateor esse) si præsumat docere quod nescit, nihil indoctius agit. Docere itaque nec indocto est in promptu, nec monacho in ausu, nec pœnitenti in affectu. Sed et propter hoc elongavi fugiens, et maneo in solitudine, et cum propheta proposui custodire *vias meas, ut non delinquam in lingua mea* (Psal. xxxviii, 2), quoniam juxta eundem Prophetam: *Vir linguosus non dirigitur super terram* (Psal. cxxxix, 12); et secundum aliam scripturam: *Mors et vita in manibus linguæ* (Prov. xviii, 21). Silentium autem, dicente Isaia, *cultus justitiæ est* (Isa. xxxii, 17); et, *Bonum est, ut docet Jeremias, expectare salutare Dei cum silentio* (Thren. iii, 26). Ad hunc ergo justitiæ cultum, hanc omnium virtutum matrem, nutri-

cem, custodem, ne penitus videar negare quod petisti; et te, et quicumque tuis similes proficere cupiunt in virtutibus, invito et provoco, etsi non verbo doctrinæ, certe mei silentii exemplo, ut vel silendo doceam te silere, qui loquendo compellis me docere quod nescio.

3. Sed quid ego facio? Mirum si non rides, quod ego qui multiloquium tantopere damnare videor, in tam multa verba tam loquaciter jam progredior; et dum cupio tibi commendare silentium, contra silentium per multiloquium pugno. Guerricum nostrum (270), de cujus conversatione et pœnitentia consolari desideras, quantum ex fructibus ejus perpendimus, noveris Deo digne conversari, dignosque pœnitentiæ facere fructus. Libellum autem, quem a me exigis, penes me modo non habeo. Quidam enim amicus noster eodem zelo, quo tu flagitas, diu est quod apud se illum detinet. Sed ne tuæ pietatis [al., benignitatis] petitionem abire patiar omnino frustratam, alium nuper a me editum, in Laudibus Virginis matris (271), tibi transmitto: quem, quia ejus exemplar non teneo, rogo ut quantocius ad me remittas; vel, si maturius adveneris, ipse deferas tecum.

#### EPISTOLA XC (272).

AD EUMDEM.

*Amori sincero non opus esse prolixis litteris, aut multis verbis: sequere e valetudine propemodum desperata convalescere.*

1. Breves brevibus reddidi litteras, occasionem utique breviter rescribendi de tuarum brevitate libenter accipiens. Et vere quid juvat veras, et, ut veraciter loqueris, æternas amicitias vanis atque transitoriis jactitare verbulis? Quantalibet versuum diversitate, verborum multiplicitate, scriptorum varietate tuam mihi charitatem ostentare seu commendare coneris, minus certe sentio te exprimere

(270) Guerricus iste anno 1158 factus est abbas Igniacensis, cujus sermones in tomo sexto. De eodem rursus in epistola sequente.

(271) Sic inscribit Homilias super *Missus est*.

(272) Scripta circa annum 1227.

(273) Hujusmodi scriptitationes devotioni et orationi impedimento esse dicit in epistola præfixa

quam diligis, idemque tu de me sentiendo non falleris. Cum tuæ litteræ in manus nostras venerunt, te in corde nostro qui eas miseris, invenerunt. Has quoque nostras nec me sine te scribere certus sum, nec te sine me confido lecturum. Laboramus quidem uterque ad alterutrum scriptitando, fatigantur et nuntii alterius ad alterum scripta portando: sed nunquid spiritus gravantur amando? Cessent igitur quæ absque labore non possunt acitari; et illud frequentetur, quod quanto attentius satagitur, tanto minus constat laborari. Quiescant, inquam, a dictando ingenia, labia a confabulando, a scribendo digiti, a discurrendo nuntii (273): non autem quiescant corda die ac 97 nocte meditari in lege Domini, quæ est charitas. A quo negotio quanto quietiores sumus, tanto minus quiescimus: quantoque occupatiores sumus in illo, tanto nos quietiores sentimus ex illo. Amemus, et amemur; in altero nobis, in altero nostris consulentes. Nam quos amamus, in ipsis profecto requiescimus; a quibus autem amamur, ipsis nos in nobis requiem paramus. Porro amare in Deo, charitatem habere est: studere vero propter Deum amari, charitati servire est.

2. Sed quid ego facio? Ego promissor brevitatis, jam tenebor prolixitatis exhibitor. Si de fratre Guerrico desideras, imo quia desideras scire, sic currit non quasi in incertum, sic pugnat non quasi aerem verberans. Sed quoniam scit neque pugnantis esse, neque currentis, sed miserentis Dei; ipsum rogat a te orari pro se, quatenus qui jam donavit ei et pugnare et currere, det et vincere et pervenire. Abbatem vestrum mihi, non tantum propter te, sed et propter suam bonam famam charissimum, corde meo et ore tuo saluto, gratantissime eum visurus illo et tempore et loco quo promisisti. Notifico etiam tibi, quod et nunc paulisper aggravata manu Domini super me, impulsus eversus sum ut caderem, ita ut securi ad radicem infructuosæ arboris corporis mei apposita, jamjamque succidi metuerem: cum ecce tuis cæterorumque amicorum nostrorum orationibus et hac vice pius Dominus pepercit mihi, sub spe tamen promissi fructus in futuro.

#### EPISTOLA XCI.

AD ABBATES SUESSIONE CONGREGATOS (274).

*Abbatibus excitat ad strenue curandum negotium, cujus causa convenerunt. Studium profectus serio commendat: nil morandum, si tepidi quidam et dissoluti forsitan detrectent et obmurmurent.*

Reverendis abbatibus apud Suessionem in nomine Domini congregatis, servus sanctitatis eorum

Apologiæ ad Guillelmum abbatem, et supra in epistola 89.

(274) Scripta circa annum 1150. — Hoc unum est ex primis capitulis generalibus nigrorum, ut vocant, monachorum ex provincia Remensi. Causa ejus et occasio videtur Apologia Bernardi ad Willelmum, qui auctor fuerit, Cluniacensium et Cisterciensium



frater BERNARDUS abbas dictus de Clara-Valle, quæ A patres mei (*III Reg. xix, 4*): et non dixit se nolle recta sunt videre, constituere, et tenere.

1. Irascor occupationibus meis, quibus impediatur interesse conventui vestro, corpore tamen duntaxat. Nam spiritum nec spatia terrarum, nec turba curarum absentare queunt: quippe orantem pro vobis, congratulantem vobis, atque in vobis quiescentem. Non me, inquam, sanctorum potest carere conventus, nec loci corporisve distantia privat prorsus a consilio justorum et congregatione: illo præsertim consilio, in quo non hominum traditiones (275) obstinatius defensantur, aut supersticiosius observantur; sed diligenter humiliterque inquiritur, quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta. Illic toto desiderio feror, devotione immoror, condelector amore, inhæreo consensu, æmulatione B persisto.

2. Ne ergo in vacuum vos (quod absit) convenisse subsannent qui dicunt vobis, Euge! euge! contendite, obsecro, bonas facere vias vestras et studia vestra, quæ profecto nimis bona esse non possunt. Esto quod possis nimium fortassis esse justus, possis et nimium sapiens: sed plane bonus ultra modum esse non potes. Et quidem lego: *Noli esse nimium justus (Eccle. vii, 17)*; lego: *Non plus sapere quam oportet sapere (Rom. xii, 3)*: nunquid autem, aut, Ne sis nimium bonus; aut, Non plus bonus quam oportet? Nemo esse bonus plus quam oportet potest. Bonus 98 erat jam Paulus; et tamen nequaquam contentus, libenter se ad ea quæ ante sunt, extendebat, posteriora obliviscens (*Philipp. iii, 13*), et se ipso semper melior effici studens. Solus Deus melior se ipso esse idcirco non vult, quia non valet.

3. Recedant a me et a vobis qui dicunt: Nolumus esse meliores quam patres nostri, tepidorum et dissolutorum, se filios protestantes. Quorum memoria in maledictione est, quia manducaverunt uvas acerbis, quibus dentes filiorum obstupuerunt. Aut si sanctis et bonæ memoriæ patribus gloriantur; imitentur certe sanctitatem, quorum indulgentias dispensationesque pro lege defendunt. Quamquam sanctus Elias, *Non sum, inquit, melior quam*

exemplo, convocandi hunc cœtum, ut regulari observantiæ labenti succurreretur. Habitum est indubie apud Sanctum-Medardum sub abbate Gaufrido, ad quem epistola 66. Hunc jam episcopum Catalaunensem Petrus Venerabilis in libri ii epistola 43 laudat, veluti « Cluniacensis, divini Ordinis per totam Franciam primum disseminatorem, auctorem, prorectorem, » imo « inveterati draconis de tot monasteriorum cubilibus expulsorem, et monastici corporis excitatorem: » quæ verba huc forsitan referenda. Innocentius II ejusmodi capitula generalia per nigros monachos quotannis in posterum fieri voluit, ut constat ex epistola 480, infra, in append. ad epistolas.

(275) Hoc loco hominum traditiones appellantur indulgentiæ et relaxationes vitæ regularis, de quibus infra, et in epistola 151, n. 1.

(276) Scripta anno Christi 1132.

(277) Quid Bernardus hoc loquendi genere innuat, prædit historia originis Fontanensis monasterii his

verbis: « Bernardus abbas Claræ-Vallensis missis expeditionis suæ militibus, jam finitimas occupaverat regiones, claros agens de hoste antiquo triumphos, eripiens prædam, et restituens Regi suo. Hic instinctu divino de nobili sui Claræ-Vallensi vinea quamdam bonæ spei plantationem ad Anglicanas partes direxerat, fructum in illa gente quærens, sicut ubique terrarum. Exstat adhuc eadem epistola, quam pro eis ad regem scripserat, asserens teneri prædam Domini sui in terra illius, misisse de militia sua viros strenuos, qui eam requirant, recuperent, et reducant. Suadet regi ut nuntiis assistat, et in hoc ne deserat feodum suum; quod et factum est. Suscepti cum honore a rege et regno, in provincia Eboracensi jaciunt nova fundamenta, constituentes abbatiam quæ Rievallis nominatur. Et hæc prima plantatio Ordinis Cisterciensis in territorio Eboracensi. » Ex monastici Anglicani tomo I, pag. 755. Plura de Henrico hujus nominis primo vide, si lubet, in notis ad epistolam 153.

4. Recedant etiam a me et a vobis qui dicunt bonum malum, et malum bonum. Qui dicunt cultum justitiæ malum, quodnam bonum jam bonum reputaturi sunt? Unum verbum olim locutus est Dominus, et Pharisei scandalizati sunt (*Matth. xv, 12*). At novos nunc Phariseos non verbum, sed silentium scandalizat. In hoc uno certe advertitis, quod occasionem quærunt adversum vos. Sed sinite illos; cæci sunt, duces cæcorum. Intendite saluti parvulorum, non murmuri malevolorum. Non valde illorum vobis curandum est scandalum, qui non sanantur, nisi vos infirmemini. Sed nec ut vestris ipsis omnia in omnibus placeant quæ statuitis, expectandum. Alioquin aut nullum, aut rarum bonum constituitis. Satius vero ipsorum profectibus, quam voluntatibus providetis; fideliusque invitos trahitis ad Deum, quam desideriis cordis eorum relinquitis. Commendo me sanctis orationibus vestris.

#### EPISTOLA XCII (276).

AD HENRICUM REGEM ANGLORUM.

*Monachis a se missis ad construendum monasterium, regis favorem postulat.*

HENRICO illustri Anglorum regi, BERNARDUS abbas dictus de Clara-Valle, cœlorum Regi de terreno regno servire fideliter, et humiliter obedire

In terra vestra tenetur præda Domini mei atque vestri (277), et illa præda, pro qua maluit mori, quam carere illa. Ego eam sequi disposui, et mittere de nostra militia, qui in manu valida, si vobis non displicet, requirant, recuperent et reducant. Et nunc hujus rei gratia præmisi hos quos præsentibus

verbis: « Bernardus abbas Claræ-Vallensis missis expeditionis suæ militibus, jam finitimas occupaverat regiones, claros agens de hoste antiquo triumphos, eripiens prædam, et restituens Regi suo. Hic instinctu divino de nobili sui Claræ-Vallensi vinea quamdam bonæ spei plantationem ad Anglicanas partes direxerat, fructum in illa gente quærens, sicut ubique terrarum. Exstat adhuc eadem epistola, quam pro eis ad regem scripserat, asserens teneri prædam Domini sui in terra illius, misisse de militia sua viros strenuos, qui eam requirant, recuperent, et reducant. Suadet regi ut nuntiis assistat, et in hoc ne deserat feodum suum; quod et factum est. Suscepti cum honore a rege et regno, in provincia Eboracensi jaciunt nova fundamenta, constituentes abbatiam quæ Rievallis nominatur. Et hæc prima plantatio Ordinis Cisterciensis in territorio Eboracensi. » Ex monastici Anglicani tomo I, pag. 755. Plura de Henrico hujus nominis primo vide, si lubet, in notis ad epistolam 153.

cernitis exploratores, qui esse (278) rei indagent sagaciter, renuntientque fideliter. Assisite eis tanquam nuntiis Domini vestri, et in ipsis feudum vestrum deservite (279). Ipse vero ad honorem suum, ad salutem vestram, ad patriæ sospitatem et pacem, letum vos et inclytum perducatur in bonum ac placidum finem.

### 99 EPISTOLA XCIII.

AD HENRICUM WINTONIENSEM EPISCOPUM (280).

*Officiose eum salutat.*

Viro illustri domino HENRICO, Dei gratia Wintoniensi episcopo, BERNARDUS abbas dictus de Clara-Valle, in Domino salutem.

Multorum jam relatione lætabundus accepi, locum gratiæ non infimum humilitatem nostram apud vestram Celsitudinem obtinere. Non sum meritis, sed eo non ingratus. Itaque refero gratiam pro gratia, etsi non condignam, certe quam possum. Nec vereor, quantula sit, oblatam, vel potius relatam a vobis sperni, quam et amanter promereri, et di-

(278) Familiaris Bernardo hæc vox esse ad significandum rei aut hominis statum, in epistolis 118, 304.

(279) Quippe reges et principes sunt tanquam Dei vassalli.

(280) Scripta circa annum 1152. — Henricus, Henrici I Anglorum regis ex sorore nepos, Stephani Angliæ itidem regis frater, atque Stephani comitis Blesensis filius, postmodum episcopus Wintoniensis, in Anglia, ex abbate Glastoniensi, Guillelmo Giffardo suffectus Wintoniæ anno 1128, laudatur ab Anglicis historicis, præterquam ab Henrico Huntindoniensi in Spicilegii tomo VIII, pag. 190, ubi Henrici regis nepos dicitur, « novum quoddam monstrum, scilicet monachus et miles. »

« Mater ejus » (Adela), inquit Guillelmus Neubrigensis, in Historia Angl. libro I, cap. 4, « ne soli sæculo liberos genuisse videretur, apud Cluniacum tonsoravit, » nempe anno 1126, uti diserte refert Historia Glastoniensis (Monastici Anglicani tomo II, pag. 18), eum inter suos abbates connumerans, in qua dicitur « vir quem abundans litteraturæ peritia illustravit, morumque honestas apprime decoravit, cujus industria tanta Glastoniensi ecclesiæ præstitit beneficia, quod ejus ibidem memoria æterna vigebit per sæcula, » etc. De Henrico ad sedem Wintoniensem postea evector sanctus Bernardus conquestus est epistola 257 ad Eugenium scribens: « Quid dicam de domino Wintoniensi? « Opera quæ ipse facit, testimonium perhibent de eo, » nimirum quod præter arces a principibus (ut auctor est Harpsfeldus, sæculo 12, in Henrico) ad convivium invitatis extortas, Guillelmum Eboracensem intrusum consecrasset, teste Rogerio, in Annalibus ad annum 1140, ubi eum Romanæ sedis legatum vocat. Male itaque a Brito et Henriquez inter Cistercienses recensetur, nec rectius ab isto fortasse inter viros sanctitate insignes (Menolog. Cisterc. ad diem 11 Octobris), occasione sumpta ex testimonio Wionis in Ligno vitæ, qui virum prophetiæ spiritu clarum prædicat, quod Henrico nepoti ipsum visitanti mortuus prædixerit castigandum a Deo ob necem sancti Thomæ Cantuariensis, quem ipse consecraverat: quasi ea vox non potuerit esse timentis potius, quam prophetantis, inquit recte Mauricus in Annalibus. Plures ad eum exstant Petri Venerabilis epistolæ, inter alias vero epist. 24 et 25 libri IV ipsum interpellat, ut ad suum Cluniacense monasterium corpus depositurus revertatur, quibus necnon Adriani IV litteris, Ludovici Francorum regis et

agnanter prævenire curastis. Verum modo plura scribere supersedi, donec vestro, si dignum judicatis, agnoscam rescripto, hæc pauca qualiter accipiatis. Quæ autem rescribere vel injungere verbo placuerit, abbati Ogerio (281) committere bene potestis, per quem et hæc nostra recepistis. Pro quo etiam vestram Excellentiam compellamus, quatenus eum et notum ex hoc habeatis, et commendatum, utpote hominem honestate, scientia, religioneque commendabilem.

### EPISTOLA XCIV (282).

AD ABBATEM CUJUSDAM MONASTERII EBORACENSIS (283), UNDE EXIERAT PRIOR CUM ALIQUANTIS FRATRIBUS (284).

1. Consilium expetitis a me litteris transmarinis, quod utinam ab alio potius quæsissetis. Coarctor siquidem e duobus. Si enim non respondero, taciturnitas contemptum quodammodo sonare videbitur. Respondere autem sine periculo me posse non video, cum quidquid respondero, necesse sit aut

Burgundiæ primatum precibus invitatus (ut refert Chesnius in notis ad Bibliothecam Cluniacensem) præmisso per Petrum Venerabilem thesauro suo, absque permissu regis ab Anglia Cluniacum clam appulit anno 1155. Monasterium gravi æris alieni pondere oppressum exoneravit, factis ad septem millia marcarum argenti seu ad quadraginta millia librarum expensis, monachos quadrigenos et amplius Cluniaci degentes pavit; calices quadraginta pro Missis celebrandis, pannumque sericeum magni pretii dedit ecclesiæ, manibusque propriis Petrum Venerabilem Kalendis Januarii anni 1157 defunctum sepelivit. Tandem reversus in sedem suam, non sine magno Cluniacensium luctu diem clausit, quinto Idus Augusti anni 1171.

(281) Ad quem epistola 87 et sequentes.

(282) Scripta anno Christi 1152.

(283) Gaufridum scilicet, abbatem monasterii Sanctæ-Mariæ in diocesi Eboracensi, Ordinis S. Benedicti, quo ex loco monachi duodecim cum Priore egressi, cum ad Cistercienses convolare eis non liceret, confugium fecerunt ad Turstinum archiepiscopum Eboracensem, quem ob præsidium eis impensum laudat Bernardus epistola sequente. Confer epistolam 313, ad eundem Gaufridum.

(284) Ex quo monasterio transierint ad Cistercienses, distincte indicat epistola modo 313, nempe Sanctæ-Mariæ Eboracensis Ordinis S. Benedicti, confirmatque Monasticum Anglicanum, tum in ipsius monasterii Eboracensis, tum præcipue Fontanensis Historia, ex qua hujus, duarumque præcedentium epistolarum argumentum compendiose hic describimus. Abbatia Sanctæ-Mariæ Eboracensis anno 1088 fundata est ab Alano comite, Guidonis comitis Britannicæ filio, in ecclesia sancto Olavo dedicata, Eboraco proxima, cui rex Guillelmus, cognomento Rufus, Sanctæ Mariæ nomen postea dedit. Huc acciti e cœnobio Wittebiensi abbas Stephanus et monachi Benedictini, sub quibus regularis disciplina non sine lenore propagata, circa annum 1152 Gaufrido tertio abbate tantisper languescere cœpit. Spargebat ubique famam tunc temporis Cisterciensis religio, anno 1128 (Waverleiensis monasterio in agro Surregiensi primitias obtinente) in Angliam primo invecata: cujus pia æmulatione adducti quidam illius cœnobii monachi numero duodecim, cum per abbatem suum ad Cistercienses convolare sibi non liceret, Turstinum Eboracensem archiepiscopum in sui propositi patronum implorant. Eg itaque duce anno ab Incarnatione Domini 1152, pridie

scandalum cuiquam generare, aut reddere securum quemquam plus quam oportet, aut certe in quo non oportet. Quod a vobis recesserunt fratres vestri, nec nostro, nec nostrorum factum est, me sciente, consilio vel hortatu. Credimus autem ex Deo fuisse, quod nec tantis potuit dissolvi conatibus. Credimus hoc idem et ipsos sentire fratres, qui nostrum tantopere de se ipsis consilium flagitant, credo remordente eos conscientia quod retro abierint. Alioquin beati sunt secundum Apostolum, si se non iudicant in eo quod probant (*Rom. xiv, 22*). Cæterum quid faciam, ut interrogatus nec silendo, nec respondendo molestus sim cuiquam? Ita fortassis expediar, si misero eos qui me interrogant, ad doctiorem, et cuius reverentior sanctiorque auctoritas sit. Sanctus papa Gregorius in libro Pastoralis: « Quisquis bonum majus subire, » inquit, « proposuit, bonum minus, quod potuit, sibi illicitum fecit. » Ad quod probandum subjicit testimonium de Evangelio, dicens: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno cælorum (Luc. ix, 62)*, et infert: « Qui igitur fortiori studio intenderat, retro respicere convincitur, si relictis bonis amplioribus ad minima retorquetur (*parte III, cap. 28*). » Item ipse in Homilia tertia super Ezechielem: « Sunt nonnulli, qui bona quidem quæ noverunt, operantur, atque hæc operantes meliora deliberant; sed retractantes, meliora quæ deliberaverant, immutant. Et quidem bona agunt quæ cœperant, sed a melioribus quæ deliberaverant, succumbunt. Hi nimirum ante humana judicia stare videntur in opere; sed ante omnipotentis Dei oculos occiderunt in deliberatione. »

2. En speculum. In hoc non vultum nativitatis, **100** sed factum reversionis suæ considerent: hic se discutiant, hic se dijudicent, cogitationibus suis accusantibus sive defendentibus, et quidem apud spirituales qui omnia dijudicat, et ipse a nemine iudicatur. Quidnam vero majus aut minus, superius aut inferius, arctius sive remissius sit, quod videlicet reliquerunt, an ad quod redierunt; ego quidem haud temere definiarim, ipsi viderint. Et hoc illis Gregorius. Tibi vero, pater reverende, tam tuta certitudine, quam auda veritate ego dixerim, omnino non expedire spiritum velle extinguere. *Noli,*

Nonas Octobris, reclamante abbate egressi sunt ex ipso monasterio sacerdotes duodecim cum uno levita, Richardus scilicet Prior; alter Richardus sacrista, alique in prædicta Historia recensiti, de rebus monasterii præter habitum nihil asportantes. Qua desertione turbatus abbas Gaufridus apud regem, vicinosque episcopos et abbates, præcipue vero apud sanctum Bernardum, de communi violatæ religionis injuria litteris exostulat: Turstinus vero pontifex apologeticam ad Willelmum metropolitam Cantuariensem epistolam scribit (exstat hic supra, pag. 795); imo ipse Bernardus ad prædictum Turstinum, tum ad tredecim illos monachos congratulatoriam, ad Gaufridum autem abbatem excusatoriam transmittit (*Epist. 94, 96 et 313*). Interea prædicti monachi in episcopali Turstini domo conclusi, cum abbatis sui censuris revocari non po-

inquit, *prohibere eum qui potest bene facere; sed, si vales, et ipse bene fac* (*Prov. III, 27*). Gloriari autem magis oportet in profectibus filiorum, quoniam filius sapiens gloria est patris (*Prov. x, 1*). De cætero nemo mihi molestus sit, quod justitiam Dei non abscondi in corde meo: nisi quod minus fortasse, ob vitandum scandalum, quam debui, dixi.

#### EPISTOLA XCV (285).

AD TURSTINUM ARCHIEPISCOPUM EBORACENSEM.

*Charitatem et beneficentiam ejus erga religiosos laudat.*

Patri charissimo et domino reverendo TURSTINO, Dei gratia Eboracensi archiepiscopo, BERNARDUS abbas Claræ-Vallis, salutem plurimam dicit.

Splendor operis, et opinionis odor bene, ut comperi, in gloria vestra convenerunt. Opinionem opus probat nec falsam fuisse, nec vacuam, cum quod ante sparserat ubique fama volans, res ipsa faciat manifestum. Quomodo nunc vel maxime claruit zelus justitiæ, emineuit et invaluit sacerdotalis vigor in defensione videlicet pauperum, et pauperum quibus non erat adjutor (286)! Olim quidem opera misericordiae et eleemosynas vestras enarrabat omnis Ecclesia sanctorum: sed hoc vobis commune cum pluribus, quippe quod et a cunctis substantiam hujus mundi habentibus exigitur. Verum hoc opus episcopale, hoc paternæ pietatis tam egregium specimen, hic vere divinus fervor, quo pro tuendis suis pauperibus ille procul dubio zelum vestrum accendit et accinxit, qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem; hoc totum, inquam, speciale accessit, vestræ dignitatis decus, insigne officii, ornamentum coronæ. Aliud est relicere ventrem esurentis, et aliud sanctam zelare paupertatem. Ibi enim servitur naturæ, hic gratiæ. *Visitabis, inquit, speciem tuam, et non peccabis (Job v, 24)*. Ergo qui alienam carnem lovet, facit ne peccet: qui autem alienam sanctitatem honorat, fructificat sibi. Ideo ait: Desudet eleemosyna in manu tua, donec invenias [*al., videas*] justam cui des. Quo fructu? Quoniam *qui recipit justum in nomine justii, mercedem justii accipiet (Matth. x, 41)*. Solvamus proinde naturæ debitum, ne peccemus: simus gratiæ coadjutores, ut et participes fieri mereamur. Sane utrumque ita in vobis admiramur, ut

tuisent, locum ad habitandum ab ipso episcopo accipiunt ad Ripponam, a cunctis retro sæculis incultum, spinis consitum, et inter convexa montium et scopulos hinc inde prominentes, Richardo Priori ipso die Natalis Domini a Turstino in abbatem ordinato, qui hieme sub ulmo incredibili vitæ austeritate transacta, se suumque locum, ab ipsis Fontes appellatum, sancto Bernardo tradidit: quibus ipse virum religiosum direxit, Gaufridum scilicet de Amaio (de eo vide librum quartum Vitæ S. Bernardi, cap. 2), a quo Cisterciense institutum incredibili devotione et alacritate susceperunt.

(285) Scripta anno Christi 1152.

(286) Quid Turstinus præstiterit in defensionem prædictorum monachorum, qui studio majoris perfectionis ad eum confugerant, docet ipsius epistola ex Monastico Anglicano referenda post Bernardinas.

utrumque datum vobis desuper fateamur: quatenus divinis laudibus æternaliter misceatur, quidquid ex vobis temporaliter necessitatibus nostris impenditur, merito reverende et omni amoris sinceritate colende atque amplectende pater.

### 101 EPISTOLA XCVI.

AD RICHARDUM FONTANENSĒM ABBATEM (287), ET SOCIOS EJUS, QUI DE ALIO ORDINE AD CISTERCIENSEM TRANSIERANT.

*Laudat eos ob renovationem religiosæ disciplinæ.*

Quanta audivimus et cognovimus ea, et fratres nostri uterque Gaufridus annuntiaverunt nobis, quemadmodum noviter recaluitis igne Dei, convalescistis de infirmitate, refluistis in novitate sancta. Dignus Dei est iste, subtiliter operans, suaviter renovans, salubriter mutans, non quidem de malis bonos, sed de bonis faciens meliores. Quis dabit mihi ut transeam, et videam visionem hanc magnam? Nec enim minus mira minusve jucunda ista promotio est, quam illa mutatio: nisi quod multo facilius reperias multos sæculares converti ad bonum, quam unum quempiam de religiosis transire ad melius. Rarissima avis in terris est, qui de gradu, quem forte in religione semel attigerit, vel parum ascendat. Vestrum proinde, dilectissimi, tam insigne, quam salubre factum non solum nos, qui servi vestræ sanctitatis esse percipimus, sed et universam merito lætificat civitatem Dei: quippe quo rarius, eo et clarius. Erat autem et necessarium ad cautelam, proximam defectui mediocritatem transcendere, et declinare teporem, qui Deo vomitum provocat; sed et sic oportebat propter conscientiam. Professis siquidem sanctam Regulam, an citra ejus puritatem sistere gradum tutum sit, ipsi sensitis. Dolens doleo, quod urgente diei malitia, et nuntio festinante, plenum affectum exili cogor designare stilo, et brevi chartula latam comprehendere charitatem. Si quid deest, frater Gaufridus viva voce supplebit (288).

### EPISTOLA XCVII.

AD DUCEM CONRADUM (289).

*Dehortatur eum a bello comiti Gebennensi inferendo, ne contra se ultorem Deum provocet.*

1. Omnis potestas ab ipso est, cui dicit propheta:

(287) Scripta anno 1152. Richardus prior fuerat in monasterio Eboracensi Sanctæ Mariæ, inde egressus cum duodecim, ut dictum est, monachis, Romæ mortuus, ex tomo primo Monastici Anglicani, pag. 744. Huic successit Richardus alter, sacrificus quondam in prædicto cœnobio Eboracensi, mortuus apud Claram-Vallem, ut legitur in ejusdem tomi pag. 745, de quo in epistola 320. Monasterium Fontanense diœcesis Eboracensis ad Cisterciense institutum commigravit anno 1152. Mira sunt quæ de horum monachorum fervore leguntur in tomo primo Monastici Anglicani, pag. 733 seqq. Confer epistolam nunc 313 et epistolam 320, ubi de morte Richardi abbatis, nomine et ordine secundi.

(288) Hic est Gaufridus, dictus de Amayo, vir sanctus et religiosus, multorum monasteriorum ordinatorem et institutorem, quem sanctus Bernardus ad Fontanenses monachos misit, ut eos formam Ordinis Cisterciensis doceret: ex tomo primo monastici Anglicani, pag. 741. De eodem Gaufrido in Vita S.

*Tua est potentia, tuum regnum, Domine; tu es super omnes gentes (I Paral. xxix, 11).* Hinc ergo signum duxi tuam, o illustris princeps, commonere Excellentiam, quantum te oporteat deferre terribili, et ei qui aufert spiritum principum. Comes Gebennensis, ut accepimus per os ejus, ad justitiam se obtulit, et offert de omnibus quæ te dicis habere adversus eum. Si super hoc alienam pergis invadere terram, ecclesias destruere, incendere domos, exulare pauperes, homicidia perpetrare, et humanum fundere sanguinem; non est dubium quin graviter irrites adversum te Patrem orphanorum et Judicem viduarum. Eo certe irato, non expedit tibi dimicare in quantalibet multitudine vel fortitudine. Nihil enim intererit apud omnipotentem Dominum sabaoth, in multis an in paucis, cui volet dare victoriam. Ipse nimirum cum voluit fecit, **102** ut unus mille, et duo fugarent decem millia (*Deut. xxxii, 50*).

2. Hæc pauper ego, pauperum permotus clamoribus, tuæ Magnificentiæ scribere volui, sciens tibi honorificentius humilibus consentire, quam h. sibus cedere: non quod putem hostem te fortiolem, sed quod noverim Deum omnipotentem potentiolem, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Hujus rei gratia tuam, vir nobilis, præsentiam adissem, si licuisset. Nunc autem pro me hos de fratribus nostris destinare curavi, si forte suis et nostris precibus a tua Dignitate obtineant vel perfectam concordiam, si fieri potest, aut certe inducias, usquedum liceat nobis firmam quærere pacem, ad Dei voluntatem, et honorem tuum, et patriæ salutem. Alioquin si nec oblatam justitiam recipis, nec nos præcantes respicis, imo Deum in nobis de tua te salute commonentem non attendis, videat ipse et judicet. Scimus autem quod merito formidamus, difficile posse congregari tantos exercitus absque partis gravissima strage.

### EPISTOLA XCVIII.

DE MACHABÆIS, SED AD QUEM SCRIPTA SIT IGNORATUR (290).

*Respondet ad quæstionem, cur ex justis antiquæ legis, solis Machabæis Ecclesia diem festum decreverit.*

1. Quod per fratrem Hescelinum (291) tua Charitas

Bernardi, libro quarto, cap. 2, n. 10.

(289) Scripta circa eundem annum. — Conradus, Zeringensis dux, quem contra Amedeum I, comitem Gebennensem, his diebus arma cogitasse, Samuel Guichenon auctor est, in Historia Gallica Ducum Sabaudia. Fuit autem Zeringen (inquit Munsterus, Cosmographiæ libro iii) castrum quoddam nunc dirutum, a quo duces Zeringenses suum titulum habuerunt, semi-milliaro infra Friburgum in Brisgoia. Hi duces a comitibus Habsburgensibus progeniti, et circa tempus Henrici III imperatoris exorti Gebizone auctore, in sexto demum hærede, Egonè nuncupato, ad annum 1557 desiere.

(290) Hunc titulum habent scripti fere omnes. In uno tamen Cisterciensi, epistola inscribitur: *Ad Brunonem Coloniensem, ut putatur, de martyrio Machabæorum*

(291) Hescelinus, cujus hic mentio, videtur esse canonicus Insulanus, de quo in tomo primo Analectorum, pag. 289.

a mea parvitate quæsit, inde jam ad me scripserat Fulco Sparnacensis abbas (292). Cui ego nil rescripsi; volens, si quam forte super hoc reperissem Patrum sententiam, ipsam potius ei transmittere, quam novum vel nostrum quidpiam respondere: qua non facile occurrente, jam quod sentio ego, sic interim utrique respondeo, ut quodcumque forte rationabilius quilibet vestrum super eadem quæstiuncula quandoque vel legerit, vel audierit, vel certe ipse senserit, mihi vicissim impartiri non negligat. Quæris itaque quidnam visum Patribus fuerit, ut solis ex omnibus antiquis justis singulari quodam privilegio Machabæis annuam celebritatem pari cum nostris martyribus veneratione decernerent in Ecclesia solemniter exhibendam? Si dixerò dignos merito martyrum gloria judicatos, quibus non impar fuit in martyrio virtus; erit forsitan solutum, cur ipsos, sed necdum plane cur solos: cum et alios nonnullos ex veteribus pari constet zelo pietatis occubuisse, non tamen pari et tripudio recoli meruisse. Quod si illis non immerito hujuscemodi legatur sollemnis celebritas, quia nimirum quod præbuit virtus, præripuit tempus: cur non et eadem fuit in Machabæis consideratio? siquidem et ipsi pro tempore, non ad cæli mox gaudia, sed ad inferni tenebras descenderunt: ne tunc quippe apparente Primogenito ex mortuis, qui aperiret credentibus regna cælorum; agno videlicet de tribu Juda, qui aperit, et nemo claudit, ad cujus introitum cum omni auctoritate supernis potestatibus dicretur, *Tollite portas, principes, vestras; et elevamini, portæ æternales; et introibit Rex gloriæ* (Psal. xxiii, 7). Proinde, si incongruum videtur cum gaudio recolere transitum qui gaudii non fuit, caveatur et in istis: aut, si istos ob suæ virtutis meritum **103** festivo prosequi favore placet, cur non itidem deferretur et illis?

2. An dicendum est, utrosque quidem in morte communem habuisse cum martyribus pietatis causam, sed non etiam utrosque pariter eandem cum illis adeptos fuisse martyrii formam? Universis nempe tam Veteris, quam Novi Testamenti martyribus æque convenit pro justitia occubuisse: sed interest quod isti passi sunt, quia illam tenebant; illi, quia non tenentes reprehendebant; isti, quod eam non desererent; illi, quod deserentes perituros esse assererent. Et ut breviter totum in quo differunt, proferamus: hos cultus, illos zelus justitiæ martyres fecit. Soli ex veteribus Machabæi, quia non solum causam, sed et formam, ut dixi, novi martyrii tenuerunt;

jure fortasse in Ecclesia cum novis Ecclesiæ martyribus eandem consuetæ celebritatis gloriam assecuti sunt. Instar quippe martyrum nostrorum libere et ipsi diis alienis, patriamque deserere legem, imo mandata Dei transgredi cogebantur; renuebant, et moriebantur.

3. Non sic Isaias, non sic Zacharias, non denique vel magnus ille Joannes Baptista ita mortuus est: quorum primus serra fertur scissus fuisse; secundus inter templum et altare legitur occisus (*Matth. xxiii, 35*); tertius in carcere decollatus. Si quæritur, a quibus? ab injustis et impiis. Si qua causa? pro justitia et pietate. Si quomodo? non tam eas confitendo, quam proponendo. Proponebant veritatem odientibus [*al. audientibus*] eam: veritas pariebat eis odium, et odium mortem. Licet injusti et impii, non tam tamen in illis pietatem persequebantur, quam a se repellebant: nec tam in illorum justitiam ferebantur, quam propriam tuebantur injustitiam. Aliud est aliena invadere, aliud defendere sua. Non est idipsum nolle sequi veritatem, et persequi; invidere credentibus, et increpantibus indignari; obturare os confitentium, et redarguentium stimulos non ferre patienter. Denique *misit Herodes, et tenuit Joannem*. Quam ob rem? quia Christum prædicabat? quia vir bonus erat et justus? imo propter hoc magis reverebatur illum, *et audito eo multa faciebat*. Sed quoniam arguebat Herodem Joannes *propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui*: ideo vinctus, *ideo et decollatus est* (*Marc. vi, 17-28*), passus quidem et ipse pro veritatis, sed quam zelare videretur, non negare cogebatur. Hinc est quod hæc ipsa tanti martyris passio, multorum, etiam longe minorum, festivitatis minus festive recolitur.

4. Profecto si tali ratione et ordine passi fuissent Machabæi, ne ulla quidem fieret de eis mentio. Nunc autem quoniam similes illos fecit martyribus christianis non dissimilis veritatis confessio, merito eos similis prosequitur et veneratio. Nec moveat sane, quod, quemadmodum martyres, nominatim et ipsi pro Christo minime passi sunt: quia non interest, sive sub Lege pro legalibus observantiis, sive sub Gratia pro mandatis evangelicis quis patiat. Uterque enim æque pro veritate, ac per hoc pro Christo, qui dixit, *Ego sum veritas* (*Joan. xiv, 6*), pati cognoscitur. Itaque plus contulit Machabæis in hac parte martyrii genus, quam virtus: quando ne hos quidem ex Patribus, quos pari constat virtute illo in tempore pro justitia decertasse, pari etiam

*Machabæorum*. In veteri editione: *Putatur scripta ad Hugonem de Sancto-Victore*. Conjectura pro Bruno Coloniensi antistite inde nata videtur, quod in ea urbe asserventur sanctorum Machabæorum reliquæ: at istuc post Bernardi obitum Mediolano allatæ a Rainoldo antistite, qui eas a Friderico I imperatore obtinuit. In quibusdam manuscriptis hanc epistolam proxime antecedit epistola 77 ad Hugonem de Sancto-Victore.

(292) Fulco abbas Sancti-Martini Sparnacensis, ad Matronam, diœcesis Remensis, is est cui inseri

bitur epistola 13 Hugonis Metelli, et Fulconi reverendo et in Christo benedicto abbati Sparnacensi, de repetitione cujusdam canonici Sparnacensis ab abbate Willelmo. Abbas primus ejus loci fuit Fulco post inductum consilio Bernardi et Guidonis ejus fratris Ordinem canonicorum regularium, anno 1128, eo adductus ex Tullensi Sancti-Leonis abbacia. Litteras ejus rei habes in Spicilegii tomo XIII, pag. 305 seqq. Basilicæ Sancti-Martini fundatio per Odonem comitem, pag. 281.

honore concelebrat præsens duntaxat Ecclesia. Puto A quod arbitretur indignum, quantumlibet laudabili morti, quæ Christi mortem præcederet, diem festum impendere: præsertim cum ante illam salutiferam passionem, non festiva gaudia, sed claustra tenebrosa quosque morientes exciperent. Sane Machabæos ideo, ut dictum est, excipiendos judicavit Ecclesia, quoniam quod eis negabat tempus, contulit martyrii genus.

5. Nec solum ipsos, sed et qui forte Vitæ jam in carne manifestatæ mortem sua morte prævenerunt, sive morientes in ipsa, sicut Simeon et Joannes Baptista; sive etiam pro ipsa, sicut Innocentes, quos alia ratione, licet ad inferos et ipsi descenderint, ritu nihilominus solenni veneramur. Et innocentes quidem, quoniam injustum profecto fuit innocentiam B pro justitia morientem ulla vel præsentī gloria defraudari. Joannes quoque, sciens quod a diebus suis regnum cœlorum vim palitur, unde et clamat, *Agite pœnitentiam, appropinquavit regnum cœlorum* (Matth. III, 2); simulque videns Vitam se protinus secuturam, mortem lætus excepit. Quod utique ab ipso Domino moriturus sciscitari sollicitus fuit, ac certificari meruit. Nam cum per discipulos eum interrogasset, *Tu es, inquit, qui venturus es, an alium expectamus?* post enarrata plura miracula audivit: *Et beatus qui non fuerit scandalizatus in me* (Matth. XI, 5-6). In quo nimirum verbo significavit se Dominus moriturum, et tali morte, quæ posset Judæis esse scandalum, Gentibus stultitia. Ad hanc vocem sponsi C gaudens amicus sponsi alacri animo præcessit, quo et illum in proximo esse venturum, jam dubitare non potuit. Porro qui lætus, et tam lætus potuit mori, potuit et lætam sibi memoriam promereri. Sed et senex ille tam plenus virtutum quam dierum, morte jam propinqua Vitam bajulans in manibus, aiebat, *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum* (Luc. II, 29, 30); ac si diceret: *Securus descendo in carcerem, qui tam præsto meam sentio redemptionem.* Et hic ergo, qui cum tam segura jucunditate et jucunda securitate moritur, merito in Ecclesia celebrari cum gaudio memoratur.

6. Cæterum illa qua ratione mors festiva reputabitur, quam nulla gaudiorum festivitas comitatur? D aut unde gaudium sumeret moriturus, qui se et ad infernales descendere tenebras certus erat, nec certi quidpiam secum ferebat, unde in proximo de sui liberatore consolaretur? Inde est quod unus sanctorum, cum audiret, *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, et non vives*, convertit se ad parietem, et flevit fletu magno, atque ita impetravit exosæ mortis aliquam dilationem. Hoc denique et miserabiliter plangebat, dicens: *In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi*. et paulo post: *Non videbo, inquit, Dominum Deum in terra viventium, non aspiciam*

*hominem ultra, et habitorem quietis* (Isa. XXXVIII, 1-11). Hinc et alius quidam: *Quis mihi hoc tribuat, ait, ut in inferno protegas me, et abscondas me, donec pertranseat furor tuus; et constituas mihi tempus in quo recorderis mei?* (Job XIV, 13.) Israel quoque ad filios aiebat: *Deducetis canos meos cum dolore ad inferos* (Gen. XLII, 58). Quid in his solemnibus lætitiæ, quid festivæ celebritatis apparet?

7. Nostri autem martyres cupiunt dissolvi, et esse cum Christo; certi, ubicunque est corpus, illo sine mora congregatum iri et aquilas. Mox, inquam, ibi exsultant justī in conspectu Dei, et delectantur in lætitia. Ibi, ibi, benignissime Jesu, ibi statim, ut de hoc sæculo nequam sanctus quisque eripitur, adimpletur lætitia cum vultu tuo. Una ibi vox júbilo resonat sempiterno, vox una exsultationis et salutis in tabernaculis justorum: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium; laqueus contritus est, et nos liberati sumus* (Psal. CXXIII, 7). Nunquid hoc decantare libebat apud inferos sedentibus in tenebris et umbra mortis, dum non erat qui redimeret, neque qui salvum faceret, quando necdum visitaverat nos oriens ex alto, primitiæ scilicet dormientium Christus? Merito igitur Ecclesia, quæ gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus novit; quos pares judicat in virtute, discernit tamen ex tempore; nec pari putat prosequendum obsequio, et transitum ad vitam, et descensum ad inferos.

8. Itaque martyrium facit causa, tempus genusque discernunt. Tempus quippe Machabæos a novis martyribus disjungit, conjungit antiquis. Genus vero novis aggregat, segregat a veteribus. Et hæc quidem in Ecclesia præmissis ex causis differentiæ observantur. Cæterum apud Deum universo cœtui sanctorum commune est quod sanctus ait Propheta: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (Psal. CXV, 15). Unde autem pretiosam dixerit, exponat nobis: *Cum dederit, inquit, dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini filii, merces fructus ventris* (Psal. CXXVI, 2, 5). Nec putemus solos martyres esse dilectos, cum recolamus dictum de Lazaro, *Lazarus amicus noster dormit* (Joan. XI, 11): **105** denique, *Beati mortui qui in Domino moriuntur* (Apoc. XIV, 13). Non soli qui pro Domino, sicut martyres, sed et qui in Domino moriuntur, sicut confessores, profecto beati sunt. Duæ proinde res mihi videntur mortem facere pretiosam, vita et causa; sed amplius causa, quam vita. Porro illa erit pretiosissima, quam et causa commendat et vita.

#### EPISTOLA XCIX.

AD MONACHUM QUEMDAM (293).

*Ob monachi cujusdam a suo cœnobio discessum anxius, ejusdem litteris sinistra se suspitione liberatum scribit.*

Nuntium quò te dicis fuisse turbatum, frater Wilcujus mentio initio epistolæ, erat monachus illa Claræ-Vallensis, de quo in sequente epistola 103.

(293) In scriptis non paucis sequentes quatuor epistolæ nullum habent titulum præter istum, *De iisdem*, id est Machabæis, quod falsum. Willelmus,

lasmus non sua, sed tua necessitate putavit ad te dirigendum. Siquidem ipse suo more Dei gratia fortiter agit, alienam a se interim adhuc faciens illam sententiam: *Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis (Jacobi. 1, 8)*. Vias quippe Domini simpliciter, ac per hoc confidenter ambulans, non sentit illud *Væ*, de quo dicitur: *Væ terram ingredienti duabus viis! (Eccli. 11, 14)*. Te autem audieramus in discordia versari, domum vestram non sine gravi scandalo abbatis et fratrum deseruisse, solumque habitare in nescio quo satis inconvenienti loco. Quorumore nobis permotis, anxieque quærentibus si quo modo tibi a nobis posset consultum iri; nihil paratius occurrere potuit, quam ut, te vocato ad nos, per te de te certiores prius effici curarem: sicque quod in promptu esset, præsentibus præsentibus consulere-remus. Sed jam tuo scripto, nostroque rescripto, utrorumque ab alterutro falsæ suspicionis timore depulso, pariter quiescamus. Verum hac falsitate quam vera sit ad nos invicem dilectio, comprobatum est; quam quidem dilectionem per hanc mutuam nostri sollicitudinem, non infructuose nunc renovatam esse putaverim; cujus fructum tunc nos quidem copiosum speraremus accipere, si tui nobis copia cum opportunitate daretur. Alioquin opportunius ducimus nos nostra contentos esse inopia, quam importuna copia abundare.

## EPISTOLA G.

AD EPISCOPUM QUEMDAM.

*Ejus erga religiosos pauperes favorem et beneficentiam laudat.*

Si minus vos pro tanti operis susceptione fervere comperissemus, hortandus nobis super hoc et obsecrandus essetis. Nunc vero cum prima invitaverit nos vestra præcurrens devotio, restat ut ei a quo bona cuncta procedunt, et referamus grates pro bono quod dedit velle; et fundamus preces, ut adjiciat et perficere pro bona voluntate. Tamen gaudium meum non tacebo vobis. Quas nempe putatis delicias cordi meo afferat vestra hujuscemodi intentio? Delectabitur in crassitudine anima mea, si infatigabilem cognovero vos in studiis salutaribus et honestis. Gaudeo enim, non quia quæro donum, sed requiro fructum. Libenter accipio beneficium quod prosit danti; alioquin non ambulo in charitate illa quæ non quærit quæ sua sunt (*I Cor. XIII, 5*). Et quidem nobis in hoc bene facitis, sed vobis melius: nisi forte excidit vobis illa sententia, *Beatius est dare quam accipere (Act. XX, 35)*. Hoc plane decet episcopum, hoc sacerdotium vestrum commendat, ornat coronam, nobilitat dignitatem, si quem ministerium prohibet esse pauperem, administratio probet pauperum amatorem. Non enim paupertas virtus reputatur, **106** sed paupertatis amor. Denique *beati pauperes, non rebus, sed spiritu (Matth. V, 3)*.

## EPISTOLA CI.

AD RELIGIOSOS.

*Monachum, qui sine licentia discesserat, redeuntem benigne suscipi postulat.*

Fratrem Lambertum, quem in aliquibus forte fluctuantem suscepimus, orantibus quidem vobis pro ipso constantem remisimus, et nulla jam, ut opinamur, scrupulositate pristina laborantem. Causam quippe adventus ejus, necnon et discessionis modum et intentionem sollicite nobis perscrutantibus, intentionem quidem visus est habere inculpabilem, sed causam plane non sufficientem, ut tali modo, id est sine licentia, discedere debuisset. Unde et sumpta justæ in eum invectionis occasione, increpato ut oportebat, et confirmato in quibus nutabat, reditum ei persuasimus. Et pro redeunte rogamus, dilectissimi fratres, esse vos videlicet præstabiles super fratris præsumptione, sed præsumptione, ut videtis, satis simplici, et non malitiosa: quandoquidem neque ad dexteram neque ad sinistram declinavit, sed directo ad nos tramite venit, quos utique pro certo sciebat vestræ esse sanctitatis servos, vestræ religionis amatores sincerissimos, et æmulatores fidelissimos. Suscipite ergo eum vos, qui spirituales estis, in spiritu lenitatis; confirmeturque in eo charitas, et excuset malum factum intentio bona. Imo recuperate cum gaudio, quem dolebatis amissum; contractamque de fratris egressione ac transgressione tristitiam effuget citissima de regressione lætitia. Confido autem de Omnipotentis misericordia, quia quidquid exasperavit inordinata discessio, postmodum deliniet emendata conversatio.

## EPISTOLA CII.

AD QUEMDAM ABBATEM.

*Monachi cujusdam dyscoli emendationem omni modo tentandam; sed incorrigibilem ejiciendum, ne plures ejus consortio depraventur.*

1. Super fratre turbato, et turbante fratres, et contemnente magistrum, breve tibi, sed fidele damus consilium. Diaboli studium est circuire in domo Dei, et quærere quem devoret; tuæ e contra vigilantia, in quantum potes, nunquam locum dare diabolo. Quanto igitur ille acrius insistit, quomodo a grege infirmam separet oviculam, quatenus eo licentius rapiat, quo jam non fuerit qui eripiat; tanto enixius tibi, quantum in te est, resistendum est, ne de manu tua possit eam eruere, ne quando dicat inimicus: Prævalui adversus eum. Itaque aggredere fratrem omni officio charitatis; videlicet beneficiis, salutaribus monitis, secretis increpationibus, publicis inhortationibus, duris etiam et verborum et verberum correptionibus; quodque efficacius esse solet, tuis ad Deum pro eo fratrumque piis orationibus.

2. Quod si jam hæc omnia fecisti, nec profecisti; ad Apostoli consilium confugiendum est, dicentis: *Auferite malum ex vobis (I Cor. V, 13)*. Auferatur ergo malus, ne malos generet. Neque enim potest arbor mala fructus nisi malos facere, Auferatur

autem dico, sed non quomodo ipse vult; ut videlicet A tanquam ex tua licentia, cum male secunda conscientia extra congregationem, contra professionem, devitans subjectionem, sui juris esse, sua permittatur vivere lege; (294) **107** sed abscindatur, ut ovis morbida a grege, ut putridum membrum a corpore; qui jam exinde se pro certo noverit a te haberi tanquam ethnicum et publicanum. Et ne timeas esse contra charitatem, si unius (295) scandalum multorum recompensaveris pace, quippe qui sua sorte malitia, fratrum cohabitantium turbare facile poterat unanimitatem. Consoletur te illa Salomonis sententia: *Quem Deus negligit, nemo potest corrigere* (Eccle. vii, 14); et illa Salvatoris: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus, eradicabitur* (Matth. xv, 13); et illa beati Joannis evangelistæ de schismaticis: *A nobis exierunt, sed non erant ex nobis* (I Joan., ii, 19); et rursus apud Apostolum: *Infidelis, si discedit, discedat* (I Cor. vii, 15). Alioquin non est relinquenda virga peccatorum super sortem justorum, ut non extendant justis ad iniquitatem manus suas. Melius est enim ut pereat unus, quam unitas (296).

## EPISTOLA CIII.

AD FRATREM WILLELMI MONACHI CLARÆ-VALLENSIS (297).

*Insigni paupertatis religiosæ commendatione prævia, perstringit in eo nimium in res terrenas affectum, cum damno pauperum, imo suo ipsius conjunctum, ut qui mallet sua morti, quam amor Christi, cedere.*

1. Etsi facie ignotus nobis, etsi corpore remotus a nobis, amicus tamen es; et amicitia notum jam nobis, et præsentem te facit. Hanc tibi, te nesciente, C comparavit non caro et sanguis, sed spiritus Dei, qui Willelmum fratrem tuum æterna nobis societate et spiritali charitate devinxit, ac per eum te quoque, si dignum judicas. At, si sapis, non contempnes eorum amicitiam, quos Veritas beatos clamat, et reges pronuntiat cælorum (Matth. v, 3). Quam quidem beatitudinem non invidemus tibi: nec enim communicata tibi, nobis minuitur; nec nostri proinde termini restringuntur, si et tu regnaveris. Quænam vero invidiæ causa potest esse, ubi sortium magnitudini consortium multitudo nil detrahit? Volo te esse amicum pauperum, magis autem imitorem. Ille gradus proficientium est, hic perfectorum. Amicitia pauperum, regum amicos constituit; amor paupertatis, reges. Regnum denique cælorum pauperum est; et est regni potestatis beare pro voluntate amicos. *Facite, inquit, vobis amicos de mam-*

(294) Varia fuit pro temporibus et locis circa monachos incorrigibiles disciplina. Ejiciendos præcipit Regula sancti Benedicti, in capp. 28 et 29. Concilium Cloveshoviense anni 747 non nisi ex synodi decreto fieri cavet can. 24. Alia ratio est de Sanctimonialibus, quarum una cum ex monasterio Mettensi S. Petri detracto velo ejecta fuisset, recipi jussa est, et intra monasterium in ergastulo poni decreto synodi Mettensis anno 888, can. 9. Canonici regulares sæculo duodecimo projiciebantur, ex epistola 38 Stephani Tornacensis.

(295) Addunt editi, *ejectione*; sed deest in manuscriptis.

(296) De hac quæstione, An monasteria habeant jus abjiciendi religiosum incorrigibilem, consulendi

*mona iniquitatis; ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula* (Luc. xvi, 9). Vides quia magna dignitas sancta paupertas sit, ut non modo patrociniū ipsa sibi non quærat, sed et ferat indigentibus. Quale est hoc, absque interventu cujuscumque angelorum vel hominum, sola divinæ gratiæ confidentia, accedere per temetipsum ad vultum gloriæ, capessere summa rerum, attingere totius magnificentiæ culmen?

2. Verum qualibus ista tu tibi impediās rebus, utinam sine dissimulatione attendas. Væ! væ! vapor est ad modicum parens, quod æternæ felicitatis aditum intercludit, quod perennis luminis incircumscripam charitatem abscondit, quod universitatis scientia fraudat, quod summæ privat dignitatis honore. Quousque tu tantæ gloriæ præfers fenum, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur; carnem dico et ejus gloriam? Siquidem omnis caro fenum, et omnis gloria ejus tanquam flos feni (Isa. xl, 6). Si sapis, si habes cor, si tecum est lumen oculorum tuorum, desine jam ea sequi, quæ et assequi miserum est. Beatus qui post illa non abiit, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant. Annon ea satius cum honore spernis, quam cum dolore perdis? annon ea prudentius Christi cedis amori, quam morti? Est in insidiis prædo, cujus manibus nec te nec tua potes subducere. Non poterit prævideri, quia tanquam **108** fur in nocte ita veniet. Nihil intulisti in hunc mundum, haud dubium quia nec quidquam auferes (I Tim. vi, 7). Dormies somnum tuum, et nihil invenies in manibus tuis. Sed nosti hæc: non est in docendo te superflue laborandum. Orandum potius ut, quod tibi jam nosse datum est, detur et implere prout oportet.

## EPISTOLA CIV.

AD MAGISTRUM (298) GUALTERUM DE CALVO-MONTE.

*Hortatur eum ad fugam sæculi; monens potiozem esse causam Christi, et animæ, quam parentum.*

1. Sæpe meum animum dulcissima tui subeunte memoria, doleo super te, Gualtere charissime, cogitans nimirum illud tuæ juventutis decus, et ingenii acumen, scientiæ et eruditionis ornatum, quodque his omnibus excellentius est in christiano, tuos illos mores ingenuos quam inanibus studiis atteras, dum D de tantis muneribus, non auctori Christo, sed rebus deservias transitoriis. O si (quod avertat Deus!) mors inopinata subripiens ista concusserit, heu!

Hæstenus in Disquisitionibus monasticis, ac nostri Menardus et Edmundus Martene in suis super Regulam Commentariis.

(297) Sic titulus in duobus Vaticanis et in quibusdam nostris. In manuscriptis Cisterciensibus inscribitur, *Ad Amicum exhortatoria*. Ex line vero epistolæ 106 conjicimus esse Ivonem, qui simul cum Willelmo subscribit.

(298) Hoc nomine doctores et litterarum præceptores appellare solet, ut in epistola 77 et 106 etc. Ita Thomas Stampensis aliquando se magistrum, aliquando doctorem Cadumensem dicit in Spicilegii tomo III, pagg. 137, 140. In uno codice Vaticano legitur, *ad M. Walcherum*.



subito cuncta, velut ad impulsum urentis et furentis A venti, tanquam fenum velociter arescent, et quem-  
admodum olera herbarum cito decident. Quid ergo tecum tolles de omni labore tuo, quem operatus fueris super terram? quid retribuēs Domino pro omnibus quæ tribuit tibi? quid, inquam, lucri pro tot tibi creditis talentis referēs creditori? O si vacuam manum invenerit ille, ille donorum promptus quidem auctor, sed importunus exactor! Veniet enim, veniet, et non tardabit, ad requirendum utique quod suum est cum usura. Suum nempe asserit omne, quod te in tua patria pomposis, sed periculosus favoribus nobilitare videtur. Genus clarum, corpus aptum, forma elegans, ingenium velox, eruditionis utilitas, et honestas morum, gloriosa quidem sunt, sed ei a quo sunt. Si tibi usurpas, B est qui quærat et judicet.

2. Esto tamen: liceat tibi hæc interim ascribere nomini tuo, et gloriari in laude tua, et vocari ab hominibus rabbi, et facere tibi nomen grande duntaxat super terram: quid tibi post mortem de his omnibus, nisi sola fortasse memoria relinquetur? et hoc quoque solummodo super terram. Scriptum quippe est: *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis* (Psal. LXXV, 6). Quod si hic est finis omnium laborum tuorum, ut pace tua dixerim, quid habes amplius jumento? Siquidem et de tuo palefrido (299), cum mortuus fuerit, perhibebitur quia bonus fuit. Simul vide quid tibi ante tribunal illud terrificum respondendum sit de eo quod acceperis in vano C animam tuam, et animam talem: si tamen inveniaris nihil egisse amplius de immortalis et rationali spiritu tuo, quam quodvis pecus de suo; cum brutus utique spiritus non vivat, nisi quamdiu vivificat, et uno eodemque momento et vivificare pariter desinat et vivere. Quid, quæso, dignum te judicabis, qui, factus ad imaginem factoris, tantæ in te majestatis non defendis dignitatem; et tu, homo cum (300) esses, honorem tuum non intelligens, comparatus jumentis insipientibus, et similis factus sis illis! dum nil spirituale videlicet aut æternum elaboraveris, sed instar belluini spiritus, qui ut a corpore, ita cum corpore dissolvitur, solis fueris contentus corporalibus ac temporalibus bonis, evangelici illius D surdus auditor consilii: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam* (Joan., vi, 27). Scriptum est autem quod non ascendit in montem Domini, nisi qui non accepit in vano animam suam. Sed ne is quidem, nisi etiam fuerit innocens manibus, et mundo corde (Psal. XXIII, 4). Videris tu an de tuis hoc 109 operibus simul et cogitationibus præsumere audeas; sin autem, attende quid mereatur iniquitas, si sola sufficit inutilitas ad damnationem. Et revera secunda non erit spina vel tribulus, ubi securis infructuosæ arbori

(299) Palefridus, equus magnus et insignis, qui per frenum ducitur.

(300) Editi addunt, in honore, ex Psalmo XLVIII.

poni videbitur; nec parcat pungenti, qui minatur et sterili. Væ igitur, et væ iterum de quo dicetur: *Expectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas!* (Isa. v, 4.)

3. Sed novi ego quam liquido et copiose hæc me quoque tacente cogitare sufficias; materno vero devinctus amore, necdum possis abjicere quod jam contemnere noris. Et quid ego ad hæc respondebo tibi? Ut matrem deseras? sed inhumanum videtur. Ut cum ipsa maneat? sed nec ipsi expedit ut sit filio causa perditionis. Forte ut et mundo simul milites, et Christo? sed nemo potest duobus dominis servire. Mater tua vult contraria tuæ, ac per hoc et suæ ipsius salutis. Elige ergo tu e duobus quod vis, aut unius videlicet satisfacere voluntati, aut utriusque salutis. Verum si multum eam diligis, desere potius ipsam propter ipsam: ne, si Christum deseras ut maneat cum ipsa, propter te pereat et ipsa. Alioquin male meruit de te quæ te peperit, si propter te perit. Quomodo enim non perit, quæ ipsum quem peperit, perimit? Et hæc dixerim, ut tuo aliquo modo carnali condescendam consulamque affectui. Cæterum fidelis sermo, et omni acceptione dignus: etsi impium est contemnere matrem, contemnere tamen propter Christum, piissimum est. Nam qui dixit, *Honora patrem et matrem* (Matth. xv, 4); ipse etiam dixit: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.* (Matth. x, 37).

#### EPISTOLA CV.

AD ROMANUM ROMANÆ CURIÆ SUBDIACONUM.

*Vitæ religiosæ propositum urget, mortis memoriam inculcans.*

BERNARDUS abbas Claræ-Vallis, ROMANO SUO, quod suo.

Bene fecisti, charissime, tui nobis per litteras et renovans dulcem memoriam, et excusans molestissimam moram. Minime quidem desiderantium te cordibus ulla potuit subrepere quandoque oblivio tuæ dilectionis; sed te tui, fateor, pene oblitum esse putavimus, priusquam illas litteras videremus. Nunc itaque rumpe moras, fac cito quod scripsisti; et si veraciter stylus expressit affectum, efficaciter opus stylum testificetur. Quid tardas ipsum, quem jamdudum concepisti, spiritum parturire salutis? Nil mortalibus vel morte certius, vel incertius hora mortis: siquidem tanquam fur in nocte, ita veniet. Væ prægnantibus in illa die! Si supervenerit et prævenit hunc tam salutiferum partum, heu! perfolet domum, sanctum germen exstinguet. *Cum enim dixerint, Pax et securitas, tunc repentinus superveniet eis interitus, sicut dolor in utero habentis, et non effugiet* (I Thess. v, 3). Volo te mortem etsi non effugere, certe vel non timere. Justus quippe mortem, etsi non cavet, tamen non pavet. Denique si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit (Sap. iv, 7). Moritur quidem et justus, sed secure; quippe cujus sed deest in manuscriptis, et certe redundat hoc loco.

mors ut præsentis est exitus vitæ, ita introitus melioris. Bona mors, si peccato moriaris ut justitiæ vivas. Hæc mors necesse est ut præcurrat, ut sequatur illa secunda. In hac vita, quæ semper durat, compara tibi illam quæ semper durat. Dum vivis in carne, morere mundo, ut post mortem carnis Deo vivere incipias. Quid enim si conciderit mors saccum corporis tui, dum te subinde circumdet lætitia? O quam *teati mortui qui in Domino moriuntur*, audientes a Spiritu, *ut requiescant jam a laboribus suis!* (Apoc. xiv, 13.) Non solum autem; sed et succedit jucunditas **110** de novitate, ac de æternitate securitas. Bona proinde mors justi propter requiem, melior propter novitatem, optima propter securitatem. E contra, mors peccatorum pessima (Psal. xxxiii, 22). Et audi unde pessima. Mala siquidem est in mundi amissione, pejor in carnis separatione, pessima in vermibus ignisque duplici contritione. Eia ergo festina, exi, recede: moriatur anima tua morte justorum, quo fiant et novissima tua horum similia. O quam pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus! (Psal. cxv, 15.) Fuge, quæso; in via peccatorum ne steteris. Quomodo vivere potes, ubi mori non audes? Cum panibus occurrere fugienti paratos nos esse confidito (501).

## EPISTOLA CVI.

AD MAGISTRUM HENRICUM MURDACH (302).

*Ad capessendum religiosæ vitæ statum excitat, ejus delicias breviter insinuans.*

Dilecto suo HENRICO MURDACH, BERNARDUS abbas dictus de Clara-Valle, salutem, et non in via.

1. Quid mirum si inter prospera fluctuas et adversa, qui necdum statuisti supra petram pedes tuos? Ac si jures et statuas custodire judicia justitiæ Domini, quid horum te poterit separare a charitate Christi? O si scires et quid dicam! *Oculus, Deus, non vidit absque te, quæ præparasti diligentibus te* (Isa. lxiv, 4). Sed tu, frater, qui, ut audivi, Prophetas legis, putas intelligis quæ legis? Nam si intelligis, sentis utique sensum propheticæ lectionis esse Christum. Quem videlicet si apprehendere cupis, citius illum sequendo, quam legendo consequi potes. Quid quæris verbum in Verbo, quod jam caro factum præsto est oculis? Jam enim de latibulo prophetarum egressus est ad oculos piscatorum; jam de monte umbroso et condense, tanquam sponsus de thalamo suo, prosilivit in campum Evangelii. Jam qui habet aures audiendi, audiat illum clamantem in templo: *Qui sitit, veniat ad me, et bibat* (Joan. vii, 37); et: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (Mat. h. xi, 28). Tu ergo times deficere, ubi se Veritas reficere te pro-

mittit? Certe si tantum te delectat tenebrosa aqua de nubibus aeris, quanto jucundius haurias de serenissimis fontibus Salvatoris?

2. O si semel panulum quid de adipe frumenti, unde satiatur Jerusalem, degustares! quam libenter suas crustas rodendas litteratoribus Judæis relinqueres! O si te unquam in schola pietatis sub magistro Jesu merear habere sodalem! O si mihi liceat purificatum prius tui pectoris vasculum supponere unctioni quæ docet de omnibus! O quam libens tibi pariter calidos panes [*subaudi porrigerem*], quos utique adhuc fumigantes, et quasi modo de furno, ut aiunt, recens tractos, de cœlesti largitate crebro Christus suis pauperibus frangit! Utinam si quam mihi guttam quandoque de pluvia voluntaria, quam segregavit hæreditati suæ, stillare dignetur in dulcedine sua pauperi Deus, mox eam tibi possem refundere, et rursus a te vicissim recipere quod senseris! Expertus crede: aliquid amplius invenies in silvis, quam in libris. Ligna et lapides docebunt te, quod a magistris audire non possis. An non putas posse te sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo? An non montes stillant dulcedinem, et colles fluunt lac et mel, et valles abundant frumento? Multis occurrentibus mihi dicendis tibi, vix me teneo. Sed quia non lectionem, sed orationem petis, adaperiat Dominus cor tuum in lege sua et in præceptis suis. Vale.

3. Id ipsum ipsi Willelmus et Ivo. Quid super hoc **111** vobis dicemus? Quod vos videre, et ad quid desideremus, scitis; quantum vero, nec nos dicere, nec vos scire potestis. Oramus ergo Deum ut vobis, quo nos præsisse debueratis, tribuat vel sequi: quatenus et in hoc tantæ vos humilitatis magistrum teneamus, cum videlicet non despexeritis magister sequi discipulos.

## EPISTOLA CVII.

AD THOMAM PRÆPOSITUM DE BEVERLA (303).

*Thomas iste Ordini Cistercienci in Clara-Valle sese devoverat: procrastinantem Bernardus hortatur ad vota persolvenda. At surdo cantatum sequens docet epistola, ubi infelicem Thomæ exitum commemorat. In hac vero tota salutis æconomia profundissime describitur.*

THOMÆ dilecto filio, BERNARDUS, quod filio.

1. Quid opus est verbis? Fervens spiritus et vehemens desiderium aperiri sola lingua non sufficit. Loquantur nobis affectum tuum et reliqua membra. Præsens melius et innotescet nobis, et nos cognosces. Jam dudum ab invicem tenemur alterutrum debitores, ego fidelis curæ, tu humilis obedientiæ. Probet utrumque, si placet, opus, non calamus. Volo te et tibi usurpare, et in me probare illam

(501) Modus loquendi Bernardo familiaris, ut in epistola 107, n. 13, et in epistola 124, n. 2, etc.

(502) Scholis apud Anglos præfectus erat Henricus iste, natione Anglus, cujus discipulos fuisse Willelmum et Ivonem patet ex fine epistolæ. Bernardi monitis tandem acquievit Henricus, factus monachus Clara-Vallensis, dein abbas Vallis-Clare; tum tertius abbas Fontanensis in Anglia, ex epistolis nunc ordine

320 et 321, ac demum, deposito per Eugenium III Guillelmo thesaurario, archiepiscopus Eboracensis: qua de re variæ epistolæ infra. Lege Guillelmum Neubrigensem, in libro 1, cap. 7; Rogerium Hovedenum, ad annum 1140; et Roberti de Monte Appendixem ad Sigebertum.

(503) Alias *de Beverlaco*. Vide epistolam 411.

Unigeniti vocem : *Opera quæ dedit mihi Pater ut faciam, ipsa testimonium perhibent de me* (Joan. v, 36). Sic revera, sic unici Filii spiritus testimonium perhibet spiritui nostro, quod filii Dei sumus et nos, cum suscitans ex operibus mortuis largitur opera vitæ. Non ex foliis, non ex floribus, sed ex fructu arbor bona malave dignoscitur. Denique a fructibus, ait, *cognoscetis eos* (Matth. vii, 16). Opera ergo, et non verba discernunt inter filios Dei et filios diffidentiae. Operibus proinde desiderium et aperi tuum, et experire nostrum.

2. Desideramus præsentiam tuam, quærimus optatam, immo promissam exigimus. Cur tanto? Nil in ea sane expetimus de carne et sanguine. Aut proficere ex te cupimus, aut prodesse tibi. Generositas sanguinis, proceritas corporis, forma elegans, juvenilis decor, prædia, palatia, immensa supellex, infulæque dignitatum (adde et mundi sapientiam) : de mundo sunt hæc; et mundus quod suum est diligit. Sed quousque? Non solum enim non semper, utpote qui non semper erit, verum nec diu quidem. Diu siquidem ista in te mundus habere non poterit, et te quippe ipsum in brevi non habiturus, nam breves dies hominis sunt. Mundus quidem cum suis concupiscentiis transit; sed te prius emittit, quam ipse pertransit. Quid te sine fine delectat amor mox finiendus? Nos vero te, non tua diligimus : tua sint, a quo sunt. Tu tuæ promissionis memor; tui nobis copiam diutius non negaris, amantibus te sinceriter, et amaturis perenniter. Pure siquidem nos amantes in vita nostra, in morte quoque non erimus separati. Nam ea quæ in te, vel potius tibi appetimus, non hujus corporis sunt, nec hujus temporis tantum : ideoque nec cum corpore deficiunt, nec cum tempore prætereunt; quinimo posito corpore plus delectant, post tempora durant. Nil simile habent cum supra enumeratis eorumve similibus, quæ utique insunt tibi, non ex Patre, sed ex mundo. Quid horum enim vel non prævenit mortem, vel non invenit?

3. At vero ista optima pars est, quæ non aufertur in æternum. Quid istud? Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Qui homo est, et secundum hominem ambulat, qui videlicet, ut manifestius dicam, carni adhuc acquiescit et sanguini, quid illud sit, penitus nescit; quia caro et sanguis non revelabunt quæ solus revelat Deus per Spiritum suum. Animalis ergo homo ad hoc secretum **112** nequaquam admittitur : siquidem non percipit ea quæ sunt spiritus Dei (I Cor. ii, 14). Beati qui audiunt : *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiivi a Patre meo, nota feci vobis* (Joan. xv, 15). O sæculum nequam, quod solos tuos sic soles beare amicos, ut Dei facias inimicos, consequenter et indignos consilio beato-

rum! Plane enim qui amicus vult esse tuus, inimicus Dei constituitur. Quod si servus nescit quid faciat Dominus ejus, quanto minus inimicus? Porro autem amicus sponsi stat, et gaudio gaudet propter vocem sponsi : unde et loquitur, *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est* (Cantic. v, 6). Amicus itaque mundi excluditur a consilio amicorum Dei, qui non spiritum hujus mundi acceperunt, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciant quæ a Deo donata sunt sibi. Confiteor tibi, Pater, quia abseondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita, Pater, quia sic fuit placitum coram te (Matth. xi, 25, 26), non quia sic meritum vel ab ipsis. Omnes enim peccaverunt, et egent gloria tua : ut gratis mittas Spiritum Filii tui clamantem in cordibus filiorum adoptionis, Abba, Pater. Hoc quippe spiritu qui aguntur, hi filii sunt, nec paterno proisus arcendi consilio. Habent nempe in se manentem spiritum, qui scrutatur etiam profunda Dei. Denique quid ignorent, quos unctio docet de omnibus?

4. Væ vobis, filii hujus sæculi, a vestra insipiente prudentia, ignorantes spiritum salutarem accipientes consilio, quod solus soli Pater eructat Filio, excepto cui voluerit Filius revelare! Quis cognovit sensum Domini? aut quia consiliarius ejus fuit? (Rom. xi, 34.) Non equidem nullus, sed rarus : soli sane qui veraciter dicere possunt, *Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis* (Joan. i, 18). Væ mundo a strepitu! Clamat in populis idem Unigenitus, tanquam magni consilii angelus : *Qui habet aures audiendi, audiat. Et quoniam dignos non invenit sensus, quibus Patris committat arcanum, textit parabolas turbis, ut audientes non audiant et videntes non intelligant. Cæterum amici seorsum audiunt : Vobis datum est nosse mysterium regni Dei* (Luc. viii, 8, 10); quibus et loquitur : *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum* (Luc. xii, 32). Qui sunt hi? Utique quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Magnum secretumque innotuit consilium. Novit Dominus qui sunt ejus : sed quod notum erat Dei, manifestatum est hominibus. Nec alios sane dignatur tanti participatione mysterii, nisi eos ipsos quos suos præscivit et prædestinavit. Nam quos prædestinavit, hos et vocavit. Quis enim sane nisi vocatus, ad Dei accedat consilium? Quos autem vocavit, hos et justificavit. Oritur quippe Sol, non is qui quotidie oriri cernitur super bonos et malos, siquidem solis ad consilium vocatis (304) prophetica pronuntiatione promittitur : *Vobis, inquit, qui timetis Deum, orietur Sol justitiæ* (Malach. iv, 2). Manentibus igitur in tenebris filiis diffidentiae, evadit in novam hanc lucem lucis filius de po-

(304) Ita scripti omnes, nisi quod in nonnullis legitur, *Siquidem is Sol ad consilium vocatis*, etc. In primis editis et posterioribus plerisque, *Oritur quippe Sol, non is qui quotidie oriri cernitur super*

*bonos et malos, sed qui timentibus Deum prophetica pronuntiatione promittitur solis ad consilium vocatis : Vobis, inquit, qui timetis Dominum, orietur Sol justitiæ.*

testate tenebrarum, si tamen jam fidenter Deo dicere potest: *Particeps ego sum omnium timentium te* (*Psal. cxviii, 63*). Vides quia præcedit timor, ut sequatur justificatio? Forsitan ergo timore vocamur, amore justificamur. Denique justus ex fide vivit (*Rom. i, 17*), illa procul dubio quæ operatur ex dilectione.

5. Audiat itaque in sui vocatione peccator, quod timeat: et sic accedens ad Solem justitiæ, videat illuminatus quod diligit. Quidnam est illud? *Misericordia Domini ab æterno, et usque in æternum, super timentes eum* (*Psal. cii, 17*). Ab æterno propter prædestinationem, in æternum propter beatificationem. Altera carens principio, altera nesciens finem. Siquidem quos ab æterno prædestinat, in æternum beatificat, intercedente sane media vocatione una cum justificatione, duntaxat in adultis. Sic ad ortum Solis justitiæ sacramentum absconditum a sæculis de prædestinatis et beatificandis, emergere quodammodo incipit ex abyso **113** æternitatis, dum quisque vocatus per timorem, justificatus per amorem, præsumit se quoque esse de numero beatorum, sciens nimirum quia quos justificavit, illos et magnificavit (*Rom. viii, 29, 30*). Quid enim? audit se vocari, cum timore concutitur; sentit et justificari, cum amore perfunditur: et de magnificatione diffidet! Initiatur, provebitur: et de sola consummatione desperabit! Nempe si initium sapientiæ timor Domini, in quo dicta est esse nostra vocatio; quid nisi proventus in sapientia est amor Dei, is duntaxat qui interim ex fide est, ex quo et nostra fit justificatio? Quid item nisi consummatio in sapientia est ipsa, quam in fine speramus, de divina illa et deifica visione glorificatio? Sic abyssus abyssum invocat in voce cataractarum suarum, cum in terrore judiciorum suorum immensa illa æternitas, et æterna immensitas, cujus sapientiæ non est numerus, cor hominis pravum et inscrutabile mira sua benignitate et potentia educit in admirabile lumen suum.

6. Verbi gratia, ponamus hominem in sæculo, sæculi adhuc et suæ carnis amore retentum, et, cum terrestris hominis imaginem portet, incubantem terrenis, nil de cœlestibus cogitantem. Quis hunc non videat horrendis circumfusum tenebris, nisi qui in eadem mortis umbra sedet? quippe cui nullum adhuc suæ salutis signum eluxerit; cui necdum in aliquo interna testetur inspiratio, an boni de se quidpiam æterna teneat prædestinatio. At vero si superna eum miseratio dignanter quandoque respexerit, immiseritque spiritum compunctionis, quatenus ingemiscat et resipiscat, mutet vitam, domet carnem, amet proximum, clamet ad Deum, proponatque de cætero vivere Deo, non sæculo: ex qua deinde superni luminis gratuita visitatione, et subita mutatione dexteræ Excelsi, agnoscat se merito quidem non jam iræ, sed gratiæ filium; quippe qui paternum erga se divinæ bonitatis experitur affectum; quod se utique hactenus in tantum latuerat

aut non solum nesciret utrumnam dignus foret amore an odio, verum etiam odium magis, et non amorem propria conversatio testaretur: erant enim tenebræ adhuc super faciem abyssi; nonne is tibi videtur, quasi de abyso profundissima et tenebrosissima horrendæ ignorantæ, in aliam quamdam quoque trahi abyssum e regione amœnam et lucidam claritatis æternæ?

7. Et tunc demum quasi dividit Deus lucem a tenebris, cum peccator, solè illucescente justitiæ, abjectis operibus tenebrarum, induitur arma lucis; et is quem prior vita ac propria conscientia, tanquam revera filium gehennæ, deputaverat ardoribus sempiternis; ad tantam visitantis se Orientis ex alto dignationem respirans, gloriari etiam incipit præter spem in spe gloriæ filiorum Dei, quam jam, nimirum e vicino revelata facie exsultans, novo in lumine speculatur, et dicit: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine; dedisti lætitiā in corde meo* (*Psal. lv, 7*). O Domine, quid est homo, quia innotuisti ei? aut filius hominis, quia reputas eum? (*Psal. cxliii, 5*). Jam se, o bone Pater, vermī vilissimus et odio dignissimus sempiterno, tamen confidit amari, quoniam se sentit amare: imo quia se amari præsentit, non redamare confunditur. Jam apparet in lumine tuo, o inaccessible Lux, quid boni penes te, etiam cum malus esset, miserum maneret homonculum. Amat proinde non immerito, quia amatus est sine merito: amat sine fine, quia sine principio se cognoscit amatum. Prodit in lucem ad miseri consolationem magnum consilium, quod ab æterno latuerat in sinu æternitatis: quod nolit videlicet Deus mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat. Habes, homo, hujus arcani indicem spiritum justificantem, eoque ipso testificantem spiritui tuo, quod filius Dei et ipse sis. Agnosce consilium Dei in justificatione tui; confitere et dic, *Consilium meum justificationes tuæ* (*Psal. cxviii, 24*). Præsens namque justificatio tui, et divini est consilii revelatio, et quædam ad futuram **114** gloriam præparatio. Aut certe prædestinatio ipsa potius præparatio est, justificatio autem magis jam appropinquatio. Denique ait: *Agite pœnitentiā, quia appropinquavit regnum cœlorum* (*Matth. iii, 2*). Audi et de prædestinatione, quod ipsa sit præparatio. *Percipite, inquit, regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth. xxv, 54*).

8. Nemo itaque se amari diffidat, qui jam amat. Libenter Dei amor nostrum, quem prævenit, subsequitur. Nam quomodo redamare pigebit, quos amavit et necdum amantes? Amavit, inquam, amavit. habes enim dilectionis pignus Spiritum, habes et testem fidelem Jesum, et hunc crucifixum. O geminum, ipsumque firmissimum Dei erga nos amoris argumentum! Christus moritur, et meretur amari. Spiritus afficit, et facit amari. Ille facit cur ametur; iste, ut ametur. Ille suam multam dilectionem in nobis commendat, iste et dat. In illo cernimus quod amemus; ab isto sumimus unde amemus. Charitatis

igitur ab illo occasio, ex isto affectio. Quanta confusio, Dei Filium ingratis oculis cernere morientem! quod quidem facile contingit, si desit Spiritus. Nunc autem quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (Rom. v, 5), amati amamus, amantes amplius mereamur amari. Si enim cum adhuc inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius. Quid enim? qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, non etiam omnia cum ipso daturus est nobis (Rom. viii, 32).

9. Cum ergo geminum teneamus nostræ salutis indicium, geminam sanguinis et Spiritus effusionem, neutra sine altera prodest. Nam nec Spiritus datur nisi credentibus in Crucifixum, nec fides valet, si non operatur ex dilectione. Dilectio autem donum Spiritus est. Quod si secundus homo (Christum loquor) factus est non solum in animam viventem, sed etiam in spiritum vivificantem, ex uno videlicet moriens, ex altero mortuos suscitans; quid mihi prodesse potest quod in ipso moritur, absque eo quod vivificat? Denique ipse ait: *Caro non prodest quidquam, Spiritus est qui vivificat* (Joan. vi, 64). Quid est autem, *vivificat*, nisi, *justificat*? Cum enim mors animæ peccatum sit, (anima quippe quæ peccaverit ipsa morietur (Ezech. xviii, 4); vita ejus sine dubio justitia est, quoniam justus ex fide vivit. Justus autem quis est, nisi qui amanti se Deo vicem rependit amoris? quod non fit nisi revelante Spiritu per fidem homini æternum Dei propositum super sua salute futura. Quæ sane revelatio non est aliud quam infusio gratiæ spiritualis, per quam, dum facta carnis mortificantur, homo ad regnum præparatur, quod caro et sanguis non possident; simul accipiens in uno Spiritu, et unde se præsumat amatum, et unde redamet, ne gratis amatus sit.

10. Hoc itaque est illud sacrum secretumque consilium, quod a Patre Filius in Spiritu sancto accipiens, suis, quos novit, per eundem Spiritum, justificando eos, communicat, et communicando justificat: quando id quisque accipit in sui justificatione, ut incipiat et ipse cognoscere, sicut et cognitus est; cum videlicet datur et ipsi præsentire aliquid de sua ipsius futura beatitudine, quemadmodum ab æterno lauit in prædestinante, plenius appariturum in beatificante. De qua tamen jam percepta suimet ex parte notitia, interim quidem gloriatur in spe, nondum tamen in securitate. Quam miserandi, qui ad tam jucundum justorum consilium, nullum adhuc tenent suæ vocationis testimonium! Domine, quis credidit auditui nostro? O utinam saperent et intelligerent! Verum nisi crediderint, non intelligent.

11. Sed habetis et vos, o infelices sæculi male

A securiamatores. vestrum seorsum a justis consilium. Squama squamæ conjungitur, et non est spiraculum in vobis. Habetis, inquam, et vos, o impii, communicatum ad invicem consilium, sed plane adversus Dominum, et adversus Christum ejus. Etenim si, dicente Scriptura, *Pietas est cultus Dei* (305), profecto quisquis plus amat mundum quam Deum, impius atque idololatra esse convincitur, colens et serviens creaturæ potius quam Creatori. Habentibus autem, ut dictum est, sanctis atque impiis suum ad se quibusque consilium, magnum procul dubio inter utrosque chaos firmatum est. Nam quomodo justus longe se facit a consilio et concilio malignantium, ita nec resurgunt omnino impii in judicio, neque peccatores in consilio (306) justorum. Est quippe justorum consilium, pluvia voluntaria, quam segregavit Deus hæreditati suæ: est consilium vere secretum, descendens nimirum sicut pluvia in vellus: est fons signatus, cui alienus non communicat: est sol justitiæ, qui timentibus Deum tantum oritur.

12. Porro cæteros advertens propheta in siccitate et cæcitate remanentes, justorum siquidem imbris et lucis expertes infecundos ac tenebrosos, confusos et aversos, subsannat et notat: *Hæc est, inquit, gens quæ non audivit vocem Dei sui* (Jerem. vii, 28). Non vultis, o miseri, dicere cum David, *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus* (Psal. lxxxiv, 9): utique foris fusi in vanitates et insanias falsas, intimum optimumque non requiritis veritatis auditum. *Filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?* (Psal. lv, 3.) Surdi ad vocem veritatis, ignorantes consilium cogitantis cogitationes pacis, sed et loquentis pacem in plebem suam, et super sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad cor. *Jam vos, inquit, mundi estis, propter sermonem quem locutus sum vobis* (Joan. xv, 3). Ergo qui hunc sermonem non audiunt, immundi sunt.

13. Cæterum tu, o charissime, huic voci Dei tui, dulciori super mel et favum, si præparas aurem interioriorem, fuge curam exterioriorem, ut expedito et vacante interno sensu, dicas et tu cum Samuele: *Loquere, Domine, quia audit servus tuus* (I Reg. iii, 10). Vox hæc non sonat in foro, sed nec auditur in publico. Secretum consilium, secretum quærit et auditum. Auditui tuo gaudium pro certo dabit et lætitiâ, si sobria auro perceperis. Abrahæ præcipitur exire de terra et de cognatione sua, ut videre et possidere mereretur terram viventium (Gen. xii, 1). Jacob relicto fratre et patria Jordanem transit in baculo (Gen. xxxii, 10), et excipitur Rachelis amplexibus (Gen. xxix, 11). Joseph dominatur Ægypto (Gen. xli), merceptione furtiva patri sublatus et patriæ (Gen. xxxvii). Ecclesia jubetur, ut concupiscat Rex decorem ejus, oblivisci populum suum, et domum

(305) Locus est Job, xxviii, 28. Septuaginta interpretes: *ἰδὸν θεοσέβεια ἰστί σοφία*, *Ecce cultus Dei est sapientia*. Vulgata, *Ecce timor Domini ipsa est sapientia*.

(306) Ita scribendum; non, *concilio*, ut in Psalmo ii. Sensus enim exigil, *consilio* et sic habent manuscripti.

patris sui (*Psal.* XLIV, 11, 12). Puer Jesus inter cognatos et notos a parentibus quæritur, nec tamen invenitur (*Luc.* II, 44, 45). Fuge fratres tuos et tu, si tuam vis invenire salutem. Fuge, inquam, de medio Babylonis, fuge a facie gladii aquilonis. Parati sumus cum panibus occurrere fugienti: Abbatem tuum me nominas; non renuo interim propter obsequium. Obsequium dico, non quod exigam, sed quod exhibeam: sicut *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et animam suam dare in redemptionem pro multis*. Verumtamen si dignum judicas, accipe condiscipulum, quem magistrum eligis. Unus sit ambobus magister Christus: et ipse sit epistolæ finis, qui finis est ad justitiam omni credenti (*Rom.* X, 4).

## EPISTOLA CVIII.

AD THOMAM DE SANCTO-AUDOMARO (307), POST TRANSGRESSIONEM PROMISSIONIS SUÆ VENIENDI AD CONVERSIONEM.

*Hunc relictis studiis religionem ingredi hortatur, proposito Thomæ de Beverla exitu infelici.*

Charissimo filio suo THOMÆ, frater BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, in spiritu timoris ambulare.

1. Bene facis agnoscens debitum tuæ promissionis, et dilatæ reatum solutionis non diffitens: sed volo **116** te non solum quid, sed et cui promiseris, cogitare: nam ego mihi nihil usurpo ex eo quod me coram, et non mihi promissum ipse mecum recolis. Frustra proinde times exprobratum tibi iri a me super frustratoria dilatione, qui testis accitus sum, et non dominus voti (308). Vidi et gavisus sum; et hoc oro, ut gaudium meum plenum sit: quod non erit, nisi cum fuerit impleta promissio. Terminum posuisti, quem non oportuit transgredi. Transgressus es, quid ad me? tuo domino stas, aut cadis. Mihi sanè decretum est pro imminente periculo non probris, non minis agere tecum, sed monitis; idque quatenus æquo admiseris animo. Si me audieris, bene; si non, ego non judico quemquam: est qui quærat et judicet; qui enim judicat nos, Dominus est (*I Cor.* IV, 4). Et hinc tibi plus timendum arbitror ac dolendum, quia non homini, sed Deo mentitus es. Etsi ego tuæ, ut vis, verecundiæ parco coram hominibus, num illa, quæ coram Deo est, impudentia impunita relinquitur? Quid quæso, rationis habet verecundari ad diem hominis, et vultum Dei non vereri? Nam vultus Domini super facientes mala (*Psal.* XXXIII, 17). Tu ergo plus times opprobria quam tormenta; et qui trepidas ad linguam carnis, contemnis gladium qui devorat carnes? Hæccine est illa moram pulcherrima compositio, qua informari te scribis scientiæ hujus apprehensione, cujus studio et amore sic ferves, ut non verearis sancto proposito præjudicium facere?

2. Sed quæso te, quod memoriale virtutis, quæ

(307) Vide epistolam 382.

(308) Votum appellat Bernardus ejusmodi promissum, quo quis se in religionem ingredi coram

A laus disciplinæ, quis scientiæ profectus, vel artis fructus, trepidare timore ubi non est timor, et timorem Domini relinquere? Quam salubrius disceres Jesum, et hunc crucifixum! quam utique scientiam haud facile, nisi qui mundo crucifixus est, apprehendit. Falleris, fili, falleris, si te putas invenire apud mundi magistros, quam soli Christi discipuli, id est mundi contemptores, Dei munere assequuntur. Nec enim hanc lectio docet, sed unctio; non littera, sed spiritus; non eruditio, sed exercitatio in mandatis Domini. *Seminate, inquit, vobis justitiam, metite spem vitæ, illuminate vobis lumen scientiæ* (*Osee*, X, 12). Vides quia non recte proditur ad lumen scientiæ, nisi justitiæ germen procedat [*al.* præcedat] ad animam, ex quo formetur granum vitæ, et non palea gloriæ. Quid ergo? nondum tibi ad justitiam seminasti, nondum spei manipulos messuisti; et veram te præsumis sectari scientiam! nisi forte pro vera supponitur illa quæ inflat. Et stultius erras appendens argentum tuum non in panibus, et labores tuos non in saturitate. Obsecro, redi ad cor, et adverte hunc annum [*edit.* annum], terminum quem tu tibi indulxisti in injuriam Dei, non esse annum placabilem Domino, sed discordiæ seminarium, ira fomitem, nutrimentum apostasiæ, qui spiritum exstinguat, gratiam intercludat, teporem afferat illum qui Deo solet vomitum provocare.

3. Heu! heu! videris mihi uno spiritu ambulare, sicut et uno censi nomine, cum altero illo Thomæ, olim scilicet præposito de Beverla, qui cum se similiter nostro Ordini et nostræ domui toto desiderio devovisset, cœpit induciari, et ita paulatim refrigerescere, donec subita et horrenda morte præreptus factus de mediõ est sæcularis et prævaricator, et duplo filius gehennæ (quod ab eo, si fieri potest, avertat misericors et miserator Dominus!). Exstat epistola, quam ad eum frustra scripsi (*Epist.* præced.): nisi quod meam ipsius animam liberavi, denuntians, quod in me fuit, quæ oportuit fieri cito: Beatus foret, si me audisset. Dissimulavit: mundus ego sum a sanguine ejus. Verum id non sufficit mihi; quia etsi sim in facto isto securus de me, illa tamen, quæ non quærit quæ sua sunt, charitas urget me lugere illum qui securus non exiit, quoniam male securus vixit. O judiciorum Dei abyssus multa! o terribilis **117** in consiliis Deus super filios hominum! Spiritum donavit, quem erat denuo ablaturus, ut esset supra modum peccans peccatum; et gratia subintravit, ut abundaret delictum: quod tamen non fuit culpa dantis, sed addentis prævaricationem. Sui nimirum arbitrii erat, quo male liberum habuit constrictare spiritum, contemnere gratiam, nec mancipare effectui suggestum Dei, ut posset dicere: *Gratia Dei in me vacua non fuit* (*I Cor.* XV, 10).

4. Tu si sapis, illius insipientia proderit tibi, et eo statuerat. Confer epistolam 395; et sermonem 63 in Cantica, n. 6, ubi Novitiorum lapsum et casum luget.

lavabis manus tuas in sanguine peccatoris, et curabis cito absolvere te a laqueo perditionis, me a timore horribili. Ego enim haud secus fero, fateor, aversionem tuam, quam eviscerationem meam: quoniam charissimus factus es mihi, et paterno te amplector affectu. Ea propter ad omnem recordationem tui, animam meam transverberat gladius iste timoris, tanto acerbius, quanto te minus timentem considero. Scio nempe, ubi de talibus legerim: *Cum dixerint, pax et securitas, tunc subitaneus eis superveniet interitus, tanquam in utero habenti, et non effugient* (I Thess. v, 5). Multa autem præsentio imminere tibi pavenda tardanti resipiscere, tanquam multa expertus, quæ o si cognovisses et tu! Crede ergo experto, crede amanti: cui ex altero non falli, ex altero non fallere inesse cognoscis.

## EPISTOLA CIX.

AD ILLUSTRUM JUVENEM GAUFRIDUM DE PERRONA (309),  
ET SOCIOS EJUS,

*Nobiles juvenes ob religiosæ vitæ propositum prædicat  
et ad perseverantiam hortatur.*

Dilectis filiis GAUFRIDO et sociis ejus, BERNARDUS abbas dictus Claræ-Vallis, spiritum consilii et fortitudinis.

1. Sermo qui insonuit, ædificat multos, imo universam lætificat civitatem Dei, ita ut lætentur cœli, et exsultet terra, et omnis lingua glorificet Deum de vestra conversione. Terra mota est, quia cœli distillaverunt a facie Dei Sinai, pluentes istis diebus solito abundantius pluviam voluntariam, quam segregavit Deus hæreditati suæ. Non apparebit ultra vacua in vobis crux Christi, quemadmodum in multis filiis diffidentiae, qui tardantes converti ad Dominum de die in diem, improvisa morte subtracti, in puncto descendunt ad inferos. Omnino reffloruit et nunc quasi de novo lignum in quo pependit Dominus gloriæ, qui mortuus est, non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. Ipse, ipse colligit vos, qui diligit vos tanquam viscera sua, tanquam fructum pretiosissimum crucis suæ,

A tanquam dignissimam recompensationem effusi sanguinis sui. Si ergo gaudent angeli super uno peccatore poenitentiam agente (Luc. xv, 10), quid in tam multis, et illis peccatoribus, qui, quanto illustriores videbantur in sæculo, scientia, genere, juventute, tanto pluribus erant perditionis exemplum? Legeram, *Non multos nobiles, non multos sapientes, non multos potentes elegit Deus* (I Cor. i, 26, 27); at nunc præter regulam mira Dei potentia talium convertitur multitudo. Vilescit gloria præsens, juventutis flos conculcatur, non reputatur generositas; sapientia mundi stultitia judicatur; non acquiescitur carni et sanguini; parentum et charorum renuntiatur affectibus; favores, et honores, et dignitates reputantur ut stercore, ut Christus lucrifiat. Laudarem vos, si vobis hæc accidissem ex vobis cognoscerem: cæterum digitus Dei est iste, mutatio plane dexteræ Excelsi. Datum optimum est, et donum perfectum **118**, nec dubium quin descendens a Patre luminum. Ideo in ipsum omne præconium jure referimus, qui facit mirabilia solus, qui fecit ne in vobis otiosa jam esset ea, quæ apud se est, copiosa redemptio.

2. Quid igitur opus est factò, dilectissimi, nisi ut satagatur quomodo laudabile propositum dignum consequatur effectum? Studete proinde perseverantiae, quæ sola virtutum coronatur. Non inveniatur apud vos, Est et Non, ut sitis filii Patris vestri qui est in cœlis, apud quem nimirum non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Vos quoque, fratres, in eandem imaginem transformamini a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu, curantes omni vigilantia et ipsi non inveniri leves, instabiles, fluctuantes. Scriptum est enim: *Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis* (Jacobi i, 8); et rursum: *Væ ingredienti terram duabus viis!* (Eccli. ii, 14.) Et ego, charissimi, quantum congratulor vobis, tantum gratulor et mihi, qui, ut accepi, dignus habitus sum minister eligi consilii hujus. Et consilium do, et auxilium spondeo. Si videor necessarius, aut certe si dignus judicor, non recuso labo-

(309) In vetustiori editione, *de Perrona*, quæ urbs est munitissima ad Somenam. Inde ergo nomen traxit Gaufridus et originem. Ex iis erat, quos S. Bernardus in Belgio ad religionem convertisse memoratur in libro quarto de ipsius Vita, cap. 3. Socius conversionis fuit Gaufridus alter, postea Prior Claræ-Vallensis. De his intelligendus est Hermannus monachus Tornacensis, in Spicilegii tomo 12, pag. 479, ubi de S. Bernardo, quem « tam ex ecclesia Sanctæ-Mariæ Tornacensis, quam ex ipsa diœcesi, clerici videlicet multi famosi domnum Bernardum abbatem Claræ-Vallensem conversionis gratia secuti sunt. » Hoc factum refert Hermannus pag. 476, post annum vigesimum quartum pontificatus Simonis Noviomensis, qui sedere cœpit anno 1122. Non ergo hæc epistola, ut Manriquez censet, ad annum 1131 referri potest. Gaufridum Perronensem laudat Petrus de Roya Novitius Claræ-Vallensis supra, in epistola 479, n. 9. — Huc usque Mabillonius, cui in eo non consentit Horstius, quod hunc eundem Gaufridum velit fuisse Priorem Claræ-Vallis, de quo sic habet: Hunc sanctus Bernardus cum aliis viginti novem nobilibus ac litteratis juvenibus in Flandria

ad religionem convertit; nutantem vero aut procrastinantem hisce litteris excitavit. Is postea factus Prior in Clara-Valle, quintus in ordine; demum electus in episcopum Tornacensem (alii legunt Nannetensem), consentire noluit. Quod ita Petrus Blesensis narrat: « Legimus, quod Gaufridus Perronensis, Claræ-Vallis Prior, electus in episcopum Tornacensem, electioni nullatenus acquievit. Qui postea defunctus et apparens cuidam fratri, inquirenti qualiter ei esset, respondit: Revelavit mihi Trinitas sancta, quod si suscepissem episcopatum, fuisset de numero reproborum. Ubi et ejus exemplo percellit animos aliorum quorundam præsulum, ita dicens: Quid ergo facient infelices, qui temporalium sollicitudinum fluctibus se sponte et gratanter immergunt? qui splendide epulando, dormiendo, bibendo, sedendo ad telonium; fiscalem calculum dispensando, quærendo quæ sua sunt, aut potius quæ sunt Cæsaris, et non Dei, vitam suam in vanitatibus transigunt? » Ita Petrus Blesensis, epist. 102. Idem refert Cæsarius, lib. 2, cap. 29. Vide de eo Henriquez in Menolog. ad diem 15 februarii.

rem, non deero pro viribus. Devotus suppono humeros, etsi jam fessos (310), sarcinæ huic, si mihi cœlitus imponatur. Lætus et obviis, ut dicitur, manibus excipio cives sanctorum, et domesticos Dei. Quam libens, juxta mandatum propheticum, occuro cum panibus fugientibus a facie gladii, aquam ferositientibus! (*Isa. xxi, 14.*) Reliqua posui in ore nostri, imo et vestri Gaufridi. Quidquid vobis vice nostra dixerit ille, nostrum non dubitetis esse consilium.

## EPISTOLA CX.

AD PARENTES EJUSDEM GAUFRIDI CONSOLATORIA.

*Non esse cur filium religiosum tanquam perditum lugeant, vel etiam cur delicatulo metuant.*

1. Si filium vestrum Deus facit et suum, quid vos perditis, aut ipse quid perdit? Fit de divite ditior, de nobili generosior, clarior de illustri; et, quod his omnibus majus est, sanctus de peccatore. Oportet autem eum præparari regno quod sibi paratum est ab origine mundi, atque hujus rei gratia modicum tempus, quod vivere habet, manere nobiscum, donec abrasa spurcitia vitæ sæcularis, ac terreno detergo pulvere, cœlesti mansioni fiat idoneus. Si diligitis eum, gaudebitis utique quia vadit ad Patrem, et talem Patrem. Ipse quidem vadit ad Deum, sed vos non perditis eum; quin potius multos per eum acquiritis vobis filios. Quotquot sumus in Clara-Valle vel de Clara-Valle ipsum in fratrem, vos in parentes suscipimus.

2. At fortassis metuitis corpori ejus vitæ asperitatem, quod nimirum tenerum nostis esse ac delicatum. Cæterum de hujusmodi timore dicitur: *Ibi trepidaverunt timore, ubi non fuit timor* (*Psal. xiii, 5.*) Confidite, consolamini: ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium, quousque de meis manibus excipiat eum Pater misericordiarum et Deus totius consolationis. Nolite ergo lugere, et nolite flere; quia Gaufridus vester festinat ad gaudium, non ad luctum. Ego ero illi pater, ego mater, ego frater et soror. Ego faciam ei prava in directa, et aspera in vias planas: ego ei omnia sic temperabo et sic dispensabo, ut et spiritus proficiat, et corpus non deficiat. Denique serviet Domino in lætitiâ et exultatione, et cantabit in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini.

## 119 EPISTOLA CXI.

EX PERSONA ELIÆ MONACHI AD PARENTES SUOS.

*Hortatur eos ne se Deo servire volentem impedire aut retrahere conentur: indignum id fore et frustraneum.*

Charis parentibus suis, INGORRANNO et IVETÆ HE-

(310) Hinc patet Bernardum jam senectæ proximum tunc fuisse.

(311) Hæc inscriptio nunc primum restituta est ex codice Corbeiensi sæpe laudato. An epistola hæc una est ex illis quas scriptoribus componendas præscribat aliquando Vir sanctus, ex epistola nunc 589? Cæterum de his litteris ita Horstius: Hanc epistolam Bernardus nomine Eliæ Novitii sui ad parentes ejus scripsit, ut eos filium a proposito revocare conantes reprimeret. (Acriora quidem,

ALIAS monachus, sed peccator, quotidianas orationes (311).

1. Sola causa, qua non liceat obedire parentibus, Deus est. Ipse enim dicit: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.* Si me vere ut boni, ut pii parentes diligitis; si veram, si fidem erga filium pietatem habetis: quid me Patri omnium Deo placere satagentem inquietatis, et ab ejus servitio, cui servire regnare est, retrahere attentatis? Vere nunc cognosco quia inimici hominis, domestici ejus (*Michææ vii, 6.*) In hoc vobis obedire non debeo, in hoc vos non agnosco parentes, sed hostes. Si diligeretis me, gauderetis utique quia vado ad meum atque vestrum, imo universorum Patrem. Alioquin quid mihi et vobis? quid a vobis habeo, nisi peccatum et miseriam? Hoc solum, quod gesto, corruptibile corpus de vestro me habere fateor et agnosco. Non sufficit vobis quod me in hanc sæculi miseriam miseri miserum induxistis; quod in peccato vestro peccatores peccatorem genuistis; quod et in peccato natum, de peccato nutristis: nisi etiam invidendo mihi misericordiam, quam consecutus sum ab eo qui non vult mortem peccatoris, filium insuper gehennæ faciatis?

2. O durum patrem! o sævam matrem! o parentes crudeles et impios; imo non parentes, sed peremptores: quorum dolor, salus pignoris; quorum consolatio, mors filii est! qui me malunt perire cum eis, quam regnare sine eis! qui me rursus ad naufragium, unde tandem nudus evasi; rursus ad ignem, unde vix semiustus exivi; rursus ad latrones, a quibus semivivus relictus sum, sed miserante Samaritano jam aliquantulum convalui, revocare conantur: et militem Christi prope jam raptò cœlo triumphantem (quod non in me glorior, sed in eo qui vicit mundum) ab ipso jam introitu gloriæ, tanquam canem ad vomitum, tanquam suem ad lutum, ad sæculum reducere moliantur! Mira abusio! domus ardet, ignis instat a tergo, et fugienti prohibetur egredi, evadenti suadetur regredi! et hoc ab his qui in incendio positi sunt, et obstinatissima dementia ac dementissima obstinatione fugere vericulum nolunt. Proh furor! si vos contemnitis mortem vestram, cur etiam appetitis meam? Si, inquam, negligitis salutem vestram, quid juvat etiam persequi meam? Quare vos non potius sequimini me fugientem, ut non ardeatis? An hoc est vestri cruciatus levamen, si me etiam perimatis: et hoc solum timetis, ne soli pereatis? Ardens ardentibus quod solatium præstare poterit? quæ, inquam, consolatio damnatis,

inquit Lessius, et ista videri possent, nisi a tanta sapientia et sanctitate essent profecta. Quis enim electum illud Spiritus sancti organum audeat reprehendere? Noverat ille quanti hæc res sit momenti. Neque tamen mens ipsius est, ut passim tam acriter illis scribatur, nisi quis videat se in gravia salutis pericula illorum importunitate conjiciendum, aut illi finem sollicitandi non faciant. Ita ille tractatu utilissimo de Statu vitæ deligendo, quæst. 4, 56. Confer notas ad epistolam 104.



socios habere suæ damnationis? quodve remedium A morientibus, alios videre morientes? Non hoc mihi persuadet dives ille qui, in tormentis desperatus de sui liberatione, rogabat nuntiari fratribus suis ne et ipsi venirent in locum eundem tormentorum (*Luc. xvi, 28*), timens procul dubio ex suorum cruciatu augeri suum.

3. Quid ergo? ibo et consolabor lugentem matrem meam moi ad tempus visitatione, ut in æternum luceam et me et ipsam sine consolatione? Ibo, inquam, et satisfaciam patri meo irascenti pro mei ad tempus absentia, consolandus et ipse ad tempus de ejus presentia, ut postmodum et quisque pro se, et uterque pro alterutro inconsolabili desoletur tristitia? An potius exemplo Apostoli non acquiescens carni et sanguini (*Galat. i, 16*) **120**, vocem audiam Domini jubentis: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos* (*Matth. viii, 22*); et cantabo cum David: *Renuit consolari anima mea* (*Psal. lxxvi, 5*); et cum Jeremia, *Diem hominis non concupivi, Domine tu scis?* (*Jerem. xvii, 16.*) Quid enim? funes ceciderunt mihi in præclaris, et cœlestis hæreditas præclara est mihi (*Psal. xv, 6*); et terrena adulatur promissio, blanditur consolatio carnis! Gustato spiritu, necesse est desipere carnem; affectanti cœlestia, terrena non sapiunt; æternis inhianti, fastidio sunt transitoria. Desinite igitur, parentes mei, desinite et vos frustra plorando affligere, et me gratis revocando inquietare: ne, si adjeceritis nuntios ultra mittere pro me, plus me elongare cogatis. Si autem dimittitis, Claram-Vallem in perpetuum non dimittam. Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Ibi pro meis atque vestris peccatis jugiter orabo; ibi precibus assiduis (quod et vos cupitis) impetrabo, si potero, ut, qui ejus amore hoc modico tempore ab invicem separamur, in alio sæculo simul felici et inseparabili societate, in ejus amore vivamus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

#### EPISTOLA CXII.

AD GAUFRIDUM LEXOVIENSEM (512).

*Dolet eum deserto religionis proposito rediisse ad sæculum; et ad resipiscentiam hortatur.*

1. Doleo super te, fili mi Gaufride, doleo super te. Et merito. Quis enim non doleat florem juventutis tuæ, quem lætantibus angelis Deo illibatum obtuleras in odorem suavitatis, nunc a dæmonibus conculcari, vitiorum spurcitiis, et sæculi sordibus inquinari? Quomodo qui vocatus eras a Deo, revocantem diabolum sequeris, et quem Christus trahere cœperat post se, repente pedem ab ipso introitu gloriæ retraxisti? In te experior nunc veritatem sermonis Domini, quem dixit: *Inimici hominis, domestici ejus* (*Matth. x, 36*). Amici tui et proximi tui adversum te appropinquaverunt, et steterunt. Revocaverunt te in fauces leonis, et in portis mortis iterum collocaverunt te. Collocaverunt te in obscuris, sicut

(512) Alii habent, *Luxoviensem*. Quo vocabulo etiam Ordericus uti solet ad designandos Lexovienses, in Neustria: ut nulla sit passim nominis distin-

mortuos sæculi: et jam parum est ut descendas in ventrem inferi; jam te deglutire festinat, ac rugientibus præparatis ad escam tradere devorandum.

2. Revertere, quæso, revertere, priusquam te absorbeat profundum, et urgeat super te puteus os suum; priusquam demergaris, unde ulterius non emergas; priusquam ligatis manibus et pedibus projiciaris in tenebras exteriores, ubi est fletus et stridor dentium; priusquam detrudaris in locum tenebrorum, et opertum mortis caligine. Erubescis forte redire, quia ad horam cessisti. Erubescere fugam, et non post fugam reverti in prælium, et rursum pugnare. Necdum finis pugnæ, necdum ab invicem dimicantes acies discesserunt: adhuc victoria præ manibus est. Si vis, nolimus vincere sine te, nec tuam tibi invidemus gloriæ portionem. Læti occurremus tibi, lætis te recipiemus amplexibus, dicemusque: *Epulari et gaudere oportet, quia hic filius noster mortuus fuerat, et revixit; perierat, et inventus est* (*Luc. xv, 32*).

#### EPISTOLA CXIII.

AD SOPHIAM VIRGINEM.

*Eam prædicat ob spretam mundi gloriam: et expositis religiosarum virginum elogiis, privilegiis, præmiis ac ornamentis ad perseverantiam hortatur.*

BERNARDUS abbas de Clara-Valle, SOPHIÆ virgini, virginitatis servare titulum, apprehendere fructum.

1. Fallax gratia, et vana est pulchritudo: mulier timens Deum, ipsa laudabitur (*Prov. xxxi, 30*). Condelector, filia, gloriæ virtutis tuæ, qua fallacem mundi gloriam respuisse narraris. Ipsa quippe digne respuitur; sed quia multi **121** aliter sapientes in ejus æstimatione desipiunt, tu jure laudaris, quia non falleris. Flos feni est, vapor est ad modicum parens. Ipse ejus qualiscunque status, nonne plus anxietatis, quam jucunditatis habet? Dum vindicas, dum defendis, dum invides, dum suspicaris, dum semper ambis quæ non habes, et, nonnullis adeptis, acquirendi non tepescit ardor, quæ requies in gloria tua? Si qua tamen est, præterit jucunditas non reditura, et manet anxietas non relictura. Cæterum videas eam quamplurimos non apprehendere, contemnere perpauca. Cur hoc? Profecto quia necessitas multorum est, virtus paucorum. Paucorum, inquam, paucorum, præsertim nobilium. Denique non multos nobiles, sed ignobilia mundi elegit Deus (*I Cor. i, 26-28*). Proinde benedicta tu in nobilibus, quæ, pro gloria certantibus cæteris, de contemptu gloriæ gloriosius sublimaris, et sublimius gloriaris; insignior plane atque illustrior, quod de paucis facta es, quam quod orta de magnis. Illud namque Dei munere tuum est, hoc tuorum. Porro quod tuum est, tanto charius est, quanto rarius. Nam si in viris virtus rara est avis in terris [*JUVEN. Sat. vi*], quanto magis in femina fragili et nobili? Denique mulierem fortem etio inter Luxovienses in Burgundiæ comitatu, apud illius temporis scriptores,

quis inveniet? (*Prov. xxxi, 10*). Multo magis quis A fortem et nobilem? Minime quidem Deus est acceptor personarum: nescio tamen quo pacto virtus in nobili plus placet. An forte quia plus claret? siquidem ignobilis, cum caret gloria, non facile liquet utrum quia nolit, an quia non possit habere. Laudo factam de necessitate virtutem; sed plus illam quam eligit libertas, non indicit necessitas.

2. Certent ergo cæteræ, quæ spem non habent, pro rerum fugacium atque fallacium vili brevique gloriola: tu spei, quæ non confundit, innitere. Tu te, inquam, ei quod breve hoc ac momentaneum tribulationis tuæ supra modum in sublime operator, ponderi gloriæ reservato. Quod si tibi exprobraverint filia Belial, illæ quæ extento collo, fractis incedunt gressibus, compositæ et circumornatæ ut similitudo templi; responde: Regnum meum non est de hoc mundo; responde: Tempus meum nondum advenit, tempus autem vestrum semper est paratum: responde: Gloria mea abscondita est cum Christo in Deo; cum autem Christus apparuerit vita mea, tunc et ego apparebo cum ipso in gloria (*Coloss. iii, 4*). Quanquam et si gloriari oportet, potes tu quoque ingenue, potes secure, tantum in Domino. Omitto sane coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum. Sileo repromissiones, quæ te in posterum manent: quod felix sponsa admittenda es revelata facie speculari gloriam sponsi tui; quod te sibi exhibiturus est gloriosam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi; quod æternis excepturus amplexibus, ponet lævam sub capite tuo, et dextera illius amplexabitur te. Prætereo locum nominatum, quem virginitatis prærogativa singularem a filiis et filiabus in regno es procul dubio sortitura. Sileo et canticum illud novum, quod virgo cum virginibus singulari nihilominus dulcique modulamine canitura (*313*), lætaberis in ipso, et lætificabis civitatem Dei, cantans, et cursitans, et sequens Agnum quocumque ierit. Illud siquidem nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quod tibi præparatum est, et cui te præparari oportet.

3. Hæc ergo prætermitto, quæ in futuro reposita sunt tibi: præsentia tantum loquor, ea loquor quæ de primitiis spiritus jam tenes, sponsi xenia, arrhas sponsalicias, benedictiones dulcedinis, in quibus te prævenit, quem et subsequaturum, atque quod deest completurum exspectas. Ille, ille, in medium veniat summo decore spectabilis, ipsis quoque angelis admirandus ornatus: et proferant si quid simile habent filia Babylonis, quarum vere gloria in confusione. Induuntur purpura et bysso, et subinde conscientia pannosa jacet: fulgent monilibus, moribus sordent. E contra tu foris pannosa, intus speciosa resplendes, sed divinis aspectibus, non humanis. Intus est quod delectat, quia intus est quem delectat: nisi forte tu dubitas **122** habitare Christum per fidem in corde tuo. Denique *omnis gloria ejus*

*filia regis ab intus* (*Psal. xlv, 14*). Jucundare, filia Sion, et exsulta satis, filia Jerusalem; quia concupivit Rex speciem tuam: si tamen confessionem et decorem induis, amicta lumine sicut vestimento. Nempe confessio et pulchritudo in conspectu ejus. Cujus? Speciosi forma præ filiis hominum; ipsius in quem desiderant angeli prospicere.

4. Audis cui places: ama unde places; ama confessionem, ob quam amaris: ama confessionem, si affectas decorem. Confessioni jungitur decor, jungitur pulchritudo. Habes utrumque: *Confessionem et decorem induisti* (*Psal. ciii, 1*); et: *Confessio et pulchritudo in conspectu ejus* (*Psal. xcv, 6*). Revera ubi confessio, ibi pulchritudo, ibi decor. Si peccata sunt, in confessione lavantur: si bona opera, confessione commendantur. Cum mala tua confiteris, sacrificium est Deo spiritus contribulatus: cum Dei beneficia, immolas Deo sacrificium laudis. Bonum animæ ornamentum confessio, quæ et peccatorem purgat, et justum reddit purgatorem. Absque confessione justus judicatur ingratus, et peccator mortuus reputatur. A mortuo quippe, tanquam qui non sit, perit confessio (*Eccli. xvii, 26*). Confessio igitur, peccatoris est vita, justus gloria: et necessaria est peccatori, et justum nihilominus decet. Denique rectos decet laudatio (*Psal. xxxii, 1*). Serica, et purpura, et tincturarum fucus decorem habent, sed non præbent. Quidquid tale applies corpori, exponit speciem suam, non deponit. Secum denique tollit, cum tollitur ipsum. Porro decor qui cum veste induitur, et cum veste deponitur, vestis procul dubio est, non vestiti.

5. Tu ergo noli æmulari in malignantibus, et mendicantibus pulchritudinem alienam, ubi perdidierint suam. Nativo quippe et interno se produnt decore nudas, quæ tanto studio et pretio de diversis et variis speciebus ejus quæ præterit figuræ mundi, foris sibi conficere satagunt, unde oculis insipientium appareant speciosæ. Indignum tibi judica, formam a pellibus murium, et operibus vermium mutuari: tua tibi sufficiat. Ille est verus propriusque cujusque rei decor, qui nulla interjacente materia per e inest. O quam decenti rubore genas suffundit virgineas ingeniti gemina pudoris! quæ in aures reginarum huic comparabuntur? Nec inferioris insignis decoris disciplina præfert. O quam compositum reddit omnem puellaris corporis statum, nedum [*al. nec non*] et mentis habitum, disciplina! Cervicem submittit, ponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, gullam frenat, iram sedat, formiat incessum. Talibus decet pudicitia vestem distingui margaritis. Istiusmodi circumdata varietate virginitas, cui gloriæ merito non præfertur? Angelicæ? Angelis habet virginitatem, sed non carnem: sane felicior, quam fortior in hac parte. Optimis et optabilis valde ornatus iste, qui et angelis possit esse invidiosus.

6. Sed adverte et aliud de eodem. Profecto tanto tibi manet tutus, quanto et proprius. Vides nempe auro, argento, lapidibus pretiosis, et omni denique cultu regio non tam ornatas quam oneratas. Vides longas post se trahentes simbrias, ipsasque pretiosissimas, et densas pulveris nubes excitantes in aera. Non te moveant hæc. Illæ illa vel in morte deponent: te tua sanctitas non relinquet. Non sunt sua quæ portant. Cum interierint, non sument omnia, neque descendet cum eis gloria hæc. Mundus, cujus sunt, nudis illis exeuntibus retinebit, eisdem vanis vanas similiter alias seducturus. At vero tuus ille ornatus non sic. Firmissime tibi, ut dixi, manet, propterea tutus, quia tuus. Nullius facile aut cedit injuriis, aut patet insidiis. Adversus hujusmodi nil furis calliditas, nil furentis crudelitas potest. Nec a tineis roditur, nec vetustate corrumpitur, nec consumitur usu. In morte vivit. Nimirum animæ res est, non corporis: et ob hoc simul cum anima de corpore abit, non obit cum corpore. Porro animæ non habent quid faciant, etiam qui corpus occidunt.

### 123 EPISTOLA CXIV.

AD ALTERAM SANCTIMONIALEM.

*Quæ sub habitu religioso animum gesserat mundo deditum, eam jam resipiscentem prædicat, et ne gratiam negligat, hortatur.*

1. Magnum est mihi gaudium, quod te ad verum et perfectum gaudium velle tendere comperi, quod non est de terra, sed de cælo; id est, non de hac convalle plorationis, sed de illa quam fluminis impetus lætificat civitate Dei. Et revera illud verum et solum est gaudium, quod non de creatura, sed de Creatore concipitur; et quod cum possederis, nemo tollet a te: cui comparata omnis aliunde jucunditas, inæror est; omnis suavitas dolor est; omne dulce, amarum; omne decorum, scædum; omne postremo quodcunque aliud delectare possit, molestum. Denique tu mihi testis es in hac re: te ipsam interroga, quia tu tibi familiarius credes. Nunquid non hoc ipsum clamat in corde tuo Spiritus sanctus? An non tibi jam ab ipso, priusquam a me, hujus rei veritas persuasa est? Quando enim tu femina et juvenula, formosa et ingenua, sic fragilem et sexum vinceres et ætatem; sic spectabilem et formam et generositatem contemneres, nisi cuncta quæ corporis sensi-

bus subjacent, in illorum jam tibi comparatione vilescerent, quæ te interius et confortant ut vincas, et delectant ut præferas?

2. Nec immerito. Modica, transitoria, terrena sunt quæ despicias; maxima, æterna, cœlestia sunt quæ appetis. Plus dicam, et verum dicam: tenebras deseris, et lucem ingrederis. De profundo fluctuum emergis ad portum; de misera servitute in felicem libertatem respiras; de morte denique transis ad vitam: siquidem usquemodo tua non Dei voluntate, tuâ vivens non Dei lege, vivens mortua eras: vivens mundo, mortua Deo; sive, ut verius loquar, nec mundo vivens, nec Deo. Volens quippe sub habitu et nomine religionis instar unius de sæculo conversari, sola Deum a te voluntate repuleras: non autem valens quod stulte volebas, non tu quidem mundum, sed te mundus repulerat. Deum ergo repellens, et a sæculo repulsa, inter duas, ut dicitur, sellas corrueras (314). Nec Deo itaque vivebas, quia nolebas; nec sæculo, quia non poteras: alteri quidem volens, alteri invita; sed tamen utrique mortua. Sic debet contingere his qui vovent, et non solvunt [*al.* et non reddunt]; qui aliud foris ostentant, et intus aliud appetunt. At vero nunc per Dei misericordiam incipis reviviscere, non peccato, sed justitiæ; non sæculo, sed Christo: sciens quia et sæculo vivere, mors est; et in Christo etiam mori, vita. Beati nempe mortui, qui in Domino moriuntur.

3. Ex hoc jam nec votum tuum irritum, nec casam professionem causabimur: ex hoc jam nec corporis integritas animi corruptione infirmabitur, nec morum pravitate virginitatis titulus obscurabitur: ex hoc jam nec falsum nomen, nec vacuum velamen portabis. Utquid enim hactenus nonna (315) et sanctimonialis vocitata es, quæ sub sanctitatis nomine, non tamen sancte conversata es? Cur velum in capite mentiebatur reverentiam, et sub velo petulans oculus exhibebat impudentiam? Caput siquidem gerebas velatum, sed elatum: sub signo verecundiæ sermo resonabat inverecundus. Risus immoderatio, incessus lascivior, vestitus ornatior, wimplatæ (316) magis quam velatæ congruerent. Sed ecce jam vetera Christo auctore transierunt, et nova fieri, incipiunt omnia, dum cultum exteriorum interiore commutas, et magis vitam quam vestem appetis habere ornatam. Facis 124 quod debes,

(314) Apte hoc loco liber primus de Imitatione Christi, cap. 25: « Religiosus negligens et tepidus habet tribulationem super tribulationem, et ex omni parte patitur angustiam; quia interiori consolatione caret, et exteriorum quereræ prohibetur. » Lege sermones 3 et 5 in Ascensione.

(315) Vox ex regula S. Benedicti efficta, in qua juniores priores suos, *Nonnos*, appellare jubentur in capite 63.

(316) Ita omnes: quotquot vidi codices manuscriptos, nempe regie Bibliothecæ, Colbertinæ, Sorbonæ, Collegii regii Navarræ, S. Victoris Parisiensis, Compendiæ, aliisque aliarum bibliothecarum, qui habent, *wimplatæ*; cum tamen omnes editiones præter duas (Parisiensem videlicet anni 1494, et

Lugdunensem anni 1530), habeant, *uni inflatæ*. Quid enim, inquit, *wimplatæ*? Certe vox efficta a *wimpla* seu *guimpla*, proclivi litteræ *g* in *v* demutatione: gallice *guimpe*, vel *guimple*, muliebri capitis ornamentum, nobilibus feminis olim solemne (uti discimus ex antiquis nobilium matronarum simulacris) a simplicioribus modestiæ causa rejectum. Unde illud poetæ Galli apud Borellum in Gallico Glossario:

*Moult fut humiliant et simple,*

*Elle eut un voile en lieu de guimple.*

Quod sic reddi potest:

*Velum pro wimpla simplex humilisque gerebat.*

Nunc vero *Guimpe* nomen extra monialium claustrum fere ignotum.

imo quod jam olim lecisse debueras : nam olim jam voveras. Sed Spiritus, qui, sicut ubi vult, ita et quando vult, spirat, necdum spiraverat. Et idcirco forsitan quod hucusque egisti, excusationem habet. Cæterum si flammantem spiritum, quo nunc recaluit sine dubio cor tuum intra te, et in meditationibus tuis exardescens ignem divinum jam exstingui permiseris, quid restat, nisi ut te illi servandam noveris igni qui non possit exstingui? Sed exstinguat potius idem Spiritus in te concupiscentias carnales, ne forte ab his præfocato (quod absit!) nuper concepto sancto desiderio, in flammam contingat incidere gehennales.

## EPISTOLA CXV.

AD ALIAM SANCTIMONIALEM DE MONASTERIO SANCTÆ  
MARIÆ TRECENSIS (317).

*Dissuadet ei eremum, quam temere et imprudenter  
appetebat.*

1. Relatum est mihi te, quasi asperioris vitæ desiderio, tuum monasterium velle deserere. Quam rem dissuadentibus tibi atque omnimodis prohibentibus spirituali matri tuæ, sive sororibus, cum acquiescere nolles, placuisse tandem nostrum super hoc consilium eligere : ut quidquid ego laudaverim, id tibi credas expedire. Debueras quidem doctiorem ad hoc consilium eligere : quia tamen sic tibi visum est, quod hinc mihi rectius videtur, non celo. Hoc itaque tuum desiderium ex quo cognitum habui, cogitans atque recogitans quo quidem spiritu conceperis, facile judicare non audeo. Potēs namque in hac re zelum Dei habere, ut excusabilis sit tua intentio ; sed quomodo secundum scientiam tua talis voluntas impleatur, omnino non video. Cur, inquis? non est sapere, ut opulentiam, ut urbis frequentiam, ut pingua fugiam et delicias? annon mea mihi pudicitia tutior erit in eremo, ubi in pace cum paucis, aut sola conversans, soli placeam cui me probavi? Nequaquam. Nam volenti perperam agere, et desertum abundantiam habet, et nemus umbram, et silentium solitudo. Malum quippe quod nemo videt, nemo arguit. Ubi autem non timetur reprehensor, securius accedit tentator, licentius perpetratur iniquitas. In conventu vero bona si qua facis, nemo prohibet : malum autem facere si vis, non licet. Mox etenim a pluribus comperitur, arguitur, emendatur : sicut e

(317) Hactenus superstat apud Treca istud monasterium sub Regula S. Benedicti : ubi religio tum innovata erat, teste Bernardo.

(318) Vulgo, *le bon ordre*; id est, accuratam vitæ monasticæ disciplinam.

(319) Fuit hæc Alani comitis conjux in Claræ-Vallensibus maxime benefica, quibus monasterium juxta urbem Nannetum construxit, teste Ernaldo in libro 2 de Vita sancti Bernardi, n. 34; et quidem anno 1135, ex Chronologia nostra. Monasterio vocabulum est Buzeium, cui modo præest illustrissimus abbas Caumartinus, a quo primarias conditi cœnobii litteras accepimus. His in litteris testatur dux Conanus, Alani ex Ermengarde filius, se una cum matre sua abbatiam Buzeium ædificare statuisse, sed quorundam sinistro deceptos consilio ab incepto destitisse: dum veniens in illas partes Ber-

A contrario bonum cum vident, omnes mirantur, venerantur, imitantur. Vides ergo, filia, quod et tua merita immanior in conventu gloria sequitur, et citior culparum correctio : quando ibi sunt, et quibus de bonis exemplum præbeas, et quas de malis offendas.

2. Denique ut ex illa evangelica partitione omnem tibi auferam tui excusationem erroris, aut de fatuis virginibus una es (si tamen virgo es), aut de prudentibus (*Matth. xxv, 1-12*). Si de fatuis, congregatio tibi necessaria est : si de prudentibus, tu congregationi. Nam si sapiens et probata es, religio certe quæ illo in loco noviter innovata nunc ubique laudatur, multum tua discessione infamabitur et infirmabitur, ut timemus. Dicitur quippe quod, bona cum sis, bonum ordinem (318) nequaquam desereres. Quod si fatua cognita es, et recedis, dicemus quod, quia cum bonis male vivere non licet, bonas mala non ferens, quæris ubi vivere liceat ut libet. Et merito. Nam ante Ordinis emendationem nunquam, ut aiunt, inde locuta es ; at ubi religio crevit, sanctior subito facta, fervore repentino cogitare cœpisti de eremo. Agnosco, filia, agnosco, ut nam et tu mecum agnoscas, serpentinum virus, fraudulentum dolum, versipellis astutiam. In nemore lupus habitat. **125** Si sola ovicula umbras nemoris penetras, præda vis esse lupo. Sed audi me, filia, fidele audi consilium. Sive peccatrix, sive sancta sis, noli te separare a grege; nequando rapiat, et non sit qui eripiat. Sancta es? stude tuo exemplo tuæ socias acquirere sanctitatis. Peccatrix es? noli addere peccata peccatis, sed age prænitentiam ubi es : ne discedens cum tui quidem periculo, ut ostensum est, et sororibus scandalum relinquant, et multorum in te provocos detrahentium linguas.

## EPISTOLA CXVI.

AD ERMENGARDEM QUONDAM COMITISSAM  
BRITANNIÆ (319).

*Affectum sui cordis, et vim religiosæ dilectionis  
suaviter et familiariter insinuat.*

Dilectæ in Christo filiæ suæ ERMENGARDI, quondam eximie comitissæ, nunc humili Christi ancillæ, BERNARDUS abbas Claræ-Vallis, pium sanctæ dilectionis affectum.

nardus abbas Claræ-Vallis, ad cujus abbatiam Buzense cœnobium spectabat, et locum pene desolatum videns, vehementer doluit : « et me, » inquit Conanus, « quasi perfidum ac mendacem austerissimis increpationibus redarguens, abbati ac fratribus, qui ibidem morabantur, ut locum relinquerent, et ad Claram-Vallem redirent, imperavit. » Intercessit Conanus, et restitutis quas abstulerat monasterii rebus, ædificia perfici curavit. Litteris subscribitur episcopi Rotandus Venetensis, Alanus Rhedonensis, Joannes Macloviensis, et Iterius Nannetensis, et cum eis Petrus abbas ejusdem cœnobii, atque Andreas monachus. Ad Ermengardem ut revertatur, Goffridus abbas Vindocinensis in libri 5 epist. 23 eam hortatur ad resumendum vitæ religiosæ propositum, a quo deflexisse visa erat. Idem Goffridus eam in epistola sequente regiam prolem appellat.

Utinam sicut chartam nunc præsentem, ita et meam tibi mentem expandere possem! O si legere posses in corde meo, quod ibi de amore tuo, suo digito Deus scribere dignatus est! certe agnosceres quam nulla lingua vel penna sufficiat exprimere quod in intimis mihi medullis Dei spiritus imprimere potuit. Et nunc quidem præsens sum spiritu, licet corpore absens; sed nec mihi, nec tibi est unde appaream. Est tamen penes te unde possis de me utcumque conjicere, etsi nondum cognoscere, quod dico. Intra ergo cor tuum, et inspicere meum; et vel tantum mihi tribue amoris erga te, quantum tibi erga me inesse sentis: ne, si nos quidem minus, te vero amplius amare præsumpseris, eo te nobis præferre puteris, quo et vincere nos charitate putaveris. Cæterum tuæ modestiæ est id potius sentire de nobis, ut qui te affectit ita me diligere et eligere ad consilium tuæ salutis, æque affecterit et me in obsequium tuæ dilectionis. Tu ergo videris quomodo me tecum retinueris: ego, ut verum fatear, nusquam abs te absque te recedo. Hæc tibi interim de via breviter in transitu scribere volui; sperans me majori otio majora missurum, si Deus annuerit.

#### EPISTOLA CXVII.

AD EANDEM.

*Laudat ejus in divino servitio alacritatem, suumque illius videndæ desiderium indicat.*

Recepi [al. accepi] delicias cordis mei, pacem tui. Lætus sum, quia tu læta nuntiaris; meque admodum animo reddit incolumem tua innotescens alacritas. Hæc nimirum lætitia nil habet de carne et sanguine, cum humilis ex sublimi, ex ingenua ignobilis, pauper ex divite vivas: fratris, filii, patriæque destituta solatio. Sine dubio ergo quod in te alacritatis natum est, de Spiritu sancto est. Quippe jamdudum a timore Dei concipiens, parturisti tandem spiritum salutis, foras utique mittente charitate timorem. O quam libentius ista præsens colloquerer, quam scribo absens! Crede mihi, irascor occupationibus, quibus frequenter impediri videor ne te videam: et delector occasionibus, quibus vel interdum expediri videor, ut te videam. Rara quidem datur hujusmodi opportunitas: sed chara, fateor, est mihi vel ipsa raritas. Est enim sane melius videre te vel nonnunquam, quam nunquam omnino. **126** Spero me in proximo venturum ad te, jam nunc prælibans gaudium proxime pleneque futurum.

#### EPISTOLA CXVIII.

AD BEATRICEM NOBILEM ET RELIGIOSAM MATRONAM.

*Officiosam ejus charitatem et sollicitudinem commendat.*

Miror tuæ devotionis studium, tuæ erga nos dilectionis affectum. O bona domina, quid tibi et

(320) Simoni videlicet et Adelaidi, non Gertrudi, ut plerique scribunt. De hujus ducissæ conversione per Bernardum facta, lege librum primum Vitæ, cap. 14. Quippe sanctimonialis velam in parthenone Tartensi, qui Divioni olim proximus erat, suscepit, ut patet ex autographis litteris Matthæi ducis ejus filii, qui matrem suam Atheleidem vocat. Has litte-

A nobis? unde tanta tibi sollicitudo de nobis? Si filii, si nepotes, si vel aliqua extrema propinquitatis linea tibi juncti essemus, tua crebra beneficia, frequentes salutationes, innumera denique tui amoris insignia, quæ quotidie experimur, non tam nobis miranda viderentur, quam ex debito suscipienda. Nunc autem cum genere tantum dominam, non matrem te cognoscamus; non mirum si miramur, sed mirum si satis mirari possumus. Quis enim notorum vel cognatorum nostrorum curam habet de nobis? quis unquam de nostra salute interrogat? quis, inquam, non dico sollicitus, sed vel memor nostri est in sæculo? Amicis, propinquis, vicinis nostris facti sumus tanquam vas perditum: sola nos oblivisci non potes. Inquiris de esse et statu sanitatis nostræ, de via quam nuper egimus, de monachis, quos ad alium locum transtulimus. De quibus breviter respondeo quod de terra deserta et de loco horroris et vastæ solitudinis introducti sunt in abundantiam rerum, ædium et amicorum; in terram denique fertilem, et locum amœnæ habitationis. Lætos itaque et in pace reliquimus, læti nos et in pace reversi sumus; præter quod ego paucis diebus, sed non parum, febre redeunte, ita ut mori timerem, aggravatus fui. Sed rursus, Deo miserante, cito convalui, ita ut nunc fortiorem sanioemque me sentiam post viam peractam, quam ante inchoatam.

#### EPISTOLA CXIX.

AD DUCEM ET DUCISSAM LOTHARINGIÆ (320).

*Gratias agit pro condonatis hactenus vectigalibus, sed caveri cupit, ne gratia principum opera ministrorum intervertatur.*

Duci et ducissæ Lotharingiæ, BERNARDUS abbas de Clara-Valle, sic suis ad invicem charis et castis delectari amplexibus, ut solus amor Christi superet in ambobus.

Ex quo cœpimus mittere pro nostra necessitate in terram vestram, multam semper invenimus in oculis vestræ dignitatis familiaritatem et gratiam. Benedictionem largitatis vestræ nostris hominibus, cum necesse fuit, liberaliter exhibuistis. Passagium (321) transeuntibus, et si quod est aliud juris vestri debitum, mercantibus libenter dimisistis. De quibus omnibus sine dubio merces vestra multa est in cœlis, si tamen verum esse credimus quod Dominus in Evangelio promittit: *Quandiu fecistis uni ex minimis meis, hoc mihi fecistis (Matth. xxv, 40)*. Sed quid est quod ministros vestros, quæ vos donastis, exigere rursus permititis? dignum est vobis et honorificum, ut quod vobis pro salute animarum vestrarum placuit donare, nemo vestrorum repetere audeat. Si ergo vos (quod absit!) beneficiorum vestrorum non poenitet, donumque quod in beneplacito vestro a

ras refert Petrus Franciscus Chiffletius post Opuscula quatuor Parisiis edita anno 1679. Facessant igitur Gertrudis ad Bernardum, et Bernardi ad Gertrudem epistolæ, a Bernardo Britone ex gallico idiomate in lusitanum, ac deinde in latinum versæ.

(321) Census a transeuntibus persolvi solitus; vulgo, *droit de passage*.

vobis sæpe recepimus, æque adhuc ut habeamus, A utrique vestrum complacet; jubete ita firmiter et inconcusse teneri, quatenus ultra fratres nostri a nullo **127** ministrorum vestrorum timeant propter hoc disturbari. Alioquin non renuimus Domini nostri sequi exemplum, qui pro se non dedignatus est solvere censum (*Matth.*, xvii, 26), parati et nos libenter quæ sunt Cæsaris Cæsari reddere, et vectigal cui vectigal, et tributum cui tributum (*Rom.* xiii, 7): præsertim quia juxta Apostolum non tam debemus requirere datum nostrum, quam vestrum lucrum (*Philipp.* iv, 17).

## EPISTOLA CXX

AD DUCISSAM LOTHARINGIÆ.

*Pro beneficiis oblatis gratias agit, et ab iniquo bello eam deterret.*

Gratias agimus Deo pro tam devota voluntate, quam erga ipsum et servos ejus vos habere cognovimus. Quoties enim in corde carnali, terrenis dignitatibus alto, ulla vel minima scintillula cœlestis amoris accensa videtur, divinum sine dubio est munus, non hominis virtus. Et nos quidem largitatis vestræ vestris in litteris nobis oblata beneficia grantanter amplectimur; sed cognita illa subita et grandi satis occupatione, qua vos nunc detineri necesse est, conveniens ducimus vestram, quantum vobis placuerit, expectare opportunitatem. Nemini etenim, quantum in nobis est, vellemus esse oneri, præsertim in iis quæ ad Deum pertinent, ubi non dati lucrum, sed dantis fructum magis requirere debemus. Diem itaque nobis, si placet, atque locum C rescribendo per hunc nuntium nominate: quo, juvante Deo, præsentem expedita instantia, nostris partibus appropinquare debeatis, et, fratre Widone (322) vobis obviam facto, si quid in terra vestra invenerit quod aptum sit Ordini nostro, promissa vestra expeditius atque alacrius compleatis. Illarem enim datorem diligit Deus (*II Cor.* ix, 7). Aut si forte non placet vobis dilatio, et hoc notificate; quia parati sumus in hac re, quantum ratio patitur, vestræ obtemperare voluntati. Ore vestro Ducem salutamus: et tam ipsum quam vos admonemus ut, si castrum, pro quo guerram facturi estis, vestri juris non esse noveritis, pro Dei amore relinquatis. Scriptum

(322) Existimamus hunc esse Widonem Triumfontium abbatem, qui in Lotharingiam profectus non semel, de quo ad epistolas 63, 69.

(323) Mathildem, Hugonis I Burgundiæ ducis uxorem, iras coquentem in Hugonem de Besua, qui locus situs est quatuor leucis a Divione, monasterio Besuensi Ordinis S. Benedicti insignis. De Hugone isto vide Perardum, pagg. 221, 222.

(324) Legalitati, id est bonæ fidei, quæ consistit in exsequendis promissis.

(325) Scripta circa annum 1150. In scriptis non paucis hæc epistola cum sequenti rescripto refertur post epistolam 127, in quibusdam vero post epistolam 252. Hildebertus, hujus epistolæ auctor, Cenomannensem Ecclesiam rexit ab anno 1098 ad annum 1125, quo in metropolim Turonensem mortuo Gisleberto suffectus est. Id constat tum ex Orderico Vitali in libro x, ad annum 1098; tum ex Actis episcoporum Cenomannensium, in tomo III Analectorum editis, ubi Guido; ejus in sede Cenomannica succes-

A quippe est: *Quid prodest homini si mundum universum lucretur, se autem perdat, et detrimentum sui faciat?* (*Matth.* xvi, 26.)

## EPISTOLA CXX.

AD DUCISSAM BURGUNDIÆ (323).

*Offensam Hugoni placare nititur, et assensum in conjugium quoddam ab ea exposcit.*

Vestræ dignationis specialis familiaritas, quam erga nos pauperes homines habere videmini [*al.* dignamini] eo usque progressa est, ut quisquis Dignitatem vestram se habere sentit infensam, per nullum facilius quam per nos confidat redire in gratiam. Hinc est quod dudum, Divione cum essem, Hugo de Besua multis me precibus ad placandam sibi vestram, quam meruerat, indignationem applicavit; et ut conjugio de filio suo, quod, vobis quidem non placitum, sed sibi, ut putat, commodum irretractabiliter facere statuerat, amore Dei et nostro assensum præberetis: cujus rei causa ecce **128** nunc rursus tam suis quam suorum precibus aures nostras pulsare curavit. Et nos quidem utilitate illius terrenas non valde curamus; verumtamen quia res, ut ipse dicit, ita in arcto posita esse videtur, quatenus nisi cum ipsius perjurio nequaquam possit obviari conjugio, hoc vobis intimare conveniens duximus, quia grandis debet esse utilitas, quam Christiani et vestri hominis legalitati (324) præponere debeatis. Neque enim et perjurus esse et legalis simul manere poterit. Quanquam etiam vobis non solum nullum lucrum, sed et multum videamus ingruere periculum, si quos fortassis Deus conjungere disposuit, per vos disturbari contigerit. Suam gratiam adjiciat Dominus super vos et super filios vestros, nobilissima, mihi que in Christo dilectissima domina. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis: erogate vestrum frumentum pauperibus Christi, ut in æternum cum usura recipiatis.

## EPISTOLA CXXII

HILDEBERTI TURONENSIS ARCHIEPISCOPI AD BERNARDUM ABBATEM (325).

*Bernardi fama nominis et sanctitatis permotus, familiaritatem ejus expetit.*

1. Balsamum ex odore suo, et arborem ex fructu sor, post longas altercationes, anno 1126 consecratus memoratur. Turones rexit annos tantum sex cum totidem mensibus. Sic enim habent Acta prædicta, quibus apographum Chesnianum consentit, atque Joannes Maanus in Metropoli Turonensi, imo etiam Ordericus ad annum 1125, pag. 882, ubi Hildeberto fere septem annos archiepiscopatus tribuit. Non ergo pervenit Hildebertus ad annum 1136, ut in Gallia Christiana legitur; sed mortuus est anno 1132, quo anno utique Joannes Maanus ejus obitum reponit. Horstius in notis ad hanc epistolam retulit aliam Hildeberti, ordine vigesimam quartam, quam Bernardo itidem scriptam existimavit. At epistola hæc, quæ in editis sine nomine ejus ad quem directa est, reperitur, in duobus manuscriptis inscripta est *H. abbati Cluniacensi*, cui eam restituimus; qua ex epistola intelligimus, Hildeberto consilium fuisse secedendi Cluniacum, si per summum pontificem ei licisset. Petrus Blesensis ejus epistolas laudat in epistola 101.

cognosci, paucos credimus ignorare. Sic et nobis ex opinione tua, charissime trater, innotuit quam sis et ad sanctimoniam compositus, et integer ad doctrinam. Cum enim locorum interstitio longius a te separemur, ad nos tamen usque pervenit quam jucundas noctes cum tua Rachele ducas, quæ progenies ex Lia tibi exuberet, quam totum te exhibeas et cultorem virtutis, et hostem carnis. Non alium loquuntur te, quicumque loquuntur nobis de te. Talis est odor olei effusi nominis tui, talia jam tuorum præmia meritorum. Has ex agro tuo spicas ante supremam colligis messionem. In hac enim vita quædam merces virtutis est conspicuum et immortale testimonium. Hoc ipsa sibi comparat, hoc sibi ipsa custodit. Hujus splendor non minuitur invidia, non exterioribus studiis adjuvatur. Quippe honorum existimatio, sicut falsis delationibus auferri non potest, ita nec adulatoriis favoribus acquiri. Penes ipsos est, eam vel ubertate virtutum proficere, vel defectu minorari. Sane de celeberrima opinione tua spes in sinu Ecclesiæ reposita est, eam minime casuram, quoniam fundata creditur supra firmam petram.

2. Ex ea nos, tuam edocti devotionem, desiderio desideravimus in sacrarium familiaritatis tuæ recipi; ibique recordatione tecum esse, ubi te ipsum furatus colloquiis mortalium, pro mortalibus loqueris cum Rege Angelorum. Porro huic desiderio nostro N. (326) Trecensis archidiaconus plurimum adjecit, vir moribus et litteratura conspicuus. Eum tibi censeremus commendandum, nisi constaret illos, quos tua dignaris gratia, commendatione alia non egere. Si nescis, illius etiam attestazione didicimus te in Ecclesia esse, qui ad eruditionem virtutis et exemplo sufficias, et verbo. Cæterum ne litteris prolixioribus oneraris, scripto ponimus finem, supradictæ petitioni, donec **129** exaudiri mereamur, finem minime posituri. Quid autem ex hoc animi geras, doceri deprecamur tuarum recursu litterarum.

#### EPISTOLA CXXIII (327).

RESCRIPTUM ABBATIS BERNARDI AD HILDEBERTUM TURONENSEM ARCHIEPISCOPUM.

*Laudes laudibus rependit.*

Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum. Scripta gloriæ tuæ, imo et meæ, satis libenter accepi, vir totius reverentiæ, tenens in illis unde te non immerito glorificem, et ipse non immerito gloriatur. Siquidem gloria nostra hæc est, tuæ Sublimitatis dignatio, tua nostræ reputatio parvitas. Nempe in alto non altum sapere, sed humilibus consentire, nil Deo charius, nil rarius apud homines. Quis sapiens, nisi qui Sapientiæ consiliis acquiescit? ait autem: *Quanto major es, tanto humilia te in omnibus (Eccli. iii, 20)*. Hoc tu mihi exhibuisti, minori major, senior juniori. Possem proinde et ego tuam probatam sapientiam non in-

debitis efferre laudibus, et forte justioribus his quibus me dignata est ipsa. Quippe interest ad dandam rerum certitudinem, quid incerta jactet opinio, quidque opus evidens reddat indubitatum. Quod autem certius probamus, hoc et prædicamus securius. Quæ ergo ad me de me tibi scribere placuit, videris tu unde probaveris: ego laudum tuarum argumentum teneo minime dubium ipsas mei laudatrices litteras tuas; in quibus alium fortasse delectet eruditionis insigne, sermo suavis et purus, oratio luculenta, gratum laudabileque compendium: mihi vero præ his illa ducitur miranda humilitas, qua tantillum tantus prævenire curasti, et obsequio salutandi, et præconio prædicandi, et precanti reverentia. Sane, quod ad me attinet, lego de me in litteris tuis, non quod sum, sed quod esse vellem, et quod non esse pudeat. Verumtamen quod sum, tuum est: et si quid melius Dei unquam munere fuero, tuum fore confidito, reverendissime atque amantissime Pater.

#### EPISTOLA CXXIV (328).

AD EUNDEM HILDEBERTUM, QUI NONDUM RECEPERAT DOMINUM INNOCENTIUM PAPAM

*Hortatur ut Innocentium, in Gallia ob schisma Petri Leonis exulem, uti legitimum pontificem agnoscat.*

Magno sacerdoti, et excelso in verbo gloriæ HILDEBERTO, Dei gratia Turonensium archiepiscopo, BERNARDUS Claræ-Vallis abbas dictus, in spiritu ambulare, et spiritualiter omnia examinare.

1. Ut verbis vos prophetis alloquar: *Consolatio abscondita est in oculis, quia mors dividit inter fratres (Osee xiii, 14)*. Quidam enim juxta Isaiam videntur scelus percussisse cum morte, et cum inferno fecisse pactum (*Isai. xxviii, 15*). Ecce namque christus Domini iste Innocentius positus est in ruinam et in resurrectionem multorum. Nam qui Dei sunt, libenter junguntur ei: qui autem ex adverso stat, aut Antichristi est, aut Antichristus. Cernitur abominatio stare in loco sancto, quem ut obtineret, incendit ignis sanctuarium Dei. Persequitur Innocentium, et cum eo omnem innocentiam. Fugit ille nimirum a facie Leonis, sicut dicit propheta: *Leo rugiet, quis non timebit? (Amos iii, 8)*. Fugit secundum præceptum Domini dicentis: *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam (Matth. x, 23)*. Fugit, et in hoc vere virum se apostolicum probans, quod apostolica sese forma insignierit. Nec enim Paulus erubuit in sporta demitti per murum, et sic effugere manus quærentium animam suam (*Act. ix, 25*). Suffugit autem non parcens vitæ suæ, sed dans locum iræ: non **130** ut mortem evaderet, sed ut vitam acquireret. Merito Ecclesia Innocentio concedit ipsius vicem, quem per eadem vestigia gradientem cernit.

2. Nec sane otiosa fuga Innocentii. Laborat quidem, sed honestatur in laboribus suis. Pulsus Urbe,

(328) Scripta circa annum 1131.

(326) Gebuinus. Vide notas ad epistolam 17.

(327) Scripta circa annum 1130.

ab orbe suscipitur. A finibus terræ occurritur cum panibus fugienti, etsi furor Semei, Gerardi Engolismensis, nondum ex toto quiescat maledicere David. Velit, nolit peccator qui videt et irascitur, magnificatur in conspectu regum, portans coronam gloriæ. Nunquid non omnes principes cognoverunt quia ipse est vere Dei electus? Francorum, Anglorum, Hispanorum, et postremo Romanorum rex, Innocentium in papam suscipiunt, et recognoscunt singularem episcopum animarum suarum. Solus adhuc ignorat Achitopel suum jam patefactum ac dissipatum consilium (*II Reg. xvii*). Frustra molitur miser super populum Dei malignare consilium, et cogitare adversus sanctos sancto firmissime adhærentes, et contemntes curvare genua ante Baal. Nulla fraude prævalebit parricidæ suo obtinere regnum super Israel et super civitatem sanctam, quæ est Ecclesia Dei viventis, columna fidei, et firmamentum veritatis. Funiculus triplex difficile rumpitur (*Eccle. iv, 12*). Electio meliorum, approbatio plurium, et, quod his efficacius est, morum attestatio, Innocentium apud omnes commendant, summum confirmant pontificem.

3. Ad quod sane et vestra, Pater, exspectatur, sicut pluvia in vellus, vel sera sententia. Non improbamus tarditatem, quæ gravitatem redolet, levitatis abolet notam. Nam et Maria non statim respondit angelo salutanti, prius cogitans qualis esset illa salutatio (*Luc. i, 29*): et Timotheo præcipitur nemini cito manum imponere (*I Tim. v, 22*). Dico tamen ego notus pontifici: Ne quid nimis; dico ut familiaris et notus: *Non plus sapere quam oportet sapere* (*Rom. xii, 3*). Pudet, fateor, quod serpens vetustissimus nova audacia, relictis insipientibus mulieribus, etiam robur pectoris vestri visus est attentare, et tantam Ecclesiæ columnam ausus concutere. Confidimus autem quia, etsi concutit, non dejicit: quoniam amicus sponsi stat, et gaudet ad vocem sponsi (*Joan. iii, 29*), vocem exultationis et salutis, vocem unitatis et pacis.

#### EPISTOLA CXXV.

AD MAGISTREM GAUFRIDUM DE LORATORIO (329).

*Operam ejus requirit in asserendo pontificatu Innocentii adversus schisma Petri Leonis.*

1. Odor in flore, in fructu sapor requiritur. Odore provocati, charissime frater, olei effusi nominis tui, cupimus et ex fructu operis cognoscere te. Non enim nos tantum, sed ipse quoque qui nullius eget Deus, opus tamen habet hoc in tempore opere tuo, si non dissimulas. Gloriosum tibi est Dei esse posse coadiutorem: posse et non esse, damnosum. Porro

(329) Scripta anno Christi 1131. Gaufridus de Loratorio, doctor nominatissimus, postea archiepiscopus Burdegalensis, sic dictus a Loratorio, qui locus est in diœcesi Turenensi, Pictonibus adjacens, Prioratu quondam insignis, Majori-Monasterio subjectus. Hinc Gerardus Engolismensis « fera vicina » Gaufrido dicitur hac in epistola. Aliud est Oratorium, canobium Cisterciensium in diœcesi Andegavensi. (330) Guillelmum.

A autem gratias habes apud Deum et homines, habes scientiam, habes spiritum libertatis, habes verbum vivum et efficax, et sale conditum: nec oportet te pro tantis viribus sponsæ Christi deesse in tanto discrimine, cum sis amicus sponsi. Amicus siquidem in necessitate probatur. Quid enim? tu tibi quiescis, et mater tua Ecclesia graviter conturbatur? Habuit sua tempora quies, et sanctum otium hactenus sua negotia licenter libenterque exercuit. Tempus faciendi nunc, quia dissipaverunt legem. Bestia illa de Apocalypsi, cui datum est os loquens blasphemias, et bellum gerere cum sanctis (*Apoc. xiii, 5-7*), Petri cathedram occupat, tanquam leo paratus ad prædam. Altera quoque bestia juxta vos subsibilat, sicut catulus habitans in abditis. Illa ferocior, ista callidior, pariter convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus christum ejus. Demus operam cito dirumpere vincula eorum, et projicere a nobis jugum ipsorum.

131 2. Nos in nostris partibus, una cum aliis Dei servis divino igne accensis, Deo cooperante laboravimus in conveniendo populos in unum, et reges ad dirumpendum [*al. diripiendum*] pravorum consensum, ad destruendam omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei. Nec infructuose. Alemanniæ, Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Hispaniarum et Jerosolymorum reges, cum universo clero et populis, favent et adhærent domino Innocentio, tanquam filii patri, tanquam capiti membra, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Merito autem illum recipit Ecclesia, cujus et opinio clarior, et electio sanior inventa est, nimirum eligentium et numero vincens, et merito. At tu, frater, quid adhuc negligis? quousque vicino serpente tua male secunda dormitat industria? Scimus quidem te filium pacis nulla posse ratione induci deserere unitatem: sed profecto non sufficit, nisi et defensare, atque ipsius quoque turbatores totis viribus debellare studueris. Nec quietis timeas detrimentum, quod non parvo tuæ gloriæ incremento recompensabitur, si fera illa vicina vobis tuo studio mansuescat, vel obmutescat, et tantam Ecclesiæ prædam, comitem dico Pictavensem (330), in manu tua Dei pietas de ore Leonis eripiat.

#### EPISTOLA CXXVI.

AD EPISCOPOS AQUITANIÆ CONTRA GERARDUM ENGOLISMENSEM [*al. EGOLISMENSEM*] (331).

*Causam Innocentii, ut legitimi pontificis, egregie tuetur adversus Gerardum Engolismensem, schismatici partes agentem cuius mores depingit, et subterfugia eludit.*

Dominis et Patribus honorandis, Lemovicensi,

(331) Scripta circa annum 1132. Gerardus hujus nominis secundus, genere Northmannus, diœcesis Bajocensis, quem « virum eruditissimum, et magni nominis et potestatis in Romano senatu » Ordericus vocat, lib. xiii, anno 1136. Cujus rei argumentum est, quod pene continuas in Aquitania sedis apostolicæ vices egit sub Paschali II et aliis ad Innocentium usque legitimis pontificibus. Nec defuit in eo zelus, cum alias fortiter et generose Guillelmum Aquitaniæ



Pictavensi, Petragoricensi et Santonensi, Dei gratia A  
episcopis sanctis, frater BERNARDUS abbas dictus de  
Clara-Valle, constantiam in adversis.

1. Virtus in pace acquiritur, in pressura probatur, approbatur in victoria. Tempus est quo vestra, si qua est, nec latere jam nec torpere sinatur, reverendi et merito suspiciendi patres. Hostilis siquidem gladius, qui universo Christi corpori mortem denuo nunc temporis intentare videtur, vestris potissimum cervicibus imminet, et in vos eo acrius, quo ceminus debacchatur: ita ut quotidianis assulibus, aut resisterè fortiter, aut turpiter, quod absit! cedere compellamini. Nam is qui amat primatum gerere inter vos, Diotrophes, non recipit vos (332); nec enim agnoscit eum, quem tota vobiscum amplectitur Ecclesia venientem in nomine Domini. Non hunc, inquam, sed qui venit in nomine suo, illum recipit. Nec mirum. Et ipse nempe infatigabilis ad nomen grande multum anhelat, etiam in hac ætate. Nec sane falsa vel incerta opinione ducor notare hominem super vanitate istiusmodi, sed de ore suo ipsius eum judico. In litteris siquidem quas nuper ad cancellarium scripsit familiares, nonne legationis sese et onere et nomine honorari (335) tanto indignius supplicat, quanto humiliter? Utinam tamen obtinuisset! Minus forsitan nocuisset potita votis ambitio, quam frustrata. Tunc quippe

principem, conjugii jura temerantem, velut alterum Herodem, arguerit, si Willelmo Malmesburiensi, de Regibus Angl. lib. v, fidem adhibemus: hoc enim adversus Guillelmum comitem calumniose dictum contendit Joannes Beslius, Historia Comitum Pictav. cap. 32. Postquam vero ab Innocentio, qui legationem ei denegavit, foeda prævaricatione defecit Gerardus, Anacleto sub istius nominis mercede adhæsurus dispersoris non legati officium agens, quos poterat ad schismatici partes trahebat. Unde Bernardus vicinos Aquitanicæ episcopos monet ut, seductoris voce contempta, legitimum sequantur pastorem Innocentium, eisque juris ipsius prærogativas proponit, « Electi videlicet integritatem, electionis prioritatem, et consecrationis solemnitatem. » Non defuere tamen qui jus tuerentur Anacleti, iisque argumentis adversa reponerent, ut constat ex epistola Petri Portuensis episcopi, ordinationis istius auctoris et fautoris, ad Willelmum Prænestinum, Matthæum Albanensem, Conradum Sabinensem, et Joannem Ostiensem Innocentio adherentes transmissa, quam refert Willelmus Malmesburiensis, Historiæ Novellæ libro 1. Pars tamen Innocentii prævaluit, principibus omnibus tum ecclesiasticis præter Gerardum Engolismensem paucosque alios, tum secularibus (si Guillelmum comitem Pictavensem et Rogerium Siciliæ ducem excipias) ipsi faventibus. Gerardus vero in schismatis defensione obfirmatus, anno 1156, ut notat Ordericus, ex hac vita migravit, eo quidem infelici mortis genere quod describit Ernaldus Vitæ S. Bernardi libro II, cap. 7. Opinantur tamen nonnulli hunc auctorem contra Gerardum Engolismensem, ex nimio religionis ardore multa finxisse, veluti quod impœnitens et subito mortuus sit sine confessione et Viatico, quod corpus ejus inventum in lectulo exanime et enormiter tumidum, et alia hujusmodi, inquit, viro prudenti indigna: proferuntque ex Gestis episcoporum Engolismensium auctoritatem his verbis: « Die proxima mortis suæ accepimus, quod in confessione

A soli, aut pene soli obsesset sibi: nunc vero sævit in orbem. Vides quid facit amor gloriæ? Legatio, sarcina gravis, humeris præsertim senilibus: quis nesciat? Et tamen homini senissimo gravior videtur pœna, reliquum id breve dierum suorum vivere sine hac pœna.

2. Sed forte causabitur se de suspitione judicari, et nos temeritatis arguet, qui de occultis suis reprehendimus quod non probavimus. Fateor, suspiciosus sum in hac parte: et nescio an vel simplicissimus quis secus sentire possit, quippe in tam manifesta conjectura. Ut enim simplicem referam breviter actionem, primus, aut inter primos scribit papæ Innocentio: **132** legationem postulat, non obtinet. Indignatur, resilit ab illo, transit ad alium, ipsius se esse legatum gloriatur. Quod si aut ab illo ante non poposcisset, aut postmodum non accepisset ab isto, credi poterat alium quemcunque habuisse in prævaricatione intuitum, etsi non rectum aliquem: nunc autem excusationem non habet de ambitione sua. Denique ponat etiam nunc legati vel vacuum nomen (nam opus amisit), et ego quidem hac suspitione carebo, si potero. Si non, suspicabor invitus, et me intemperantiæ reprehendam. Verum difficile persuadebitur ei, ego scio. Nimirum homo, diu magnus habitus inter suos, videri seipso inferior erubescit. Agnoscitur is, quem Scriptura loquitur,

sua sacerdotibus dixerit, se partem Petri Leonis contra voluntatem Dei ignorantem manutenisse; se confiteri et pœnitere: omnia autem illa quæ habebat fere in vita sua, vel ecclesiæ dedit, vel pauperibus erogavit. Sabbato autem Missam celebrans maxima devotione et effusione lacrymarum, sequenti die Dominica migravit a sæculo, millesimo centesimo trigesimo sexto anno ab incarnatione Domini. Sedit in episcopatu annis triginta tribus, mensibus.... diebus.... et cum aliquem capellanum gestis vel hospitii vexasset, unicuique capellanorum sui episcopatus in fine suo unam minam, obolum dedit; et illud magnificum sidus, quod claritate sui partes occiduas illustraverat, proh dolor! extra ecclesiam quam ædificavit, sub vili latet lapide. » Joannes Beslius, in Historia Comitum Pictavorum. At certe cum præmissa narratio incerta duntaxat relatione fulciatur, non est quod fidem Ernaldo abjudicemus, maxime cum Alanus Autissiodorensis, qui libris de sancti Bernardi Vita conscriptis censuram adhibuit, ne latum quidem unguem hac in parte ab Ernaldo discedat. Quod spectat ad Anacletum, et ipse misere interijt anno 1158, septimo die Januarii, teste Falcone Beneventano, « cum sedisset, » inquit, « annis septem, mensibus undecim et diebus viginti duobus. » Quod etiam confirmat Guillelmus Malmesburiensis, Historiæ Nov. libro 1: « Anacleto » inquit, « octavo præsumpti » (ut dicebatur), « sui episcopatus anno defuncto, dominus Innocentius inconcussa ad hoc tempus pace, apostolica fruitur dignitate. » Qua de re S. Bernardus epistolis 144, 146, 147, et sermone 24, in Cantica, initio. Vide, si lubet, notas ad epistolam 147. Ex quibus colligas errasse Beslium, cum dixit, Gerardum anno 1131, schisma vero ante ipsum annum fuisse extinctum.

(332) Gerardus, qui primatum, id est legati munus, affectabat. Allusio ad locum Joannis in Epistola III, vers. 9.

(333) Editi habent, et onere gravari, et nomina honorari: sed, gravari, deest in manuscriptis.

*pudor adducens peccatum* (Eccli. iv, 25). An non A grande peccatum et delictum maximum, superba ista verecundia, qua terram et cinerem pudet, non dico subjici, sed non dominari?

3. Propter hoc ergo reliquit homo suum illum patrem sanctum Innocentium (sic enim nominabat), et matrem suam sanctam Ecclesiam catholicam; et adhæret schismatarchæ suo, et sunt duo in vanitate una. Percusserunt fœdus ad invicem, et super populum Dei malignaverunt consilium. Squama squamæ conjungitur, et spiraculum non est in eis (Job xli, 7). Iste illum papam, ille hunc vicissim legatum scriptitat, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum. Invicem se consolantur, tuentur, commendant; quisque tamen pro se, non pro invicem. Nimirum homines sunt seipsos amantes. Pari quidem studio convenerunt adversus Dominum, et adversus christum ejus; sed plâne intentionibus non cohærent. Quærit magis ex alterutro uterque profecto quæ sunt, idque, quod audere nefarium est, in hæreditate Christi. Quid nisi ante oculos vestros conantur, si patimiai, proscribere Christum? Jam novos apud vos suæ papæ cudit legatus episcopos (354), ne soli sit sibi papa. Nec mortuis successores, sed vivis invasores tyrannica fretus potentia superintrudit, nactus scilicet de malitia principum occasionem, qui suarum civitatum episcopos odio persequuntur iniquo. Sic sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentes. Per tale ostium intrat in ovile ovium.

4. Nunquid autem gratis talia legatus actitat pro C papa suo? En ille totam, ut is gloriatur, Franciam atque Burgundiam legationi ejus antiquæ superaddidit. Potest et adjungere, si vult, Medos et Persas, et medios fines Decapoleos. Quare non et ultra Sauromatas, et quemcunque denique locum calcaverit pes suus, suus sit, quo vel vacuis nominibus gloriatur? O homo non minus sine fronte, quam sine mente; nec Dei memor timoris, nec suæ honestatis! Putat se non videri, cum sit subsannatio et et illusio omnibus qui in circuitu ejus sunt. Merito quidem. Certe enim pro foro, sacrario utitur: et instar hominis negotiatoris quæritantis lucra sua, et modo hunc, modo illum explorantis venditorem, ut ab illo demum emat quod amat, a quo vilis impetrare valuerit; ita iste sollicite sibi ecclesiasticam digni- D tatem hinc inde perquirens, eum tandem pro suo arbitrio delegit habere papam, qui se legatum esse consenserit. Ergo nisi legatus tu fueris, Roma papam habere non poterit? Unde hoc tibi privilegium in Ecclesia Dei? Quisnam tibi hanc concessit in Christi hæreditate prærogativam? Nunquid tu hæreditate possides sanctuarium Dei? Donec enim in obtinenda pudenda et impudenti petitione spes tibi ulla promerendi domini Innocentii gratiam esse potuit, sanctus ille, te scribente, et papa fuit. Quomodo ergo nunc schismaticum criminari? Nunquid

cum eadem vana spe laa, illius simul et sanctitas evanuit, et papatus? Mirum quod potuit ita in brevi dulce et amarum ex eodem fonte procedere. Heri catholicus, et sanctus, et summus pontifex: hodie nequam, schismaticus, et turbator. Heri pater **133** Innocentius, hodie Gregorius diaconus Sancti Angeli. Itaque uno quidem ex ore, sed cordo profecto duplici contraria processere. Labia dolosa in corde, et corde locuta sunt. Sed enim homo cui cor et cor diverberat conscientiam, et Est et Non divaricat linguam, putas quia timor ei in mente sit, aut in fronte pudor? Male autem, juxta Apostolum, providet bona coram Deo et hominibus (II Cor. viii, 21); qui more illius iniqui judicis, nec Deum timet, nec hominem reveretur (Luc. xviii, 2).

5. Et certe ambitio, cum prorumpit in impudentiam, efficaciam perdit: et cum improbus affectus se aperit, perit effectus. Ambitio, mater hypocrisis, latebras amat et tenebras; lucis impatiens est. Ambitio, spurcum vitium, in imo jacet: videt tamen omne sublime, sed videri ipsa refugit. Nec mirum. Optato namque necesse est careat, nisi caveat arbitros. Quo enim gloria plus affectatur, eo minus apprehenditur, ubi deprehenditur affectari. Quid denique tam inglorium, quam gloriæ cupidum deprehendi, præsertim inter episcopos? Nec simplicem sane Christianum gloriari oportet, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. Inclytus erit ambitiosus, quandiu in nocte versabitur; et donec turpis lucri negotium perambulabit in tenebris, poterit hypocrita justus sanctusque videri, sed oculo qui videt in facie. At ubi forte foras mittit impudentia vel imprudentia [*al. male, impudenti vel imprudenti*] quod latet in conscientia, nonne intemperans appetitus apparet ad confusionem procacior, quam promptior ad gloriam? Sic revera, sic probatur quod legitur: *Gloria in confusione eorum qui terrena sapiunt* (Philipp. iii, 19); et illud: *Si ego gloriam meam quæro, gloria mea nihil est* (Joan. viii, 54). Impleturque in illo qui ejusmodi est, quod Propheta sanctus imprecatur, nisi fallor, hypocritis, *Fiant, inquiens, sicut fenum tectorum, quod priusquam evellatur, exaruit* (Psal. cxxviii, 5). Non adeo perit pudor a mortalibus, ut nuda impudensque vel ab ipsis honoretur ambitio, præsertim in sene et sacerdote, quem eo magis profecto puerilis ista dedecet vanitas, quo eum major gravitas, majorque decet sanctitudo: et si in facie benedicatur ab adulante, sed a tergo subsannatur ab omnibus. Est sobria quædam, et quodammodo oculata [*al. occulta*] ambitio, moliens saltem caute, etsi non caste. Si valet proficere, clam negotia sua curat. Sin vero, manet in se, et pudoris umbram non deserit. Equidem talis, etsi Deum nondum metuit ad salutem, pro ingenita tamen verecundia honestatem interim retinet, quod homines reveretur et publicum erubescit.

6. Cæterum quænam ista præceps est, et frontosa

354) Sic Ramnulfum Doratensem abbatem in sedem Lemovicensem intrusit, ex Vitæ Bernardi libri (iii, n. 35.

libido domnandi, ut pro obtentu vix annuæ (quod certe palam est) legationis, primo quidem suo nec parcat senio, nec deferat sacerdotio: deinde nec lateri Salvatoris, quod in aqua et sanguine colligendi in fidei unitate populi protulit redemptionem, ut quisquis tentaret dividere quos ille colligeret, et inde redimeret; probaret sese non christianum, sed antichristum, reus mortis et crucis Christi? O impatiens et effrenis turpis quæstus cupiditas! o ardor intemperans! o cæca et pudentia ambitio! Aperte prius frontoseque, ut jam dixi, et ipse, pro pudor! non diffitetur, addit indigna satis petitione tentare Catholicum: dolensque repulsam, incunctanter ad schismaticum refugit; et accepta de manu sacrilega male cupita potestate, latus denuo Domini gloriæ crudeliter confolescere non veretur. Dividit nempe Ecclesiam, pro qua illud est in cruce divisum, visurus procul dubio et ipse in quem transfixerit. Cognoscetur profecto Dominus, iudicia faciens, qui nunc injuriam patiens ignoratur. Cum enim coeperit facere iudicium omnibus injuriam patientibus, et arguere in æquitate pro mansuetis terræ; putas avertere poterit aurem a charissima sponsa sua, cum clamaverit stans adversus eos qui se angustiaverunt? Non: omnino non poterit non audire plangentem: *Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt 134 et steterunt; et qui juxta me erant, de longe steterunt, et vim faciebant qui quærebant animam meam (Psal. xxxvii, 12, 13)*. Quomodo namque non recognoscet os de ossibus suis, et carnem de carne sua, imo vero jam quodammodo spiritum de spiritu suo? Quasi non ipsa sit dilecta illa, cujus concupivit decorem, cujus formam induit, cui se mirabili dignatione castis atque individuis devinxit amplexibus, ita ut essent duo in carne una: unum in uno spiritu quandoque futuri! Nam etsi cognoverat secundum carnem Christum, sed tunc jam non recognoscet: quia spiritus ante faciem ejus Christus Dominus, cui adhærens unus spiritus erit, cum absorpta morte in victoria, quod infirmum de carne est, in virtute spiritus convaluerit; cum exhibuerit eam sibi Sponsus gloriæ gloriosam columbam suam, perfectam suam, formosam suam, non habentem maculam peccati, neque rugam corruptionis, aut aliquid hujusmodi.

7. Dum libenter in his immoror, pene coepti immemor factus sum, ita cupiens redimere tempus, quoniam dies mali sunt. Excedentem devotio levat: sed revocat zelus: et ubi rapior, ibi et cogor recidere, et plangere dolorem meum. Audet (quod et fleus dico) inimicus crucis Christi suis sedibus pellere sanctos, qui nolunt bestiam adorare, quæ aperuit os suum in blasphemias, blasphemare nomen Dei, et tabernaculum ejus (*Apoc. xiii, 6*). Altare contra altare erigere tentat, confundere fasque ne-

fasque non confunditur. Abbates abbatibus, episcopos episcopis superintrudere nititur (335); amovere catholicos, schismaticos promovere. Miseri et miserandi, qui ita promoveri, et ab isto, consentiunt. Siquidem circuit mare et aridam, ut faciat unum episcopum; et cum fecerit, facit eum filium gehennæ duplo quam se. Quænam vero putas est tanti causa furoris? Non alia sane, nisi quod displicet mortalibus angelica illa partitio, qua gloria Deo, pax hominibus nuntiatur; et dum gloriam usurpant, turbant pacem. Solus gloriam meretur, qui facit mirabilia solus, sicut dicit Apostolus: *Soli Deo honor et gloria (I Tim. i, 17)*. Porro autem cum nostro genere bene agitur, si datur frui pace Dei, pace cum Deo, et quidem feliciter et misericorditer. Quonam ergo modo stabit pax hominum coram Deo, vel cum Deo, si Deo non potest apud homines esse tuta sua gloria? O stulti filii Adam, qui contemnentem pacem, et gloriam appetentes, et pacem perdunt, et gloriam! Ob hoc denique et nunc Deus ulionum commovit terram, et conturbavit eam; ostendit populo suo dura, potavit nos vino compunctionis.

8. Velimus, nolimus, impleri quandoque necesse est veritatem Spiritus sancti, fierique illam quæ prophético spiritu prænuntiata legitur in Scripturis discessio (*II Thess. ii, 3*): sed væ homini per quem venit! Melius erat ei, si natus non fuisset homo ille. Quis vero ille, nisi homo peccati qui super electum a catholicis catholicum, et canonicè, locum sanctum invasit, quem tamen, non quia sanctus, sed quia summus est, affectavit? Invasit, inquam, invasit armis, igne, pecunia, non vitæ merito vel virtutum: pervenit in quo stat, et stat in quo pervenit. Nam illa quam jactat juratorum suorum non electio sed factio, umbra tantum fuit, et occasio, et velamentum malitiæ. Dici potest electio, sed impudenter, sed mendaciter. Stat quippe sententia ecclesiastica et authentica, post primam electionem non esse secundam. Celebrata proinde prima, quæ secundo præsumpta est, non est secunda, sed nulla. Nam etsi quid minus forte solemniter, minusve ordinabiliter processit in ea quæ præcessit, ut hostes unitatis contendunt; numquid tamen præsumi altera debuit, nisi sane priore prius discussa ratione, cassata iudicio? Eapropter qui se super ingerere festinant, quique temerario temere manus imponere nihilominus acceleraverunt, Apostolo prohibente, *Nemini cito manum imponas (I Tim. v, 22)*; ipsi procul dubio majus peccatum habent, ipsi auctores 135 schismatis, ipsi grandis militiæ hujus principes extitere.

9. Cæterum nunc iudicium expetunt, quod ante exspectasse [*al. expetiisse*] debuerant: et quam suo loco oblatam tenuerant, tandem justitiam offerunt,

(335) Ordericus in libro xiii, pag. 895: « In plerisque cœnobiis duo abbates surrexerunt, et in episcopis duo præsules de pontificatu certaverunt: quorum unus adhærebat Petro Anacleto; alter vero favebat

Gregorio Innocentio. » Ita etiam in Actis episcoporum Cenomannensium, Analectorum tomo III, pag. 338, ubi de Philippo in Turonensem Ecclesiam intruso, de quo epistola 150 et 151.

ut videlicet si recusetur, justi (336) vos videamini : A si recipiatur, litigantibus inter se partibus, dilatio redimat tempus, et interim fiat aliquid. An de vestra justitia desperatis, et damnum jam crescere non timetis, quemcunque causa exitum sortiatur? Quidquid, inquirunt, hactenus factum sit, modo quærimus audientiam : judicium sumus subire parati. Tergiversatio est. Quid in omni impio conatu vestro vobis relinquatur aliud, quod afferre queatis ad seducendum simplices, ad armandum malevolos, ad vestram ipsorum palliandam malitiam? Si hoc non diceretis, quid diceretis? Cæterum jam Deus judicavit quod sero repetit homo : judicavit autem operis evidentia, non decreti sententia. Numquid Dei judicium audeat humana temeritas retractare? Quid si causetur et clamet per prophetam Deus, Tulerunt homines a me judicium? B (337) Non est consilium contra consilium Domini : velociter currit sermo ejus, in conveniendo populos in unum et reges, ut domino papæ Innocentio serviant et obediant. Quis revocabit? Dei esse judicium senserunt et consenserunt Galterius Ravennas, Hildegarius Terraconensis (338), Norbertus Magdeburgensis, Conradus Salseburgensis, archiepiscopi. Dei esse judicium cognoverunt et acquieverunt episcopi, Equipertus Monasteriensis, Hildebrannus Pistoriensis, Bernardus Papiensis, Landulfus Astensis. Hugo Gratianopolitanus, Bernardus Parmensis (339). Horum gloria specialis et præcipua sanctitas,

(336) Ita veteres libri et editi plerique pro, *injusti*; per antiphrasin aut ironiam. In uno tamen codice Colbertino notato 1410, legitur utrumque, *injusti justi vos videamini* : optimo sensu; nempe, *ut vos, qui justis estis, injusti videamini*. In uno Bellovacensi simpliciter, *injusti*.

(337) Hoc apud nullum reperitur prophetam; sed habetur in doctrina SS. Patrum, libro Contra judicium temeraria, n. 7.

(338) Is successerat Odelrico, quem eruditissimum senem vocat Ordericus in libro XIII, pagg. 891, 892.

(339) Bernardus Parmensis in quibusdam codicibus locum habet post Bernardum Papiensem, idemque nonnullis deest, ut in duobus Colbertinis. Ughellus eum sub finem pontificatus Paschalis II obiisse dicit.

(340) Hæc verba, *sed epistolæ brevitatis non admittit*, desunt in duobus Colbertinis; in tertio leguntur.

(341) Ita fere codices veteres; quidam, *Camaldullenses*. Notiores sunt Camaldulenses et Vallumbrosanæ Ordinis S. Benedicti Congregationes in Italia duæ, quam ut illustrari hoc loco debeant.

(342) Non est silentio prætermittendum quod de eis hac occasione refert Ordericus libro XIII, anno 1134. « Cluniacenses, » inquit, « ut Innocentii adventum cognoverunt, sexaginta equos seu mulos cum omni apparatu congruo papæ et cardinalibus clericis destinaverunt, et usque ad suam basilicam favorabiliter deduxerunt. Tunc ibidem undecim diebus papam cum suis detinuerunt, ecclesiamque novam in honore sancti Petri apostolorum principis ab eodem cum ingenti tripudio populique frequentia dedicari fecerunt. Inde magnam auctoritatem apud Occiduos promeruit, quod a Cluniacensibus Petro præpositus fuerit. Ab eisdem quippe Petrus Leonis in pueritia enutritus coaluit, et eorum habitu ac professione monachus exstitit. » Ita ille. Ad idem pertinet quod Petrus Venerabilis, qui hujus exce-

et auctoritas etiam hostibus reverenda, facile nobis, qui minorem et meriti et officii tenemus locum, aut errare secum, aut sapere persuasit. Taceo multitudinem cæterorum, Tusciæ, Campaniæ, Longobardiæ, Germaniæ, et Aquitaniæ, Galliarum denique et Hispaniarum omnium, necnon et universæ Orientalis Ecclesiæ, tam archiepiscoporum, quam episcoporum, quorum nomina sunt in libro vitæ, sed epistolæ brevitatis non admittit (340).

10. Hi omnes unanimes, non conducti pecunia, non seducti fallacia, non illecti privato carnis vel cognationis amore, non timore compulsi potentiæ sæcularis, sed Dei procul dubio voluntatem, sicut non ignorantes, ita nec dissimulantes, Petrum Leonis ingenue refutaverunt, ac secure Gregorium in papam Innocentium susceperunt. Nostratum sane nemo ex nomine in his expressus est litteris : quia et omnes compendium non fert, et aliquorum invidiosa designatio adulationis notam non effugit. Non autem debeo prætermittere sanctos, qui mundo mortui, Deo melius vivunt : quorum vita abscondita est cum Christo in gloria, ubi certe studiose inquirunt, et non dubie inveniunt beneplacitum **136** Dei, qui solliciti sunt quomodo placeant ei. Itaque Camaudullenses (341), Vallambrosani, Cartusienses, Cluniacenses (342), et qui de Majori-Monasterio sunt (343), mei quoque Cistercienses (344), Cadumenses (345),

ptionis auctor exstitit, in laudem Cluniaci pronuntiat. « Factum est, » inquit, « a sui principio, non solum externorum hospitium, non tantum confugientium asylum; sed, ut sic loquar, publicum reipublicæ Christianæ ærarium, » libri IV epistola 27.

(343) Insigne monasterium prope urbem Turonum a sancto Martino conditum, cui tunc præerat Odo abbas, ad quem epistola 397. Ab hoc monasterio pendebant plurimi prioratus, qui quamdam veluti congregationem constituebant. Nam Bernardus insigniora tantum monasteria hic commemorat.

(344) In duobus Colbertinis et uno Sorbonico legitur, *Cistellenses*; unde effictum in editis fere omnibus, *Cistemblenses*, qui et altero errore additi sunt post, *Cistercienses* : quasi diversi essent, qui in quibusdam codicibus *Cistercienses*, in aliis *Cistellenses* dicebantur, vulgari tunc vocabulo. Cistercienses quippe dicti sunt *Cistellenses* ab Hermanno monacho, in libro III de Miraculis B. Mariæ Laudunensis, cap. 7; apud Perardum, pag. 103, apud Robertum de Monte ad annum 1140, *Monachi de Cistelth* : dicti sunt etiam *Cistell* in Monastici Anglicani tomo I, pag. 705, col. 1.

(345) Cadomus, civitas est ad fluvium Olenam in Neustria, haud procul ab Oceano, celebri academia ab anno 1433 insignita : in ejus suburbio exstat insignis Ordinis sancti Benedicti abbatia, a Guillelmo Conquæstore, provinciæ istius duce atque Anglorum rege, sub titulo Sancti Stephani constructa : ejus primus abbas Lanfrancus, ex priore Beccensi, postmodum archipræsul Cantuariensis. Plura de eo, deque Cadomensi seu Cadumensi Sancti Stephani abbatia videsis in notis ad Opera ipsius Lanfranci, et in Neustria pia. Cadumensium in Abrincensi diocesi Saviniacense insigne tunc monasterium, « de quo jam plurima, » inquit Peregrinus in Historia Fontanensi, tomo X Spicilegii pag. 372, « prope sere monasteria, ex quibus abbates conveniunt ad capitulum, et floret ibi Ordo, et eorum ubique

Tironenses (346), et Saviniacenses (347); universitas denique et unanimitas fratrum, tam clericorum quam monachorum regularis vitæ probatæque conversationis, sequentes episcopos, tanquam greges pastores suos, Innocentio firmiter adhærent, sincere favent, humiliter parent, verum apostolorum successorem fideliter recognoscunt.

11. Quid reges et principes terræ? Nonne in eodem spiritu, una cum subjectis sibi plebibus, Innocentium pariter amplectuntur, confitentes et ipsi papam et episcopum animarum suarum? Quis postremo in quocunque ordine vitæ illustris et boni nominis homo idipsum non sapit? Et tamen adhuc isti, nescio qua contentiosa importunitate et importuna contentione, reclamant. Vocant in causam orbem, et cum sua paucitate universitatem flagitant **B** iudicari: et qui præjudicaverant in electione, de confirmatione rejudicare contendunt; tunc præpropere agentes, modo præpostere retractantes. Quis tantos, quæso, in unum cogere queat exercitus utriusque ordinis principum, ne dicam plebium, et adducere in examinationem? Quis tot sanctorum millibus persuadere sufficiat, quod prius ædificaverunt, iterum destruere, et abducere semetipsos in prævaricationem? Quis deinde locus omnibus tantus, omnibus tutus? Universæ quippe Ecclesiæ negotium est, non unius causa personæ. Videtis quod de impossibili calumniam struitis matri vestræ: imo vobis foveam foditis, in quam præcipitemini; et laqueum necitis, quo teneamini, ne ad gremium revertamini matris vestræ. Occasio nunquam deerit ei qui vult **C** recedere ab amico.

12. Sed esto. Mutet consilium suum Deus (secundum hominem dico), revocet sententiam, convocet a finibus terræ concilium; iudicari bis in idipsum, quod ipse non facit, patiatur: quosnam, quæso, dabunt iudices sibi? Omnes quippe in parte sunt, et partibus de iudicio hæud facile conveniet: atque ita ad litem magis quam ad pacem tantus conventus fatigabitur. Deinde velim scire, cui ille interim vellet **C** credere Romam, quam tanto amore ex longo tempore concupivit, tanto labore et sumptibus acquisivit, tanto fastu possidet, tanto pudore timet amittere; ne frustra convenisse sæculum omne cernatur, si cum ille cadet a causa, non tamen cadat a Roma. Alioquin quis causam spoliatus ingreditur? Nec le-

« dulcis redolet opinio. » Hoc cœnobium cum triginta aliis sibi subjectis Serlo abbas Cisterciensibus adjunctis anno 1148, ibidem pag. 374.

(346) Ex eo monasteriorum insigniorum numero etiam tunc erat Tironense monasterium diocesis Carnotensis, sic dictum ab amne præterfluente, in pago Perticensi, conditum a piissimo abbate primo Bernardo, cujus Vita exstat cum notis Soucheti, effectumque quasi cujusdam congregationis caput, de quo Ivo Carnotensis antistes in epistola 229. Tironensium monachorum religionem laudat Jacobus a Vitriaco in capite 20 Historiæ Occidentalis. Hoc cœnobium, uti et Majus-Monasterium, florebat sub Benedictina congregatione Sancti Mauri, adolescentium scholarium seminario insignitum.

(347) Duplex hoc nomine monasterium est in

ges profecto cogunt, nec canones. Et hæc dicimus, non de nostrâ justitia diffidentes, sed a vestra caventes versutia. Jam enim Deus eduxit tanquam lumen justitiam suam, et iudicium suum tanquam meridiem, etsi cæco nec lumen appareat, nec meridies luceat: quoniam sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus.

137 13. Duo itaque sunt de quibus contenditur, quisnam eorum rectius videatur esse Papa. Quorum primo quidem, si personas compares, ut neutri sane vel derogare videar, vel adulari, dicam quod dici passim reperies, et neminem arbitror diffiteri: quia videlicet Innocentii nostri vita vel fama nec æmulum timet, cum alterius nec ab amico tuta sit. Dehinc si electiones discutias, nostri itidem mox occurrit et promotione purior, et ratione probabilior, et prior tempore. Porro de tempore constat: reliqua duo merita probant, et dignitas eligentium. Hanc enim, **S**i fallor, partem saniozem invenies, tam episcopos, quam cardinales diaconos sive presbyteros, et quorum maxime interest de electione summi pontificis, et quanti in eligendo juxta patrum scita sufficiant. Quid et in consecratione? Nonne Ostiensem, ad quem specialiter utique spectat, habemus? Cum igitur et electus dignior, et electio sanior, et actio ordinabilior teneatur; qua isti ratione, imo qua contentione, contra jus et fas et vota omnium honorum, invitæ et renitenti Dei Ecclesiæ præficere alium, et illum deponere tentant?

14. Horum conatui tam maligno, tam indigno, tam temerario, totis certe viribus renitendum esse videtis, reverendissimi et illustrissimi Patres. Quod cum omni familiæ Dei, tum vobis maxime vestrisque convenit, si tamen zelus domus Dei comedit animas vestras. Vobis, inquam, et vestris maxime vigilandum est et orandum, ne intretis in tentationem. In ea sane parte majore opus est fortitudine et cautela, unde acrior insistit adversarius, et vis belli major incumbit. Quam sævus et callidus hostis insurrexerit in vos, proprio certe agnoscitis experimento. Heu! quam multum jam malitia illius in illis partibus pro accepta potestate processit, utroque sæviens genere malignandi, vi et dolo! Nunquid autem malitia vincet tandem sapientiam? sed hæc est hora ipsius, **D** et potestas tenebrarum. Cæterum hora novissima est et potestas cito transit. Ne terreamini, ne sedu-

Gallia, alterum in diocesi Lugdunensi, in Abrincensi alterum, de quo hic intelligendus Bernardus, situm in confinio Northmanniæ, Armoricæ, et Cenomannorum. Conditum fuit anno 1112 a piissimo abbate Vitali: cujus successor Gaufridus, se suaque monasteria, numero novemdecim (tot enim ipse construxisse perhibetur) Cisterciensibus subiecit. Hujus monasterii historiam videsis apud Arthurum du Monstier in Neustria pia. De altero Saviniaco in epistola 175. In Monastici Anglicani tomo I, pag. 704, Saviniacenses ante suam cum Cisterciensibus unionem dicuntur fuisse de Ordine Tironensi, quo ex monasterio plures tum abbatie pendebant. His omnibus Religiosis, qui Innocentium agnoverunt, Grandi Montenses addit Ernaldus, in libro II de Vita S. Bernardi, n. 45.

camini. Dei virtus, et Dei sapientia Christus vobiscum est, qui et in causa est. Confidite, ipse vicit mundum: fidelis est, non permittet vos tentari supra id quod potestis. Videtis stultum firma radice? sine dubio statim maledicetur pulchritudini ejus. Non enim diu derelinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum. Verum vestræ interim vigilantia est, vestris pro vestro officio sollicite providere, sicut et providetis, ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas. Oratio pro Catholicis: *Bene fac, Domine, bonis et rectis corde (Psal. cxxiv, 4)*. Pro schismaticis: *Imple, Domine, facies eorum ignominia, ut quærant nomen tuum (Psal. lxxxii, 17)*.

## EPISTOLA CXXVII.

AD GUILLELMUM COMITEM PICTAVORUM (348), DUCEM AQUITANIÆ, EX PERSONA HUGONIS DUCIS BURGUNDIÆ.

*Guillelmum, antipapæ Anacleto faventem, hortatur ad Innocentium verum pontificem recipiendum.*

GUILLEMO Dei gratia egregio comiti Pictavorum, et duci Aquitanorum, Hugo eadem gratia Burgundiæ dux, timere terribilem, et eum qui aufert spiritum principum.

1. Errorem vestrum ultra dissimulare non fero, quippe carne propinquus et corde amicus. Si quis de populo deviat, solus perit; verum principis error multos involvit, et tantis obest, quantis præest ipse. Nec præsumus, sicut scitis, ut perdamus, sed ut regamus subjectos. Per quem reges regnant, ipse nos præfecit populis suis, a nobis tuendis, non subvertendis; plane sanctæ suæ Ecclesiæ ministros, non dominos. Cui vos ministerio cum digne alias pro vestri magnitudine potentatus, et laudabiliter deseruisse noscamini, **138** miror quam versutia modo vestra illa prudentia circumventa fuerit, eandem matrem vestram et dominam deserere in tempore malo: nisi forte et hoc vobis vestri illi consilarii persuadere conentur, ad solam Petri Leonis domum, universalem Ecclesiam esse redactam. Viri mendaces, quos Veritas, sicut et caput eorum antichristum, destruit spiritu oris sui, affirmans eam per os David ad universos fines terræ, et ad universas familias gentium dilatari (*Psal. xxi, 28*).

(348) Scripta circa annum 1132. Guillelmus, hujus nominis nonus (alii decimum esse volunt), qui, suadente Gerardo Engolismensi episcopo, partes Anacleti tuebatur, et Innocentio adhærentes graviter infestabat. Lege Vitam S. Bernardi, lib. II, cap. 6. Quod vero Malmesburiensis, De regibus Angli. libro V, refert de incesto, aliisque criminibus Guillelmi Pictavorum comitis, id de Guillelmo VIII istius patre intelligendum esse, recte notavit Joannes Beslius. Nam Petrus Pictavorum episcopus, qui a Comite in exilium missus ibi memoratur, in ipso exilio diem clausit anno 1117. At vero Guillelmus IX anno duntaxat 1126 patri successit, ut probat idem auctor in Historia Gallica Comitum Pictavorum, quem consule, si cætera Guillelmi gesta, ac præcipue mortem diligentius lubet investigare, necnon Baronium ad annum 1135. De eo fuse in libro II de Vita Bernardi, cap. 6, ubi ejus conversio per Bernardum facta memoratur. Multa de eo fabulantur. Certum est, testante Orderico ejus æquali,

2. Habeat [*al. habet*] tamen ducem Apuliæ (349), sed solum ex principibus, ipsumque usurpatæ coronæ mercede ridicula comparatum. Denique quid boni, quid virtutis, quid honestatis afferunt de summo pontifice suo, ut et nos provocent ad favorem? Si vera sunt quæ ubique divulgat opinio, nec unius dignus est viculi potestate; si vera non sunt, decet nihilominus caput Ecclesiæ, non solum vitæ habere sanitatem, sed et famæ decorem. Tutius proinde vobis est, mi cognate charissime, ut in susceptione universalis papæ, ab universitatis consensu et consilio non recedatis: quem omnis religio, quem regum universitas receperunt, vobis quoque et honorificum et salutiferum est ut recipiatis. Domini papæ Innocentii et innocens vita, et integra fama, et electio canonica prædicatur. Priora duo nec hostes dissententur; tertium calumniam habuit, sed per Christianissimum Lotharium (350) nuper falsi calumniatores in suo sunt mendacio deprehensi.

## EPISTOLA CXXVIII (351).

AD EUNDEM.

*Scio eum hortatur de reducendis ad Ecclesiam clericis quos expulerat*

In eo animo et in ea voluntate memini me discessisse dudum a te, princeps eximie, ut totis affectibus hene tibi tuisque cuperem, totis nisibus salutem vestram et honorem vestrum, ubicunque possem, juvarem; eo quod non redirem fraudatus fructu adventus mei ad vos, sed lætus præter spem multorum reportarem mecum pacem Ecclesiæ, cum exultatione universæ terræ. Miror autem quo, cujusve consilio mira illa mutatio dexteræ Excelsi tam subito in deterius est mutata; ut rursus ad injuriam Ecclesiæ clericos Sancti Hilarii de civitate expelleres, et iram Dei in te gravius, quamprimum excitates. Quis te fascinavit tam cito recedere a via veritatis et salutis? Profecto judicium portabit quicumque est ille. Utinam et abscindantur qui vos conturbant. Revertere, quæso, revertere, ne et tu, quod absit! abscindaris. Revertere, inquam, et revoca amicos tuos ad pacem, et clericos ad ecclesiam, antequam irrecuperabiliter reddas tibi aversum terribilem, et

cui alii auctores compares suffragantur, Guillelmum poenitentia motum ad S. Jacobum peregre profectum esse, et feria sexta Parasceves, quinto Idus Aprilis sacra communione munitum, ante aram beati Apostoli defunctum esse sub annum 1137, quo hæc ab Orderico memorantur.

(349) Anacletus pseudopapa, ut Rogerium ducem Apuliæ præcipuum factionis suæ fautorem fortius sibi devinceret, regis eum Siciliæ titulo donavit, uti videre licet apud Baronium anno 1130, n. 6. Quem tamen ei postea Innocentius, infelicius contra eum in prælium progressus, adeoque captivus, confirmavit, cum aliter eluctari e manibus ejus non posset. Quanto melius jus suum aliena manu prosecutus fuisset Pontifex, si omnino armis opus erat, quam ut ipse ad bellum procedens, et hosti cedens, ad iniquas condiciones adigeretur! Vide Baronium, tom. XII, anno 1139.

(350) Imperatorem Romanum. Vide epist. 159.

(351) Scripta anno Christi 1132.

eum qui avertit spiritum principum, terribilem apud A reges terræ.

EPISTOLA CXXIX (352).

AD JANUENSES.

*Pacem quam aliquando coram conciliaverat, constanter retinendam et tuendam hortatur.*

JANUENSIBUS suis, consulibus cum consiliariis et civibus universis, BERNARDUS abbas dictus de Clara-Valle, pacem, et salutem, et vitam æternam.

1. Quod adventus noster ad vos anno præterito non fuerit otiosus, Ecclesia paulo post in sua necessitate probavit, a qua missi et fueramus. Honorifice nos et suscepistis, et tenuistis, exiguum quod apud vos fuimus: et quidem digne vobis, sed supra nostræ humilitatis modum. Profecto ut non immemores, sic non ingrati sumus. Vicem rependat qui potest, et qui in causa fuit Deus. Nos enim unde illum recompensemus **139** venerationis cultum, sed obsequium, sed affectum, plenum amoris et gratiæ? Non quod nostro delectemur favore, sed vestræ devotioni collætamur. O mihi dies illos festivos, sed paucos! In æternum non obliviscar tui, plebs devota, honorabilis gens, civitas illustris (253). Vespere et mane et meridie, more utique prophetæ, narrabam et annuntiabam (*Psal.* LIV, 18), et erat tanta audiendi aviditas, quanta audientium charitas. Portabamus verbum pacis; cumque invenissemus filios pacis, requievit super eos pax nostra. Exieram planè seminare semen, non meum, sed Dei; et cadens in terram bonam semen bonum, fructum fecit centuplum et tempestivum. Mira celeritas, quia magna necessitas. Nec tarditatem passus sum, nec difficultatem, una pene die et serens, et metens, et reportans cum exultatione manipulos pacis. Hæc quippe messis quam messui. Exsulibus, captivis, compeditis et incarceratis, evadendi atque repatriandi lætam reportavimus spem, metum hostibus, confusionem schismaticis, gloriam Ecclesiæ. orbi lætitiā.

2. Et nunc quid restat, charissimi, nisi ut admoneamini de perseverantia, quæ sola meretur viris gloriam, coronam virtutibus? Prorsus absque perseverantia nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur. Vigor virium, virtu-

tum consummatio est; nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium. Soror est patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum mōdus, unanimiæ vinculum, propugnaculum sanctitatis. Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Denique non qui cœperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* x, 22.). Saul cum esset parvulus in oculis suis, rex est super Israel constitutus: non perseverans in humilitate, et regnum amisit et vitam. Si cautela Samsonis, si Salomonis devotio perseverantiam retinissent, nec is profecto privaretur sapientia, nec ille viribus. Hoc summæ honestatis insigne, hanc totius probitatis unicam fidamque custodem, custodiri a vobis firmiter hortor et precor. Custodite diligenter quod libenter audistis. Mementote scriptum, quia *metuebat Herodes Joannem, et libenter eum audiebat* (*Marc.* vi, 20). Sed beatus foret, si audita libenter æque servasset. Denique non qui audiunt, sed *beati*, inquit, *qui audiunt, et custodiunt verbum Dei* (*Luc.* xi, 28).

3. Servate proinde vos pacem fratribus vestris Pisanis, fidem domino papæ, fidelitatem regi, vobis honorem. Hoc enim expedit, hoc decet, hoc justitia exigit. Audivimus venisse ad vos nuntios ducis Rogerii (554): quid attulerint, quidve retulerint, nos nescimus. Verum ego juxta illud poetæ, ut verum fatear, semper timui Danaos, et dona ferentes (*VIRGILIUS, Æneid.* lib. ii, vers. 49). Si quis forte in vobis (quod Deus avertat!) rem tam foedam committere deprehendatur, extendere videlicet manum ad turpe lucrū; hunc protinus notate, et judicate hostem nominis vestri, civium proditorem, ac venditorem communis honoris et honestatis. Si quis item susurro in populo, diaboli sibi assumens vicem, jurgia seminare, et pacem turbare velle reperiatur, quemadmodum ille discordiæ semper est amator et auctor; huic rigidiæ censuræ remedio citius obvietur, eo quippe pessimæ, quò intimæ pesti. Hostilis exercitus vastat agros, domosque spoliat; prava autem consilia corrumpunt bonos mores, et modicum fermentum totam massam corrumpit (*I Cor.* v, 6). Serite, plantate, negotiamini, ut antiqua mala non solum non iteretis, sed etiam de justis laboribus.

(352) Scripta anno Christi 1133.

(353) Non est hic prætereundum quod refert Manricus in Annalibus ad annum 1132, cap. 6. Hanc nimirum Bernardi promissionem adeo ratam firmamque semper stetisse, ut post quingentos fere annos, Christi scilicet anno 1625, cum excellentissimum principem Carolum Emmanuel Sabaudicæ ducem, quem Januenses patiebantur hostem sibi infensissimum, ditionis suæ oppida vastare et sibi jam imminere vix quinto ab urbe lapidè conspicerent, humano penitus destituti auxilio, fidem S. Bernardi interpellaverint concepto voto, quod ad litteram exscribere non gravabor. Post hæc inter divos nostræ reipublicæ tutelares divum Bernardum, qui dum in humanis agebat, nostri in æternum non obliviscendam suis litteris spondit, adscribere et connumerare promittimus, et vovemus diem ejus celebrare, et a populis nostris et a clero, accelerante

illustrissimi archiepiscopi et reverendissimorum episcoporum consensu, celebrari curare. In hac ecclesia majori vel in alia arbitrio nostro capellam eidem dicatam construere. Eadem die divi Bernardi quotannis in perpetuum solemnem processionem fieri, et sacrum solemne ad ejus altare, nobis pie assistentibus, celebrari facere. Et demum manu Ducis, indicti sacri solemnia singulis annis in perpetuum, et pro hoc anno duodecim puellis, ut vocant, dotes, scilicet libras centum, unicuique persolvere. In cujus rei testimonium, etc. Datas in ecclesia cathedrali, die Dominica, 25 Aprilis anni 1625. Hæc Januenses instante reipublicæ suæ ruina. Quam autem ad votum eis successerit, probavit eventus. Nam Bernardus in ipsa suæ solemnitatis vigilia, Hispana classe advecta, hostiles cōpias ocuis fugavit. Ita fere Manricus.

(554) De quo in epistola 127, n. 2.

vestris expiare et delere possitis. Scriptum quippe est: *Redemptio animæ viri, propriæ divitiæ* (Prov. xiii, 8); et rursus: *Date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis* (Luc. xi, 41). Quod si militare placet, et vestræ fortitudinis ac strenuitatis iterum **140** experiri vires, arma probare delectat; non equidem id præsumendum adversus vicinos et amicos, cum magis Ecclesiæ inimicos expugnare decenter, sed et regni vestri invasam a Siculis defensare coronam. Super illos sane et honestius acquiretis, et justius possidebitis acquisita. Deus pacis et dilectionis maneat semper cum omnibus vobis. Amen.

## EPISTOLA CXXX (355).

AD PISANOS.

*Pisanos lauat ob studium et favorem erga Innocentium papam, qui, Roma per antipapam Anacletum occupata, exsul Pisas concesserat*

PISANIS nostris, consulibus cum consiliariis et civibus, BERNARDUS abbas dictus de Clara-Valle, universis salutem, et pacem, et vitam æternam.

Benefaciat vobis Deus, et meminerit fidelis servitii et piæ compassionis et consolationis et honoris, quæ sponsæ Filii ejus in tempore malo et in diebus afflictionis suæ exhibuistis et exhibetis. Et quidem hoc jam impletur ex parte, et orationis hujus nonnullus capitur fructus. Digna plane retributio celeri jam compensatur effectu. Jam pro meritis tecum agitatur Deus, populus, quem elegit in hæreditatem sibi, omnino populum acceptabilem, sectatorem honorum operum. Assumitur Pisa in locum Romæ, et de cunctis urbibus terræ ad apostolicæ sedis culmen eligitur. Nec fortuito sive humano contigit istud consilio; sed cœlesti providentia, et Dei benigno favore fit, qui diligentes se diligit, qui dixit Christo suo Innocentio: Pisam inhabita, et ego benedicens benedicam ei. Hic habitabo, quoniam elegi eam. Me auctore, tyranni Siculi (356) malitiæ Pisana constantia non cedit: nec minis concutitur, nec donis corrumpitur, nec circumvenitur dolis. O Pisani, Pisani, magnificavit Dominus facere vobiscum, facti sumus lætantes. Quæ civitas non invidet? Serva depositum, urbs fidelis, agnosce gratiam, stude prærogativæ non inveniri ingrata. Honora tuum et universitatis Patrem, honora mundi principes, qui in te sunt, et iudices terræ; quorum te præsentia reddit illustrem, gloriosam, famosam. Alioquin si ignoras te, o pulchrâ inter ci-

vitates, egredieris post greges soladium tuorum pascerere hædos tuos. Sapientibus sat dictum est. Comendo vobis marchionem Engelbertum (357), qui domino Papæ et amicis ejus missus est in adjutorium: juvenis fortis et strenuus, et, si non fallor, fidelis. Habetote eum nostris precibus magis commendatum, quia et ego ei vos amplius commendare curavi, monuique ut vestris potissimum consiliis innitatur.

## EPISTOLA CXXXI (358).

AD MEDIOLANENSES.

*Cum Mediolanenses, Innocentio reconciliati, tamen titubare in officio et obedientia viderentur, eos ad retinendam constantiam incitat, recentia Romanæ Ecclesiæ erga illos beneficia memorans.*

SUIS MEDIOLANENSIBUS, universo videlicet clero et populo, BERNARDUS abbas dictus de Clara-Valle, salutem in Domino.

1. Bene vobiscum facit Deus: bene vobiscum facit Romana Ecclesia. Facit ille quod pater: facit illa quod mater. Et revera quid vobis debuit facere, et non fecit? Si postulastis mitti vobis de curia honorabiles **141** personas ad honorem Dei et vestrum, factum est (359). Si postulastis confirmari quod unanimitas vestra de venerabilis patris vestri (360) electione firmaverat, factum est. Si voluistis licuisse vobis quod illicitum, nisi pro magna quidem necessitate, sacri canones judicant, translationem episcopii scilicet in archiepiscopatum, concessum est (361). Si rogastis erui cives vestros de vinculis Placentinorum (362, quod utique ego prætermittere nec volo nec valeo; et hoc factum est. In quo postremo quæcunque rationabilis petitio filiæ, non dico repulsam, sed vel moram passa est apud piam matrem? En ad complementum pallium præsto est, plenitudo honoris. Nunc vero audi me, inclyta plebs, gens nobilis, civitas gloriosa. Audi, inquam, me (veritatem dico, non mentior) dilectorem tui, zelatorem salutis tuæ. Romana Ecclesia valde clemens est, sed nihilominus potens. Fidele consilium, et omni acceptione dignum: Noli abuti clementia, ne potentia opprimaris.

2. Sed dicit aliquis: Debitam ei reverentiam exhibebo, et nihil amplius. Esto, fac quod dicis; quia si exhibeas debitam, et omnimodam. Plenitudo siquidem potestatis super universas orbis Ecclesias, singulari

(355) Scripta anno Christi 1133.

(357) Rogerii de quo in epistola 127, n. 2.

(357) Quis iste Engelbertus marchio? Existimamus hunc esse, qui in libro de Vita S. Norberti, cap. 32, dicitur frater episcopi Ratisponensis: cujus Engelberti una filia Theobaldo comiti desponsa est. En locus: « Assumptis itaque legatis comitis Theobaldi, Ratisponam usque eos adduxit Norbertus. Erat enim episcopus ejus civitatis nobilissimi stemmatis, et habebat fratrem Engelbertum potentissimum marchionem, cui erant nubilis ætatis filiæ: e quibus una expedita comiti Theobaldo desponsa est. Reversi sunt legati istuc nuntiantes, etc. Mathildis vocabatur, teste Orderico Vitali sub finem libri xiii: Mathildem vero Engelberti ducis filiam uxorem duxit. » Engelbertus porro seu Ingelbertus dux erat Carinthiæ, marchio Foro-Julienensis. Confer

notationem ad epistolam 299.

(358) Scripta anno Christi 1135.

(359) Missi sunt cum Bernardo Guido Pisanus, Matthæus Albanensis, Gaufridus Carnotensis episcopi, ex Vitæ libro ii, n. 9, nempe ad reconciliandos Ecclesiæ Romanæ Mediolanenses, qui schisma conflaverant ob depositum Anselmum archiepiscopum ab ipsis electum.

(360) Ribaldi videlicet, qui ab eis electus est in locum Anselmi rejecti.

(361) Intellige restitutionem dignitatis archiepiscopalis, quæ isti Ecclesiæ ob schisma a pontifice abrogata fuerat.

(362) Quippe utrisque bello in sese contententibus, multi ex Mediolanensibus captivi abducti fuerant a Placentinis.



prærogativa apostolicæ Sedi donata est. Qui igitur huic potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Potest, si utile judicaverit, novos ordinare episcopatus, ubi hactenus non fuerunt. Potest eos qui sunt, alios deprimere, alios sublimare, prout ratio sibi dictaverit, ita ut de episcopis creare archiepiscopos liceat, et e converso, si necesse visum fuerit. Potest a finibus terræ sublimes quascunque personas ecclesiasticas evocare, et cogere ad suam præsentiam, non semel aut bis, sed quoties expedire videbit. Porro in promptu est ei omnem ulcisci inobedientiam, si quis forte relucari conatus fuerit. Denique probasti et tu. Quid enim contulit tibi vetus tua rebellio et recalcitratio male suasa a pseudopropheta tuis (363)? quem fructum habuisti, in quibus nunc erubescis? Agnosce potius in qua potestate, gloria et honore suffraganeorum tuorum tam diu privata exististi (364). Quis pro te valuit obviare apostolicæ auctoritatis justissimæ severitati, cum, provocata tuis excessibus, decrevit te tuis illis antiquis ac præclaris ornamentis nudare, mutilare membris! Et hodie confusa et truncata jaceres, si non benignius quam potentius tecum actum fuisset. Quis eam prohibere valebit etiam a gravioribus, si rursus (quod absit) adijeceris provocare? Vide ne patiaris recidivum: quia pro certo, nisi fallor, non tam facile denuo poterit inveniri remedium. Si quis itaque dixerit tibi: Partim oportet obedire, partim non oportet; cum tu in te experta sis plenitudinem apostolicæ potestatis, auctoritatis integritatem, nonne hujusmodi aut seducius est, aut seducere vult? Sed fac (quod dico): nam ego te non seduco. Convertere magis ad humilitatem, ad mansuetudinem: siquidem et humilibus dat Deus gratiam (I Petr. v, 5), et mansueti hæreditantur terram (Psal. xxxvi, 11). Esto cauta dominæ et matris tuæ recuperatam servare gratiam: et sic ei placere studeas de reliquo, quatenus placeat ei non solum servare tibi quæ reddidit, sed etiam adjicere quæ nondum dedit.

#### 142 EPISTOLA CXXXII (365).

AD CLERUM MEDIOLANENSEM.

*Gratulatur clero Mediolanensi, cujus opera civitas, relicto schismate Anacleti, ad unitatem Ecclesie redierat.*

Benedicti vos a Domino, quorum studio et indu-

(365) Loquitur de rebellionem qua secuti Anselmum de Pusterla archiepiscopum suum, partes Conradi contra Lotharium legitimum imperatorem Mediolanenses tuebantur. Rem enarrat Sigonius libro xi de Regno Ital. ad annum 1128. « Conradus, inquit, principibus aliquot suffragantibus contra Lotharium sese regem asseruit; insolenti inde ardentis fortunæ elatus obsequio, in Italiam cum exercitu maturavit, atque Anselmum archiepiscopum et populum Mediolanensem amicos nactus, Modoetiæ regni coronam accepit, atque inde perlustrata Lombardia, civitates ad se plerasque omnes traduxit. Ea de causa archiepiscopi Moguntinus, Magdeburgensis, et Treverensis, jussu Lotharii ipsum communiore piorum exterminarunt. Honorius autem non eum solum, sed etiam Anselmum qui coronam imposuerat, et populum qui receperat, perculit. Idem refert Otto Frisingensis, Chronici libro vii, cap. 17.

(364) Nimirum quod Mediolanenses Anselmum

Astria civitas vestra liberata est ab errore, et relicto schismate ad catholicam rediit unitatem. Exiit sermo iste inter Catholicos: audivit et lætata est Sion, et est vobis gloria coram Deo et omni populo. Quam lætis amplexibus mater Ecclesia colligit tot et tantorum multitudinem filiorum, quos se amisisse dolebat! quam læto et sereno vultu Deus pater recipit hoc sacrificium de manibus vestris! Quod autem et paci terræ intenditis, facitis quod filii pacis. Et ego, fratres, particeps et socius gaudii vestri fieri cupiens, juxta petitionem vestram ad vos cum dilectis fratribus nostris, nuntiis vestris, veniebam, de quibus mihi scripsistis, plenius secundum rationem in beneplacito Dei satisfactorus. Sed quia tempus breve est quo ad concilium festinamus (366); non gravet vos usque ad reditum nostrum sustinere.

#### EPISTOLA CXXXIII (367).

AD UNIVERSOS CIVES MEDIOLANENSIVM.

*Invitatus ad componendam pacem, lætatur ad hoc opus suam operam requiri.*

Ut ex scriptis vestris percipio, nonnullus mihi locus gratiæ apud vos est, et, quoniam meum non invenio meritum, divinitus credo datum. Non recuso favorem ingentis insignisque populi. Amplector oblatam gratiam, et obviis manibus gloriosæ civitatis devotionem devotus excipio: præsertim hoc tempore, quo abjecto errore schismaticorum, ad sinum matris Ecclesiæ cum gaudio totius orbis reversa est. Arbitror tamen non solum mihi gloriandum, quod invitor ad pacem quærendam; et a famosissima urbe, cum sim pauper ignobilisque persona, tanti boni mediator atque minister assumor; sed vobis quoque per talem nihilominus honor est flecti ad pacem et concordiam vicinorum vestrorum, quos nec multarum civitatum hostilis impetus, ut bene notum est mundo, cedere aliquando compulit. Itaque festinans ad concilium, spero me rediturum per vos, et probaturum de gratia quam promittitis. Qui autem gratiam dedit, faciat ne in me vacua sit.

D archiepiscopum secuti, Anacleto et Conrado adhæssissent, ut superius dictum, et amplius infra declarabitur. At iis resipiscentibus ea dignitas ab Innocentio restituta. Et de hac quidem restitutione in superioribus est intelligendus Bernardus, cum ait, in gratiam Mediolanensium translationem episcopii in archiepiscopatum esse factam. Nam alioqui sedes metropolitana dignitate ab initio præcelluit. Non tamen omittendum quod Sigonius refert libro xi de Regno Ital. ad annum 1133. « Innocentius, inquit, a Genuensibus comiter atque honorifice jam bis acceptus, hanc eis gratiam retulit, quod episcopum eorum ab obedientia archiepiscopi Mediolanensis exemptum archiepiscopum fecit, atque ei dimidiam episcoporum Corsicæ partem subjecit. »

(365) Scripta anno Christi 1134.

(366) Concilium de quo hic et in subsequentibus epistolis agitur, est concilium Pisanum anni 1134. Vide Bernardi Vitam, lib. ii, n. 8.

(367) Scripta anno Christi 1134.

## EPISTOLA CXXXIV.

AD NOVITIOS APUD MEDIOLANUM CONVERSOS (368).

*Novitiis Mediolanensibus gratulatur de conversione, seque peracto concilio illos invisurum spondet.*

Charissimis fratribus de Mediolano, nuper conversis ad Deum, BERNARDUS abbas dictus de Clara-Valle, in spiritu consilii et fortitudinis, quod beneceptum est, digno exitu consummare.

Benedictus Deus, qui fecit vobis vilescere mundi gloriam, largiturus suam. O quam vani filii hominum, quam mendaces filii hominum in stateris, qui secundum illud Evangelii, gloriam ab invicem quaerunt, et gloriam quæ a solo Deo est, nolunt (*Joan. v. 44*); plane in hoc ipsi decipientes **143** de vanitate in idipsum! (*Psal. lxi, 10.*) Vos autem non sic. Ab hoc vos opprobrio liberavit nunc divina misericordia, ut essetis Christi bonus odor Deo in omni loco; ipsi ad gloriam, angelis ad lætitiã, hominibus ad exemplum: si quidem gaudium est in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente; quanto magis super tot et talibus viris, et de tali urbe conversis? Et ego, fratres, tanta lætitiã provocatus, sed et vocatus a vobis, per charissimos fratres Ottonem et Ambrosium, quos ad hoc ipsum direxistis, decreveram simul cum ipsis venire ad vos. Cæterum melius existimans, non in articulo temporis, neque in transitu vos videre, distuli usque ad reditum nostrum. Properamus quippe ad concilium, per vos Deo auxiliante reversuri, consilium et auxilium, quod secundum rationem poterimus, vestro sancto proposito præbituri.

## EPISTOLA CXXXV.

AD PETRUM PAPIENSEM EPISCOPUM (369).

*Delatas sibi laudes in Deum refundit. Episcopum ab operibus misericordiæ laudat.*

Si semen bonum, jactum in terram bonam, fructum attulisse videtur, ipsius est gloria qui dedit semen serenti, fecunditatem terræ, semini incrementum. Quid in his nos capimus? Ego sane gloriam Christi alteri non dabo, multo vero scrupulosius usurpabo mihi. Profecto lex Domini convertit animas, et non ego: testimonium Domini fidele sapientiam præstat parvulis (*Psal. xviii, 8*), et non ego.

(368) Scripta anno 1134. — Ex hoc titulo Baronius infert, jam ante Bernardi adventum Mediolanum, id est ante annum 1134, Cisterciensium familiam eo fuisse transmissam, conditumque aliquod monasterium, cui se novitii isti mancipassent. At Ughellus in tomo IV Italiæ sacræ existimat, primum Cisterciensium in illa urbe cœnobium esse Charam-Vallem, quam secundo ab urbe lapide non ante annum 1135 conditam probat: proindeque hæc in epistola novitiorum nomine intelligendos esse eos, qui Bernardi opera ad Pisanum concilium pergentis recens conversi, ejus se magisterio ex animo jam devovissent. Ughelli epocha de conditu monasterii constat ex veteri inscriptione et ex primis loci instrumentis, in quibus constanter *Chara-Vallis*, non *Clara-Vallis* appellatur (a). Vide epistolam. 281.

(a) Legendum esse *Chara-Vallis*, inquit ipse Mabillonius Itineris Italici p. 18, argumento sunt primaria quæque loci instrumenta, itemque inscriptio vetus claustrii parieti insculpta in hunc modum: *Anno gratiæ MCXXXV,*

**A** Laudatur de bona litteræ tornatura manus, non calamus. Fateor, ut multum tribuam mihi lingua mea calamus scribæ velociter scribentis (*Psal. xlii, 2*). Sibi ergo, inquis, quid afferunt boni speciosi pedes evangelizantium bona? Multum per omnem modum. Primum quidem, quia filii sunt Patris sui qui in cœlis est, et gloriam, quam deferunt Patri, nequâquam a se ducunt alienam. Nam si filii, et hæredes: Deinde vero quod proximorum salutem, suam nihilominus arbitrantur, quippe quos tanquam se ipsos diligunt. Tertio quoque, quod labor laborum ipsorum sibi penitus perire non poterit. Unusquisque enim mercedem accipiet secundum proprium laborem (*1 Cor. iii, 8*). Ego labia mea non prohibui: tu aperuisti et viscera, ideo procul dubio plus recepturus, quoniam plus laborasti. Certus sum enim quia non vacat tibi, quod sitienti tulisti aquam, et cum panibus occurristi fugientibus. Non, inquam, vacant officia humanitatis, non hortamenta salutis, quibus Christi vere viscera in illis pauperibus refovisti. Ambo tamen collaboratores, ambo coadjutores Dei sumus: ambo pariter speramus fructum in respectione animarum sanctarum. Quis mihi det memoriam tui, nunquam deserere, nunquam ab ipsa deseri?

## EPISTOLA CXXXVI (370)

AD INNOCENTIUM PAPAM (371).

*Dalfinum, de illatis injuriis satisfacere paratum, mitius tractari cupit.*

**C** Si tristitia semper acciderent, quis sustineret? si semper prospera, quis non contemneret? Sed rerum cauta gubernatrix Sapientia, horum pernecessaria vicissitudine eo moderamine electis suis cursum vitæ temporalis alternat, ut nec adversa frangant, nec læta dissolvant: cum potius et ista ex illis gratiora, et illa ex his tolerabiliora reddantur. Benedictus per **144** omnia Deus: tristitia nostra versa est in gaudium, acceperunt oleum post vinum vulnera nostra. Raptôres et prædones compuncti humiliantur: sacerdotem Domini, in quem ausi sunt mittere manus, cum honore remittunt; spolia quæ diripuerant, et sine desidia recolligunt, et sine fraude restituunt. Si quid horum est quod inveniri

(369) Scripta circa annum 1135. — Duos hujus nominis Papienses episcopos habet Ughellus: unum electum anno 1130 vel 1131; alterum, Alfonso et Conrado intermediis, anno 1148, cui has litteras apert: quæ melius priori conveniunt, siquidem hæc proxime sequebantur epistolam 134, quæ scripta est anno 1134.

(370) Scripta anno Christi 1134.

(371) In prioribus editis legebatur, *Ad eundem*, quod ad Petrum episcopum Papiensem, cui præcedens epistola inscripta erat, referebant. At in duobus Cisterciensibus manuscriptis et in totidem Colbertinis interponitur epistola centesima septuagesima octava, ad Innocentium papam. Scripta est autem hæc epistola occasione prædonum, qui episcopos ex Pisano concilio anni 1134 revertentes spoliaverunt. Vide notas ad epistolam vicesimam tertiam.

*xi Kal. Febr. constructum est hoc monasterium a beato Bernardo Claræ-Vallensi. MCCXXI consecrata est ecclesia ista, a domino Henrico Mediolanensi archiepiscopo, vi Non. Maii, in honore sanctæ Mariæ Charæ-Vallis.*

non possit, Dalfinus pro eo satisfaciet ad beneplacitum vestrum : hoc quippe manu sua in nostra affirmavit. Pro qua sua promissione adimplenda si venerit ad pedes vestræ majestatis (372), quod et proposuit, mitius quam meruit supplicamus agi cum juvene : non quod velimus impunitum esse tam grande facinus, sed ut Ecclesia, si fieri potest, debita satisfactione honoretur ; ut is qui satisfacit, supra vires patientiæ suæ non exasperetur, et pœniteat (373) hominem nostris acquievisse consiliis.

EPISTOLA CXXXVII (374).

AD IMPERATRICEM ROMANORUM (375).

*Mediolanenses non ante receptos in gratiam a pontifice, quam ipsi Lotharium imperatorem reciperent. Hinc eos clementiæ imperatricis commendat.*

In reconciliatione Mediolanensium (376) non oblitus sumus unde a vestra excellentia præmoniti fueramus. Quod etsi non monuissetis, nihilominus honori vestro et regni utilitatibus intenderemus, sicut ubique et semper fideliter, quantum possumus, facimus. Non ante sane Mediolanenses in gratiam domini papæ et Ecclesiæ unitatem recepti sunt, quousque palam Conrado refutato et abnegato, dominum nostrum Lotharium in suum regem et dominum receperunt, et Romanorum imperatorem Augustum una cum toto orbe confessi sunt : et de injuria transacta, juxta consilium et mandatum domini papæ,

(372) Inde colligitur hanc epistolam summo Pontifici directam esse, qui Majestatis vocabulo non raro compellatur ab aliis, uti a Bernardo in epistolis 46, 150, n. 3, 166, etc., item ab Odone de Digo, et aliis. Quanquam hic titulus inferioribus etiam quandoque prælati tribuitur ex notis ad epistolam 370.

(373) Supple, non, ex superiori membro, non exasperetur, et non pœniteat ; ut in fine epistolæ sequentis

(374) Scripta anno Christi 1134.

(375) Richeram. Alias, imperatorem ; mendose.

(376) Ea de re ita Sigonius De regno Ital. libro II ad annum 1134 : « Mediolanenses, » inquit, « cum se sacrarum communione spoliatis, et metropolitana dignitate nudatos cernerent, eo quod Anselmum secuti Conrado et Anacleto hæsisent, actorum pœnitentia ducti auctore Ribaldo episcopo, quem Anselmo repudiato sublegerant, Innocentii et Lotharii recuperare gratiam studuerunt : atque ea de re litteras item ad Bernardum, cujus maximam norant esse auctoritatem, scripserunt. Bernardus vero ad concilium Pisanum ab Innocentio accersitus, cum per Lombardiam eo festinans transiret, litteris scriptis gratulatus quod errorem deposuissent, et se votis eorum obsecuturum atque in reditu ad eos accessurum, promisit. Eo Pisas profecto, concilium est institutum, atque ejus potissimum sapientia consilioque perfectum. Ejus concilii actiones fuere multæ. Summa tamen in Anacleto cum fautoribus execrando versata est. Mediolanensibus, qui ad auctoritatem Innocentii Ribaldo auctore redierant, honoris causa multa tributa : ut Ribaldus, quem ipsi delegerant, dignitatem teneret ; ut ea sedes metropolitana, sicut ante esset, ac pallio dignaretur ; ut legatio ad eos expiandos honestissima mitteretur. Missi vero sunt Guido Pisanus, et Matthæus Albanus episcopus, legati a latere : atque eis socius est adjunctus ipse, quem in primis requirebant, Bernardus ut discidium ab Anselmo archiepiscopo excita-

A digne vobis sese satisfacturos esse tacto sacrosancto Evangelio sponderunt. Unde magnas agentes gratias divinæ bonitati, quæ absque bellorum periculis, absque humani sanguinis effusione, inimicos vestros sic humiliavit ; rogamus vestram satis nobis expertam clementiam, ut tempore suo, cum requisierint prædicti Mediolanenses, per dominum papam, utique mediatorem suæ reconciliationis, gratiam vestram, benignos vos atque placabiles inveniamus : quatenus nec eos pœniteat sanis paruisse consiliis, et vos de eis debitum habeatis servitium et honorem. Non enim decet ut fideles vestri, qui pro honore vestro laborant, apud vos confundantur. Confundentur autem, si qui de benignitate vestra spem indulgentiæ promiserunt, cum pro ipsis intervenerint, invenerint vos, quod absit ! inexorabiles.

EPISTOLA CXXXVIII (377).

AD HENRICUM REGEM ANGLORUM.

*A rege suppeticas petit pro Innocentio papa.*

HENRICO illustrissimo Anglorum regi, BERNARDUS abbas dictus de Clara-Valle, honorem, sospitatem et pacem.

Velle vos instruere, de his præsertim quæ spectant ad honestatem, aut insipientis est, aut vos penitus ignorantis. Eapropter rem simpliciter intimare sufficit, et hoc paucis, quoniam facile omnia tenenti, multa superflue ingeruntur. In ingressu

tum exstinguerent, ac populum religione contactum scelere liberarent. Mediolanenses, ubi Bernardum cum legatis adventare sensere, extemplo ingenti lætitia urbe effusi, obviam ad septem millia passuum prodire, tanta ordinum, ætatum, sexuumque universorum frequentia, ut urbem deserere, atque alio commigrare ipsos putares velle : interstinctis vero agminibus eum partisque recipientes, certatim et intueri, et alloqui, et pedes etiam deosculari gestiebant : quin et pilos de vestibus ejus detractos ad opportuna incidentium morborum remedia reservabant, omnia sancta judicantes, quæ ille contigisset, et se sanctos fieri eorum contactu putantes, atque ita lætis clamoribus in urbem et hospitium deduxerunt. Die inde constituto concilium est habitum. Ibi primum Anacleto rejecto, Innocentium, ut verum et catholicum pontificem approbarunt. Deinde Conrado repudiato, palam Lotharium regem et dominum acceperunt, et Romanorum imperatorem Augustum una cum toto terrarum orbe confessi sunt, et de contumacia adhibita se ex concilio et mandato Innocentii satisfacturos esse tacto sacrosancto Evangelio sponderunt, ac mox Bernardi judicio subjicientes, piaculum quod ille imposuit, receperunt. Dum vero Bernardus Mediolani fuit, quamplurimos, qui offerebantur, homines male affectos, divina virtute cum omnium admiratione sanavit, claudis gressus, cæcis aspectus, debilibus pristinos artuum motus est restitutus, præcipue vero multi, quos per schisma dæmon invaserat, liberati. Inde jussu Innocentii ad pacificandas ipsas inter se Lombardiæ civitates profectus, Papiam et Cremonam se contulit. Cum vero apud Cremonenses nihil profecisset, eorum Innocentio pertinaciam significavit his verbis : *Cremonenses induruerunt, et prosperitas eorum perdit eos. Mediolanenses contemnunt, et confidentia eorum seducit eos. Isti in curribus et equis spem suam ponentes, meam frustraverunt et laborem meum exinanierunt.* Ita ille.

(377) Scripta anno Christi 1133.

urbis sumus, salus est in januis, justitia nobiscum est; sed Romanis militibus cibus iste non sapit. Itaque justitia placamus Deum, militia terremus hostes: solis necessariis necessaria **145** non habemus. Quid opus sit facto, ut opus vestrum compleatur, quod de domini papæ Innocentii magnifica et honorifica illa susceptione fecistis, vos melius nostis (378).

EPISTOLA CXXXIX (379).

AD LOTHARIUM IMPERATOREM.

*Excitat imperatorem ad reprimendos schismaticos. Causam cujusdam ecclesie apud Tullum sitæ commendat.*

LOTHARIO Dei gratia Romano imperatori Augusto, BERNARDUS abbas dictus de Clara-Valle, si quid potest peccatoris oratio.

1. Benedictus Deus, qui vos elegit (380), et erexit cornu salutis nobis, ad laudem et gloriam nominis sui, et reparandum imperii decus, ad subveniendum Ecclesie suæ in tempore malo, postremo ad operandum etiam nunc salutem in medio terræ. Ipsius est enim opus, quod corona gloriæ vestræ ita in dies ampliatur et sublimatur, mirabiliter crescens ac proficiens in omni decore et magnificentia apud Deum et homines. Ipsius profecto nuper opus et

(378) Quid fecerit rex Anglorum Henricus, hujus nominis primus, vide Vitam S. Bernardi, libro II, cap. 1, n. 4. Quod et Willelmus Malmesburiensis illius sæculi scriptor, æque Anglus, descripsit Historiæ Novellæ libro I, his omnino verbis: Innocentius Roma exclusus, transcensit Alpibus Galliam contendit. Ibi ab omni citramontana Ecclesia susceptus est. Quin etiam rex Henricus (qui non leviter a sententia, quam semel posuisset, dejici nosset) illi apud Carnotum ultro manus dedit, et apud Rotomagum non modo suis, sed et optimatam, et etiam Judæorum muneribus dignatus est. Rogerus Hovedenus et ipse in Annalibus eandem commemorat receptionem anno 1131. Porro anno 1132, ut habet Fulco, Beneventani Chronici scriptor, cum Lotharius imperator Innocentii restituendi gratia Romam obsidisset, nec satis haberet virium ad eam expugnandam, utpote duorum millium duntaxat præsidio instructus, Bernardus qui et ipse aderat, a rege Anglorum supplicas hisce litteris expetiit; quod tamen ipse præstare non potuit. Denique quam religiose et christiane ultimum diem clausit anno 1135, discimus ex Hugonis archiepiscopi Rotomagensis epistola ad Innocentium papam scripta, dignissima certe quæ legatur apud Guillelmum Malmesburiensem, Historiæ Novellæ libro I, et apud Baronium ad annum 1135.

(379) Scripta circa annum 1135.

(380) Lotharium scilicet Saxonie ducem, virum per omnia commendabilem, teste Guillelmo Tyrio, lib. XII, cap. 16; Ottone Frisingensi, libro VII, cap. 17; Sigonio, qui non minus pietatis quam virtutis laude hominum memoriæ commendatum ait; abbate Ursperg, qui strenuum belli ductorem, providum in consilio, terribilem inimicis Dei et sanctæ Ecclesie, etc. celebrat; Petro Diacono, qui miris ac magnificentissimè eundem elogiis deprædicat. « Quis tanti, » inquit, « imperatoris animum non admiretur? Sederat ad sedandas fratrum dissensiones in capitulo a prima diei hora usque ad Vesperas, absque cibo potuque perdurans, dum paci unitatque consuleret. Nempe sub imperii chlamyde cœlesti militabat Regi. Nam, ut ipse testis sum, in expeditione constitutus, summo diluculo Missam pro defunctis, dehinc pro exer-

virtus fuit, quod iter satis laboriosum et meticulosum, pro pace regni et Ecclesie liberatione susceptum, in tanta prosperitate peregistis (381). Romæ siquidem imperialis culminis plenitudinem gloriosissime assecutus, idque, quod majus fuit, in manu non magna, ut animi fideique magnitudo clarius emereret. Quod si ante tantillum exercitum terra tremuit et quievit, quantus putamus horror hostium corda invadere habeat, cum cœperit rex procedere in magnitudine brachii sui? Animabit insuper honestas causæ; imo duplex provocabit necessitas. Non est meum hortari ad pugnam: est tamen (securus dico) advocati Ecclesie arcere ab Ecclesie infestatione schismaticorum rabiem: est Cæsaris propriam vindicare coronam ab usurpatore Siculo (382). Ut enim constat Judaicam sobolem sedem Petri in Christi occupasse injuriam (383); sic procul dubio omnis qui in Sicilia regem se facit, contradicit Cæsari.

2. Si autem utrumque incumbit Cæsari, restituere scilicet quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo, cur apud Tullum res Dei minuitur, cum Cæsar nihil ibi lucretur? Verendum est ne minimorum neglectus, impedimentum sit maximorum. Hoc

citu, tertiam postremo (forte pro semet) diei Missam audiebat. » Vide cætera omnino digna legi, bonis principibus exempla futura: ut non immerito Bernardus laudet Deum, qui talem imperio principem providerit.

(381) Nempe cum hortatu Bernardi ex Germania in Italiam, et Romam usque, licet exiguis stipatus copiis, contendit, ut Innocentium in sedem restitueret, et ab eo vicissim solemnem imperii coronam reciperet. Quod et factum in ipsa Urbe, in Laterano; cum interim antipapa Anacletus basilicam Vaticanam, et munitissima quæque Urbis loca cum suis, tum operibus, tum præsidio firmata teneret. Vide Baronium, anno 1132; Sigonium, lib. XI, eodem anno; Vitam S. Bernardi, lib. II, cap. 2. Et tamen Ordericus, libro XIII, pag. 896, ubi Lotharii Romanum iter anno 1133 susceptum describit, ait mandasse Petro, « ut alii cederet, aut judicium de ordinatione sua subiret: » idemque Innocentio mandasse. Et Petrum quidem acquiescisse, non vero Innocentium. Unde Lotharium contra eum indignatum, Petro quæ possidebat dimisisse, et negotio imperfecto recessisse.

(382) De jure regni Siculi magna alias fuit disceptatio. De hac nihil modo ad nos. Videat ea de re, qui volet, scriptum Baronii, si tamen exstet hodie, et qui contra eum scripsere. Non immerito usurpatorem Siculum vocat Bernardus, qui Apulie Calabriaeque ducatus jure clientelari commissos Guillelmo suo consobrino usurpavit, et tenuit a Calixti pontificatu usque ad annum 1136, quo Lotharius secundo Italiam ingressus (secundum Ursperg.) Apuliam invasit, Rogeriumque vicit, hoc in primis sermone suos ad pugnam milites accendens, quod contra perduellem Ecclesie, ejusque sacris emotum, arma sumerent. Vide Ottonem Frisingensem, lib. VII, capp. 16 et 20; Fazell. lib. VII, poster. decad. Idem tamen postea resipuit, agentibus Bernardo et Petro Cluniacensi, qui litteris eum reconciliationis admonuit.

(383) Hoc ipsum est quod ex Actis Genomannensium episcoporum notavimus in præfatione ad hunc tomum, nempe Anacletum, seu Petrum Leonis ex Judaismo duxisse originem.

est quod dico. Ecclesia Sancti Gengulfi (384) graviter injusteque, ut dicitur, in illa civitate opprimitur : et aiunt vestrae prudentiae nescio qua fraude subreptum, ut domino papae, per justitiam subvenire paranti, vestrae interventu precis obviaretis. Obsecro et consulo consultius agi, noxiam revocari precem, dari locum justitiae, antequam ecclesia illa funditus destruat. Pauper sum ego : fidelis tamen vester, et si videor importunus, fortassis inde est. Dominam imperatricem in Christi charitate oppido salutamus.

EPISTOLA CXL (385).

AD EUNDEM.

*Pisanos pontificis studiosos apud Lotharium commendat.*

Miror cujus instinctu vel consilio vigilantiae vestrae subripi potuerit, ut homines, digni certe duplici honore et gratia, contraria a vobis audirent. Pisanos dico, qui primi et soli interim adhuc erexere vexillum **146** adversus invasorem imperii (386). Quam justius in eos regia incanduisset indignatio, qui populum strenuum et devotum quacunque occasione offendere ausi sunt, eo praecipue tempore, quo accincti in multis millibus suis exierant oppugnare tyrannum, ulcisci injuriam domini sui, et imperialem defensare coronam? Ut enim congruentissime assignem huic genti quod olim de sancto David dicebatur; quenam, quaeso, in omnibus civitatibus, sicut Pisa, fidelis, egrediens, et regrediens, et pergens ad imperium regis? (*I Reg. xxii, 14.*) Nonne hi sunt, qui nuper regni illum unicum ac potentissimum hostem ab obsidione Neapolis fugaverunt? Nonne hi sunt qui etiam, quod pene incredibile dictu est, in uno impetu suo expugnaverunt Amalfam, et Rebellem [*al. Rivellum*], et Scalam, atque Atturniam, civitates utique opulentissimas et munitissimas, omnibusque qui antehac tentaverunt, usque ad hoc tempus, ut aiunt, inexpugnabiles? Quam dignum, quam aequum, quam plenum ratione et justitia fuerat, ut fidelium terra, interim saltem dum haec cogitarent, ab omni hoste segura consisteret : tum pro praesentia summi pontificis, quem jamdudum exsulem Pisani apud se cum summo honore servabant et servant; tum pro servitio imperatoris, pro quo et ipsi tunc temporis exsulabant? **D**

(384) De S. Gengulfo aliis *Gangulfo*, seu *Jangulfo*, ita Sigebertus ad annum 759 : « S. Gengulfus claret in Burgundia, qui etiam martyrii claruit gloria. » In ejus honorem Tulli in Lotharingia constructa est, sub annum 1065, insignis basilica a S. Gerardo ejusdem civitatis episcopo, ut litteris mihi significatum est ab illustrissimo et reverendissimo D. Andrea Saussayo episcopo ac comite Tullensi, non minus scientia et scriptis quam dignitate conspicuo. Sic enim in veteri codice quem penes se habet : « Sancti quoque Gengulfi abbatiam ad meridianum introitum ejusdem civitatis primus construxit S. Gerardus, et brachium praefati sancti in hac urbe asportavit. Udo vero, Tullensis itidem episcopus, eandem ecclesiam restituit. Ubi vides S. Gengulfi ecclesiam abbatiae nomine insignitam, quod vocabulum nonnullis etiam ecclesiis collegiatis olim tribue-

**A** Factum est autem per contrarium, ut gratiam, qui offenderunt; et qui servierunt, iram mererentur. Sed vos fortassis adhuc ista nesciebatis. Oportet ergo nunc quando res est nota vobis, imo et decet et expedit, mutare vos et verbum et animum : ut viri regis magis favoribus et muneribus honorandi, a vestra parte de caetero audiant et recipiant prout meriti sunt. O quantum meruere Pisani, quantum adhuc mereri possunt ! Sat est dictum sapienti.

EPISTOLA CXLI.

AD HUBERTUM ABBATEM IGNIACENSEM (387).

*Graviter eum perstringit, ob munus praelationis inconsulto ac temere dimissum.*

**1.** Parcat tibi omnipotens Deus : quid voluisti facere? Quis te crederet ad tantum prorumpere malum, hominem tantis praeditum bonis? Quomodo potuit arbor bona pessimum hunc ex se producere fructum? O quam terribilis Deus in judiciis super filios hominum ! Non miror quod diabolus istud potuit, sed quod Deus permisit, quippe cui jam tot annis pure, sicut credimus, et devote serviisti. Quid faciet de me, utique pigro et negligenti servo, qui fidelem famulum suum sic vel ad tempus tradidit in animam inimicorum ejus? Quid, quaeso, rationis, imo quid non impietatis habet haec fuga tua, de qua filii ligent, adversarii rident? Miror quod te non terruit Arnoldi abbatis (388) exemplum : cujus similis praesumptio digno, sed pavendo sine, ut bene meministi, in brevi est vindicata. Et quidem ille qualemcunque, ut bene novi ego, habuit causam, tu nullam. Numquid enim aut monachi tuis erant inobedientes imperiis, aut conversi segnes in operibus, aut vicini forte tibi tuisve rebus infesti, aut certe modica et non sufficiens substantia mundi, quatenus relinquere cogereris, quos vel regere, vel pascere non sufficeres?

**2.** Vide ne et te tangat vox illa Dei : *Quia odio habuerunt me gratis* (*Joun. xv, 25*). Quid enim debuit tibi facere, et non fecit? Vineam tibi plantavit electam et speciosissimam. Sepem ei circumdedit votivae continentiae, torcular **147** districtissimae disciplinae fodit in ea, et aedificavit sanctae paupertatis turrim, ad caelos usque pertingentem. Te cultorem atque custodem constituit : honestavit te in laboribus tuis, et complebit illos, si permittis. Sed tu, proh nefas!

batur, ut etiam nunc advertere est in Sancto Exsuperio Corboliensi, ubi praepositus seu prima dignitas capituli abbas appellatur.

(385) Scripta circa annum 1135.

(386) Scilicet Rogerium.

(387) Scripta anno 1138. Humbertus, ex Casae Dei monacho factus Claræ-Vallensis; dein a Bernardo primus abbas anno 1127 praeficitur monasterio Igniacensi, diocesis Remensis. Vitae privatae studio regimen abdicavit anno 1138, quo anno scripta haec epistola ex Italia. Perstitit nihilominus in sua abdicatione Humbertus, suffecto in ejus locum Guerrico; mortuus apud Claram-Vallem anno 1148, ut in tomo II dicemus, referendo egregium sermonem, quem Bernardus in ejus obitu habuit.

(388) Scilicet, Morimundi, ad quem epistola 4.

destruis maceriam ejus, et racemis optimis plenam exponis omnibus qui prætergrediuntur viam. Heu! quis prohibebit aprum de silva, ut non exterminet; et singularem ferum, ne depascat eam? Mirum vero si in hoc morti te bene præparare putas, quod quidem ad me scripsisti, ut in tanto scandalo, et in anathemate domini papæ mori velle non timeas. Deinde, si ita necessarium erat, non potuit aliud tempus considerari, nisi cum necessitatibus universalis Ecclesiæ delineor, ut illi miseræ, quam exponis, non liceat subvenire? Obsecro te, per eum qui pro te crucifixus est, ut satis afflictos amplius cruciare parcas, et tristitiam super tristitiam addere desistas: quia, ut verum fatear, sic pro hac Ecclesiæ generali gravique scissura affectus sum, ut tædeat animam meam vitæ meæ, etiam te et tuis in pace degentibus.

## EPISTOLA CXLII.

AD MONACHOS ALPENSES (389).

*Monachos Alpenses, qui se sub ordine Cisterciensi Claræ-Vallensibus aggregaverant, commendat et consolatur de absentia Patris ad altiorem gradum assumpti. Hinc de novo abbate eligendo eos monet.*

1. Bonus Pater vester atque noster, auctore Deo, ad altiorem gradum assumptus est. Faciamus ergo, charissimi, quod dicit propheta: *Elevatus est sol, et luna stetit in ordine suo (Habacuc III, 11)*. Sol est ille, per quem Alpensis congregatio illustris ubique redditur, tanquam luna per solem. Elevato itaque illo, stemus nos in ordine nostro, quicumque elegimus abjecti esse in domo Dei nostri, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum (*Psal. LXXXIII, 11*). Ordo noster abjectio est, humilitas est, voluntaria paupertas est, obedientia, pax, gaudium in Spiritu sancto. Ordo noster est esse sub magistro, sub abbate, sub regula, sub disciplina. Ordo noster est studere silentio, exerceri jejuniis, vigiliis, orationibus, opere manuum; et super omnia, excellentiorem viam tenere, quæ est charitas porro in his omnibus proficere de die in diem, et in ipsis perseverare usque ad ultimum diem. Et hæc quidem assidue vos confidimus acclitare.

2. Cæterum unum opus fecistis, et omnes mirantur: quod cum sancti essetis, non reputantes vestram sanctitatem, alienam participare curastis, ut essetis sanctiores. Impletum est quod legitur in Evangelio: *Cum feceritis omnia quæ mandata vobis fuerint, dicite: Servi inutiles sumus (Luc. XVII, 10)*.

(389) Scripta anno christi 1138.—Alpense cœnobium, diocesis Genevensis in Sabaudia, hodie Anniensis. Fundatum ab Humberto II Sabaudia comite, sub primo abbate Guarino, qui deinde Sedunensium factus episcopus, occasionem huic epistolæ præbuit, qua Bernardus monachos Alpenses suo abbate destitutos consolatur. Gaspar Jongelinus in Notitia Abbat. Cisterc. hujus monasterii foundationem refert ad annum 1136. Sed ante eum annum fundatum esse, nec monachos ab initio habitum et instituta Cisterciensium fuisse amplexos, sed iis se tandem submi-

A Inutiles vos reputatis, et humiles inventi estis. Recta facere, et inutilem se reputare, apud paucos invenitur, et ideo multi admirantur. Hoc, inquam, hoc prorsus vos de illustribus reddit illustriores, sanctiores de sanctis. Et ubicunque divulgatus est sermo iste, replevit omnia odore suavitatis. Hæc virtus, me iudice, præfertur item protractis jejuniis et anticipatis vigiliis, omni denique corporali exercitio; tanquam vere pietas quæ ad omnia valet (*I Tim. IV, 8*). Quam læto sinu collegit vos multitudo Cisterciensis! Quam alacri vultu spectavit hoc angelica celsitudo! Noverunt siquidem illi spiritus omnipotenti Deo placere super omnia fraternam societatem et confederationem, cum dicat per prophetam, *Glutino bonum est (Isa. XLI, 7)*, et per alium, *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum! (Psal. CXXXII, 1)* item, *Frater fratrem adjuvans, ambo consolabuntur (Prov. XVIII, 19)*.

3. Advertitur etiam hoc factum humilitatem redolere: quæ quam accepta sit divinæ majestati, docet ille qui dicit, *Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam (Jac. IV, 6)*: ostendit et ipse humilitatis Magister per semetipsum dicens, *Discite a me quia mitis sum et humilis corde (Matth. XI, 29)*. Quid dicam de nostro pusillo grege Claræ-Vallis, cui specialius adhæsit, quanto vos et quam speciali complectatur affectu? Non potest dici verbo, quod de mutua charitate inter nos et vos spiritualis infusio mirabiliter operatur. Superest, fratres, ut, invocato Spiritu sancto, maturetis vobis eligere patrem. Nam si me exspectaretis, vereor ne adventus noster differatur in longum, et illa dilatio esset periculosa. Sed vocate ad vos fratrem nostrum charissimum Godefridum priorem Claræ-Vallis, qui et in hoc, sicut in aliis, impleat vicem nostram: ut consilio ejus, vel forte illorum, quos ipse pro se miserit, si venire non poterit, necnon et Patris vestri Guarini, talem personam eligatis, de qua et Deus honorem habeat, et vos salutem. Memores mei estote, fratres.

## EPISTOLA CXLIII (390).

AD SUOS CLARÆ-VALLENSIS.

D *Diuturnam sui absentiam excusat, sibi non minus, imo magis gravem, quam suis. Interim breviter eos officii admonet.*

Charissimis fratribus CLARÆ-VALLIS monachis,

sisse, facile est colligere ex præsentī epistola, præsertim verbis illis, « Quam læto sinu collegit vos multitudo Cisterciensis! » Et quidem Claræ-Vallis se peculiariter aggregasse, constat ex sequentibus Bernardi verbis. Vide etiam epistolam 253, ad dictum Guarinum, et Manricum in Annalibus ad annum 1136, quo factam gesserit aggregationem. De hoc monasterio lege insuper Vitam S. Bernardi, lib. 1, n. 67.

(390) Scripta circa annum 1135.

conversis (391), novitiis, frater BERNARDUS, gaudere A in Domino semper.

1. Ex vobis perpendite quid patiar ego. Si vobis molesta est absentia mea, nemo dubitet mihi esse molestiorem. Non enim paris jacturæ, nec ejusdem gravaminis est, me uno carere vos, meque vestra universitate destitui. Tot me necesse est affici curis, quot vos estis; et ad singulos quosque vestrum dolere absentiam, timere pericula. Duplex contritio ista non me deseret, quousque meis visceribus ego reddar: quod quidem et vos sentire pro me non ambigo; sed ego unus sum. Vobis ergo una, mihi multiplex incumbit tristani ratio, utpote pro omnibus vobis. Nec solum cruciat, quod absque vobis vel ad tempus vivere cogor, sine quibus et regnare miseram mihi reputo servitutem: sed etiam quod B versari compellor in his quæ amicam quietem omnino perturbant, et meo proposito minus fortasse conveniunt.

2. Hæc scientes, moræ meæ, quæ meæ non est voluntatis, sed ecclesiasticæ necessitatis, non oportet vos indignari, sed compati. Spero autem quod non erit longa: vos orate ut non sit infructuosa. Detrimenda quæ interim forte contingent, emolumenta reputentur, quoniam Deus in causa est: qui, cum sit benignus, et omnia possit, facile damna resarciat, non solum integre, sed etiam cumulate. Propterea bono animo sinus, Deum habentes nobiscum, in quo et vobis præsentem sumus, quantilibet terrarum spatiis divisi a vobis videamur. Quicumque in vobis bene officiosum se ipsum exhibet, C humilem, timoratum, studiosum lectionis, orationibus vigilem, fraternæ charitatis sollicitum, non me putet absentem sibi. Nam quomodo ei præsens spiritu non sum, cum quo est mihi cor unum, et anima una? Si quis autem susurro (quod absit!) existit inter vos, aut bilinguis, aut murmurans, aut contumax, aut impatiens disciplinæ, aut inquietus et vagus, et qui panem otiosus comedere non erubescat, 149 huic etiam si corpore præsens essem, longe esset ab eo anima mea, eo quod ipse longe fecerit a se Deum, morum, non locorum distantia.

3. Interim, fratres, dum venio, servite Domino in timore, ut sine timore quandoque de manu inimicorum vestrorum liberati serviatis illi. Servite in D spe, quoniam fidelis est in promissis: servite ex merito, quia multus in meritis est. Nam etsi cætera taceam, hoc solo certe non immerito vitam sibi vindicat nostram, quod pro ea præbuit suam. Nemo

(391) Conversi olim dicebantur, qui ex adultis conversi ad religionem, quo nomine distinguebantur a pueris oblati. Hic conversi dicuntur fratres laici seu barbati, de quibus supra in epistola 141, n. 1. In abbatum electione aderant ex epistola 36, n. 2, nimirum ut olim populus cum clero in electione episcoporum. Hic ante novitiis nominati, contra in sermone 22, de Diversis, n. 2, in chorum non admissi. Bernardus eos distinguit a monachis. Tunc enim apud Cistercienses monachi proprie non censebantur, ut probat Exordii Cisterciensis caput 15, tametsi quoadam faciebant professionem. Unde

igitur sibi vivat, sed ei qui pro se mortuus est (II Cor. v, 15). Cui enim justius vivam, quam ei, qui si non moreretur, ego non viverem? cui commodius, quam promittenti vitam æternam? cui magis ex necessitate, quam flammam perpetuas minitanti? Sed servio voluntarie, quia charitas libertatem donat. Huc provoco viscera mea. Servite in charitate illa quæ timorem expellit, labores non sentit, meritum non intuetur, præmium non requirit; et tamen plus omnibus urget. Nullus terror sic sollicitat, nulla præmia sic invitant, nulla justitia sic exigit. Ipsa vos mihi inseparabiliter jungat, ipsa me vobis jugiter repræsentet, horis maxime quibus oratis, charissimi et desideratissimi fratres.

#### EPISTOLA CXLIV (392).

AD EOSDEM.

*Molestiam longioris absentiae suæ a dilecta Clara-Valle, et tenerrimum erga filios suos affectum ac desiderium exprimit. Solatium nihilominus suum in tantis pro Ecclesia laboribus indicat.*

1. Tristis est anima mea usque dum redeam, et non vult consolari usque ad vos. Quæ enim est mihi consolatio in tempore malo, et in loco peregrinationis meæ? Nonne vos in Domino? Minime quidem deserit me, quocumque iero, dulcis memoria vestri: sed quanto memoria dulcior, tanto absentia molestior. Heu mihi, quia incolatus meus non solum prolongatus est, sed et cumulatus! et revera, juxta Prophetam, *super dolorem vulnerum meorum addiderunt* (Psal. lxxviii, 27), qui me a vobis aliquando vel corpore separant. Est commune exilium ipsumque molestum satis, quod quandiu sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino. Huic accessit et speciale, quod pene impatientem me reddit, ut cogar vivere sine vobis. Longa molestia, et tædiosa expectatio, vanitati huic occupanti omnia tamdiu manere subjectum, sæculenti corporis horrido circumdari carcere, et mortis vinculis, funibusque peccatorum necdum absolvi, et tanto tempore non esse cum Christo. Cæterum adversus hæc omnia unum mihi remedium qualecumque erat, et vere datum desuper, pro vultu videlicet gloriæ, qui absconditus est usque adhuc, videre interim templum Dei sanctum, quod estis vos. Ex hoc templo facilis mihi videbatur D transitus ad illud gloriosum, ad quod Propheta suspirat, dicens: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ: ut videam voluptatem Domini, et visitem templum ejus* (Psal. xxvi, 4).

Innocentius II in quodam privilegio seu in in epistola hic 352. « Conversos vestros, qui monachi non sunt, post factam in vestris cœnobiis professionem, nullus archiepiscoporum, episcoporum vel abbatum sine grata vestra licentia suscipere, aut susceptum retinere præsumat. » Et in consilio Remensi sub Eugenio III, conversi professi dicuntur can. 7, et siquidem ad sæculi vota redierint, matrimonio inhabiles declarantur, uti et monachi a quibus tamen distinguuntur. De Claræ Vallis primordiis lege notas in epist. 31.

(392) Scripta anno Christi 1157.

2. Quid dicam? quoties id solatium interpolatum est mihi? Ecce hoc tertio, nisi fallor, avulsa sunt a me viscera mea (393). Parvuli ablactati sunt ante tempus: ipsos quos per Evangelium genui, non licet educare. Propria denique deserere, et aliena curare cogor: et dubito pene quid magis ægre feram, an subtrahi illis, aut intricari istis. Itane, bone Jesu, tota deficiet in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus! Bonum mihi, Domine, magis mori quam vivere est, non tamen nisi inter fratres, inter domesticos, inter charissimos. **150** Id siquidem dulcius, humanius, tutiusque esse constat. Imo veropium est ut in hoc remittas mihi, ut refrigerer priusquam abeam, et amplius non ero. Si placet Domino meo, ut oculi Patris qualiscumque, qui non sum dignus vocari Pater, claudantur manibus filiorum, ut extrema videant, exitum consolentur, spiritum suis desideriis levent ad consortium, si dignum iudicas, beatorum, cum pauperum corporibus pauperis corpus sepeliant: hoc prorsus, si inveni gratiam in oculis tuis, precibus et meritis eorundem fratrum meorum obtinere toto affectu desidero. Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat. Nec mihi vivere volo, nec mori.

3. Sed dignum est ut qui dolorem meum audistis, etiam consolationem non ignoretis, si qua est. Primum quidem omni labore et calamitate, quam patior, solum arbitror esse in causa eum cui omnia vivunt. Velim, nolim, necesse est me vivere illi, qui meam sibi propriæ vitæ positione acquisivit; qui et potens est, si quid patimur pro ipso, recompensare nobis in illa die misericors et justus iudex. Quod si invitus militavero ei, dispensatio mihi tantum credita est, et ero servus nequam: si autem volens, gloria est mihi. In hac ergo aliquantulum consideratione respiro. Deinde quod sæpe non meis meritis superna gratia honestavit me in laboribus meis, et gratia illa in me vacua non fuit, sicut in multis expertus sum, et vos ex parte non latuit. Sed et hac vice quam necessaria Ecclesiæ Dei sit vel fuerit præsentia parvitatibus nostræ, dicerem ad consolationem vestram, si non gloriam redoleret. Nunc autem melius est ut hoc per alios cognoscatis.

4. Instantissima postulatione imperatoris, apostolicoque mandato, necnon Ecclesiæ ac principum precibus flexi, dolentes et nolentes, debiles atque infirmi, et, ut verum fatear, pavidæ mortis pallidam circumferentes imaginem, trahimur in Apuliani.

(393) Hinc patet, Bernardum ter in Italiam profectum esse. Vide Chronologiam Bernardinam, infra.

(394) Balduinus, primus ex Cisterciensi familia cardinalis, creatus ab Innocentio anno 1130 in concilio Claromontano, postea archiepiscopus Pisanus, de quo in libro secundo Vitæ S. Bernardi, n. 49: « In Tuscia Pisis natalis gloria soli, et magnum Ecclesiæ lumen Balduinus effulsit. » Vir tantus scribæ officium Bernardo impendere non duxit indignum, laudatus in epistola 245. Confer epistolam 201.

A Rogate quæ ad pacem sunt Ecclesiæ, rogate quæ ad salutem sunt nobis, ut iterum vos videamus, vobiscum et vivamus, et moriamur: et sic vivite, ut obtineatis. Infirmus in arcto temporis, certe cum lacrymis et singultibus ista dictavi, teste charissimo fratre nostro Balduino (394), qui stylo ea exceperit: quem Ecclesia vocavit ad aliud officium et ad aliam dignitatem. Orate et pro ipso, tanquam unico solatio meo, et in quo spiritus meus plurimum requiescit. Orate pro domino papa, qui me pariter atque universitatem vestram paterno fovet affectu. Orate et pro domino cancellario (395), qui mihi pro matre est; et pro ipsis qui cum eo sunt domino Luca, et domino Chrysogono, magistro Yvone (396), qui se nobis exhibent fratres uterinos. Qui mecum sunt B frater Bruno, et frater Girardus (397), salutant vos, supplicantes et ipsi pro se crari.

### EPISTOLA CXLV (398).

AD ABBATES CISTERCII CONGREGATOS.

*Hos laborum et dolorum suorum conscios esse desiderat, excusans forte hoc pacto absentiam suam. Optat sane non peregre, sed inter suos mori.*

In multa infirmitate corporis et cordis anxietate, Deus scit, dictavi ista ad vos, homo miser, homo natus ad laborem, frater tamen vester. Utinam nunc ipsum Spiritum, in quo congregati estis, merear habere interpellatorem ad vestram unanimiãtem, qui imprimat pectoribus vestris calamitatem quam patior; qui imaginem mei tristem ac supplicem, sicut est, fraternis affectibus repræsentet. Non hoc oro, ut creet in vobis novam misericordiam, quia novi ego quam **151** familiaris universitati vestræ sit illa virtus: sed hoc oro, ut in intimo sentiatis quo et quanto affectu oporteat misereri. Certe sum enim quia, si id datum fuerit, continuo lacrymæ de thesauro pietatis erumpent, singultus et gemitus et suspiria hinc inde pulsabunt cœlos, et audiet Deus, et placabitur mihi, et dicet: Reddidi te fratribus tuis, non morieris inter extraneos, sed inter tuos. Tantis siquidem laboribus et doloribus affectus sum, ut sæpe tædeat me etiam vivere. Humanum autem dico propter infirmitatem nostram: desidero differri usquedum revertar ad vos ut non moriar nisi inter vos. De cætero, fratres, bonas facite vias vestras et studia vestra, quæ recta, quæ honesta, quæ salubria sunt constituentes et tenentes: ante omnia solliciti servare unitatem spiri-

(395) Scilicet, Haimérico.

(396) Hi omnes cardinales: Lucas tituli sanctorum Joannis et Pauli creatus anno 1132, Chrysogonus anno 1134 tituli S. Mariæ de Porticu; Yvo ex canonico regulari Sancti-Victoris Parisiensis anno 1130, tituli Sancti Laurentii in Damaso, ad quem epistola 195.

(397) Bruno multorum discipulorum in Sicilia Pater dicitur in epistola 209. Girardus videtur esse Bernardi frater. De Brunone interum epistola 165, n. 4.

(398) Scripta circa annum 1137.



tus in vinculo pacis; et Deus pacis erit vobiscum.

## EPISTOLA CXLVI.

AD BURCHARDUM BALERNENSEM ABBATEM (399).

*Gaudet suos in eo formando labores non esse irritos: felicem tamen successum uni Deo tribuendum.*

1. Ignitum eloquium tuum vehementer, et ignitum illo igne, quem Dominus misit in terram. Legi illud, et concaluit cor meum intra me: benedixi illi fornaci, de qua hujusmodi scintillæ evolassent. Nonne cor tuum ardens erat in te, cum ista dictabas? Bonus homo de bono thesauro suo profert bona. Si laboravi in te, uti tu humiliter memoras, non me piget. Aravi in spem profecto percipiendi fructus, et spes non confundit. En de fructu operum meorum satiantur viscera mea in terra aliena: et sentio ipso meo experimento semen meum, non secus viam, non super lapides, non inter spinas, sed in terram bonam et optimam cecidisse. Et si, cum parerem, tristitiam habui, jam non memini pressuræ præ gaudio, quia natus est infans in mundo. Infans dixerim malitia, non sensu: quem posset Salvator præponere senibus imitandum, dicens, *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum* (Matth. xviii, 3). Infans qui dicat: *Super senes intellexi, quia mandata tua quæsi*; qui dicat: *Adolescentulus sum ego et contemptus, justificationes tuas non sum oblitus* (Psal. cxviii, 100, 141).

2. Confiteor tibi, Pater, Domine cæli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita, Pater, quia sic placitum est ante te (Matth. xi, 25, 26). Tuo placito sunt id quod sunt, non suo merito. Nec enim invenis merita, sed prævenis. Omnes peccavimus, et egemus præveniri. Tu ergo, frater, agnosce te

(399) Balerna ordinis Cisterciensis in diocesi Vesontionensi condita anno 1136. Abbas primus Burchardus, cujus censuram habes in fine libri primi Vitæ S. Bernardi.

(400) Scripta anno Christi 1138. Istud Bernardi responsum deest in manuscriptis non paucis, in primis editis locatum post epistolam 307. Cæterum hæc epistola 147 duabus Petri epistolis respondet, quarum una est in libro secundo epistola 29, altera 57 quam hic exhibemus, ut videas, quanto amicitia scdere sibi invicem cohæserint sanctæ illæ animæ: de qua revide notas ad epistolam 228 epistola sic habet:

*Venerabili et dilectissimo mihi domino BERNARDO Claræ-Vallis abbati, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, valere semper in Domino.*

*Quantum reverentiæ, quantum amoris tibi anima mea in penetralibus suis conservet novit ille, quem in te veneror et amplector. Feci, hoc, etiam dum adhuc absentia tuâ, vultum corporis tui mihi invidens, abscondebatur: quia jam fama velocior corpore, beatæ animæ faciem oculis mentis meæ, modo quo poterat, inferebat. At ubi, quod diu negatum fuerat, tandem sum assecutus, et phantasmata somniorum veritate succedente evanuerunt: adhæsit anima mea tuæ, nec ab amore tuo ultra divelli potuit. Ita charitas tua totum me sibi deinceps vindicavit, ita virtutes tuæ et cogniti mores rapuerunt, ut nihil mihi de me, quod*

præventum, et præventum in benedictionibus dulcedinis, non a me qui nihil sum, sed ab illo qui me, ut de tua te salute monerem, aspirando prævenit. Nam ut multum mihi tribuas, plantator sum, rigator sum: absque illo tamen qui incrementum dat, quid sum? ipsi te in omni humilitate subjicias, ipsi tota devotione inhæreas. Me vero utere ejus servo, conservo tuo, comite in via, cohærede futuro in patria: si tamen studiosissime implevero ministerium ad quod tibi missus sum; idque quantum in me est effecero, ut hæc vitam capias salutis. Ad ea de quibus questus es, ita respondeo. Necessitates tuas ut meas portabo, cum venero.

## 152 EPISTOLA CXLVII

AD PETRUM ABBATEM CLUNIACENSEM (400).

*Petrus Bernardum, peregre inter varios et difficiles pro Ecclesia labores agentem, misso Gebuino archidiacono Trecensi consolatus fuerat. Ejus itaque benevolam animam suavissime recolit, et felicitatem extincto jam schismate Ecclesiæ statim prædicat.*

Domino et Patri reverendissimo PETRO Cluniacensi abbati, suus BERNARDUS, quod suus.

1. Visitet te Oriens ex alto, o bone vir, quia visitasti me in terra aliena, et in loco peregrinationis meæ consolatus es me. Bene fecisti, intelligens super egenum et pauperem. Absens eram, et absens etiam longo tempore; et recordatus es nominis mei, homo magnus, occupatus in magnis. Benedictus sanctus angelus tuus, qui pio pectori tuo id suggestit: benedictus Deus noster, qui persuasit. En teneo, unde glorier apud extraneos, litteras tuas, et illas litteras in quibus tuam mihi animam effudisti. Glorior quod habeas me non modo in memoria, sed et in gratia. Glorior privilegio amoris tui, reffectus sum de abundantia suavitatis pectoris tui. Non solum autem, sed et glorior in tribulationibus, si quas dignus habitus sum pro Ecclesia pati. Hæc

*tuum non esset, relinquerent; nihil tibi de te non meum esse permetterent. Mansit in me constanter ex illo tempore, et utinam sic in te maneat Christi causa cæpta! mutua charitas, quæ sola, quia nunquam excidere novit, morem suum, quantum ad me pertinet, in me optime conservavit. Cumque hanc omni auro chariorem, omni gemma clariorem, in sinu meo reposerim, in thesauris absconderim, miror quod tanto tempore, non qualia vellem indicia, hujus a te mihi custoditæ charitatis acceperim. Ago quidem gratias, quod sæpe per quoslibet salutationibus missis, non penitus te amici oblitum signasti. Sed queror, quod certiora per litteras indicia hactenus non didisti. Certiora dixi, quia nescit charta impressum mutare sermonem: cum loquentium linguæ, addendo, vel demendo, injunctam mutet sæpius veritatem. Unde, quia ut electus præliator, paratus in diem belli, pro Ecclesiæ Dei periculis, dextra et læva uteris, et per arma justitia a dextris et a sinistris contendis; nuntios meos, quos domno papæ dirigo, ex parte amicitia tuæ secure committo: quoniam qui alienorum causis assistis, tuorum negotiis deesse non poteris. Per quos, ut querela mea sopiatur, esse tuum, ac reditum, et statum domni papæ non solum legatis meis, sed et litteris tuis committe. Utinam et te a curia laboriosa, et me a cura periculosa expeditum, ut servper optavi, nunquam mutandus unus locus retineret, una charitas uniret, unus Christus susciperet!*

plane gloria mea et exaltans caput meum, Ecclesiæ triumphus. Nam si socii fuimus laboris, erimus et consolationis. Collaborandum fuit et compatiendum matri, ne et de nobis quereretur dicens: *Qui juxta me erant, de longe steterunt, et vim faciebant qui quærebant animam meam* (Psal. xxxvii, 12, 13).

2. Deo autem gratias, qui dedit ei victoriam, honestavit eam in laboribus, et complevit labores illius. Tristitia nostra in gaudium, et luctus noster in citharam versus est. Hiems transiit, imber abiit et recessit, flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit, amputatum est sarmentum inutile, putre membrum. Ille, ille iniquus qui peccare fecit Israel, morte absorptus est (401), et ductus in ventrem inferi. Fecerat quippe, secundum prophetam, pactum cum morte, et cum inferno. B foedus inierat (Isa. xxviii, 15): ideoque, juxta Ezechielem, factus est perditio, et non subsistit in æternum. Alius quoque omnium sicut maximus, ita et pessimus inimicus, abscissus nihilominus est (402). Et is erat unus ex amicis Ecclesiæ, sed illis, de quibus solet queri, et dicere: *Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt et steterunt* (Psal. xxxvii, 12). Si qui restant, cito speramus de similibus idem judicium. Prope est ut revertar ad fratres meos, si vita comes fuerit, per vos, sicut intendo, transiturus. Interim commendo me sanctis orationibus vestris. Salutamus fratrem Hugonem Camerarium, et omnes qui circa vos sunt, cum reliqua sancta multitudine.

#### EPISTOLA CXLVIII (405).

AD EUMDEM.

*Paucis Petro respondet, plura in aliam occasionem reservans.*

Domino PETRO abbati Cluniacensi, BERNARDUS, humile dilectionis obsequium.

Lectis litteris vestris, lætatus sum in eis quod tantillum videlicet tantus in benedictionibus dulcedinis prævenire curastis. Cæterum videndi nos invicem, et colloquendi pariter, quoniam dignum judicatis, quando se offeret illa opportunitas, quando conveniens locus, quando justa occasio? Ilæc interim **153** paucis vestris pauca reddidimus, ampliora libenter donaturi, cum ea vobis onerosa non fore cognoverimus. Alioquin quando

A hoc ipsum auderet nostra pusillitas, nisi daret ad dignitatem accessum vestræ dignationis humilitas?

#### EPISTOLA CXLIX (404).

AD EUMDEM.

*Monet ut a monasterio Sancti Bertini tam operose sibi vindicando desistat.*

Quam nolim fieri quod vestræ putem obviare Reverentiæ, credo sinceritatem vestram non latere. Eâ fiducia suggerere vobis non dubito, quod suggerendum videtur. De monasterio Sancti-Bertini (405) vellem vos moderatius agere, quam cœpistis. Nam etsi hoc vobis in pace subjicere, et absque omni contradictione possetis, ne tunc quid vestra referre quidem video. Neque enim crediderim vos delectari honore, cum tanto onere. Nunc vero cum nec absque magno labore vindicare vobis, præfatum monasterium, nec in pace, ut aiunt, queatis possidere: honesta vobis, ut mihi videtur, præbetur quiescendi occasio, timor inquietandi.

#### EPISTOLA CL (406).

AD DOMINUM PAPAM INNOCENTIUM.

*Laudat pontificem ex variis recte factis, ejusque zelum excitat adversus ambitionem Philippi, qui modis illegitimis sedem Turonensem invadere tentabat.*

1. Sanitas capitis redundet in membra. Unguentum quod descendit in barbam de capite, extrema quoque simbria vestimenti participet. Si percusso pastore diffugerant oves, valente et incolumi secure revertantur ad pastum. Quod dicimus hoc est. De gloriæ vestræ crebris successibus creber nuntius lætificat civitatem Dei. Justum proinde est ut vestra prosperatio Ecclesiæ roboratio sit: et cum exaltat Deus electum de plebe sua, ipsa quoque se sentiât exaltari, ac de roboris incremento fortiolem agnoscat. Nam si compassa est, et conregnare debet. Sic dignum vobis, sic nobis necessarium. Quid enim? si in timore et angustia æquitatis vigor non languit, non tepuit fervor, modo cedimus cum appropinquamus ad palmam? quæ emittit in infirmitate, in sublimitate virtus succumbet?

D 2. Quam nempe in manu valida ordinatum est

refloruit tum facultatibus, tum religione, tum etiam numero monachorum, ut cum ibi vix duodecim antea monachi vivere possent, ibidem accreverit numerus ad centum et quinquaginta, ex quibus multa Belgii et Franciæ monasteria regularem disciplinam receperunt, teste Hermanno monacho in Spicilegii tomo 12, pag 443, cui Iperius consentit. Hugone Cluniacensi abbate mortuo, jugum excussere Sithienses, qui abbatem suum, inconsultis Cluniacensibus, in litem vocarunt. Lis eo usque perducta est, ut duos jam abbates, Joannem videlicet ac Simonem, dejecisset Innocentius II, agente Petro Venerabili, qui tandem urgente, Bernardo, juresuo cessit, et Bertinenses sui juris esse permisit. Vide notas ad Apologiam, tomo II.

(406) Scripta anno Christi 1153.

(401) Antipapa Anacletus, mortuus anno 1138. Mortis genus describit Ernaldus, in libro secundo de Vita S. Bernardi, cap. 7; Ordericus, pag. 915, Anacletum subita morte decessisse tradit. Victor ab æmulis Innocentii subrogatus, ex Vita Bernardi.

(402) Videtur is esse Gerardus episcopus Engolismensis, mortuus anno 1136, ex notis ad epistolam 126. De ejus morte Ordericus, pag. 908, ubi eum eruditissimum vocat, et virum et magni nominis et potestatis in Romano senatu tempore Paschalis papæ et Gelasii, Calixti et Honorii.

(403) Scripta circa annum 1138.

(404) Scripta anno Christi 1158.

(405) Monasterium Sancti Bertini apud Audomaropolim, aliis Sithiense, cum ad extremam inopiam devenisset, a Lamberto abbate Hugoni abbati Cluniacensi commissum, anno 1101, ita demum

nobile illud monasterium Virziliacense (407)? Nec insanis profecto tumultibus armatæ plebis, nec effreni furentium atque obstrepentium vesaniæ monachorum, nec, quod his fortius fuit, copiis mammonæ cedendum putavit vel ad modicum apostolica celsitudo. Quid apud Sanctum Benedictum (408)? numquid regia indignatio prohibere potuit spiritum libertatis, accensum atque accinctum adversus carnem et sanguinem? Sic Sancti Memmii (409), sic Sancti Satyri (410), miro modo

(407) Alias, *Vezeliacense*, diœcesis Æduensis, a Gerardo comite Nivernensi et Bertha ejus uxore constructum circa annum 821, in gratiam monialium, quibus monachi substituti, iisque demum canonici sæculares anno 1537. Hujus monasterii reformationem, agente Henrico Burgundiæ duce, Guillelmus Sancti-Mayoli abbatibus Cluniacensis discipulus, primo quidem instituit; deinde vero S. Hugo itidem Cluniacensis abbas jam collabentem disciplinam iterum restauravit. Ex qua Paschalis II auctoritate factum est, ut Cluniacensi abbati anno 1103 omnino subiceretur. Vide Duchenum in notis ad Bibliothecam Cluniacensem. At monachi Vezeliacenses Cluniacensium jugum paulatim detrectantes, rursus ab Innocentio II eisdem subesse compelluntur. Qua de re Vezeliacensis historicus, ita loquitur: « Hanc siquidem libertatem cum per trecentos fere annos ab ipso suæ fundationis principio Vizeliacensis Ecclesia quiete et absque calumnia obtinuisset, tamque de suis quam de aliorum fratribus monasteriorum sibi Patres indifferenter præfecisset, Cluniacensis longe post exorti per subreptionem sibi vindicare nisi sunt, assensum quidem primum, deinde vero jus electionis sibi arrogantes, mentientes utique a Paschali traditam sibi curam ordinis Ecclesiæ Vizeliacensis. Ob quam prorsus causam eadem Ecclesia sub Innocentio II papa grave scandalum pertulit, reclamando libertatem ingentam, dum per violentiam ejusdem Innocentii et comitis Nivernensis, intruso a Cluniacensibus quodam Alberico, fere omnes sæpe fati monasterii fratres vinculis colligati » etc. Spicilegii Acheriani tomo III.

(408) Intelligit Sanctum Benedictum super Padum, Padolironense appellatum, de quo idem constitutum a Gregorio VII et Calixto II ac de Vizeliacensi, nempe ut in illo sine Cluniacensis abbatis consilio, provisione et præcepto, abbas nullatenus eligeretur, aut electus sine commendatitiis ejus litteris a quoquam episcopo benediceretur. Cum autem secus actitari cœptum esset, Innocentius petente Petro Venerabili litteris suis mandavit (quemadmodum ex Bulla Clementis III data anno 1187 colligere est, Biblioth. Cluniac. col. 2452) ut Guillelmus abbas Cluniacensibus inconsultis, electus et ordinatus, eisdem sese repræsenteret, et obedientiam reverentem atque exhiberet.

(409) S. Memmius ex celebri olim apud Romanos Memmicrum familia oriundus, in Galliam a B. Petro Apostolo directus est, et Catalaunorum primus episcopus exstitit. In ejus honorem apud eandem urbem condita est insignis canonicorum ecclesia, quæ institutum canonicorum regularium ordinis S. Augustini suscepit auctoritate Innocentii II.

(410) Mathildis uxor Gosfredi Bulloniensium (aut Boloniensium, civitate Boloniensi, quæ est secus mare Anglicum sita inquit Guillelmus Tyrensis, libro 9, cap. 5), primique recuperatæ Jerosolymæ regis, impetravit a Paschali summo Pontifice corpus B. Satyri martyris, ejus agitur solemnitas Nonis Martii, eique posuit in diœcesi Bituricensi sæcularium canonicorum collegium: qui intra pau-

ecclesiæ immutatæ sunt, et de synagoga Satanæ restitutæ sunt in sanctuarium Dei, vellent, nollent omnes iniqua agentes supervacue. Sed nec Leodii cervicibus imminens mucro barbaricus compulit acquiescere importunis improbisque 154 postulationibus iracundi atque irascentis regis (411). Quis vero dignis efferat laudibus, quod novissime diebus istis de manu potentis, eminus licet, emissum est in turbatores Ecclesiæ Aurelianensis (412)? Revera nunc sagitta Jonathæ non abiit retrorsum (II Reg.

cos annos (tam faciles et proclives ad deteriora sumus!) ad vitam adeo sæcularem et immoderatam degenerarunt, ut Innocentius jusserit eos exponi, reponique B. Augustini canonicos, quod Memoriale historiarum sic insinuat: « Anno 1138, clarebat ordo canonicus Sancti-Victoris Parisiensis, celebrisque per orbem fama habebatur propter insignes personas, moribus et scientiis ornatas: quas in diversis mundi Ecclesiis sparsit, velut vitis fecunda palmites proferens transplantandos. Hoc enim tempore fuerant ibidem accepti canonici professi prælati in Ecclesia Romana duo cardinales, dominus Hugo, episcopus Tusculanensis, et magister Ivo; abbates quoque novem. In ecclesia Sancti-Satyri Bituricensis abbas Radulfus, » et cætera. His subscribit Necrologium Sancti-Victoris Parisiensis, in quo ad quintum Idus Februarii legitur: « Obiit dominus Andreas abbas Sancti-Satyri, et noster canonicus. » Stephanus ex abbate Sanctæ-Genovefæ Parisiensis, episcopus Tornacensis, in epistola ad Lucium III papam (quæ incipit, *Movetur usque*, etc.), commendat ejusdem cœnobii gravem constantemque disciplinam. Adde quod in libello taxationis episcopatum et beneficiorum Franciæ isthæc abbatia sub ordine S. Augustini recensita sit.

(411) — Id potissime videtur intelligendum de investituris ecclesiarum ab imperatore Lothario repetitis, et ab Innocentio denegatis. « Eo quoque tempore, » inquit abbas Ursperg. ipse Papa adiit imperatorem Lotharium, petens ab eo favorem contra Petrum Leonis, et suos fautores, » Sane Imperator usus consilio super hujusmodi responso, cœpit a papa repetere investituras episcopatum, quas multo tempore imperatores ante se habuerant. Ideoque apostolicus non modicum est turbatus, et de adventu suo contristatus; de reditu quoque anxius effectus. Nam petitionem principis exaudire non poterat super tali articulo, pro quo Ecclesia tot mala sustinuerat. Interveniente tamen consilio et orationibus S. Bernardi, securus recessit ab imperatore. Otto Frisingensis quidem libro 7, cap. 18, idem sed mitius denarrat.

(412) Quinam isti fuerint discimus ex nonnullis epistolis, quas noster Acherius Spicilegii tomo III, pag. 153 sqq. inseruit. Et primo quidem ex epistola Archembaldi Ecclesiæ Aurelianensis subdecani ad Henricum Senonensem archiepiscopum, advertimus hujus perturbationis inventorem fuisse Joannem quemdam Aurelianensem (is postea eundem Archembaldum necari præcepit: vide epistolam 161), in archidiaconi dignitatem intrusum, cui cum Archembaldus alii que clerici sese opponerent, graves injurias, bonorumque fere omnium detrimenta tum ab ipso Joanne, tum ab ejus fautoribus Bartholomæo Capicerio, Zacharia Pagano archidiacono, Jacobo Sancti-Aniani subdiacono, etc. passi sunt. Unde in fine sic rogat, « quatenus de malefactoribus suis plenariam sibi justitiam faciat » Henricus archiepiscopus (ad quem vacante sede Aurelianensi confugerant), « et Ecclesiam quæ sanguinis effusione et sacrilegiis multis polluta erat, cessare seu interdicti juberet, et hanc injuriam, quæ in dominum papam redundabat,

1, 22), et hasta ejus non est aversa. In quo tamen A verbo rex quidem turbatus est: sed non omnis Jerosolyma cum illo. Magis autem mitigavit omnem iram suam et ipse tandem. Erubuit siquidem, et timuit armari frustra adversus Dominum, et adversus Christum ejus. Hinc prorsus elevata est magnificentia tua super cœlos: tantum ut laudabile principium condigno exitu perornetur (413). Quod quidem universi qui vos amant, vehementer expectant: idque flagitant maturari.

3. Sane simili zelo, et in manu æque potenti, Ecclesiæ Turonensi jamjamque subvenire necesse est. Alioquin prope interitum est et ipsa, nisi cito feratis auxilium. Revixit, ut aiunt, Gisleberti spiritus (414) in Philippo, ipsius plane et nepote carnis, et hærede ambitionis. Quanta nempe B dominandi cupiditate et iste juvenis inardescat, indicat matris suæ Ecclesiæ diuturnus et miserabilis cruciatus, quo pene eam eviscerat miser, ut se parturiat in honorem. Est tamen auctore Deo ejus tergiversationibus finis tandem impositus: si tamen, quod dictante justitia, et compellente malitia, et pace provocante in eum actum est, apostolicæ auctoritati ratam habere placuerit. Absit autem ut confundat fideles suos benigna majestas, quibus idem negotium dignum duxit committere terminandum! Absit, absit ut sæva ambitio refugium habeat apud innocentiae defensorem! Hoc ipsum quantæ audaciæ est quod tentat, quantæ dementiæ quod sperat! Semel et secundo jam apostolici contemptor mandati, justitiam subterfugit: et nunc C impudentiori temeritate audet denuo nihilominus tantæ æquitatis vultibus præsentari! Cui obscurum est quam impie cogitet in mammonæ viribus turrim fortitudinis oppugnare, homo qui de justitia penitus non præsumit! Sed securi sumus: siquidem qui

ulcisci non differret. » Exstat ibidem alia ejusdem argumenti epistola a Gaufrido episcopo Carnotensi ad prædictum Henricum transmissa. Et fortasse Joannes ille intrusus suam dignitatem Regis auctoritate vindicabat. Sed tandem Innocentius papa arrepta oppressorum tutela, nunc dicto Gaufrido Carnotensi apostolicæ sedis legato istius causæ curam et patrocinium demandavit, et reos ad satisfaciendum coegit.

(413) Hic quidam editi interponunt duos versus D contra fidem manuscriptorum.

(414) Gislebertus seu Gilbertus decessor Hildeberti, qui anno 1125 ex cathedra Cenomannensi in Turonicam translatus est, eamque tenuit annis sex cum totidem mensibus, ut ad epistolam 122 notavimus. Eo mortuo Philippus Gisleberti nepos malis artibus sedem invadens favente Anacleto, huic epistolæ occasionem dedit, et sequenti, quæ prior scripta est. Philippo cedere coacto, Hugo canonicè susceptus. Lege Analectorum tomum III, pag. 358.

(415) Scripta est hæc epistola anno 1153. Alias inscribitur, *Ad Philippum Turonensis Ecclesiæ electum*. — « Anno 1137, Hildeberto Ecclesiæ Turonensis pontifice mortuo, canonici ejusdem Ecclesiæ violentia Goffridi comitis propriis sedibus sunt expulsi. Cum vero pontificem canonicè deberent eligere, in partes divisi sunt. Quidam enim illorum, contra sanctorum scita canonum, quemdam Philippum, Gil-

tentatur, Innocentius est, et filius iniquitatis non apponet nocere ei.

4. De cætero memoriam abundantiæ suavitatis tuæ, dulcissime Pater, dum suspiramus præsentiam, dulciter invicem eructamus: quia caremus illa, in ista consolamur. Hæc sedula cordibus, hæc oribus frequens, sal est in omni sermone, aures mulcet, dulcorat ora, corda recreat et inflâmmat: celeberrima est in conventibus sanctorum, colloquia condit, impinguat preces, ad orandum sollicitat. Oramus et nunc solliciti pro vobis et vestris, ut æterna memoria dignos vos ipsa æternitas habeat, cui et pro qua temporaliter laboratis. Amen.

#### EPISTOLA CLI.

AD PHILIPPUM TURONENSIS ECCLESIAE INVASOREM (415).  
B *Gravem animi sui dolorem exprimit super Philippo, Turonensis Ecclesiæ præsulatum indebitis modis ambiente.*

Doleo super te, Philippe charissime: sed quæso te ne rideas dolorem meum; nam si tibi minime videris forsitan esse dolendus, ideo magis dolendus. Tu videris quid de te sentias: ego te arbitror omni lacrymarum 155 fonte plangendum. Dolor meus non est dignus subsannatione, sed compassione: quia dolor meus non est de carne et sanguine; non de amissione rerum periturarum, sed de te, o Philippe! Non potui expressius demonstrare magnitudinem causæ doloris: Philippus est in causa. Cum hoc dico, gravem Ecclesiæ pronuntio luctum, quæ te aliquando suo gremio confovebat, germinantem sicut lilium, florentem donis cœlestibus [al. florentem donis innumeris]. Quis tunc temporis non clamabat, bonæ spei juvenem, bonæ indolis adolescentem? Sed heu! mutatus est color optimus (.Thren. iv, 1). A quanta spe decidit Francia quæ te genuit et nutrit! O si cognovisses et tu! (Luc.

berti ante Hildebertum in eadem sede ambitiosi episcopi nepotem, aliis reclamantibus elegerunt. Philippus confestim Anacleto pseudopontificem adiit, ut ab eo confirmaretur et ordinaretur; moxque Turonos reversus est. Interim Hugo, vir prudens et nobilis, a saniori parte eorundem clericorum canonicè eligitur, et in Cenomannensi Ecclesia a Guidone et comprovincialibus episcopis consecratur: quo Philippus cognito, secum ornamenta Ecclesiæ deferens, furtim aufugit. » Hæc ex Actis episcoporum Cenomannensium editis in tomo tertio Analectorum. Cum hæc agerentur, Bernardus, qui tunc Viterbii morabatur, has litteras scripsit ad Philippum; qui aliquanto remissior factus, Anacleto mortuo deinceps, Turonensem Ecclesiam ambitu suo exagitat: contra quem Vir sanctus anno sequente 1158, ad Innocentium scripsit epistolam præcedentem. Cæterum sub Hugone archiepiscopo, qui tandem Philippum evicit, id contigit quod Innocentius III commemorat in libri III epistola 79: « Adjecit etiam pars Dolensis, quod processu temporis bonæ memoriæ Eugenius papa, prædecessor noster, felicitis recordationis Bernardum Claræ-Vallensem abbatem ad sopiendam inter easdem Ecclesias controversiam destinavit, cujus statutum servare noluit. Ecclesia Turonensis. » Hæc longe post initium epistolæ ab Innocentio III scriptæ in causa Turonensis Ecclesiæ adversus metropolim Dolensem.

xix, 42.) Tu, inquam, si apponeres scientiam, apponeres et dolorem (*Eccl. i, 18*), et dolor tuus faceret ne noster omnium esset infructuosus. Procederem si sequerer spiritum meum: sed nolo proferre plurima in incertum, et esse quasi aerem verberans (*I Cor. ix, 26*). Sed hæc scripsi, ut nostrum utcumque erga te affectum cognosceres, et ut nos scires esse in proximo, si forte Deus inspiraret tibi nostrum curare colloquium, et optatam nobis tui velles exhibere præsentiam. Sumus enim Viterbii (416), et te morari in Urbe audivimus. Dignare rescribere nobis quidquid illud sit quod de his litteris nostris corde conceperis, ut sciamus quid faciendum sit nobis, plus videlicet minusve dolendum. Quod si omnia contempnis, et in nullo nos audis, ego quidem fructum non perdam litterarum, quæ ex charitate procedunt; sed tu de contemptu ante tribunal terrificum respondebis.

#### EPISTOLA CLII (417).

AD DOMINUM PAPAM INNOCENTIUM, PRO TRECENSI EPISCOPO.

*Insolentiam clericorum nutriri ignavia episcoporum: Trecensem vero ob clericos correptos gravari.*

Insolentia clericorum, cujus mater est negligentia episcoporum, ubique terrarum turbat et molestat Ecclesiam. Dant episcopi sanctum canibus, et margaritam porcis: et illi conversi conculcant eos. Merito quales fovent, tales et sustinent. Quos ditant Ecclesiæ bonis, non corrigunt eorum mala, malosque gravati portant. Alienis nimirum laboribus locupletantur clerici, comedunt fructum terræ absque pecunia: et prodit quasi ex adipe iniquitas eorum. Quos proprie hodieque respicit vetus illa scriptura: *Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere* (*Exod. xxxii, 6*). Mens quippe assueta deliciis, nec exulta disciplinæ sarculo, multas contrahit sordes. Porro inveteratam rubiginem si tentes abradere, nec summis saltem digitis contingi patientur; sed, sicut scriptum est, *Incrassatus est dilectus, et recalcitravit* (*Deut. xxxii, 15*). Insurrexerunt testes iniqui, homines quos delectat vitam semper alienam rodere, negligere suam. Supplicat puer vester pro eo cujus in hac discordia, si non fallor, tota culpa est quod culpas redarguerit clericorum. Hæc pro episcopo (418). In reliquo pro

A me satisfacio. Scripta dignationis vestræ, quibus me venire ad vos, cum jubere possetis, rogare dignantissime maluistis, norit Paternitas vestra ad me ante Nativitatem beatæ Mariæ minime pervenisse. Itaque non dico, *Juga boum emi quinque*; aut, *Villam emi*; aut, *Uxorem duxi* (*Luc. xiv, 18-20*): sed plane (quod et vos non ignoratis) parvulos lactare me fateor; et ideo quomodo sine gravi scandalo ac periculo ipsorum venire possim, non video.

#### 156 EPISTOLA CLIII.

AD BERNARDUM DE PORTIS (419), DE ORDINE CARTHUSIENSI.

*Petenti expositionem in Cantica Salomonis, præterdit tenuitatem suam, tanto scilicet operi, et aliorum expectationi imparem.*

B 1. Petis instanter, et ego constanter abnuo, sed parcens mihi, non te spernens. O utinam tuo studio ingenioque dignum aliquid elaborare possem! Lumen oculorum meorum, et ipsam quoque animam, si fieri posset, pariter tibi, amice charissime, et in Christi visceribus mihi potissimum in omni plenitudine dilectionis spiritualiter [*al. specialiter*] amplectende frater. Cæterum ubi ingenium, aut quando otium mihi sufficiens ad id quod petis? Neque enim leve quid aut vile, et quod nos possumus, postulare videris. Minime quippe pro minimis sic instares. Nam voluntatem tuam et curam in hoc satis produnt crebræ epistolæ tuæ, et vehementior spiritus eas animans. Nimirum proinde quanto id curiosius velle te sentio, tanto, crede mihi, scrupulosius acquiesco. C Cur hoc? Ne magna videlicet expectanti, ridiculum producam murem. Hoc vereor, et hæc causa cunctationis imæ. Et quid mirum si vereor dare, quod edere verecundor? Invitus, fateor, præbeo, quod me existimem non tam edere profuturum, quam proderet contemnendum. Quis sane dare velit, quod dedisse dedeceat, accepisse non prosit? Libens do, invitus perdo. Scimus quoniam speranti grandia, modica minus grata venire solent. Quod autem non venit gratum, perditum est, non datum.

2. Tibi studii est, utpote otioso et vacanti, undecumque perquirere incentiva igni quo ardes, ut ardeas magis, et impleas voluntatem Domini tui dicentis: *Et quid volo nisi ut ardeat?* (*Luc. xii, 49*). D Laudo; sed si illic ea quæras, ubi te frustratum postmodum non queraris. Erras si apud nos quæris.

(416) Ergo tum Bernardus Viterbii in Etruria versabatur, et quidem anno 1153, quo in Germaniam ad Lotharium ab Innocentio missus est: quo ex loco præcedens ad Innocentium epistola scripta videtur. De alia apud Viterbium ejus mora vide sermonem 2 in Cantica, n. 14.

(417) Scripta circa annum 1155.

(418) Nimirum Trecensi, nomine Attone.

(419) Scripta anno Christi 1155. In codice Cisterciensi hæc observatio legitur: « Sciendum est duos exstitisse Bernardos in domo Portarum, unum Priorem, alterum sub priore, qui et postea cardinalis fuit. » Prior ex monacho Ambroiacensi, Carthusiæ Portarum originem dedit anno 1115, de quo in Necrologio: « Pridie Idus Februarii obiit Bernardus primus prior Portarum 1152. » Longe aute

id tempus regimen abdicaverat, successorem sortitus alterum Bernardum itidem Portarum priorem, post abdicatum Bellicensem episcopatum, ut censet Petrus Franciscus Chiffletius in Præfatione ad Manuale solitariorum, qui huic Bernardo secundo hanc et sequentem epistolam directam putat: additque tertium per id tempus Bernardum post beatum Nanthelmini ejusdem loci priorem; postea episcopum Diensem. Certe Bernardum, cui hæc epistola cum sequente inscripta est, priorem non fuisse anno 1155, quo hæc epistola exarata est, constat ex n. 2, ubi Bernardus dominum Priorem salutatur, hoc est Bernardum primum incolam ac priorem portarum, qui locus est in Baugesio diocesis Lugdunensis, prope Rhodanum, tribus leucis a Bellicio urbe episcopali. Confer epistolam 250.

Ego potius illa abs te mendicare debuerim. Scio A quidem dare quam accipere beatius esse (*Act. xxii, 39*); sed si detur quod danti honestum, accipienti utile sit: quale utique penes me quidquam esse penitus nescio. Quod autem habeo, vereor si in medium venerit, ne te quoque optasse illud pudeat, poeniteat postulasse. Sed quid? non melius nos apud te tu ipse excusabis? Tui tibi certe fidem oculi faciant. Cedo importunitati tuæ ut vel exhibitio tollat suspicionem. Res est cum amico. Non parco jam verecundiæ: prorsus dum fiat quod tu vis, insipientiæ meæ non memorabor. Sermones paucos in principio Canticorum Salomonis, recens dictatos, en facio transcribi: et tibi, cum necdum ediderim, quam citius mitto. In quo opere cum accepero tempus, Christo imperante curis, tentabo procedere: si tamen me inde confortes. Dominum et Patrem nostrum priorem vestrum, cum cæteris fratribus, per te devote saluto, et propitios habere apud Deum corde humili supplico.

## EPISTOLA CLIV (420).

AD EUNDEM.

*Non licuisse per negotia stare promissioni de invi-  
sendis Chartusiensibus. Mittit petitos sermones in  
Cantica.*

Dissimulare non valeo tristitiam cordis mei, nec patior ultra latere te cruciatum quem patior, Bernarde charissime. Memor antiquæ meæ promissionis, **157** propositum habui et desiderium magnum transire per vos, revisere quos diligit anima mea C itineri meo solatium, laboribus levamen, peccatis remedium postulare: et culpis meis exigentibus factum est, non ut nollem, sed ut non possem. Poenam siquidem hoc agnosco culparum, non culpam. Certus sis, homo Dei, minimè prorsus amici fuisse incuriam, non pigritiam, non negligentiam: sed causam obstitisse plane non negligendam, et causam Dei. Nihilominus tamen vermis iste continue rodit me, et dolor meus in conspectu meo semper. Et quidem alias satis tribulor: sed, ut verum fatear, in nullo æque. Vincit labores itineris, calor incommodum, curarum anxietates. Ecce aperui vulnus amico: tua, frater, interest compati mihi, hoc est, portare mecum quod patior, ut relever ego. Tuas et per te sanctorum, cum quibus es, orationes sup- D plex flagito. Sermones super principia Canticorum, quos tu petiisti, et ego promiseram, transmitto tibi: quibus lectis peto, ut quam citius opportune poteris, tuo rescripto moneamur vel ad procedendum, vel ad supersedendum.

(420) Scripta circa annum 1136.

(421) Scripta circa annum 1135.

(422) Forte in Ecclesia Papiensi, quæ per id tempus in ortuo Petro vacabat. Non obtinuit hæc electio, sed prævaluit S. Bernardi consilium, electo Bernardo Portarum in episcopum Bellicensem, ex dietis, cui dignitati jam cesserat anno 1147, tum Portarum prior ex charta authentica apud Chiffletium.

(423) Scripta anno Christi 1135 vel sequente:

## EPISTOLA CLV (421).

AD DOMINUM PAPAM INNOCENTIUM, PRO EODEM QUANDO ELECTUS EST (422).

*Bernardum de Portis, in Lombardia destinatum episcopum, dignum quidem eo honore, sed tali loco minus idoneum; ideoque alteri convenientius reservandum.*

Dilectum Deo et hominibus Bernardum de Portis, Pater venerande, vocatione vestra cogi ad opus et onus episcopale audivimus. Probabilis res, ac digna plane vestro apostolatu, ponere in lumine lumen absconditum; ne sibi soli vivat, qui et alios ad vitam trahere possit. Usquequo namque latet et ardet tantummodo, qui et lucere valet? Levetur, si placet, super candelabrum, ut sit lucerna ardens et lucens: sed sane ubi non prævaleat vis ventorum, ne forte (quod absit!) extinguatur. Siquidem insolentia Lombardorum et inquietudo eorum cui non est nota? aut cui magis quam vobis? Nobis melius nostis, quam sit ille episcopatus dissipatus, quamque domus exasperans. Quid putamus esse facturum juvenem, viribus corporis fractum, et quieti eremi assuetum, in populo barbaro, tumultuoso, procelloso? Quando poterit convenire tantæ sanctitati, et tantæ perversitati; tantæ simplicitati, et tantæ dolositati? Reservetur, si placet, congruentiori loco, atque alteri populo: cui sic præsit, ut prosit; et festinatione non pereat fructus, quem poterit dare in tempore suo.

## EPISTOLA CLVI (423).

AD EUNDEM, PRO CLERICIS AURELIANENSIBUS.

Usquequo misera illa Aurelianensis Ecclesia incassum viscera pulsat patris orphanorum, et iudicis viduarum? Quippe jacet jam olim in pulvere virgo nobilis Israel, non solum viduata viro (424), sed et charis orbata pignoribus. Proh dolor! non est qui sublevet eam. Quousque et filios non dimittitis cum matre misera clamantes post vos? illos dico, qui, amissis rebus et domibus, capitibus suis refugium solum invenere diffugium. Quid tardat intrepida manus, nullis hactenus vel negata oppressis, vel remissa præsumptoribus? Quid tardat, inquam, afflictos eripere de manu fortium, et reddere retributionem superbis? Et si tardat **158**, non derelinquat usquequaque. Oportet magis dilatum auxilium tandem venire validius, et subvenire perfectius. Illa sit, si placet, molestæ tarditatis recompensatio, ut et qui apostolica patientia superbe abusi sunt, nihil inde in sine lucrentur: et qui in verbo vestro patienter passi sunt, minime eos suæ quandoque pigeat patientiæ.

(424) Scilicet post Joannis episcopi obitum, qui contigit anno 1133, vacavit sedes quatuor annis, ex Carolo Saussayo in Annalibus Aurelianensibus: cum Hugo decanus, qui electus fuerat, ex curia Regis rediens, a temerariis hominibus in via percussus est, teste Orderico Vitali ad annum 1134. Hæc vero epistola scripta est a Bernardo, uti et sequens, ante Romanam ejus tertiam profectionem anni 1137.

## EPISTOLA CLVII (425).

AD HAIMERICUM, PRO EISDEM.

Speciali amico suo HAIMERICO, Dei gratia diacono cardinali, et apostolicæ Sedis cancellario, frater BERNARDUS de Clara-Valle, luce sapientiæ et virtutis darescere.

Nisi quia vestram novi et circa afflictos compassionem, et contra protervos indignationem, opportune, importune instarem vobis pro magistro Wilhelmo Maulimensi (425) et sociis ejus; compellarem vos adversus oppressores et calumniatores eorum. Nunc autem sufficiat memorasse: vestrum est opere probare cito quod revera sufficiat.

## EPISTOLA CLVIII (427).

AD DOMINUM PAPAM INNOCENTIUM, SUPER INTERFECTIONE MAGISTRI THOMÆ PRIORIS S. VICTORIS PARISIENSIS (428).

Amantissimo patri et domino INNOCENTIO summo Pontifici, BERNARDUS Claræ-Vallis abbas indignus, minimum id quod est, et quod potest in Domino.

1. Fera pessima quæ devoravit Joseph, canum nostrorum importunitatem non ferens, ad vestræ dicitur defensionis auxilium confugisse. In quantam misera devenit amentiam, ut vaga et profuga et tremens super terram, illuc potissimum fugam inierit, ubi plus timere oportuit? Sceleratissime, tu

(425) Scripta anno Christi 1135.

(426) Maudunum seu Magdunum, oppidum est infra Aurelianos ad Ligerim ubi ecclesia Sancti-Lisardi collegiata, et ædes episcopi Aurelianensis.

(427) Scripta anno Christi 1133.

(428) Ob nefariam cædem Thomæ prioris Sancti-Victoris Parisiensis pontificem serio hac epistola interpellat, ut in sacrilegos debitam justitiæ censuram et ultionem exserat. Occasionem cædis Bernardus hic insinuat. Nempe, quod Thomas zelo disciplinæ ecclesiasticæ cupiditati ejus et iniquis exactionibus, quibus archidiaconus Parisiensis clericos premebat, obsisteret. Hinc odio inflammatus archidiaconus vindictam animo coquebat, donec tandem nepotes ejus, seu iræ et odii participes, quod causam cognati suam putarent, seu ab eo ad facinus conducti et inducti, Thomam in itinere, et quidem in comitatu episcopi aggressi sunt. Stephanus episcopus Parisiensis auctorem cædis et complices seu fautores mox anathemate perculit. Et tanti sceleris immanitate gravissime commotus, velut ad levamen doloris secessum paulisper in Clara-Valle petit, indeque Gaufrido sacræ Romanæ Ecclesiæ legato et Carnotensium episcopo has litteras transmisit.

Gaufrido Dei gratia venerabili Carnotensium episcopo et apostolicæ Sedis legato, STEPHANUS eadem gratia Parisiensis Ecclesiæ minister indignus, nunc autem miseræ et afflictionis præco infelix, valere in Domino.

1. Calamitatis novæ pondus, quam vestris auribus imo cordi vestro illaturus sum, nescio si verbis digne valeat explicari. Nuntium durum et grave auditu, omnibus, quibus Christi Jesu et sanctæ matris Ecclesiæ opprobria dura et graviora sunt, præcipue nobis sub habitu et signo religionis constitutis, quibus hæc tanto plus omnibus graviora futura sunt, quanto specialius ad nostrum gravamen, imo oppressionem et ruinam omnium expectat nostrum unius occasus. Magistrum Thomam priorem cœnobii Sancti-Victoris, virum approbatum, omnibusque bonis amicum et dilectum, ac in sanctæ Ecclesiæ defensione illumcoadjutorem et propugnatorem devotissimum et stre-

A summæ æquitatis sedem putas esse speluncam latronum, aut cubile leonum? tu filii recentem adhuc cruorem ore rabido ac ferali spumans et masticans, fugis ad sinum matris, patris audes apparere conspectibus? Tamen si poenitentiam petit, neganda ei non est; quod si audientiam, accipiat illam si placet, quam vel Moyses indulsit populo ante conflatile curvanti genu (*Exod. xxxii, 25*); vel Phinees fornicanti Israelitæ (*Num. xxv, 8*); vel Mathathias dæmonibus immolanti (*I Machab. ii, 24*); vel certe, ut vobis de vestris aliquem proponamus, quam a beato Petro Ananias et Sapphira meruerunt (*Act. v, 1-10*); quam denique audientiam dedit negotiantibus in templo Salvator (*Matth. xxi, 12*). An ignoramus quorundam peccata præcedere ad judicium? (*I Tim. v, 24*.) nonne vox sanguinis fratris tui clamat adversum te de terra? Credimus et nostri Martyris spiritum, quem novissime diebus istis tua crudelitas morti dedit, cum cæteris animabus interfectorum, voce valida sub altari clamare, et flagitare vindictam, eoque instantius, quo recentius ipsius sanguis effusus est super terram.

2. Sed nunquid ego, inquit, occidi eum? Non utique tu, sed tui, et propter te. An et per te, videat Deus et judicet. Si excusabilis tu es, cujus dentes, arma et sagittæ, cujus lingua gladius acu-

nuissimum, impiorum manibus extinctum scialis, carne quidem mortuum, sed, ut indubitanter credimus, viventem cum Christo. Cui enim Christus vere causa moriendi fuit, in gloria omnino deesse non poterit: quoniam et ipse cum ultimum in nostris manibus exhalaret spiritum, libera voce se pro justitia mori protestatus est, certissimum præteritæ præsentisque justitiæ suæ, qua in Ecclesia Christi contra impios pugnaverat, testimonium relinquens, quoniam in ipsa consummaretur. Hæc enim prima, hæc et ultima causa fuit laboris illius. Nam pro ipsa justitia tunc mecum aderat. Ego enim ipsius præcipue admonitione (sicut ei semper de his cura esse solebat) rogatu et assensu Regis, per eum quoque ad ipsum persuasi, ad abbatiam monialium, quæ est Chelis, emendandam et ordinandam perrexeram, assumptis mecum viris religiosi, abbate scilicet Sancti-Victoris et Sancti-Maglorii, et subpriore Sancti-Martini, aliisque compluribus monachis, canonicis ac clericis: cumque pro viribus negotio peracto reverterer, juxta domini Stephani castrum, quod Gorniacum dicitur, subito ab ejus hominibus, scilicet nepotibus Theobaldi archidiaconi, insidias mihi in via præstruentibus, assultum passus sum. Cumque nos inermes, utpote die Dominico, et pacem ferentes incederemus! subito evaginati gladiis irruunt super nos, et nec Deo, nec diei sacræ, nec mihi, nec his qui mecum erant religiosi viri honorem dantes, inter manus nostras innocentem trucidaverunt; mihi que mortem comminati sunt, nisi abscederem a conspectu eorum celeriter. Nos autem fiducialius agentes, in medios gladios nos conjecimus; et jam semivivum, direque laniatum a manibus eorum abstraximus, atque undique circumdantes eum de sua confessione, et de ejus quam passus fuerat, inimicorum impietate dimittenda allocuti sumus. Tunc ille libenti animo omnibus, qui in se peccaverant, dimittens, et suorum peccatorum intime remissionem petens, percepta tandem communionem corporis et sanguinis Christi, libera voce se coram omnibus pro justitia mori contestatus est, et sic reddidit spiritum.

2. Hinc ergo, licet nostræ spei fiducia certa, quantum ad ejus spectabat salutem et gloriam, exultan-

aus, proinde nec Judæi Christi de morte culpandi sunt: quippe et ipsi manus continuere cauti. Ob illicitas exactiones, quas sibi occasione archidiaconatus in presbyteros minime jam, ut consueverat, ut urpare liceret, beati utique **159** Thomæ obviante zelo atque industria, utpotest: justitiæ amatoris et defensoris, oderat illum, et mortem ei jam ipso oculo homicida minitari solebat. Multi se audivisse nunc perhibent, quibus discredendum non est. Postremo nepotes ejus, ut impas manus in sanctum Domini mitterent, quid aliud unquam adversus eum habuerint, ipse certe dicat, si potest. Si ergo iste qui causa, qui incentor, qui etiam, ut omnium pene suspicio est, exstitit et dictator facinoris: si is, inquam, impune ferat (quod utique mira impudentia de vestra apostolica auctoritate præsumit), quanta

*dum omnino non dubitet, pretiosamque in conspectu Domini mortem sanctorum ejus sciamus; mærorum tamen et luctus gravis, qui de amici oratione et communi omnium nostrum confusione oboritur, nulla prorsus consolatione in nostro animo temperatur. Me enim in ipso occisum video et multo magis me occisum quam ipsum; quia me in ejus morte periculis expositum cerno, ipsum autem a periculis liberatum. Superest igitur ut, quia me nunc tam graviter desolatum et contristatum cernitis, ad me consolandum simul et consiliandum venire non differatis. Ego enim quasi qui ipsam detestandam loci faciem sustinere non valeam; Claræ-Vallem fugiens secessi, illic vos exspectaturus, ut consilium pariter capiamus, quid nobis pro sanctæ Ecclesiæ tam intolerabili injuria faciendum sit. In omnes enim nos impetus iste casum minatur, et veniet, nisi præveniat Dominus. Mando ergo vobis, et summopere deprecor, ut omni*

*dilatione postposita Claræ-Vallem properitis: quia pericula undique mihi imminent, pro quibus consilium differi non potest.*

Illis Gaufridus acceptis, Claram-Vallem advolavit, mandatoque apostolico præcepit episcopis dioceseon Remensis, Rotomagensis, Tironensis, Senonensisque ad synodum Jotri indictam frequentes convenire. Illis autem coactis, Hugo Gratianopolitanus episcopus, Carthusiensiumque familia rescribere, « rogantes et obsecrantes ut in sacrilegos homicidas, ecclesiastici rigoris gladius produceretur. » Sed et Innocentius S. Bernardi scriptis monitus, Patribus super eorum decreto rescripsit, illud confirmans, et sententiam severiorem supperaddens. Quod attinet ad rationem temporis quo hæc cædes perpetrata est, a J. Picardo in notis ad epistolam Innocentii, aliisque sequacibus, communiter revocatur ad annum 1150, quamvis a Baronio ad annum 1155 rejiciatur. At sententia quidem illa probari non potest. Constat enim ex epistola 159 Thomam fuisse peremptum die Dominica, et quidem decimo tertio kalendas septembris, ut legitur in Necrologio Victorino his verbis: Anniversarium magistri Thomæ Prioris hujus ecclesiæ, qui pro defensione justitiæ ab inimicis justitiæ crudeliter interfectus, vivens et moriens honestatis et patientiæ dignam atque imitabilem sequacibus suis vitæ formulam dereliquit. » Concordat etiam Sancti-Guinaili Corboliensis Kalendarium, teste Picardo, Proindeque dies iste Thomæ sanguine consecratus litteram dominicalem anni 1150 præferre debet, quod contra accidit: Nam littera dominicalis istius anni est E, littera vero decimo tertio Kalendas Septembris respondens est A. Addit Picardus duo argumenta in suæ sententiæ confirmationem. Alterum, quod Thomæ prioris interitus S. Hugonis Gratianopolitani obitum antevertat, cum hic pro Thomæ vindicatione ad Patres in Jetensi concilio coactos una cum Carthusiensibus

A putamus impunitas ista in Ecclesia parturiet punienda? Unum e duobus fore necesse est: aut nullos ex nobilibus sive potentibus secundum hoc sæculum admitti deinceps ad honores ecclesiasticos: aut passim ad omne illicitum permitti libere clericos sacris abuti officiis; ne forte, si quispiam zelo Dei accensus prohibere tentaverit, ferro illico militari reus justitiæ trucidetur. Atque ita quid spirituali gladio, quid censuræ ecclesiasticæ, quid christianæ legi et disciplinæ, quid reverentiæ sacerdotali, quid denique divino timori relinquatur, si metu potentiæ sæcularis, nullus mutire jam audeat contra insolentiam clericorum? Quid enim insolentius, quidve indignius in Ecclesia esse potest, quam ut sibi quisque ecclesiasticas vindicet dignitates feritate armorum, non morum probitate? Quamobrem, domine

scripserit. At vero, inquit, cum Guigo primariæ Carthusiæ præses adverterit in Vita S. Hugonis, ipsum obiisse anno 1152, mors Thomæ referenda est, non quidem ad annum 1151, quo Innocentius in Gallis præsens, comitante ubique Bernardo, tot litteris non fuisset interpellandus; sed ad annum 1150, quo Innocentius creatus est Pontifex. Alterum, quod Innocentius sub initium anni 1151 Lutetiam ingressus, et Sancti-Victoris ecclesiam Intrans, beati Thomæ corpus e claustro in templum efferi præceperit septimo Idus Martii. Mense igitur Augusto præcedentis anni e medio fuerat sublatus. At neutrum certe argumentum rem conficit. Non quidem primum. Quid enim obstat, quominus præmissam Hugonis Gratianopolitani epistolam, non a S. Hugone, sed a successore ejus cognomine scriptam esse dicamus? Nec etiam posterius magis urget. Est enim Innocentius beati viri corpus in decentiorem locum transferri jusserit: non tamen id præsens asserendus est præstitisse, imo mandato ex Italia transmissio, ut manifestum est ex epistola tomo quinto Spicilegii Acheriani, pag. 567, inserta, in qua archiepiscopus Remensem et Senonensem arguit dilatæ excommunicationis sententiæ in eos ferendæ, qui Thomam interfecissent. Sic enim concludit: « Ad hæc mandamus, ut corpus præfati boni viri, qui coram Judice superno modo de sua justitia et innocentia testimonium perhibet, et sub obedientia vivens, in obsequio proprii interfectus est episcopi, in sua ecclesia honorifice tumuletur. Data Pisis, 21 Decembris. » Dicendum itaque est, hanc Thomæ necem incidisse, non in annum 1150, sed in annum 1155, quo littera dominicalis E litteræ diei prædicti, nempe decimo tertio ante Kalendas Septembris respondebat; quo alter Hugo post S. Hugonem sedem Gratianopolitanam occupabat; quo Innocentius Pisis concilii indicti tempus præstolabatur; quo denique Bernardus ex Italia in Germaniam missus ad pacem Lotharium inter et Conradum componendam, in Galliam reversus, illic tantisper subsistebat, præsens ædfuturus capitulo Cisterciensi, hoc anno Idibus Septembris de more celebrando, ut patet ex inscriptione cujusdam epistolæ, a Petro Cluniacensi hoc anno ad prædictum capitulum directæ (Petri Venerabilis epistola 36, lib. 1), in qua Bernardus præsens recensetur. Denique huic nostræ sententiæ favet Ordericus, libro XIII, ad annum 1154, in quo, nonnullis rebus, quæ ad annos superiores pertinebant, summatim conglobatis, postquam recitavit mortem Joannis Aurelianensis episcopi, et Hugonis decani post eum designati, quæ anno 1155 ex Annalibus Aurelianensibus in Joanne contigere: « Tunc etiam, » inquit, « Thomas Sancti Victoris canonicus, vir magnæ auctoritatis, interemptus est, » etc. De his ista sint dicta.



Pater, aliquid, ut videtis, prorsus decernendum est in hominem, quod Ecclesiæ prosit, ut salus facta hoc tempore per vos transfundatur in posteros; et cognoscat generatio altera, non solum quod fuit præsumptum, sed et qualiter ultum. Alioquin si serpat venenum, nec sequatur pariter et antidotum; multos (quod absit!) habet perimere.

EPISTOLA CLIX (429).

AD EUNDEM, IN PERSONA STEPHANI PARISIENSIS EPISCOPI.

*Unde supra.*

Piissimo patri INNOCENTIO summo pontifici, STEPHANUS miserandus episcopus Ecclesiæ Parisiensis, misericordiam et iudicium.

1. Vir religiosus, prior Sancti-Victoris, magister Thomas in obsequio charitatis, in itinere quod indixerat pietas, in opere sancto, in sanctorum comitatu, in dominico die, certe in sinu meo et inter manus meas crudeliter ab impiis pro justitia excerebratus est, factus obediens usque ad mortem. Non opus est prece, ubi pietatem melius in silentio lacrymæ provocant, et singultus qui interrumpit precem, exprimit affectionem. Hæc plane compassionem veram, etsi non postulant, merentur tamen: utpote quæ verum indicant produntque dolorem, et simulationis fugant ambiguum. Puto proinde sufficere mihi ad incutiendam paternis visceribus calamitatem quam patior, rem, ut est, simpliciter intimasse. Tristis flebilisque historia satis pro se agit, præsertim apud vos, et suasoriis fucari non indiget. Exitus aquarum deducite, oculi mei, quoniam dereliquit me virtus mea, et lamen oculorum meorum, et ipsum non est mecum. Nec enim illum lugeo, sed me. Nam ille quo pacto lugeatur, qui mortis pretiosæ compendio transivit ad vitam?

2. Quis illum non magis laudibus, quam fletibus prosequatur, cui vivere Christus fuit, et mori est lucrum? Episcopi nomen ego gerebam, ille exercebat opus. Honore spreto, onus totis viribus supportabat. Idcirco ille revera mortuus ad vitam, ego vivus in morte. Ille mortis vincula non incidit, sed evasit: et ecce **160** circumdant me dolores mortis, et torrentes iniquitatis conturbant me. Ego igitur, ego miser, ego miserandus in morte tua, mi frater dulcissime Thoma, blando heu! ablactatus solatio, cauto privato consilio, et certe tuto patrocínio destitutus. Expediebat me magis mori pro te, quam post te vivere. Propter hoc defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus. Condolet mihi Ecclesia

sed dolet et pro se. Commune damnum, communis desolatio est: mecum omnis religio plorat, paternam pariter implorat consolationem. Si Theobaldus Noterius (450) adierit vos, sentiat in se, quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei. Nepotes ipsius auctores [*al. actores*] exstiterere sceieris, ipse causa: utrum et dictator, in quæstione est. Non attendatis ad verba ejus, donec veniat qui mittendus est; qui vobis plenius insinuans veritatem, cautum faciat a labiis iniquis et a lingua dolosa.

EPISTOLA CLX (431).

AD HAIMERICUM CANCELLARIUM, IN PERSONA EJUSDEM EPISCOPI.

*Unde supra.*

Domino HAIMERICO charissimo, venerabili sanctæ Romanæ Ecclesiæ diacono cardinali et cancellario, suus STEPHANUS Parisiensis, quod domino et amico.

Amicus in necessitate probatur. Quod dico, non quia de sanctitate dilectionis vestræ dubitem, sed ne contingat ut dubitem. Continget autem procul dubio, si zelum illum vestrum modo (quod absit!) dissimulare comperero. Porro dissimulationis id mihi argumentum inexcusabile fore noveritis, si Theobaldum Noterium non recipere pro meritis quacumque occasione contigerit, qui dimidium animæ meæ nepotum suorum manibus crudeli ambitione præcidit, soli cruciatui parte reliqua reservata.

EPISTOLA CLXI (432).

AD DOMINUM PAPAM INNOCENTIUM.

**C** *Adversus auctores cædis Archembaldi subdecani Aurelianensis.*

Vox sanguinis Archembaldi (433) subdecani Aurelianensis invaluit. Nam ecce, proh dolor! juxta prophetam, *sanguis sanguinem tangit* (*Osee iv, 2*), et simul juncti fortius clamant ad vos de Francia. Clamat, inquam, et vociferatur uterque sanguis clamore tam valido, ut valeat ipsum quoque palatium cœlestè concutere, tam pio, ut et saxea pectora debeat emollire. Quid facis, amice sponsi, custos sponsæ Christi, pastor ovium Christi? Putasne sufficies excogitare remedium, quod huic obviet pesti tam nefandæ, tam inauditæ? Id sane necesse est inveniri, quod et recenti Ecclesiæ vulnere in præsentiarum medelam afferat, et posteris valeat ad cautelam. Ergo accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime. Si non steterit et nunc Phinees et placaverit, non cessabit quassatio. Si, inquam, vigor ecclesiasticus pepercerit istis, Joanni dico, et Theobaldo Noterio, quorum etsi non manu, assensu certe, forte et in-

nuans eum de medio sublatus ante Thomam Victorinum, his verbis: « Quorum impunitas sceleris arma ministrat furoris: ut sicut post Aurelianensem subdecanum ad dominum Thomam Parisiensem, quia prior inultus remanserat, persecutorum gladius se convertit. » Contrarium tamen ex hac Bernardi epistola non obscure colligitur. Cæterum Joannes, qui Archembaldi necis auctor, forsitan is ipse fuerit Joannes decanus Aurelianensis, qui similem sortitus finem, de cujus interfectione legitur Planctus ejusdem Ecclesiæ apud Stephanum Tornacensem.

(429) Scripta anno Christi 1133.

(430) Illic codices variant. Quidam habent solum, *Noterius*; alii, *Theobaldus Noterius*, qui archidiaconus fuit Parisiensis, teste epistola Stephani episcopi Parisiensis, in notis relata, quæ nescio an ab ipso Bernardo, nomine Stephani, scripta est ad Gaufridum Carnotensem, tunc legatum.

(431) Scripta anno Christi 1133.

(432) Scripta anno Christi 1133.

(433) De istius interfectoibus lege notas ad epistolam 150. De nece Archembaldi item conqueritur Petrus Venerabilis in libri primi epistola 17, insi-

stinctu sanguis innoxius effusus est super terram; quis non videat quid sequatur? Quantos in clero horum impunitas contra jus et fas faciet promoveri, metu utique suorum, non suæ merito sanctitatis? Novis morbis novis obviandum est medicamentis. Utilissime, ut multis videtur, justissimeque eos apostolica falce ab omni succideres ecclesiastica dignitate, ita ut et habitis careant, et de cætero ad alias non assurgant.

### 161 EPISTOLA CLXII.

AD HAINERICUM (434) CANCELLARIUM DE EODEM.

Frequentem et amicabilem recordationem, qua dominum episcopum Parisiensem commendare solitis, ego postmodum ipsi frequenter testatus sum. Ena vobis exigitur non verbo aut lingua, sed opere et veritate probare, nec me fuisse fallacem, nec vos mendacem. Sic vestra interest, non solum propter episcopum, sed et propter alios amicos vestros, qui pro vobis certe graviter, si quo modo præter spem procedere causam contingeret, turbarentur.

### EPISTOLA CLXIII (435).

AD JOANNEM CREMENSEM CARDINALEM PRESBYTERUM (436) DE EODEM.

Dilectionem et dignationem, qua me amplecti a vobis nullius dignitatis homuncio sensi, in æternum non obliviscar. Pœnitentiam et conversionem vestram, de qua jam angelis collætatus sum, et condelectatus, dignos facere fructus opto jugiter, et oro frequenter. Et nunc maxime ipsos nostra ista Gallicana Ecclesia mecum exspectat, credo non intem-

(434) Scripta anno Christi 1133. In Colbertino codice notato 1038, et in editione antiquiori hæc epistola tribuitur Joanni Cremensi; sequens, Hainamico. At quæ in posteriori leguntur de ejus, cui directa est, conversione, potius Joanni conveniunt.

(435) Scripta anno Christi 1133.

(436) Tituli S. Chrisogoni, qui Joannes Henricum Virdunensem, ad quem epistola 62, ab excommunicatione absolvit, teste Laurentio Leodiensi, in Spicilegii tomo XII, pag. 307.

(437) Scripta anno Christi 1138.

(438) Si titulus hujus epistolæ in manuscriptis. Actio hæc contigit non post mortem Guilenci seu Wilenci episcopi Lingonensis, ad quem epistolæ 59 et 60, sed post mortem Willelmi de Sabrano ejus successoris. Guilenci obitus contigit anno 1135, Kalendis Augusti; Guillelmi, anno 1138. Hinc lites de futuro successore. Petrus archiepiscopus Lugdunensis, Hugo Burgundiæ princeps, postea dux, electionem cuidam monacho Cluniacensi deferebant: repugnabant Robertus decanus Lingonensis, Pontius archidiaconus, Odolricus, aliique canenici. Arbitrator electus Bernardus: ac tandem excluso monacho Cluniacensi, electus Godefridus Prior Claræ-Vallensis, Bernardi consanguineus. De hac Ecclesiæ Lingonensis in eligendo episcopo controversia tres lego Petri abbatis Cluniacensis epistolas: unam, quæ est libri primi epistola 29, ad Bernardum scripta, in qua monachum quemdam ex suis in episcopum Lingonensem electum ab inusta infamia purgare nititur; alteram, quæ est libri secundi epistola 28, ad Innocentium papam, in qua confirmationem abbatis Vizeliacensis electionis in ejusdem Ecclesiæ episcopum factæ denegari postulat; postreimam, quæ est ejusdem libri epistola 36, ad eundem Innocentium, quæ Ecclesiæ Lingonensi circa futuri episcopi electionem jus integrum juxta canones di-

pestivos. Interest vestræ pariter et meæ famæ, ut non confundar in vobis. Sic ergo clareat omnibus, zelum apud vos veritatis justitiæque fervere contra interfectores clericorum, et instigatores eorum, ut non me pigeat gloriatum fuisse de vobis.

### EPISTOLA CLXIV (437)

ACTIO CAUSÆ LINGONENSIS ECCLESIAE AD DOMINUM INNOCENTIUM PAPAM (438).

*Conqueritur Bernardus, quod subdole et contra datam fidem tentata sit electio episcopi Ecclesiæ Lingonensis.*

1. Dum adhuc Romæ essemus, contigit illo ventre dominum archiepiscopum Lugdunensem. Venerunt et cum eo Robertus decanus Ecclesiæ Lingonensis et Olicus canonicus, quærentes licere sibi et capitulo Lingonensi eligere sibi episcopum. Mandatum siquidem a domino papa acceperant, nequaquam præsumere hoc, nisi ad consilium religiosorum virorum. Quod dum per me cuperent et peterent obtinere: Absit, inquam, nisi sciam et certus sim quod bonam idoneamque personam intendatis eligere! Responderunt propositum suum atque intentionem de nostro pendere arbitrio, nec aliud se facturos, nisi quod ego consulerem. Et sponderunt. Verum me non satis fidem accommodante, accessit ad persuadendum archiepiscopus, pollicens firmiter idipsum. Et addidit, quod si secus clerici agere molirentur, quidquid aliud facerent, minime se confirmaturum, nec ratum habiturum. Adductus est et dominus cancellarius in testimonium. Nec contenti, adivimus

mitti efflagitat. Primam ac tertiam epistolas pertinere ad eam, de qua hic agit Bernardus, electionem, ex utriusque collatione manifestum est. An autem secunda itidem ad eandem pertineat, difficultus dixerim. Persuasum mihi est de diversa intelligendam esse personam. In prima enim Petrus Venerabilis electum nominat simpliciter « monachum Cluniacensem ac filium suum; » in secunda « abbatem Vizeliacensem. » In illa dicit, Lingonenses canonicos, sibi ex agro Pictaviensi revertenti occurrentes, monachi sui electionem significasse: in hac inquit, « rumore ad se pervenisse, » abbatem Vizeliacensem importunis quorundam apud Innocentium precibus in episcopum Lingonensem deposci. In illa denique monachi sui confirmationem promovere satagit: in hac abbatis Vizeliacensis confirmationem impedire nititur. Quocirca non contemnendam puto eorum sententiam, qui juxta Catalogum Stephaniensem et Thuaneum, Wilenco Lingonensi episcopo subjungunt Willelmum de Sabrano, forte ex abbate Vizeliacensi ad sedem Lingonensem assumptum; huicque Godefridum, ut mox dicetur; qui tandem, rejecto monacho Cluniacensi, de quo hic agitur, electus est ac confirmatus anno 1138, cum nempe Bernardus extincto schismate in Galliam rediisset. Cæterum hac in historia observes quæso, lector, quod ante adnotavit Baronius ad annum 1138, Petrum Cluniacensem sic filii partes pro virili egisse, ut neque victus potuerit a S. Bernardo, ejusque monachis animo divelli, quod testatum ipse reliquit in quadam epistola his verbis: « Quando enim extingui vel obrui poterit sincerus erga vos et ignitus mei pectoris affectus quibuslibet sinistri rumoris rivulis, cum nec aquæ multæ decimarum potuerint eum extinguere, nec impetus Lingonensium fluminum obruere? »

etiam præsentiam domini papæ, ut ejus favore et auctoritate quod inter nos convenerat confirmaretur: prius tamen habita inter nos collatione mutua ac diuturna super facienda electione, et de multis personis, quarum ibi mentio facta est, duabus tandem nominatis, a quibus nullus nostrum penitus dissentiret, quamlibet illarum eligi placuisset. Itaque quod nobis complacuit, dominus papa immutabiliter observari præcepit: et tam archiepiscopus, quam clerici firmiter promiserunt. **162** Illis abeuntibus, ego post discessum eorum dies paucos in Urbe faciens, ubi a domino meo impetrare potui facultatem redeundi, ad fratres iter arripuimus.

2. Et transalpinantes comperimus instare diem, qua foret sacrandus homo in episcopum Lingonensem: de quo utinam meliora atque honestiora audivissemus! Nolo autem dicere quæ invitus audivi. Quid plura? A religiosis viris non paucis, qui nobis salutandi gratia occurrerant, persuasi sumus divertere per Lugdunum, quatenus, si fieri posset, rem nefariam, ne fieret, prohiberemus. Nam ego aliunde ob viæ compendium ire statueram, consulens valetudini et lassitudini corporis, præsertim quod non liquido, fateor, credebam rumoribus. Quis enim crederet tantum virum tanta uti levitate, ut postposita tam recente promissione sua, insuper domini sui mandato, personæ notabili manum imponere non timeret? Itaque consilio religiosorum acquiescentes, Lugdunum iter direximus, et pervenientes, omnino sicut audivimus, sic vidimus. Parabantur illa, non festa, sed infausta solemnia. Decanus tamen, et maxima, ni fallor, pars Lugdunensium canonicorum constanter aperteque contradicebant. Sed et rumor pudendus dolendusque passim crebrescens et invalescens civitatem repleverat.

3. Quid facerem? Conveni archiepiscopum, reverenter quidem, super pacto quod fecerat, et super mandato quod acceperat: et nihil horum negavit. Causam vero prævaricationis referens in filium ducis (439), qui a constituto resilierat; ne ille turbaretur, in id se mutabilitatis incidisse dicebat, pacis videlicet intuitu. Et intulit, quia quidquid hactenus egerit, jam pro nostro deinceps arbitrio se facturum. Tum ego gratias agens: Absit! inquam; tamen non nostra, sed Dei potius voluntas fiat: quæ ita forsitan cognoscetur, si res ponatur in consilio episcoporum aliarumque religiosarum personarum, quæ hic ad vestram ipsius vocationem convenerunt, vel adhuc venturæ sunt. Quod si invocato sancto Spiritu consensus omnium vos ad procedendum in cæpto opere animaverit procedite ut cœpisti: sin autem, acquiescendum Apostolo dicenti, *Nemini cito manum*

(439) Hugonem scilicet, filium Odonis Burgundiae ducis ex Maria filia Theobaldi Campaniæ comitis.

(440) Nempe Petri archiepiscopi imago impressa sigillo cereo, de more illorum temporum. De Petri hujus obitu, infra in epistola 172. Ad eum epistola 394.

*imponas* (I Tim. v, 22). Visum est consilium placuisse. Interim homo ille venisse nuntiatur, sed in hospitium, non in palatium. Vespere sextæ feriæ venit; sabbato mane recessit. Non est mecum dicere, cur nec in curia apparere voluerit, ad quam ei curæ fuit longo itinere pervenire: nisi quod verecundia monachalis, honorisque contemptus forsân putari posset, si non aliud alia, quæ secuta sunt, indicarent. Et revera quid aliud tunc suspicari debuimus, quando archiepiscopus rediens ab illo testatus est coram omnibus, nullo modo eum voluisse acquiescere, sed quidquid de eo factum fuerat, penitus refutare?

4. Denique et mandavit mox electionem fieri. Hoc per quosdam Lingonenses canonicos tunc præsentibus, hoc et per litteras, quæ adhuc exstant. Quibus in capitulo Lingonensi oblati et lecti, prohi pudor! incontinenti leguntur aliæ per omnia contrariæ illis, asserentes utique consecrationem dilatam, non dimissam; assignantes diem et locum ad causam decidendam, quam litteræ priores nuntiabant decisam. Putares in litteris non modo diversas, sed et adversas sibi loquentes personas, adversum se invicem contendentes: nisi quod una eademque imago impressa ceris (440), unum idemque nomen præsignatum in schedulis, manifeste de uno fonte dulce et amarum illud manare cunctis qui aderant **163** mirantibus declarabant. Tenentur in manibus contradictoriæ litteræ: utris libet obedire decreveris, inobediens necesse est tenearis. Aut enim priorem te recipientem epistolam posterior condemnabit: aut si posteriorem sequi eligas, prior murmurabit. Et utinam secunda epistola, sicut potuit evertere primam, ita posset sese vel ipsa tueri adversus tertiam. Sed ecce litteræ contra litteras, mandatum adversus mandatum: ita ut non jam, quemadmodum in propheta, *Manda, remanda* (Isa. xxviii, 10, 13), sed *Manda, demanda*, potius inculcetur.

5. Interim nempe homo qui et consecrationem fugerat, et electionem refutarat, festinavit ad Regem. Regalium investituram obtinuit (441); quibus meritis, ipse viderit. Mox directis epistolis, et locus qui assignatus fuerat, est mutatus, et dies anticipatus: ut loci temporisque opportunitate subtracta, et copia agendi pariter subtrahatur contradicturis, et consecrationis dies subripiatur appellaturis. Cæterum non est consilium contra consilium Domini, cuius providentia factum est ut nec contradictores defuerint, nec appellatores. Appellatum est a Falcone decano Lugdunensis Ecclesiæ; appellatum et a Pontio archidiacono Lingonensi; appellatum a Bono-Amico sacerdote et canonico æque Lingonensi; appellatum et a fratribus

(441) Regalium investitura est temporalis domini ac prædiorum Ecclesiæ traditio per regem facta novo episcopo post sacramentum fidelitatis ab eo præstitum. De Regalibus vide item epistolam 170, Sugerii epistolas maxime 19 et 20, atque Glossarium Cangianum.

nostris Brunone atque Gaufrido (442), ignorantibus quidem omnibus his præparationem cordis eorum, sed casu supervenientibus, haud dubium quin Dei provida voluntate. Tanta si quidem fuit brevitatis termini, ut vix, ex quo rescivimus diem, spatio quatuor dierum nuntius noster cum litteris accurrere potuerit, quatenus præveniret quod parabatur, non sacramentum, sed sacrilegium. Et is quoque nihilominus contradixit, et tam consecrandum quam consecratos ad Sedem apostolicam appellavit. Et ipse erat Lingonensis canonicus. Veritatem dico, non mentior: nihil a me hic dictum personæ odio, sed solo veritatis amore veraciter omnia posita, teste ipsa veritate.

EPISTOLA CLXV (443).

AD FALCONEM DECANUM (444), ET GUIDONEM THESAURARIUM LUGDUNENSIS ECCLESIAE.

Unde supra.

Plaga, ut videtis, charissimi, Ecclesiæ nostræ magna est, et multa eget cura; nec modo multa, sed cita, ita ut assidue cum lacrymis medico cœlesti instemus dicentes: *Domine, descende priusquam moriatur* (Joan. iv, 49). Unum est quod magis exacerbatur dolorem et pene desperat curationem: quia nimirum inde est orta tribulatio, unde consolatio sperari debuerat. Quisnam enim, o misera, malum hoc quod plangis, induxit super te? Profecto non inimicus, non is qui oderat te: sed homo unanimis, dux tuus et metropolitanus tuus. Quomodo ab austro, et non jam ab aquilone panditur omne malum? Merito proinde non est dolor sicut dolor meus, quoniam de quibus potissimum præsumebamus, ab ipsis passi sumus, et non ab aliis. O Lugdunensis pia mater Ecclesia! cujusmodi non sponsam, sed monstrum tuæ filiaë procurasti nunc! non plane matrem te in hoc, sed novercam sensimus. Gener hic tuus quam longe a nobili illa tua antiqua honestate, gravitate, probitate, degenerat! Quid enim? egone id dixerim honorabile connubium, et thorum immaculatum, quod de tali et taliter factum est? Sine lege, sine ordine, sine ratione sic confusa sunt omnia; imo ita cuncta in fraude et temeritate præcepta et præsumpta fuisse constat, ut non dico episcopum, sed ne villicum quidem, aut teloniarium quempiam in hunc modum decuerit ordinari. Quibus vos laudibus efferam, dilectissimi, qui soli condoluistis afflictæ, ei tam in prima, quam in secunda sua defensione oppressæ **164** astitistis, ascendentes ex adverso, et opposites vos murum pro domo Israel? Non est inventus similis vobis in illo conventu, qui conservaret legem Excelsi, qui sacris obtemperaret canonibus; qui denique se induceret zelum Phinees, et linguæ mucrone confoderet fornicantes (Num. xxv, 8). Quæ cum ita de vobis ad

A Dei et vestram ipsorum gloriam ubique clarescant, restat ut principio tam laudabili condignum exitum dare, et hostiæ capiti caudam jungere satagatis.

EPISTOLA CLXVI (445).

AD DOMINUM PAPAM INNOCENTIUM.

Unde supra.

1. Iterum clamo, iterum pulso, etsi non clamoris vocibus, certe lacrymosis gemitibus. Cogit iterare clamores iterata in nos injuria perditorum, et prolongantium iniquitatem suam. Confortati sunt, addentes prævaricationem. Apponunt iniquitatem super iniquitatem, et superbia eorum ascendit semper. Invaluit furor, pudor evanuit, et timor Dei. Quem contra tuam, Pater, causam [at. castam male] justamque dispositionem non timuerunt eligere, etiam post appellationem tui nominis ausi sunt execrari. Et hoc præsumpserunt Lugdunensis, Æduensis, Matisconensis, amici Cluniacenses. In fraude et temeritate istorum, heu! quam ingens multitudo sanctorum turbabitur, si angariati fuerint tale portare jugum, taliterque impositum? Proh nefas! hoc ita accepturi sunt, ac si cogantur genua curvare ante Baal, aut certe juxta prophetam pactum facere cum morte, et cum inferno foedus inire (Isa. xxvii, 15). Rogo, ubi jus, ubi lex, ubi sacrorum auctoritas canonum, ubi denique reverentia majestatis? Illa, illa quæ nulli negatur oppresso, soli mihi non profuit appellatio. Ubi nimirum imperabat aurum, judicabat argentum, leges canonesque silebant, locum ratio et æquitas non habebant. Eisdem telis, quod intolerabilius est, arcem quoque apostolici culminis oppugnare minantur. Id vero ridicule; fundata est enim supra firmam petram.

2. Sed quid ago? excessi, fateor: non est meum accusare quemquam aut reprehendere; sufficit mihi ut plangam dolorem meum. Post longam moram multosque labores, quos pro servitio Romanæ Ecclesiæ pertuli, cum tandem placuit Serenitati vestræ reditum annuere ad fratres meos, etsi fractus viribus corporis, tanquam male operans, lætus tamen ob manipulos pacis quos reportabam, ad monasterium cum prosperitate perveni. Credidi me de labore evasisse ad requiem; licere mihi utcumque resarcire spiritualium damna studiorum, ac sanctæ quietis detrimenta, quæ foris incurreram; et ecce tribulatio et angustia invenerunt me. En lectulo recubantem plus cordis, quam corporis dolor exeruciat. Nec enim ego deploro temporale incommodum ullum. Anima mea in manibus meis: salus ejus in causa est. Placet vobis, ut illi homini credam animam meam qui perdidit suam? Scio quia non placet. Quamobrem dixi animæ meæ expedire magis inire fugam, quam et mœrore consumere residuum dierum meorum, et nihilominus in periculum salutis incidere.

(442) De Brunone actum supra ad epistolam 144. Gaufridus videtur esse is qui postea Bernardi notarius.

(443) Scripta anno Christi 1138.

(444) Falco dein electus est archiepiscopus Lugdu-

nensis, de cujus electione epistolæ 171, 172, ad dominum papam Innocentium. Ad ipsum Falconem epistola 175.

(445) Scripta anno Christi 1138.

At Deus vobis potius inspiret quod potius est; reducere videlicet ad memoriam (si dignum iudicatis) qualiter vobiscum egerim, et ponere oculos pietatis super puerum vestrum, et liberare afflictum de angustia. Quin potius non oblivisci quanta Deus ipse fecerit vobis, et in quantulæcumque vicem recompensationis, ad ipsius gloriam, quod tam perperam factum est, revocare.

### 165 EPISTOLA CLXVII (446).

AD EUMDEM.

*Pro eodem negotio.*

Clementissime Pater, nonne præcipiendo præcepisti in Lingonensi Ecclesia personam eligi religiosam atque idoneam, et ad consilium pueri tui? Nonne dominus Lugdunensis hoc ipsum mandatum ex apostolico ore tuo præsens excepit tam fideliter exsecuturum, quam firmiter injunctum, ac frequenter inculcatam nonne denique et spondit! Quid ergo visum est ei, mutare voluisse quod utilissime et consultissime statutum fuerat, aliudque sua præsumptione moliri quod non conveniebat, in vestræ ipsius Majestatis contemptum, et in nostræ pusillimitatis scandalum? Quomodo non erubuit bonus ille vir apud se Est et Non inveniri, tentans imponere tam indignum jugum cervicibus tam numerosæ multitudinis religiosorum virorum servorum tuorum adversus statutum tuum et promissum suum? Inquire, Pater, inquire diligenter, quale homo ille, cui festinat manum imponere, testimonium habeat, et ab his qui prope sunt et ab his qui longe. Mihi enim interdicit dicere pudor quod publica fama de eo dicit, imo infamatio celeberrima divulgavit. Et quid dicam? Tristis est anima mea usque ad fugam. Et jam forsitan fugissem, nisi me retinisset consolationis spes, quam de visceribus vestris exspecto. Volebam scribere per ordinem perlacrymabilem miseriæ nostræ historiam: sed præ tristitia languet manus, sensus hebescit, horret lingua eloqui malignam fraudem, sed subreptionem, sed circumventionem, sed temeritatem, sed perfidiam. Quid ergo? Filius tuus Pontius archidiaconus, qui et in hac causa constanter fideliterque se habuit, cuncta tibi, Pater, narrabit, et quid factum doleamus, et quid faciendum flagitemus. Ipsi credē tanquam mihi. Ego autem hoc unum ut parturiens loquor: nisi isti a tam scelerato tamque temerario ausu deficiant, ut me ipsum nunc sentio, deficiet in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus.

### EPISTOLA CLXVIII (447).

AD EPISCOPOS ET CARDINALES ROMANÆ CURIÆ.

*Unde supra.*

1. Vos scitis, si dignum ducitis recordari, qualiter vobiscum in tempore malo conversatus sim, egrediens et regrediens, et pergens ad imperium regis, persistens ac permanens vobiscum in tentationibus vestris, ita ut, consumptis pene viribus corporis, vix post redditam cœlitus pacem Ecclesiæ

(446) Scripta anno Christi 1138.

(447) Scripta eodem anno.

A repatriare potuerim. Et recolo hoc, non glorians aut improprians, sed provocans et efflagitans, monens et reposcens debitum vestræ miserationis affectum. Urget necessitas modo omnes repetere debitores. Ego vero si feci quod facere debui, haud aliud me ex eo quam servum inutilem reputo, juxta sermonem Domini (Luc. xvii, 10). Verumtamen si feci quod oportuit, aut quod faciendum fuit, nunquid merui vapulare? Et ecce rediens a vobis, tribulationem et dolorem inveni, et nomen Domini invocavi, sed non profuit; invocavi et vestrum et non valuit: siquidem dii fortes terræ vehementer elevati sunt, Lugdunensis scilicet archiepiscopus, et Cluniacensis abbas. Hi confidentes in virtute sua, et in multitudine divitiarum suarum gloriantes, adversum me appropinquaverunt et steterunt. Et non adversum me tantum, sed adversum magnam multitudinem servorum Dei, adversum vos quoque, adversum se ipsos, contra Deum, contra omnem æquitatem et honestatem.

2. Denique imposuerunt hominem super capita nostra, 166 quem, pro pudor! et boni horrent et mali rident. Quo ordine, imo quam extraordinarie, videat Deus et judicet; videat et Romana curia: videat et doleat, misereatur et accingatur ad vindictam malefactorum, laudem vero honorum. Quid enim? placet tibi, domina mundi, universitati constituta vindex in iram, iudex in misericordiam; placet, inquam, tibi quod, dum superbit impius, incenditur pauper et ille pauper, qui pro tuo servitio, cum non haberet censum quem effunderet, sanguini non percipit? Dignumne tibi videtur tua perfrui pace et nostram non curare, nec recipere in sortem consolationis, quos habuisti consortes laboris? Si inveniri gratiam in oculis vestris, eripite inopem de manu fortiorum ejus, egenum et pauperem a diripientibus eum. Alioquin ego quidem, ut potero, laborabo in gemitu meo, et erunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: vobis autem legam illum versiculum, *Qui tollit ab amico misericordiam, timorem Domini derelinquit; et illud, Omnes necessarii mei recesserunt a me (Job vi, 14, 15); illud quoque, Qui juxta me erant, de longe steterunt, et vim faciebant qui quærebant animam meam (Psal. xxxvii, 12, 13).*

### EPISTOLA CLXIX (448).

AD DOMINUM PAPAM INNOCENTIUM.

*Unde supra.*

*Cur clericos Ecclesiæ Lingonensis vocatos detinuerit; et quibus munus eligendi committendum.*

Dignatio vestra fecit me familiarem, familiaritas præsumptorem. Adsit solita cordi vestro benignitas, ne forte præsumptio pariat indignationem. Audite tamen patienter, non solum quid egerim sed et cur egerim: si forte causa factum possit vel aliquatenus excusare. Ausus sum retinere clericos Lingonenses qui vocati erant, composita tamen pace inter eos: ipsisque persuasis stare deinceps de facienda electione in beneplacito vestro et consilio honorum, sicut

(448) Scripta anno Christi 1138.

in litteris eorum continetur. Erat autem pernecessarium eos hac vice remanere, propter terras et possessiones Ecclesiæ, quæ datæ sunt prædæ et direptioni, dum non est qui custodiat aut defendat. Itaque personis quæ non sint suspectæ, quæ non quærant quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, injungatur, si placet, cura eligendi qui Deo placeat et finem tandem accipiat Ecclesiæ tam diuturna et miseranda vexatio. Reliqua vero dicenda commissimus domino Herberto abbati Sancti-Stephani Divionensis (449), et archidiacono Lingonensi, sociisque eorum. Adjicimus etiam, ut archidiaconum Lingonensem, et Bonum Amicum ejusdem ecclesiæ presbyterum, quoniam fideles in causa Dei exstiterunt, eos et res eorum in defensione vestra recipiatis. Dignus est enim operarius mercede sua (*Luc. 1, 7*).

### EPISTOLA CLXX.

AD LUDOVICUM JUNIOREM (450) REGEM FRANCORUM.

*Electionem Godefridi Prioris sui in episcopum Lingonensem, cui Rex adversari visus est, vindicare nititur.*

1. Si totus orbis adversum me conjuraret, ut quidpiam molirer adversus regiam majestatem; ego tamen Deum timerem, et ordinatum ab eo regem offendere temere non auderem. Nec enim ignoro ubi legerim: *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit* (*Rom. XIII 2*). Sed nec me latet, quam omni christiano, quam meæ præcipue professioni mentiri contrarium sit. Veritatem dico, non mentior: quod Lingonis de Priore nostro factum est (451), præter spem, præter intentionem episcoporum et meam factum est. Sed est qui nolentium quodam **167** modo extorquet assensum, et suo arbitrio etiam adversas hominum voluntates, prout vult, subservire compellit. Quando enim ego periculum, quod mihi timui, illi æque non metuerem, quem diligo tanquam me ipsum! Quando ego illorum consortium non horrerem, qui alligant onera gravia et importabilia, et imponunt humeris

(449) De quo ad epistolam 59.

(450) Scripta anno Christi 1138. — Hunc Florum absolute vocat Ordericus in libro XI, pag. 843. Ludovicum Florum non semel, nempe in libro XIII, pag. 901, 911. In priori hoc loco Ludovicus Grossus Tedbaldum Blesensem atque Radulfum Parronensem, « quia discordes erant, pacificasse, et filio suo Ludovico Floro, quem ante triennium regem Remis constituerat, regnum Galliæ commisisse » memoratur, et quidem anno 1135. In posteriori loco ad annum 1137, idem Ludovicus, morti proximus, « Ludovicum Florum, filium suum, Tedbaldi palatini comitis, et Radulfi de Parrona consobrini sui tutelæ commisisse. »

(451) Intellige de Godefrido Bernardi consanguineo, qui post multas altercationes unanimi tandem consensu ex tertio Claræ-Vallis Priore episcopus Lingonensis creatus est anno 1138, nimirum schismate compresso. Nam Godefrido adhuc Priori ex Italia Bernardus scripsit epistolam 317, in Octavis Pentecostes eodem anno: quo cum ex Italia redisset, contigit hæc Lingonensis electionis historia, nimirum reddita Ecclesiæ pace, ut diserte habet epistola 166. Quanti vero Godefridum fecerit Ber-

A hominum, digito autem suo nolunt ea movere! Factum est tamen quod factum est: contra vos nihil, contra me plurimum. Mihi baculus imbecillitatis meæ sublatus est, mihi lumen oculorum meorum ereptum est, mihi abscissum dextrum brachium meum. Omnia excelsa ista et fluctus isti super me transierunt. In me transierunt iræ: mihi evadendi nulla ex parte patet via. Unde onera fugio, inde et subeo invitus et ingratus. Durum mihi sentio contra stimulum calcitrare. Tolerabilius fortasse spontaneo, quam nolenti et reuenti fuisset. Nam si quid virium in me est, nonne id facilius meis, quam alienis humeris exercerem?

2. Sed acquiesco aliter disponenti, cum quo utique aut judicio, aut viribus contendere, nec cautum mihi omnino, nec possibile est, sed nec Regi. Siquidem terribilis est etiam apud reges terræ (*Psal. LXXV, 13*). Horrendum est incidere in manus Dei viventis (*Hebr. X, 31*), etiam tibi, o Rex. O quam molestis auribus audimus contraria tam bonis principiis vestris! o quam amarior Ecclesiæ moeror post tanta prælibata gaudia, si frustrari (quod absit!) contigerit tam jucunda spe singularis clypei sui vestræ indolis, sicut hactenus est experta! Heu corruit virgo Remensis Ecclesia (452); non est qui sublevet eam: corruit et Lingonensis; non est qui porrigat manum. Avertat divina clementia a corde et consilio vestro super dolorem nostrum adjicere, cumulare tristitiam super tristitiam. Quis mihi tribuat mori, ne videam Regem bonæ opinionis, sed spei melioris, conari Dei consilio obviare, irritare adversus semetipsum summi Judicis iram, pedes Patris orphanorum madefacere lacrymis afflictorum, pulsare cælos clamoribus pauperum, sanctorum precibus, justisque querimoniis charissimæ sponsæ Christi, quæ est Ecclesia Dei viventis! Absit, absit: meliora speramus, expectamus jucundiora. Non obliviscetur misereri Deus, nec continebit in ira sua misericordias suas. Non contristabit per illum et de illo Ecclesiam suam, per

nardus, ex hac epistola innotescit, in qua eum vocat « baculum senectutis suæ, lumen oculorum, dextrum brachium. » Vide de eo librum secundum Vitæ S. Bernardi, cap. 5; et alibi sæpius, necnon Præfationem ad librum tertium Vitæ ejusdem. Godefridi electio tandem rata fuit anno 1139, ut colligitur ex quodam instrumento apud Perardum, pag. 134, ubi ecclesia Sancti-Stephani Divionensis ab eo consecrata dicitur anno Christi 1141, « episcopatus ejus anno secundo. »

(452) Quippe post mortem Reginaldi archiepiscopi, quæ contigit anno 1139, idibus Januarii, Remensis Ecclesia fere per biennium pastore viduata mansit, non tam clericorum eligentium discidio, quam civium tumultu pro communiæ (quam vocant) institutione, et innato Ludovici VII odio in Theobaldum Campaniæ comitem, quod pariter in comites vicinasque Ecclesias se effudit, ex Marloto in tomo secundo Metropolis Remensis, pag. 328. Hac de re rursus conqueritur Bernardus in epistola 318. Tandem Bernardo dignitatem recusante, electus est anno 1140 Samson, cujus electio aliquandiu turbata fuit, ex epistola 222. Confer epistolas 210 et 224.

quem et de quo in tantis jam lætificavit. Quem suo munere contulit, sua longanimitate servabit: et si quid aliter sapitis, et hoc ipsum vobis revelabit, et erudiet corde in sapientia. Hoc optamus, hoc oramus die ac nocte. Hoc sentite de nobis, hoc sentite de nostris. Non infringetur veritas hæc in nobis, non imminuetur honor Regis, regni utilitas per nos.

3. **Gratias** autem agimus vestræ Clementiæ pro benigno responso, quod a vestra dignatione meruimus. Verumtamen dilatio terret nos, qui videmus terram datam prædæ et direptioni. Terra vestra est: et in hoc planè cognoscimus et dolemus dedecus regni vestri, quod vos jure abhorrere mandastis, si non fuerit qui defendat. Nam in quo alio regia majestas recte in eo quod factum est, imminuta dicatur? Electio rite celebrata est, electus fidelis est. Non autem esset fidelis, si vestra, et non per vos habere vellet. Necdum ad vestra manum extendit, necdum civitatem vestram ingressus est: necdum prorsus se intromisit de aliquo, quanquam invitatio cleri et populi, et oppressorum afflictio, et vota honorum id ab eo vehementissime flagitarint. Quæ cum ita sint, opus est, ut videtis, maturatione consilii, non minus vestro honori, quam nostræ necessitati. Et nisi per præsentis nuntios expectanti populo, qui vester est, Serenitas vestra pro **168** voto responderit: multorum religiosorum adversum vos (quod non expedit) devota vobis nunc corda turbabit, et regalibus vestris ipsis, quæ ad Ecclesiam pertinent, non parvum, ut veremur, incommodum acquiretis.

#### EPISTOLA CLXXI (453).

AD DOMINUM PAPAM INNOCENTIUM.

*Pro Falcone Lugdunensi archiepiscopo electo.*

Qui in aliorum negotiis toties exauditus sum, puto in proprio non confundat. Ego, domine mi, causam archiepiscopi mei meam duco, utpote membrum, quod nil a se ducat alienum quod capitis sit: quod tamen non dicerem, si homo ipse sibi assumpsisset honorem, et non magis a Deo vocatus tanquam Aaron. Nec enim ab alio æstimaverim factum, quod vota tot hominum tam facile convenerunt in eum; ut non dico contradictio, sed nec runctatio ulla fuerit. Et merito. Est quippe illustris, non minus mentis generositate, quam sanguinis; est scientia, est vitæ honestate. Denique famæ ejus integritas nec inimici quidem dentem veretur. Quod ergo de tali et tali modo factum est, dignum profecto est ut favor apostolicæ gratiæ prosequatur; et honoris plenitudine, quæ sola deest, gaudia plebis suæ consueta benignitate, imo debita liberalitate accumularet. Hoc universa Ecclesia instantissima

A supplicatione deposcit: hoc puer vester solita præsumptione efflagitat.

#### EPISTOLA CLXXII (454).

AD EUMDEM IN PERSONA GODEFRIDI LINGONENSIS EPISCOPI.

*Ejusdem cum superiore argumenti.*

Inter crebra mala quæ his diebus in Ecclesiis videntur accidere occasione electionum, Dominus de cœli prospexit super matrem nostram Lugdunensem Ecclesiam, qui decedenti piæ memoriæ Petro archiepiscopo, virum optimum, Falconem decanum, in omni pace substituit. Peto, domine, ut qui a suis concorditer est electus, utiliter promotus, rite consecratus, a vobis honoris sui officii que plenitudinem consequatur. Quod utique audere me facit non meriti conscientia, sed debiti. Debiti dico non solum quo id a me illa Ecclesia jure metropolitico exigit, sed quia in hoc positus sum, ut testimonium perhibeam veritati.

#### EPISTOLA CLXXIII (455).

AD IPSUM FALCONEM.

*Religiosorum quorundam causam commendat.*

Scripsimus ad dominum Papam dominus episcopus (456) et ego pro vobis, prout oportere putavimus; et habetis exemplar litterarum. Habemus autem in voluntate in æternum non deficere vobis pro viribus, propter bonum quod de vobis confidimus. Vestra autem interest facere, ut non confundamur sic confidentes. De cætero si inveni gratiam in oculis vestris, intelligite super egenos et pauperes illos, qui sunt apud Benedictionem Dei (457). Quod enim uni ex illis feceritis, mihi, imo Christo, facietis. Nam et pauperes sunt, et habitant inter pauperes. Hoc præcipue obsecramus, ut Saviniacenses monachos prohibeatis ab infestatione eorum: quoniam calumniantur eos injuste, ut **169** putamus. Aut si se confidunt habere justitiam, judicate inter illos. Filius noster abbas Albericus, etsi suis meritis commendabilior, nostris tamen precibus vobis ut commendatior sit, obsecramus. Tenere quippe diligo eum, tanquam mater unicum filium: et diligit eum qui diligit me. Denique in eo experiar si me curatis. Quo enim longe a me positus est, eo magis necessariam habet paternam vestram consolationem.

#### EPISTOLA CLXXIV (458).

AD CANONICOS LUGDUNENSES, DE CONCEPTIONE S. MARIE.

*Conceptionis festum novum esse, nullo niti legitimo fundamento: cæterum non fuisse instituendum inconsulta Sede apostolica cui sententiam suam subjicit.*

1. Inter Ecclesias Galliæ constat profecto Lugdu-

(453) Scripta anno Christi 1139. Vide epistolam 165.

(454) Scripta eodem anno.

(455) Scripta eodem anno.

(456) Nimirum Godefridus Lingonensis.

(457) Benedictio-Dei, Ordinis Cisterciensis, filia

Claræ-Vallis in diocesi Lugdunensi, fundata est anno 1138. Abbas primus Albericus. Ab ea non longe distabat Saviniacense monasterium, Ordinis S. Benedicti, ejusdem diocesis: cujus loci tum abbas Ilerius, de quo Bernardus alibi queritur.

(458) Scripta circa annum Christi 1140.

nensem hactenus præeminuisse, sicut dignitate sedis, sic honestis studiis, et laudabilibus institutis. Ubi etenim æque vigit disciplinæ censura, morum gravitas, maturitas consiliorum, auctoritatis pondus, antiquitatis insigne? Præsertim in officiis ecclesiasticis haud facile unquam repentinis visa est novitatibus acquiescere, nec se aliquando juvenili passa est decolorari levitate Ecclesia plena iudicii. Unde miramur satis, quid visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrum voluisse mutare colorem optimum, novam inducendo celebritatem, quam ritus Ecclesiæ nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio. Nunquid Patribus doctiores, aut devotiores sumus? Periculose præsumimus, quidquid ipsorum in talibus prudentia præterivit. Nec vero id tale est, quod nisi prætereundum fuerit, Patrum quiverit omnino diligentiam præteriisse.

2. At valde honoranda est, inquis, Mater Domini. Bene admones: sed honor Reginæ iudicium diligit. Virgo regia falso non eget honore, veris cumlata honorum titulis, infulis dignitatum. Honora sane integritatem carnis, vitæ sanctitatem: mirare fecunditatem in Virgine, Prolem venerare divinam. Extolle nescientem, vel in concipiendo concupiscentiam, vel in pariendo dolorem. Prædica reverendam Angelis, desideratam gentibus, Patriarchis, Prophetisque præcognitam, electam ex omnibus, prælatam omnibus. Magnifica gratiæ inventricem, mediatricem salutis, restauratricem sæculorum: exalta denique exaltatam super choros Angelorum ad cœlestia regna. Hæc mihi de illa cantat Ecclesia, et me eadem docuit decantare. Ego vero quod ab illa accepi, securus et teneo, et trado: quod non, scrupulosius, fateor, admiserim.

3. Accepi sane ab Ecclesia illum diem cum summa veneratione recolendum, quo assumpta de sæculo nequam, cœlis quoque intulit celeberrimorum festa; audiorum. Sed et ortum Virginis didici nihilominus in Ecclesia, et ab Ecclesia indubitanter habere festivum atque sanctum; firmissime cum Ecclesia sentiens, in utero eam accepisse ut sancta prodiret. Et de Jeremia siquidem lego, quod, priusquam de ventre [al. de vulva] exiret, sanctificatus sit: et de Joanne Baptista non secus sentio, qui ex utero Dominum in utero sensit (*Luc. 1, 41*). Videris etiam tu, an de sancto David id ipsum liceat opinari, pro eo quod dicebat Deo: *In te, ait, confirmatus sum ex utero; de ventre matris meæ tu es protector meus (Psal. LXX, 6)*; item, *De ventre matris meæ Deus meus es tu, ne discesseris a me (Psal. XXI, 11)*. Et Jeremiæ quidem sic dictum est: *Priusquam te formarem in utero, novi te; et antequam exires de vulva sanctificavi te (Jerem. 1, 5)*. Quam pulchre inter figurationem in utero, et parturitionem ex utero divinum distinxit oraculum! ut illam tantum præcognitam, istam et sanctitatis munere præornatam ostenderet: ne quis Prophetæ prerogativam de sola præscientia seu prædestinatione **170** putaverit æstimandam.

4. Esto tamen ut hoc de Jeremia concedamus,

**A** Quid respondebitur de Joanne Baptista, quem angelus prænuntiavit Spiritu sancto repletum iri adhuc in utero matris suæ? Prorsus hoc ad prædestinationem præscientiamve referri posse non arbitror. Verba nempe angeli, sicut ipse prædixit, completa absque dubio sunt in tempore suo: et quem prælocutus est Spiritu sancto replendum, non est fas credere non repletum; idque loco et tempore quo prædixit. Certissime autem sanctus Spiritus quem replevit, sanctificavit. Cæterum quatenus adversus originale peccatum hæc ipsa sanctificatio valuerit, sive pro isto, sive pro illo propheta, vel si quis alius simili præventus gratia fuerit; non temere dixerim. Sanctificatos tamen non dubitaverim dicere, quos Deus sanctificavit, et cum eadem sanctificatione produsse ex utero, quam acceperunt in utero: nec reatum, quem in conceptione traxerunt, valuisse ullatenus horum natali jam donatam præpedire seu præripere benedictionem. Attamen quis dicat Spiritu sancto repletum, manere adhuc filium nihilominus iræ; et, si mori in utero contigisset cum hac plenitudine spiritus, pœnas luiturum damnationis? Durum est. Minime tamen ausim hinc quidpiam mea sententia definire. Sed quidquid de hoc sit, merito Ecclesia, quæ cæterorum non nativitatem, sed mortem sanctorum iudicat et prædicat pretiosam, singulari quadam exceptione festis præfert gaudiis, veneraturque illius natalem, de quo nuntiante angelo singulariter legit: *Et multi in nativitate ejus gaudebunt (Luc. 1, 14, 15)*. Cur enim non sit illius exitus sanctus, ac proinde festivus et lætus, qui potuit exsultare et in utero?

5. Quod itaque vel paucis mortalium constat fuisse collatum, fas certe non est suspicari tantæ Virgini esse negatum, per quam omnis mortalitas emersit ad vitam. Fuit procul dubio et Mater Domini ante sancta, quam nata: nec fallitur omnino sancta Ecclesia, sanctum reputans ipsum Nativitatis ejus diem, et omnia anno cum exultatione universæ terræ votiva celebritate suscipiens. Ego puto, quod et copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quæ ipsius non solum sanctificaret ortum, sed et vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem: quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum. Decuit nimirum Reginam virginum singularis privilegio sanctitatis, absque omni peccato ducere vitam: quæ dum peccati mortisque pareret preceptorem, munus vitæ et justitiæ omnibus obtineret. Sanctus igitur ortus, quoniam immensa prodiens ex utero sanctitas sanctum fecit illum.

6. Quid adhuc addendum his putamus honoribus? Ut honoretur, inquiunt, et conceptus, qui honorandum prævit partum: quoniam si ille non præcessisset, nec iste esset qui honoratur. Quid si alius, propter eandem causam, etiam utrique parenti ejus festos honores asserat deferendos? Sed de avis et proavis id ipsum posset pro simili causa quilibet flagitare: et sic tenderetur in infinitum, et festorum



non esset numerus. Patriæ est, non exiliî frequentia hæc gaudiorum : et numerositas festivitatum civis decet, non exules. Sed profertur scriptum supernæ, ut aiunt, revelationis (459) : quasi et quivis non queat scriptum æque producere, in quo Virgo videatur idipsum mandare et de parentibus suis, juxta Domini mandatum, dicentis, *Honora patrem tuum et matrem tuam* (Exod. xx, 12). Ipse mihi facile persuadeo scriptis talibus non moveri, quibus nec ratio suppeditare, nec certa invenitur favere auctoritas. Nam quid consequentiæ habet, ut quoniam sanctum præcessit natalem conceptus, propterea reputetur et ipse sanctus ? Nunquid quoniam præcessit eum, fecit et sanctum ? Etsi præcessit ut esset, non tamen ut sanctus esset. Unde etenim illa ipsi sanctitas, quam secuturo transmitteret ? An non potius quia præcessit **171** absque sanctitate conceptus, oportuit nimirum sanctificari conceptam, ut sanctus sequeretur jam partus ? an forte mutuatus est sanctitatem a posteriori prior ? Potuit sane illa, quæ in jam concepta facta est sanctificatio, ad ipsum qui sequebatur transire natalem : redire vero retrorsum ad conceptum qui præcesserat, jam omnino non potuit.

7. Unde ergo conceptionis sanctitas ? An dicitur sanctificatione præventa, quatenus jam sancta conciperetur, ac per hoc sanctus fuerit et conceptus ; quemadmodum sanctificata jam in utero dicitur, ut sanctus consequeretur et ortus ? Sed non valuit ante sancta esse, quam esse : siquidem non erat antequam conciperetur. An forte inter amplexus maritales sanctitas se ipsi conceptioni immiscuit, ut simul et sanctificata fuerit, et concepta ? Nec hoc quidem admittit ratio. Quomodo namque aut sanctitas absque Spiritu sanctificante, aut sancto Spiritui societas cum peccato fuit ? aut certe peccatum quomodo non fuit, ubi libido non defuit ? Nisi forte quis dicat de Spiritu sancto eam, et non de viro conceptam fuisse : sed id hactenus inauditum. Lego denique Spiritum sanctum in eam, non cum ea venisse, dicente angelo : *Spiritus sanctus superveniet in te* (Luc. i, 35). Et si licet loqui quod Ecclesia sentit, et verum ipsa sentit : dico gloriosam de Spiritu sancto concepisse, non autem et conceptam fuisse ; dico peperisse virginem, non tamen et partam a virgine. Alioquin ubi erit prærogativa Matris Domini, qua singulariter creditur exsultare et munere proles, et integritate carnis, si tantumdem dederis et matri ipsius ? Non est hoc Virginem honorare, sed honori detrahere. Si igitur ante conceptum sui sanctificari minime potuit, quo-

amiam non erat ; sed nec in ipso quidem conceptu, propter peccatum quod inerat : restat ut post conceptum in utero jam existens, sanctificationem accepisse credatur, quæ excluso peccato sanctam fecerit nativitatem, non tamen et conceptionem.

8. Quamobrem etsi quibus vel paucis filiorum hominum datum est cum sanctitate nasci ; non tamen et concipi : ut uni sane servaretur sancti prærogativa conceptus, qui omnes sanctificaret, solusque absque peccato veniens, purgationem faceret peccatorum. Solus itaque Dominus Jesus de Spiritu sancto conceptus, quia solus et ante conceptum sanctus. Quo excepto, de cætero universos respicit ex Adam natos, quod unus humiliter de semetipso ac veraciter confitetur : *In iniquitatibus*, inquit, *conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* (Psal. l, 7).

9. Cum hæc ita se habeant, quænam jam erit festivæ ratio Conceptionis ? Quo pacto, inquam, aut sanctus asseretur conceptus, qui de Spiritu sancto non est, ne dicam de peccato est : aut festus habebitur, qui minime sanctus est ? Libenter gloriosa hoc honorè carebit, quo vel peccatum honorari, vel falsa induci videtur sanctitas. Alioquin nulla ei ratione placebit contra Ecclesiæ ritum præsumpta novitas, mater temeritatis, soror superstitionis, filia levitatis. Nam si sic videbatur, consulenda erat prius apostolicæ Sedis auctoritas, et non ita præcipitanter atque inconsulte paucorum sequenda simplicitas imperitorum. Et ante quidem apud aliquos errorem compereram : sed dissimulabam, parcens devotioni, quæ de simplici corde et **172** amore Virginis veniebat. Verum apud sapientes, atque in famosa nobilique Ecclesia, et cujus specialiter filius sum (460), superstitione deprehensa ; nescio an sine gravi offensa etiam vestri omnium dissimulare potuerim. Quæ autem dixi, absque præjudicio : ane dicta sint sanis sapientis. Romanæ præsertim Ecclesiæ auctoritati atque examini totum hoc, sicut et cætera quæ ejusmodi sunt, universa reservo : ipsius, si quid aliter sapio, paratus judicio emendare.

#### EPISTOLA CLXXV.

AD PATRIARCHAM JEROSOLYMORUM (461).

*Præventus ejus litteris familiariter respondet, et milites Templi commendat.*

Patriarchalibus scriptis sæpius visitatus, ingratus jam videbor, si non rescripsero. At si saluto eum qui me salutavit, quid amplius feci ? Tu enim me prævenisti in benedictionibus dulcedinis ; tu me prior dignatus es tuis transmarinis epistolis visi-

(459) Hujusmodi scriptum Elsino abbati Anglo tribuitur, apud Anselmum pagg. 505, 507 novæ editionis.

(460) Lugdunensis nempe Ecclesia Bernardi mater metropolitico jure, ut ipse loquitur in epistola 172, quippe Fontanæ, natalis ejus, locus prope Divionem, et monasterii sedes Claræ-Vallis, erant sub metropoli Lugdunensi, diocesis Lingonensis.

(461) Scripta circa annum 1135. — Is est Wilhelmus Gallo-Belga, ex eremita Turonensi patriarcha

Jerolymitanus, ab anno 1130 ad annum 1145. De eo in Historia beate Mariæ de Fontanis, Spicilegii tomo X, pag. 369, ubi mentio de reliquiis ab eo missis Fontanas per Lambertum ejus loci eremitam. Ordericus etiam sub finem libri decimi tertii de eo ita habet : « Anno ab Incarnatione Domini 1128, indictione sexta, Germundus patriarcha Jerusalem obiit. Stephanus autem Carnotensis post illum sanctam Sion duobus annis rexit ; quo migrante, Guillelmus Flandrensium successit. » Idem auctor ad an-

tare, tu mihi primas humilitatis charitatisque præ-  
misti partes. Quid condignum jam referam? Nihil  
mihi denique reliquisti, quod pari queam rependere  
vice: qui etiam de thesauro sæculorum mihi im-  
pertire curasti, id est, de ligno Domini. Quid tamen?  
debeone omittere quod possum, quoniam quod  
debeo minime possum? Affectum saltem volunta-  
temque aperio, rescribendo duntaxat atque resal-  
utando, quod solum interim per tot utique spatia  
terræ et maris licet. Ostendam autem, si unquam  
accepero tempus, me nequaquam diligere verbo sive  
lingua, sed opere et veritate. Super milites Templi  
ponite, quæso, oculos vestros, et tantæ pietatis  
viscera tam strenuis Ecclesiæ propugnatoribus  
aperite. Hoc siquidem acceptum erit Deo et gratum,  
hominibus, si sovetis eos, qui suas animas pro fra-  
tribus posuerunt. De loco autem ad quem nos in-  
vitis, frater Andreas (462) dicet vobis voluntatem  
nostram.

EPISTOLA CLXXVI (463).

AD DOMINUM PAPAM INNOCENTIUM, EX PERSONA ALBERO-  
NIS TREVERENSIS ARCHIEPISCOPI (464).

*Suum erga Innocentium, citramontanæque Ecclesiæ  
studium et obedientiam declarat.*

1. Voluntas cordis mei et desiderium satis inquietum  
adeundi et videndi desideratam Beatitudinis  
vestræ præsentiam; sed et cognoscendi certius quæ  
circa vos sunt, rursusque qualiter se habeant nostra  
vobis vicissim diligentius intimandi; jamdudum  
itineris me admonet, atque indesinenter sollicitat.  
Cæterum terræ ac diei malitia, et præter instantiam  
meam quotidianam etiam nonnulla vestræ neces-  
situdinis causa impeditus, voto facere satis non potui  
usque adhuc, sed necdum possum. Sed quid? sanum  
justumque propositum nunquid omittendum ex toto  
fuit, quia ex toto adimpleri non potuit? Fuit ergo  
consilii, per hunc venerabilem Hugonem, Tullensis  
Ecclesiæ archidiaconum (465), interim saltem ali-  
quatenus consolari conceptum jam olim desiderium,  
curamque relevare quam patior. Nec enim fidelior,  
studiosior, cautiorve illo **173** ad manum esse  
potuit, sive in perferendo ad vos quæ nos illi injun-  
gimus; sive in referendo ad nos, si qua vestræ  
dignationi placuerit remandare. Itaque de benepla-  
cito vestro, de statu curiæ, ac vestræ sospitate per-  
sonæ, et si quid blandius aura secundior a divina  
clementia recens forte spiraverit Ecclesiæ, adversus

A schismaticorum procacem, sed inefficacem rabiem  
desudanti; de his omnibus plenius instrui cupimus,  
et supplicamus.

2. Porro nostram citramontanam Ecclesiam tam  
in nostro, quam in Francorum regno noveritis for-  
tem in fide, pacificam in unitate, devotam in vestra  
obedientia, promptam ad servitium. Nequaquam nos  
Beneventi, non Capuæ (466), non ipsius Romæ terret,  
Deo sic judicante, amissio; scientes Ecclesiæ statum  
non armis aestimari, sed meritis. Ipsius quippe, non  
alterius agnoscimus voces illas in Psalmo: *Si con-  
sistant adversum me castra, non timebit cor meum:  
si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo*  
(Psal. xxvi, 3). Propterea et nos quia de Ecclesia  
sumus, non timebimus dum turbabitur terra, et  
B transferentur montes in cor maris. Glorietur tyran-  
nus Sículus quantum vult, gloriatur in malitia quod  
potens est in iniquitate: nostra autem virtus in  
infirmitate perficitur. Ecclesia quando infirmatur,  
Pauli magisterio didicit esse potentior (II Cor. xii,  
10). Didicit e regione et a Salomone, quod prosperitas  
stultorum occidit eos (Prov. i, 32): didicit et  
stultum firma radice cum viderit, statim maledicere  
pulchritudini ejus (Job v, 3). Ideo cum sancto  
David sese in utroque consolatur, et hostium vide-  
licet casu, et liberatione sui: ait siquidem, *Hi in  
curribus et hi in equis: nos autem in nomine Domini  
Dei nostri invocabimus. Ipsi obligati sunt, et ceci-  
derunt: nos autem surreximus, et erecti sumus*  
(Psal. xix, 8, 9). Hæc pauca vobis consolandi gratia,  
C de quibus cerus fui, fideli attestazione intimanda  
esse putavi, ad relevandam vel ex aliqua parte eam,  
quæ vestra viscera incessanter affigit, sollicitudo  
omnium Ecclesiarum. Hoc quoque addo, dominum  
Regem (467), Deo eum confortante, fervere et ac-  
cingi ad liberationem Ecclesiæ, et parare sibi exer-  
citus multum nimis: nos quoque fideliter ad hoc  
ipsum pro viribus laborare, exhortari, et sollicitare  
quos possumus: et cum tempus advenerit, non ex-  
pensis, non personæ propriæ parciturum.

EPISTOLA CLXXVII (468).

AD EUMDEM IN PERSONA EJUSDEM.

*Queritur impositum sibi pastorale munus; sed in  
exsequendis quæ sui sunt muneris, impediri emu-  
latione aliorum, non sine ipsius culpa Pontificis.*

1. Nunquid petivi episcopatum a Domino meo?  
D Et si forte cathedram affectavi, sed non Treveren-

num 1137, pag. 912, memorat Radulfum Jerosoly-  
morum præsulem, qui a Papebrochio in Tractatu  
præliminari tom. III Maii omissus est. Et sane teste  
Guillelmo Tyrensi, Willelmus anno 1142 Balduinum  
regem tumulavit, idemque anno 1145 Fulche-  
rium habuit successorem. An binominis Willelmus?  
an hic Orderici lapsus? Ad Willelmum item exstat  
aliterius epistola 393.

(462) Num Andreas Bernardi avunculus, miles  
Templi, ad quem epistola 288? an potius Andreas  
Bernardi frater, monachus Claræ-Vallensis, idemne  
qui in epistola 184? aut Andreas de Baldemento, in  
epistola 226, n. 2? Locus hic indicatus nescio an  
is sit, quem Bernardus Præmonstratensibus conces-  
sit, ex epistola 252.

(463) Scripta eodem anno. Vide ad epistolam 30.

(464) Is ex primicerio Metensi, ad quem epistola  
30, archiepiscopus Treverensis, cui Hugo Metellus  
inscribit epistolam 6: « Alberoni venerabili Treve-  
rorum episcopo. Legatio beati Petri tibi commissa est,  
quæ aliquid dignitatis et potestatis addit tibi. »  
Eundem in epistola 30, Treverorum archiepiscopum  
vocat.

(465) De eo vide librum iv Vitæ S. Bernardi, cap.  
3, n. 31.

(466) Hæc de Apulia capta a Rogerio, quem hic et  
alias vocat tyrannum Sículum.

(467) Lotharium imperatorem.

(468) Scripta anno Christi 1139.

sem. Sciebam quippe domum exasperantem, populumque duræ cervicis. Oleram illos, quod semper in facie discordiæ jacuissent, Ecclesiæ resistentes. Pro qua si quos labores quandoque sustinui, non me piget: sed hunc inde fructum nec speravi, nec volui. Laboravi sustinens, libens quidem, sed non hac spe præmii. Duram provinciam nactus sum, peccatis meis exigentibus. Inter cætera quibus angor, suffraganeos accepi juvenes et nobiles (469). Adutores esse deberent, et utinam non adversarentur. Sed supersedeo: per alium malo, ut innotescant vobis mores eorum et studia, si nescitis. Dico tamen: Jus, fas, honestas, religio in nostris episcopatibus perierunt. Malum quod pro debito officii dissimulare non audeo, breviter simpliciterque intimavi: ut quod non placet providentiæ vestræ per me corrigi, per me saltem vobis, qui corrigere potestis, innotescat, ne omnino vacuum videar portare nomen archiepiscopi. Et mihi melius quidem **174** esset non ascendisse, quam sic descendere cum rubore.

2. Sed de me quæ cura? Bene quod dignus sum, patiar, tanquam male operans. Sim certe opprobrio etiam meis, sua spe nimirum frustratis, quam de me, ut sibi me præesse vellent, conceperant: dum comperiant Ecclesiæ suæ per me magis imminui dignitatem, cujus per me etiam antiqua damna restitui posse putaverant. Hæc omnia sustineo, etsi non libenter, certe patienter, ne unquam videar recalcitrare obedientiæ, pro qua etiam dare animam, si necesse sit, debere me fateor. Verum hoc sollicitudinem vestram attendere velim, creationis injuriam respicere ad creatorem; et vires quas mihi subtrahitis, vobis minuitis; et contemptus meus, et dejectio mea redundat in vos. Multa habeo conqueri vobis de vobis: sed reservo ea pandenda nuntio, quem novi ad hoc satis industrium et fidelem. Significo etiam vobis sustinere nos periculum in falsis fratribus. Legati quippe schismaticorum intrant et exeunt ad quosdam de nostris liberius quam solebant, et verba tyranni Siculi familiariter admittunt.

#### EPISTOLA CLXXVIII (470).

AD DOMINUM PAPAM INNOCENTIUM PRO ALBERONE  
TREVERENSI ARCHIEPISCOPO.

*Queritur perversos quosdam et Ecclesiæ perniciosos*

(469) Stephanum scilicet Metensem, Calixti II papæ ex sorore nepotem, ab anno 1120; Alberonem Viridunensem, filium Arnulfi comitis Chisneiensis, ab anno 1126; et Henricum Tullensem, Theoderici Lotharingiæ ducis filium, ab anno 1124, de quibus tamen multa laudabilia prædicantur. De Stephano vide Chronicon Metensium episcoporum in Spicilegii tomo sexto; de Alberone, tomum duodecimum, ubi uterque tamen bellis gerendis nimis deditus perhibetur. Alberonis querelæ explicantur in epistola sequente.

(470) Scripta anno Christi 1139 ex Brovero.

(471) Parochiæ nomine (quod omnibus notum) intelligebant veteres diocesium episcopi.

(472) In frequentem etiam usum seu abusum appellationum Hildebertus Cenomannensis antistes epistolam 82 scripsit ad Honorium II. Vide librum III De consideratione, cap. 2.

**A** *homines in exsequendis pravis consiliis pontificia auctoritate muniri: alios interim præsules, zelum Dei habentes, destitui, et contemni.*

Amantissimo Patri et domino INNOCENTIO summo Pontifici, suus BERNARDUS, quod suus.

1. Fidenter loquor, quia fideliter amo. Nec enim sincerus est amor, ubi dubietatis scrupulus suspicionis facem retinet. Querimonia domini Treverensis non est ejus solius, sed communis multorum, eorumque præcipue, qui sinceriori affectu vos diligunt. Vox una omnium, qui fideli apud nos cura populis præsent, justitiam in Ecclesia deperire, annullari Ecclesiæ claves, episcopalem omnino vilescere auctoritatem, dum nemo episcoporum in promptu habeat ulcisci injurias Dei, nulli liceat **B** illicita quævis, ne in propria quidem parochia (471), castigare. Causam referunt in vos, curiamque Romanam (472). Recte gesta ab ipsis, ut aiunt destruitis, juste destructa statuitis. Quique flagitiosi et contentiosi de populo, sive de clero, aut etiam ex monasteriis pulsati, currunt ad vos: redeunt jactant et gestiunt se obtinuisse tutores, quos magis ultores sensisse debuerant. An non gladius Phinees promptissime atque justissime eductus fuerat ad condemnandum incestuosum concubitus Drogonis et Milis? Sed confusus atque retusus abiit retrorsum, scuto nimirum apostolicæ defensionis opposito. Proh pudor! quos cachinnos res ista movit et movet Ecclesiæ inimicis, eisque etiam ipsis, quorum fortasse metu aut favore a recto tramite abducti sumus! Amici confunduntur, fidelibus insultatur, episcopi ubique in opprobrium veniant et contemptum: quorum dum recta judicia contemnuntur, vestræ quoque plurimum derogatur auctoritati.

2. Ipsi sunt enim qui honorem vestrum zelant, qui vestra pro pace et exaltatione laborant fideliter quidem, sed vereor ne inefficaciter. Quid vobis vires minuitis? quid robur vestrum deprimitis? quousque retunditis arma fidelia militantiæ vobis, humilitatis cornua erecta vestræ virtutis et salutis? Plorans plorat desolationem suam apud Tullum Ecclesia sancti Gengulli (473); nec est qui consoletur eam. Quis enim se opponat brachio excelso, torrentis impetui, summæ arbitrio **175** potestatis? **D** Eadem se sustinere Beatus Paulus violentiam apud Viridunum conqueritur (474), archiepiscopo jam non

(473) Vide epistolam 139.

(474) Monasterium Sancti-Pauli apud Viridunum Ordinis S. Benedicti laxatis disciplinæ regularis habentis, in aliquam morum licentiam defluxerat. Qua occasione Albero II Viridunensis episcopus, qui Ursioni anno 1131 successerat, illud ad Præmonstratenses transferendum curavit, Innocentio papa approbante, et tertium usque confirmante. Diu reclamare et obstiteri domestici illius loci cœnobitæ, imo ipse Petrus Venerabilis, vir alias modestissimus, ea de re apud Mathæum Albanensem graviter exposulavit. His querelis Innocentius nonnihil motus, causam istam in jus et discussionem revocare parabat. Sed tandem Bernardi commendatione superatus, rem totam confecit, suis litteris iterum confirmans quod fuerat ab Alberone factum.

valente eum defendere ab insania monachorum, quippe apostolicis sustentationibus amplius confortata, quasi non satis per se insanirent. Quid, quæso, novæ rationis tandem inventum est, ut quod semel bonæ famæ et vitæ canonicis vestra fuerat provida et necessaria dispensatione concessum, secundo confirmatum, tertio, ut aiunt, roboratum, rursus veniat in jus, revocetur in discussionem? siquidem et duo illa supra memorata, per vos nihilominus sancita, per vos et convulsa dicuntur. Talibus hostiis non promeretur Deus; heu! non placatur ira, non conciliatur gratia, non provocatur misericordia. Pro his atque similibus necdum avertitur furor Domini; sed adhuc brachium ejus extentum, et virga illa apud Jeremiam vigilans super peccata nostra.

3. Et quidem iratus est Deus schismaticis: sed catholicis nequaquam propitius. Ecclesia quoque Metensis gravi (quod vobis [*al.* nobis] bene comperit) episcopi et clericorum contentione periclitatur. Super quo quid decernere vobis placuerit, vos scitis: sed pax nondum est, nec proxime futura speratur. Ego (ut quod super his meæ visum est parvitati, non taceam) et hoc, et duo illa alia, Tullense dico ac Viridunense, terminanda negotia securius metropolitanis, atque convenientius posse committi putaverim, qui et omnia novit, et in multis probatus, Ecclesiæ testimonio fidelis inventus est. Alioquin videte quid illis episcopatibus faciatis (475), Metensi scilicet atque Tullensi; quia, ut verum fatear, videntur esse absque episcopis: et utinam absque tyrannis. Tales cum defensantur, sustentantur, honorantur, foventur; mirantur nimirum et scandalizantur multi, qui illa in moribus et vita eorum certissime sciunt, quæ magis essent, non dico in episcopis, sed etiam in quibuslibet sæcularibus damnanda penitus et execranda: quæ quidem et me scribere puduit, nec vos decuisset audire. Esto quod nemine accusante non possint deponi: nunquid tamen quos passim accusat fama, aposto-

(475) Quæ hic contra episcopos Metensem et Tullensem a Bernardo intorquentur, intelligenda sunt de Stephano Metensi et Henrico Tullensi, siquidem sæviante adhuc Acacleti schismate hæc epistola scripta est, ut supra dictum est, et quidem fere anno 1135, ut infra dicendum erit. De Stephano sic prior Appendix Historiæ episcoporum Metensium: « Domino Popponi tam Burgundionum, quam Lotharingorum, excellenti genere clarus, sed virtute et animi nobilitate clarior dominus Stephanus anno Domini 1120, videlicet anno secundo Calixti II papæ successit. Hic Calixti ex sorore nepos, cum regalia nondum ab Henrico V qui tunc temporis arcem tenebat imperii, recepisset, schismate inter regnum et sacerdotium adhuc durante, in urbe Romana ab eodem pontifice summo consecratus est, et tam pallii dignitate, quam cardinalis titulo honoratus. » (Spicilegii tomo VI, pag. 661.) Cur autem Bernardus de eo tam acerbe conqueratur, non facile est conjicere. Nam præter supradicta, de eo ita legitur in prædicta Historia: « Cujus gesta inclyta et annalibus digna enumerare et litteris explicare si vellem, ante quidem membrana deliceret quam materia. » Imo Bernardus ipse epistola 29, ipsi congratulatur ob pacem Ecclesiæ Metensi restitutam, et epistola 367, Gui-

Alia Sedis essent familiaritate speciali donandi, vel amplius exaltandi?

4. Quonam enim merito suæ vel sacerdotalis sanctitatis, vel episcopalis honestatis, obtinuit Metensis ut et electio facta a canonicis, ad nutum jus unicum Ecclesiæ libertate cassetur, et primicerius ad consilium ejus contra illius Ecclesiæ privilegia eligatur? Quam justius honestiusque, si vestræ placuisset discretioni, homo majori dignus honore debito proprioque non privaretur? Treverensem dico, quem et ab hoc, et a cæteris diocesis suæ terminandis negotiis, quasi suspectum aut minus expertum, non sine murmure multorum Deum timentium exclusistis. Credite fidei vestro, quia provinciæ illi, quantum comperi, omnino non expedit.

5. Hæc scribens, præsumptionis metuerem notam, si nescirem cui, et nescirem qui scribam. Sed novi ingenitam mansuetudinem vestram: novi et me notum vobis, et affectum quo hæc audeam apud vos, dulcissime atque amantissime Pater. Iterum de Treverensi, ut sciatis, qualiter nuntium ejus suscipi oporteat, et verba quæ portat: dico vobis quod magnum locum tenet in regno illo, vobis et Ecclesiæ Dei homo fidelis, et constans, et nullatenus malevolis et subversoribus assensum præbens, a quibus non deest ei frequens et satis importuna tentatio; nec deerit insultatio, si quo minus a vobis eum exaudiri contigerit. Nuntium in fine commendare volui: sed satis eum suæ honestatis commendant merita, præcipueque amor specialis et fidelis devotio, qua ipsum vobis firmiter inhærere, si non crederem, nequaquam per eum tam familiaria scriberem.

## 176 EPISTOLA CLXXIX (476).

AD EUMDEM PRO EODEM.

*Causam Alberonis archiepiscopi Treverensis agit adversus abbatem Sancti-Maximini et monachos rebelles et contumaces.*

Quomodo malitia vincit sapientiam? Nosti, pie

doni cancellario eum commendat. Crediderim certe Bernardo Stephanum displicuisse ob varios armorum conflictus ab ipso excitatos, ut Ecclesiæ suæ prædicia a nobilibus intercepta repeteret, obsidiones factas, castella diruta, atque id genus non pauca, ut in eadem Historia describuntur, quæ magis et leonculum aliquem, » ut Bernardi verbis utar, epist. 230, quam ovium pastorem exprimerent. Cæterum Alberone primicerio in episcopum Leodiensem assumpto anno 1135 (ut quidem ex temporis rata serie conjicere est, vide notas ad epistolam 30), cum canonici electionis suffragiis alterum primicerium suffecissent, alterum Stephanus propria auctoritate obtrudere voluisset; magna exinde nata est contentio, quam Innocentius dirimendam aggressus est, prætermisso metropolitani, archiepiscopi scilicet Treverensis, judicio: qua de re hic Bernardus apud ipsum conqueritur. Quod attinet ad Henricum Tullensem episcopum, eadem fortasse de causa apud S. Virum male audiit, nempe ob belli negotia cum Fridericom comite Tullensi diutius agitata, anno tandem 1136 composita, ut ex Innocentii litteris, quas Chesnius ex Tullensis Ecclesiæ Chartophylacio evulgavit, intelligitur.

(476) Scripta anno Christi 1139.

domine, nosti Treverensem archiepiscopum? scio quia nosti. Nosti et illum Sancti-Maximini non sanctum abbatem? Puto quia non nosti. Quis dignior honore illo priori? sic nemo confusione dignior isto sequenti: et tamen iste honoratus est, ille opprobriolatus. Quid peccavit archiepiscopus? Prædam Ecclesie sue recuperavit, captivam Ecclesiam de manu laica liberavit (477). Nonquid pro bono reddatur malum, et odium pro dilectione? Hic, quæso, sic exigilet oculus pietatis, et semotis paulisper occupationibus consideret, quantum subreptum sit ei, ut tibi qualem pudet dicere, talem qualem tu ipse in se habet et opprobrium vicinis suis, inimicis tuis. *Petrus*. *Petrus*. *hec* us filialis loquitur. Hucusque condolui, us misero et miserabili archiepiscopo. Verum ex hoc jam si non fuerit emendatum, dolor cordis nostri et compassio ex intimis medullis, tota transibit ad illum, per quem potuit emendari. Sunt et alie lesiones præfati viri, quas cum ei alleviaveritis, vobis procul dubio laborabitis. Quidquid dulcissimi domini mei nomen decolorat, cor meum excoriat.

#### EPISTOLA CLXXX (478).

AD EUMDEM PRO EODEM.

*Iterum commendat pontifici negotium archiepiscopi Treverensis, ut sententiam subreptitæ obtentam, præviâ meliorem causæ cognitione, revocet.*

Iterum supplicatio, iterum preces, et decies repetitæ non desinent. Non desimus, quia non diffidimus. Bonam causam habemus, et æquum iudicem, qui non cunctabitur evacuare quod subreptum est, cum apparebit quod verum est; nec poterit inde ridere, qui voluit irridere: sed, ut scriptum est, *mentita est iniquitas sibi (Psal. xxvi, 12)*. Hoc solet habere præcipuum apostolica Sedes, ut non pigeat revocare quod a se forte deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum. Res plena æquitate, et laude digna, ut de mendacio nemo lucretur, præsertim apud sanctam et summam Sedem. Hæc sciens puer vester secure supplicat pro Treverensi, et sic instat non quasi in incertum. Ego quippe, ego hominis illius novi merita, causam, intentionem. Propter quod horum eum volunt monachi lapidare? Quia male meruit? sed fideliter adstitit, et multum servivit. Ob causæ injustitiam? sed injustum nemo, nisi injustus, causabitur. Quod de manu laica vindicavit? imo recuperavit sedi episcopali monasterium, tanquam clavam de manu Herculis extorquens in manu fortiori. Ob pravitatem intentionis? sed pium

(477) Archiepiscopus nimirum Treverensis Albero monasterium Sancti-Maximini juxta Treveros, repugnantibus abbate et monachis, sibi asseruit. E contra Henricus comes Luxemburgensis, jure advocatiæ sibi temporalem ejus subjectionem vindicare conatus est. Hæc res utrosque animis disjuxit, et arida commisit, non sine magna utrorumque clade. Hoc est, quod Bernardus ait. Archiepiscopum prædam Ecclesie sue recuperasse, et de manu laica captivam liberasse Ecclesiam.

(478) Scripta anno Christi 1136.

(479) Scripta circa eundem annum.

(480) Scripta anno Christi 1159. Acris est hæc

est reformare religionem in monasterio: quod ille intendit. Adsit Dominus eordi domini mei, ne iterum possit ei subripi a monachis, non tam (ut simulant) appetentibus libertatem, quam fugitantibus disciplinam.

#### 177 EPISTOLA CLXXXI (479).

AD HAIMERICUM CANCELLARIUM.

*Profitetur se beneficiis imparem, non nisi voluntatis affectu gratum esse posse.*

Si verbis contendere velim ad beneficia quibus me obruitis, idem erit ac si impetitus sagittis, festucis dimicem: nisi quod hoc locus videbitur, illud dolus. Facta factis compensari oportet. Verum id quidem multum est ad me. Nam unde sufficerem pauper et modicus? sed rebus pauper et viribus, non voluntate. Equabo ergo beneficia votis, quæ factis non possum. Desideriis dives sum, affectibus abundo. Et certe verus beneficus amplius non requirit. Nam quomodo beneficus, qui non et benevolus sit? Porro benevolus nil sibi charius ipsa æstimat benevolentia, qua et benevolus nominatur, et beneficus est. Denique benevolentia fructus est beneficii: nisi quis forte beneficium putet quod in spe severit, aut timore dimiserit. Sed quis non videat hoc relictum, illud venditum, neutrum datum? Oportet autem beneficium, ut vere sit, esse gratuitum. Danti itaque rependi quidquam gratius ab accipiente non potest, quam si gratum habuerit, quod gratis accepit. Et hæc benevolentia creatur de benevolentia dantis in animo accipientis, beneficio quidem interveniente. Hac me fateor locupletem: hanc de corde pleno dignam profecto offero remunerationem meo benefactori; hanc devotus immolo sacrificium laudis factori omnium pro salute mei benefactoris.

#### EPISTOLA CLXXXII.

AD HENRICUM SENONENSEM ARCHIEPISCOPUM (480).

*Hunc acriter perstringit, utpote durum, ut qui archidiaconum non recte deposuisset; et ad æqua postulata ac pacis consilia difficilem.*

Pro multis visus sum multoties scribere, fateor, propter vos, et statueram non facere ob vestram odibilem duritiam: sed charitas prævalebit. Volo vobis amicos vestros retinere, et non dignamini: volo reconciliare inimicos, et non patimini. Non vultis habere pacem: manibus ac pedibus accersitis vestram conturbationem, sed confusionem, sed depositionem (481). Multiplicatis vobis accusatores: defensores subtrahitis. Excitatis iterum in vos olim

epistola in episcopum, cui tam salutaria monita de moribus et officio episcoporum dedit in epistola 42. Hæc scripta est sub annum 1140, certe ante annum 1144, quo anno mortuus Henricus Hugonem habuit successorem ex Chronico Sancti-Petri Vivi, in Spicilegii tomo H. De ejus obitu epistola 102.

(481) Suspensum fuisse anno 1136 patet ex eo, quod Hugo ex Pontiniacensi abbate Autissiodorensis episcopus apud Ferrarias a Gaufrido Carnotensi episcopo consecratus est, propter suspensionem domini Henrici metropolitani, ex Historia episcoporum Autissiodorensium, cap. 55, apud Labbeum.

sopita discrimina, provocatis adversarios, patronos offenditis. Ubique apud vos pro ratione voluntas; totum pro imperio, nihil ex timore Dei. Qui de vobis non rident inimici, non conqueruntur amici? Quomodo devestistis hominem, non dico iudicio non convictum, sed nec verbo conventum? Quantos hoc verbum scandalizabit? quot ora ad subsannandum, quot corda ad succensendum movebit? Itane putatis periisse iustitiam de toto orbe, sicut de vestro corde, ut homo sic ablatum perdat archidiaconatum? Sed vos forsitan plus amatis reddere, et perdere, quam gratiam de beneficio retinere. Nolite, quæso, nolite facere hanc rem: quam qui audierint, omnes mirabuntur, nemo laudabit. Hæc vobis mordacius audaciusque quam velletis audire, scripsi: sed non ad insipientiam vobis, si velletis corrigere.

### 178 EPISTOLA CLXXXIII (482).

AD CONRADUM REGEM ROMANORUM.

*Reverentiam Sedis apostolicæ eidem commendat.*

Scripta vestra et salutationes tam devotus suscipio, quam modicus sum ad illa. Modicus dixerim dignitate, sed non devotione. Querimoniarum Regis nostræ sunt (483), et maxime illa, quam dignanter exprimitis de invasione Imperii. Regis dedecus, regni diminutionem nunquam volui: volentes odit anima mea. Legi quippe: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: et, Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit* (Rom. XIII, 1, 2). Quam tamen sententiam cupio vos, et omnimodis moneo custodire, in exhibenda reverentia summæ et apostolicæ Sedis, et beati Petri Vicario (484), sicut ipsam vobis vultis ab universo servari imperio. Sunt quæ non putavi scribenda: præsens ea fortassis opportunius intimarem.

### EPISTOLA CLXXXIV (485).

AD DOMINUM PAPAM INNOCENTIUM.

*Non posse mitti quos Pontifex petierat monachos.*

Fratrem Andream (486) lætum incolumemque suscepimus [al. recepimus], et læta nuntiantem de vestra incolumitate et gloria, de pace et prosperitate Ecclesiæ, de curiæ statu florente et valente, postremo de gratia et benevolentia, quæ nobis apud vos perseverat. Bene sua misericordia Deus dignatus est facere nobiscum; facti sumus lætantes. Verum quod vobis de mittendis ad vos fratribus placet, difficile adimplebitur, præsertim cum non

sit copia personarum quæ esse solebat. Siquidem præter illos qui bini, aut terni [al. trini] ad diversa destinati sunt loca; tria ex eis nova monasteria, ex quo a vobis discessimus, integre ordinata sunt (487); et adhuc restant alia proxime ordinanda. Curamus tamen undecunque evocare, quos vobis mittamus; cupientes per omnia vestris obedire mandatis (488).

### EPISTOLA CLXXXV (489).

AD EUSTACHIUM OCCUPATOREM VALENTINÆ SEDIS (490).

*Hortatur, ut memor ætatis suæ, et mortis imminentis, divinique iudicii, resipiscat, nec pravis adulatorum consiliis pareat.*

Viro illustri EUSTACHIO, frater BERNARDUS.

1. Salutem tibi, vir illustrissime, etsi non scribo, opto tamen. Optare quis prohibet? Affectui nec leges imperant, nec principes dominantur. Liber est, et maxime si spiritu ducitur: quia ubi spiritus Domini, ibi libertas (II Cor. III, 17). Inde est sane ausus iste meus de præsentibus, quo ad tuam Magnitudinem præsumo scribere, tanquam aliquis magnus fateor, nec jussus a te, nec rogatus, nec invitatus. Sed quid si charitas jubet? Alius aliter fortassis accipiat: ego virum nobilem, quod in me est, in vera charitate decrevi his litteris suæ ipsius commonere salutis, excitare a somno, revocare ad cor, provocare ad gratiam. Quis scit si convertatur et ignoscat Deus, et relinquat post se benedictionem? Imo quis **179** nescit, quas et quantas jam divitias suæ bonitatis et longanimitatis thesaurizavit super eum misericors et miserator Dominus? Denique misereatur, parcit, exspectat, dissimulatque usque adhuc, factus sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones, tardans ferire, paratus ignoscere. Sed tu, domine, usquequo? Tu, inquam, o bone vir, quousque dissimulas? quousque contemnis? Durum tibi est contra stimulum calcitrare (Act. IX, 5). An ignoras quia benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Quandiu autem tu secundum duritiam tuam et cor impoenitens, thesaurizas tibi iram in die iræ? (Rom. II, 4, 5.)

2. An non secundum duritiam quidem, sed secundum verecundiam? Quid refert secundum quid pereas? O verecundia expers rationis, inimica salutis, totius ignara honoris et honestatis! Hæc plane illa, quam Sapiens loquitur, *confusio adducens pec-*

(482) Scripta anno Christi 1139.

(483) Scilicet querebatur Conradus, quod Bernardus Lothario favisset contra ipsum.

(484) Sic vicarius Petri dicitur summus pontifex in epistola modo 346. Vicarius Petri et Pauli in epistola 243. Confer epistolam Guigonis hic in tomo sexto, et notas hac de re nostras in Sæculi secundi parte prima, pag. 562. Bernardus tamen Papam vocat Vicarium Christi in epistola 42, n. 31, in epistola 251, n. 1, et in fine libri quarti De consideratione. Confer librum secundum De consideratione, n. 16. Jesu Christi Vicarius a Jacobo cardinale in epistola 246, ad Ludovicum Juniolem inter Chesnianas, appellatur.

(485) Scripta anno Christi 1140.

(486) An Andreas frater Bernardi, monachus Ci-

sterciensis, ex libro primo de hujus Vita, n. 10? an idem, de quo in epistola 176? aut Andreas de Baldemento, in epistola 226?

(487) Videlicet Benedictio Dei in diocesi Lugdunensi, de quo supra in epistola 173; Dunense, et Claro-Mariscense in Belgio.

(488) Volebat siquidem Pontifex Cisterciensis Romæ collocare in ecclesia Sancti-Anastasio ad Aquas Salvias: qui coloniam alteram altero Bernardo duce, qui postea Eugenius III, ad Farfensem abbatem directam occupavit, et ad Aquas-Salvias posuit anno 1140, ex libro tertio Vitæ, n. 23. Vide hic epistolas 345 et 345.

(489) Scripta anno Christi 1138.

(490) Galliæ scilicet Narbonensis; alia nempe est in Hispania.

catum (*Eccli.* iv, 25). Itane verecundum est homini A vinci a Deo, et probro ducitur humiliari sub potenti manu Altissimi? Non ita rex ille gloriosus David: *Tibi soli, inquit, peccavi, et malum coram te feci, ut justificeris in sermonibus tuis et vincas cum judicaris* (*Psal.* l, 6). Summum victoriæ genus, divinæ cedere majestati: et auctoritati matris Ecclesiæ non reluctari, summus honor et gloria. O perversitas! Non pudet inquinari, et abluī pudet! *Est pudor, juxta Sapientem, adducens gloriam* (*Eccli.* iv, 25); si videlicet peccare pudeat, si non pudeat vel peccasse: et ita vel sera gloria non carebis, reducēte nimirum pudore quam culpa fugaverat. Secundum tenent beatitudinis locum, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata (*Psal.* xxxi, 1). Honorabile tegumentum, de quo legitur: *Confessio et pulchritudo in conspectu ejus* (*Psal.* xcvi, 6). Quis mihi tribuat videre te in vestitu deaurato, ut dicamus et tibi: *Confessionem et decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento?* (*Psal.* ciii, 1, 2.) Revertere, Sunamitis, revertere, ut intueamur te? (*Cantic.* vi, 12.) Consurge, consurge, induere fortitudine, induere vestimento salutis (*Isa.* lii, 1). Surge, qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus (*Ephes.* v, 14). A mortuo tanquam qui non est, perit confessio (*Eccli.* xvii, 26).

3. Usquequo oblivisceris te in finem? usquequo dormis in morte, decus nobilium, fidelium fletus! Quando contra morem tuum pertinax, contra honorem tuum sequestris, contra salutem tuam rebellis! quid illos egregios mores, actusque tuos tam dissimili pergis exitu consummare? Quomodo ætas ista, quam in misericordia uberi requiescere oportebat, omnium præteritorum dierum tuorum pœnas luit, nec diluit culpas? Cur, proh dolor! sola veneranda canities solita veneratione fraudatur, sola sine honore marcescit, quam vel maxime decuit honorari? Miserere animæ tuæ placens Deo (*Eccli.* xxx, 24). Etenim qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos (*Psal.* lii, 6). Breves dies hominis sunt (*Job* xiv, 5): seni mors in januis est. Modicum habes, prorsus modicum tempus cum his qui dicunt tibi, Euge, euge. Sit etiam pro modico tibi judicari ab ipsis, aut ab humano die, qui angelico examini jamjamque es præsentandus, qui ad tribunal terrificum Christi ipso jam defectu naturæ miserandus urgeris. Illi te oportet præparare judicio, illi sæculo conformare, illius curiæ affectare favorem, formidare repulsam. Quid illorum sententia conturbaris, quorum nec laude probatus, nec vituperatione reprobis inveniris; Denique vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum (*Psal.* lxi, 10).

4. Propterea qui te beatificant, in errorem te inducunt, dantes verba, munera reportantes. Vana

hæc, atque illa: sed verba amplius. Et decipitis de vanitate in idipsum: sed tu magis deciperis, illi minus. Das quippe quod utcumque pluris est: et das ingratis, das immeritis; siquidem tua, non te diligunt. Imo nec **180** te, nec tua: sed quæ sua sunt, quærunt. Tua, quoad poterunt, venabuntur adulationibus vanis et falsis. Molliti sunt sermones eorum super oleum, et ipsi sunt jacula (*Psal.* liv, 22). Et ideo dicebat David: *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum* (*Psal.* cxl, 5). Ab his laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicatur (*Psal.* ix, 24). Ab his ergo cavere non ego, sed Sapiens doceat. *Fili, ait, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis* (*Prov.* i, 10). Attende potius illi qui judicat in æquitatē pro mansuetis B terræ, quos tua non pastoralis diligentia pascit, sed sæcularis premit potentia: quam non haberes super eos ullam, nisi data esset tibi desuper. Sed hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum. Attende autem: *Judicium grave his qui præsumunt, e-potentibus potenter tormenta patientur* (*Sap.* vi, 6, 7). Hoc si paves, caves; si negligis, incidis. Et, *Horrendum est incidere in manus Dei viventis* (*Hebr.* x, 31). Avertat hoc unus et verus Deus, qui non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat (*Ezech.* xviii, 23, 32). Plura adhuc loqui fert animus, sed non fert forte auditus. Nec placent aspera, quamvis recta; et salubria, quia sunt amara, non sapiunt. Ponam itaque digitum super os meum, donec sciam ista qualiter acceptentur. C Placebo autem si potero, non stilo, neque lingua, sed opere et veritate.

#### EPISTOLA CLXXXVI.

AD SIMONEM FILIUM CASTELLANI CAMERACENSIS (491).  
*Ejus tutelæ Valcellenses monachos commendat, patris donationem ab eo ratam haberi rogans.*

Cognoscens, dilectissime, nuntiante abbate Radulfo (492), de Valcellis, desiderare te nostri præsentiam atque colloquium, delectatus sum admodum tanta tui erga me devotione; nec certe ingratus benevolentia. Noveris et meæ esse voluntatis, tuo satisfacere desiderio: sed corporali molestia impediri tam ab hujus voluntatis effectu, quam et ab aliis plurimis, plurimumque necessariis negotiis. Sed licet absens corpore, sum tamen præsens spiritu, donec quandoque siam, Deo volente, et corpore, et spiritu: si tamen non ore tantum et lingua, sed opere diligamus et veritate. Igitur in exhibitione operis liquebit veritas dilectionis. Hoc est itaque quod rogo, ut quod de meo apud te est, fratres dico Valcellenses, et eorum ecclesiam mei gratia diligas, foveas, et manu teneas ubi necesse fuerit: ut in hoc et tuæ liberalitatis insigne præbeas documentum, et ejus quam mihi promittis, charitatis clarescat indicium. Quam nunc charitatem in eo vel primum

(491) Scripta circa annum 1140. — In omnibus scriptis deest, *Cameracensis*: quidam habent, *de Oisy*. Utrumque recte; nam in hac epistola mentio est de monachis Valcellarum, Ordinis Cisterciensis, quod cœnobium anno 1132 conditum est prope Ca-

meracum. Simonem de Oisiaco laudat auctor Vitæ S. Gosvini abbatis Aquicinctensis in libro ii, cap. 19. Simonis pater Hugo de Mercorio, de quo in contextu epistolæ.

(492) In vetustis libris abbreviatum est R. nomen.

cupio experiri, si Ligecurtem, quam mihi pater tuus A præsentem contulit ad opus illius monasterii, tu quoque concesseris, et donum patris tui non feceris irritum. Nos quoque quod nostrum est, de præteritis gratias agentes, et in reliquum similia sperantes, pro te tuisque illi preces fundimus, qui voluntatem timentium se facit, et deprecationem eorum exaudit (*Psal. cXLIV, 19*). Oramus te et uxorem tuam, et omnes qui ad vos pertinent, bene valere.

EPISTOLA CLXXXVII.

AD EPISCOPOS SENONAS CONVOCANDOS, CONTRA PETRUM ABÆLARDUM (493).

*Excitat episcopos ad causam religionis contra Abælardum strenue agendam.*

Exiit sermo inter multos, et credimus ad vos per- B venisse: quomodo videlicet apud Senonas in octavis

(493) Scripta anno Christi 1140. — Abælardus in diœcesi Nannetensi, patre Berengario, matre Lucia ortus, primum Parisiis philosophiam Guillelmo de Campellis, deinde vero Roscelino præceptore mathe- ses, demum Anselmo Laudunensi magistro theolo- giam non sine invidia et admiratione didicit. Postea sacrorum Librorum interpretationem Parisiis ador- sus, multos ad se discipulos traxit, inter illos vero Heloissam quamdam, Fulberti canonici Parisiensis neptem, cujus animum informando, corpus violavit. Quam quidem injuriam impatienter ferens Fulber- tus, Abælardum, qui eam conjugii honore resarcire voluerat, in hospitio pernoctantem fœde circumci- dit. Hinc vero ambo amasii dedecoris impotentia latebras quærent, illa Argentolii prope Parisios mo- nialis, hic apud Sanctum-Dionysium monachus ef- fectus. Sed ubique infestus vel infelix, in quamdam cellam monasterio vicinam, nempe Diogilum, sece- dit, ibique theologiam publice profitetur. At nimis ingenio suo et rationi indulgens, cum multa fidei non satis consona ventilaret, sistitur ad concilium Suessionense, Conone legato circa annum 1121 ce- lebratum, ut infra dicitur: ibique librum suum de Trinitate seu Introductionem ad Theologiam, in qua suspecta continebantur capitula, flammis tradere compulsus, ipse in Sancti-Medardi Suessionense mo- nasterium detrusus est, quod Vita S. Gosvini abba- tis libro 1, cap. 18, male Innocentio II papa auctore factum refert, cum tum sederet Callistus II. Tandem cum Abælardo eremum petere concessum esset, in solitudinem quamdam Trecensis diœcesis se recepit, ibique oratorium construxit, primo quidem sanctæ Trinitati consecratum, deinde vero Paracliti no- mine insignitum. Sed neque hic quieto esse licuit. Unde postulatus abbas a monachis Sancti-Gildasii in Britannia-Minore, diœcesis Venetensis, ( invenit, ) ut ipse refert in Historia Calamitatum suarum, ( christianos atque monachos gentilibus longe sæ- viores atque peiores. ) Inde ergo ad suum Paraclite- nse oratorium se iterum recipiens, ibi collocavit Heloissam cum sororibus pulsam e monasterio Ar- gentolienensi, quod Sugerius abbas Sancti-Dionysii post- liminio vindicavit anno 1127. Ibi itaque degens, ac perversa scribens docensque, iterum hæreticus au- dit. Interim plures ejus scripta discutunt, in primis- que Guillelmus Sancti-Theoderici abbas, qui col- lecta errorum capitula refutavit, refutataque ad Gaufridum Carnotensem episcopum, et Bernardum Claræ-Vallensem abbatem direxit, ut ad ulciscen- dam fidei injuriam eos commoveret. Vide epistolas modo 326 et 327. Abælardus vero hæretici nomen non ferens, S. Bernardum, quasi tantæ calumniæ auctorem, provocat ad concilium Senonense an- no 1140 convocatum. Bernardus itaque vel invitatus

A Pentecostes vocamur, et provocamur ad litem pro defensione fidei: cum servum Dei non oporteat liti- gare, sed magis patientem esse ad omnes (*II Tim. II, 24*). Si mea propria **181** causa esset, posset non immerito fortassis puer sanctitatis vestræ in ve- stro patrocinio gloriari. Nunc autem quia et vestra est, imo plus vestra; fidentius moneo, et obnixius rogo, ut amicos vos in necessitate probetis. Amicos dixerim, non nostros, sed Christi, cujus sponsa cla- mat ad vos in silva hæresum, et in segete errorum, quibus sub tutela et custodia vestra pullulantibus, pene jam suffocatur. Amicus sponsi non deseret eam in opportunitatibus in tribulatione. Nec miremini, quod ita de subito, et in arcto temporis vos invita- mus: quoniam hoc quoque adversa pars in sua ver- sutia et calliditate providit, ut improvidos invade- ret, et congregari cogeret immunitos.

ad synodum accedit. Proferuntur ex Abælardi scri- ptis impia dogmata, quæ vel abneget si non sua; si sua, abjuret. At ille turbatus et loqui impotens, ut tradit Gaufridus Autissiodorensis in Apocalypsin; sive populi seditionem timens, ut habet Otto Frisingensis loco infra citando; sive securius esse existi- mans Romæ causam agere, ut ait S. Bernardus in epistola 193, quod ibi discipulos haberet cardinales et clericos, Romanam curiam appellavit. Nihilomi- nus concilii Patres damnant errores, quorum indi- cem ad Innocentium summum pontificem transmit- tunt, variasque epistolas, quas Bernardus tam suo, quam Patrum nomine, ad ipsum Innocentium atque cardinales scripsit, quas inter videnda maxime epi- stola 190, in qua præcipua errorum capitula valide revincit. Exstant inter Opera ipsius Abælardi se- ptem et decem errorum articuli, quos a synodo ad Innocentium missos testatur codex manuscriptus Paraclitensis illic citatus: sed cum eos in ipsa Ber- nardi epistola 190 et in epistola Guillelmi hic 590 habeamus fere omnes, haud necesse visum est hoc in loco illos attexere. Præferenda sunt capitula, quæ ex codice Vaticano infra referimus, nempe tomo se- cundo, ante tractatum de Erroribus Abælardi. In- nocentius acceptis litteris synodalibus, statim rescri- psit epistolam hic ordine 194, ad Patres concilii, er- rores condemnantem; aliamque addidit in ipsum Abælardum sententiam proferentem, his verbis:

*Innocentius episcopus, servus servorum Dei, Venera- bilibus fratribus SAMSONI Remensi, HENRICO Sene- nensi archiepiscopis, et charissimo in Christo filio BERNARDO Claræ-Vallis abbati, salutem et aposto- licam benedictionem.*

D *Per præsentia scripta Fraternitati vestræ manda- mus, quatenus Petrum Abælardum et Arnoldum de Brixia, perversi dogmatis fabricatores et catholicæ fi- dei impugnatores, in religiosis locis, ubi vobis melius visum fuerit, separatim faciatis includi, et libros er- rores eorum, ubicumque reperti fuerint, igne comburi. Data Laterani, decimo octavo Kal. Augusti.*

His autem litteris inscriptum erat: *Transcripta ista nolite ostendere cuiquam, donec istæ litteræ in Parisiensi colloquio, quod prope est, præsentatæ fue- rint ipsis archiepiscopis.* — Abælardus itaque se Romæ condemnatum intelligens, ab appellatione des- titit persuasione Petri Cluniacensis abbatis: a quo benigne exceptus, ejusdem opera cum S. Bernardo, deinde vero cum Innocentio simul et Ecclesia in gratiam rediit, et biennio Cluniaci magna cum animi demissione exacto, in monasterio Sancti-Mar- celli Cabilonensis, quo morbi curandi causa a Petro abbate missus fuerat, excessit e vita anno Chri- sti 1142, ætatis suæ sexagesimo tertio, cujus exi-



## EPISTOLA CLXXXVIII (494).

AD EPISCOPOS ET CARDINALES CURIÆ, DE EODEM.

*Monet ad vigilandum adversus Petri Abælardi errores.*

Dominis et patribus reverendis episcopis et cardinalibus qui sunt de curia, puer sanctitatis eorum.

mias virtutes in extremo illo vitæ suæ cursu exhibitas exaggeravit idem Petrus Venerabilis in libri quarti epistola 21, ad Heloissam. Sunt qui Abælardo plus æquo faventes eousque delapsi sunt, ut ipsum ab omni errore immunem profitentes, primo quidem Bernardum contra larvas et umbras pugnasse affirmant; deinde vero synodi Senonensis auctoritatem convellant; demumque ipsius curiæ Romanæ iudicium in Abælardum prolatum elevent: de quibus breviter aliquid dicendum.

I. Adversus Bernardum opponitur primo Ottonis Frisingensis auctoritas, qui « quamvis abbatem suum, » ut aiunt (scilicet Ordinis sui) « in magna habuerit veneratione, tamen scribit eum {ex christiana religionis fervore zelotypum, et ex habituali mansuetudine credulum, ut magistros, qui humanis rationibus et sæculi sapientiæ confidenter nimium inhærebant, abhorreret, et de talibus sinistram quid recitanti facile aurem præberet. } Hæc quidem Otto in libro primo de Gestis Friderici, cap. 47; sed occasione Gilberti Porretani, quæ tamen etiam in Abælardi gratiam inflectit. At cum testante Radevico in libro secundo de Gestis Friderici, cap. 11, Otto nimium Gilberto addictus, appetente morte petierit, ut si qui pro ipsius sententia dixisset quod quempiam posset offendere, illud corrigeretur; hoc retractatorum loco habendum est. Imo ipse Otto satis expressit in consequentibus, quid de Abælardo sentiret. Ita enim de illo scribit: « Is litterarum studiis aliisque facetiis ab ineunte ætate deditus fuit; sed tam arrogans, suoque tantum ingenio confidens, ut vix ad audiendos magistros ab altitudine mentis suæ humiliatus descenderet. » Et infra: « Sententiam ergo vocum seu nominum in naturali tenens facultate, non caute theologiæ admiscuit. Quare de sancta Trinitate docens et scribens, tres personas... nimis attenuans, non bonis usus exemplis, » etc. Adde quod Abælardus in synodo Snessionensi, Ottonis ipso fatente, Sabellianus hæreticus est iudicatus. Hæc pro Ottonis adversus Bernardum auctoritate. Jam secundo loco profertur Petri Venerabilis pro Abælardo testimonium qui jam citatam scribens epistolam ad Heloissam, de illo affirmat, quod « nec Germanus eo abjectior, nec ipse Martinus pauperior appareret. » Ita vere Petrus Cluniacensis extremam vitæ periodum, quam Abælardus Cluniaci exegit; describens. At nunquid de futuris ejus meritis Bernardus digladiabatur, ut contra larvas dimicasse dicendus sit? Optime Chronicon Cluniacense, in Petro Venerabili: « Abælardus, inquit, Petrus nomine, ab erroribus fidei per Petrum Venerabilem abbatem nostrum et S. Bernardum abbatem Claræ-Vallensem revocatus, quæ antea de fide dogmatizaverat perfide » (supple, abjurans), « monachus Cluniacensis factus est. Et deinde mens ejus, lingua ejus, opus ejus semper divina fuere... Et sicut de Magno Gregorio legitur, momentum aliquod præterire solebat minime, quin semper aut oraret, aut legeret, aut scriberet, aut diceret... Quare ipsum Petrus Venerabilis sollicitè commendans, » etc. Congeruntur denique plura id genus argumenta, vel ingenium viri, vel doctrinam, vel optimum mortis genus extollentia, quasi horum aliquid Bernardus sit inficiatus.

II. Contra synodum Senonensem defectus potestatis, seu jurisdictionis adducitur, quod neque Senonensis, neque Remensis archiepiscopi, qui concilio intererant, jus haberent in Abælardum

A 1. Nulli dubium, quin ad vos specialiter spectet tollere scandala de regno Dei, surgentes succidere spinas, sedare querelas. Sic enim præcepit Moyses cum montem subiit: *Habetis*, inquit, *Aaron et Hæ vobiscum: si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad ipsos* (Exod. xxiv, 14). Illum loquor Moysen, qui

abbatem Sancti-Gildasii diocesis Venetensis; sed Turonensis metropolita qui aberat. Verum jam ante duodecim annos in oratorium Paraclitense diocesis Trecensis reversus, archiepiscopo Senonensi suberat. Deinde eos habuit iudices quos expetiit, ut testatur Bernardus in epistola 191, nomine concilii ad Innocentium scripta. « A loco, » inquit, « et iudice, quem sibi elegerat, Sedem apostolicam appellavit. » Non enim sanctus abbas Bernardus, ut quidam falluntur, hanc in Abælardum synodum excitavit; quin ipse S. Bernardum reluctantem et invitum eo accedere coegit, quod manifeste asserit S. Doctor in epistolis 187 et 189; necnon Gaufridus Antissiodorensis, Abælardi quondam discipulus, qui sic Commentario in Apocalypsin loquitur: « Expetens denique Senonensem metropolitanum (Abælardus) quod in ejus ecclesia celebrandum foret in proximo grande concilium, Claræ-Vallensem causatur abbatem suis in occulto detrahere libris. Addit quoque paratum se esse in publico sua defendere scripta, rogans ut prædictus abbas, dicturus si quid haberet, ad concilium vocaretur. » Recte igitur damnatus est, cum cujusvis in consentientes sit jurisdictio, inquit Juriscons. l. ii, de Jud. Secunda quæ adhibetur machina ad Labefactandam synodi auctoritatem, testimonium est Petri Berengarii Pictaviensis, qui in Apologia pro Abælardo suo præceptore adversus Patres concilii, ipsumque Bernardum a se conscripta, tam putida mendacia emovit, tamque indigna calumniarum monstra, ut mirum sit a viro cordato sustineri, vel adduci in medium adeo perditæ frontis et fidei hominem, qui venerabiles episcopos, « ebrios, canes, porcos, » aliisque probris lacessitos ridet, se ipsum non tantum ludibrio, sed justæ lectorum indignationi exponens. Sed videamus quid tandem sanior factus de S. Bernardo scripserit ad episcopum Miniatensem: « Sed cur, inquit, expleto primo volumine, secundum, ut spondendas, non texis? Quia processu temporis meum sapere crevit, et in sententiam Abbatis » (Bernardi) « pedibus, ut dicitur, ivi. Noluî esse patronus capitulorum objectorum Abælardo, quia etsi sanum saperent, non sane sonabant. Postquam igitur, inquit, a secundo libro manus torpuit, quare primum non rasisti? Fecissem hoc, inquam, nisi cassa esset industria; remanent enim exemplaria, » etc.

III. Jam vero tertio loco adversus Romani Pontificis, iudicium immatura sententiæ celeritas præsumitur, quod causa non discussa Abælardum inauditum damnaverit. Verum nonne sufficiebant Acta concilii Senonensis ad instruendam causam, cui Abælardus præsens adfuit? Quis cardinalium vel clericorum in Romana curia ipsius dogmata nesciebat, vel, si fas fuisset, a censura vindicare non tentasset auctorem, quem plerique ex illis magistrum habuerant? Maneat itaque Innocentii sententia, maneat illibata concilii Senonensis et S. Bernardi auctoritas, maneat Abælardo non alia tuendi erroris ratio, quam vitæ errorisque correctio. Quam sanius certe Heloissa illa post Abælardi sui mortem a Petro Venerabili exposcit ejus absolutionem ipsius Abælardi tumulo apponendam (exstat in Bibliotheca Cluniacensi et inter Opera Abælardi); quam nonnulli texendis Apologiis incumbunt, ad errorum excusationem, quos ipse lacrymis et pœnitentia diluere ad ultimum non cessavit. Sed de his satis.

(494) Scripta eodem anno.

venit per aquam, et non in aqua solum, sed in aqua et sanguine. Et ideo plus quam Moyses, quia et in sanguine venit. Et quoniam pro Hur et Aaron stat zelus et auctoritas Romanæ Ecclesiæ super populum Dei, ad ipsam merito referimus, non quæstiones, sed læsiones fidei, et injurias Christi; patrum pro- ora atque contemptus; præsentium scandala, pericula posterorum. Irridetur simplicium fides, evisce- rantur arcana Dei, quæstiones de altissimis rebus temerarie ventilantur, insultatur patribus, quod eas magis sopiendas, quam solvendas censuerint. Inde fit, quod Agnus paschalis, contra Dei statutum (*Exod. XII, 9*), aut aqua coquitur, aut crudus discerpitur, more et ore bestiali. Quod residuum est, non igne com- buritur, sed conculcatur. Ita omnia usurpat sibi hu- manum ingenium, fidei nil reservans. Tentat altiora se, fortiora scrutatur, irruit in divina, sancta teme- rat magis quam reserat; clausa et signata non aperit, sed diripit. et quidquid sibi non invenit pervium id putat nihilum, credere dedignatur.

2. Legite, si placet, librum Petri Abælardi, quem dicit Theologiæ: ad manum, est enim; cum, sicut gloriatur, a pluribus læctitur in curia: et videte qualia ibi de sancta Trinitate dicantur, de genitura Filii, et de processione Spiritus sancti, et alia innumera, catholicis prorsus auribus et mentibus dis- sueta. Legite et alium, quem dicunt Sententiarum ejus (495); necnon et illum qui inscribitur, Scito te ipsum; et animadvertite quanta et ipsi silvescant segete (496) sacrilegiorum atque errorum: quid sentiat de anima Christi, de persona Christi, de descensu Christi ad inferos, de Sacramento altaris; de potestate ligandi atque solvendi, de originali pec- cato, de concupiscentia, de peccato delectationis, de peccato infirmitatis, de peccato ignorantiae, de opere peccati, de voluntate peccandi. Et siquidem judica- tis me juste moveri, movemini et vos: ac ne frustra moveamini, agite pro loco quem tenetis, pro digni- tate qua polletis, pro potestate quam accepistis; quomodo qui ascendit ad cœlos, descendat usque ad inferos: et opera tenebrarum, ausa prodire in lu- cem, arguantur a luce in lucem: ut dum qui publice peccat, publice arguetur; comprimant sese etiam alii, ponentes tenebras lucem, disputantes in triviis **182** de divinis; qui loquuntur mala in cordibus suis, et in codicibus suis scribunt: et sic obstruatur os loquentium iniqua.

(495) Negat Abælardus in Apologia sua, ullum librum hoc nomine a se conscriptum, ideoque « hoc contra se per malitiam vel ignorantiam prolatum » criminatur: quod etiam Chesnius in notis asserit. « S. Bernardus, » inquit, « ignoranter Abælardo ipsi librum Sententiarum attribuit in epistola 188. » quasi libros Sententiarum a Petro Magistro scriptos Abælardo tribuerit. Sed non ita ignotus erat Ber- nardo Petrus, quem laudat in epistola modo 410, ut in hoc erratum laboretur. Imo nec eo tempore, quo hæc epistola scripta est, Petrus Magister Sententiarum sua- rum libros ediderat. Est penes nos liber ab ipso Abæ- lardo sine dubio contextus, qui vulgo « Sic et non » apponatur, cujus inscriptionem sic effert vetus co-

## EPISTOLA CLXXXIX (497).

AD DOMINUM PAPAM INNOCENTIUM, DE EODEM.

*Animi dolorem indicat ob errores Abælardi post schisma statim exsurgentes, quibus Pontificem occurrere monet.*

Amantissimo Patri et domino INNOCENTIO, Dei gratia summo Pontifici, frater BERNARDUS Claræ- Vallis vocatus abbas, modicum id quod est.

1. Necesse est ut veniant scandala: necesse est, sed non suave. Et ideo dicit propheta: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?* (*Psal. LIV, 7*) et Apostolus cupit dissolvi, et cum Christo quiescere. Et alius quidam sanctorum, *Sufficit mihi, Domine, ait, tolle animam meam; neque enim melior sum quam patres mei* (*III Reg. XIX, 4*). Est et mihi nunc aliquid commune cum sanctis, in vo- luntate duntaxat, non in merito. Nam vellem et ipse modo de medio fieri, victus, fateor, a pusillanimitate spiritus et tempestate: vereor autem, ne non sicut pariter affectus, ita pariter et paratus inveniar. Tædet vivere, et an mori expediat, nescio; et ideo forte etiam in votis distem a sanctis, quod ipsi pro- vocentur desiderio meliorum, cum ego scandalis et ærumnis compellar exire. Denique ait, *Dissolvi et cum Christo esse, multo melius* (*Philip. I, 23*). Ergo et in sancto appetitus, et in me prævalet sensus: sed in hac miserrima vita nec ille habere quod appetit bonum; nec ego quod molestum patior, non habere valemus. Et ob hoc exire quidem ambo pari cupimus voluntate, sed non pari intentione.

2. Stulte mihi dudum requiem promittebam si quidem Leonina rabies quievisset (498), et pax Ec- clesiæ redderetur. Nam ecce illa quievit, sed non ego. Nesciebam me esse in valle lacrymarum, aut oblitus fueram habitare me in terra oblivionis. Non attendebam terram, in qua habito, spinas et tribulos germinare mihi; succisis succedere novas, et rur- sum illis alias sine fine, sine intermissione succe- scere. Audieram hoc: sed melius, ut nunc experior, ipsa vexatio dat intellectum auditui. Innovatus est dolor, non exterminatus; lacrymæ inundaverunt, quia invaluerunt mala; et expertis pruina, irruit super eos nix. Ante faciem frigoris hujus quis sus- tinebit! Hoc frigore refrigescit charitas, ut abundet iniquitas. Leonem evasimus, sed incidimus in dra- conem (499), qui non minus forsitan noceat sedens in insidiis, quam ille rugiens de excelso. Quanquam

dex manuscriptus: « Incipiunt Sententiæ ex divinis Scripturis collectæ, quæ contrariæ videntur: pro qua quidem contrarietate hæc compilatio Senten- tiarum, *Sic et non* appellatur. » Ad quem librum an respexerit S. Bernardus cum hoc scriberet, mihi est incompertum. Porro præter illa Abælardi opera, quæ prædictus Chesnius recensuit, habemus insuper librum ipsius in Hexaameron, Heloissæ suæ nun- cupatum.

(496) Ita manuscripti emendatiores: in editis, *quantæ et ibi silvescant segetes.*

(497) Scripta anno Christi 1140.

(498) Id est schisma Petri Leonis.

(499) Petrum Abælardum.

non jam in insidiis; ejus virulenta folia utinam adhuc laterent in scriniis, et non in triviis legerentur. Volant libri: et qui oderant lucem, quoniam mali sunt, impegerunt in lucem, putantes lucem tenebras. Urbibus et castellis ingeruntur pro luce tenebræ; pro melle, vel potius in melle venenum passim omnibus propinatur. Transierunt de gente in gentem, et de regno ad populum alterum. Novum cuditur populis et gentibus Evangelium, nova proponitur fides, fundamentum aliud ponitur præter id quod positum est. De virtutibus et vitiis non moraliter, de Sacramentis Ecclesiæ non fideliter, de arcano sanctæ Trinitatis non simpliciter nec sobrie disputatur: sed cuncta nobis in perversum, cuncta præter solitum, et præterquam accepimus, ministrantur.

3. Procedit Goliath procero corpore, nobili illo suo bellico apparatu circummunitus antecedente quoque ipsum ejus armigero Arnaldo de Brixia. Squama squamæ conjungitur, et nec spiraculum incedit per eas. Siquidem sibilavit apis quæ erat in Francia, api de Italia (500): et venerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus. Intenderunt arcum, paraverunt **183** sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde. In victu autem et habitu habentes formam pietatis, sed virtutem ejus abnegantes, eo decipiunt plures, quo transfigurant se in angelos lucis, cum sint Satanæ. Stans ergo Goliath una cum armigero suo inter utrasque acies, clamat adversus phalangeas Israel, exprobratque agminibus sanctorum, eo nimirum audacius, quo sensit David non adesse. Denique in suggillationem doctorum Ecclesiæ, magnis effert laudibus philosophos; adinventiones illorum et suas novitates catholicorum Patrum doctrinæ et fidei præfert: et cum omnes fugiant a facie ejus, me omnium minimum expetit ad singulare certamen.

4. Denique scripsit mihi, sollicitante quidem ipso, archiepiscopus Senonensis, diem statuens congregationis, quo illè in præsentia ejus et coepiscoporum suorum deberet, si posset, statuere prava dogmata sua, contra quæ ego ausus mutire fuisset. Abnuum quia puer sum, et ille vir bellator ab adolescentia: tum quia judicarem indignum, rationem fidelis humanis committi ratiunculis agitandam, quam tam certa ac stabili veritate constat esse subnixam. Dicebam sufficere scripta ejus ad accusandum eum; nec mea referre, sed episcoporum, quorum esset ministerii de dogmatibus judicare. Ille nihilo minus, imo eo amplius levavit vocem, vocavit multos, congregavit complices. Quæ de me ad discipulos suos scripserit, dicere non curo. Disseminavit ubique, se mihi die statuto apud Senonas responsurum. Exiit sermo ad omnes, et non potuit me latere. Dissimulavi primum: nec enim satis rumore populari movebar. Cedens tamen (licet vix, ita ut flerem)

(500) Ita genuina lectio, quæ alludit ad versum decimum octavum capituli septimi Isaia, *Sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Ægypti.*

A consilio amicorum, qui videntes quomodo se quasi ad spectaculum omnes pararent, timebant ne de nostra absentia et scandalum populo, et cornua crescerent adversario; et quia error magis confirmaretur, cum non esset qui responderet aut contradiceret, occurri ad locum et diem, imparatus quidem et immunitus, nisi quod illud menteolvebam, *Nolite præmeditari, qualiter respondeatis: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini* (Matth. x, 19): et illud; *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo* (Psal. cxvii, 6). Convenerunt autem præter episcopos et abbates plurimi viri religiosi, et de civitatibus magistri scholarum, et clerici litterati multi, et Rex præsens erat. Itaque in præsentia omnium, adversario stante ex adverso, producta sunt quædam capitula de libris ejus excerpta. Quæ cum cœpissent legi, nolens audire exivit, appellans ab electis iudicibus, quod non putamus licere. Porro capitula iudicio omnium examinata, inventa sunt fidei adversantia, contraria veritati. Hæc pro me, ne levitate, aut certe temeritate usus in tanto negotio putarer.

B  
C  
D  
5. Verum tu, o successor Petri, iudicabis, an debeat habere refugium sedem Petri, qui Petri fidem impugnat. Tu, inquam, amice sponsi, providebis, quomodo liberes sponsam a labiis iniquis, et a lingua dolosa. Sed ut paulo audacius loquar cum domino meo, attende etiam tibi ipsi, amantissime Pater, et gratiæ Dei quæ in te est. Nonne cum esses parvulus in oculis tuis, ipse te constituit super gentes et regna? Ad quid, nisi ut evellas, et destruas, et ædifices et plantes? Qui ergo tulit te de domo patris tui, et unxit te unctione misericordiæ suæ, attende, quæso, ex tunc et deinceps, quanta fecit animæ tuæ; quanta per te Ecclesiæ suæ, quanta in agro dominico, cælo et terra testibus, tam potenter quam salubriter evulsa sunt et destructa; quanta rursum bene ædificata, plantata, propagata. Suscitavit Deus furorem schismaticorum in tuo tempore, ut tuo opere contererentur. Vidi stultum firma radice, et statim maledictum est pulchritudini ejus. Vidi, inquam, vidi impium superexaltatum, et elevatum **184** sicut cedros Libani; et transivi, et ecce non erat. *Oportet autem, ait, hæreses et schismata esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant* (I Cor. xi, 19). Et in schismate quidem jam, ut dictum est, Dominus probavit te, et cognovit te. Sed ne quid desit coronæ tuæ, en hæreses surrexerunt. Itaque ad consummationem virtutum, et ne quid minus fecisse inveniamini a magnis episcopis antecessoribus vestris, capite nobis, Pater amantissime, vulpes quæ demoluntur vineam Domini, donec parvulæ sunt: ne, si crescant et multiplicentur, quidquid talium per vos non fuerit exterminatum, a posteris desperetur. Quanquam non jam parvulæ nec pauculæ, sed certe grandiusculæ et multæ sint, nec nisi in manu fortis

et api, quæ est in terra Assur. Apis de Francia Arnaldus; apis de Italia Arnaldus de Brixia, urbe Italia, de quo vide notas in epistolam 195.

vel a vobis exterminabuntur. Jacinctus multa mala ostendit nobis: nec enim quæ voluit, fecit, vel potuit. Sed visus est mihi patienter ferendus de me, qui nec personæ vestræ, nec curiæ in curia illa pepercit: quod melius Nicolaus iste meus, imo et vester, viva referet voce (501).

EPISTOLA CXC (502).

AD INNOCENTIUM PONTIFICEM, DE ERRORIBUS QUIBUSDAM PETRI ABÆLARDI.

*Hanc epistolam ob prolixitatem inter Tractatus relatum habes tomo secundo.*

EPISTOLA CXCI (503).

AD INNOCENTIUM EX PERSONA DOMINI ARCHIEPISCOPI REMENSIS, etc.

*Abælardum, vana scientiæ opinione tumidum, et de favore curiæ Romanæ gloriantem, auctoritate Pontificia mature reprimendum.*

Reverendissimo domino et charissimo Patri, Dei gratia summo Pontifici INNOCENTIO, SAMSON Remorum archiepiscopus, JOSLENUS Suescionensis, GAUFRIDUS Catalaunensis, ALVISUS Atrebatensis, voluntarium debitæ subjectionis obsequium.

1. Auribus occupatis ad plurima, sermonem facimus abbreviatum de prolixo negotio, pro eo maxime, quia idipsum diffusius ac plenius continetur in litteris domini Senonensis. Petrus Abælardus christianæ fidei meritum evacuare nititur, dum totum quod Deus est, humana ratione arbitratur se posse comprehendere. Ascendit usque ad cælos, et descendit usque ad abyssos. Nihil est quod lateat eum, sive in profundum inferni, sive in excelsum supra. Homo est magnus in oculis suis, de fide contra fidem disputans, ambulans in magnis et in mirabilibus super se, scrutator majestatis, hæresum fabricator. Jamdudum fecerat librum de sua Trinitate, sed sub Legato Romanæ Ecclesiæ (504) igne examinatus est, quia inventa est in eo iniquitas. Maledictus qui reædificavit ruinas Jericho. Surrexit a mortuis liber ille, et cum eo multorum hæreses quæ dormierant; surrexerunt, et apparuerunt multis. Jamjam extendit palmites suos usque ad mare, et usque ad Romam propagines ejus. Hæc gloriatio hominis illius, quod liber suus in curia Romana habet, ubi caput suum reclinet. Hinc confirmatus et confortatus est furor ejus.

2. Propterea cum in conspectu episcoporum super his argueret eum abbas Claræ-Vallis, zelo fidei et justitiæ armatus; nec confessus est, nec negavit: sed a loco et judice quem sibi ipse elegerat, sine læsione, sine gravamine, ut suam prolongaret ini-

quitatem, Sedem apostolicam appellavit. Episcopi autem, qui propter hoc in unum convenerant, vestræ Reverentiæ deferentes, nihil in personam ejus egerunt: sed tantummodo capitula 185 librorum ejus, a sanctis Patribus condemnata, ne morbus serperet, medicinali necessitate abjudicaverunt. Quia ergo homo ille multitudinem trahit post se, et populum qui sibi credat, habet; necesse est ut huic contagio celeri remedio occurratis.

*Sero (enim) medicina paratur*

*Cum mala per longas invaluerint (505) moras.*

(OVID. *De rem. am.*, v. 91, 92.)

Processimus in hoc negotio quousque ausi sumus: tuum est de cætero, beatissime Pater, providere, ne in diebus tuis aliqua hæreticæ pravitate macula decor Ecclesiæ maculetur. Tibi commissa est sponsa Christi, amice sponsi: tuum est tandem uni viro virginem castam exhibere Christo.

EPISTOLA CXCII.

AD MAGISTRUM GUIDONEM DE CASTELLO (506).

*Monet eum ita diligere et fovere Abælardum, ut tamen errores ejus non foveat.*

Venerabili domino, et charissimo Patri, magistro GUIGONI, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Dei gratia presbytero cardinali, BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, non declinare ad dexteram, nec ad sinistram.

Injuriam facio vobis, si aliquem a vobis ita diligere credam, ut cum eo pariter ejus errores diligatis. Quisquis enim sic aliquem diligit, nondum novit quemadmodum oportet eum diligere. Talis namque dilectio terrena est, animalis, diabolica, nocens æque diligenti atque dilecto. Existiment alii de aliis prout volunt: ego adhuc de vobis æstimare non possum, nisi quod vicinum est rationi, quod ad lineam pertinet æquitatis. Quidam prius judicant, et postea probant: ego de potione, utrum dulcis sit an amara, ante gustum non judicabo. Magister Petrus in libris suis profanas vocum novitates inducit et sensuum: disputans de fide contra fidem, verbis legis legem impugnat. Nihil videt per speculum et in ænigmate; sed facie ad faciem omnia intuetur, ambulans in magnis et in mirabilibus super se. Melius illi erat, si juxta titulum libri sui (507), se ipsum cognosceret, nec egrederetur mensuram suam, sed saperet ad sobrietatem. Ego non eum accuso apud Patrem: est qui eum accuset liber suus, in quo sibi male complacuit. Cuius de Trinitate loquitur, sapit Arium: cum de gratia, sapit Pelagium: cum de

Præfatione in tomum primum, ubi de schismate Anacleti.

(505) Editiones Ovidii quas inspeximus, convalescere; ut et ipse Bernardus infra, epist. 342, n. 3

(506) Scripta anno Christi 1140. — In tribus manuscriptis Colbertinis: *Ad Magistrum Guidonem de Castello, qui Petri discipulus fuerat, et de quo potissimum præsumebat, qui postea papa Cælestinus fuit, nempe eo nomine secundus anno 1143. Ad eundem epistolam 169, post quam hæc ponitur in quibusdam manuscriptis uti et sequens.*

(507) Quem inscripsit, *Scito te nossum,*

(501) Eadem verba leguntur in fine epistolæ nunc 338, ad Haimericum. Quis sit iste Jacinctus seu Hyacinthus, incertum. An is qui postea creatus cardinalis a Lucio II, cognomento Bobo, tituli Sanctæ Mariæ in Cosmedin. De eo mentio facta videtur in epistola 508, apud Chesnium tomo II. Nicolaus erat Claræ-Vallensis monachus, postea S. Bernardi notarius, de quo ad epistolam 298.

(502) Scripta anno Christi 1140.

(503) Scripta eodem anno.

(504) Nempe Conone, et quidem in synodo Suescionensi anni 1121, ex notis ad epistolam 187, et ex

persona Christi, sapit Nestorium. Minus de vestra æquitate præsumo, si diu vos rogavero, ut in causa Christi nullum Christo præponatis. Illud autem scitote, quia expedit vobis, quibus potestas data est a Domino; expedit Ecclesiæ Christi, expedit illi etiam homini, ut ei silentium imponatur, cujus maledictione os plenum est, et amaritudine, et dolo.

EPISTOLA CXCIII.

AD MAGISTRUM IVONEM CARDINALEM (508), DE EODEM. *Indignum esse ut Abælardus in Romana curia fautores inveniat.*

Dilectissimo suo IVONI, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Dei gratia presbytero cardinali, BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, diligere justitiam, et odire iniquitatem.

Magister Petrus Abælardus, sine regula monachus, sine sollicitudine prælatus, nec ordinem tenet, nec tenetur ab ordine. Homo sibi dissimilis est, intus Herodes, foris Joannes; totus ambiguus, nihil habens de monacho, præter nomen et habitum. Sed quid ad me? Unusquisque onus suum portabit. Aliud est quod dissimulare non possum, quod pertinet ad omnes qui diligunt nomen Christi. Iniquitatem in excelso loquitur: integritatem fidei, castitatem Ecclesiæ corrumpit. Transgreditur terminos quos posuerunt patres nostri: **186** de fide, de Sacramentis, de sancta Trinitate disputans et scribens, singula pro sua voluntate mutat, auget, et minuit. In libris et in operibus suis ostendit se fabricatorem mendacii et cultorem perversorum dogmatum; hæreticum se probans, non tam in errore, quam in pertinacia et defensione erroris. Homo est egrediens mensuram suam, in sapientia verbi evacuans virtutem crucis Christi. Nihil nescit omnium quæ in cælo et quæ in terra sunt, præter se ipsum. Damnatus est Suesione cum opere suo coram legato Romanæ Ecclesiæ (509). Sed quasi non sufficeret ei illa damnatio; iterum facit, unde iterum damnetur: et jam novissimus error peior est prior. Securus est tamen, quoniam cardinales et clericos curiæ se discipulos habuisse gloriatur, et eos in defensione præteriti et præsentis erroris assumit, a quibus judicari timere debuit et damnari. Si quis spiritum Dei habet, illius versiculi recordetur: *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam?* (Psal. cxxxviii, 21.) Liberet Deus per vos, et per cæteros filios suos, Ecclesiam suam a labiis iniquis et a lingua dolosa.

EPISTOLA CXCIV (510).

RESCRIPTUM DOMINI INNOCENTII PAPÆ CONTRA HÆRESSES PÆTRI ABÆLARDI.

INNOCENTIUS Episcopus Servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, HENRICO Senonensi, SAMSONE Remensi, archiepiscopis, eorumque suffraganeis, et

(508) Scripta anno Christi 1140. — Ivo, ex canonico Sancti-Victoris Parisiensis cardinalis Sancti-Laurentii in Damaso creatus anno 1130, de quo in epistola 144. In Galliam legatus Radulfum Viromandunorum comitem excommunicavit, infra ad epistolam 216. De ejus testamento lege epistolam 218.

charissimo in Christo filio BERNARDO Claræ-Vallis abbati, salutem et apostolicam benedictionem.

1. Testante Apostolo, sicut unus Dominus, ita una fides esse dignoscitur (Ephes. iv, 5); in qua tanquam in immobili fundamento, præter quod nemo potest aliud ponere, firmitas catholicæ Ecclesiæ inviolata constitit. Inde est quod beatus Petrus Apostolorum princeps, pro eximia hujus fidei confessione, a Domino ac Salvatore nostro audire meruit: *Tu es, inquit, Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (Matth. xvi, 18): petram utique firmitatem fidei, et catholicæ unitatis soliditatem manifeste designans. Hæc siquidem est inconsutilis tunica Redemptoris nostri, super qua milites sortiti sunt, sed eam dividere minime potuerunt (Joan. xix, 23, 34): contra quam in initio fremderunt gentes, et populi meditati sunt inania; adstiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum (Psal. 11, 1, 2). Verum apostoli, duces dominici gregis, et eorum successores apostolici viri, ardore charitatis et zelo rectitudinis succensi, fidem defendere, et eam in cordibus aliorum proprii sanguinis effusione plantare non dubitarunt. Denum cessante persecutorum rabie, imperavit Dominus ventis, et facta est in Ecclesia tranquillitas magna.

2. Sed quia hostis humani generis semper circuit quærens quem devoret, ad impugnamdam sinceritatem fidei, fraudulentam hæreticorum fallaciam subinduxit. Contra quos viri Ecclesiarum pastores viriliter insurgentes, eorum prava dogmata cum ipsorum auctoribus condemnarunt. In magna namque Nicæna synodo Arius hæreticus est damnatus. Constantinopolitana synodus Manichæum hæreticum debita sententiâ condemnavit. In Ephesina synodo Nestorius condignam sui erroris damnationem excepit. Chalcedonensis quoque synodus Nestorianam hæresim, et Eutychianam cum Dioscoro et ejus complicitibus justissima sententiâ confutavit. Marcianus præterea, hæc laicus, christianissimus tamen Imperator, catholicæ fidei amore succensus, prædecessori nostro sanctissimo papæ Joanni scribens adversus eos qui sacra mysteria profanare contendunt, inter cætera sic loquitur, dicens: « Nemo clericus, vel militaris, vel alterius cujuslibet **187** conditionis, de fide christiana publice tractare conetur in posterum. Nam injuriam facit iudicio reverendissimæ synodi, si quis semel judicata et recte disposita revolvare, et iterum disputare contendit: et in contemptores hujus legis, tanquam in sacrilegos, poena non deerit. Igitur si clericus erit, qui publice tractare de religione ausus fuerit, consortio clericorum removebitur (511). »

3. Dolemus autem, quoniam, sicut litterarum vestrarum inspectione, et missis a vestra Fraternitate

(509) Nimirum sub annum 1121.

(510) Scripta anno Christi 1140.

(511) Duplex in hunc locum irrepsisse mendum videtur, nempe quoad inscriptionem, ac nomen Papæ tum existentis. Exstat quidem hæc Marciani imperatoris epistola sive decretum inter acta

nobis errorum capitulis (512) cognovimus, in novissimis diebus, quando instant periculosa tempora, in Petri Abælardi pernicioſa doctrina et prædictorum hæreses, et alia perversa dogmata catholicæ fidei obviantia pullulare cœperunt. Verum in hoc maxime consolamur, et omnipotenti Deo gratias agimus, qui in partibus vestris pro patribus tales filios suscitavit, et tempore apostolatus [nostri in Ecclesia sua tam præclaros voluit esse pastores, qui novi hæretici calumniis studeant obviare, et immaculatam sponsam uni viro virginem castam exhibere Christo. Nos itaque qui in beati Petri cathedra, cui a Domino est dictum: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (Luc. xxii, 32), licet indigni residere conspicimur, communicato fratrum nostrorum episcoporum et cardinalium consilio, destinata nobis a vestra discretione capitula, et universa ipsius Petri perversa dogmata sanctorum canonum auctoritate cum suo auctore damnavimus, eique tanquam hæretico perpetuum silentium imposuimus. Universosque erroris sui sectatores et defensores, a fidelium consortio sequestrandos, excommunicationisque vinculo innodandos esse censemus. Datum Laterani decimo septimo calendis augusti.

## EPISTOLA CXCV.

AD EPISCOPUM CONSTANTIENSEM (513).

*Monet ut Arnaldum de Brixia, Italia et Gallia pulsum, et jam apud ipsum delitescens expellat, aut potius ad cavenda majora damna vinctum teneat.*

1. Si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilet utique, et non sineret perfodi domum suam

concilii Chalcedonensis, Leone papa Magno celebrati anno 451, sed ad cives Constantinopolitanos directa, non vero ad Leonem summum pontificem, multo minus ad Joannem, qui annis amplius octoginta post Marciani Augusti obitum Romanam sedem obtinuit. Potest itaque locus iste restitui exprimendo nomen Papæ in casu absoluto, hoc modo: *Sanctissimo papa Leone prædecessore nostro scribens*, etc.

(512) Hæc habes tomo II, ad opusculum 11.

(513) Scripta anno Christi 1140. — An de Constantiensi Galliæ, an vero de Constantiensi ad Rhenum intelligenda sit hæc epistola, incertum. Ad posteriorem potius inclinat animus, quod Arnaldus, a regno Francorum exturbatus, apud hunc cui directa est epistola delitescere referatur. Huic sedium præerat Hermannus de Arbona, qui Bernardum Francofurti adiit, ex libro sexto De miraculis Bernardi, cap. 1, ipsumque Bernardum Constantiam adduxit. Eidem Gaufridus dicat Miracula ejusdem sancti, a libro vi, cap. 10.

(514) Hominem ita depingit Otto Frisingensis, de Gestis Friderici, libro II, cap. 20: « Arnaldus iste ex Italia civitate Brixia oriundus, ejusdemque ecclesiæ clericus, ac tantum lector ordinatus, Petrum Abælardum olim præceptorem habuerat: vir quidem naturæ non hebetis, plus tamen verborum profluvio, quam sententiarum pondere copiosus, singularitatis amator, novitatis cupidus, cujusmodi hominum ingenia ad fabricandas hæreses, schismatumque perturbationes sunt prona. Is a studio a Galliis in Italiam revertens, religiosum habitum, quo amplius decipere posset, induit, omnia lacerans, omnia rodens, nemini parcens, clericorum ac episcoporum derogator, monachorum persecutor, laicis tantum

(Matth. xxiv, 43). Scitis quia fur de nocte irruerit domum, non vestram, sed Domini; vobis tamen commissam? Sed dubium esse non potest, scire vos, quod apud vos sit, quando id usque ad nos utique tam remotos potuit pervenire. Nec mirum, si non horam prævidere, aut nocturnum furis ingressum observare quivistis. Mirum autem, si deprehensum jam non agnoscitis, non tenetis, non prohibetis exportare spolia vestra, imo pretiosissimas Christi exuvias, animas videlicet, quas sua imagine præsignavit, suo cruore redemit. Adhuc forsitan hæretis, et miramini, quemnam dicere velim. Arnaldum loquor de Brixia (514), qui utinam tam sanæ esset doctrinæ, quam districtæ est vitæ. Et si vultis scire, homo est neque manducans, neque bibens, solo cum diabolo esuriens et sitiens sanguinem animarum. Unus de numero illorum quos apostolica vigilantia notat, *habentes formam pietatis, virtutem illius penitus abnegantes* (II Tim. iii, 5): et ipse Dominus, *Venient*, inquit, *ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces* (Matth. vii, 15). Is ergo usque ad hanc ætatem, ubicumque conversatus est, tam foeda post se, et tam sæva reliquit vestigia, ut ubi semel fixerit pedem, illuc ultra redire omnino non audeat. Denique ipsam, in qua natus est, valde atrociter commovit terram, et conturbavit eam. Unde et accusatus apud dominum Papam schismate pessimo, natali solo pulsus est; etiam et abjurare compulsus reversionem, nisi ad ipsius Apostolici permissionem. Pro simili deinde causa et a regno Francorum exturbatus est schismaticus insignis. Exsecratus quippe a Petro apostolo, **188**

adulans. Dicebat enim nec clericos proprietatem, nec episcopos regalia, nec monachos possessiones habentes, aliqua ratione salvari posse; cuncta hæc principis esse, ab ejusque beneficentia in usum tantum laicorum cedere oportere. Præter hæc de Sacramento altaris, Baptismo parvulorum non sane dicitur sensit. Idem auctor addit, « ipsum in concilio Romano, nimirum anno 1138 silentio multatum, Italia pulsum, in oppidum Alemanniæ Turegum, secessisse, ac prava dogmata effudisse: tandemque comperta Innocentii morte, circa principia pontificatus Eugenii urbem ingressum, amplius eam in seditionem excitasse: proponendo antiquorum Romanorum exempla, qui ex senatus maturitatis consilio... totum orbem suum fecerint. Quare reædificandum Capitolium, renovandam dignitatem senatoriam, reformandum equestrem ordinem docuit. Nihil in dispositione urbis ad Romanum spectare Pontificem, sufficere sibi ecclesiasticum judicium debere. In tantum vero hujus venenosæ doctrinæ cœpit invalescere malum, ut non solum nobilium Romanorum seu Cardinalium diruerentur domus et splendida palatia, verum etiam Cardinalibus reverendæ personæ, inhoneste sauciatis quibusdam, a furenti plebe tractarentur. « Jordanem, Petri Leobis filium, in Patricium fuisse electum idem auctor testatur, Chronici libro vii, cap. 20. » Tandem, inquit, « in manus quorundam incidens, in Tusciæ finibus captus, Principis examini reservatus est, et ad ultimum a Præfecto urbis ligno adactus, ac rogo in pulverem redacto funere, ne a stolidâ plebe corpus ejus venerationi haberetur, in Tiberim sparsus. » Hæc quidem late, sed pro loco,

adhæserat Petro Abælardo : cujus omnes errores, ab Ecclesia jam deprehensos atque damnatos, cum illo etiam et præ illo defendere acriter et pertinaciter conabatur.

2. Et in his omnibus non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta. Nam etiam ita vagus et profugus super terram, quod jam non licet inter suos, non cessat apud alienos, tanquam leo rugiens, circuiens et quærens quem devoret. Et nunc apud vos, sicut accepimus, operatur iniquitatem, et devorat plebem vestram, sicut escam panis. Cujus maledictione et amaritudine os plenum est, veloces pedes ejus ad effundendum sanguinem : contritio et infelicitas in viis ejus, et viam pacis non cognovit. Inimicus crucis Christi, seminator discordiæ, fabricator schismatum, turbator pacis, unitatis divisor : cujus dentes arma et sagittæ, et lingua ejus gladius acutus. Molliti sunt sermones ejus super oleum, et ipsi sunt jacula. Unde et solet sibi allicere blandis sermonibus et simulatione virtutum divites et potentes, juxta illud : *Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem (Psal. ix, 29)*. Demum cum fuerit de illorum captata benevolentia et familiaritate securus, videbitis hominem aperte insurgere in clerum, fretum tyrannide militari, insurgere in ipsos episcopos, et in omnem passim ecclesiasticum ordinem desævire. Hoc scientes, nescio an melius salubriusve in tanto discrimine rerum agere valeatis, quam juxta Apostoli monitum, auferre malum ex vobis (*I Cor. v, 13*). Quanquam amicus sponsi ligare potius, quam fugare curabit, ne jam discurrere et eo nocere plus possit. Hoc enim et dominus Papa, dum adhuc esset apud nos, ob mala quæ de illo audiebat, fieri scribendo mandavit ; sed non fuit qui faceret bonum. Denique si capi vulpes pusillas demolientes vineam Scriptura salubriter monet (*Cantic. ii, 15*), num multo magis lupus magnus et ferus religandus est, ne Christi irrumpat ovilia, oves mactet et perdat?

#### EPISTOLA CXCVI (515).

AD GUIDONEM LEGATUM DE EODEM.

*Cavendam ei familiaritatem Arnaldi de Brixia, ne sub ejus auctoritate securius errores suos disseminet.*

1. Arnaldus de Brixia, cujus conversatio mel, et doctrina venenum : cui caput columbæ, cauda scorpionis est ; quem Brixia evomuit, Roma exhorruit, Francia repulit, Germania abominatur, Italia non vult recipere, fertur esse vobiscum. Videte, quæso, ne vestra auctoritate plus noceat. Nam cum et artem habeat, et voluntatem nocendi, si accesserit

(515) Scripta anno Christi 1140.

(516) Scripta anno Christi 1141. — In duobus Colbertinis hæc epistola inscribitur *ad Petrum Bisuntinum*, nullo addito titulo ; in tertio, *Bisuntinum* ; in quarto, *Bisupinum*. In primis editis, *ad Petrum Bisuntiam* ; posteriores addiderunt, *decanum* ; quidam, *archidiaconum*. Monachum Casæ-Dei (quod est insigne Ordinis S. Benedicti cœnobium apud Arvernus) fuisse conjiciebamus aliquando ex duabus sequentibus epistolis, quæ de eodem scriptæ vide-

rit favor vester, erit funiculus triplex, qui difficile rumpitur, supra modum, ut vereor, nociturus. Et unum existimo de duobus, si tamen verum est quod vobiscum hominem habeatis : aut minus scilicet notum vobis esse illum ; aut vos, quod est credibilius, de ejus correctione confidere. Et utinam id non frustra. Quis det de lapide hoc suscitare filium Abrahæ ? Quam gratum munus susciperet mater Ecclesia de manibus vestris vas in honorem, quod tamdiu passa est in contumeliam ? Licet tentare ; sed vir prudens cautus erit non transgredi prælinitum numerum ab Apostolo, qui ait : *Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita ; sciens quia subversus est qui ejusmodi est, et delinquit proprio judicio condemnatus (Tit. iii, 10, 11)*. Alioquin familiarem habere, et frequenter admittere ad colloquendum, ne dicam ad convivendum, suspicio favoris est, et inimici hominis fortis armatura. Secure annuntiabit et facile persuadebit quæ volet domesticus et contubernalis legatus apostolicæ Sedis. Quis enim a latere domini Papæ mali quidpiam suspicetur ? Sed et si in manifesto **189** perversa loquitur, quis se facile opponere audeat vestro collaterali ?

2. Deinde videtis qualia post se, ubicunque habitavit, reliquit vestigia. Non sine causa vigor apostolicus hominem Italia ortum transalpinare coegit, repatriare non patitur. Quis vero extraneorum, ad quos ejectus est, non eum omnimodis cuperet suis reddidisse ? Et certe sic se habere ad omnes, ut omnibus odio habeatur, approbatio judicii est quod portat, ne quis dicat subreptum fuisse domino Papæ. Quale est ergo summi Pontificis suggillare sententiam, et illam sententiam, cujus rectitudinem ejus ipsius, in quem data est, etsi lingua dissimulat, vita clamat ? Itaque favere huic, domino Papæ contradicere est, etiam et Domino Deo. Per quemcumque enim justa sententia juste detur, ab illo certum est processisse, qui loquitur in propheta : *Ego qui loquor justitiam (Isa. lxiii, 1)*. Confido autem de vestra prudentia et honestate, quia visis his litteris de veritate certus, non abducemini amodo quidpiam assentire in hac re, nisi quod vos deceat, et Ecclesiæ Dei expediat, pro qua legatione fungimini. Diligimus vos, et ad vestrum obsequium parati sumus.

#### EPISTOLA CXCVII.

AD PETRUM BISUNTINUM DECANUM (516).

*Incipit eum ob injurias abbati Chari-Loci illatas.*

Peregrinationem abbatis Chari-Loci (517) sic

bantur. At diversos fuisse colligimus ex charta Anserici archiepiscopi Bisuntinensis de Faverniaco, cui chartæ anno 1152 Petrus de Treva decanus Sancti-Stephani subscribit cum Hugone archidiacono Faverniacensi. Erat autem ecclesia S. Stephani cathedralis apud Vesontionem, uti et alia S. Joannis Evangelistæ, quæ sola modo superest, alia nuper excisa.

(517) Charus Locus, diocesis Bisuntinensis, filia Claræ-Vallis, fundatur anno 1131. Primus loci abbas

accipimus, quasi jam mortuum eum videamus. Vobis maxime (quod vehementer doleo) imputatur quidquid illi periculi imminet, quidquid laboris incumbit. Non hoc a vobis expectavimus, quia nec meruimus. Alium vos putavimus, et alium experimur. Testimonium perhibent vobis qui interfuerunt actioni, quod nec sincere, nec secundum justitiam in ea vos habuistis. Et credo ex parte. Nam et venerabilis abbas Bellæ-Vallis (518) non multum sibi complacet in vobis. Nolite, quæso; nolite persequi servos Dei, quibus ab ipso dictum legitis: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei* (Zachar. II, 8). Nolite radicitus evellere de cordibus nostris, si quid aliquando bene sensit de vobis. Et hæc ita dicimus vobis, non quia vos non diligimus, sed ut de medio fiat, quo potest contingere ut non diligamus. Dico autem tanquam amicus: non expedit vobis, neque Ecclesiæ vestræ, ut domino Papæ quod actum est, sicut actum est, innotescat.

EPISTOLA CXCVIII (519).

AD DOMINUM PAPAM INNOCENTIUM.

*Guidonem a vi et injuriis oppressoris vindicari rogat. Nihil æque decere summum Ecclesiæ Præsulem ac zelum justitiæ.*

1. In causæ actione, quæ per charissimum fratrem nostrum Guidonem Chari-Loci abbatem vestro conspectui præsentatur, puto, satis apparet et lacescentis injuria, et innocentia patientis, et incuria judicis. Denique violentia calumniantis et inopia justitiæ compulsus est pauper confugere ad vestram præsentiam, non reputans laborem viæ, non expensas, non periculum temporis. Dedit manus morti, ne vivat in perturbatione, quietis amator. Clementer, quæso, respicite super egenum et pauperem: ne frustra vestris paternis auribus intimatus sit tantillarum virium tantus labor et dolor. Olim per epistolas semel et secundo testificatus sum vobis de homine illo, qui huic modo calumniatur, quod sui esset et prævaricator propositi, et monasterii dissipator (520). Nunc autem et flens dico inimicum crucis Christi, sanctorum qui in circuitu ejus sunt, violentissimum oppressorem, et calumniatorem pauperum: qui propria jam pene non habens quæ devoret, in proxima passim more tyrannico debacchia-

tur. Monachum habitu mentiens, re exhibet unum de prædonibus, omnino immemor regularium observationum, legum canonumque contemptor. Frontosus ad verecundiam, insensatus ad metum, inflexibilis ad pietatem, ad iram præceps, audax ad facinus, pronus ad injurias. Et miror quomodo vir religiosus abbas Casæ Dei in monacho suo tot et tanta vitia aut ignorare possit, aut dissimulare.

2. Sed de hoc quid ad nos? ipse viderit: ipse suo domino stat aut cedit. Nobis sufficit liberari de manibus ejus. A vobis id omnimodis flagitamus, quod aliunde frustra tentatum est. Circumspeximus, et non erat auxiliator. Ventum est ad commune refugium: illo confugimus, ibi confidimus liberari. Tantum adsit pietas; nam facultas non deest. Et quidem ex privilegio Sedis apostolicæ constat, summam rerum ad vestram potissimum respicere summam auctoritatem et plenariam potestatem. Verum hoc inter cætera vestri singularis primatus insignia, specialius nobilisque nobilitat vestrum et inclytum reddit apostolatam, si eripitis pauperem de manu fortiorum ejus. Nulla meo judicio in corona vestra pretiosior gemma zelo illo vestro, quo æmulari consuevistis oppressos, nec relinquitis virgam peccatorum super sortem justorum: nimirum propter illud quod sequitur, *Ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas* (Psal. cxxiv, 3); vel propter illud quod alibi dicitur, *Quia, dum superbit impius, incenditur pauper* (Psal. ix, 23): et unde alter torquetur in corpore, inde alter gravius in anima perit.

3. Est item monasterium de nostro Ordine vicinum huic, quod malorum similiter hominum gravi infestatione vexatur, et non est qui redimat, neque qui salvum faciat. Et pro hoc quoque puer vester paterna vestra viscera lacrymosis precibus concutere non veretur. Qui illi sunt homines, quæve occasio calumniandi, præsentium lator abbas veraci et viva voce referet vobis. Deus omnipotens vos nobis conservet longis temporibus, ad nostram omnium protectionem, qui in habitu et proposito pœnitentiæ pauperem vitam ducimus, ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi (Luc. I, 74).

Guido, de quo hac in epistola et sequenti. Is a quodam Petro monacho infestatus, ac injuste oppressus, summum pontificem Innocentium appellavit cum litteris Bernardi commendatitiis (epist. 198). At cum veterator ille causam suam remitti ad Gallicanos judices impetrasset, commissum est judicium Joanni ex abbate Bonæ-Vallis Cisterciensis episcopo Valentino, qui simul cum Gratiopolitanano litem dirimeret. Et tunc primum quidem factum est ut Cisterciensibus quæstiones eorum, quæ ad suum Ordinem pertinerent, demandarentur judicandæ ob probatam fidei integritatem. Quod postea usu receptum induxit celebrem illam et honorificam in jure exceptionem: « Quod licet non possit quis esse judex, non modo in sua, sed neque in suorum causa » l. Qui de jurisdictioni. ff. de Jurisd. omn. Judicium; « tamen si persona judicis est ejusmodi quod omnis suspicio verisimiliter cesset, ut si sit monachus Cisterciensis, hoc non procederet, neque talis posset recusari,

ut habet Tiraquellus de Pœnis temp. aut. remitt. 15, n. 60, et alii plures. Pronuntiata in gratiam Chari-Locensis abbatis sententia, rursus prædictus ille Petrus interpellat Innocentium, ad quem Bernardus scripsit epistolam 199, ut justa episcoporum sententia confirmaretur.

(518) Bella-Vallis, de linea Morimundi, sita est in diocesi Bisuntina prope urbem. De Chari-Loco, in libro quarto Vitæ S. Bernardi, n. 40; de Bella-Valle, in eodem libro, n. 7.

(519) Scripta anno Christi 1141.

(520) Non aliud videtur istud monasterium, quam abbatia B. Mariæ de Faverniaco, quam Ansericus Bisuntinensis archiepiscopus Stephano de Mercorio, Casæ-Dei tunc abbati, regendam concessit anno 1135. Huic Stephanum merito virum religiosum vocat Bernardus, cum is miraculis fulsisse dicatur, mortuus quarto kalendas apriles anno 1146. De abbatia Faverniacensi infra in epistola modo 391.



## EPISTOLA CXCIX (521).

AD EUMDEM.

Unde supra.—Rogat sententiam pro Religiosis inique oppressis latam confirmari, nec ulterius aures præberi calumniis.

Usquequo et superbit impius, et incenditur pauper? usquequo a tanta impudentia innocentia tanta vexatur, et hoc vivo Innocentio? Peccata sine dubio nostra hoc faciunt, quod dominus meus tam sero advertit mentientes sibi, tam lente exaudit clamantes ad se; in hac causa duntaxat: nam alias quidem scimus familiare esse domino meo, et cito intelligere, et facile misereri. Propter eum qui elegit vos, et posuit vos refugium oppressorum, ponite jam tandem finem et malitiæ oppressoris, et laboribus afflictorum: quia satis utraque res venit in lucem et manifestationem. **191** Denique ad mandatum beneplaciti domini mei causa discussa, et terminata est: superest ut ipsius auctoritate data sententia confirmetur. Ergone si venerit homo mendax adversus tantorum virorum testimonium (Valentinum loquor, et Gratianopolitanum) (522), audietur? Iterum supplico, et ad pedes domini mei ea qua possum mente anxia descendo, ne ab homine iniquo et doloso religiosum monasterium destrui patiatur. Etenim non parcat nostro, qui suum pene destruxit. Unde addo solita præsumptione: Si puero vestro crederetis, hominem hunc, qui beneficio pietatis vestræ abutitur, in claustrum suum remitteretis, et domino abbati Casæ-Dei mandaretis ut in monasterio, quod ille inutiliter occupat, virum religiosum promoveret, et regularem ordinaret conventum. Hoc plane dignum apostolatu vestro, hoc beneplacitum Deo, hoc honor domino abbati Casæ-Dei, suoque monasterio. Sic etiam liberaretis animam prædicti hominis, et ipsum, cui incubat, monasterium.

## EPISTOLA CC (523).

AD MAGISTRUM ULGERIUM ANDEGAVENSEM EPISCOPUM, PRO GRAVI QUERELA QUÆ ERAT INTER IPSUM ET ABBATISSAM FONTIS-EBRALDI (524).

1. Lacrymas magis quam litteras dare libet. Sed quoniam ad neutrum inops est charitas, et has oportet dare, et illas non omittere: has vobis, illas mihi; et pusillis multis mei similibus, qui scandalizantur. Dicitis forsitan scandalum non esse per vos. Numquid propter vos esse negabitis? Facile cætera portarem, tantum vos non essetis in causa. Nam in culpa dicere non audeo. Non est meum discutere hoc: est qui quærat et iudicet. Væ homini illi per quem scandalum venit! iudicium profecto portabit

(521) Scripta eodem anno.

(522) Vide Notas ad epistolam 197.

(523) Scripta circa annum 1140.

(524) Petronillam scilicet abbatissam primam, cui anno 1150 successit Mathildis. Petronillæ obitus in Necrologio ponitur octavo kalendas maii, ubi constituta dicitur abbatissa a magistro Roberto Ordinis Fontis-Ebraldi auctore, quod insigne virginum cœnobium est in diocesi Pictaviensi, haud procul a finibus Turonum et Andegavorum. Gravis fuit controversia ejus loci sanctimonialibus intentata ab Ulgerio episcopo Andegavensi, cujus religionem et scientiam

A quisquis est ille, vel illa. Cæterum ad vos mihi nunc sermo: sustinete modicum quid insipientiæ meæ. Quia semel cœpi, loquar ad dominum meum: faciam satis vel ex parte zelo et affectui qui loquitur. Non verebor ætatem, dignitate non terrebor, non cunctabor ad nomen grande magistri Ulgerii. Nam quo grandius nomen, eo grandius scandalum. Propterea me ipsum transgrediar, et ero insipiens. Seniores increpabo, episcopum arguam, magistrum conabor docere, consilium dare sapienti. Nullum præsumptionis genus prætereat charitas et æmulatio, quam olim pro sanctitate et gloria nominis vestri conceperam. Cujus gloriæ diffusum circumquaque spirituale odorem, invidia diaboli interpolatum esse vel modice, mihi pro modico non est, sed neque Ecclesiæ Dei, quæ ubique tam celebri gaudio in hoc meridiano lumine exsultare solebat.

2. Verum vos quantum propriam gloriam contemnatis, satis apparet. Laudo, sed si non usque ad injuriam Dei. Laudo et constantiam, qua nec summis potestatibus ceditis de jure vestro, quod putatis: sed si non pertinacius quam constantius id agi a vobis videretur. Quam gloriosius, et certe sanctius vobis illatam injuriam fortiter sustineretis, et famam vestram ad gloriam Dei custodiretis! quam nescio quomodo vel conscientiam vestram esse in tuto confiditis sub hoc scandalo. Nec enim excusat vos, etiamsi in quempiam alterum jure culpam refunditis. Esto quod alius moverit scandalum: profecto compescere vos potestis. Nolle compescere, sine culpa erit? aut vero compescere, sine gloria erit? Malum si comprimam tuum, reputabitur tibi ad justitiam; si alienum, ad **192** gloriam. Quicumque auctor sit scandali, a vobis omnimodis exigitur tolli: et in eo loco excusatum dicimus, si non potestis. An non denique ministerium est Angelorum, tollere scandala de regno Dei? (*Matth. XIII, 41.*) Si dixeritis: Quid ad nos? arguet vos illa sententia: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt de ore ejus; angelus enim Domini est (Malach. II, 7).* Si ergo hoc scandalum, cum possitis, non tollitis, plane non impletis ministerium vestrum: quod quidem an nulla sit culpa, vos iudicabitis. Ego vero nec hoc sufficere dixerim, si non et honorificatis.

3. Est quoque quod adhuc addam, nisi quia timidior sum, fateor, quam promisi. Sed tutius adduco magistrum, qui non vereatur episcopo nudam dicere veritatem. *Hoc ipsum, inquit, dilectum est*

prædicat Ordericus in libro XII, pag. 882, ad annum 1124, quo anno is Rainaldo ad Remorum sedem translato suffectus est, sapientia, moribus, sanctitate cæteris episcopis sui temporis præcellens, ex Actis episcoporum Cenomannensium, Analectorum, tomo III, pag. 335. Is hujusce liti gratia Romam non semel se contulit ad Innocentium et Lucium, qui sanctionialium patrocinium susceperunt, ut patet ex eorum bullis editis, tum in Historia Fontis-Ebraldi, tum in dissertatione secunda pro B. Roberto de Arbrisellis. Vide epistolam 540.

*in vobis, quod causas habetis inter vos. Quare non magis fraudem patimini?* (1. Cor. vi, 7.) Opposuit speculum, refulsit justitiæ sol, emicuit veritas, nævus apparuit. Quanti est igitur nescio quæ illa possessiuncula maledicta, ut ulterius jam possit aut obumbrare tam manifestam veritatem, aut impedire tam optatam correptionem? Inspiret Deus vobis acquiescere consilio, ut non dicam nostro, sed omnium qui æmulantur vos Dei æmulatione, reverende et omni gloria prosequende pater.

## EPISTOLA CCI.

AD BALDUINUM ABBATEM REATINI MONASTERII (525).

*Hortatur ut strenue incumbat officio suo: huc vero requirit verbum prædicationis, exemplum operis, et præcipue studium orationis.*

1. Epistola quam misisti, affectum tuum redolet, movet meum. Et doleo quod prout moveor non possum rescribere. Nec immoror in excusandis excusationibus, sciens quod scienti me loquor. Nosti, inquam, sub qua sarcina gemo: et gemitus meus a te non est absconditus. Tu verò pro schedulæ brevitate affectum non æstimes, quem nulla sui prolixitate explicare posset oratio. Et malitia quidem occupationum potest facere ut paucis scribam, sed non ut parum diligam. Actum sane excludat, vel impediat actus: sed numquid affectum? Sicut mater unicum amat filium, ita te diligebam, hærentem lateri meo, placentem cordi meo. Diligam et absentem, ne solatium meum ex te, et non te videar d. lexisse. Eras pernecessarius mihi. Atque hinc vel maxime claret quam sincere te diligam. Hodie nempe non te caruissem, si quæsissem quæ mea sunt. Nunc autem vides quod, spretis utilitatibus meis, tuis compendiis non invidi, ponens te utique ibi, unde aliquando transponaris super omnia bona Domini tui.

2. Tu autem cura inveniri fidelis servus et prudens, conservis tuis cœleste triticum communicare absque invidia, et absque desidia erogare; et noli frustra assumere excusationem, quasi de tui novitate aut de imperitia, quod putas forte, vel simulas. Nam nec sterilis verecundia grata est, nec humilitas præter veritatem laudabilis. Officium ergo tuum attende. Pelle pudorem consideratione officii, age ut magister. Novus es, sed debitor: et ex tunc te noveris debitorem, ex quo te alligasti. Numquid novitas excusabit apud creditorem [al. conditorem] damna lucrorum? Numquid prima tempora vacua præterire patitur fenerator? Sed non sum, inquis, ad ista sufficiens. Quasi vero devotio tua accepta non sit ex eo quod habes, non ex eo quod non habes. De solo tibi credito talento respondere tibi para, **193** securus de reliquo. Si multum accepisti, da multum.

(525) Alius hic fuit a Balduino cardinale, Bernardi iidem discipulo, de quo ad epistolas 144 et 245. Hic enim cardinalis tum erat, cum Balduinus alter regerat Reatinum monasterium Cisterciense, quod duplex est, alterum Sancti-Matthæi, alterum Sancti-Pastoris, cui præfectus Balduinus. Lege Ughelli additiones ad Ciaconium sub Innocentio II, et aliam epistolam ad Reatinum abbatem post Bernardinas.

A Quod si modicum est, et id tribue. Etenim qui in modico fidelis non est, nec in maximo. Totum da, quia totum repetendus es usque ad novissimum quadrantem: sed sane quod habes, non quod non habes.

3. Memento etiam voci tuæ dare vocem virtutis. Quid illud, inquis? Ut opera tua verbis concinant, imo verba operibus, ut cures videlicet prius facere quam docere. Pulcherrimus ordo est et saluberrimus, ut onus quod portandum imponis, tu portes prior; et ex te discas qualiter oporteat aliis moderari. Alioquin subsannabit te sapiens, utpote pigrum illum, cui labor sit manum porrigere ad os. (Prov. xxvi, 15): arguet te et Apostolus dicens: *Tu qui alios doces, te ipsum non doces* (Rom. xi, 21). Sed et notaberis vitio Pharisæorum, qui alligant onera gravia et importabilia, et imponunt ea in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere (Matth. xxiii, 4). Sermo quidem vivus et efficax, exemplum est operis, facile faciens suadibile quod dicitur, dum monstrat factibile quod suadetur. Ergo in his duobus mandatis, verbi scilicet atque exempli, summam tui officii ad conscientiæ securitatem pendere intellige. Tu tamen, si sapis, junges et tertium, studium videlicet orationis, ad complementum utique trinæ illius repetitionis in Evangelio de pascendis ovibus (Joun. xxi, 15-17). In hoc noveris illius trinitatis sacramentum in nullo frustratum a te, si pascas verbo, pascas exemplo, pascas et sanctarum fructu orationum. Manent itaque tria hæc: verbum, exemplum, oratio: major autem his est oratio. Nam etsi, ut dictum est, vocis virtus sit opus; et operi tamen et voci gratiam efficaciamque promeretur oratio. Heu avellor, abripior! non licet ultra. Illud tamen breviter admonitus sis, ut, quam citius poteris, gravi me cures solvere cura; et quid sibi vult, quod inter alia questus es, vulnus a quo non sperabas te pertulisse, non negligas manifestius aperire: id enim anxie me sollicitat.

## EPISTOLA CCII (526).

AD CLERUM SENONENSEM.

*Electionem novi Præsulis non inconsulte et præcipitanter instituendam.*

Destituti benedicto pastore vestro (527), opus est, charissimi, ut de substituendo alio sollicitè satagatis. Sed sane id non præcipitanter agendum, non tumultuose aut inconsulte, ne forte vacuetur quod præter rationem et ordinem præsumetur et vos intrare incipiatis circuitum quorundam qui in circuitu vestro sunt. De vicinis, si placet, Ecclesiis sumite experimentum (528); et illarum vexatio det intellectum auditui in causa præsentis. Grandis quippe res

(526) Scripta anno Christi 1144.

(527) Henrico scilicet, cui successit anno 1114 Hugo ex abbate Pontiniacensi, testante Chronico Hugonis monachi Sancti-Mariani, et alio S. Petri Vivi. Confer epist. 182.

(528) Intelligit Ecclesias Aurelianensem, de qua epist. 156; Catalaunensem, ex epist. 224; et Lingonensem, de quo supra epist. 164 sqq.

est in manibus, nobili Senonensi Ecclesiæ instaurare pastorem. Grandis prorsus, nec sine grandi adorienda consilio. Expectandum proinde suffraganeorum consilium episcoporum, expectandus assensus Religiosorum qui sunt in episcopatu, atque in commune tractandum commune negotium. Alioquin, dilectissimi, moleste, credite, intuebimur tribulationem Ecclesiæ vestræ, moleste vestram ipsorum confusionem. Quod utrumque continget facile, si illud contingat effici, quod oporteat revocari. Ergo indicatur jejunium, convocentur episcopi, Religiosi adsciscantur: nec sua (quod absit!) solemnitate fraudetur tanti sacerdotis rite celebranda electio. Aderit, ut confidimus, Spiritus sanctus votis vestris, et honor erit vobis **194** honorificantibus ministerium vestrum, dum pari voto et consilio studueritis quod gloria sit Dei, et salus populi.

EPISTOLA CCIII (529).

AD ATTONEM EPISCOPUM ET CLERUM TRECENSEM.

*Monet ut Ansellum clericum Trecensem ab armis et conjugio revocent.*

Legimus, Si erraverit quis ex vobis a veritate, et converterit quis eum, scire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operit multitudinem peccatorum (Jac. v, 19, 20). Errat Ansellus noster, errat: cui dubium? Si dimittimus eum sic, non solus errabit. Quantos trahet post se suo exemplo illustrissimus juvenis? Nec modo sequaces, sed et omnes qui poterunt eum revocare, nec revocabunt, eodem errore judicamus involvi. Mundus ego sum a sanguine ejus. Et ei prædixi per epistolam, et vobis nunc dico, quia rem illicitam præsumit. Nec clerici est pugnare armis militaribus, nec subdiaconi uxorem ducere (530). Annuntiate peccatori opus ejus, ne ille in peccato suo moriatur, sanguinem vero ejus de manu vestra requirat qui suo eum redemit sanguine pretioso. En de cælo clamat: *Virgo Israel corruit, et non est qui sublevet eam* (Amos v, 2). Quousque in luto aurum jacet? Tollite margaritam, tollite, le-

(529) Scripta circa annum 1140.

(530) De cælibatu subdiaconorum lege Gregorii Magni epistolam 42, lib. I, etc.

(531) Scripta circa annum 1140.

(532) Aliis *Sancti Albani*, quod nobile monasterium erat apud Anglos Mercios, ab Offa rege constructum. Sed præferenda lectio nostra de monasterio Sancti Albini apud Andegavos, ex quo Guillelmus transiens, susceptus est a Bernardo abbate, tanta gratia virtutum radiavit, ut in omni sanctitate mirabilis appareret etiam quibuscumque perfectis, Exordii Cisterciensis libro III, cap. 14.

(533) Scripta circa annum 1140.

(534) Aliis, *Roverensem*; seu, *Rovrensem*; sed rectius, *Roffensem*, cui sedi in Anglia tunc præsidebat Ascelinus seu Anselmus, qui anno 1137 Joanni successit in annos decem.

(535) Is natione Anglus, Parisiis primum litteras professus, inde in patriam remeans, Oxoniensem academiam pene collapsam restituit. Tum ob singulares animi dotes et eximiam doctrinam ab Innocentio II Romam vocatus, cardinalis tituli S. Eusebii creatus est, et quidem primus ex sua gente, nisi forte Ulrinum quemdam ei præposueris. Sed quoniam

vate splendidissimam atque pretiosissimam gemmam de sterquilinio: levate eam, antequam porcorum, id est spurcorum spirituum, pedibus conculcetur, et jam non sit vas in honorem, sed in contumeliam.

EPISTOLA CCIV (531).

AD ABBATEM SANCTI-ALBINI (532)

*Suum erga eum affectum aperit: mutuum vero conspectum, si præsens vita non permittat, futuræ reservari.*

Etsi facie ignotus es mihi, sed non fama: nec parum aut vile quid tui gratulor me tenere munere illius. Nam talis, fateor, per eam insinuatus es meo pectori, ut, licet in multis occupatum, ipsa tamen serenissima recordatio tui, mi dilectissime frater [al. mi dulcissime frater], facile me plerumque ex omnibus vindicet sibi, ita ut in ea libenter immerer et suaviter requiescam. Cæterum quo memoriam plus accepto, eo avidius suspiro præsentiam. Sed quando istud, aut si quando istud? Utique etsi non ante, profecto in civitate Dei nostri: si tamen non habemus hic manentem civitatem, sed illam inquiremus. Ibi, ibi videbimus nos, et gaudebit cor nostrum. Interim vero delectabor et lætabor nihilominus in his quæ dicta sunt mihi, sperans et exspectans quod reliquum est de visione corporali in die Domini, ut gaudium meum plenum sit. Adde, obsecro, ad ea bona quæ abs te et de te nobis assidue veniunt, tuarumque pro nobis orationes, pater charissime et desideratissime.

EPISTOLA CCV (533).

AD EPISCOPUM ROFFENSEM (534).

*Durius se litteris ejus, sed citra culpam, perstringi.*

Dure scribitis non merenti. Quid peccavi? Si inveni magistrum Robertum Pullum (535) aliquantum **195** tempus facere Parisiis, ob sanam doctrinam quæ apud illum esse dignoscitur; id putavi necessarium, et adhuc puto. Si rogavi Sublimitatem vestram ut permetteretis, etiam nunc idipsum rogarem, nisi eam de priori prece indignatam sensissem. Si dixi hominem fultum gratia amicorum, quorum in curia

anno? nempe 1134, si Onuphrio et Ciaconio credimus. Certe liquet omnino hac dignitate necdum fuisse potitum cum scriberetur hæc epistola, quæ ex ipsa Bernardi litterarum serie circa annum 1140 exarata videtur. Deinde hanc eandem epistolam ad Ascelinum (aliis Anselmum) qui anno 1137 cathedram Roffensem Inuit, missam affirmat Goduvinus, de Præsulis Angliæ. Ad hæc in fine epistolæ gratias agit Bernardus Roffensi episcopo, quod « viscera sua, » nimirum filios a se in Hiberniam transmissos, « refovisset, » Atqui nullos Cisterciensis Ordinis monachos Hiberniam incoluisse ante annum 1139, quo S. Malachias primum Claram-Vallem adiit, constat ex eo quod Bernardus in Vita ipsius cap. 16 scribit, aliquot ex sociis a S. episcopo apud Claram-Vallem dimissos, qui institutum Cisterciense edocti, illud in Hiberniam anno 1141 transtulere, constructo Melli-Fontis cœnobio, quod primum Cistercium fuit in illa provincia, si forte monasterium B. Mariæ Dubliniensis excipias, quod circa annum 1139 Cisterciense jugum subiisse quidam auctores tradunt. Præferenda itaque videtur illius Anglo-Benedictini scriptoris sententia (refertur inter Elogia Pulli Operibus præmissa), qui censet Robertum Pullum ab Inno-

(536) non minima auctoritas est; id dixi, quod vobis **A** formidavi, et adhuc formido. Nam quod post appellationem factam extendistis manum (ut accepimus) ad res appellantis, nec laudavi, nec laudo. Verumtamen voluntati vestræ in aliquo contradicere, nec consului ei nec consulo. De cætero vestri sumus, coronam vestram (537) suscipere, et colere semper digna et debita veneratione parati. Hujus testimonio conscientiæ audemus adhuc ad vos, prece duntaxat atque consilio, ut magister Robertus cum integritate gratiæ vestræ per aliquantum tempus possit Parisius demorari. Retribuat vobis Dominus in vita æterna, quod viscera nostra refovistis: filios nostros loquor, quos misimus in Hiberniam.

## EPISTOLA CCVI.

AD REGINAM JEROSOLYMORUM (538).

*Commendat quemdam consanguineum suum, et paucis monet Reginam ita vivere, ut regnet perpetuo.*

Audierunt homines quod locum gratiæ habeam apud vos et multi profecturi Jerosolymam petunt se vestræ Excellentiæ per me commendari. Ex quibus est iste juvenis consanguineus meus, juvenis, ut aiunt, strenuus in armis, suavis in moribus. Et gaudeo quod ad tempus elegit militare Deo magis quam sæculo. Itaque facite morem vestrum, et bene sit huic propter me; sicut cæteris omnibus propinquis meis fuit, qui per me vobis innotescere potuerunt. De cætero cavete ne voluptas carnis et gloria temporalis impediatur vobis iter regni cœlestis. Nam quid prodest paucis diebus regnare super terram, et regno cœlorum æterno privari? Sed confido in **C** Domino quod melius facietis: et si verum est testimonium quod de vobis perhibet charissimus avunculus meus Andreas (539), cui multum credimus, et hic et in æternum Deo miserante regnabit. Peregrinis, egenis, et maxime inclusis curam impendite: quia talibus hostiis promeretur Deus. Scribite nobis frequentius: quia et vobis non oberit, et nobis proderit, si esse (540) vestrum, et bona studia plenius certiusque noverimus.

centio Romam accersitum, a Lucio ejus successore renuntiatum esse cardinalem, postea vero cancellarii dignitate, vitæque perfunctum Eugenio III pontifice. Eum Theologorum antiquissimum vocant, doctissimum probant tot clara, quorum Pitsæus indicem texuit, ingenii monumenta, quæ quidem omnia in tenebris etiam nunc delitescerent, nisi R. P. domnus Hugo Mathoud, e nostra Congregatione Sanctæ-Columbæ Senonensi cœnobio præfectus, octo sententiarum libros, notis et observationibus doctissimis illustratos, in lucem emisisset. Plura de eo vide, si lubet, in notis ad epistolam 354.

(536) Curia nomine Bernardus solet intelligere Romanam, ut in titulo epistolæ 219, et alibi passim.

(537) Coronæ elogio vir sanctus, more veterum, non raro compellat episcopos, uti et reges, infra epistola 221, nn. 2, 3.

(538) Hæc vocabatur Melisendis, ad quam epistolæ 289, 354, 355.

(539) Ad quem epistola 288.

(540) Id est, statum.

(541) Scripta anno Christi 1159.

(542) Longe nunc aliter Bernardus compellat Rogerium, quam supra eum appellaverit: nempe uti

## EPISTOLA CCVII. (541).

AD ROGERIUM REGEM SICILIÆ.

*Hortatur ut se pauperibus Religiosis benignum et beneficum exhibeat.*

Longe lateque satis dilatata est magnificentia vestra super terram (542). Etenim gloria nominis vestri quos fines non attingit? Sed audite consilium diligentis vos. Studete, quod in vobis est, hanc ipsam gloriam referre ad illum a quo est, si non vultis eam perdere, aut certe perdi ab ea. Hoc autem sic fiet, si inter eos quos regiæ magnificentiæ celebris opinio evocat de longinquo, discretionis oculum aperitis, manumque extenditis non tam cupidis quam egenis. Et vere *beatus qui intelligit, non super cupidum, sed super egenum et pauperem (Psal. xl, 1)*. Illum, inquam, pauperem qui invitatus petit, et verecunde accipit, et accipiens glorificat Patrem suum qui in cœlis est. Cum autem Deo sua gloria de vestro munere ex ore egentium ita fideliter resignabitur, uberiori procul dubio rivo fluat vobis necesse est ille fons gloriæ, qui diligentes se diligit, et glorificat glorificantes se: ut qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metat (*II Cor. ix, 6*). Pro hujusmodi **196** obsecro vos ponere oculos vestros super latorem præsentium, quem pro certo ad vestram regiam præsentiam non cupiditas traxit, sed coegit necessitas. Necessitas dico non sua, sed suorum, multorum videlicet a quibus missus est, servorum Dei fidelium. Audite patienter quid patientur, audite et compatimini; quia si compatimini, et conregnabitis. Nec contemnendum regi regnare cum talibus: ipsorum est enim regnum cœlorum, qui contempserunt vitam mundi. Facite vobis illos amicos de mammona iniquitatis: ut cum defeceritis a terreno regno vestro, recipiant vos in suum regnum æternum (*Luc. xvi, 9*).

non parebat peccantibus, sic benignus et suavis erat resipiscentibus; et mutatis moribus noverat sty-lum mutare, uti indicat in fine epistolæ 224. Apparet ergo hinc resipuisse tandem Rogerium, gravem scilicet quondam Ecclesiæ hostem, perturbatorem pacis, factorem schismatis, Innocentii pontificis persecutorem, imperatoris æmulum. Cujus tanta ferocitas fuit, ut nec rebus, nec personis sacris, nec hostibus parceret defunctis; ut videre est apud Ottonem Frisingensem libro vii. cap. 23, et apud Baronium, tomo XII, ad annum 1156. Unde illa ejus apud Bernardum elogia, « Tyrannus Siculus, » epist. 130, 136; « Invasor regiæ coronæ, usurpator Siculus, » epist. 139; « Dux Apuliæ, quem sibi Anacletus papa usurpatæ coronæ ridicula mercede comparavit, » epist. 127. Mire eam commendat Petrus abbas Cluniacensis, libri quarti epistola 57. Sane postquam Innocentio pontifici, etsi eum haberet captivum, supplex factus, regiæ coronæ confirmationem obtinuit (vide Baronium, ad annum 1159), religiosos viros, Cluniacenses et Cistercienses, in ditiones suas evocavit. Et ipsius quidem Bernardi videndi desiderio tenebatur, uti patet ex epistola sequenti.

## EPISTOLA CCVIII (543)

AD EUMDEM.

*Desideratus a Rege, mittit ex suis, quos ut viscera sua benigne suscipi et severi rogat.*

Si me quæritis, ecce ego, et pueri mei, quos dedit mihi Deus. Fertur namque mea humilitas invenisse gratiam apud regiam majestatem, ita ut quærat videre me. Et quis ego sum, ut dissimulem beneplacitum Regis? Accurro, et, qui quærebar, ecce adsum: non in præsentia corporis infirma, in qua despexit Dominum Herodes (*Luc. xxiii, 11*); attamen in visceribus meis. Nam quis me separabit ab his? Sequar eos quocumque ierint: et si habitaverint in extremis maris, non erunt absque me. Habes, Rex, lumen oculorum meorum, habes cor meum, et animam meam. Quid si modicum nostri abest? Corpusculum loquor, vile istud mancipium, quod etsi voluntas exponeret, sed retineret necessitas. Non valet sequi volantem animum, quoniam infirmum est, et solum pene illi superest sepulcrum. Sed quæ cura? Anima mea in bonis demorabitur, cum semen meum hæreditabit terram. Semen meum, semen bonum. Germinabit, si tamen in terram bonam ceciderit. Lætabitur et delectabitur in crassitudine anima mea; quippe, ut confido, dabitur illi de fructu manuum suarum. Reposita est hæc spes mea in sinu meo, ut patienter feram ab his vel corpore separari. Non mireris, Rex. Ante elegissem a corpore peregrinari, quam istos emittere, si solus causæ deesset Deus. Suscipe illos tanquam advenas et peregrinos, verumtamen cives sanctorum, et domesticos Dei. Parum dixi cives; reges sunt. Ipsorum est enim regnum cælorum, jure et merito paupertatis. Non decet frustra e longinquo esse vocatos, et suis sedibus exsules inutili peregrinatione vagari. Putas poterunt cantare canticum Domini in terra aliena? Sed non recte forte dixerim alienam, quæ semini bono spontaneum expandit sinum, et pretiosum depositum jam læto in gremio pie fovere suscepit. Cecidit, ut video, cecidit granum bonum in terram bonam et optimam: spero in Domino quod radicabit, germinabit, multiplicabitur, et referet fructum in patientia (*Luc. viii, 15*). Porro hunc cum Rege partibor, et unusquisque secundum suum accipiet (*I Cor. viii, 8*).

## EPISTOLA CCIX.

AD EUMDEM.

*Prædicat regiam ejus munificentiam in suscipiendis et fovendis Religiosis a se missis.*

Habetis quod petistis, fecistis quod promisistis. Quos in verbo vestro exposuimus, et misimus peregrinari, regia sunt liberalitate suscepti. Occurristis eis cum panibus, eduxistis eos in refrigerium, constituistis eos super excelsam terram, ut comedant fructum agrorum, ut sugant mel de petra,

(543) Scripta eodem anno.

(544) Scripta circa annum 1139.

(545) Nimirum Samsonem.

(546) Scripta circa annum 1139.

(547) Theobaldus, antea Beccensis abbas.

A oleumque de saxo durissimo; butyrum de armento, et lac de ovibus, et ficus cum medulla tritici, et sanguinem uvæ **197** bibant meracissimum. Et hæc quidem terrena sunt, sed cœlestia mercantur. Sic itur ad astra (*Virg. Æn. ix, 640*): talibus hostiis promeretur Deus. Istorum est enim regnum cælorum, qui regi terræ in terra viventium reddere poterunt pro his terrenis vitam et gloriam sempiternam. Misimus vobis magistrum Brunonem, olim mihi per dies multos individuum comitem, nunc autem patrem multarum quidem animarum lætantium in Christo, sed egentium in sæculo. Experiatur et ipse munificam manum regis, ut augeatur numerus amicorum, qui ipsum recipiant in æterna tabernacula. Quod illi facitis, mihi facitis: quia quod illi deest, a me exigitur. At quia marsupium nostrum minus sufficiens est, ad vestrum sane, quod aliquando grossius esse liquet, pauperem Christi merito destinare curavi.

## EPISTOLA CCX (544).

AD DOMINUM PAPAM INNOCENTIUM.

*Remensem præsulem Pontifici commendat.*

Dominum Remensem (545) gloriæ vestræ commendamus, non tanquam de cæteris, sed vere præ cæteris unum: idque tam secure, quam securi sumus de sua erga vos fideli devotione, sincera dilectione, voluntate subdita atque obedientissima. Honoretur, quoniam vas est in honorem. Sentiat, quod in vobis est, non frustra se honorificari ministerium suum: non frustra pollere his moribus quibus honoretur Deus, ornatur Ecclesia, qui denique deceant Domini sacerdotem.

## EPISTOLA CCXI (546).

AD EUMDEM.

*Causam Cantuariensis archiepiscopi, necnon Londinensis episcopi commendat.*

Dominus Cantuariensis (547), vir bonus, et testimonium habens a bonis, injuste in causam trahitur, et ab agendo violenter retrahitur. Parabat iter: nam in vestra præsentia fuerat terminanda; et ecce intercipitur a turbine et tempestate bellorum. Sit excusatus apud vos, cui molesta est excusandi necessitas: tum quia præsumit de justitia, tum quia desiderio desiderabat videre faciem vestram. Addit et hoc puer vester, ut si quæ alia petitio est venerabilis sacerdotis (548), tanto citius admittatur, quanto dignior est qui petit. Audeo adhuc, et quia semel cœpi, loquar ad dominum meum. Ille, ille antiquus amicus, fidelis servus, devotus filius (Robertum loquor Londinensem episcopum) clamat ad vos quod occupator ille, qui eum prævenit in sedem quam Deo auctore ipse sortitus est, ipsius Ecclesiæ vadia (549) terrasque distraxerit, et distracta restituere nolit. Quod quam sit injuriosum,

(548) Retinet Bernardus antiqua passim vocabula, antiquitatis sciens et studiosus, ut hic Sacerdotis, quo nomine sacerdotes etiam primi Ordinis antiquitus appellari solebant, supra in epistolis 61, 202, etc.

(549) Id est pignora seu hypothecas.

et qualiter corrigendum, meæ humilitatis non est A  
tantæ sapientiæ prædictare.

## EPISTOLA CCXII (550).

AD EUNDEM.

*Causam Salamanticensis episcopi pathetice agit apud Pontificem, insignem ejus humilitatem commendans.*

Vir illustris, Salamanticensis quondam episcopus, rediens ab Urbe, non pigritavit divertere ad puerum vestrum, et auxilium ab homunculo flagitare non despexit (551). Quo audito, recordatus sum prophetiæ dicentis: *Montes et colles coram Deo humiliabuntur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas (Isai. xl, 4)*. Sic vos ludere nostis, alta comprimere, sedare tumentia, et **198** enormia redigere in mensuram. Verumtamen cum tragædiæ suæ historiam in auribus meis homo seriatim exposuisset, laudavi judicem, judicium approbavi; sed, dico vobis, compassus sum iudicato. Sic quippe totam suam lacrymosam illam orationem conclusit, tanquam in calce ipsius diceret cum Propheta: *Exaltatus autem humiliatus sum et conturbatus (Psal. lxxxvii, 16)*; et: *Quia elevans allisisti me (Psal. ci, 41)*. Cumque memorarer justitiæ vestræ et virilis animi quem sciebam, cœpi tamen simul cogitare divitias miserationum vestrarum, quas in plurimis expertus sum, et dixi: Quis scit si convertatur et ignoscat dominus, et relinquat post se benedictionem? Certe, inquam, in omnibus et per omnia instructus est et æmulari, et ignoscere, et debellare superbos et parcere nihilominus subjectis (Virg. *Æn.* C iv, 852), nisi quod magistrum sequens, etiam consuevit misericordiam superexaltare iudicio. Et acquievi solita illa mea præsumptione loqui ad dominum meum, cum sim pulvis et cinis. Et ministrabat materiam spei, precii fiduciam, pietati rationem, quod adverterem hominem, non, ut assolet, versum in furorem cum indignatione recedere, et repetere natale solum, moliri scandala, tentare seditioes: sed dedit locum iræ, et induit spiritum mansuetudinis, et declinavit ad vestros Cluniacenses, et inclinavit se humilium genibus, humilium precibus communivit, armis potentibus a Deo. His telis statuit adversum vos dimicare, et rigoris murum oppositum sibi talibus, ut jactat, pietatis machinis labefactare conabitur. Confidit autem quod respicietis in orationem D humilium, nec spernetis precem eorum; et vincet pietas, quem tremunt potestates. Ego quoque securus cum talibus tendo manus, flecto genua, supplico pro supplici: audacter pronuntians debere misero suam prodesse humilitatem, cui adeo insolentia sua nocuit; nec decere virtutem vinci a vitio in retributione.

(550) Scripta anno Christi 1139.

(551) Petrus is erat, qui, cum Salamanticensis Ecclesia diuturno schismate sub triplici capite laboraret, ipse possessionis jure gaudens Romam vocatus est ab Innocentio, qui Petrum aliosque contententes a dignitate amovit. Petrus vero ad Cluniacenses se conferens, tum ad Bernardum, restitutionem forsitan

## EPISTOLA CCXIII (552).

AD EUNDEM.

*Expostulat cum Pontifice, quod reconciliatio Petri Pisani, opera sua et auctoritate ipsius Papæ facta, irritetur.*

Quis mihi faciet justitiam de vobis? Si haberem judicem ad quem vos trahere possem, jam nunc ostenderem vobis (ut parturiens loquor) quid meremini. Exstat quidem tribunal Christi: sed absit ut ad illud appellem vos, qui illic (si vobis necessarium, et mihi possibile esset) vellem magis totis viribus stare, et respondere pro vobis! Itaque recurro ad eum cui in præsentem datum est judicare de universis, hoc est, ad vos. Vos appello ad vos: vos iudicate inter me et vos. In quo, quæso, puer vester tam male meruit de vestra Paternitate, ut eum inurere et insignire placeret nota et nomine proditoris? Numquid non me vestrum vicarium dignatio vestra constituit in reconciliatione Petri Pisani (553), si forte illum Deus per me revocare a fæce schismatis dignaretur? Si negatis, probabo tot testibus, quot in curia tunc temporis fuerunt. Numquid non denique post hæc, juxta verbum domini mei, homo in suo ordine et honore receptus est? Quisnam ergo constantiæ vestræ suo consilio, vel magis suo dolo subripuit indulta repetere, et quæ processere de labiis vestris, facere irrita? Et hoc ego dixerim, non ut apostolicum reprehendam rigorem, et zelum igne Dei succensum contra schismaticos, qui in spiritu vehementi conterat naves Tharsis, et instar Phinees confodiat fornicantes, juxta illud: *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam? (Psal. cxxxviii, 21)*. Sed ubi non est par culpa, par plane non debet procedere **199** pœna: nec convenit eadem involvi sententia eum qui peccatum, cum his quos magis peccatum deseruit. Propter eum qui, ut peccatoribus parceret, sibi ipsi non pepercit, auferte opprobrium meum, et restituendo quem statuistis, vestræ etiam tam sanæ et integræ opinioni consulite. Super hoc jam alia vice scripseram vobis: sed quia non est responsum mihi, puto non pervenit ad vos hoc ipsum quod scripseram.

## (554) EPISTOLA CCXIV.

AD EUNDEM.

*Episcopum Cameracensem et abbatem Godescalcum commendat.*

Si cura, si memoria quantulacumque mei exstat adhuc in corde domini mei, et si qua portiuncula antiquæ gratiæ invenitur etiam nunc in oculis ejus a puero ejus, liceat hæc experiri viro nobili et humili

obtinuisset, nisi Toletanus, Zamorensis et Segoviensis præsules, ab Alfonso rege missi, intercessissent, et electionem Berengarii ipsius Alfonsi cancellarii promovissent. Hæc ex Manriquez, ad annum 1139.

(552) Scripta eodem anno.

(553) Vide Vitam S. Bernardi lib. II, cap. 7.

(554) Scripta circa annum 1140.

Nicolao (555) Cameracensi episcopo. Fateor me obnoxium illi, et omnium quæ pro eo facere valeo debitorem: non solum quia ubicumque potest, honorat nos et nostros, sed et propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam, quæ eum etiam apud vos commendabilem reddere possunt. Et, nisi fallor, qui eum tribulant, falsi sunt, et non est in ore eorum veritas. Denique vos probabit, et non est mihi verbis laborandum super hoc. Est præterea cum eo vir religiosus et sanctus Godescalcus abbas (556), pro quo similiter, si quid ad merita ejus nostra interventio addere potest, obnixè oro ut in suis petitionibus exaudiatur. Arbitror enim nullam illum facere, quæ non digna sit exaudiri.

EPISTOLA CCXV (557).

AD EUMDEM.

*Pro episcopo et decano Autissiodorensi.*

Scribo vobis frequentissime vilis vermiculus, et in hanc impellor audaciam precibus amicorum. Fateor, audax sum, sed non mendax. Non suspicetur dominus meus in ore pueri sui inventum iri mendacium in omnibus quæ ad ipsum scripserit. Volo amicis gerere morem, non tamen in meam mortem. Nec enim ignoro ubi legerim: *Os quod mentitur, occidit animam* (Sap. 1, 11). Falsitatem proinde nego, importunitatem non excuso: ipsa inveniat veniam, cætera non timemus. Amicus est dominus Autissiodorensis episcopus (558), et præcipuus; quis nesciat? Habet quam communicet amico anxietatem, non falsitatem. Fidelem pro decano ipsius afferimus excusationem, absolutionem exigimus. Filii sumus unius patris (quod solita præsumptione loquor) qui estis vos. Confidimus quia non repellat filios pater, sed voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet, et lætos faciet illos (Psal. cXLIV, 19).

200 EPISTOLA CCXVI. (559).

AD EUMDEM.

*Comitem Radulfum, qui repudiata uxore sua aliam duxerat, patronos in curia reperire queritur.*

Scriptum est: *Quod Deus conjunxit, homo non separat* (Matth. XIX, 6). Surrexerunt viri audaces, qui non

(555) In plerisque manuscriptis deest Nicolai nomen, nequidem prima littera de more designatum. Ex quatuor Colbertinis unus tantum codex in margine habet, *Nicolao*, cui sane hæc recte conveniunt, sed interest in his monere lectorem. Cameracensi ecclesie præfuit Nicolaus ab anno 1140 ad annum 1167.

(556) Vulgati addunt, *Montis Sancti-Martini*, sed hæc verba in scriptis omnibus desiderantur, imo etiam in nonnullis *Godescalcus*, aliis G. littera expressus. Et hic tamen abbas fuit Montis Sancti-Martini apud Atrebatens, Ordinis Præmonstratensis, laudatus in epistola 253, n. 4; postea episcopus Atrebatensis, in epistola 284.

(557) Scripta circa eundem annum.

(558) Scilicet Hugo.

(559) Scripta anno Christi 1142.

(560) Hic notati episcopi, qui Radulfi Veromanducorum comitis divortium probarunt, nempe Simon Tornacensis ejus frater, Bartholomæus Laudunensis, et Petrus Silvanectensis. Factum accurate narrat Herimannus monachus Tornacensis aut ejus continuator in Spicilegii tomo XII, pag. 480, ex quo il paucis accipe. Radulfus comes volens in matrimo-

timuerunt conjunctos a Deo contra Deum disjungere (560). Neque id solum, insuper et adjecerunt conjungere non conjungendos, addentes prævaricationem. Lacerantur sacra Ecclesie, scinduntur, proh dolor! vestes Christi; idque, ad cumulum doloris, ab his a quibus resarciri debuerant. Amici tui, Deus, et proximi tui adversum te appropinquaverunt et steterunt (Psal. xxxvii, 12). Nam qui mandatum tuum transgrediuntur, non sunt alieni, non sunt extranei a sanctuario tuo, sed eorum hodie locum tenent, quibus dixisti: *Si diligitis me, mandata mea servate* (Joan. xiv, 15). Comitem Radulfum et uxorem ejus Deus conjunxerat per ministros Ecclesie, et Ecclesia per Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Quomodo quos Ecclesia conjunxit, disjunct camera? In quo facto illud solum convenienter provisum est, quod in tenebris facta sunt opera tenebrarum. Qui enim male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus a luce. Quid meruit comes Theobaldus? quid peccavit homo ille? Si peccatum est quod diligit justitiam et odit iniquitatem, non potest excusari. Si peccatum est quod reddidit Regi quæ regis sunt, et quæ sunt Dei Deo, non potest excusari. Si archiepiscopum Bituricensem suscepit ad imperium vestrum, hoc est maximum et primum peccatum (561). En sanguis iste de manu ejus exquiratur! Qui retribuunt mala pro bonis, detrahunt ei, quoniam sequitur bonitatem. Multi clamant ad vos in toto corde suo, ut injuriam filii vestri et oppressionem Ecclesie digna animadversione vindicetis, et artifices hujus sceleris cum ipso eorum capite, cui quidquid libuit, licuit, apostolico vigore coerceatis, ut in verticem ipsius iniquitas ejus descendat.

EPISTOLA CCXVII (562).

AD EUMDEM.

*Theobaldum causa justitiæ et fidelitatis erga Sedem apostolicam, premi queritur: sed ad iniqua promissa compulsus ope Pontificis expediti rogat.*

Tribulatio et angustia invenerunt nos. Commota est et contremuit terra in mortibus hominum, in

nium sibi copulari germanam Alienoræ reginæ Francorum, nomine Petronillam, uxorem suam legitimam, quæ Theobaldi Campaniæ comitis neptis erat, consanguinitatis specie repudiavit, probantibus tribus episcopis supra dictis. Delata hac de re querimonia est per comitem Theobaldum Burgundiorum principem ad aures Papæ, qui comitem vinculo anathematis ligavit, et episcopos ab officio per aliquod tempus suspendit. Confer Appendicem Sigeberti et epistolas sequentes.

(561) Et hæc magna in Theobaldum invidiæ causa, de qua ita Herimannus mox laudatus: « Papa clericum quemdam, cognatum cancellarii sui, nomine Petrum, in Bituricensem archiepiscopum consecravit: quod quia rex concedere noluit, christianitate privatus est. » Id contigit anno 1144, post mortem Alberici archiepiscopi. Cætera accipies ex notis ad epistolam 219, ubi Theobaldum, quod Petrum archiepiscopum admisisset, male a rege habitum leges. Confer epistolam 219 et librum quartum de Vita Bernardi, n. 12.

(562) Scripta anno Christi 1142.

exsiliis pauperum, divitum quoque vinculis et carceribus. Ipsa religio venit in opprobrium et contemptum. Probro ducitur apud nos saltem mentionem facere pacis. Nusquam fides, nusquam innocentia tuta (VIRG., *Æn.* IV, 672). Amator innocentiae et pietatis cultor comes Theobaldus pene traditus est in animam inimicorum ejus. Impulsus est ut caderet, sed Dominus suscepit eum; et gaudet quod justitia et vestra obedientia in causa sit, a postolo acquiescente, qui ait: *Si quid patimini propter justitiam, beati (I Petr. III, 14): et in Evangelio: Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam (Matth. V, 10. Vae nobis! hæc 201* omnia præsentire, sed minime præcavere potuimus. Quid plura? Ut non penitus desolaretur terra, et omne regnum in se ipsum divisum concideret, com pulsus est ille devotissimus filius vester, et ecclesiasticæ libertatis amator et defensor, sub jurejurando promittere quatenus sententiam excommunicationis, a legato vestro bonæ memoriæ magistro Ivone datam in terram et personam adulteri tyranni (565), qui caput et auctor exstitit horum omnium malorum et dolorum, atque in ipsam adulteram, faceret amoveri: quod sane tamen præfatus princeps fecit prece et consilio nonnullorum fidelium sapientiumque virorum. Dicebant namque id a vobis facile et absque læsione Ecclesiæ impetrari, dum in manu vestra sit eadem denuo sententiam, quæ juste data fuit, incontinenti statuere, et irretractabiliter confirmare: quatenus et ars arte deludatur, et pax proinde obtineatur; et qui gloriatur in malitia, et potens est in iniquitate, nihil inde lucretur. Multa habeo dicere vobis, sed non est opus de omnibus scribere, cum præsens sit qui omnia scit, et viva voce planius potest et plenius aperire.

#### EPISTOLA CCXVIII (564).

AD EUNDEM EXCUSATORIA, ET NOVISSIMA.

*Solita se apud Innocentium gratia excidisse animadvertens, causas offensæ occasione testamenti Ivonis cardinalis natas modeste diluit.*

Domino et Patri reverendissimo INNOCENTIO, BERNARDUS, nihilum id quod est.

1. Putabam me aliquando aliquid vel modicum esse: sed nunc, ut sentio, prorsus ad nihilum redactus sum, dum nescivi. Nec enim me dixerim omnino nihilum tunc fuisse, cum oculi domini mei super puerum suum essent, et aures ejus ad preces meas: cum omne quod scriberem, obviis manibus accepisset, et vultu hilari perlegisset, benignissime atque plenissime ad omnia postulata respondens. Modo autem me merito non modicum dico, sed nihilum, quoniam ab heri et nudius tertius avertit faciem suam a me. Cur hoc? quid peccavi? Multum,

(563) Radulfi, de quo præcedens epistola.

(564) Scripta anno Christi 1143.

(565) Vide epistolas 144, 193.

(566) Scripta anno Christi 1143.

(567) In scriptis nonnullis, *quatuor*; at lectio vulgata melior. Siquidem episcopus non erat Gerardus cancellarius, qui hic quarto loco memoratur, postea Pontifex creatus, dictusque Lucius II.

A fateor, si pecunia cardinalis Ivonis bonæ memoriæ (565) meo arbitrio distributa fuit, et non ad nutum ipsius: quod utique ad aures domini mei fuisse perlatum, mihi relatum est. Sed confido quia nunc hujus rei veritatem cognoscetis, et veritas liberabit me. Non sum tam hebes, ut ignorem Ecclesiæ esse quidquid ille rerum suarum non dederit.

2. Sed jam audite simpliciter veritatem. Si inventum fuerit in ore meo mendacium, ipsum os meum condemnabit me. Quando homo exiit hominem, absens eram, imo et valde remotus. Audivi autem ab his qui adfuerunt, quod ipse fecerit suum testamentum; et quod fecit, fecit et scribi: et de rebus suis quæ voluit, quibus voluit, ipse divisit: quod residuum fuit, duobus abbatibus assistentibus tunc sibi, et mihi pariter qui absens eram, dividendum commisit; eo quod nobis nota essent loca pauperiora sanctorum. Porro abbates illi domum venientes, et non inveniētes me (detinebar enim tunc temporis ex vestro mandato pacis quærendæ negotiis), nihilominus pecuniam, sicut eis visum est, diviserunt, me non solum non connivente, sed et nesciente quid fecerint. Cedat jam, si placet, manifestæ indignatio veritati, nec mihi deinceps frons rugetur, aut supercilium deponatur: sed solita redeat serenitas blando et benigno vultui, ac suo denuo sole læta facies induatur.

202 3. Nam quod item comperi displicuisse me in multis scriptationibus meis, hoc me jam metuere non oportebit, quoniam facile emendabo. Scio, scio, præsumpsi plus quam oportuit, parum attendens quis cui scriptitare præsumerem: et ad id quidem audendum vestra me armarat benignitas, non negabit. Urgebat deinde charitas amicorum: etenim perpauca pro me scripsi, si bene memini. Sed ne quid nimis. Dabo, si potero, zelo meo de cætero temperamentum, scientiam; et ponam digitum meum super os meum. Tolerabilius enim offendam aliquos amicorum, quam multis precibus defatigem christum Domini. Et nunc quoque non sum ausus scribere vobis de imminentibus Ecclesiæ periculis, et gravi schismate quod timemus, ac plurimis quæ sustinemus incommodis. Scripsi autem sanctis episcopis vestro lateri adhærentibus: ab ipsis audire poteritis, si scire placuerit, quæ scripserim ego.

#### EPISTOLA CCXIX (566).

AD TRES (567) EPISCOPOS CURIÆ, ALBERICUM OSTIENSEM, STEPHANUM PRÆNESTINUM (568), IGMARUM TUSCULANUM (569), ET GERARDUM CANCELLARIUM.

*Pro interdicto quod erat in terra Regis propter archiepiscopum Bituricensem.*

1. Quantum malum schisma in Ecclesia sit, et

(568) Albericus Viriduni in Francia mortuus est, ad cujus tumulum Bernardus Sacrificium laudis obtulisse perhibetur in libro quarto Vitæ, n. 21. Ejusdem mentio in epistola 241. De Stephano in epistola 224.

(569) Igmarius seu Ymarus, ex monacho Cluniacensi Sancti-Martini a Campis Prior Charitatis ad Ligerim, dein abbas Monasterii-Novi apud Pictavos



quam sit detestandum et omnimodis devitandum, A evidenter quondam ostendit famosa et horrenda mors virorum illorum, quos ob istiusmodi pestem terra deglutiens, vivos transmisit ad inferos. Ostendit et illa persecutio Guibertina (570), sive Burdini temeritas, quos nostra jam tempora experta sunt, inter regnum et sacerdotium dividentes plaga pene incurabili, et castigatione crudeli. Ostendit et illa quæ nuper adhuc, post multam et multifariam Ecclesiæ vexationem et vastationem, tandem Deo miserante finem accepit rabies Leonina. (571). Merito proinde Salvator in Evangelio: *Væ, inquit, homini illi per quem scandalum venit!* (Matth. xviii, 7.) *Væ* nobis qui vivimus, plangere quæ pertulimus, dolere quæ sentimus, tremere quæ exspectamus! Et, quod pejus est, ad tam malum habitum humanæ res de- B venerunt, ut nec rei humiliari velint, nec iudices misereri. Dicimus iniquis: *Nolite inique agere; et delinquentibus: Nolite exaltare cornu* (Psal. lxxiv, 5); et non audiunt nos, quia domus exasperans est (Ezech. ii, 5). Supplicamus his quorum est peccata arguere, peccantes servare, ne calamum quassatum conterant, et linum fumigans non exstinguant: et magis in spiritu vehementi conterunt naves Thar- sis.

2. Si denuntiamus filiis cum Apostolo ut obediant patribus per omnia, quasi aerem verberamus. Si patribus loquimur ne ad indignationem provocent filios (Ephes. vi, 1, 4), in nos potius eorum indignationem provocamus. Nec delinquentes satisfacere C nec rectores seu correctores condescendere ulla- tenus acquiescunt. Omnes suum stomachum sequuntur, et totis viribus funem in diversa trahentes, rumpunt. Heu! necdum recenti Ecclesiæ plagæ (572) cicatrix occalluit, et rursus scindere parant, rursus corpus Christi affigere cruci, rursus fodere

(quo nomine interest pactioni inter Ludovicum Juniorem et Agrimum archidiaconum Aurelianensem initæ, apud Chesnium tomo IV, pag. 764), demum cardinalis ab Innocentio creatus, vir magnæ integritatis, ex Chronico Cluniacensi. sub Pontio abbate. Ad hos cardinales item epistola 230 et duæ sequentes.

(570) Sic dicta a Guiberto Ravennate episcopo, quem Henricus IV imperator antipapam Gregorio VII et tribus sequentibus legitimis Pontificibus objecit. Mauricius Burdinus item Bracarensis archiepiscopus D ab Henrico V intrusus in sedem Romanam, a Calixto II, tandem in Cavense monasterium retrusus: cujus Vitam eleganter scripsit Stephanus Baluzius in Miscellaneorum tomo III.

(571) Schisma Petri Leonis.

(572) Schismati nimirum Anacleti.

(573) In uno Colbertino, *pugnatores*, bene ad sensum; melius, *expugnatores*.

(574) Rem ita narrat Willelmus Nangius in Chronico: « Anno 1142 orta dissensione inter papam Innocentium et regem Francorum Ludovicum, Ecclesia Gallicana turbatur. Nam defuncto Bituricensi archiepiscopo Alberico, missus est Petrus, a papa ejusdem ecclesiæ pastor consecratus. Sed a rege Ludovico repudiatus, nec in urbe recipitur, eo quod sine ejus assensu fuerat ordinatus. Ipse vero rex Ludovicus concesserat Ecclesiæ Bituricensi libertatem eligendi episcopum quem vellent, excepto dicto Petro; publiceque juraverat quod se vivente non

latus innoxium, rursus vestimenta dividere, atque ipsam, quod in ipsis est, tunicam inconsutilem, quamvis frustra, dirumpere satagunt. Si qua in vobis sunt viscera pietatis, tantis vos opponite malis, ne in illa præcipue terra scissura fiat, in qua solent, sicut optime nostis, scissuræ aliæ resarci. Nam si auctor scandali, ore singulariter Judicis, tremendo addicitur maledicto, quibus 203 putamus benedictionibus dignos hujus nequitiae fugatores et propugnatores (573)?

3. De duobus non excusamus Regem. Nam et juravit illicite, et perseverat injuste (574). Verum id non voluntate, sed verecundia. Nam probro ducitur, sicut optimè nostis, apud Francigenas juramentum solvere, quamlibet male publice juratum sit, quamvis nemo sapiens dubitet illicita juramenta non esse tenenda. Verumtamen ne in hoc quidem excusari posse fateamur. Neque enim excusare nos, sed veniam postulare suscepimus. Vos videte an excusare aliquatenus eum possit ira, ætas, majestas. Poterit sine dubio, si misericordiam judicio superexaltandam decernalis: quatenus videlicet talis aliqua consideratio in rege et puero habeatur, ut hac ei vice tali quidem tenore parcatur, quo tale aliquid de cætero non præsumat. Parcatur sane dixerim, si fieri possit salva in omnibus Ecclesiæ libertate, simul et archiepiscopo debita veneratione servata, quem manus apostolica consecravit. Hoc ipse Rex humiliter petit, hoc nostra universa citramontana nimium jam afflicta Ecclesia suppliciter deprecatur. Alioquin damus manus morti, tabescentes et arescentes præ timore ex expectatione, quæ supervenerunt universo orbi. Siquidem deprecatio mea super hoc ab anno priore; et, peccatis meis exigentibus, deprecationem meam non exauditis, sed indignatio; indignationem autem desolatio pene

erat futurus archiepiscopus. Qui tamen electus Romanam profectus est et consecratus fuit a papa Innocentio, dicente, Regem puerum instruendum et cohibendum, ne talibus assuescat, et adjecit, Veram non esse libertatem, ubi quis excipitur a principe, nisi forte docuerit coram ecclesiastico iudice, illum non esse eligendum. Tunc enim auditur ut alius. Rex vero, sicut superius dictum est, archiepiscopum exclusit redeuntem. Eum enim comes Theobaldus Campaniæ recepit in terra sua, et ei omnes ecclesiæ obediebant. Indignatus ob hoc rex, convocavit omnes fere proceres suos, ut una cum eo guerram inferrent comiti Theobaldo. Sic Willelmus, ex quo Matthæus Parisiensis, qui hoc refert ad annum 1146, corrigendus videtur. Hæc autem dissensio eo usque progressa est, ut non solum rex Ludovicus terras comitis Theobaldi hostiliter vastaverit, sed etiam Vitriacum castrum cum magna promiscui sexus multitudine igne concremaverit, immo et in ecclesiis ditionis ipsius fieri prohibuerit electiones episcoporum, vel ordinationes, eas Roberto fratri suo tradens occupandas, ut de Remensi, Parisiensi et Catalaunensi S. Bernardus graviter conquestus est, tum in epistola 222, ad Joslenum Suessionensem; tum maxime in epistola 224, ad Stephanum Prænestinum. Tandem vero calamitosum hoc divortium Eugenio III Sedem Romanam incunte S. Doctoris opera exstinctum est.

universæ terræ secuta est. Si quid zelo urgente A  
erupit quod non fuit, aut secus quam fuit dicendum;  
sit, quæso, apud vos quasi non dictum: ubi vero  
dixi quod oportuit, et ubi oportuit dici; sit non  
frustra dictum.

EPISTOLA CCXX (574').

AD LUDOVICUM REGEM FRANCORUM.

*Iniquam regis postulationem in causa Radulfi rejicit,  
monens eundem non premere innocentes, et irritare  
contra se Regem supremum.*

1. Libenter quidem, sicut ipse fateri dignamini, etiam propria attestante conscientia, quæ ad honorem vestrum et regni vestri utilitatem spectant, pro nostro exiguo posse, et quærimus, et quæremus. Cæterum quod nostræ humilitati querimini super anathemate mox innovando in comitem Radulfum (575), et vultis me dare operam omnimodis ut non fiat, ob multa mala quæ secutura inde putatis, prorsus non video quomodo implere possim, et mandato obviare apostolico: quod etsi possem, non video quod rationabiliter possem. Doleo quidem de malis, si inde proveniant: sed non ideo tamen debemus facere mala, ut veniant bona. Satius tutiusque hoc totum profecto omnipotentis Dei judicio et dispositioni relinquimus, qui potest facere ut et bona quæ ipse vult fieri, fiant et maneant; et mala quæ mali moliantur, non veniant; aut certe in eos ipsos potius, qui ea volunt et quærent, veniant.

2. Valde autem contristat me unum quod in literis vestræ Celsitudinis continetur, quod videlicet debeat obviare res ista paci factæ inter vos et comitem Theobaldum. An nescitis vos graviter offendisse in eo quod comes Theobaldus violentia guerræ vestræ contra Deum et justitiam jurare compulsus est, non solum quia quæreret, sed etiam quia efficeret ut prædictus comes Radulfus et terra ejus tam indebite, imo tam illicite absolveretur? Quid iterum vultis peccatum peccato addere, et iram Dei super vos (quod absit!) accumulare? Quid peccavit comes Theobaldus, ut iram vestram rursus incurrere mereatur, qui et absolutionem comitis Radulfi, licet injustam, sicut scitis, tanto labore et difficultate obtinuit; et redivivam excommunicationem, quamvis justissimè redeuntem, nec **204** quæsit, nec quærit, utpote quod timore vestro etiam abjuravit? Nolite, quæso, nolite, domine mi Rex, Regi vestro, imo omnium Conditori, tam evidenter in suo regno et in sua possessione audere resistere, et manum extendere tam frequenti et temerario ausu adversum terribilem, et eum qui aufert spiritum principum, terribilem apud reges terræ. Acriter loquor, quia acriora vobis formido: quod non ita vehementer timerem, nisi vos vehementer diligerem.

(574') Scripta anno Christi 1142.

(575) Duabus ex causis indignatus est rex ob anathema Radulfo inflictum: nimirum et quod Radulfus ejus cognatus erat, teste Herimanno monacho Tornacensi; et quod sororem reginæ superduxerat, ex dictis.

EPISTOLA CCXXI (576).

AD EUNDEM.

*Unde supra. — Graviter Ludovicum regem arguit, quod, pravis consiliis adhærescens, pacis consilia respuat. Se quidem hactenus regii nominis studiosum, deinceps solius veritatis patronum, necnon malefactorum ejus testem fore.*

1. Scit Deus quantum vos, ex quo novi, dilexi, et vestrum honorem volui: scitis vos quanto labore quantaque sollicitudine toto anno præterito quærendæ paci vestræ intendi, una cum aliis fidelibus vestris. Timeo autem ne sine causa laboraverimus in vobis. Vos namque, ut manifestum est, a bono et sano consilio quod acceperatis, nimium cito nimiumque leviter resilitis: et ad mala priora, quæ dudum non immerito perpetraste vos plangebatis, adhuc recentibus illis plagis, rursus, ut audio, nescio quo diabolico consilio, festinatis. A quo enim nisi a diabolo procedere hoc consilium dixerim, per quod sit ut incendiis incendia, homicidiis homicidia addantur (577), clamor denuo pauperum, et gemitus compeditorum, et sanguis interfectorum auribus personent Patris orphanorum, et Judicis viduarum? (*Psal. lxxvii, 6.*) Plane his hostiis hostis ille antiquus nostri generis oblectatur, quoniam ipse homicida est ab initio (*Joan. viii, 44*). Et nolite frustra occasionem sumere de comite Theobaldo ad excusandas excusationes in peccatis (*Psal. cxc, 4*), cum vir ille paratum se dicat, et hoc omnimodis deprecetur, venire ad conventiones quæ inter vos cucurrerunt quando facta est pax, et secundum judicium diligentium nomen vestrum, eorum scilicet qui mediatores inter vos exstiterunt, per omnia satisfacere velit, ut, si prævaricationis forte ab ipsis argui poterit (quod non existimat) continuo, ad honorem vestrum corrigere non cunctetur.

2. Verum vos nec verba pacis recipitis, nec pacta vestra tenetis, nec sanis consiliis acquiescitis: sed nescio quo Dei judicio, omnia vobis ita vertitis in perversum, ut probra honorem, honorem probra ducatis, tuta timeatis, timenda contemnatis: et, quod olim sancto et glorioso regi David Joab legitur exprobrasse, diligitis eos qui vos oderunt, et odio habetis eos qui vos diligere volunt (*II Reg. xix, 6*). Neque enim qui vos instigant priorem iterare malitiam adversus non merentem, quærent in hoc honorem vestrum, sed suum commodum, imo nec suum commodum, sed diaboli voluntatem; ut Regis (quod absit!) potentiam concepti furoris habeant effectricem, quem suis se posse adimplere viribus non confidunt, inimici coronæ vestræ, regni manifestissimi turbatores.

3. At quidquid vobis de regno vestro, de anima et corona vestra facere placeat, nos Ecclesiæ filii, matris injurias, contemptum et conculcationem

(576) Scripta anno Christi 1142.

(577) Huc spectant quæ de castro Vitriaco, una cum promiscua multitudine incenso, dicuntur in notis ad epistolam 224, unde Vitriaco-incenso nomen, ad Matronam, in pago Partensi.

omnino dissimulare non possumus, quæ illi, præter illa quæ in eam jam præcessisse miserabiliter plangimus, iterum de novo partim inferri, partim imminere sentimus. Profecto stabimus et pugnabimus usque ad mortem, si ita oportuerit, pro matre nostra, armis quibus licet, non scutis et gladiis, sed precibus fletibusque ad Deum. Et ego quidem, qui me memini, præter quotidianas preces quas pro pace et salute vestra atque regno coram **205** Domino supplex ipso teste fundebam, etiam apud Sedem apostolicam litteris et nuntiis causam vestram egisse, fateor, usque pene ad propriæ conscientiæ læsionem, et ipsius summi Pontificis justam (quod diffiteri non debeo) contra me indignationem; ego, inquam, assiduis vestris, quos innovare quotidie non cessatis, excessibus provocatus, dico vobis, incipio pœnitere super insipientia mea priori, qua plus justo vestræ adolescentiæ hucusque favi; et de cætero pro mea exiguitate non deero veritati.

4. Non tacebo quod cum excommunicatis iterato fœdus et societatem inire satagitis: quod in necem hominum, combustionem domorum, destructionem ecclesiarum, dispersionem pauperum, raptoribus et prædonibus, sicut dicitur, adhæretis, juxta illud Prophetæ: *Si videbas furem, currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas (Psal. XLIX, 18)*; quasi non satis per vos mala facere valeatis. Non silebo quod illicitum illud maledictumque juramentum inconsultissime usurpatum a vobis contra Bituricensem Ecclesiam (pro quo, heu! tot et tanta mala jam nunc merito provenerunt) non ita tandem corrigitis, ut Christi ovibus apud Catalaunum pastorem præfici non sinatis: insuper et fratri vestro (578), ejusque militibus, sagittariis, ballistariisque domos episcopales contra jus et fas habitandas, et res Ecclesiæ in hujusmodi nefarios usus profligandas audacter nimium exponatis. Dico vobis: non erit diu inultum, si hæc ita facere pergitis. Et ideo, domine mi rex, amicabiliter moneo vos et fideliter consulo vobis ut citius ab hac malitia desistatis, si forte jam ferire parantis manum, Ninivitæ regis exemplo, pœnitentia et humilitate prævenire possitis. Dure loquor, quia duriora vobis formido: sed mementote a Sapiente dictum, *Meliora esse verbera amici, quam fraudulenta oscula inimici (Prov. XXVII, 6)*.

#### EPISTOLA CCXXII (579).

AD JOSLENUM (580) SUESSIONENSEM EPISCOPUM, ET SUGERIUM ABBATEM SANCTI-DIONYSII.

*Queritur apud eos, uti Regis consiliarios, de iniquis ejus contra Theobaldum molitionibus, contra pactum et pacem initam.*

1. Scripseram Regi, arguens eum super malis quæ

(578) Roberto scilicet, de quo in epist. seqq. in 224 n. 2 et in 304. In epist. 295 inter Chesnianas, quæ est Cisterciensis Capituli ad Ludovicum Junio-rem, conqueruntur Patres quod Robertus comes, ejus germanus, *comederet carnes in suis ipsorum granis* contra ordinis interdictum. De Catalaunensi ecclesia vide infra ad epistolam 224.

(579) Scripta anno Christi 1142.

(580) Rufum cognominat Ordericus pag. 889. Ad cum epistola 342, præter tres sequentes.

A sunt in regno ejus, ipsius, sicut dicitur, assensu: et quod rescripsit, dignum duxi vobis, qui de consilio ejus estis, insinuandum. Miror enim si ita credit ut loquitur, et, si non credit, quomodo conscio mihi utique omnium (sicut scitis) quæ ad pacem reformandam facta fuerunt, ista persuadere conatur. Ait enim, sicut potestis videre in litteris ejus, cum male servata in parte Comitum pacta conaretur ostendere: « Adhuc suspensi manent episcopi nostri: adhuc terra nostra interdicta est. » Quasi vero cuiusquam ecclesiastici absolutio interdicti ad comitem Theobaldum pertineat, aut hoc ipse aliquo modo pepigerit se facturum. « Illusus est, » ait, « comes Radulfus, et iterum relegatus est. » Et hoc quid ad comitem Theobaldum? Nonne quidquid de hac re promisit, fideliter elaboravit, et efficaciter adimplevit? Ille vero deprehensus est in astutia sua, et cecidit in foveam quam fecit. En est hoc totum cur irrita faceret Rex pacta sua, quæ distinxerunt labia vestra? An propter hoc decuit incandescere iram Regis contra Deum et Ecclesiam ejus, contra se ipsum et regnum suum? Itane propter hoc debuit oblivisci honoris sui, ut, ad debellandum hominem suum, quem non dico diffidaverat, sed nec submoverat vel posuerat ad rationem, mitteret fratrem suum, idque per Catalaunum **206**, de qua potissimum civitate scitis quid Rex cum comite Theobaldo pepigerit?

2. Sed Rex adhuc aliud addit, quod matrimoniis sibi molliatur conjungere, contra ejus fidelitatem, comitem Flandrensem et Suessionensem (581). Et de fidelitate quidem suspicio est, non certitudo. Porro inanes suspiciones certis pactionibus præjudicare quale sit, vos videritis. Quanquam id omnino credendum non fuerit de tali viro. Numquid enim hostes sunt Regis, quibus alligatur Comes, et non magis homines ejus et ejus amici? Nonne consanguineus Regis, et, sicut fatetur, baculus regni comes Flandrensis est? Quid ergo contra Regis fidelitatem facit ejus homo, et fidelis ipsius, si aliis ejus amicis, suorum matrimoniis copulatur? Nonne si quis simplici oculo rem, ut est, consideraret, magna potius pax regni, magnumque robur, et magna posset putari securitas?

D 3. Illud autem miror, quomodo Rex dicere non timuerit, cognoscere se quia noverim ego, comitem Theobaldum in partem suam, contra Regem, comitem Radulfum trahere attentasse. Nam et viva voce nuntio nostro plus dixit quam scripserit, quod mandaverim sæpius dicto Radulfo maximam partem peccatorum ejus me suscipere, si vellet comiti Theo-

(581) Barones regis vocat Bernardus in epistola 224, n. 3. Hunc locum explicat Herimannus Tornacensis, pag. 394, ubi de Theoderico Flandrensi comite, qui « filiam suam promiserat Henrico, comitis Theobaldi filio, licet rex Francorum conjugium niteretur dissolvere, tertio gradu consanguinitatis dicens eos invicem propinquos esse. » Aliud item matrimonium Theobaldus cogitabat, nempe filix suæ cum comite Suessionensi, infra in epistola 224, n. 4.

baldo adhærere. Si natus est homo ille per quem ista mandaverim, veniat et arguat me palam : si scripsi litteras, proferantur in medium. Viderit ipse cui crediderit : certus ego sum quia nunquam noverim quod imponit. Idem arbitror et de comite Theobaldo, quia et ipse omnimodis diffidetur. Videat proinde Deus et iudicet, quod nunc de suspitione comes Theobaldus arguitur ab eo qui manifeste contra pactiones suas ipsum sibi attraxit comitem Radulfum, contra Dei præcepta, contra sententiam summi Pontificis adultero et excommunicato communicans.

4. Ait quoque Rex : « Pene habuimus duos gravissimos oppugnatores. » Et propheta subsannans respondet : *Ibi trepidaverunt timore, ubi non erat timor (Psal. xiii, 5).* « Ecce, » inquit, « oppugnatur, qui non oppugnatum : persecutionem patimur, qui non persecuti fuimus. » Quis oppugnat, obsecro? quis oppugnat, quisve persequitur? Nonne comes obsecrat et humiliatur, honorare paratus ut regem, servire et obsequi tanquam domino suo, obnixè pro pace supplicans, et bonam Regis (quod in se est) sibi conciliare satagens voluntatem? Esto quod non sit ita, sed magis Comes Regi mala omnia molitur : nonne ad id quod statutum fuisse scitis, fuerat recurrendum? Sic enim inter se pepigerunt ut, si qua de conventionibus illis controversia aut dissensio nasceretur, nihil mali sibi invicem facerent aut quærerent, donec coram nobis tribus pariter, et domino Autissiodorensi (582), ventilata res esset atque discussa, qui et tunc mediatores fuimus : et si quid emergeret controversiæ, debuimus esse reconciliatores. At id modo omnimodis Comes flagitat : sed Rex abnuat.

5. Denique esto quod omnino male meruit Comes : sed Ecclesia Dei quid meruit? Quid, inquam, meruit, non jam sola Bituricensis Ecclesia, sed et Catalaunensis, etiam et Remensis, etiam et Parisiensis? (583) Habeat Rex adversus Comitem jus : sed de quo jure, obsecro, de quo jure præsumit ut Ecclesiarum possessiones et terras devastet, ut Christianis pastores præfici non permittat : ut his quidem electorum promotionem prohibeat, aliis vero, quod hactenus inauditum est, dilationem electionis indicat, donec universa consumpserit, donec diripuerit pauperum facultates, donec penitus desoletur terra? An vos ei consulitis talia? Mirum valde, si contra vestrum consilium fiunt hæc : **207** mirum magis et malum, si vestro consilio fiunt. Etenim consulere talia, manifeste schisma fabricare est, Deo resistere, Ecclesiam ancillare, et novam in servitute ecclesiasticam redigere libertatem. Si quis Dei fidelis, si quis Ecclesie filius est, profecto stabit et opponet se, quoad poterit, murum pro domo Dei. Nam et vos ipsi, si pacem desideratis Ecclesie, sicut oportet filios pacis, quomodo non dicam tractatis

A ea, sed vel interestis consiliis tam malignis? Quidquid enim mali fecerit, merito non Regi juveni, sed consiliariis senibus imputatur.

#### EPISTOLA CCXXIII (584).

AD JOSLENUM EPISCOPUM SUESSIONENSEM.

*Satisfacit episcopo, cujus litteris præfixa talis erat salutatio, « Salutem in Domino, et non spiritum blasphemie. » Requirit nihilominus in eo majorem zelum ad vindicandas Christi et Ecclesie injurias.*

1. Minime quidem ego spiritum blasphemie habere me arbitror, sed nec cuiquam maledixisse, aut maledicere velle me scio, principi præsertim populi mei. Cæterum quidquid illud sit, quo se læsam vestra Dignitas judicat, peto veniam. Scio enim qui dixit : *Blasphemamur, et obsecramus (I Cor. iv, 13).* Dico ergo cum beato Job : *Quæ locutus sum, utinam non dixissem : et ultra non addam (Job. xxxix, 35).* Jam, domino abbati Sancti-Dionysii pro communi querimonia scribens, utrique vestrum responderam, et putaveram me fecisse satis. Et quoniam, ut video, nondum quievit indignatio vestra, quæ forsitan adversus Ecclesie conculcatores justius incanduisset, etiam vobis dico : schismaticos vos aut fomitem esse scandali, nec dixi, nec scripsi, nec credidi, et dico securus ; nec vereor quod me mea pagina arguat mendacii. Scrutamini eam, si placet : et si ita inveneritis, reum me fatebor grandis sacrilegii, et revera, sicut notatis, spiritu blasphemie agitatum illa scripsisse.

2. Ne tamen humilis satisfactio spiritum videatur excludere libertatis, dolui fateor, et doleo, quod nondum ea vos libertate, qua deceret, comperimus Christi ulcisci injurias, Ecclesie defendere libertatem. Dolor iste compulit me scribere dura, non tamen illa quæ impingitis. Putaveram siquidem (et adhuc putarem, nisi timerem vobis in hoc esse molestus) nequaquam sufficere quod schismatis non estis auctores, nisi et eos qui sunt, cujuscunque dignitatis sint, tota libertate pro viribus coerceatis, et eorum consilium atque consortium exsecretis. Putarem, inquam, gloriam vobis esse, si dicere possetis et vos : *Odivi ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo (Psal. xxv, 5).* Numquid solum decebat zelus ille prophetam, et non hodie quoque a Domini sacerdote requiritur, de quo dicebat : *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam? (Psal. cxxxviii, 21.)* Optarem sane (ut salva vestra Serenitate (585) id quoque eloquar) hunc zelum vos exercuisse in puerum (586) regem, qui, non tam pueriliter quam crudeliter, sine causa irrita fecit et vestra sane consilia, et sua pacta. Sine causa regnum suum conturbat : bella ubique cœlis terrisque suscitatur : ecclesias vastat, sacra temerat, exaltat iniquos, bonos persequitur,

scopo, sed in aua regis consiliario ; quo nomine etiam Innocentium salutatur in epistola nunc 357, n. 4.

(586) Scripturæ more puerum vocat Ludovicum Juniores, qui tum conjugatus erat, et quidem duos supra viginti annos natus. Eadem vox eodem sensu in epistola 170 et alibi passim.

(582) Hugone, cujus epistola 226.

(583) De Bituricensi, id patet ex notatione ad epistolam 216 ; de aliis, intelligitur ex epistola 224.

(584) Scripta anno Christi 1143.

(585) Serenitatis titulum, quem superius regi Francorum tribuit in epistola 170, n. 3, hic tribuit epi-

perimit innocentes. Hæc, inquam, vellem vos dolere, his contradicere et resistere, quod in vobis est. Sed meum non est magistrum docere Joslenum, minus autem reprehendere episcopum, qui magis me et alios peccantes redarguere et errantes corrigere debet. En **208** quantum vos timeo. Clausam habetis epistolam, qui de priore aperta male suspicatus estis. Nam ego quidem nihil in hoc aliud cogitavi, nisi quod ad diversos scribentem necesse est, juxta consuetudinem, epistolam cera non claudere (587). Jam et pro hoc quoque veniam peto.

#### EPISTOLA CCXXIV.

AD STEPHANUM PRÆNESTINUM EPISCOPUM (588).

*Malefacta Ludovici regis et injurias in Ecclesiam, episcopos, aliosque exponit.*

1. Loquitur Jeremias ad Deum pro adversariis suis, ita dicens: *Recordare, Domine, quod steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bonum, et averterem indignationem tuam ab eis; et insert: Propterea, inquit, da filios eorum in famem, et deduc eos in manus gladii (Jerem. xviii, 20, 21).* Et adhuc alia in hunc modum æque gravia imprecatur illis. Quod

(587) Hinc in epistola 304: « Sigillum non erat ad manum. » Idem in epistola 402. Bernardi nomen et effigies sigillo impressa erant, ex epistola 284.

(588) Scripta anno 1143. — Stephanus Prænestinus, ad quem etiam epistola 219, ex Ordine Cisterciensi cardinalis ab anno 1140, mortuus anno 1144. Ernardus « Stephanum, totius modestiæ virum » appellat in libro secundo de Vita Bernardi, n. 49. Eundem laudat præter alios Joannes Sarisberiensis in Polycratici libro vi, cap. 24. Catalaunensem fuisse conjicimus ex hujus epistolæ numero 2.

(589) Quis fuerit rerum tum Ecclesiæ, tum politiæ status in Gallia sub hoc rege Ludovico Juniore, superioribus quidem epistolis 216-222 satis ostendit: præsentem vero in primis hispidam et luctuosam Ecclesiæ Gallicanæ faciem depingit. Idem testatur Otto Frisingensis Chronici libro vii, cap. 21, ubi ait: « Francia occidentalis rege suo amisso, sub illius filio Ludovico, qui adhuc superstes est, ob ipsius ac Theobaldi Blesensis comitis guerram tot prædiis ac incendiis perpressa est discrimina, quod nisi religiosorum, qui ibidem morabantur, meritis, orationibus et consilio nuper pacata fuisset, usque ad interuersionem deleta putaretur. » Ita Otto. Ecce religiosorum orationibus et consilio salus Galliæ adscribitur. Quis enim dubitet mundum meritis, ut aiebat ille, stare Sauctorum? et cui dubium inter hos agmen duxisse Bernardum, communem quasi non Galliæ solius, sed et Europæ totius, ne dicam orbis, consiliarium et caduceatorem? ut ex Epistolis ejus quaquaversum scriptis colligere licet. Cæterum, ut id obiter moneam, mirum videri possit unde Ludovicus ille Junior tam sit laudatus Historicis, quod affirmat Gordonus ad annum 1180. Certe si Bernardum, incorruptum utique judicem consulas epistolis citatis, et præsentem potissimum, dixeris non admodum fuisse laudabilem. Sed ita sunt mores hominum: pro affectu suo laudant et vituperant. Exempla non est cur longe petamus. Nam et hodie regum, principumque quorundam consilia, expeditiones, fœdera, aliaque facinora, quam dispares habent æstimatorum ac judicum! Alii quippe in laudis gloriæque argumentum trahunt quæ alii gravissime insectantur et damnant. Alii censent hujusmodi bella in Religionis et Ecclesiæ damnus geri, foveri hæreses, loca Deo dicata profanari, conculcari sacra, miseros opprimi, Reipublicæ statum pessumdari, Ecclesiæ

A propterea nunc apud vestram Reverentiam memorandum putavi, quoniam simile mihi aliquid cum Propheta video accidisse. Vos enim scitis quomodo ego quoque pro Rege steterim in conspectu domini mei, corpore quidem absens, sed præsens spiritu, ut loquerer pro eo bonum. Bona siquidem pollicebatur. Nunc autem, ipso reddente pro bono malum, cogor contraria scribere. Pudet erroris, et falsæ spei quam de eo conceperam: et gratias ago quod pro eo simpliciter supplicans non fuerim exauditus. Putabam me deferre regi pacifico, et ecce invenior gravissimo hosti Ecclesiæ assentasse (589). Conculcantur apud nos sancta Ecclesia, turpiter ancillatur. Nam et electiones episcoporum prohibentur fieri; et sicubi id præsumptum a clericis fuerit, electus episcopari non sinitur. Denique sedet in tristitia Ecclesia Parisiensis, proprio destituta pastore; et nemo est qui de substituendo alio mutire audeat.

B 2. Non sufficit spoliari bonis præsentibus domos episcopales: etiam in terras et in homines manus sacrilega circumquaque desævit, totius insuper anni ex eis sibi reditus vindicando. Vestra Catalaunensis fecit quidem electionem; sed qui electus est (590),

vigorem dignitatemque labefactari. Alios tamen invenies qui hæc mala dissimulent aut palliare norint, eosque quorum opera et auspiciis hæc geruntur summis in cœlum laudibus vehant. Per hæc tamen debitam Ludovico, si quam deinceps adultiori ætate laudem meruit, detractum non imus. Forte enim, annis maturior, rebus præclare gestis prioris ætatis maculas eluit. Nam pluribus annis Bernardo superstes fuit: mortuus nimirum anno 1180. Quamvis resipiscentiæ indicia ipsi quoque Bernardo dedisse legam. Nam ita de eo Æmilinus in Ludovico VII: « Rex (Ludovicus) magna et ira, et manu illatus » (nempe in Theobaldum comitem Blesensem) « Victoriacum, quod oppidum sub potestate Blesensis erat, captum diripuit. Profana sacraque loca sine discrimine incendit, in æde principe ad mille quingentos puberes impuberesque promiscue combusti, qui sanctitate templi salutem tecturi, ad ararum tutelam supplices confugerant. Mox se colligens Rex, ingenti dolore atque inde mœrore correptus, se afflictabat, neque solatiis ullis sublevari poterat: cum divus Bernardus ad illum venit evocatus, quod in eo multum divinitatis eluceret: ac jam antea rege Crasso, quercuum (ut prædicabatur) secessuumque discipulus, et nullo præterea præceptore doctissimus, e solitudine in celebritatem, ex umbra in solem, sanctitatem eruditionemque importarat. Is tunc intromissus, ac reverendissime a Rege exceptus, cum ejus fletum conspiceret, causamque didicisset: Hæc, inquit, lacrymæ, nisi cito exarescant, extinguere possunt Victoriacensis incendii memoriam. Tantum adde illis constantiam roburque, et ne sit velut muliebris ploratus; viriles ac vere regios animos gere. » Cæterum quæ de frustrata a Ludovico episcoporum electione hic dicuntur, manifesta sunt ex notis ad epistolam 219.

D (590) Gaufridus Catalaunensis episcopus, de quo in epistola 66, mortuus anno 1142; in cujus locum electus Guido, de quo hic. Samsonem Remensem archiepiscopum, quod Theobaldo faveret, expulerant regii ministri, qui urbis ecclesias Sanctæ-Mariæ, Sancti-Remigii, Sancti-Nicasii deprædabantur, et suburbanum Sancti-Theoderici monasterium. Nulla hic mentio (ut in epistola 222, n. 4) de Parisiensi episcopatu, in quo jam Stephano mortuo subrogatus erat Theobaldus.

ecce jam diebus multis debito honore frustratur, et scitis quam non absque gravi gregis dominici detrimento. Commisit Rex germano suo Roberto vice-episcopi (591) : et ille in cunctis terris rebusque Ecclesie potestative versans, et pro vice sua ubique haud segniter agens, infert cœlis quotidianas hostias, non plane pacificas, clamores pauperum, lacrymas viduarum, planctus orphanorum, gemitus compeditorum, sanguinem interfectorum. Verum angustus est malitiæ ejus ille episcopatus. Remensem invadit, atque in terra sanctorum iniqua gerit, non clericis, non monachis, non sanctimonialibus parcens. Denique sanctæ Mariæ, sancti Remigii, sancti Nicasii, sancti Theoderici terras fructiferas, et villas populosas, ita in ore gladii devastavit, ut pene in solitudinem redegerit universas. Frequens in omnium auribus vox : *Hæreditate possideamus sanctuarium Dei (Psal. LXXXII, 13)*. Sic Rex emendat quod in Ecclesiam Bituricensem Herodiano juramento commisit.

3. Præterea Rex, nobis quidem non parum laborantibus, pacem cum comite Theobaldo fecerat; firmæ, ut putavimus, amicitie fœdus inierat; et ecce occasiones quærit quomodo recedat ab amico. Atque hoc grande crimen quod impingitur Comiti, quia cum baronibus Regis de liberis suis contrahit matrimonia (592). **209** Suspecta est illi dilatatio charitatis, nec se putat regem, si se amaverint principes. Conjiciat prudentia vestra quid animi erga subditos gerat, qui de odio atque discordia, si fuerit inter suos, se æstimat fortiorem. Videat et perpendat si est hic homo a Deo, qui in suorum magis mutua similitate quam charitate confidit, cum charitas sit Deus (*I Joan. IV, 8*) : quod minime faceret, si sapientiam illius haberet qui ait : *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio (Cantic. VIII, 6)*. Propterea ergo pacis conventiones et constitutiones manifeste transgreditur : nec tenet pacta sua, quæ distinxerunt labia sua. Denique revocavit in domum suam, et ad consilium suum virum adulterum et excommunicatum (593), quem ex constituto ejecerat; et pro exercenda majori malitia, aliis multis nequam æque excommunicatis, perjuris, incendiariis, homicidis, Rex et advocatus Ecclesie adversus Ecclesie (quod non est dubium) amatorem et defensorem denuo sociatur, juxta illud prophete : *Si ridebas furem, currebas cum eo, et eum adulteris portionem tuam ponebas (Psal. LXIX, 18)*.

4. Ad hæc cogit suo more episcopos ad maledicendum benedicendis, et iterum benedicendum maledicendis : et quoniam non obtemperatur pro suo

(591) Vide epistolam 222, n. 1.

(592) Vide epistolam 222.

(593) Scilicet Radulfum. Vide epistolam 216 et sequentes.

(594) Joannes Besly in Historia Gallica comitum Pictaviensium, pag. 145, sic explicat hunc gradum consanguinitatis inter Ludovicum VII et Eleonoram ejus conjugem, Guillelmi comitis Aquitanici filiam, ut Aldeardis Eleonoræ proavia soror fuerit uxoris

A libitu sibi, circuit mare et aridam, ut inveniat juratores, quorum perjuriis, quos fortassis Deus conjungit, per homines separentur. Qua fronte, obsecro, tantopere aliis præscribere de consanguinitate laborat, homo cum sua (quod palam est) tertio ferme consanguinitatis gradu permanens consobrina? (594) Et quidem inter filium comitis Theobaldi, et comitis Flandrensis filiam; et item inter comitem Suessionensem, et filiam comitis Theobaldi, si consanguinitas sit, nescio : scienter enim illicita matrimonia nec laudavi unquam nec laudo : sed scitis vos, et sciat dominus meus, prohibere horum nuptias, si quo modo conjungi fas fuerit, exarmare Ecclesiam est, et multam illi subtrahere fortitudinem. Nec aliam puto adversantium ipsis nuptiis intentionem, nisi ut in terris præfatorum principum non possint habere refugium quicumque audebunt contradicere schismati quod minantur. Hucusque zelus meus. Non possum enim ego emendare quod potui redarguere : potui et commovere eum qui possit. Zelus eorum mei faciet hoc. Ipsum duxi necessarium in magno Ecclesie labore atque periculo compellendum; et per nullum dignius quam per vos, qui ejus lateri et spiritui adhæretis. Apud quem, quæso, habete me excusatum, quod Rege mutato mutaverim stylum, qui ad ipsum Deum Dei prophetam dixisse scitis : *Cum viro innocente innocens eris, et cum perverso perverteris (Psal. XVII, 26)*.

#### EPISTOLA CCXXV (595).

AD DOMINUM EPISCOPUM SUESSIONENSEM (596).

*Hortatur ad studium pacis.*

Laboravimus, sed de profectu adhuc quæritio est. Seminavimus multum, sed intulimus parum. Fatemur nos eguisse vestra opera et præsentia. Verum quod eam non requisivimus in tanta necessitate, per amicum communem sancti Dionysii abbatem docebimini. Nunc itaque ne de cætero dissimuletis, sed secundum sapientiam vobis a Deo datam studeatis quæ ad pacem sunt, monemus sanctam sollicitudinem vestram. Nam rogandus non estis pro tali re, qua utique constat non modo valde honorificari ministerium vestrum, sed et turpari admodum si negligitis. In indicta celebritate apud Sanctum-Dionysium speramus videre vos (597).

#### 210 EPISTOLA CCXXVI (598).

AD LUDOVICUM REGEM FRANCORUM.

*Bernardus et Hugo queruntur de pertinacia regis in male captis : irritos esse suos in concilianda pace labores non sine regni ejus exitio dolent*

Ludovico Dei gratia illustri regi Francorum et

Humberti II comitis Maurianensis, proindeque matertera Adeke, quæ fuit Ludovici regis mater.

(595) Scripta anno Christi 1143

(596) Joslenum.

(597) An indictus regni optimatum conventus? an Indicti celebritas, quæ mense februario in festo dedicationis apud Sanctum-Dionysium colitur, ipso die sancti Mathie?

(598) Scripta anno Christi 1143.

duci Aquitanorum, Illego Autissiodorensis qualiscunque minister, BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, diligere justitiam, et judicare terram sapienter.

1. Diu est quod egressi de domibus nostris, expositis propriis utilitatibus pro pace vestra et regni, fideliter, sicut nobis Deus est testis, laboramus. Tristamur autem quod aut nullum aut exiguum nostri laboris fructum adhuc tenemus. Adhuc pauperes clamant post nos, adhuc terra vadit quotidie in desolationem. Quæritis quæ terra? Vestra, non alia. Intra regnum enim, et contra regnum vestrum ista omnia mala perpetrantur. Nam sive amici, sive inimici vestri sint qui de guerra ista pauperantur, captivantur, conteruntur; non aliunde quam de regno vestro sunt. In quo manifeste imminere jamjamque videtur sermo Salvatoris dicentis: *Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur* (Luc. xi, 17). Huc accedit quod ipsi divisores et desolatores vos constituerunt sibi hujus nequitie caput et principem, quem præcipue debuerant metuere defensorem, et sentire ultorem. Nos autem credebamus vos tactum a Deo et illuminatum tantam illorum nequitiam advertisse, et errorem vestrum agnovisse; et cupere omnino consiliis sanioribus a laqueo isto retrahere pedem.

2. Cæterum ab hac spe pene dejecit nos colloquium illud habitum nuper inter nos apud Corbolicum. Scitis enim quomodo et quam irrationabiliter (ut pace vestra dixerimus) a nobis tunc recessistis. Unde factum est quod sermonis illius, qui vobis in dicto nostro displicuit, reddere ad liquidum rationem pro vestra nobis turbatione non licuit: quam si expectare placito corde dignaremur, forsitan cognovissetis et vos quod nil vobis indecens aut importabile dictum fuisset, secundum quod jam res vestra processit. Nunc autem sive causa turbatus, turbatos nos et confusos, et quid faciamus dubios anxiosque tenetis, homines qui vobis bona cupiunt et quaerunt. Quod non est aliud, nisi quia fraus iniquorum, et rumusculi parvam scientiam hominum, dicentium malum bonum, et bonum malum, conturbant vos. Verum nos, etsi conturbati, non tamen omnino desperati de auxilio Spiritus, quem vestram animam salubriter super malis præteritis concessisse persensimus, adhuc stamus et expectamus ut redeatis ad cor, et quæ prudenter cœpistis, efficaciter compleatis. Hujus rei gratia misimus fratrem charissimum nobis Andream de Baudimento (599), qui

(599) Andreas iste celebris fuit, variisque negotiis adhibitus. Subscribit primarij. Itineris abbatia Caricampi in Spiciegli tomo II, pag. 529; et cum Bernardo testis habetur concordia inter Lucovicum Janiorem et Algrimum Aurelianensem archidiaconum inter Chesai tomo IV, pag. 764. In traditione ecclesie de Vecri-Creco, per Burchardum Meldensem episcopum anno 1122 facta monasterio Sancti-Martini de Campis, sit aliam etiam rem unam donatio per Stephanum Rorici filium, et Theonardo comite presentem, domino Andrea de Baudimento laudan ea que ad eum pertinebant. Idem Andreas inter-

vobis ista plenius viva voce insinuet, et quicquid ad hæc respondere placuerit, fideliter renuntiet vobis. Si autem persisteritis, quod absit! non acquiescere sanis consiliis, munli nos sumus a sanguine vestro: Deus non permittet Ecclesiam suam sive a vobis sive a vestris diutius conculari.

EPISTOLA CCXXVII (600).

AD EPISCOPUM SUSSIONENSEM (601)

*Opem episcopi perquam sollicitè et ardentè implorat.*

Seimper quidem egui officijs amicorum, homo nimirum mente semper et corpore miserandus: sed nunc **211** maxime opus et tempus miserendi, cum, urgente conscientia et aggravata manu Domini super me, duro me carceri mancipavi (602) durus iudex in memetipsum. Et adhuc pater estis (nam fuisse vos fateor), sentiat filius, et ille filius, in quo usque ad hanc diem filialis ergo vos affectus non tepuit. Scio, scio difficile posse extorqueri clavam de manu Herenis: et ideo multum insto, quia venio peto difficilem. At quanto difficilius, tanto violentior ad promerendam redhibitionem. Grandis me latetor beneficii debitorum, grandis prorens, si obtinero. Nec ignoro dure quam accipere beatius esse (Act. xx, 35): sed cædo necessitati, occorro periculis, angustiis consulo, honesti plane nunc aut dissimulato aut imitemor. Cedent itaque honorabiliorem vobis, ut dignam est, partem, mihi verecundior assumo, non modo ad accipiendam inverecundior, sed et importunior ad petendum. Peto ergo suppliciter, peto instantè, peto opportune, importune. Nec enim illud peto, quod vos non deceat dare, aut me postmodum peniteat accepisse: etsi ita petere modo minus me deceat. Nam si liberatis pauperem a potente, in hoc nobis multum prestabitis, vobis plurimum. Eia, monstravimus affectum, rem vos scitis, fructum prestolantur afflicti.

EPISTOLA CCXXVIII.

AD PETRUM CLUNIACENSEM ABBATEM, CONQUERENTEM QUOD EI NON RESCRIBERET (603).

Reverendo patri et domino PETRO, Dei gratia Cluniacensium abbati, frater BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, se ipsum quantulus est.

1. Itane joculari libet? Dignanter sane atque amabiliter: sed si ita iudicatis ut non illudatis. Nolite mirari hoc. Nam suspectum id mihi facit vestra ipsa tam subita et inopinata dignatio. Non enim multum temporis est, quod scribens ad vos debita reverentia vestram Magnitudinem salutavi, et non respondistis mihi verbum. Nec multo ante rursus scripseram ad vos ex urbe Roma, et nec tunc quidem vel unum fuit concilio Treccensi anno 1128, ex prologo Regule Templariorum. Coler epistolam 284.

(600) Scripta eodem anno.

(601) Joslenum, de quo supra.

(602) Id est monasticæ reculsioni et solitudini, de qua in epistola sequenti, n. 2.

(603) Martens in Annalibus ad annum 1133, cap. 3, existimat hanc epistolam scriptam esse anno 1135; sed ordo epistolarum qualiscunque repugnare videtur. Et verè si conferatur cum epistola sequenti, a Petro Venerabili istius occasione rescripta, manifestum fiet hanc fuisse scriptam post Lugonensis

iosa recepi. Modo miramini quod reverenti nuper A de Hispania nugas meas denuo ingerere non presumpsi? Quod si culpa est quacunque ex causa non scripsisse, sine culpa profecto non erit noluisse, ne dicam contempsisse rescribere. En in quo pro me faceret justitia (quia id a me flagitatis), nisi malletm occurrere gratiæ redeunti, quam retardare eam mihi, dum vel me inutiliter excusare volo, vel alium accusare. Sed hoc dixi, ne quid clausum in mente retinerem quod ore non promerem, quod id vera recuset amicitia. De cæ ero quia charitas omnia credit (1 Cor. xiii, 7), jam omnis suspicio de medio fiat. Gaudeo quod recaluistis priscae amicitiae recordari, et vel lesum revocare amicum. Libenter redeo revocatus. Felix qui revocor. Nullarum jam memor sum injuriarum (601). En ego, qui fueram vestre profecto Sanctitatis servus, et nunc, et ante, gratias ago: optime locutus sum, intimus vobis denuo factus, sicut dignamini scribere. Si forte intepueram, ut arguitis, haud dubium quin velociter recalescam, totus vestre visceribus charitatis.

2. Et nunc quod placuit scribere, obviis manibus suscepi. Legi avide, libenter relego, et placet sæpius repetitum. Placet, fateor, joens. Est enim et jucunditate gratus, et serius gravitate. Nescio siquidem quo modo inter jocandum ita disponitis sermones vestros in judicio, ut et joens levitatem non redoleat, et auctoritas conservata hilaritatis non minuat gratiam. Porro auctoritas ita servatur, ut illud sancti viri merito **212** vobis possit aptari: *Si quando ridebam, non credebant mihi (Job xxix, 24)*. Eia rescripsimus vobis, et puto jam jure exigimus ampliora quam promisistis. Dignum est ut sciatis que penes nos sunt. Decretum est mihi ultra non egredi monasterio, nisi ad conventum abbatum Cistercium semel in anno. Illic fultus orationibus vestris, et benedictionibus consolatus, paucis diebus, quibus nunc milito, exspecto donec veniat immutatio mea. Propitius sit mihi Deus, ut non amoveat oratio-

electionis turbas, que anno 1138 contigere, ut supra ad epistolam 164 dictum est. Sic enim respondet Venerabilis Petrus: « Quando extingui vel obrui poterit sincerus erga vos et ignitus mei pectoris affectus quibuslibet sinistri rumoris rivulis, cum nec aqua nullarum decimarum potuerint cum extinguere, nec impetus Lingonensium fluminum obruere? » Imo in extrema, quam omisit, predictæ epistolæ parte idem Petrus meminit translationis Alcorani, postea S. Bernardo a se nuncupate, que testante Bibliotheca Cluniacensi facta est anno 1143, ad quem hanc epistolam referre visum est.

(604) Non est magnopere laborandum in detegendis injuriis, de quibus hic mentio. Nam istud ex sale et lepore quodam urbano ac familiari dici contextus utriusque epistolæ, hujus nimirum et sequentis, satis superque declarat. Scis quidem nonnullas controversiarum causas inter utrumque sanctum emerxisse, Lingonensem videlicet electionem, de qua ad epistolam 164, exemptionemque decimarum: sed usque ad injuriæ nomen devenisse nunquam consenserim. Quod spectat ad decimas, Innocentius in Gallis moram faciens anno 1152, cognita Cisterciensium inopia, ipsis ab omnibus decimas relaxari præcepit. Hoc privilegium Cluniacenses inter alios ægre admodum tulere. Hinc locus datus querelis,

nem vestram et misericordiam suam a me. Fractus sum viribus, et legitimam habeo excusationem, ut jam non possim discurrere ut solebam. Sesebo et silebo, si forte experiar quod de plenitudine intima suavitatis sanctus propheta eructat: *Bonum est, inquiens, exspectare Dominum in silentio (Thren. iii, 26)*. Et ne solus videamini mihi lusiss-, puto jam non audebitis me de hoc silentio meo reprehendere, et more vestro appellare soporem quod, ut puto, congruentius ac magis proprie sanctus Isaias cultum justitiæ nominat (*Isa. xxxii, 17*), et de quo legitis in hoc ipso propheta, dicente Domino: *In silentio et spe erit fortitudo nostra (Isa. xxx, 15)*. Commendate me orationibus sancti conventus Cluniacensis, salutato prius ex me servo omnium, si dignum judicatis.

## EPISTOLA CCXXI

PETRI VENERABILIS AD BERNARDUM ABBATEM (605).

*Bernardi litteris humanissime respondet, simulque causas dissensionum inter Cluniacenses et Cistercienses exponit.*

Singulari veneratione colendo, totis charitatis brachiis amplectendo, individuo cordis mei hospitio, domino BERNARDO Clare-vallis abbati, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, salutem, ad quam suspirat, æternam.

1. Quoniam tam dulcibus et jucundis amici litteris, quibus et ipse jucundus et citus occurrere debuissent, tardus rescriptor occurro: mirabitur fortassis solers Sanctitas vestra, et segnitiei vel contemptui, ut timeo, deputabit. Sed absit utrumque! nec absit tantum, sed prorsus utrumque abest: cum fere nihil unquam, quantum ad litteras pertinet, vel libentius susceperim, vel studiosius legerim. Tarditatis causa ex parte existit lator earum, qui Cluniacum veniens, nec me ibi inveniens, cum ipse non valde remotus, hoc est Marciniaci (606), essem, litteras quas ferebat mihi nec detulit nec misit, sed Cluniaci dimisit. Et ne velut accusare bonum virum

quas Petrus abbas apud Innocentium primo, deinde apud Haimericum modeste exposuit, imo et apud Patres Cistercienses in capitulo generali congregatos: quos cum nonnihil exinde turbatos comperisset, idem anno sequenti ad eodem litteras dedit excusatorias, quibus charitas sarta tecta custodiretur. Quid tamen in consequentibus adversus Cistercienses a Gigniacensibus monachis patratum sit, dicitur in notis ad epistolam 285. Porro cum desiderari videatur illa Petri Cluniacensis epistola, que hinc scribende occasionem dedit; non ad re fuerit aliam ab ipso subinde rescriptam in litterarum S. Bernardi serie subicere, quo omnibus veræ et christianæ amicitie cultoribus, maxime religiosis, absolutissimum exemplar proponatur, nobile scilicet istud par amicorum, S. Bernardum deo et Venerabilem Petrum cardinali Baronio adeo commendatum, ut a sanctitate, que per dilectionem operatur, Bernardo non impari esse pronuntiaverit. Alias ejusdem argumenti vide si habet apud ipsum Petrum, libri primi epistolam 28, et libri quarti epistolam 46.

(605) Hæc epistola, scripta anno Christi 1143, est 17 libri quarti. Exstat alia ejusdem argumenti in libro primo, nempe epistola 28.

(606) Marciniacum, virginum cœnobium ad Ligerrim, a sancto Hugone abbate Cluniacensi fundatum.



videar; credo eum aut quibuslibet negotiis retractum, aut acerrimæ, quæ tunc incumbabat, hiemis austeritate, ne me conaretur adire, deterritum. Moratus sum et ego ibidem, tam nivibus quam negotiis detentus per mensem: et vix in initio Quadragesimæ domum redii. Suscepi tandem a subpriori, cui traditæ fuerant, litteras illas vestras. Tractus est statim animus; et cum in affectum vestri multum ante caleret, longe amplius per easdem litteras flatu pectoris vestri succensus, nihil ultra frigidum tepidumve sibi inesse permisit. Tractus, inquam, sicque tractus est, ut, quod nunquam nisi sacrorum reverentia Librorum me fecisse memini, perlectam epistolam mox exosculatus sim. Et ut eos quos poteram, quia tunc non omnes poteram, in vestræ charitatis affectum, more mihi solito, excitarem, circumpositis quibusque quod mihi soli legeram, relegi, eosque erga vos in majorem dilectionis affectum pro viribus commovi. Recondi statim eas, et argenteis sive aureis, quos, pro more mihi a patribus relicto, ad opus eleemosynæ mecum ferre soleo, adjunxi. Nec incongrue. Nam super omne aurum et argentum vestra mihi gratia, bona vestra charitas est pretiosa.

**213** 2. Rescribere quod animo insederat, sequenti die statim volui: sed a quotidiano, imo pene continuo exactore alia reposcente prohibitus, conticui. Imperavit mihi plane silentium, cui resistere non poteram, durissimus imperator; et cura multiplex infinitarum causarum non uno tantum, sed multis me diebus silere coegit. Transibant quandoque quindecim dies, quandoque integer mensis, quandoque continui menses, quibus scribere semper nitebar; nec imperatore jam dicto permittebar. Rupi tandem importunum vinculum: et, licet ægre, jugum oneris et sceptrum exactoris furtim scriptitando superavi. Ac ne superfluus videar tantopere excusans tarditatem rescribendi, ipse excusare cogistis, dum dixistis: « Non multum temporis est, ex quo scribens ad vos, coronam vestram (607) debita veneratione salutavi, et non respondistis mihi verbum: nec multo ante rursus ex urbe Roma vobis scripseram, et nec tunc quidem vel unum iota recepi. Modo miramini quod revertenti nuper de Hispaniis nugas meas denuo vobis ingerere non præsumpsi? Quod si culpa est quacunque ex causa non scripsisse, sine culpa profecto non erit noluisse, ne dicam contempsisse rescribere. » Hoc quidem vos.

3. Sed quid ego? Istud plane. Negare, inquam, culpam, quam imponitis, nullo modo possem, si tanto amico primo scribenti rescribere contempsissem. Fateor enim quod primum scribenti vere rescribere debuissim: sed, prout recolere possum, dum in Urbe moraremur, scripsi ego prior, rescripsistis posterior vos. Non ergo ad me pertinuit rescribere, qui prior scripseram: sed vestrum fuit

A rescribere, quia prior scripseram. Et potuissem quidem scribere etiam rescribenti: sed plena, scriptoque meo ad unguem satisfaciens responsio vestra silentium mihi imposuit respondendi. Quod si ita est, culpa mihi imposita me deserens, vos incipit intueri, quia inculpabilem culpam, et sarcina aliena, ne dicam vestra, aggravare humeros fratris innocentis voluistis. Quod vero vice alia idem a me factum dicitis, quia rei memoria menti non inest, responsio deest. Quæ si forte adesse potuerit, aut probabilis excusatio aut humilis satisfactio deesse non poterit. Sed addidistis: « En in quo pro me faceret justitia. » Et ego: Interim juxta causas præmissas pro me facit justitia, quia apud me non invenitur culpa. Jam, si non parcerem, et læsum, quod de vobis dixistis, B amicum me vocare potuissem, et læsionis vel injuriarum pœnam merito exigere. Sed parco more meo, sed cuncta etiam non rogatus remitto. « Nullarum, » ut dixistis, « memor sum injuriarum. » Nam et hoc ad sequentem materiam pertinet, ut qui notas simultates de multorum cordibus, non ludo, sed serio excludere satago, et ad excludendum vos incitare intendo; prior ipse omnibus indulgeam, et quod ut alii faciant, laboro, ante ipse faciam.

4. Sed rursus forte dicetis: Itane joculari libet? Libet equidem, sed vobiscum. Vobiscum certe, sed non ita cum aliis. Nam cum quibusdam aliis gravitatem excedere, vanitatem incurrere formidarem: at vobiscum vanitatem non vereor; charitatem, ne labatur, persequor. Unde dulce mihi est semper vobiscum loqui, et melleam inter nos charitatis dulcedinem jucundis sermonibus conservare. Caveo enim, quantum possum, de illorum fratrum numero esse, qui oderant Joseph in corde suo, nec poterant ei quidquam pacifice loqui (*Gen. xxxvii, 4*). Utinam et sic (quod non glorians dico) omnes nostri vestrique fratres facerent, et a linea charitatis, qua sola post fidem, et Baptismatis sacramentum fratres dicuntur, et qua speciali consanguinitate sibi junguntur, non degenerarent, metuerentque quod ait Apostolus: *Periculum in falsis fratribus* (*II Cor. xi, 26*). Utinam plane hoc omnes facerent, et cor a cogitatu doloso, linguam, juxta Psalmum quem frequentant, a verbo aspero custodirent. Videntur D ista, quæ præmissi, magna promittere, et velut ad peragenda maxima **214** se præparare. Sed ne de his illud usitatum dicatur,

*Quid tanto dignum feret hic promissor natu?*

(HORATIUS, *De arte poetica*, vers. 138)

fateor me non tantum maximam, sed nec magnam, nec modicam habere causam vobis scribendi (earum tamen rerum quas magnas vel maximas sæculares æstimant, et de quibus se magnos vel maximos fieri posse filii sæculi sperant). Est tamen magna, et in tantum causas omnes præcellens, ut excellentior omnibus ab Apostolo dicatur; et si ejus

(607) In superiori epistola legitur, *vestram magnitudinem*.

nomen quæritur, ab eo charitas nominatur (*I Cor. A* xii, 31; xiii, 13).

5. Hæc mihi tota et sola causa scribendi fuit; quam me personæ vestræ integram servare confido, quamque nostros vestrosque sibi ad invicem melius solito servaturos, vestro maxime studio, non despero. Nam quantum ad eam charitatem spectat, quam vobis in abdito cordis mei jam ab antiquo reservo; videtur mihi quod aquæ multæ, ut scriptum est, non poterunt eam extinguere, nec flumina obruere. Hoc in quibusdam casibus mihi sæpe expertus videor, quod aquæ multæ non poterunt eam extinguere, nec flumina obruere (*Cantic. viii, 7*). Quando enim extingui vel obrui poterit sincerus erga vos et ignitus mei pectoris affectus quibuslibet sinistri rumoris rivulis, cum nec aquæ multæ decimarum potuerint eum extinguere, nec impetus Lingonensium fluminum obruere (608)? Nostis quod dico, nec ob aliud dico nisi ut constantis in amoris proposito erga vos animi mei insignia recolens, stabilem de cætero me esse posse, prudentia vestra præsumat. Præsumo et ego hoc idem de vobis, nec a cordis vestri penetralibus me cujuslibet impulsu posse excludi confido. Sed cum uterque nostrum pastor dicatur, cum ovilia nostra non parva Christi multitudine sint referta, cum utrique præcipiatur, *Diligenter agnosce vultum pecoris tui (Prov. xxvii, 23)*: videndum est si pecus nostrum nobis notum est, si valet, si languet, si debile, si robustum, si mortuum certe vel vivum. Nam cum dilectus ille Discipulus dicat, *Qui non diligit, manet in morte (Joan. iii, 14)*, quid ego de languore pecudis meæ sollicitor, cum eam jam mortuam esse cognoscam? Si enim in morte manet qui non diligit, in qua morte manet qui odit? si in morte manet qui non diligit, in qua morte manet qui detrahit? Ad quid hoc dico?

6. Cerno aliquos, tam de nostris ovilibus, quam de vestris, adversum se invicem jurata bella suscepisse: et eos qui in domo Domini habitare unanimes debuerant, a charitate mutua descivisse. Video eos de ejusdem domini esse familia, de ejusdem regis esse militia: eodem nomine christianos, eodem et monachos nuncupari. Intueor non solum communis fidei vinculo, sed insuper ejusdem monasticæ regulæ jugo submissos dominicum agrum multis sed diversis sudoribus excolere: et cum eos, ut dixi, christianum nomen jungat, cum monastica professio uniat, sola eos mentium nescio quæ occulta et nefanda varietas separat, et ab illa sincera cordium unitate, in quam videntur congregati, disgregat. Et, o res plena lamentis, nec ullis lacrymarum fontibus digne deflenda! superbum archangelum de cælis projectum rursum cœlestia occupasse, et qui in aquilone sedem suam stabilire non potuit, in meridiana, hoc est in splendidiore cœli parte, eam firmasse. Vere ita plane, ita se fecisse

gloriatur, quando, expulso eo qui habitat in cœlis, et cujus locus non in mutuo rancore, sed in fraterna pace factus est, mentibus hominum professione cœlestium, exemplo splendentium, jure tyrannico principatur. Cumque fortem illum, atrium suum diuturna pace custodientem, fortior superveniens vicerit; cum mundi principem foras ejecerit; cum solium ejus, qui rex est filiorum superbiæ, etiam in laicis christianis everterit: quibus putas placentibus erit dolendum, si eversum in aliis nequitie suæ thronum Satan in monachorum cordibus erexit? Absit, absit ut ille qui sic a Salvatore enervatus dicitur, ut ipsius etiam ancillis ligetur, ut ipsi a servis ejus velut avi illudatur, in tantum ipse servis ejus et ancillis **215** illudat, eisque ut vilibus mancipiis dominetur!

7. Sed cur sibi adversantur? cur sibi detrahunt? cur ab invicem consumuntur? Veniat, rogo, veniat materies litis in medium: et si quid justæ querelæ adversum se invicem afferre potuerint, æquis decernentibus arbitris terminetur. Quid exigit, quæso, frater a fratre? et ut in duobus nominatis omnium dissidentium varietas comprehendatur, quid exigit, inquam, frater Cluniacensis, a fratre Cisterciensi, vel e converso? Si urbes sunt, si castra, si villæ, si fundus, si possessio aliqua terrena vel parva, vel magna; si denique aurum, si argentum, si quælibet quantitas vel qualitas pecuniæ; dic age, propone. Adsunt iudices, non iniquitatis, sed æquitatis, omnes hujusmodi lites statim dirimere præparati. Facile pax reformabitur, læsa charitas curabitur, postquam pro talibus vel similibus ortum fuisse tantum cordium discidium cognoscetur. Sed video utrumque vestrum omnia ista abjecisse, nihil vobis in terris residui fecisse; pauperem Christum beata paupertate ditatos vos sequi proposuisse. Non est ergo hic materies quam quærebam. Sed non desistam, non fatigabor, non quiescam, donec ad fundum inquisitionis veritatis perveniam.

8. Est fortasse inter vos litis hujus causa, diversa consuetudo, varia monastici ordinis observatio. Sed si hæc, charissimi, tanti mali causa est, valde irrationabilis, et, quod salva utriusque vestrum gratia loquor, valde puerilis et stulta est. An non videtur vobis irrationabilis, puerilis et stulta, quam omnis ratio destituit, et cui omnis sanum sapiens contradicit? Nam si varia consuetudo, si multiplex rerum infinitarum varietas, Christi servos a mutua charitate divellere debet; quid jam pacis, quid concordie, quid unitatis, quid tandem de lege Christi non solum monachis, sed et omnibus Christianis residuum erit, de qua a magno Apostolo dictum est: *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi? (Galat. vi, 2.)* Si, inquam, lex Christi, id est charitas, ab omnibus diversos usus sequentibus relinquenda est; nusquam

(608) Hæc illa injuriarum capita, de quibus Bernardus in epistola superiori.

plane ultra querenda est. Nusquam enim inveniri poterit, postquam ab omnibus morem diversum sequentibus exclusa fuerit. Nonne, charissimi, totus orbis terrarum Christi Ecclesiis jam ab antiquo refertus est? Cumque omnem pene numerum excedat multiplicitas Ecclesiarum sub una fide et eadem charitate Deo famulantium, tanta pene apud eas invenitur varietas usuum, quanta infinitas est locorum. Hoc in cantibus, hoc in lectionibus, hoc in omnibus ecclesiasticis officiis, hoc in vestitu vario; hoc, præter authentica quæ mutari non possunt jejunia, in jejniis diversis; hoc in universis similibus, quæ pro temporum, locorum, gentium, regionum varietatibus, a prælatis Ecclesiarum, quibus, secundum Apostolum, quantum ad talia pertinet, in suo sensu licet abundare (Rom. xiv, 5), instituta sunt. Relinquent ergo omnes istæ Ecclesiæ charitatem, quia mutaverunt consuetudinem! cessabunt esse Christiani, quia videntur in diversis usibus variis peribit ab his omnibus summum pacis bonum, quia unusquisque modo vario operatur bonum! Non ita sensit vita et verbo doctor Ecclesiæ Ambrosius, qui de jejunio sabbati loquens, quod Romæ servari viderat, et Mediolani episcopus factus servari non invenerat, ait: « Quando Romæ sum, jejunium a Romana Ecclesia servatum custodio: quando Mediolani, morem ejusdem Ecclesiæ sequens non jejuo (Arg. epist. 54). » Hinc et pater Augustinus bonæ matris suæ devotionem describens, narrat eam juxta morem quem apud Africanas Ecclesias teneri viderat, oblationes suas contra Ecclesiarum Italiae observantiam Mediolani voluisse offerre, sed ab Ambrosio prohibitam fuisse (Confessionum lib. vi, cap. 2).

9. Sed quid in istis laboro! Frustra rem patentem multiplicibus testimoniis vel exemplis eligerem: maxime cum nec apud antiquos ipsius paschalis temporis dissonantia, nec apud modernos ipsius sacrificii christiani inter Græcos et Latinos nota varietas, charitatem ledere, vel schisma aliquod unitatis gignere potuerit. Testes sunt præcedentis rei Patres sancti et eorum, **216** quos Ecclesiæ reliquerunt, approbati libri, quod alio tempore Oriens, alio Occidens, alio in eadem Britannia insula Angli, alio Scoti christiani, scilicet antiquiores, Pascha Domini celebrabant. Testes sumus et nos temporis nostri, qui Romanam Ecclesiam, et totam latinam Linguam offerre Deo salutare sacrificium azymi panis videmus; cum græca Ecclesia et maxima Orientis pars, ac barbaræ sed Christianæ gentes sacrificare de fermentato dicantur. Cum hoc ita sit, nec antiqui nec moderni propter tam celebres et famosas usuum dissonantias a charitate mutua desciverunt: quia nihil quod fidem vel charitatem læderet, in his omnibus invenerunt. Ad quid istud! Ut, si propter varios usus vestri, o fratres, animi variati sunt si propter diversitatem consuetudinum diversificati sunt; si propter alium et alium morem ab Ecclesiarum institutoribus vobis traditum, a pacis

vel unitatis charitate languerunt; tantorum Patrum tam venerandis exemplis in unum redeant, et more sanctorum, qui convalescerent de infirmitate, fortes facti sunt in bello, a charitatis super omnem morbum formidando languore convalescant.

10. Sed dicetis: « Aliter usuum varietas accipienda est in diversis Ecclesiis, aliter in ejusdem Ordinis viris. Si Ecclesiarum multarum usus salva fide et charitate variantur, mirum non est; sed si ejusdem propositi et professionis homines non eundem institutionum morem servaverint, mirum est. » Estne, inquam, hoc totum, quod vos charissimi, ab invicem dividit? est hoc totum, quod charitatem in vobis lædit? est hoc totum, quod filios pacis inter se pacificos esse non sinit? Si laicus homo cum his qui oderant pacem pacificus erat (Psal. cxix, 7), monachus homo cum monacho homine nefando duello certabit? Filius lucis filios tenebrarum, ne pacis bonum turbetur, diligit: filius lucis filium lucis, quod ad proprium, non ad monachum refero, impugnabit? Si hæc certe tota est animorum vestrorum indignatio, si hæc tota charitatis lesio, facile curabitur, sed si abfuerit obstinatio. Attendite ergo ne lucem sensuum vestrorum propriæ sententiæ amor obumbrat, quia unitatem assequi non meretur, quisquis non ipsam, sed quod vult ipse, tacetur. Unde rogo ut, absque studio partium et propriæ sententiæ defendendæ, utrum hæc justa discidium causa sit discutiatis; et, cum injustam esse cognoveritis, discissos animos uniat. Nam ecce sub eadem Regula uterque vestrum militat, qua speciali militia salutem æternam se quisque vestrum posse consequi sperat. Quod si neuter vestrum spe sua frustratur, nescio quis locus discordiæ, quis discidium, quis oblocutioni superesse jam possit.

11. Dixistis enim mirum esse si ejusdem propositi et professionis homines non eundem institutionum servaverint morem. Ad quod ego: si ejusdem propositi et professionis homines non eundem institutionum morem servaverint, et tamen observationibus diversis ad eandem salutem et æternam vitam pervenerint, quid refert! Quid plane refert, quid obest, si vario tramite ad eandem regionem, si multiplici via ad eandem vitam, si multiplici itinere ad eandem, quæ sursum est, Jerusalem pervenitur, quæ est mater nostra? Si enim tu, o Cluniacensis, Cisterciensem, aut tu, Cisterciensis, Cluniacensem in assumpto proposito errare cognosceres, et juxta Scripturam, per viam quæ videtur hominibus recta, ad interitum tendere prævideres; justa, fateor, tibi esset causa fratrem corrigendi, revocandi, aut, si audire te nollet, objurgandi et detestandi. Tunc certe si obloquereris, si contradiceres, si et odires, te juste judicare, te recte agere confiterer, maxime cum de talibus audiam magnum prophetam Deo dicentem: *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, et inimici facti sunt tibi (Psal. cxxxviii, 21, 22).* Gratularer insuper te non

surdum esse auditorem Scripturæ dicentis: *Discurre, festina, suscita amicum tuum; ne des somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ* (Prov. vi, 5, 4): et illius: *Maledictus 217 qui prohibet gladium suum a sanguine* (Jerem. xlviii, 10). Tunc justas plane odiorum tibi causas esse faterer, et ad debellandos hostes Dei, et eos qui secundum Apostolum in hypocrisi faciunt mendacium (1 Tim. iv, 2), gressus tuos et ego accinctus zeli gladio comes individuis comitarer. At nunc cum sub eadem [supple regula] variis sed sacris institutis utrumque vestrum de terris ad cælos tendere videam, et per diversas semitas ad idem brachium tendentes sic currere, ut comprehendatis: non superest tibi, ut mihi videtur, causa aliqua indignandi, non odiendi, non obloquendi.

12. Sed exigis adhuc ut quod dixi probem, et quomodo sub eadem Regula, vel ejusdem Regulae professione, per diversos trames tuto monachus in opere possit ostendam. Ad quod mihi perspicillius patet responsio, et auctoritas juncta rationi non deest: posse et te Cluniacensem tuo usu, et te Cisterciensem tuo more, et feliciter per viam mandatorum Dei currere, et feliciter ad finem cursui debitum pervenire. Et quia eam, quæ semper in talibus præmittenda est, auctoritatem præmissi præmittatur et in hac serie ipsa, nec ratio medico saltem intervallo disjungatur ab ipsa.

13. Sed quid objicis, frater? Dico ejusdem Regulae professos ejusdem Regulae mandata non similiter observare. Verum est, inquam, quod dicis, ejusdem Regulae mandata in quibusdam capitulis ab ejusdem Regulae professis dissimiliter observari. Sed ne hujusmodi monachos propter ista reos existimes, ne hac de causa prævaricationis arguere audeas, audi celestem, imo Regis colorum auctoritatem: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit* (Luc. xi, 34). Audi et Apostolum: *Omnia vestra in charitate fiant* (1 Cor. xvi, 14). Audi et patrem Augustinum: *Habe charitatem, et fac quidquid vis.* Audi et ipsum Regulae scriptorem, imo ipsius Regulae dictatorem Spiritum sanctum: *Sic, inquit, abbas omnia temperet atque disponat, ut animæ salventur; et quod faciunt fratres, absque murmuratione faciant* (Reg. S. Benedicti, cap. 41). Et quid clarius? quid aperius? quid lucidius? Nonne ipsa verborum serenitas absque omni prorsus nubilo sese ostendit, et clarissimam veritatis lucem, remoto omnium nubium velamine, mortalibus manifestat? Ecce Magister celestis totum corpus tuum, o frater, simplicitate oculi, hoc est universa opera tua, puritatis intentione, lucida esse docet: ecce post ipsum summus Ecclesiarum doctor omnia tua in charitate fieri præcipit: ecce maximus post Apostolos Ecclesiarum instructor, omnem tibi quæ volueris faciendi potestatem, charitate manente, concedit: ecce ipse, cui inniteris, Benedictus pater, abbatem sic omnia temperare jubet, ut animæ salventur et murmur absit: et salutem sub eadem Regula

A diversa sequentium in metuis! Nonne cernis tutissimos ab omni periculo, quorum (et quod majus est) præcepta a qualibet varietatis mobilitate vel culpa, intentio salvandi animas juxta ipsam Regulam excusat!

14. Sed jam, ut et ipsa ratio auctoritatibus præmissis in omnibus famulari intelligatur, eique indivisibiliter coherere, subjungantur aliqua de instanti questione capitula, in quibus simplici oculo, sincera charitate, salvandarum animarum intentione, quædam mutata monstrantur. Nam his demonstratis, nihil, ut arbitror, quantum ad præsens negotium pertinet, tibi quærendum relinquam. Simplici namque oculo tu uteris, qui non ipsi post annum novitio aditum claustrum aperis: quia, juxta apostolum (1 Joan. iv, 1) et Regulae verba (Reg. S. Benedicti, cap. 53), spiritum noviter venientis, utrum ex Deo sit, per totius anni spatium perscrutaris. Simplici oculo et tu uteris, qui advententem infra ejusdem anni metam suscipis: quia eum per tantum temporis dilatam, ad pristinas sæces, et ad prioris vitæ detestanda mala redire formidas. Simplici oculo tu uteris, qui duabus tunicis, et duabus cucullis, vel ejusdem generis paucis additis vestibus contentus es; quia etsi non præceptum (ibid., cap. 55), consilium tamen vel existimationem scriptoris Regulae sequi, quam alterius generis vestes addere vel assumere maluisti. Simplici oculo et tu uteris, qui usum 218 medicamentorum pelliciarum admisisti: quia debilibus, quia infirmis, quia delicatis, quia omnibus, quantum ad frigidiores terrarum partes pertinet, ne murmurent, ne languerent, ne rationabili necessitate subtracta et aliqui a proposito recederent, providisti. Simplici oculo tu uteris, qui non nisi tertio fugitivos revertentes recipis: quia et ipsa Regulae verba conservare (ibid., cap. 29), et a frequenti fuga stultos vel instabiles monachos studes, negato demum reversionis aditu, deterrere. Simplici oculo et tu uteris, qui plus quam tertio monachum redemptum recipis: quia times ne, venia denegata, expositus hostibus pereat, et ovem vagabundam lupo, qui et clausas rapere ac dispergere solet, interficiat.

D 15. Simplici oculo tu uteris, qui absque exceptione aliqua regularia jejunia, tam æstatis, quam hiemis, observas: quia et prout ea tradita sunt, vis conservare, et prolixioris abstinentiæ cumulationem fructum recipere. Sed, quod puro charitatis animo loquor, octo diebus Natalis Domini, Epiphania, Purificatione, qui vero per omnia dies dominici sunt, jejunia a quibuslibet observari non satis approbo. Simplici oculo et tu uteris, qui et hos dies quos prædixi, et omnem authentice duodecim lectionum solemnitatem ab hac regularium jejuniorum consuetudine excipis: quia ipsum Dominum, quia Apostolos, quia quosdam alios sanctorum et sic honorare conaris, et omnium pene religiosorum sic jejunantium morem imitari proponis. Simplici

oculo tu uteris, qui opus manuum secundum Regulæ præceptum observas: quia et Regulæ obedire (*Reg. S. Benedicti*, cap. 48), et otiositatem inimicam animæ, secundum ejusdem Regulæ dicta, talibus exercitiis, tam sacris, non solum monachicis sed et apostolicis institutionibus vis cavere, et, in quantum facultas datur, juxta patres antiquos, et vitæ necessaria providere. Simpliciter oculo et tu uteris, qui hoc opus manuum ex parte postposuisti: quia non in silvis nec in desertis, sed in medio urbium et castrorum constitutus et undique populis circumseptus, nec toties et toties ire accedere horum causa operum, per promiscuam utriusque sexus multitudinem, absque aliquo vel plurimo periculo potes; nec insuper opportuna loca, ubi talibus exerceri operibus possis, plerumque possides. Sed ne inimica religiosi otiositas te vacante locum tibi nocendi inveniat, aut ubi et quando potes manibus operaris, aut ubi non potes, opus hoc manuum operibus divinis per vices variando compensas: sicque, ne domum pectoris tui vacantem nequam spiritus sibi vindicet, quibus potes sacris studiis totum vitæ tuæ tempus occupas.

16. Simpliciter oculo tu uteris, qui in omnibus advenientibus vel discedentibus hospitibus, inclinato capite, vel prostrato omni corpore in terram, Christum adoras, eisque universis pedes abluis: quia præcipuum hospitalitatis bonum, secundum Evangelii et Regulæ (*ibid.*, cap. 53) decreta, summo excolere studio, ut decet, satagis, et tam sanctæ humanitatis exhibitione condignam mercedem tibi vindicare contendis. Simpliciter oculo et tu uteris, qui non ante omnes hospites prosterneris, qui non omnibus pedes abluis: quia impossibile omnino tibi esset ante tantam hospitem multitudinem assidue advenientem semper in terram prosterni, omnibus pedes abluere; in tantum ut, si ad ista continue vacare velles, cunctis aliis Ordinis tui exercitiis omisis, nec istud solum explere valeres. Et quia quod impossibile tibi esse perspicias, omittis; quod hospitum susceptioni necessarium est, pro viribus exhibes, eosque quo potes honore prosequeris: a jam dictis, quæ explere non vales, simplicitate oculi excusaris. Simpliciter oculo tu uteris, qui mensam abbatum cum hospitibus et peregrinis semper esse vis: quia et Regulæ obedire (*ibid.*, cap. 56), et hospitibus tibi humanius deservire videris. Simpliciter oculo et tu uteris, qui mensam abbatum non semper cum hospitibus, sed semper cum fratribus esse decernis: quia multorum abbatum (ut mitius loquar) profusioni, qui hospitum occasione **219** sibi propitii, suis impii esse solebant, eum ad mensam communem revocando menderis.

17. Simpliciter oculo tu uteris, qui velut Esdras legem, qui velut Machabæi ruinas templi Dei, sic tu monastici Ordinis plurima detrimenta, multasque in multis multorum monasteriorum morumque ruinas reparare laboras: et, delicatis magis quam necessariis condescensionibus explosis ad antiqui et

A primi fervoris morem, nostrorum temporum teporem revocare contendis. Simpliciter oculo et tu uteris, qui ita et Regulæ et Ordinis mandata moderaris, ut, secundum ejusdem Regulæ verba (*ibid.* cap. 64), sit et quod fortes cupiant, et infirmi non refugiant: ut qui pane non potest, lacte saltem, ne vitam perdat, alatur: et qui anhelis cursibus propositum bravium comprehendere non valet, lento saltem pede ad illud pertingere doceatur; quia non minus patriæ inhabitator dicitur, qui ad eam post annum, quam qui post mensem revertitur. Quod tamen salvo itinerantium diverso labore dico: quia, juxta apostolicam vocem: *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem* (I Cor. III, 8). Habes tu hujus propositi tui Benedictum auctorem, cuius licet scripta, ubi charitas jubet, ipso teste minime sequi cogaris, sequi tamen, quia tanto viro congrua visa sunt, devotione laudabili delectaris. Habes et tu institutionum tuarum eundem Benedictum auctorem, qui ad finem charitatis universa scripta sua redigi præcipit, et animarum saluti quoquo modo, isto vel illo ordine inservire. Habes et Maurum præcipuum inter ejus discipulos discipulum, qui ab eo missus ad Gallias, aliqua vel multa de ejus Regula, eo quem supra scripsi oculo legitur immutasse. Habes et plurimos post ipsum monasteriorum patres, quos Spiritu Dei pro temporibus, pro locis, pro personis, ad moderanda sæpe dictæ Regulæ scripta actos esse, et vita præcellens, et innumera tam in vita quam post mortem a Deo per ipsos facta miracula, luce clarius manifestant.

18. Et quid ultra dicam? Simili ratione per reliqua omnia quæ videntur diversa capitula currente, simplicem oculum, quem alius charitatem, alius salvandarum animarum intentionem nuncupat, ubique reperies; et hoc modo nihil diversum, nihil dissonum (quia per charitatem fiunt omnia unum) in his quæ varie servari videntur, invenies. Istis adjicio, quod tamen omnibus patet, nihil pene talium in Regula præceptum, sed cum conditionis additamento, et abbatum temperamento prolatum. Quod etiam si imperative dictum fuisset, nequaquam simplici oculo, id est charitati evangelicæ, præjudicare potuisset. Talia enim, ut nosti, de numero præceptorum mobilium sunt: et quando charitas imperat, absque aliquo transgressionis timore movenda sunt. Nec suspecta esse debet hoc respectu Regulam professis Regulæ prævaricatio: quia regula illa illius sancti patris ex illa sublimi et generali charitatis regula pendet, ex qua et in qua, juxta Veritatis verba, *universa lex pendet et Prophetæ* (Matth. XXII, 40). Quod si universa lex; tunc et illius Regulæ lex. Monachus ergo Regulam patris Benedicti profitens, tunc eam vere servat, quando in servatis vel mutatis quibuslibet ejus capitulis, charitatis legem ubique conservat.

19. Quid igitur? Si hæc certe, o fratres, tota mutui erat causa discidii, nonne jam vobis prorsus

excusa videtur? nonne jam fraternâ pace uniri debent corda monachorum, cum varia illa, propter quæ discissa fuerant, simplex fecerit charitas unum? Nonne multa unum facit, quæ sub uno monastici Ordinis, vel unius Regulæ proposito diversa, sed bona sequentes, ad unum summi boni vel sempiternæ vitæ debitum finem perducit? Fiat ergo pax, o Jerusalem, in virtute tua, ut sequatur et abundantia in turribus tuis. Sed ne forte inveniamur de illis esse qui dicunt: *Pax, pax, et non est pax* (Jerem. vi, 14); scrutemur si qua adhuc divortii causa supersit, ne forte, nobis dormientibus ac securis, repentinus de caverna sua anguis exsiliat, et aliquem ex nostris vel vestris incautius quiescentem mordeat.

20. Fortassis enim vestes istæ coloris diversi **220** discordiæ præstant, et multiformis varietas vestium varietatem quoque parit et mentium. Nam, ut pene assidue cerno, et omnibus ipsis quoque negligenter intuentibus advertere perfacile est, niger (ut sic dicam) monachus album fortuito occurrentem obliquo sidere respicit: albus nigrum vix media oculi parte et quando se ingerit, contuetur. Vidi plurimos, non recordor quoties, de nigrorum numero, occurrentem quempiam album, quasi monstrum ridentes, et velut si chimæra vel centaurus, vel portentum aliquod peregrinum oculis ingereretur, voce vel gestu corporis se stupere significantes. Vidi e converso loquaces prius, et multa passim occurrentia ad invicem conferentes albos, nigro quolibet adveniente subito obmutuisse, et velut ab hostibus hostium secreta rimantibus, silentii sibi remedio præcavisse. Intuitus sum utriusque generis hominum linguas tacentes; oculos, manus, pedesque loquentes: et quod voce, ne proderentur, indicare volebant, gestuum suffragio clarius inclamasse. Vocem mutam, membra loquacia; et, perverso nature ordine, lapidibus clamorosos homines, hominibus taciturnos. Recordatus sum sæpe, talia videns, illius Salomonici verbi, quo de simili hominum genere latetur: *Annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, et in omni tempore jurgia concitat* (Prov. vi, 13, 14). Et, o pessimi angeli et a Deo projecti pravum et pertinax consilium! qui nolens se solum æternæ paci periisse, socios sibi suæ perditionis undecunque acquirit: et, ut gloriosiore palma lætetur, cedros vel abietes paradisi Dei, cujus ipse olim colonus exstitit, violento nequitie suæ impulsu subruere conatur. Dolet sibi periisse hæresum palmam, qua priscis temporibus Ecclesiam Dei scindere consueverat: et, videns se fidem nullo jam pacto lædere posse, Spiritu Dei eadem fide replente orbem terrarum, ad charitatis mutuae læsionem totum conatum convertit. Nam quia, ut infideles sint, hominibus christianis jam persuadere non potest; toto conamine, ne se invicem diligant, elaborat. Jam Arii, jam Sabellii, jam Novati, jam Donati, jam Pelagii, jam antiquioris horum exse-

A crandi Manichæi secta periit; jam innumerabilium hæreticorum nebulæ lucem fidei obumbrantes, Dei flante spiritu, evanuerunt, et meram nobis diem, omni remota caligine, reliquerunt: sed his succedens africanus turbo, omnia subito turbare contendit; et quia fidem prævaluisse cognoscit, læsione charitatis pristina damna recompensare molitur.

21. Sed ut, deploratione omissa, ad ea quæ cœperam stilum reducam: cur tibi, o albe monache, nigredo fratris tui, non mentis, sed vestis, exsecranda videtur? Cur tibi, o niger monache, albedo fratris tui, non mentis, sed vestis, admiranda creditur? Nonne uterque vestrum de ovibus Pastoris illius est, qui dicit: *Oves meæ vocem meam audiunt, et ego Dominus agnosco eas, et sequuntur me: et ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam de manu mea?* (Joan. x, 27, 28.) Et quis unquam pastor, non dicam Deus, sed vel homo, de velleribus ovium suarum discoloribus disputavit? quis unquam causatus est? quis unquam magis albas, quam nigras; nigras, quam albas, suas esse oves judicavit? quis unquam non utrum nigræ vel albæ, sed utrum nigræ vel albæ de eodem suo grege essent, attendit? Et, o malitia hominum! et, o innocentia pecudum! o constans in sua origine creata in brutis animalibus substantia! o perversa in rationali animante natura! quis unquam albus aries nigrum dedignatus est? quæ unquam ovis nigra albam detestata est? Nonne communiter, nonne pacifice, nonne omnino tranquille, sine omni multiplicis coloris quæstione, absque omni inquietudine, caulas pastorales replent? Et quidem aliquando aries arietem cornibus impetit, ovis ovem crebris pulsibus tundit: sed hos vel has non varietas coloris ad pugnam excitat, sed innata cunctis animalibus ac modo quolibet ira excita provocat. At nunc, ut video, stolidior pecude homo, in honore positus non intelligit: et, quod magis deffendum **221** est, monachus homo a charitatis unitate vario variatus colore sese disjungit. Noli; noli, oro te, frater, si ovis Christi esse cupis, vario de vellere causari: quia nullum de ovili suo Pastor ille projicit, nisi quem non coloris varietas, sed fidei vel charitatis læsio ab ovium suarum grege secernit. Non, inquam, secernit quempiam ab ovili suo propter colorem, qui de tam semotis regionibus, de tam diversis religionibus, in uno christianæ fidei ovili Judæum congregavit pariter et Gentilem.

22. Hoc fortassis docuit et patientia illius sancti patriarchæ Jacob, qui decies a Laban immutatam mercedem æquo animo tulit: et nihil differre inter album et nigrum, vel varium pecus, eodem boni pastoris animo et cura multicolorem gregem pascendo monstravit (Gen. 30). Et cum dicat Apostolus: *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura* (Gal. vi, 15); et alio loco, *Ubi non est Gentilis et Judæus, circumcisio et præputium, Barbarus et Scythæ, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus* (Coloss. iii,

41); quis puerilis animus in tantum desipere potuit, ut vel variarum vestium colorem, vel diversum consuetudinum morem, servata nova creatura in Christo aliquid, quantum ad salutem differre putaret? Quod si quantum ad salutem nil refert, cur varius vestium color monachos separat? cur schisma generat? cur animos dividit? cur charitatem ledit? Non est, non est causa aliqua, non ratio ulla, non dico audienti, non dico dividendi, sed nec grunienti in istis. Habes tu idoneum defensorem albedinis tue, simplicem, ut supra dixi, oculum consuetudinis tue: quo, ne longo temporis usu niger inductus, putaret non nisi sub atro colore suo monachum esse posse, albam cucullam et tunicam induisti; et quia sub nigrorum habitu innumerabiles hujus Ordinis tepefactos a proposito cernebas, ad majorem et novum monasticæ religionis fervorem huc hactenus inusitato vestium candore excitare arte laudabili voluisti. Habes et tu non dissimiliter probabilem auctorem nigredinis tue, longissimum a patribus traditum consuetudinum morem: quo tutior tibi videris sequendo vetera, quam adiuveniando nova. Habes uterque utriusque coloris tui inexpugnabilem propugnatricem ipsius communis Regulæ vocem (*Reg. S. Benedicti*, cap. 55); quæ præcipit ut de vestium colore aut grossitudine non censeatur monachi, sed illius coloris aut qualitalis vestibus stantur, quæ in provincia qua habitant vel facilius inventiri vel levius comparari poterint. Tutatur ergo albedinem tuam ratio supradicta, vel fortasse major, quam nondum novi, aliqua: tuetur et nigredinem tuam paterna auctoritas, quæ omni rationi æquipollet, et quam inferiorem judicari ab aliquo sanum sapiente non decet.

23. Et cujus patris exemplum ad hoc asserendum afferre poterò? Et quem majorem magno Martino reperire valebo? Ille, inquam, ille magnus Martinus monachus et episcopus, nigrarum colorem vestium suis vestibus dedicavit, de qua re sic in ejus Vita legitur: « Quem cum nigro ac pendulo pallio circumtectum contigua de latere jumenta vidissent, paululum in partem alteram pavefacta cesserunt. » Quod vero monachus fuerit, monasterium quod non longe ab oppido Pictaviensi, monasterium quod Mediolani, monasterium quod sibi Turonis construxit, testantur. Ecce monachus Martinus, ecce nigris vestibus contextus Martinus. Sed quid et de his Hieronymus in epistola ad Nepotianum missa scribit? « Vestes, » ait, « pullas æque ut candidas dixit. » Moneas eum scilicet ut fastum vel jactantiam caveret, non solum in candidis vestibus, quibus tunc magis sæculares utebantur, sed etiam in pullis, quibus illius temporis religionis professores uti consueverant. De his admirandus ille Nolanus episcopus Paulinus, jam dicti Martini, Ambrosii, Augustini, Hieronymi contemporaneus ac familiaris, multisque sæpe ab ipsis, sed et a magno papa Gregorio laudibus prædicatus, iter cujusdam nobilissimæ, sed ad religionis monasticæ pro-

positum nuper 222 conversæ feminæ describens, sic in epistola Sulpicio Severo directa loquitur: « Vidimus gloriâ Domini in illo matris et filiorum itinere, uno quidem, sed longe dispari cultu. Macro illam et viliores asellis hircio sedentem, tota hujus sæculi pompa, qua honorati et opulenti poterant, circumflui senatores prosequerantur; carrucis mutantibus, phaleratis equis, auratis pilentis, et carpentis pluribus gemente Appia atque fulgente. Sed splendoribus vantatis prælucebat christianæ humilitatis gratia. Admirabantur divites pauperiem sanctam, at illos nostra pauperies ridebat. Vidimus dignam Deo hujus mundi confusionem, purpuream, sericam, auratamque suppellectilem, pannis veteribus et nigris servientem. Benediximus Dominum, qui humiles excelsos facit, esurientes implet bonis, et divites dimittit inanes. » Ecce non solum viri antiquæ religionis, sed etiam mulieres, sanctitatis propositum assumentes, vestibus nigris usæ scribuntur.

24. Nam ut quod sentio fatear, visum est, ut mihi videtur, magnis patribus illis nigrum hunc, de quo agitur, colorem magis humilitati, magis penitentiae, magis luctui convenire: quibus studiis quia totam monachi vitam maxime invigilare oportet, decreverunt ut color moribus, vestes virtutibus, qua possent cognatione jungerentur. Vestes enim candidas magis gloriam quam abjectionem, magis gaudium quam mœrorem antiquitus designasse; magis etiam Ecclesiæ, ut omnibus notum est, sic interpretantibus, et angelus resurgentis, et angeli ascendentis Domini præcones indicarunt, ipseque Salvator in illa transformationis suæ gloria vestibus niveis præclarus apparens, ostendit. Inde bonus et doctus vir Sidonius Arvernus episcopus, quorundam vitia mordaci reprehensione irridens, inter alia quibus in eos invehitur, « Procedunt, » inquit, « albatii ad exsequias, pullati ad nuptias: » ostendens eos in tantum moribus et actu confusos, ut apparatus funereum nuptiali, nuptialem funereo, perverso ordine permutarent. Nam qui morem communem temporis illius servabant, non albatii ad exsequias, pullati ad nuptias; sed albatii ad nuptias, pullati ad exsequias procedebant: ut albatii nuptiali gaudio, pullati luctui funereo concordarent. Vidi nuper ipse in Hispaniis constitutus, et admiratus sum, antiquum hunc morem ab Hispanis adhuc omnibus observari. Mortua quippe uxore maritus, mortuo marito conjux, mortuis filiis patres, mortuis patribus filii, defunctis quibuslibet cognatis cognati, extinctis quolibet casu amicis amici, statim arma deponunt, sericas vestes, peregrinarum pellium tegmina abjiciunt, totumque penitus multicolorem ac pretiosum habitum abdicantes, nigris tantum vilibusque indumentis se contegunt. Sic crinibus propriis, sic jumentorum suorum caudis decurtatis, sequæ et ipsa atro prorsus colore denigrant. Talibus luctus dolorisve insignibus subtractos charissimos

descent: et integri ad minus spatium anni in tali A aut quantitate vestium, aut escarum, charitatem mœre publicæ lege consumunt.

25. Hac tanta auctoritate vel ratione tibi colorique tuo, niger monache, satisfacio; nec tamen ideo alibi albedinem condemno. Laudaris tu, quia patrum tuorum sanctum non vis excedere morem: laudatur et ille, quia vestium insolito candore, sui magis ac magis animi in sancto proposito excitat etiam hoc modo fervorem. Distinguit se quodammodo tali colore, non a communi (quod nefas esset) charitate; sed a multorum hujus ordinis nota omnibus tepiditate. Cum sis igitur sub uno pastore Jesu Christo, cum habites in uno ovili Ecclesie, cum ex una vivas æternorum fide et spe, tam tu albe, quam tu niger monache, quid de variis velleribus, ut parum austerius loquar, stultissimæ oves cansamini? Quid tam nulla, imo tam stulta de causa, contra vos ad invicem movemini? cur tam puerili occasione primam illam scilicet charitatis scinditis? cur ipsa habitacula separatis? cur vos ipsos non jam ovino, sed lupino dente mordetis? cur detrahitis? cur laceratis? Videte, cavete ne hoc nomen innocentie, quo oves nuncupamini, non de **223** illis vos faciat quas posturus est summus Pastor a dextris, et de quibus ipse ait, *Oves meæ vocem meam audiunt, et ego Dominus agnosco eas, et sequuntur me; et ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternam* (Joan. x, 27, 28): sed, quod absit! inter illas vos constituat, de quibus legitur et cantatur, *Sicut oves inferno positi sunt; mors depascet eos* (Psal. xlviii, 15). Cernitis adhuc stultam esse causam, de colore disputare? damnablem, fratrem pro colore odire? pessimam, fratri pro colore detrahere? Si tota hæc mutui causa erat discidium, si sola tanti materia divortii; si, inquam, schismatis monastici hæc sola et tota erat occasio: nonne hac tam multis rationibus explosa, cordium vestrarum jam vetus scissura metetur? nonne læsa charitas curabitur? nonne ad pacis filios evangelica pax revertetur? Satisfacite igitur paci, filii pacis, et cum ea perpetuam societatem habeat: ne forte, si aliter fiat, proferatur quandoque etiam contra vos dirissima illa prophete sententia: *Non est pax, dicit Deus meus, impiis* (Isai. xlviii, 22.) Et jam, Deo gratias, æstimo me quorundam nostri Ordinis virorum antiquas odiorum causas et latebras penetrasse, nec jam ad querendum etiam sollicito cogitatum aliquid superesse. Quod si res ita se habet, neque tu, albe, nigrum, neque tu, niger monache, album, si prescripta servare volueritis, infestabis: neque adversus fratrem pro diverso consuetudinum more, vel pro vario tam sæpe nominato colore, a statu altissimæ charitatis moveberis.

26. Sed quid dixi? quomodo mente excessi? ubi intellectus animi? unde acies obscurata videndi? Putabam me omnem scandalorum materiam invenisse, arbitrabar me omnes odiorum latebras detexisse. Suspicabar, ut dixi, solam diversitatem consuetudinum, solam varietatem colorum, qualitatem

aut quantitate vestium, aut escarum, charitatem inter monachos vulnecasse, et tanti mali istam tantummodo causam existere. Cernebam festucam in oculo fratris: sed trabem permaximam, et quæ prævalidam in meo vel ipsius oculo videre non poteram. At nunc clarificato oculo, serenata die, et sole meridiano jam nil laterè permittente, video, video, inquam, quod liceat mihi dicere pace omnium, unde tamen certus sum, quod licebit mihi omnium pace bonorum. Nam qui indignabitur, de se, ut ait Hieronymus, dictum fatebitur. Non refugit manum medentis pars sospes corporis: sed quæ se palpantis digitis tremens subducit, pestem sine dubio intrinsecus latere ostendit. Quid est ergo quod exciderat?

**B** 27. Dic, dic, inquam, tu, ut mel propositi prius hominem alloquar, dic, o niger monache, da gloriam Deo; et quod in imis cordis tui contra fratrem adhuc latet, denuda. Quis, inquis, pater potest novos homines veteribus anteferri; eorum studia nostrorum actibus præponi; nostros viliores, illos chariores videri? Quis æquo oculo aspicere potest mundum ex plurima sui parte a nostro veteri Ordine averti, ad ipsorum novum propositum converti? relinquas a sæculis vias, concursus fieri ad ignotas hactenus semitas? Quis patiarur novos veteribus, juniores senioribus, albos nigris monachis anteferri? Hoc tu, inquam, niger, dicis. Sed tu, albe, quid proponis? Felices nos, inquit, quos longe probabilior institutio commendat, quos beatiore alio monachis mundus prædicat, quorum opinio, aliorum existimationem; quorum dies, aliorum lucernam; quorum sol, aliorum sidus obscurat. Nos religionis perditæ restauratores, nos emortui Ordinis resuscitatores; nos languentium, tepentium, sordentium monachorum justissimi condemnatores: nos moribus, nos actibus, nos usibus, nos vestibus a cæteris divisi, et veterum teporem ostentui fecimus, et novum nostrorum fervorem præcellere approbamus. Ecce, ecce, vera illa occultior, sed longe aliis charitati infestior causa, quæ mentium vestrarum unitatem scindebat, quæ ipsas domos ab invicem scernebat, quæ ad verba detractoria vel maledica linguas vestras persæpe, juxta prophetam, ut fladium acuebat (Psal. cxxxix, 4).

**D** **224** 28. Sed retundatur lethalis gladius gladio verbi divini, et ne levi inanis gloriæ vento tantis sudoribus fruges collectæ dispergantur, si sapientes estis, satagite. Et, o infelix nuntiumque deslenda jactura! si longissimi tui mundissimam continentiam, si invincibilem obedientiam, si jejunia infracta, si perpetuas vigiliæ, si tam grave jugum disciplinæ, si tot palmas patientiæ; si, ut breviter multa concludam, tantos tanquæ innumeros, non jam terrenæ, sed cœlestis vitæ labores, per tanta tempora ad stipendium æternitatis, a te per Dei gratiam congregatos unus nequam serpentis sibilus disperserit, et te solo flatu evacuans, inanem in conspectu summi Judicis draco veterinus effecerit: et



ubi est quod Salyator hoc morbo adhuc laboran-  
 tibus discipulis ait, *Videbam Satanam quasi fulgur  
 de caelo cadentem?* (Luc. x, 18.) Ubi est quod, facta  
 huic simili contentione inter eos, quis eorum vide-  
 retur esse maior, alibi dicit: *Vos autem non sic: sed  
 qui major est in vobis, fiat sicut junior; et qui præ-  
 cessor est, sicut ministrator?* (Luc. xxii, 26.) Ubi  
 latet absconditum ab oculis memorie, quod excelsus  
 ille et magnus, cujus, juxta Psalmum, *magnitudinis  
 non est finis* (Psal. cxliv, 5); et qui, juxta Apo-  
 stolum, *est super omnia Deus benedictus in sæcula*  
 (Rom. ix, 5), servis suis non se præferens vel con-  
 ferens, sed submittens, sequitur et dicit: *Ego autem  
 in medio vestrum sum, sicut qui ministrat* (Luc. xxii,  
 27.) Corripitur apostolus, ne se præferat apostolo: et  
 non corripitur monachus, ne se præferat monacho!  
 Supponitur a Christo magistro minori discipulo  
 major, inferiori superior: et super Cisterciensem  
 ego Cluniacensis elevari conabor! Submittit se suis  
 discipulis ipse Christus: et super fratrem, longe  
 forsitan meliorem, tumentem superbia levabit cer-  
 vicem christianus, et monachus? Dejicit se majestas,  
 et jactat se infirmitas? Humiliat se celsitudo, extol-  
 litur putredo? Servit Deus, et imperare nititur  
 limus? Et quomodo cecidisti, frater, de gradu  
 Regulæ tuæ, quo te conscendisse gloriabaris, et ut  
 monachus omnibus se inferiorem et viliozem non  
 solum sua lingua pronuntiet, sed et intimo cordis  
 credat affectu? (Reg. S. Benedicti, cap. 7.) Et quid  
 ultra laboro? Non est necesse religiosi, sapientibus,  
 litteratis, acrius instare, nec, ut vulgo dicitur,  
 Minervam docere, vel ligna ad silvam, vel aquam  
 ad flumina sive mare deferre. Intelligit, agnoscit  
 utriusque vestrum sapientia, sicut sine fide, sic et  
 sine charitate impossibile Deo placere: nec ali-  
 quem, humilitate abjecta, posse eandem charitatem  
 nisu quolibet retinere. Unde enim humilitas recedit,  
 ibi necessario superbia succedit: ubi superbia suc-  
 cedit, ibi statim et invidia accedit: ubi invidia  
 oritur, confestim charitas moritur. Nam neque eum  
 cui invidet, invidus potest diligere, nec in non dili-  
 gente charitas aliquo modo permanere.

29. Propter ista, unde abest charitas, abest  
 humilitas: et unde abest humilitas, abest et cha-  
 ritas. Hoc docet clare et Apostolus, cum dicit:  
*Charitas non æmularur, non agit perperam, non est  
 ambitiosa.* Et quia nec etiam alienarum rerum  
 cupida, subdit: *Non quærit quæ suæ sunt* (I Cor. xiii,  
 4, 5). Inflationem ergo omnem, ambitionem omnem,  
 cupiditatem omnem, avaritiam omnem excludit cha-  
 ritas: imo per charitatem, juxta sequentia Apostoli,  
 expellitur tota simul iniquitas. Jam si hanc charita-  
 tem, quam legem Christi idem apostolus vocat (Galat.  
 vi, 2), vis, frater Cluniacensis, frater Cisterciensis,  
 integram conservare; si per ipsam maximos tibi  
 thesauros in caelo recondere, si reconditos conser-  
 vare; da totam quam potueris operam, et causas, non  
 dico eam fugantes, non dico eam perimentes, sed  
 vel parum eam lædentes, a te abige: si expulsæ

A redire voluerint, firmi pectoris redeuntibus ostium  
 claude, et cohabitatricem sempiternam totis sanctæ  
 animæ tuæ amplexibus retine. Sublevabit te chari-  
 tas ipsa firmiter retenta ad regna cœlorum, quæ  
 nimia ac dulci vi sua inclinavit usque ad terras  
 Regem cœlorum. Fidelis inde testis est Apostolus,  
 dicens quod propter nimiam charitatem Filium  
 suum miserit Deus in similitudinem carnis peccati,  
 (Rom. viii 3). Gaudebis perenniter coram Deo cha-  
 ritate, et gaudium tuum, sicut ipse promisit, nemo  
 tollet a te (Joan. xvi, 22). **225** quando erit Deus om-  
 nia in omnibus, quando satiaberis a longinqua esurie  
 tua, cum manifesta fuerit gloria ejus; quando,  
 cum apparuerit, similis ei eris; et, per hanc cha-  
 ritatem ei sempiternæ unitus, videbis eum sicuti est.  
 B 30. Jam tandem ad vos, mi charissime, cui  
 præsens epistola mittitur, stilus recurat: ut a quo  
 sumpsit initium, in ipso suam fortassis importu-  
 nam prolixitatem finiat. Causa mihi scribendi, ut  
 superius professus sum, teste conscientia, sola vere  
 charitas fuit: ut, quantum ad utrumque nostrum  
 attinet, flatu colloquutionis eam recalescere, et in  
 mutui affectus solitas vel majores flammæ erum-  
 pere cogerem. Restat ut vos, quem lacteam for-  
 temque columnam, cui inniitur monastici Ordinis  
 ædificium, summa providentia præparavit, et velut  
 rutilum sidus exemplo verboque non solum mona-  
 chis, sed et toti latinæ Ecclesiæ nostro tempore  
 insigniter lucem donavit: restat, inquam, ut totam,  
 quam potueritis, huic divino operi detis operam,  
 C et unius nominis et Ordinis maximas congrega-  
 tiones nequaquam ultra dissidere patiamini. Stu-  
 dii ego semper ut sanctos illos congregationis  
 vestræ monachos nostris fratribus commendarem,  
 et ipsos illis perfectæ unionis charitatis, si fieri  
 posset, etiam in viscerarem. Hoc publice, hoc priva-  
 tim, hoc in magnis nostrorum conventibus facere  
 non neglexi; et ut rubiginem illam livoris et zeli  
 contrarii, quæ interiora viscerum latenter rodere  
 solet, eraderem, modis quibus potui, laboravi.  
 31. Instate et vos, pro magna illa gratia a Deo  
 vobis collata, agro communi: ut sicut nullus post vos  
 nostris diebus plura utilia in illo plantasse probatur,  
 ita laudabili studio et industria, omne satis utilibus  
 D contrarium avellatur. Expellite sublimes illos et ex  
 Spiritu Dei flammante eloquio ab eorum cordibus,  
 ut mitius loquar, puerilem illam æmulationem, a  
 lingua susurrationem: et loco istorum, velint,  
 nolint, fraternam ingerite dilectionem. Non segre-  
 get ultra greges vestros a nostris gregibus usuum  
 diversitas, colorum varietas: sed a summa unitate  
 derivata, corrupta reparans, discissa redintegrans,  
 divisa vivificans, universa uniat charitas. Sic plane,  
 sic decet ut, quibus est unus Dominus, una fides,  
 unum Baptisma, quos continet una Ecclesia, quos  
 manet una perennis et beata vita; eis quoque, juxta  
 Scripturam, sit cor unum et anima una (Act. iv, 32).  
 Misi gemmeo amico salis genimam, cujus corpora-  
 lem usum vobis utilem olim audivi, et cujus spe-

cialem intellectum suprascriptis necessarium esse putavi. Nam quamlibet multos et pretiosos apparatus virtutum suarum æterni Regis mensæ si sine fraterni amoris sale intulerint, ut insulsi rejicientur: si hoc sale eos condierint, epulæ jam placentes cum offerentibus admittentur. Nam qui in lege sua nullum sacrificium sine sale suscipit, nullius munus virtutis sine tali condimento sibi placere ostendit, etc.

## EPISTOLA CCXXX.

AD TRES EPISCOPOS OSTIENSEM, TUSCULANUM,  
PRÆNESTINUM (609).

*Monet illos officii, ut a Christi grege in episcopatu Metensi lupos arceant.*

Ad hoc vos Deus in sublimitate posuit, ut tanto majori Ecclesiæ suæ utilitati vivatis, quanto in ea eminentiori auctoritate præestis. Alioquin deponet ille **226** Paterfamilias potentes de sede, qui pro accepta potestate inventi fuerint suis utilitatibus defuisse. Quanta sustineat sponsa Christi damna in episcopatu Metensi (610), etsi nos amplius horremus, quia viciniore sumus, tamen et vos arbitror non latere. En quantus lupo illud ovile Christi tum insidiis, tum manifestis assultibus quotidie molitur irrupere, et disperdere oves Christi sanguine congregatas. Idque non ab heri et nudius tertius, sed ex quo adhuc fuerat lupicellus, non cessat illum dominicum gregem quibus potest viribus infestare, et vastare rapinis, incendiis, homicidiis. Ego itaque, quod in me est, demonstro lupo, instigo canes: jam quid intersit vestra, vos videritis; meum non est docere doctores.

## EPISTOLA CCXXXI.

AD EOSDEM PRO ABBATE LATINIACENSIS (611).

*Innocentiam abbatis asserit ac tuetur, et capita accusationum in eum producta diluit. Denique zelum disciplinæ religiosæ in ipsis requirit.*

1. Vobis audeo loqui quidquid in buccam venerit. Nam etsi oportuerit sustineri modicum quid insipientiæ meæ, geret mihi procul dubio morem benevolentia vestra, quæ sapientibus et insipientibus debitor est. Et hoc dico, non quia cogitem

A præcipitare verbum quod ad rem non pertinet, aut levitate uti intendam, aut nugari delectet, præsertim apud vos, qui videmini columnæ Ecclesiæ: sed ex abundantia cordis os loquitur, et veritas, dolore urgente intrinseco, taciturnitatis impatiens, prorumpit in medium. Mei enim, dico vobis, pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quod exsecranda, ut videtur, conversione tam frequenter sapientiam vincit malitia. Adduntur ubique cornua impiis, et exarmatur justitiæ zelus: et non est qui facere bonum, non dico velit, sed possit. Superbi inique agunt usquequaque, et nemo audeat mutire contra. Et utinam vel innocentia tuta esset, et justitia ipsa suimet sufficeret defensionem. Quid peccavit abbas Latiniacensis? (612) An quod bonus monachus, et melior abbas? quod bonæ opinionis, et melioris est vitæ? An quia monasterium, cui præest, et decoravit religione, et bonis temporalibus ampliavit, et bonorum fratrum numero cumulavit? En sanguis iste de manu ejus exquiritur. Si crimen est acceptum esse Deo et hominibus; tollatur, et crucifigatur. Negari enim non potest hoc illum esse, cælo et terra testibus. Si crimen est esse hospitem, benignum, sobrium, castum, humilem; decedat merito ab inimicis suis inanis. Revera namque et in his excusari non potest, convincentibus se propriæ vitæ sanctitate, et famæ gloria.

2. At imponitur ei, noluisse suscipere nuntium domini mei. Prorsus gravis offensa, si ita est. Non negat abbas, hominem qui mittebatur in Angliam, cum esset honorifice susceptus hospitio, querere loqui cum eo; sed paranti exire intervenit Humbertus præpositus, dicens se potius exiturum, et homini vice ipsius satisfacturum. Si quo minus quod oportuit, actum fuit cum viro; cujus culpa fuerit, vobis relinquimus judicandum. Accusatur item quod litteras domini Papæ prædicto Humberto violenter abstulerit, et diruperit. Sed exstant litteræ integræ et bullatæ; nec vi eas, sicut mentitur, amisit, sed sponte dimisit, consilio **227** utique comitis Theobaldi (613), et nostro. Dicitur quoque quod quosdam monachos in captionem posuerit. Atque id quidem

(609) Nomina habet titulus epistolæ 219 Albericum, Stephanum, et Igmaram. In paucis manuscriptis hæc epistola reperitur, ut in Compendiensi.

(610) Vide epistolam 178.

(611) Latiniacum, diocesis Parisiensis ad Matronam, ubi monasterium a sancto Furseo abbate, juvante Erchinoaldo, conditum, instauratumque ab Heriberto II Campaniæ comite, qua de re diploma Roberti regis exstat in libro sexto. De re diplomatica, n. 151. Ecclesia Latiniacensis celebris et famosa, olim sanctitate et religione florens dicitur in litteris capituli generalis nostrorum monachorum, de quibus mox agemus.

(612) In chartario Sancti Martini de Campis invenimus Gaufridum abbatem Latiniacensem anno 1122, Arnulfi abbatis, qui anno 1106 obiit, successorem. Anno 1224, ut in Romano codice Vallicellanae bibliothecæ legimus, Radulfus abbas Latiniaci factus est: de quo Hermannus monachus Laudunensis in libro tertio De miraculis B. Mariæ, cap. 48, ubi comes Campaniæ Theobaldus, consilio

domni Norberti, quemdam cœnobii Sancti-Nicolai in silva Vosago (forte Vougo, rectius Vedogio, diocesis Laudunensis) monachum nomine Radulfum, Latiniacensi dilissimo monasterio præfecisse abbatem: cui hæc convenire non dubitamus. Obiit anno 1148, ex codice Vallicellano, eique Godofridus successit, Galfridus dicitur in Chartario Sancti Martini de Campis, mortuus anno 1162. Contra hunc duas habes litteras capituli generalis nigrorum monachorum: unas ad Adrianum III, alteras ad Alexandrum III, in hujusce tomi Appendice relatas.

(613) Theobaldus Magnus, Campaniæ comes, Latiniaci advocatus, ibidem sepultus, ad cujus tumulum Henricus comes ejus filius lampadem instituit, ex libro sexto De re diplomatica, n. 206. Henricus ibi versabatur aliquando, ut patet ex Sugerii epistola 120. De Theobaldo in notis ad epistolam 37, et apud Balduinum de Avesniis, in Spicilegii tomo VII pag. 584, ubi Latiniaci jacere dicitur.

falsum, Sed si quosdam turbatores et conspiratores in diversa claustra divisit, et simul positi plus nocerent, quis hoc recte judicantes reprehendat? Jam de terris et bonis ecclesie quasi distractis et alienatis, et datis ab eo cognatis suis, coram venerabilibus episcopis Suessionensi et Antissiodorensi, comiteque Theobaldo, advocato utique monasterii, satis responsum est, et adhuc respondetur, sic illum dedisse suis, quomodo alienis, id est ad eundem censum vel consuetudinem.

3. Porro autem a sæculo non est auditum quod monachus rebellis, superbus, ambitiosus, privilegium propriæ libertatis ex apostolica auctoritate meruerit. A tempore Jude Iscariotis non est inventus similis illi, qui sic insurgeret in magistrum, et traderet sanguinem justum. Felix magister, cui cum Magistro omnium communis propheticæ illa vox est: *Homo pacis meæ, in quo sperabam, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem* (Psal. xl, 10), Et olim quidem eratis, contra apostolum Petrum, dominantes in clerum (I Petr. v, 3); imo et, contra coapostolum ejus Paulum, doctrinamini fidei totius orbis (II Cor. i, 23): at nunc novum aliquid addidistis, usurpantes amplius et in ipsam religionem. Quid restat, nisi ut adjectis et ipsis Angelis sanctis dominari? Nisi quod in hoc posterior Judas priorem vicisse versutia et fraude videtur: quod cum illius facinus condiscipuli horruerint universi; isto callidior potuit ad connivendum, imo ad favendum suæ malitiæ, non quolibet, sed ipsos Apostolorum principes circumvenire. Non imputo domino meo (614), cui, tanquam homini, subripi potuit; et hoc oro, ne Deus imputet. Absit autem, ubi veritatem agnoverit, ut prevaleat tam execrabilis maligni hujus sacrilegusque conatus! Et ego de hac re ad ipsum quoque solito ausu scripsissem, si non sensissem ipsum, quidquid scribimus, minus solito acceptare (615). Quæ o, dolete vos, qui monachi estis (616), vicem magistri vestri beati Benedicti; cui jam, ut videtis, prope est ut ubique contradicatur, et pereat omnis vigor monasticæ discipline, monachis adversus abbates suos cornua sumentibus de manu forti.

#### EPISTOLA CCXXXII.

AD EOSDEM.

*Contra abbatem Sancti Theofredi.*

Si vera sunt quæ audistis de abbate Sancti Theofredi (617), non poteritis dissimulare sine periculo vestro, et propter officium, et propter conscientiam. Conscientiam dico non tantum vestram, sed etiam aliorum. Sunt autem verisimilia, credo quod et vera. Verax est enim, qui testimonium perhibet de his, præsentium lator. Unde hoc quoque sciam quæritis? Fasces teneo litterarum missarum a vobis

(614) Innocentio pontifici.

(615) Vide epistolam 218.

(616) Quippe Albericus Ostiensis, et Ymarus Tusculanus (Iniacenses erant); Stephanus Prænestinus, Claræ-Valleus.

A sanctis, quos ego novi quia sancti et veridici sunt et omnes illæ pariter continent tam laudes et præconia hujus, quam illius horrendas blasphemias, quem accusat.

#### EPISTOLA CCXXXIII.

AD ABBATEM JOANNEM DE BUSAIO, QUI ABBATIAM SUAM (618) RELIQUERAT, ET ABIERAT IN SOLITUDINEM.

*Blande eum revocat a solitudine, ad quam, dimisso monasterii regimine, se contulerat.*

Filio charissimo JOANNI, frater BERNARDUS, in spiritu ambulare, et timorem Domini non derelinquere.

1. Dicere non possum in quanta amaritudine animæ meæ et tristitia cordis scribam ad te, Joannes 228 charissime, pro eo quod me video in tot scriptitationibus meis proficere nihil, quia non capit in te sermo meus. Scripsi semel et denuo, nisi fallor (619): et exigentius peccatis meis in nullo adhuc respondet mihi labor meus. Ecce tertio jacto semen, Deum omnipotentem deprecans ut non revertatur ad me verum, sed prosperetur, et faciat ad quod illud mittit, restituens nos tandem aliquando de fructu vite obedientie et salutis. Si audieris me, imo si exaudierit me Deus, lucratus sum filium meum: si non, convertam me denuo ad arma consuetæ, orationes videlicet et lacrymas, non quidem contra te, sed pro te. Læxi, et lugebo, et anxiam traham suspiria ex hinc visceribus pro n eis visceribus. Quis det te mihi fratrem meum surgentem ubera matris meæ? quis revocet te mihi in illam quietam animi, concordantem motum, societatem spiritus, serenitatem conscientie, in qua te aliquando tenui et possedi?

2. Et ne quod ex me detrimentum in aliquo patiaris seu impedimentum, illud falsum esse non dubites, quod tibi a nescio quo vel quis us falsiloquis persuasum audivimus, quia ego videlicet cogitarem sine ratione et judicio te a regulari fraternarum animarum, quod tibi credideram, submovere. Non est hinc verum: sed audi potius de hac re paucis quod verum est. Hoc et si voluissim, non lenissem: et si lenissem (ut de propria conscientia loquar), ego nullatenus voluissim. Hæc veritas. Si ergo hoc totum fuit quod averit cor tuum; veritate compta quid restat, nisi ut respiscas, redeas ad te, redeas ad nos, arguas inoper te ipsum levitatis et credulitatis incauta? Si enim tantum potuit una irate dicta suspicio ad te alienandum et præcipitandum; quanto magis vere absoluta certitudo valere debet ad erigendum et revocandum te? Turpe est tibi falsitate posse seduci, et veritate reduci non posse. Habeat sane veniam acquievisse ad tempus palliatæ falsitati: at vero deprehensæ jam et nudatæ acquiescere adhuc, imo etiam non multum frasci, quantum confusionis labe? Quamobrem

(617) Ordinis S. Bened. in diocesi Podiensis.

(618) Ordinis Cisterciensis in Britannia minori, diocesis Nannetensis, filia Claræ-Valleus, fundata anno 1155. Vide epistolam 116.

(619) Non exstant hæc litteræ.

irascere et noli peccare, si vis nos vel Deum potius non irasci. Nam quod subreptum est tibi, miserationem magis quam indignationem meretur. Nimirum homo es, navigans, sicut et omne humanum genus, in hoc mari magno et spatioso manibus, ubi reptilia, quorum non est numerus. Quis se jactet in eo assiduis non impelli ventis, non jactari fluctibus? Noveris te naufragasse in eis, periculum in falsis fratribus incidisse. Iterum dico: hæc veritas. Deceptus fuisti, et spiritus mendax in ore pseudoprophetarum supplantavit te.

5. Sed ecce evanuit falsitas, luce veritatis oborta. Si adhuc (quod absit!) pergis in tua obstinatione persistere; ego te interim non judicabo, est qui quarat et judicet. Ego autem parco tibi, dissimulans et differens interim in vîrga venire ad te. Porro in misericordia et spiritu mansuetudinis allicere te robor curabo, si poterò: nam id mihi sentio familiarius esse, et tibi persuasibilius fore non dubito. Illum sane evaginare super te gladium non cunctabor, qui in materno meo pectore jacet reconditus; continuus utique dolor cordi meo, et creberrimi ad Deum gemitus pro te, donec venias. Quod si omnes hujus tam pie ferientis ensis, secundum duritiam tuam et cor impenitens, frustraveris icinus, nec possit quandoque dicere anima tua, Quia vulnerata charitate ego sum; tu de te videris; nam non solum jam veritas, sed et charitas liberabit nos. Sed quid dixi? Quomodo, miser, quomodo liberabor, effosis visceribus, filio pereunte? Non quiescet affectus, nisi non sequatur effectus: non sedabitur dolor, non cessabunt lacrymæ. Exhibebo tibi, quamdiu vixerò, alterum Samuelem: tu utinam non alterum Sautem mihi Rogabo te, rogabo pro te, ut venias. Veni, veni, prorsusquam moriamur: ut qui dileximus nos in vita, in morte non separemur.

### 229 EPISTOLA CCXXXIV.

AD HERBERTUM ABBATEM SANCTI STEPHANI DIVIONENSIS.

*Temerariæ scriptiõnis culpam Joanni condonari rogat.*

Si frater Joannes dixit in nos vel scripsit quod

(620) Joannes iste canonicus erat regularis in ecclesia Sancti Stephani Divionensi, ubi Herbertus abbas, de quo in epistola 59. Quid sit illud de quo scripserat contra Bernardum, non liquet. Neque enim putamus eum esse Joannem Cornubiensem, Abaelardi discipulum, de quo Chesnius in notis ad Albertardum, pag. 4159. An hic de Conceptione scripsit?

(621) Scripta anno Christi 1143.

(622) Status causæ narratur a Willelmo Neubrigensi, De rebus Angl. libro 1, cap. 17; a Francisco Gaduvino, libro De episcopis Angliæ, seu inter Eboracens. n. 29; a Rog. Hoved. posteriori parte Annalium. Rem patetis accipe. Anno 1140 obiit Thurstinus (alii Thurstanum vocant; Willelmus Neubrigensis, Trustinum: vide Ivonem Carnotensem, epistola 274, et ibidem Jareti notas), archiepiscopus Eboracensis. Electio successoris discordibus votis agitata est, aliis Willelmum Stephani regis nepotem, Eboracensis Ecclesiæ thesaurarium; aliis Henricum Mardach, abbatem Fontaensem, B. Bernardi quondam in Clara-Valle discipulum, eligentibus. Willelmum Henricus Wintoniensis episcopus conse-

A non decuit, vel quomodo non decuit (620), non tam nos læsit, quam se ipsum, Magis namque ita scribendo suam prodidit levitatem, quam nostrum deprehendit errorem. Quanquam etsi læsisset in aliquo, nostrum tamen non erat reponere malum. Attendens proinde non quod ille meretur, sed quod me decet, donari juveni etiam a vobis hanc culpam rogo et supplico, quæ magis gloriolam quam malitiam redolere videtur: ita tamen, ut manum deinceps inlibeat a scribendis tractandisque quæ supra ipsum esse constiterit. Nam, ut liquido satis apparet, in hoc exiguo quod præsumpsit, opus erat stilo et animo maturiori. Certam enim sit vobis, hominem, licet in brevi pagina, aut non scripsisse ut sensit, aut non sensisse ut debuit.

### EPISTOLA CCXXXV (621).

AD DOMINUM PAPAM CŒLESTINUM, PRO INTRUSO EBORACENSIS

*Auctoritatem sedis apostolicæ adversus infamem et simoniacum Eboracensis Ecclesiæ invasorem implorat.*

1. Oportet vos secundum justitiam, quæ ex lege est, suscitare semen fratris vestri defuncti. Quod digne implebitur, si papæ Innocentio, cui in hereditate Domini successistis, et defenditis bene gesta, et minus adimpleta perficitis. Præ manibus est in quo id liceat experiri. Causam Eboracensis Ecclesiæ per eum fuisse decisam quis nesciat (622)? At quomodo executioni mandatum sit quod egressum est de labiis tanti viri, utinam nesciretur. Quis det ut non annuntietur in Geth, neque in compitis Ascalonis? (II Reg. i, 20.) Sed, ut verbum abbreviatum faciam auribus occupatis, audiat paucis dominus meus quid dictum fuerit, et quid factum teneamus. Cum in multis accusaretur is qui sibi vindicare electionem in præfata Ecclesia impie cupiebat, tandem omnis controversia ad testimonium viri illustris Willelmi (623), ipsius Ecclesiæ tunc decani, conquirere jussa est: ut nisi capitulum intrusionis, quod huic inter cætera impingebatur, ille eravit, sed petentem Roma pallium Papæ rejecit. Qua repulsa rex offensus, Henricum a Pontifice confirmatum, et pallio donatum recipere renuit. Quin regis ad exemplum compositi cives et subditi, potestorem non admiserunt. Tandem placato rege Henricus a suis susceptus præfuit decem annis, mortuus anno 1153 Sherboniæ. Interea Willelmus apud Henricum Wintoniensem degebat. Sed cogita Eugenii pontificis et Bernardi; necnon Henrici archiepiscopi morte, Romanam mox contendit, et ab Anastasio Eugenii successore, ope Gregorii cardinalis, voti tum demum facile factus compos, confirmationem et pallium obtinuit. Sed paucò tempore superstes, anno 1154 defunctus est, non sine suspitione veneni propinati. Hunc in sanctorum numerum relatam meminit Gaduvinus, et ad sepulcrum ejus crebra patrata miracula. Sed addit idem, et quod credere cui cordi est, meminere hunc quidem conque ovum, a divo certe Bernardo, aut ejus saltem opera exauctoratum, et præsulatu expulsam. De negotiis Ecclesiæ Eboracensis confer epistolas 234, 240, 252, 346 sqq.

(623) Vocabatur is Willelmus a Sancta-Barbara,

proprie manus juramento amoveret, suis omnino conatibus tanta frustraretur ambitio. Hoc autem non ex iudicio, sed ex misericordia: sic enim rogaverat ipse. Mitissima plane sententia, quippe cum de plurimis et pessimis pulsaretur, quæ nullatenus propulsare valebat. Sed utinam vel ipsa stet. Quid enim si non sufficit juri, dummodo sufficiat Ecclesiæ liberationi? Non causamur sententiæ remissionem quæ nil nocuit. Neque enim profuit adversario etsi largior indulgentia, qui ne ipsum quod ultro sponderat, implere prævaluit. Nam de quo præsumere visus est, defecit ei, ne sibi ipsi deficeret pejerans. Quando enim vir bonus attestaretur homini, quem rumor publicæ opinionis et operis veritas detestatur? Quid ergo? Ille non juravit, et iste episcopus est.

2. O rem ignorantia omnium dignam, et perpetuo, **230** si fieri posset, silentio comprimendam! Verum id sero. Heu! notus est orbi triumphus diaboli. Ubique per tonat plausus incircumcisorum et planctus bonorum, pro eo quod videatur sapientiam vicisse malitia. Monstratur digito matris Ecclesiæ turpitudine: patris Innocentii verenda irridentur, denudata a servo nequam, quoniam mortuum putat: sed vivit in vobis. Si is exitus imminebat, cur e longinquo Romam est pertracta causa spurcissima, umbra magis et angulo digna? cur tanta mari terraque a multis assumpta fatigatio? cur a finibus terræ evocati viri religiosi qui eum accusarent, et pauperum Christi marsupia longi itineris expensis exhausta sunt? Non poterat episcopari turpis infamisque persona (quod invitus dolensque loquor), nisi quæ in illo horrebat Anglia, Francia abominabatur, etiam Roma cognosceret? Quam melius in Romana curia causa ejus minime ventilata fuisset et non tangeret vel sacra limina generalis atque horribilis fetor! Quam tolerabilius ignorasset apostolica Sedes tam intolerabile malum, quam tolerat manifestum! Quid istud temeritatis fuit? Publice infamatus, ante iudicem accusatus, nec purgatus, imo et convictus, et sic consecratus est. Viderit qui huic manum post ista imposuit, an magis execratus (**624**) dicere debuerim. Non enim negabit sic se ista habere, non negabit sic se ex litteris apostolicis ad se pro hoc ipso directis eadem comperisse. Dicat forte aliquis, quia non est datum iudicium, non fuisse convictum. Ego dico et confessur. Nam qui, ut iudicium evaderet, ultro elegit ad testimonium Willelmi decani confugere: illo sibi deficiente, quid nisi iudicio suo a causa decidit, ore proprio condemnatus?

3. Quæ cum ita sint, videte, domine Pater, ne decline: cor vestrum in opus malitiæ, quoniam, secundum prophetam, *declinantes in obligationem adducet Dominus cum operantibus iniquitatem* (*Psal. cxxiv, 5*). Alioquin quod consilium datis miseris abbatibus illis, quos ad accusandum eum vocatio

decanus ecclesiæ Eboracensis, postea episcopus Dunelmensis.

(**624**). Eodem sensu verbum *execrare*, prout legitime consecrationi opponitur; occurrit in epistola

A apostolica Romam traxit; sed et aliis quam pluribus ex illo episcopatu viris religiosis? sintne obedituri huic, et sacramenta accepturi ab homine his intruso, primo quidem per Regem, deinde per Legatum? Quippe qui illum in sanctuarium Dei, contra jus et fas, contra mandatum summi Pontificis, in injuriam summæ Sedis et totius Romanæ curiæ, cum non potuit per ostium, fodit argenteo, ut aiunt, sarculo, unde impudenter intrusit. Ante, nisi fallor, suis sedibus exsulabunt, quam dare acquiescant manus idolo huic, nisi vestra violenta auctoritas obviarit. Cæterum quam sanctiori vestroque apostolatu digniori zelo gladium Phinees in confusionem duorum tam turpiter fornicantium stringeretis, quam tot sanctos aut de suis fugere locis permittitis, aut contra conscientias suas cogitis remanere?

#### EPISTOLA CCXXXVI (625).

AD TOTAM CURIAM ROMANAM.

Unde supra.

Dominis et patribus reverendis, episcopis et cardinalibus curiæ, frater BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, salutem et nostras qualescunque orationes.

1. Omnibus scribendum fuit de eo quod spectat ad omnes. Nec vereor ne forte præsumptionis arguar, quippe qui, licet omnium minimus, tamen **231** Romanæ curiæ injuriam a me non iudico alienam. Urimum assidue, dico vobis, urimum graviter nimis, ita ut nos tædeat etiam vivere. In domo Dei videmus horrenda. Et, quia corrigere nos non possumus, saltem suggerimus his ad quos spectat. Si quidem emendaverint, bene; sin autem, nos animas nostras liberavimus: vos excusationem non habebitis de peccato. Non ignoratis prolatam esse sententiam a domino papa bonæ memoriæ Innocentio, cum vestro et Romanæ curiæ generali assensu, irritam esse Willelmi Eboracensis electionem, imo intrusionem, nisi Willelmus alter, tunc decanus, quod objectum ei fuerat, proprie manus juramento repelleret. Nec vos latuit quam plena esset sententia, non iudicii, sed misericordiæ: nimirum cum hoc Willelmus ipse quæsisset. Sed utinam vel ipsa stet, et quod adversus eam factum est, stare non possit. Quid enim? Non juravit ille, et iste in cathedra pestilentiæ sedet. Quis tribuat ut adversus fornicationem hanc Phinees cum pugione procedat, aut vivat in sede sua Petrus, qui spiritu labiorum suorum interficiat impios? Multi clamant ad vos in toto corde suo, ut sacrilegium hoc digna animadversione vindicare studeatis. Alioquin, dico vobis, scandalum magnum nimis erit in Ecclesia Dei: et timeo ne Romanæ Sedis auctoritas gravem admodum jacturam et detrimentum grande suscipiat, nisi in eum qui pervertit generalem ejus sententiam vindicta processerit, et taliter, ut cæteri metum habeant.

466, n. 1, in epistola 225, n. 2, et in epistola 300 inter Chesnianas, tomo IV, quæ epistola est Drogonis Lugdunensis electi ad Ludovicum Juniorem.

(**625**) Scripta anno Christi 1145.

2. Quid enim de eo dicam, quod occultas et vere A tenebrosas litteras habuisse se gloriatur Willelmus ille? utinam a principibus tenebrarum, non a principibus Apostolorum. Et ecce audierunt filii incircumcisorum: subsannant Romanam curiam, a qua post datam tam manifestam sententiam, furtim datas esse aiunt contrarias litteras. Quid dicam vobis? Si non vos urit scandalum grave, quo scandalizantur non pusilli, sed magni et perfecti viri; si non compatimini pauperibus abbatibus, quos a finibus terræ vocatio apostolica Romam traxit; si non miseremini magnis et religiosis monasteriis, quibus omnino sub incubatore illo destructio imminet; si (quod primum dicere debui) zelus domus Dei non comedit vos: numquid usque adeo inimici hominis versutia prævalebit, ut proprium quoque contem- B ptum, et infamiam hanc pessimam Ecclesiæ principes æquanimiter ferant? Quid enim si sacrilegam homo ille consecrationem recepit? Profecto longe gloriosius erit jam elevatum dejicere Simonem, quam prohibere conantem. Alioquin quid facietis religiosi viris, qui omnino non inveniunt, salva conscientia, vel ipsa communia Sacramenta de leprosa manu suscipere! Ante, ni fallor, eligent fugere, quam dare manus morti; et exulare prius, quam vesci idolothyti. Quod si contra conscientias suas coegerit eos Romana curia curvare genua ante Baal, videat Deus et judicet: videat curia illa cœlestis, in qua nulla poterit ambitione subverti iudicium. In fine omnium obsecrat vos puer vester per viscera misericordiae Dei nostri, si quis in vobis est zelus, C Dei, miseremini Ecclesiæ sanctæ, saltem vos amici ejus; et quantum potestis, date operam, ne tam detestabili facto detur assensus.

### 232 EPISTOLA CCXXXVII.

AD TOTAM CURIAM ROMANAM, QUANDO ELEGERUNT ABBATEM SANCTI-ANASTASII IN PAPAM EUGENIUM (626).

*Miratur Bernardum abbatem S. Anastasii, abstractum ab otio et solitudine, ad totius Ecclesiæ curam rapit: timetque hominem, quieti assuetum, et rebus geren-*

(626) Anno 1145, defuncto Lucio II pontifice, Cœlestini successore, electus est Bernardus abbas Romæ ad Sanctum-Anastasium, S. Bernardi discipulus, dictus Eugenius III; ad quem libri de Consideratione. Ejusdem tum abbatis epistolam ad Bernardum habes hic ordine 344; item ipsius jam papæ aliam epistolæ 273 præmissam; denique epistolam de ejus obitu in Appendice, id est 475.

(627) Eugenius quondam vice dominus Pisanæ ecclesiæ (codex manuscriptus Dunensis citatus ab Henriquez vocat Suffraganeum), deinde Bernardi in Clara-Valle discipulus, mox abbas monasterii Sancti-Anastasii, seu Trium-Fontium ad Aquas-Salvias prope Romam, præter morem, non ex cardinale, sed ex abbate electus est a cardinalibus in summum Ecclesiæ Pontificem anno 1145 in locum Lucii, ut jam dictum est; qui eodem anno quinto kalendas martii ex hac vita migravit. Hunc ergo miratur Bernardus, qui vice-dominatum unius particularis ecclesiæ non sustinebat, ad dominatum totius universalis Ecclesiæ vocatum. Porro quid officii vel dignitatis hoc nomine, *vice-dominus*, intelligendum veniat, paucis monstremus. Sunt enim etiamnum ecclesiæ, seu episcopia, quæ titulum istum reti-

*dis minus exercitatum, tanto oneri haud parem fore: unde fidei cardinalium ope eum sublevari rogat.*

Dominis et patribus reverendis, cardinalibus, et episcopis omnibus qui sunt de curia, puer Sanctitatis eorum.

1. Parcat vobis Deus; quid fecistis? Sepultum hominem revocastis ad homines; fugitantem curas et turbas curis denuo implicuistis, et immiscuistis turbis. Fecistis novissimum primum, et ecce novissima illius periculosiora prioribus. Crucifixus mundo per vos revixit mundo: et qui elegerat abjectus esse in domo Dei sui, ipsum vos in dominum omnium elegistis. Cur consilium inopis confudistis? cur pauperis hominis, et mendici, et compuncti corde iudicium perturbastis? Currebat bene: quid vobis visum est sæpire vias ejus; avertère semitas, gressus involvere? Quasi descenderet de Jerusalem, et non magis ascenderet de Jericho, sic incidit in latrones: et qui se tanquam violentis quibusdam diaboli manibus, carnis illecebris, et gloria sæculi potenter excusserat, non tamen valuit effugere manus vestras. Num idcirco Pisam deseruit, ut reciperet Romam (627)? Num qui in una Ecclesia non sustinuit vicedominatum, dominatum in omni Ecclesia requirebat?

2. Quid igitur rationis seu consilii habuit, defuncto summo Pontifice repente irruere in hominem rusticatum, latenti injicere manus, et excussa e manibus securi et ascia vel ligone, in palatium trahere, C levare in cathedram, induere purpura et bysso (628-9), accingere gladio ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis? Sic non erat inter vos sapiens et exercitatus, cui potius ista convenirent? Ridiculum profecto videtur, pannosum homuncionem assumi ad præsidendum principibus; ad imperandum episcopis, ad regna et imperia disponenda. Ridiculum, an miraculum? Plane unum horum. Non nego, non dissi-

neant. Olim quidem tenebatur quilibet episcopus vice-dominum et œconomum habere, distinct. 89. cap. « Volumus. » Qua De re S. Gregorius Magnus sic scribit ad Anthelmum subdiaconum, libro ix. epist. 66: « Volumus ut frater noster Paschasius et vice-dominum sibi et majorem ordinet domus, quatenus possit vel hospitibus supervenientibus, vel causis quæ eveniunt, idoneus et paratus existere, etc. Ubi Glossa in allegat. cap. « Volumus, et vice-dominum, » id est œconomum rerum episcopalium, qui rebus episcopalibus, et hospitibus supervenientibus provideat. « Quia Episcopus, » inquit, « non potest talia negotia in propria persona tractare. » Vide quæst. 5, « Quia Episcopus, » et referas quod dicitur de hospitibus, ad vice-dominum. Ita Gloss. Verum Filesacus Theol. Paris. ad tit. de Offic. Jud. Ordin. lib. i Decret. seu de sacra Episcoporum auctoritate, ita potius hæc duo censet distinguenda, ut œconomi munus sit hospites curare; at *vice-dominum*, causis et litibus disceptandis nomine episcopi præesse. Vide Filesacum, libro citato cap. 4, § 5.

(628-9) Jam tunc Pontifices induti erant cappa rubea, de qua Petrus Damiani in libro i. epist. 20.

posse fuisse hoc etiam opus Dei, qui facit mirabilia magna solus : præsertim cum audiam usquequaque ex ore multorum, quoniam a Domino factum est istud. Sed nec ego oblitus sum iudiciorum Dei antiquorum, et Scripturæ plurimos recensentis ex privata seu etiam rusticana vita olim assumptos in voluntate Domini ad regendum populum ejus. Denique nonne (ut unum e pluribus memorem) tali quodam modo elegit David servum suum, et suscepit eum de gregibus ovium, de post fetantes accepit eum. (*Psal. LXXVII, 70, 71*)? Ita, inquam, ita et de nostro Eugenio in beneplacito Domini potuit contingisse.

3. Non sum securus tamen, quoniam filius delicatus est, et tenera verecundia ejus, assueta potius otio et quieti, quam tractandis quæ foris sunt : timendumque ne non ea auctoritate, qua oportuerit, sui apostolatus officia exsequatur. Quid putatis gerere animi nunc hominem illum, qui de secreto internæ contemplationis et amica solitudine cordis, tanquam infans e gremio et sinu matris subito perturbatus, tractum se ad medium videt, et quasi ovem ad victimam ductum ad tam insueta et insuavia? Nisi Dominus supponat manum suam, heu! necesse est obruatur et opprimatur onere insueto et nimio, quod et gigantinis, ut aiunt, vel ipsis quoque angelicis humeris formidabile **233** videatur. Verumtamen quia sic factum est, et, sicut multi dicunt, a Domino factum est, vestra interest, charissimi, vestris ferventibus studiis fidelibusque obsequiis sollicite confoveri, quod vestris manibus constat elaboratum. Si qua ergo consolatio in vobis, si qua virtus charitatis in Domino, si qua miseratio pietatis, si qua compassionis viscera, assistite et collaborate illi in opere ad quod assumptus est per vos a Domino. Quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque justa, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, hæc ei suggerite, hæc suadete, hæc agite; et Deus pacis erit vobiscum.

#### EPISTOLA CCXXXVIII (630).

AD DOMINUM PAPAM EUGENIUM PRIMA

*Bernardus Eugenio, recens in Pontificem assumpto, gratulatur ac condoleat : ipsum ad munus apostolicum fortiter obeundum animat, ut conceptæ de se multorum expectationi respondeat.*

Amantissimo Patri et domino, Dei gratia summo Pontifici EUGENIO, BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, modicum id quod est.

1. Auditum est in terra nostra, et celebri sermone vulgatum verbum hoc, quod factum est de vobis a Domino. Presseram stilum hactenus, rem tacitus considerabam. Expectabam enim litteras vestras, et præveniri a vobis in benedictionibus dulcedinis. Expectabam virum fidelem, qui veniret a latere tuo, qui diceret cuncta per ordinem : quid, quomodo,

(630) Scripta anno Christi 1145.

(631) Hanc sententiam, jam enim de reliquo breves erunt dies mei, et solum mihi superest sepulcrum, in duobus tantum reperimus codicibus, Compendiensi

A vel qualiter actum esset. Expectabam si quis forte de filiis meis reverteretur, qui leniret dolorem patris, qui diceret : *Joseph filius tuus vivit; et ipse dominatur in tota terra Ægypti* (*Gén. XLV, 26*). Hinc est quod litteræ istæ non sunt voluntatis, sed necessitatis, et amicorum extortæ precibus, quibus negare non possum modicum illud quidquid residuum est vitæ meæ. Jam enim de reliquo breves erunt dies mei, et solum mihi superest sepulcrum (631). Quia tamen semel cœpi, loquar ad dominum meum. Jam enim filium dicere non audeo, quia filius in patrem, pater mutatus est in filium (632). Qui post me venit, ante me factus est : sed non invideo, quia quod mihi deerat, in eo me habere confido, qui non solum post me, sed etiam per me venit. Nam si dignaris, quodammodo per Evangelium ego te genui. Quæ est ergo spes nostra, et gaudium nostrum et corona gloriæ? Nonne vos ante Deum? Denique filius sapiens gloria est patris (*Prov. x. 1*). Amodo tamen non vocaberis filius, sed vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit (*Isa. LXII, 2*). Hæc est mutatio dexteræ Excelsi, et multi in mutatione ista gaudebunt. Nam quemadmodum olim Abram in Abraham (*Gen. xvii, 5*). Jacob in Israel (*Gen. xxxii, 28*); et, ut de tuis magis prædecessoribus tibi proponam, sicut Simon in Cephæ (*Joan. i, 42*), Saulus in Paulum (*Act. xiii, 9*) : sic filius meus Bernardus in patrem meum Eugenium, læta prorsus et utili, ut speramus, translatione promotus est. C Digitus Dei est iste, suscitans de pulvere egenum, et de stercore erigens pauperem, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat.

2. Superest ut, facta hac mutatione tui, ipsa quoque quæ tibi commissa est, Domini tui sponsa mutetur in melius, et jam nequaquam Sarai, sed Sarra de cætero nominetur (*Gen. xvii, 15*). Intellige quæ dico : dabit enim tibi Dominus intellectum. Si amicus sponsi es, ne dixeris dilectam ejus, Principem meam; sed, Principem : nil tuum in ea vindicans, nisi quod pro ea, si oportuerit, etiam **234** animam dare debes. Si Christus te misit, æstimabis te non ministrari, sed ministrare venisse : et ministrare non solum substantiam, sed ipsam quoque animam, sicut præfatus sum. Verus successor Pauli dicet cum Paulo : *Non quia dominamur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudii vestri* (*II Cor. i, 23*). Petri hæres audiet Petrum dicentem : *Næque ut dominantes in clerum, sed forma facti gregis* (*I Petr. v, 3*). Sic enim jam non ancilla, sed libera et formosa speciosissimi sponsi per te in desideratos adsciscetur amplexus. Alioquin per quem alium hæc tam debita libertas sperabitur, si et tu (quod absit) in Christi hæreditate quæras quæ tua sunt, qui jam et ante didiceras, non dico tua non retinere, sed nec tuus esse?

et Sancti-Theoderici.

(632) Infra, n. 3. *Ego enim etsi nomen patris deposui, sed non timorem, etc.* Eadem in Prologo ad libros De consideratione.

3. Ergo fiduciam talem habens in te, qualem in A nullo prædecessorum tuorum a multis retro temporibus visa est habuisse, exultat merito ubique et gloriatur in Domino omnis Ecclesia sanctorum: sed specialiter illa, cujus uterus te portavit, et cujus ubera tu suxisti (633). Quid ergo? Nonne et mihi licet gaudere cum gaudentibus? nunquid non erò unus de numero lætantium? Exsultavi, fateor, sed cum tremore: exsultavi, sed in ipso exultationis meæ articulo timor et tremor venerunt super me. Ego enim etsi nomen patris deposui, sed non timorem, sed non anxietatem, postremo nec affectum, nec viscera patris. Considero gradum, et casum vereor: considero fastigium dignitatis, et intueor faciem abyssi jacentis deorsum. Attendo celsitudinem honoris, et e vicino periculum reformidò, pro eo quod scriptum est: *Homo cum in honore esset, non intellexit* (Psal. XLVIII, 13, 21) Quod quidem ad causam magis, quam ad tempus arbitror esse referendum: ut sic intelligatur dictum, *cum in honore esset, non intellexit*, ac si diceretur, Honor absorbit intellectum.

4. Et quidem elegeras abjectus esse in domo Dei tui, et recumbere in novissimo loco in convivio ejus; sed placuit dicere ei qui te invitavit: *Amice, ascende superius* (Luc. XIV, 10). Itaque ascendisti in altum; noli altum sapere, sed time, ne forte contingat sero miserabilem illam emittere vocem: *A facie iræ et indignationis tuæ, elevans allisisti me* (Psal. CI, 11). Aliorem quippe locum sortitus es, C sed non tutiorem; sublimiorem, non securiorem. Terribilis prorsus, terribilis est locus iste. Locus, inquam, in quo stas, terra sancta est; locus Petri est, locus Principis Apostolorum, ubi steterunt pedes ejus. Locus illius est, quem constituit Dominus dominum domus suæ, et principem omnis possessionis suæ. Si forte declinaveris a via Domini, sepultus est in eodem loco, ut sit tibi contra te in testimonium. Merito tali pastori, tali nutritio commissa est Ecclesia, cum adhuc tenera, cum adhuc in cunabulis esset; cujus edocta magisterio et exemplo educata, omnia terrena calcaret: utpote qui excusserat manus suas ab omni munere, qui dicebat de corde suo et conscientia bona: *Argentum et aurum non est mihi* (Act. III, 6). Hæc hæc haenus. D

5. Cæterum causa, quare ante tempus scripserim vobis, hæc est. Wintoniensis episcopus et Eboracensis archiepiscopus non gradiuntur uno spiritu cum Cantuariensi archiepiscopo (634): sed incedunt sibi ex adverso, et hæc vetus est de legatione que-

(633) Nempe Claræ-Vallonsis seu Cisterciensis, sed potius Claræ-Vallensis, quæ iterum mater dicitur II. 6.

(634) Wintoniensis episcopus erat Henricus Ble-sensis qui prius abbas Glastoniensis, nepos Henrici regis; atque adeo fautor Willelmi ejus consanguinei. Theobaldus ex abbate Beccensi erat antistes Cantuariensis, ad quem epistola 361.

(635) Causa Eboracensis Willelmi, de qua in epi-

rela. Verumtamen quis est ille, et qui sunt illi? Nonne Eboracensis (635) ipse est, cui te præsentem, cum adhuc esses quasi unus ex nobis, fratres tui restiterunt in faciem, eo quod reprehensibilis erat? Sed speravit in multitudine divitiarum suarum, et prævaluit in vanitate sua. Certum est tamen quod non intravit per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde. Si pastor fuisset, diligendus erat; si mercenarius, tolerandus: nunc autem cavendus et repellendus, utpote fur et 235 latro. Quid dicam de domino Wintoniensi? Opera quæ ipse facit, testimonium perhibent de eo. Porro archiepiscopus Cantuariensis, cui adversantur, vir religiosus est, et suaveolentis opinionis. Pro ipso petimus, ut respondeat ei justitia sua. Verum illorum iniquitas super eos, ut sit sicut scriptum est: *Justitia justi super eum erit, et impietas impii erit super eum* (Ezech. XVIII, 20). Cum acceperis tempus, secundum opera manuum illorum retribuies illis, ut sciant prophetam esse in Israel.

6. Quis mihi det, antequam moriar, videre Ecclesiam Dei, sicut in diebus antiquis; quando apostoli laxabant retia in capturam; non in capturam argenti vel auri, sed in capturam animarum? Quam cupio illius te hæreditare vocem, cujus adeptus es sedem! *Pecunia, inquit, tua tecum sit in perditionem* (Act. VIII, 20). O vox tonitru! o vox magnificentiæ et virtutis! ad cujus terrorem confundantur et convertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion! Hoc vehementer expectat et omnino expetit a te mater tua; hoc filii matris tuæ, pusilli cum majoribus desiderant, hoc suspirant: ut omnis plantatio, quam non plantavit Pater cælestis, tuis manibus eradicetur. Ad hoc enim constitutus es super gentes et regna, ut evellas, et destruas; et ædifices, et plantes. Multi audito hoc verbo dixerunt apud se: Jam securis ad radicem arborum posita est. Multi dicunt in corde suo: Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit, in quo sarmenta sterilia recidentur, ut ea quæ prævalent, uberius fructum afferant.

7. Confortare igitur, et esto robustus: manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum. Vindica tibi animi constantia et vigore spiritus partem, quam dedit extra fratres tuos tibi omnipotens Pater, quam et tulit de manu Amorrhæi in gladio et arcu suo. In omnibus tamen operibus tuis memento te esse hominem, et timor ejus qui aufert spiritum principum, semper sit ante oculos tuos. Quætorum in brevi Romanorum Pontificum mortes tuis oculis

stola 255, necdum composita erat hoc anno: nam teste Serlone in Monastici Anglicani tomo I, pag. 747, ipse cathedræ præsidebat, usus regia potestate in eos qui resistebant. Henricus abbas Fontanensis cum aliis eum pertraxit ad Eugenium, a quo amotus est Willelmus. Ejus fautores Fontanense monasterium diripuerunt. De Henrici electione infra ad epistolam 252.



appexisti (656) ! Ipsi te prædecessores tui tuæ certissimæ et citissimæ decessionis admoneant ; et modicum tempus dominationis eorum paucitatem dierum tuorum nuntiet tibi. Jugi proinde meditatione inter hujus transeuntis gloriæ blandimenta, memorare novissima tua : quia quibus successisti in sedem, ipsos sine dubio sequeris ad mortem.

EPISTOLA CCXXXIX (637).

AD EUMDEM.

*Depositionem Guillelmi Eboracensis urget apud Pontificem, cui soli ea potestas competat.*

Importunus sum, sed habeo excusationem : Eugenii apostolatus excusat me. Aiunt non vos esse Papam, sed me : et undique ad me confluent, qui habent negotia. Nec desunt in tanta multitudine amicorum, quibus officium negare non possum, non solum absque scandalo, sed etiam absque peccato. Et nunc est etiam alia excusatio non minus idonea, quia causa [al. cura] honestissima est. Contra idolum illud Eboracense iterato stilus dirigitur : ea scilicet necessitate, quod sæpenumero hoc telo impetum a nobis, necdum confossum est. Cur hoc ? Quia nil forte a nobis tale directum est, qualis fuit gladius Jonathæ, qui nunquam rediit retrorsum. Nec sane fuit culpa jaculi, sed dirigentis jaculum. Patet enim quod non in ea, qua oportuit, fortitudine missum est. Nec mirum. Quis enim in manu forti sagittas mittere potest, nisi filius excussorum ? Qui locum Petri tenet, potest uno ictu extinguere Ananiam, uno Simonem Magum : et, ut planius quod loquimur fiat, peremptoriam dare sententiam ad depositionem episcoporum, solius Romani Pontificis noscitur esse : pro eo nimirum, quod etsi alii multi vocati sunt in partem sollicitudinis, solus ipse plenitudinem habeat potestatis. Solus proinde si dicere audeam, in culpa est, si culpa non feritur, quæ ferienda est : et eo impetu, quo fuerit ferienda. Quo autem impetu, non dico ferienda, sed fulminanda

(636) Mirum non immerito videri possit, quo sit, cur tam brevis ævi sint Romani Pontifices, ut solus Petrus putetur annum vigesimum quintum attigisse ; plurimos paucis annis aut paucis mensibus, imo non multis diebus superstites, mors præmatura rapuerit, cum videamus imperatorum et regum plurimos multo longioris ævi fuisse. Res omnino digna disquisitione. Sed quis novit sensum Domini. Video tamen eandem questionem B. Petro Damiani propositam ab Alexandro pontifice, quam ille diligenter traclat, et edisserit, ut legi omnino digna sint quæ scribit. Vide inter epistolas libri primi epistolam 17, alias, Opusculum 23. « Aliquando, » inquit, « a me sollicite requisitis, quæ mihi causa videretur, cur apostolicæ Sedis antistes nunquam diutius vivat ; sed intra breve temporis spatium diem claudat extremum : adeo ut post divum Petrum apostolum, qui per viginti quinque circiter annorum lustra præsedet, nemo postmodum Romanorum Pontificum hoc spatium præsulatus æquaverit. Modernis imo temporibus vix quisquam in prædictæ Sedis culmen evehitur, qui metam quatuor, vel, ut multum, quinque transcendat annorum. Quod considerantibus nobis, prodigialis, ut ita loquar, stupor oboritur : quoniam hæc breviter vivendi necessitas in nulla alia totius orbis

A fuerit prædicti Eboracensis culpa, vestræ conscientie derelinquo. Cæterum quod factum non est, vobis credimus reservatum, ut in eo experiatur Ecclesia Dei, cui ipso auctore præestis, fervorem zeli vestri, potentiam brachii vestri et animi sapientiam : et timeat omnis populus sacerdotem Domini, audiens sapientiam Dei esse in illo ad faciendum iudicium.

EPISTOLA CCXL (638).

AD EUMDEM, DE EBORACENSI INTRUSO.

*Laudat zelum Eugenii. Porro eum nunc ostendit vult in deponendo Eboracensi, illam sedem fraudulenter occupante.*

1. Quam cupio semper illa de vobis audire, in quibus glorificetur Deus, honoretur ministerium vestrum, et anima mea lætificetur ! Inde est quod audita responsione vestra de quibusdam, qui ad officium legationis nimium videbantur et ambitiose aspirare, et impudenter sperare, supra quam dicere possumus, facti sumus lætantes. Non autem nos tantum, sed et omnes qui diligunt nomen vestrum, gavisissimi sunt gaudio magno. Porro visis litteris vestris, quas pro causa Rutinensis ecclesiæ destinastis (639), tunc prorsus, tunc repletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exultatione. Hæc atque hujusmodi digna sunt vestro apostolatu, summam Sedem nobilitant, decent plane orbis Episcopum. Unde et flecto genua mea ad ipsum unicum hujus vestri primatus auctorem, ut det vobis sic sapere, et sic agere semper in evellendo, et plantando ; in destruendo, et ædificando : siquidem in ruinam et resurrectionem multorum ascendistis hanc cathedram. Ruant, ruant qui noxie stant ; erigantur digni. Ponatur securis ad radicem sterilium plantationum, purgentur fructiferæ, ut fructum plus afferant. Præsidente, inquam, humili Eugenio, deponantur superbi de sede, et exaltentur humiles : esurientes impleantur bonis, et divites dimittantur inanes.

ecclesia reperitur. Sed in quantum mortalibus divinæ dispensationis revelatur arcanum, videtur nobis, quia idcirco hoc iudicii cœlestis ordo disponit, ut humano generi metum mortis incutiat ; et quam despicienda sit temporalis vitæ gloria, in ipso gloriæ principatu evidenter ostendat : quatenus dum præcipuus hominum tam angusti temporis compendio moritur, tremefactus quisque ad præstolandi sui obitus custodiam provocetur ; et arbor humani generis, dum cacumen ac verticem suum tam facile corruisse considerat, flatu concussa formidinis, in suis undique ramusculis contremiscat. » Angustis quidem limitibus Pontificum vitas inclusit Damianus, fateor, dum ultra quatuor aut quinque annos non extendit : in breviores tamen mihi videntur coarctatæ, si Pontificum historiæ consulantur. Rectissime igitur S. Bernardus hæc epistola hortatur Eugenium, ut ex brevissimo suorum prædecessorum dominatu, suum quoque suspectum habere discat.

(637) Scripta anno Christi 1145.

(638) Scripta anno Christi 1146.

(639) Abjiciendo scilicet hominem indignum, ad illam sedem electum vel promotum ; de quo vide epistolas 528, 529.

Nuper nempe exultatione universæ terræ ita factum A  
est in causa cujusdam pauperis episcopi (640).

2. Age ergo, transeat jam sanctus hic pietatis  
zelus et ad miseram illam Ecclesiam transmarinam,  
quia tempus miserendi ejus. Vineam Domini Sabaoth  
est, vinea electa, vinea speciosissima : sed, heu! in  
desertum pene redacta, quia singularis ferus depa-  
scitur eam. Cur dicunt inter gentes, Ubi est Deus  
ejus? ubi quem posuerunt custodem in vineis? ubi  
manus putans? ubi sarculus excolentis? Quousque  
sarmento inutili occupatur tellus, suffocatur fructus?  
Et certe tempus putationis advenit. Siquidem homo  
pacis ejus (641), in quo speravit, quod se purgare  
deberet, non purgatione, sed amputatione opus esse  
testatur. Exstant denique litteræ ipsius de eo ad  
apostolicæ Sedis legatum, in quibus manifeste mani-  
festam asserit intrusionem, electionem negat. Ita  
ergo quem sibi paraverat defensorem, accusatorem  
sustinet. Ad hæc quæ ubique de eo publica fama  
concelebrat, etiam virum militem possent omni  
jure spoliare cingulo militari.

3. Quomodo jam poterit stare, ubi multiplex vobis  
subest ratio dejiciendi? et voluntas non deest? Legi  
siquidem zelum vestrum pro Ecclesia illa in litteris  
vestris, et jam exigo de manibus vestris. Quanam  
via procedendum sit ad ejus dejectionem (neque enim  
una **237** mihi esse videtur) non est meum dictare  
sapienti. Nec multum nostra interest, qua parte  
arbor infructuosa cadat, dummodo cadat. Dico ta-  
men, qui sibi possessionem vindicat furtivarum com-  
mercio litterarum, nonne fur est et latro? Denique  
ubi asserit habuisse se clandestinas litteras exsecra-  
tionis suæ, aut verum est, aut falsum quod loquitur.  
Si verum, reus est furti, et summi Pontificis cri-  
minator : si falsum, debet audire : Occidisti, et  
possedisti. Os enim quod mentitur, occidit animam  
(*Sap. 1, 11*). Sed absit ut tanta de tali viro credatur  
duplicitas, quanta ab isto ei imponitur. Nempe  
Innocentius hic erat : cui si pro se respondere lice-  
ret, procul dubio diceret huic, quia Ego palam  
in te dedi sententiam, et in occulto locutus sum  
nihil.

(640) De hoc episcopo, suppresso nomine, agitur  
in libro tertio de Consideratione, cap. 3, ubi Euge-  
nius laudatur pauperi episcopo dedisse, quod daret,  
ne immunificus notaretur. Ibidem notatur episcopus  
de transmarinis partibus, qui episcopatum emisse  
Romæ voluerit. Quod forsitan de Willelmo intelli-  
gendum.

(641) Nempe Willelmus decanus Eboracensis,  
cujus sacramento se purgare voluerat Willelmus  
intrusus, supra in epistolis 235, 236.

(642) Scripta anno 1147.

(643) Adde etiam Tolosæ. Is ex patre Raymundo  
Tolosæ comite, et matre Elvira in Oriente natus (ut  
refert Guillelmus Tyrius, Belli sacri libro 10, cap.  
27, qui eum Anfossus appellat), in Jordane ipso  
lustralibus undis intinctus est. Idem auctor sic de  
eo scribit, libro 16, cap. 28, ejus profectorem in  
Orientem commemorans. Applicuit etiam iisdem

## EPISTOLA CCXLI (642).

AD HILDEFONSUM COMITEM SANCTI ÆGIDII (643), DE  
HENRICO HÆRETICO.

*Henricum, Petri Brusii hæretici successorem, ejusque  
impia dogmata, et impura facinora describit, pun-  
gens Comitem, quod talem in sua dititione sineret  
impune grassari.*

1. Quanta audivimus et cognovimus mala, quæ in  
Ecclesiis Dei fecit et facit quotidie Henricus hære-  
ticus? (644) Versatur in terra vestra sub vestimentis  
ovium lupus rapax : sed ad Domini designationem,  
a fructibus ejus cognoscimus illum (*Matth. vii,  
15, 16*). Basilicæ sine plebibus, plebes sine sacer-  
dotibus, sacerdotes sine debita reverentia sunt, et  
sine Christo denique Christiani. Ecclesiæ synagogæ  
reputantur ; sanctuarium Dei sanctum esse negatur :  
Sacramenta non sacra censentur : dies festis fru-  
strantur solemnibus. Moriuntur homines in peccatis  
suis : rapiuntur animæ passim ad tribunal terri-  
ficum, heu! nec pœnitentia reconciliati, nec sancta  
[al. sacra] communione muniti. Parvulis Christia-  
norum Christi intercluditur vita, dum Baptismi  
negatur gratia : nec saluti propinquare sinuntur,  
Salvatore licet pie clamante pro eis : *Sinite, inquit,  
parvulos venire ad me* (*Matth. xix, 14*). Ergone qui  
homines et jumenta salvavit, quemadmodum multi-  
plicavit misericordiam suam Deus, ad solos tamen  
innocentes non patitur eandem tam multam mise-  
ricordiam pervenire? Quid, quæso, quid invidet  
parvulis Salvatorem parvulum, qui natus est eis?  
Invidia hæc diabolica est : invidia hac mors intravit  
in orbem terrarum. An putat parvulos Salvatore  
non egere, quia parvuli sunt? Si ita est, ergo gratis  
magnus Dominus factus est parvus : ut omittam,  
quod flagellatus est, quod sputis illitus, quod cruci  
affixus, quod denique mortuus est.

2. Non est hic homo a Deo, qui sic contrario Deo  
et facit, et loquitur. Proh dolor! auditur tamen a  
pluribus ; et populum qui sibi credat, habet. O in-  
felicissimum populum! Ad vocem unius hæretici  
siluerunt in eo omnes prophetiæ et apostolice  
voces, quæ de convocanda in una Christi fide e  
cunctis nationibus Ecclesia, uno veritatis spiritu  
cecinerunt. Ergo fefellerunt divina oracula, fallun-

diebus in portu Acconensi, vir magnificus et illustris,  
comes Tolosanus, Anfossus nomine, domini Ray-  
mundi comitis senioris filius; qui tantus princeps  
tanti fuit meriti in prima expeditione, vir suis egre-  
gius titulis, sed patris pia clarior memoria, dum  
inde Jerosolymam, ut Domino pro peracta feliciter  
peregrinatione gratias acturus, apud Cæsaream  
urbem maritimam, paucis postquam appulit diebus,  
porrecto illi (ut dicitur) veneno; sed auctore tanti  
sceleris incerto, vitam finivit, etc. Porro comita-  
tus Sancti-Ægidii, Gallie Narbonensis pars est, a  
sancto Ægidio ejus quondam incola sic nuncupata;  
cum alias Septimania contineretur. Comes Sancti-  
Ægidii Hildefonsum se dicit in quodam pacto an-  
no 1125 inter ipsum et Raymundum comitem Bar-  
cinonensem inito, ubi ejus uxor Fardida vocatur.

(644) De Henrico, Henricianisque hæreticis fusa  
egimus in Præfatione hujus tomi, § 6.

tur omnium oculi et animi; qui quod legunt prædictum, intuentur impletum. Quam certe manifestam omnibus veritatem solus iste stupenda, et prorsus Judaica cæcitate, aut non videns, aut invidens adimpletam, simul nescio qua arte diabolica persuasit populo stulto et insipienti, de re manifesta nec suis credere oculis: fefellisse priores, errare posteros: totum mundum etiam post effusum Christi sanguinem perditum iri: et ad solos, quos decipit, totas miserationum Dei divitias, et universitatis gratiam pervenisse. Et nunc hujus rei gratia, licet in multa corporis infirmitate, iter arripui ad has partes (645), quas potissimum singularis ferus **238** depascitur, dum non est qui resistat, neque qui salvum faciat. Quippe de tota Francia pro simili effugatus malitia, has solas sibi invenit expositas; in quibus fiducialiter sub tuo dominatu in gregem Christi toto furore bacchatur, quod tuone honori congruat, princeps illustris, ipse judicato. Nec mirum tamen, si serpens ille callidus decepit te, quippe speciem pietatis habens, cujus virtutem penitus abnegavit.

3. Sed nunc audi quis ille sit. Homo apostata est: qui relicto religionis habitu (nam monachus existit [646]), ad spurcitas carnis et sæculi, tanquam canis ad suum vomitum, est reversus. Præ confusione autem habitare inter cognatos et notos non sustinens, vel potius non permissus ob magnitudinem criminis, succinxit lumbos suos, et iter qua nesciebat, arripuit, factus gyrovagus et profugus super terram. Cumque mendicare cœpisset, posuit in sumptu Evangelium (nam litteratus erat), et venale distrahens verbum Dei, evangelizabat ut manducaret. Si quid supra victum elicere poterat a simplicioribus populi, vel ab aliqua matronarum, id ludendo aleis, aut certe in usus turpiores turpiter effundebat. Frequenter siquidem post diurnum populi plausum, nocte insecuta cum meretricibus inventus est prædicator insignis, et interdum etiam cum conjugatis. Inquire, si placet, vir nobilis, quomodo de Lausana civitate exierit; quomodo de Cenomannis; quomodo de Pictavi; quomodo de Burdegali: nec patet ei uspiam reversionis aditus, utpote qui scæda post se ubique reliquerit vestigia. Tu de tali arbore tandem bonos sperabas fructus? Terræ profecto in qua est, fecit fetere odorem in universa terra: quia *non potest, juxta sermonem Domini, arbor mala fructus bonos facere* (Matth. vii, 18).

4. Hæc ergo, ut dixi, causa adventus mei. Nec a me ipso nunc venio, sed vocatione pariter et mise-

A ratione Ecclesiæ trahor: si forte spina illa, et prava ipsius, dum adhuc parva sunt germina, de agro dominico extirpari queant, non mea, qui nullus sum, sed sanctorum, cum quibus sum, episcoporum manu, tua quoque potenti dextera cooperante. In quibus præcipuus est venerabilis Ostiensis episcopus (647), ab apostolica Sede ad hoc ipsum directus; homo qui magna fecit in Israel, et victoriam dedit Ecclesiæ suæ in multis per illum Dominus omnipotens. Tua interest, vir inclyte, honorifice suscipere illum, et eos qui cum ipso sunt; ac ne tantus labor tantorum virorum, pro tua potissimum tuorumque salute susceptus, inefficax sit, secundum potestatem desuper datam tibi operam dare.

EPISTOLA CCXLII (648).

AD TOLOSANOS, POST REDITUM SUUM,

*Sollicite fugiendos, imo et fugandos hæreticos. Exercendam hospitalitatem. Nec quosvis prædicatores admittendos*

1. In adventu charissimi fratris et coabbatis nostri Bernardi de Grandi-Silva, exultavimus, et delectati sumus in his quæ dicta sunt nobis ab illo de constantia et sinceritate fidei vestræ in Deum, de perseverantia dilectionis et devotionis in nos, de zelo et odio adversus hæreticos, ita ut quisque vestrum merito dicere possit: *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, et inimici facti sunt mihi* (Psal. cxxxviii, 21, 22). Gratias agimus Deo, quia non fuit otiosus adventus noster ad vos. Et mora quidem brevis apud vos, sed non infructuosa. Veritate nimirum per nos manifestata, manifestata autem non solum in sermone, sed etiam **239** in virtute (649), deprehensi sunt lupi, qui venientes ad vos in vestimentis ovium, devorabant plebem vestram sicut escam panis, sicut oves occisionis: deprehensæ vulpes, quæ demoliebantur pretiosissimam vineam Domini, civitatem vestram; deprehensæ, sed non comprehensæ. Propterea, dilectissimi, persequimini et comprehendite eos, et nolite desistere, donec penitus depereant, et diffugiant de cunctis finibus vestris, quia non est tutum dormire vicinis serpenticibus. Sedent in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiant innocentes. *Fures sunt et latrones, quales in Evangelio Dominus notat* (Joan. x, 8). Subversi sunt, et parati ad subvertendum, plane maculatores famæ vestræ, corruptores fidei vestræ. *Corrumpunt bonos mores colloquia mala* (I Cor. xv, 33): præsertim talium sermo, sicut dicit beatus Apostolus, *serpit ut cancer* (II Tim. ii, 17)

in Angliam, tum in Syriam, demum in Galliam, ad quem epistola 219.

(648) Scripta anno Christi 1147.

(649) Miraculis scilicet illustribus ab ipso factis, de quibus in libro tertio Vitæ, cap. 6. Ipsa agnovit etiam Berengarius in apologia pro Abaelardo: « Jamdudum sanctitudinis tuæ odorem ales per orbem fama dispersit, præconizavit merita, miracula declamavit, » etc.

(645) Vide librum iii Vitæ, cap. 6.

(646) Henricum itidem monachum vocat Gaufridus in libro tertio de Vita Bernardi, n. 16, et Exordium Cisterciense relatum libro tertio ejusdem Vitæ, cap. 17. Illum eremitam vocant Acta Hildeberti episcopi Cenomannensis in Analectorum tomo 3, pag. 314, ubi plura de Henrico.

(647) Albericus, de quo in libro tertio Vitæ Bernardi, n. 17. Bellocavi natus, Cluniaci monachus, cardinalis ab Innocentio creatus anno 1138, legatus

2. Quis dabit mihi ut habeam opportunitatem semel adhuc veniendi ad vos? Nam voluntatem habeo, si quo modo possim in voluntate Domini secundo videre vos, laborem non reputaturus, quamvis corpore infirmus et debilis, pro vestra exhortatione et salute. Interim autem sic state in Domino, charissimi, sicut cœpistis et accepistis a nobis. Obedite episcopo, cæterisque præpositis vestris, magistris Ecclesiæ. Habete diligentiam hospitalitati, quia per hanc multi placuerunt Deo. Abraham pater vester pro studio sancto quod in suscipiendis peregrinis habere solitus erat, angelos hospites suscipere meruit (*Gen. xviii*). Similiter et Loth nepos ejus pro simili devotione et pia consuetudine de eorum susceptione exultavit (*Gen. xix*). Et vos itaque simili forma non Angelos, sed Dominum Angelorum suscipite in peregrinis, pascite in egenis, operite in nudis, visitate in languentibus, redimite in captivis. Talibus hostiis promeretur Deus, qui in judicio dicturus est: *Quod uni ex his minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth. xxv, 40*).

3. Hec etiam moneo vos, charissimi, quod et dicebam vobis cum præsens essem, ut nullum extraneum sive ignotum prædicatorem recipiatis, nisi qui missus a summo, seu a vestro permissus pontifice prædicaverit. *Quomodo, inquit, prædicabunt, nisi mittantur* (*Rom. x, 15*)? Ipsi sunt, qui induentes sibi formam pietatis, et virtutem ejus penitus abnegantes, profanas novitates vocum et sensuum, tanquam melli venenum, verbis cœlestibus intermiscunt. Cavete proinde eos tanquam veneficos; et cognoscite in vestimentis ovium lupos rapaces. Sit vobis commendatus lator epistolæ venerabilis abbas Grandis-Silvæ (650), et domus ejus, quæ et nostra est, nuper nobis, et nostro Ordini ab ipso tradita, et ecclesiæ Claræ-Vallis specialiter associata. Ostendite vobis in ipso, et in sanctis qui cum eo sunt, quantum profeceritis ex nostra admonitione in operibus misericordiæ; et date in eis experimentum vestræ charitatis et devotionis, quam habetis erga nos. Quidquid illis feceritis, mihi factum reputate. Gratia Dei et pax sit vobiscum, amen.

### 240 EPISTOLA CCXLIII (651).

AD ROMANOS, QUANDO RECESSERUNT A DOMINO PAPA EUGENIO (652).

Romani, Arnaldo hæretico factionem inflammante, antiquæ Reipublicæ ac libertatis formam restituere nitebantur, sola sacrorum cura Pontifici relicta. Itaque vectigalia Pontificum sibi vindicant, jubentes Pontificem decimis, et oblationibus tantum more prisco contentum vivere. Hinc nata rebellio, et in Eugenium acrius concitata. Cujus occasione Bernardus aspere, sed juste increpât Romanos tam iniquos in Pontificem, cujus injuria in sanctos et omnes Catholicos redundet, non evasura Dei vindictam, nisi mox resipiscant.

Nobilibus, et optimatibus, atque universo populo

(650) Bernardus supra, sola littera initiali B signatus in manuscriptis qui abbatiam Grandis-Silvæ Ordinis S. Benedicti in pago Tolosano Cisterciensibus adjecit.

(651) Scripta anno Christi 1146.

(652) Confer librum quartum de consideratione,

A Romano, frater BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, declinare a malo, et facere quod bonum est.

4. Sermo mihi est ad te, popule sublimis et illustris, cum sim vilis exiguaque persona, ac nullius pene momenti homuncio. Id quidem verecundum atque onerosum mihi consideranti, quis, quibus scribam, simulque quam aliter hoc alius judicare possit. Sed levius reor verecundia apud homines periclitari, quam condemnari apud Deum silentio, veri taciturnitate et abseensione justitiæ. Ipse enim dicit: *Annuntia populo meo scelera eorum* (*Isa. lviii, 1*). Erit mihi etiam in testimonium ante faciem Domini, si dicere potero: *Justitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam et salutare tuum dixi* (*Psal. xxxix, 11*). Pro hujusmodi sane non vereor, quamvis verecundia reluctante, pro mea ignobilitate scribere de longinquo ad populum gloriosum, atque his litteris transmontanis suis ipsorum periculi atque peccati commonere Romanos, si forte audiant, et quiescant. Quis scit si convertantur ad precem pauperis, qui non cedunt potentium minis, non omni armaturæ fortium? Nonne quondam in Babylone, ad vocem pueri junioris unius, omnis ille populus, qui a sensibus iniquis judicibus seductus fuerat, reversus est ad judicium, et sic servatus est sanguis innoxius in die illa (*Dan. xiii*)? Ita nunc quoque, etsi adolescentulus sum ego et contemptus (adolescentulus dico, non annorum paucitate, sed meritorum), potens est tamen Deus dare etiam voci meæ vocem virtutis, per quam fiat ut et is populus, quem nihilominus constat esse seductum, ad judicium revertatur. Mea ergo defensio ad eos qui mihi hinc forte succensendum indignandumve putayerint, hæc sit.

2. Si neque hoc satis est, etiam istud adjicio. Communis est causa, et non est distinctio pusilli et magni. Dolor nempe in capite est, ac per hoc minime alienus ne a minimis quidem vel extremis quibusque corporis partibus. Nec a me ergo. Pervenit profecto usque ad me, quamvis omnium minimum, dolor maximus iste, quia maximus est; et quia cum sit capitis, non potest non esse et corporis, cujus membrum sum ego. Numquid non dolente capite clamat lingua pro omnibus corporis membris, in capite se dolere, et omnia per ipsam suum caput, suumque capitis fatentur incommodum? Dimittite proinde, quæsq; dimittite, ut plangam paululum apud vos dolorem meum; nec meum tantum, sed et totius Ecclesiæ. Nonne ipsius vox est hodie per universum mundum: Caput meum doleo, caput meum doleo? Quis namque vel novissimus Christianorum in toto sit orbe, qui non gloriatur hoc capite, quod ambo illi gloriosi principes terræ, alter amisso, alter submisso in cruce capite, suo triumpho exstulerunt, suo sanguine ornaverunt?

cap. 2; Ottonis Frisingensis Chronicon, lib. 7, cap. 51, et librum secundum de Gestis Friderici, cap. 20. Arnaldistæ dicuntur hæretici a Bonaccorso, jungunturque Catharis et Passagiis, accusati, quod per malos ministros sacramenta irrita esse dicerent, in Spicilegii tomo XIII, pag. 85.

Ad omnem itaque **241** spectat Christianum injuria Apostolorum, et sicut in omnem terram exivit sonus eorum (*Psal. xviii, 5*), sic læsio eorundem ab omnibus usquequaque sentitur, usquequaque plangitur et doletur.

3. Quid vobis visum est, o Romani, offendere principes mundi, vestros autem speciales patronos? Cur Regem terræ, cur Dominum cœli, furore tam intolerabili, quam irrationabili in vos pariter provocatis, dum sacram et apostolicam sedem, divinis regalibusque privilegiis singulariter sublimatam, ausu sacrilego incessere, suoque minuere honore contenditis, quam vel soli contra omnes, si oportuisset, defendere debuistis? Sic fatui Romani; non judicantes, neque quod honestum est discernentes, caput vestrum atque omnium, quod in vobis est, deturpatis, pro quo magis nec vestrīs ipsis cervicibus parcendum a vobis foret, si necessitas exegisset? Patres vestri Urbi orbem subjugaverunt: vos Urbem properatis orbi facere fabulam. En Petri hæres Petri sede et urbe a vobis expulsus est: en rebus et domibus suis, vestris manibus spoliati sunt cardinales atque episcopi ministri Domini. O popule stulte et insipiens, o columba seducta non habens cor! Nonne ille caput, et illi oculi tui erant? Quid ergo nunc Roma, nisi sine capite truncum corpus, sine oculis frons effossa, facies tenebrosa? Aperi, gens misera, aperi oculos tuos, et vide desolationem tuam jamjamque imminentem. Quomodo in brevi mutatus est color optimus (*Thren. iv. 1*), facta est quasi vidua domina gentium, princeps provinciarum (*Thren. i. 1*)?

4. Verum initia malorum sunt hæc: graviora timemus. Numquid non prope interitum es, si persistis? Revertere, revertere, Sunamitis, revertere ad cor tuum: agnosce jam vel sero, quæ, quanta, a quibus patiaris, vel passa sis. Recordare qua causa, quo fine, per quos, et in quos usus, non longe ante hos dies cunctarum, quæ in te sunt, ecclesiarum omnis ornatus et census profligatus est (653). Quidquid in altaribus et in altarium vasis, quidquid in ipsis sacris imaginibus auri et argenti reperiri tunc potuit, manibus impiorum direptum et asportatum est. Quid ex his omnibus tu in tuis nunc marsupiiis invenis? Porro decor domus Domini irrecuperabiliter periit. Et nunc quid tibi visum est iterare malitiam, innovare denuo super te dies malos? Quid modo vel lucri amplioris, vel certioris spei arridet tibi? nisi quod in eo novissima tua cernuntur incautiora prioribus, quod tunc quidem non solum multi de plebe, sed etiam de clero, et de principibus nonnulli per orbem in schismate illo faverunt tibi: nunc vero sicut manus tuæ contra omnes, sic manus omnium contra te. Mundus est a sanguine tuo mundus omnis, præter te solam, et filios tuos qui in te sunt. Væ erro

A nunc tibi, popule miserande, et væ duplo quam ante, non ab exteris nationibus, non a feritate barbarorum, non a millibus armatorum. Væ tantum a facie tuorum tibi; væ a domesticis et amicis, a clade intestina, a cruciatu præcordiorum, a tortionibus viscerum.

5. Agnoscisne jam quia non omnes pacifici qui domestici, nec omnes amici qui videntur? Et si alias noveramus, sed nunc per te manifestius edocemur omnem veritatem illius sermenis Domini, quem dixit: *Quoniam inimici hominis domestici ejus.* (*Mich. vii, 6, et Matth. x, 36*). Væ fratri a fratre in medio tui, et filiis a parentibus! væ non a gladiis, sed a labiis iniquis et a lingua dolosa! Usquequo male in malo vos alterutrum confortatis, et gladiis labiorum invicem sternitis, invicem perditis, ut ab invicem consumamini? Congregamini, oves dispersæ, redite ad pascua, redite ad Pastorem et Episcopum animarum vestrarum. Redite, prævaricatores, ad cor. Quod loquor, non quasi hostis convicians, sed quasi amicus objurgans. Habet vera amicitia nonnunquam **242** objurgationem, adulationem nunquam.

6. Sed jungimus et obsecrationem. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo, reconciliamini principibus vestris, Petrum loquor et Paulum, quos utique in vicario et successore suo Eugenio suis sedibus et ædibus effugastis. Reconciliamini, inquam, orbis principibus, ne forte incipiat pro eis pugnare orbis terræ contra insensatos. An nescitis quia his offensis nihil omnino valetis, his propitiis nihil omnino timetis? Non, inquam, non timebis sub horum tutela millia populi circumdantis te, urbs inclyta, civitas fortium. Reconciliare proinde illis, simul et millibus martyrum, qui quidem apud te, sed contra te sunt propter grande peccatum quod peccasti, in quo et persistis. Reconciliare etiam omni Ecclesiæ sanctorum, qui ubique terrarum audito hoc verbo scandalizati sunt. Alioquin pagina ista contra te in testimonium erit: sed et ipsi Apostoli et martyres tui stabunt in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum. Sed jam finem loquendi omnes pariter audiamus. Annuntiavi justitiam, prænuntiavi periculum, veritatem non tacui, hortatus sum ad meliora: superest ut aut de vestra citius correctione lætemur; aut de justa imminente damnatione certi, inconsolabiliter lugeamus, arescentes et tabescentes præ timore et expectatione, quæ supervenient universæ urbi.

#### EPISTOLA CCXLIV (654).

AD CONRADUM REGEM ROMANORUM.

*Hortatur Regem ad defensionem auctoritatis pontificiæ adversus rebelles Romanos.*

1. Nec dulcius, nec amicabilius, sed nec arctius omnino regnum sacerdotiumque conjungi seu com-

(653) Per Anacletum antipapam, quæ res describitur ab Ernaldo abbate in libro secundo De Vita

Bernardi, n. 1, et apud Baronium anno 1130. (654) Scripta anno Christi 1146.

plantari in iavicem potuerunt, quam ut in persona A Domini ambo hæc pariter convenirent; utpote qui factus est nobis ex utraque tribu secundum carnem summus et Sacerdos, et Rex. Non solum autem, sed et commiscuit ea nihilominus ac confœderavit in suo corpore (655), quod est populus christianus, ipse caput illius; ita ut hoc genus hominum apostolica voce *genus electum, regale sacerdotium* appelletur (I Petr. II, 9.) In alia quoque scriptura quotquot sunt prædestinati ad vitam, nonne omnes reges et sacerdotes nominantur (Apoc. I, 6, et V, 10.)? Ergo quæ Deus conjunxit, homo non separet. Magis autem quod divina sanxit auctoritas, humana studeat adimplere voluntas; et jungant se animis, qui juncti sunt institutis. Invicem se foveant, invicem se defendant, invicem onera sua portent. Ait Sapiens: *Frater adjuvans fratrem, ambo consolabuntur* (Prov. XVIII, 19). Quod si alterutrum se (quod absit) corroserint et momorderint, nonne ambo desolabuntur! Non veniat anima mea in consilium eorum qui dicunt, vel imperio pacem et libertatem Ecclesiarum, vel Ecclesiis prosperitatem et exaltationem imperii nocituram. Non enim utriusque institutor Deus in destructionem ea connexuit, sed in ædificationem.

2. Si hoc scitis, quousque vos communem contumeliam, communem dissimulatis injuriam! Nonne ut apostolica Sedes, ita et Caput imperii Roma est! Ut ergo de Ecclesia taceam, num honor Regi est truncum in manibus tenere imperium! Et quidem ignoro quid vobis super hoc consulant sapientes vestri et principes regni: sed ego, in insipientia mea loquens, quod sentio non tacebo. Ecclesia Dei ab exortu sui usque ad hæc tempora pluries tribulata est, et pluries liberata est. Denique audite quid ipsa de se loquatur in Psalmo. Ipsius enim vox est: *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea; etenim non potuerunt mihi. Supra dorsum 243 meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam* (Psal. CXXVIII, 2, 3). Certus esto, o Rex, quoniam nec nunc quoque relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum. Non est abbreviata

manus Domini, nec facta impotens ad salvandum. Liberabit et hoc tempore absque dubio sponsam suam, qui suo sanguine redemit eam, suo spiritu dotavit, donis cœlestibus exornavit, ditavit nihilominus et terrenis. Liberabit, inquam, liberabit: sed si in manu alterius, viderint regni principes, idne honor Regis, regnive utilitas sit. Non est utique.

3. Quamobrem accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime, et restituat sibi Cæsar quæ Cæsaribus sunt, et quæ sunt Dei Deo. Utrumque interesse Cæsaribus constat, et propriam tueri coronam, et Ecclesiam defensare. Alterum regi, alterum convenit Ecclesiæ advocato. Victoria, sicut in Domino confidimus, præ manibus est. Superbia et arrogantia Romanorum plus quam fortitudo eorum. Quid enim? Numquid quispiam magnus vel potens, verbi gratia, imperator, aut rex, fœdam rem istam in imperium pariter sacerdotiumque præsumit? Sed populus hic maledictus et tumultuosus, qui suas nescit metiri vires, cogitare finem, considerare proventum, in insipientia sua et in furore suo ausus est hoc grande sacrilegium attentare. Absit ut vel ad momentum stare possit ante faciem Regis popularis manus, vulgi temeritas. Factus sum insipiens, qui cum sim vilis, ignobilisque persona, tanquam aliquis magnus, consiliis tantæ magnitudinis tantæque sapientiæ me ingessi, et de re magna. At quo ignobilior atque abjectior, tanto liberior sum ad loquendum quod charitas suggerit. Unde et adhuc addo in eadem insipientia mea: Si quis aliud, quam locutus sum vobis (quod non credimus) suadere conabitur, is profecto aut non diligit Regem, aut parum intelligit, quid regiam deceat majestatem: aut certe quæ sua sunt quærit, et non valde quæ vel Dei, vel Regis sunt, curare convincitur.

#### EPISTOLA CCXLV (656).

AD DOMINUM PAPAM EUGENIUM, PRO AURELIANENSI EPISCOPO (657).

*Gaudet ob zelum pontificis in causa Aurelianensis episcopi, etc.*

ita, quæso, ita facite. Semper consideretur non a quo, sed quid petatur. Pro Aurelianensi episcopo

(655) Recte ad hunc locum Sugerius in epistola 74: « Cum gloria corporis Christi, videlicet Ecclesiæ Dei, regni et sacerdotii indissolubili unitate consistat, constat profecto, quia qui alteri providet alteri suffragatur: quoniam et temporale regnum per Ecclesiam Dei stare, et Ecclesiam Dei per temporale regnum proficere, omnibus discretis evidenter agnoscitur. » Vide Joannis Sarisberiensis epistolam 44.

(656) Scripta anno Christi 1146.

(657) Nimirum Helias. Post mortem Joannis episcopi Aurelianensis anno 1133, Hugonem decanum in demortui locum fuisse electum (quod tamen ab historicis ecclesiæ Aurelianensis video prætermisum) auctor est Ordericus, libro 13, ad annum 1134; sic enim scribit: Postquam Joannes senex Aurelianensis episcopus episcopatum deseruit, Hugo decanus, qui ad pontificatum electus fuerat, de curia Regis rediit, et a temerariis hominibus in via percussus obiit, et episcopatus sine præsule, sicut navis sine gubernatore in mari, diu fluctuavit, scilicet ad annum usque 1136, quo Helias noster

post diurnam cleri populique discordiam unanimi omnium consensu ex monacho, et abbate Sancti Sulpicii Bituricensis electus est. Hunc « virum religiosum prudentem et litteratum » vocat Petrus Cluniacensis libri primi epistola 11, scribens pro ipsius confirmatione ad Innocentium papam, a quo mense aprili anni 1137 consecratus est. Post aliquot annos, nempe anno 1144, gravium criminum reus a clericis Aurelianensibus apud Lucium II accusatus, cum sese purgare non valisset, nec Petrus Venerabilis (libri quinti epist. 19, 21, 27), imo neque ipse rex Ludovicus summum Pontificem flectere in ejus gratiam potuisset, ipse S. Bernardi consilio sponte episcopatu cessit anno 1146, Eugenio III sedente. Unde mirum est, Albericum dicere in chronico, ad annum 1149, « Attonem episcopum Trecensem, et episcopum Aurelianensem in concilio Remensi fuisse depositos; » cum ambo nutu proprio dignitatem abdicaverint, ut de Aurelianensi constat ex hac epistola: quod de Attone etiam in notis ad epistolam 23 probatum est.

non est exauditus Rex, minime tamen offensus, quia cor ejus in manu Dei est. Quod etsi contigisset sustinendum fuerat, ne Deus offenderetur: qui utique ex hoc magis propitiabitur, et citius respirare faciet a tribulatione malorum et dolore, si justitia teneatur, si non relinquatur veritas. Hæc et his similia, quæ de vobis per orbem celebri in dies jucunditate crebrescunt, quanta cor meum suavitate repleant, non est facile dictu. Hæc pro his. De cætero si suggestum vobis a quopiam fuerit de me amplius onerando, scitote mihi vires non suppetere ad ea quæ porto. Quantum mihi, tantum parcelis et vobis. Propositum meum monasterium non egrediendi (658) credo non latere vos. De fratre Baldicio, quamvis dilecto, quamvis necessario, obeditum est sine mora. De abbate mittendo ad Sanctum-Anastasium (659), si factum non est, fiet statim ut factum non esse sciemus. Porro de alia mittenda persona, quia in ultimis litteris vestris nihil scripsistis, nihil præsumpsimus. Cæterum et hoc tam celeriter fiet, quam vobis accelerare placuerit. Plenius vobis et manifestius de his omnibus respondebunt dominus Autisiodorensis (660), et frater Baldicius. Quod sanctæ memoriæ Balduinus (661) Pisanus archiepiscopus fecit in Sardinia de excommunicatione **244** Arvorenensis judicis, quia non nisi juste hoc virum bonum fecisse credimus, vestra auctoritate ratum et inconcussum manere rogamus. Porro Turritanus judex (662), quia bonus dicitur esse princeps, sit vobis commendatus, et a vobis manuteneatur.

EPISTOLA CCXLVI (665).

AD EUMDEM PRO EODEM, QUANDO PRÆDICTUS AURELIANENSIS DEPOSITUS EST.

*Aurelianensem, sponte se episcopatu abdicantem, pontifici commendat, ut honori ejus cautum esse velit: id humilitatem ejus, et pontificis clementiam decere.*

1. Tempus est ut et ego scribam, non jam pro episcopo, sed pro paupere et humili monacho (664); idque, quod miserabilius est, facto de divite et sublimi. Hic jam non habet adulatio locum, habet miseratio. Multi pro eo scripserunt, ut remaneret episcopus: sed multum hoc erat; non potui adduci ego, ut id auderem. Nunc vero, si res humanius æstimetur, ipsa nunc exigit quod ante vitabam. Spes erat homini adhuc; nam sperandi ratio suberat talis. Dicebat: Valde immutatus est rerum status, ex quo mihi sententia purgationis imposita fuit. Et quidem gravem illam satis accepi, et quæ vel ab innocentissimo difficile impleri posset. Quid nunc, cum cuncta pene in impossibile versa sunt? Nivernis non est episcopus (665), sed ne Trevis quidem: Autisiodorensis transalpinavit. Comprovincialium sane

episcoporum, per quos me purgare oportuit, pars multa hæc est. Non certe purgatores deficiunt mihi, sed episcopi vel desunt, vel absunt. Quid ergo? rectene a me exigi potest quod inveniri non potest? Si res ita judici comperta fuerit, mirum si de impossibili sententiam ferat: aut si non ex toto impossibile, nimium [*al. minimum*] quod forte minus est, leviter effugiet ultro negligentius perscrutantem: nempe misericordiam vult, non sacrificium. Quæ enim utilitas in sanguine meo, ut quærat iniquitatem meam, et peccatum meum scrutetur? Magis autem, quia benignus et misericors est, aliquid obliviscetur, aliquid dissimulabit, aliquid et de suo addet. Dominus est. An non licet ei quod vult facere? Etiam si non, quantum sat est, rationem mihi suppeditare adverterit; quidni tota tamen libertate utetur, prompteque misericordiam superexaltabit judicio, vir apostolicæ mansuetudinis et auctoritatis?

2. Ergo cum sic liceret sperare timenti, nec frustra, ut sibi suisque videbatur, cessit tamen, et nostro se totum commisit, arbitrio. Ac ne occasione ipsius diutius ecclesia fatigaretur, consulente me anticipans terminum, et securis ictum, ultro episcopum exiit. Unum est, clementissime Pater, unde homini generoso ac verecundo in tam miseranda fortuna posset non parum consolationis afferri. Quæritis quid? Profecto non ambulat in magnis, nec in mirabilibus super se. Sufficit, si vestra indulgentia possit retinere sacerdotem, qui episcopus fuit: tantum a nota infamiæ et perpetuæ inustionis cauterio, scuto bonæ voluntatis vestræ obumbretur sibi. O dignam omni exauditu precem! Non rogat ut gloriosus, sed ne inglorius sit, qui exstitit gloriosus. Quidquid illud sit quod medium est, eo contentus est. Liceat cadenti a gloria, honesto quo poterit mediocritatis sese excipere gradu, solamque non devenire in extremitatem opprobrii. Juvenis est, nobilis genere est, in sublimitate positus fuit: nec tamen humilem refugit locum, sed probrum. Nihilne merebitur vel ista humilitas? Humiliatus est impius Achab, profuit ei (*III Reg. xxi, 27-29*): et in viro fideli ac nobili humilitas pretium non habebit? Absit a summa **245** Sede, absit a sancta mente vestra, cor contritum et humiliatum despiciere.

3. Si diceremus, Humiliavit se, exaltetur; nihil in hoc temere a nobis præsumptum. Possemus forsitan excusare, nimirum ex regula quam optime nostis (*Matth. xxiii, 12*). Nunc autem non dicimus, Exaltetur; sed, Ne conculcetur, et confundamur ab expectatione nostra. Imo vero si mala suscepimus

(658) Vide epistolam 227, et epistolam 228, n. 2.

(659) Missus est Rualenus, de quo epistola 258, et 258, et duæ sequentes.

(660) Scilicet Hugo.

(661) Vide epistolas 144, 261.

(662) Is videtur esse Gunnarius, quondam Judex et dominus Sardiniae tetrarchalis, qui ad S. Martini tumulum accedens, rediit per Claram-Vallem: ubi

a Bernardo susceptus, postmodum ibidem monachus factus est, teste Heriberto in libro secundo de Miraculis S. Bernardi, cap. 13.

(663) Scripta anno Christi 1146.

(664) Ex abbate Sancti-Sulpicii apud Biturigas episcopus, ex episcopo denno monachus.

(665) Vide epistolam 275.

de manu domini, bona quare non suscipiamus? Numquid enim potestatem habetis deponere potentes de sede, et exaltare humiles non habetis? Porro potestate accepta malle in malo, quam in bono uti, abuti est. Præterea angitur debitis multis, cum sit pauper et inops: jubeat auctoritas vestra de rebus episcopalibus ea solvi. Durum est enim simul et honore privari, et onere premi debitorum.

EPISTOLA CCXLVII (666).

AD EUMDEM PRO REMENSI ARCHIEPISCOPO.

*Displicet ei præceps et severior in Samsonem archiepiscopum Remensem sententia, de Pallii usu sublato.*

Amantissimo patri et domino EUGENIO, Dei gratia summo Pontifici, BERNARDUS Claræ-Vallensis vocatus abbas, modicum id quod est.

1. Parcat vobis Deus: quid fecistis? Faciem hominis verecundissimi confudistis; et cujus laus est

(666) Scripta anno Christi 1146.

(667) Non semel Ludovicum Juniores coronatum lego. Primo quidem vivente patre Remis inauguratus coronam accepit ab Innocentio papa anno 1131. Deinde Ordericus Vitalis libro XIII. ad annum 1138, Biturigis coronatum tradit his verbis: « Anno 1138, indict. 1. Ludovicus rex Francorum apud Bituricam in Natale Domini coronatus est, ibique ingens curia nobilium et mediocrium virorum de omni Gallia et Aquitania, aliisque circumvicinis nationibus aggregata est. Illic metropolitani præsules, eorumque suffraganei convenerunt, illic consules, aliaque dignitates confluerunt, suumque famulatum novo regi exhibuerunt. » Ita Ordericus, qui novum regem appellat, quod rex Aquitanie tunc, mortuo patre, sit coronatus. Hic iterum coronatum videmus a Samsonem Remorum archiepiscopo ante expeditionem Jerosolymitanam, forte ut in conventu solemniter fidelitatis sacramentum discessurus a subditis exciperet. Hujus postremæ celebritatis locum Horstius suspicatur fuisse urbem Carnotensem, ubi de expeditione Jerosolymitana actum est. At hanc coronationem apud Biturigas factam fuisse patet ex epistolæ contextu, et ex litteris Eugenii III in Patriarchio Bituricensi relatis: ex quibus intelligimus, Eugenium sensitse, Bituricensem ecclesiam, in qua Samson sacra fecerat, interdicto suppositam fuisse. Patriarchium Bituricense editum reperies apud Labbeum in tomo secundo Bibliothecæ novæ. Ex hac porro epistolâ, et ex alia Ivonis mox citanda apparet, archiepiscopum Remensem contendisse jus coronandi Reges, ubicunque demum ea coronatio fieret, sibi competere. Quod Petrus Bituricensis, et ante eum Ivo Carnotensis negabant. In hac vero epistola S. Bernardus hanc Remensis archiepiscopi prærogativam non omnino inficiatur, imò admittere videtur. Hujusque meminit Silvester II papa in quadam bulla ad Arnulfum Remorum præsulem, quem ob perfidiam notam suspensum, anno 999 in pristinam dignitatem et jura omnia restituit. « Concedimus tibi, » inquit, « per hujus Privilegii statuta, baculo annuloque reditis archiepiscopali officio fungi, et omnibus insignibus quæcumque ad sanctæ metropolim Ecclesiæ Remensis pertinent, solito more perfrui, pallio solemnitatibus assuetis utaris, benedictione Regum, et subjectorum episcoporum. » Et certe convenientissimum erat, ut cum a B. Remigio Remorum archiepiscopo suscepissent Reges christianissimi regalis sacerdotii dignitatem, cœlestisque coronæ pignus per Baptismum et christianæ religionis professionem, ad ejusdem etiam successores consecrandorum coronandorumque regum prærogativam refunderent: ut simili de causa Imperatores tribuerunt

A in Ecclesia, ipsum in facie Ecclesiæ humiliastis. Lætificastis omnes inimicos ejus: sed quantos vos contristasse putatis? Non est modus condolendi, quia amicorum non est numerus. Dilectus a Deo et hominibus, grandis criminis luit pœnas, nullius convictus, nullius confessus. Tenemus Phinees, sentimus zelum; Israelites perfoditur, sed non cum Malianitide. Imponitur ei quod Regem coronavit (667); sed in hoc non existimat excessisse se tenorem privilegiorum suorum. Objicitur quod scienter divina præsumperit celebrare in ecclesia interdicta: negat. Suo tempore probabitur illud, purgabitur istud. Esto tamen: putemus omnia constare, quæcumque in absentem adversariis ejus licuit, aut libuit loqui. Debitne hoc solo excessu, cujus cætera B laudabilia exstiterunt, tam dure feriri, tam severe animadverti? Semel excessisse, etiam virtus poterat reputari, si de vestro, non de vultu inimicorum ejus

Moguntinensi archiepiscopo ob S. Bonifacium, reges Hispaniarum Toletano propter S. Eleutherium, reges Anglorum Cantuariensi ob S. Augustinum: quamvis pro locorum temporumque necessitatibus hoc Remensis archiepiscopi privilegium legitimæ dispensationi fuerit obnoxium. Nec aliud existimo intendisse Ivonem Carnotensem in sua illa celebri epistola 189, qua Ludovicus VI solemnem inaugurationem a Daimberto Senonensium archiepiscopo Aureliæ peractam propugnat. Alibi enim, epist. 48, hanc Remensis ecclesiæ prærogativam agnoscit, ad Urbanum papam scribens, eadem sedem et diadema regni habere. Ino in alia illa epistola « non invidere se Remensi ecclesiæ, non repugnare, non dolere » protestatur, « si Reges Francorum erga eam habuerint tantam devotionem, ut malint a metropolitano ejus consecrari, quam ab alio: » sed tamen legitimam dispensationem in Daimberti facto tuetur. « Quod ergo fecimus, » inquit, epist. 189, « salubri deliberatione et provida dispensatione fecimus. Nimirum quia erant quidam regni perturbatores, qui ad hæc omni studio vigilabant, ut aut regnum in aliam personam transferretur, aut non mediocriter minueretur. » Quod ergo privilegium istud nec ratione, nec consuetudine, nec lege fulcitum esse affirmat; non est absolute explicandum, sed eo duntaxat tendit nervus inductionis, quam consuetudini opponit, ut ostendat, quod « Francorum reges non omnes in Remensi ecclesia, vel a Remensibus archiepiscopis sint consecrati, » quod ultro fatemur. In id vero totus incumbere videtur, ut neget, sublata qualibet dispensatione, Regum consecrationem semper in ecclesia et ab archiepiscopo Remensi faciendam sub pœna anathematis ab eo, qui secus quomodocunque tentaret, incurrendi, quod ipsi Remenses legati in ista causa urgere videbantur, teste Aimoini continuatore in lib. 5 de Gestis Francorum, cap. 50. Confer Hugonem in Chronico Autissiodorensi ad annum 1154. Tandem vero ne qua lis hac de re in posterum suboriretur, Ludovicus VII anno 1179 solemniter sententia hanc Remensis archiepiscopi prærogativam confirmavit, Alexandri et Innocentii itidem III litteris postea comprobata. Plura qui volet, legat librum Guillelmi Marloti, Sancti-Nicasii Remensis archiprioris, de Inauguratione Regum Francorum gallice editum anno 1654, in quo doctissime ac copiose hanc materiam pertractavit. Quod pertinet ad pallii usum, quem Pontifex Samsoni interdixerat, mirum est quo in pretio fuerit eo potissimum sæculo, ut S. Bernardus tolerabilius duxerit interdici sibi Missarum celebrationem, quam archiepiscopo Remensi pallii usum, pro quo etiam S. Malachias ex Hibernia bis Romam proficisci non dubitaverit.



judicium prodiisset. Deinde quid in arcto illo fieri oportebat? Dies celebris, sollemnis curia, juvenis rex; et, quod his majus est, Dei negotium, de Jerosolymitana scilicet expeditione, propter quod omnes convenerant; prorsus hæc omnia Missarum, et coronæ regiæ solemnibus debique honoris frustrationem nullatenus admittebant. Sed nec ipsi Bituricensi archiepiscopo omnino expediebat, ut honor Regis per eum impediretur.

2. Quæ cum ita se habuerint, æstimamus locum misericordiæ non deesse, ubi tanta necessitas typhum (668) excusat contumaciæ. Numquid potestatem habetis tantum percutere, et nequaquam sanare! Nostis qui dixerit: *Percutiam, et ego sanabo* (*Deut. xxxii, 39*). Absit ut cujus tenetis vicem, non usurpetis et vocem, vocem præcipue pietatis. Ergo sola hæc vice redeat sagitta Jonathæ retrorsum, et si necesse fuerit, in me magis mittatur. Tolerabilius, fateor, habuissem, Interdici mihi Missarum celebrationem, quam archiepiscopo Pallii usum. Est etiam quod non mediocriter vestro pio rigori obviat in hæc parte, quod filio vestro regi Ludovico possit hinc non parvæ offensionis et irritationis occasio dari, cum ipse sibi tota mali hujus videatur esse occasio. Quod plane tempore isto non expedit: ne bonum, **246** quod vestro hortatu bono et magno animo cœpit, dignum (quod absit) non habeat exitum, si in scandalo et animi perturbatione hoc egerit. De cætero mandastis et obedivi, et secundavit obedientiam præcipientis auctoritas. Siquidem annuntiavi et locutus sum, multiplicati sunt super numerum. Vacuantur urbes et castella, et pene jam non inveniunt quem apprehendant septem mulieres virum unum, adeo ubique viduæ vivis remanent viris.

#### EPISTOLA CCXLVIII (669).

AD EUMDEM.

*Præmonet Pontificem, ne Sagiensi, quantumvis supplici, reditum in episcopatum molienti, faciles aures præbeat.*

1. Non est mihi, more multorum, procemiis uti ad vos, ambitive verborum: a re ipsa incipio. Homo fallax venit ad vos, credo ut fallat; sed absit ut vos. Hoc enim non nisi in multorum discrimen, idque maximum posset accidere. Semper quidem, sicut fallere malum, ita falli a malo est plerumque et malum. Sed interest quis et in quo fallatur. Quanto vestra potestas et dignitas major, tanto ea

(668) In scriptis, *typum*. Et prorsus ita scribebant veteres illi pro, *typho*, id est superbia.

(669) Scripta circa annum 1146.

(670) Argute sciteque antiquum, jamque antiquatum Dei præceptum (quo præceperat, ut fratri absque liberis defuncto, frater superstes suscitaret semen) Arnulfo Lexoviorum pontifici accommodat: qui S. Augustini disciplinam a Joanne germano suo Sagiensium antistite traditam sæcularibus canonicis suis, et a successore graviter labefactam, sic sustentavit, tum scriptis ad summos Pontifices datis, tum peculiari studio, ut præclare dicat hic S. Bernardus, eum fratris suscitasse semen, quod aliena temeritas licentiaque ferme suffocant. Hocque in

A quæ vobis forte subreptio sit, non modo periculosior, sed et turpior est, præsertim in ecclesiasticis causis. Si verbi gratia, Sagiensis hæc vulpecula fraudulenta, concinnans dolos vobis, sicut callide cogitat illudere, poterit et ad vineam Domini sabaoth, quam brevi tempore parte non modica demolita est, vestra auctoritate redire; quanta putatis malignitate de cætero sævituram? Heu! quod reliquum est, devorabit. Nempe qui venit vulpecula, redibit læna: et in quosque, tam cleri, quam populi, non jam calliditate utetur, sed crudelitate. Vigilandum itaque adversus astutiam, ne ad tantam sævitiam denuo prorumpere possit.

2. Non ergo vos moveat hominis facies miseranda, vilis habitus, vultus supplex, demissa supercilia, B verborum humilitas: sed nec ipsæ quidem lacrymulæ, currentes, ut aiunt, ad nutum ejus, doctæ mentiri. Hæc omnia in facie sunt: et scitis qui dixerit, *Nolite secundum faciem judicare* (*Joan. vii, 24*). In his atque similibus forma pietatis existit, sed non semper et virtus. Vestimenta ovium sunt hæc, frequenter, sicut designavit Dominus, usurpata a lupis, in stragem maximam ovium, dum non se abscondunt, quoniam illi abscondite veniunt (*Matth. vii, 15*). Inde est quod aliqui etiam ex nostris pro exscripterunt, talibus circumventi mendaciis, parum advertentes quod a Sapiente sapienter ac veraciter dicitur: *Est qui se humiliat nequiter, et interiora ejus plena sunt dolo* (*Eccli. xix, 25*). Vos ergo non attendatis ad verba ejus, neque ad corporis gestus: C opera interrogate. A fructibus ejus cognoscetis eum. Multa et gravia dicuntur de eo: dicentur et in eum, si est qui quærat et judicet. Nolo dicere omnia quæ audivi. Nec enim omnibus credendum est, sed nec omnibus decedendum. Unam pono breviter meam conjecturam: certine aliquid habeat, vos judicabit. Cur datos sibi iudices declinavit? Si personas causatur, non erant suspecti. Si loci importunitatem; erat hoc in terra sua, et in cognatione sua, ubi et expensis paucis, et itinere non longo, facile et absque labore totum negotium poterat explicari. Restat proinde nihil aliud suspicandum, quam fugisse hominem subdolum accusantium multitudinem, qui extra patriam eum minime præ inopia sequi possent. D Gratias agimus domino Lexoviensi, qui zelo domus Domini tactus, nec marsupio pepercit, nec corpori. Bonus **247** frater, cui studium est semen defuncti fratris suscitare (670). Gratias et vos agite illi, quia

negotio eum laborasse annos plus minus viginti, est suspicari ex ejusdem ad Alexandrum III papam epistola quæ incipit, « Est quidam, in quo, » etc. Vide tomum duodecimum Bibliothecæ Patrum. Mortuus est enim Joannes Arnulfi frater anno 1143, cui successit Girardus hujus nominis II, antea canonicus sæcularis, quem, ut dicit Arnulfus citata epistola, Romana Ecclesia episcopari non permisit, donec eundem Ordinem in propria persona professus est. Verum, ut ibidem subditur, episcopus iste detestabilem concepisse prædicabatur affectum, scilicet plantationem hanc penitus evellendi, nempe canonicos regulares. Qua de causa hic a Bernardo suggillatur.

vestro quoque nomini hæc ejus cura non parum A conferre videtur : qua fit ut convincatur malignus, et sic dejiciatur ; quæ est gloria vestra.

EPISTOLA CCXLIX (671).

AD EUNDEM.

*Priorem Casæ-Dei, electum in episcopum Valentinensem, uti dignum commendat.*

Si rebus raritas pretium facit, nil in Ecclesia pretiosius, nil optabilius bono utilique pastore. Nempe rara avis est ista. Proinde sicubi talis interdum reperitur, et occasio detur, confestim injiciendæ sunt manus, et totis nisibus satagendum, ne qua vi, ne qua arte malitiæ fructuosa promotio valeat præpediri. Audivimus in ecclesia Valentina pari voto cleri et populi electum esse Priorem Casæ-Dei (672). Mirum si bonus non fuerit ad opus ad quod assumitur. Scire vultis unde id sperem? Boni hoc volunt, nec potest bonus non esse qui bonis placet. Nec minus validum argumentum mihi videtur quod bonus sit, si malis e regione displiceat. Decet Sanctitatem vestram votis assentire honorum : ne si ab isto forte resilire contingat, alium quem nolletis, studio et consensu pravorum contingat recipere.

EPISTOLA CCL.

AD BERNARDUM (675) PRIOREM PORTARUM.

*Repulsam fratris Natalis in episcopum electi non debuisse tam moleste ferri a Religiosis. Id sua opera factum non esse. Veritum forte Papam, ne juvenilis ætatis vitia nunc demum calumniæ paterent.*

Reverendissimis patribus et dominis amantissimis, BERNARDO priori Portarum, et sanctis qui cum eo sunt, BERNARDUS Clæræ Vallis vocatus abbas, salutem in Domino.

1. Ex quodam Beatitudinis vestræ rescripto comperi, scripsisse me aliquid, quod me indicaret commotum, vosque istud non parum metuere. Verum id frustra. Non est quod a puero vestro timendum sit vobis, reverendissimi patres, qui vos in veritate diligo ut amicos, et suspicio ut sanctos. Nisi forte non me, sed mihi paterno timuistis affectu, quod motus vobis viderer non ex ratione ; aut si ex ratione, forte plus quam oporteret. Motus, fateor, fui, sed pro vobis, non contra vos, atque id tenueris satis : si et hoc temere, sed non temere confiteor adversum me injustitiam meam, et vos remittetis temeritatem peccati mei. Ignoscite mihi : sic sum, D zelus domus vestræ comedit me. Non patior plane, quod in me est, decolorari tantæ speciem sancti-

tatis : nam corrumpi posse, absit ut vereat. Prorsus autem displicet in pulcherrimo corpore non solum morbus, sed et nævus. Non plane bonus color, si sanctorum quispiam anxie ferre abjectionem suam videatur, de qua etiam et non gaudere, et non gloriari, minus est a perfectio. Porro in proposito perfectionis apparere imperfectum, nævus est. Ergo hic color mihi in fratre Natali displicuit. Quid enim, 248 etsi castum id fuerit coram Deo? Nempe oportet providere bona etiam coram hominibus.

2. Sed dicitis : Non ipse graviter tulit, sed nos. Ad idem revertitur. Iterum dico quod sentio. Cur vobis grave fuerit, non video, nisi quia ipsi grave esse sensitis. Vos judicate, an hoc eum decuerit, præsertim in novitate vitæ. Nam ante hanc (ut salva ejus pace dixerim) non caruit hac nota : an vero nec culpa, suæ ipsius conscientie relinquendum est. Et quid si forte hoc cogitavit [al. judicavit] dominus Papa : cum, sicut dicitis, electioni ejus assentire rennerit? Veritus quippe, ut æstimo, linguas obtrectatorum, vetuit festinatam novi eremitæ promotionem : ne, ut dixi, lingua maliloqua dicere posset, hunc esse, quem semper optaverat, eremi fructum. Verumtamen quidquid dominus Papa intenderit, sive hoc, sive aliud, me ignorasse sciatis illud ejus consilium ; ne quis dicat quod meo instinctu id fecerit. Nam quod ad me pertinet, mihi decretum est, ubi opportune possem, non solum non impedire, sed etiam totis viribus, et ambabus, ut dicitur, trahere manibus, ubi de gratia, quæ in eo est, Deo fructificare valeret. Quis dabit mihi homines litteratos et sanctos in Ecclesiis Dei præesse pastores, si non in omnibus, certe in pluribus, certe in aliquibus saltem? Quid enim si juvenis aliqua olim juveniliter egisse memoratur? Vetera transierunt, nova facta sunt omnia. Consepultus est iterum Christo per eremi baptismum (674) : ego olim sepulta vitia retractabo?

3. Jam quod abbas Caziacensis (675) sive Trecentis dure dicuntur scripsisse vobis, omnino, cum audivi, dure accepi, et cum accepero tempus, non dissimulabo, quantum quidem charitas postulabit, et familiaritas, quæ mihi pro eorum religiositate ad ipsos est. Deo autem gratias, qui dedit vobis non vinci a malo, sed vincere in bono malum, quia non respondistis eis malum pro malo, aut maledictum pro maledicto. Porro illas, quas ad me adversus

vicum Juniorem de sua promotione, quæ est epistola 254 inter Chesnianas.

(674) Existimabat quippe cum aliis Patribus Bernardus, vitæ religiosæ professionem esse alterum veluti baptismum, ut diserte in libro de Præcepto et Dispensatione, cap. 17.

(675) In tribus Colbertinis, Caziacensis. An is Caziacensis abbas Simon, cui scripta est epistola 263? Ejus successor Tes. (sic breviter legimus), de quo in libri secundi epistola 14 Petrus Cellensis abbas apud Treca, hoc loco designatus; tametsi nullæ ejus contra Cartusianos epistolæ, multæ pro eis reperiantur.

(671) Scripta anno Christi 1145.

(672) Mortuo sancto Joanne episcopo Valentia in Delphinatu, anno 1145, electus est Prior Casæ-Dei, nomine Orilbertus, in cujus gratiam hæc epistola scripta est cum epistola 270.

(675) Ejus nominis secundum, qui sede Bellicensi anno 1142 relicta, rediit in Cartusiam Portarum, ibidem ante annum 1147 Bernardo Priori primo se abdicanti successit, ex notatione ad epistolam 153. Natalem, de quo hic quæstio, in regimen ecclesiæ Bellicensis post eum postulatum non ausim affirmare. Bernardo sane successit Guillelmus, Guillelmo post Fontium Antelmus seu Nantelmus, ex Priore itidem Portarum, cujus esse videtur epistola ad Ludo-

præfatos abbates ante scripseratis litteras, nec studio nec voluntate mea ad ipsorum notitiam pervenisse sciatis. Et de his satis.

4. Tempus est ut non obliviscar mei. Clamat ad vos mea monstruosa vita, mea ærumnosa conscientia, Ego enim quædam chimæra mei sæculi, nec clericum gero, nec laicum. Nam monachi jamdudum exui conversationem, non habitum. Nolo scribere de me quod vos per alios audisse existimo, quid actitem, quid studeam, per quæ discrimina verser in mundo, imo per quæ jacter præcipitia. Si quominus audistis, precor ut inquiratis, et secundum quod audieritis, et consilium impendatis, et orationum suffragia.

#### EPISTOLA CCLI (676).

AD DOMINUM EUGENIUM PAPAM.

*Balmenses monachos pro merito punitos in gratiam recipi cupit, et cum Æduensibus conciliari.*

Amantissimo patri et domino EUGENIO, Dei gratia summo Pontifici, frater BERNARDUS Claræ-Vallis dictus abbas, modicum id quod est.

Balmenses monachi graviter deliquerunt, sed non impune (677). Vobis pro hoc ipso laus et gratiarum actio ab universa debetur Ecclesia, quia non siluistis, non dissimulastis, non quievistis. Efferbuistis ut **249** debuistis: percussistis, sed ut sanaretis. Quod si obliviscatur misereri dominus, et contineat in ira sua misericordias suas, unde sanitas? Fudicialiter proinde post iudicium misericordiam præstolamur, ut misericordiam et iudicium cantemus Domino. Scimus, scimus, non deviat Vicarius (678) a vestigiis ejus cujus vicarius est; nimirum cum ille dicat: *Qui mihi ministrat, me sequatur* (Joan. xii, 26). Dicit autem de illo propheta: *Quis scit si convertatur et ignoscat Deus, et relinquat post se benedictionem!* (Joel. ii, 14.) Hanc de vestris quoque posterioribus audacter exigimus. Alioquin non decet ut perdatis innocentem cum impio. Etenim qui malum fecerunt, facti de medio sunt. Quid restat, nisi ut reliquæ salvæ fiant? Quidni salventur qui obedierunt vobis, qui obedierunt prædecessori vestro? Paulum loquor, qui aiebat: *Auferte malum ex vobis* (1 Cor. v, 13). Itaque miseremini illis, et non præju-

(676) Scripta anno Christi 1147.

(677) Crimen hoc Balmensium in diocesi Bisuntina monachorum intelligimus tum ex duobus rescriptis Eugenii papæ, uno ad Humbertum archiepiscopum Bisuntinum, altero ad Willelmum seu Guidonem comitem Matisconensem, quibus rescriptis Balmensem abbatiam in Prioratum redigit ob execrabile et horrendum facinus, et inauditum sanctæ Romanæ Ecclesiæ contemptum, commissum in dilectum sibi magistrum Osbertum: tum ex litteris Willelmi comitis Matisconensis id annuentis. Eugenii litteræ datæ sunt quarto kalendas junii Parisius, id est anno 1147. Exstant in archivo Cluniacensi. Postea tamen abbatiae titulus Balmæ restitutus est.

(678) Hic non obscure Papa Christi Vicarius dicitur, cum alias S. Petri Vicarius apud veteres illos appellari soleret, uti alias ostendimus.

A dicet iniquitas sceleratorum justitiæ innocentium. Hæc dico, quia causa est eis cum Æduensibus in præsentia vestræ Majestatis, et timent ne noceat sibi iniquitas aliorum. Sane id præcipue obsecramus, ut concordie et paci ipsorum operam detis. Utrisque siquidem bene volumus, atque ita utrisque credimus expedire.

#### EPISTOLA CCLII (679).

AD EUNDEM, PRO EBORACENSÍ.

*Sententiam, contra Eboracensem jam olim ab Innocentio latam, tandem executioni mandari postulat, re mala ejus opera dissimulanti Pontifici imputentur.*

B Sævité, frustrata amicitio, mo desperata furit. Currit ad laqueum homo perditionis, et debitam jam olim in se sententiam damnationis accelerat. Vel nunc manifesta sunt peccata ejus, præcedentia ad iudicium. Anticipat manum succisoris arbor maledicta et spinosa, et cunctantem securim in senet provocat. Heu! quam justius illa jamdudum cecidisset (al. excidisset), quam sancti illi, quos contra jus et fas male stando dejecit? Etenim si non staret, stantes minime dejecisset. Et illi quidem in innocentia sua, et pro innocentia corruerunt (680), multo melius stantes: sed sanguis innoxius de manu illorum procul dubio requiretur, qui vires furtivas tam noxiæ arbori, ne statim corrueret, ministraverunt. Clamat contra eorum capita sanguis sanctorum de terra, quorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget eos tormentum malitiæ. Verumtamen viscera mea erant: effusa sunt; non recipio de verbis consolationem. Etsi possent esse qualicumque solatio sive **250** remedio, deficiunt tamen præ dolore, mœrore præcluduntur, interrumpuntur singulibus. Unum tamen ipsumque extremum, quod utique magis scribere, quam proloqui possum, adhuc audite, vel potius legite. Si adhuc steterit, proh dolor! verendum, ne ipsius status sit vester casus, dum quidquid adjecterit, utpote mala arbor, quæ non potest nisi malos fructus facere (Matth. vii, 18), non illi jam, sed vobis merito imputetur.

D

(679) Scripta eodem anno.

(680) Hic intelligit Bernardus stragem in Fontanense Ordinis sui in Anglia monasterium, factam a fautoribus Willelmi intrusi. Eam diserte narrat Serlo monachus in Historia ejus monasterii, Monastici Anglicani tomo 1. pag. 747, ubi amoto per Eugenium Willelmo, ejus fautores dicuntur concurrisse in cœnobium, cujus abbas Henricus ipsis adversus erat; tum omnia diripuisse, incendisse, profligasse, salvis nihilominus monachis cum abbate: ex quibus tamen aliquos fuisse necatos hic innuit Bernardus. Serlo addit. Henricum abbatem in archiepiscopatum electum, statim Claram-Vallem adisse ad S. Bernardum: et inde Treyerim convenisse Eugenium papam, a quo consecratus ac pallio donatus, non sine multa contradictione a suis tandem admissus sit.

## EPISTOLA CCLIII (681)

AD ABBATEM DE PRÆMONSTRATO.

*Asperioribus Præmonstratensium litteris placide respondet, recensens sua in eos beneficia. Refellit quoque singula querelarum capita, constantem se ipsis amicum fore professus.*

1. Audivi auditionem vestram, et timui. Scribitis enim contra me amaritudines : absit autem ut tam rationabiliter quam terribiliter. Quid peccavi ? an quod vestram personam semper amavi, vestrum Ordinem fovi, et promovi semper, quod in me fuit ? Fidem, si verbis non habetur, opera faciunt. Ut quidem mea mihi conscientia respondet, ego a vobis debui commendari. Sed quia contraria potius loqui et scribere libet, dabo ego voci meæ vocem virtutis ex factorum testimonio. Id quidem grave. Videar improbare beneficia, quod utique non decuerat. Ut minus sapiens faciam, vos me cogitis. Cui unquam vestrum, sive vestrorum nostra opera opus fuit, et

(681) Scripta anno 1150. — Hugonem innuit Norberti primum discipulum ex capellano episcopi Cameracensis, ac successorem in regimine Præmonstrati. Hugo iste mirifice laudatur, non solum in libro de Vita S. Norberti, sed etiam apud cognominem suum Hugonem chronographum Autissiodorensis Sancti Mariani, et apud Hermannum monachum Laudunensem in libro tertio de Miraculis S. Mariæ, capp. 6, 8 et 10. Norbertus etiam passim apud eundem prædicatur auctorem, maxime cap. 7, ubi ipsi Bernardo præponitur, tum quia primus Ordinis sui fundator, tum quia Sanctimonialium ejusdem Ordinis institutor, quæ jam tum numerum decem millium excedebant. De eodem Norberto plura ad epistolas 35 et 56. In scriptis non paucis (nam et id notare convenit) hujus epistolæ loco ponitur epistola 123, cum rescripto Bernardi : hæc autem locatur post epistolam 296. Ita duæ sequentes etiam loco non constant in manuscriptis.

(682) De origine Præmonstrati variant auctores. Fabulosum videtur quod apud Franciscum Aluteum Historiæ Cuciensis familiæ libro 2, cap. 19, legitur. Gordonius Societatis Jesu, in Chronologia ad annum 1116, dicit hunc Ordinem nomen accepisse a ratione instituti cœlitus præmonstrata. Sed locum ita vocatum fuisse ante S. Norbertum, patet tum ex ejus Vita, cap. 17, ubi dicitur elegisse « locum valde desertum et solitarium, qui ab antiquis Præmonstratum dicebatur : » tum ex Hermanno monacho locis infra citandis. Quod vero hic dicit Bernardus de loco Præmonstrati a se concesso, repugnare videtur litteris foundationis Præmonstrati, Bartholomæi Laudunensis episcopi nomine confectis (exstant in Bibliotheca Præmonstratensi et in notis ad Gilbertum), in quibus locus prædictus ad Sancti-Vincentii monachos pertinuisse dicitur, et ab ipso Bartholomæo (cui primum ab Adalberone, Sancti-Vincentii abbate, Seifrido ejus successore postea confirmante, concessus fuerat) S. Norberto traditus. Quod etiam notavit Hermannus monachus libro tertio de Miraculis beatæ Mariæ Laudunensis, cap. 4. « Venientes itaque, » inquit, « ad præfatum locum Præmonstratum, ingrediuntur orandi gratia quamdam ecclesiam in honore S. Joannis Baptistæ ibidem constructam. Hæc erat de jure cœnobii Sancti-Vincentii Laudunensis, » etc. Ex quibus quidam nuper scriptor in notationibus ad Vitam S. Norberti, cap. 19, hæcere se testatur in explicanda Bernardi concessione, quam a monachis Vincentianis per manum Bartholomæi episcopi factam legit. At quamvis sexcenta id generis in contrarium argumenta starent, Bernardi verbum ineluctabilem obtinere debet auctoritatem : et siquidem rem paulo diligentis con-

A defuit? Primo quidem locus ipse Præmonstrati, in quo degitis, noster fuit, et nostro munere habuistis (682). Nam nobis frater Wido (683) (hoc nomen primi incolæ loci) per manum episcopi ante donaverat. Deinde quod hi de Bello Loco (684) vobis se associaverunt, nostri potissimum studii fuit. Apud Jerosolymam rex Balduinus, dum adhuc viveret, locum Sancti-Samuelis donavit nobis (685), et mille aureos simul, de quibus ædificaretur : vos domo nostro et locum habetis, et aureos habuistis. Apud Virdunum pro ecclesia beati Pauli, ut eam vos haberetis, quantum laboraverim, multi norunt : et quantum profecerim, ipsi sentitis. Si quominus recognoscitis vos, exstant epistolæ nostræ ad beatæ memoriæ papam Innocentium, hujus rei veri iudices, et quasi vivi testes. Illis de Septem-Fontibus (686) locum quem primum inhabitaverunt (*Francivals* nomen ei) nos contulimus.

consideraveris, pugnancia facile conciliabis. Certum enim est Præmonstrati cœnobium, in prima sui conditione, non eo in loco situm fuisse, quo primum a S. Norberto fuerat institutum ; sed in altera montis parte, ad quam Hugo Norberti successor, cui hæc epistola dirigitur, illud transtulerat. Cujus rei meminit idem Hermannus tum loco citato, ubi prævisionem S. Norberti de cœnobii translatione refert, tum ibidem, cap. 10, ubi Præmonstrati mutationem sic describit : « Videns autem Hugo ecclesiam illam parvam » (nimirum S. Joannis Baptistæ, quam monachi Vincentiani concesserant, uti præmiserat cap. 4) « jam non posse sufficere tantæ multitudini quæ convenerat, et per Dei gratiam quotidie augmentabatur ; sciens etiam dominum Norbertum, ut superius dictum est, in spiritu prævidisse, quod ex altera montis parte major ecclesia foret ædificanda, inito cum fratribus suis consilio, D. Bartholomæum episcopum, utpote loci fundatorem et patrem, advenire rogavit, quatenus dispositis omnibus officinis, ipse primum lapidem in ecclesiæ fundamento poneret. » Fuerit ergo prima illa sedes seu ecclesia a nostris Vincentianis concessa : sed quid prohibet secundam hanc a S. Bernardo, qui eam a Widone eremita prius acceperat, Præmonstratensibus concessam ? Legantur epistolæ duæ Philippi abbatis Bonæ-Spei, quibus hæc respondere videtur.

(683) Widonem legimus in Historia cœnobii Viconiensis prope Valentianas, quæ exstat in Spicilegii tomo 12, pag. 534, ubi Wido seu Guido, « Britonum gente progenitus, sacerdos officio, » eo tempore quo Norbertus Præmonstratum accessit, ibi degisse dicitur, et locum majori cessisse, secedendo Viconium, ubi fundamenta jecit cœnobii, quod Walterio Sancti-Martini apud Laudunum abbati subjecit.

(684) Bellus-Locus ordinis Præmonstratensis, diœcesis Trecensis, ubi canonicis regularibus successero Præmonstratenses anno 1140. Ad Odonem hujus Belli-Loci abbatem epistola 407.

(685) De hoc loco Gaufridus in libro tertio Vitæ Bernardi, n. 22. « Postremo quasi vitis abundantissima suos undique palmites propagavit, excepto quod in terram Jerosolymitanam, quamvis locus esset a rege paratus, ob incursus paganorum et aeris intemperiem non acquievit mittere fratres suos. » Confer epistolam 175, ad Patriarcham Jerosolymorum qui locum offerebat, epistolam 355, qua reginæ Jerosolymorum Præmonstratenses commendat. De monasterio Sancti-Pauli vide notas ad epistolam 178.

(686) Septem-Fontes diœcesis Lingonensis ad Montem-Clarum.

2. Propter quod horum vultis recedere ab amicis? Numquid redditur pro bono malum, quia minamini violare pactum (687), valedicere paci, societatem deserere, **251** scindere unitatem? Sed esto. De bono opere non me lapidatis, sed de injuria, quod fratrem Robertum, cum esset de vestra professione, suscepim, habitum ei monachicum tradens. Non inficior, apud nos est. Putaveram autem me super hoc satisfecisse vobis, cum susceptionis illius rationem, ordinem, necessitatem, viva et veridica voce exposui, idque non semel. Quia vero necdum quiescitis, non erit mihi pigrum rescribere quod responderam, quando vobis durum non est repetere quod excusaveram.

3. Minime ergo prædictum fratrem Robertum aliquando, ut a vobis exiret, sollicitavi: magis autem a multis annis id cupientem, non semel, sed sæpe compressi. Quonam denique modo suspectus haberi possum, quod fratrem Robertum subduxerim vobis, cujus consilio et hortatu magistrum Othonem habetis? Si nescitis, ipsum interrogate: si bene novi hominem, non negabit, Possem et alios forsitan non paucos nominare, sive conversos ad vos, sive reversos: quos hodie non haberetis, nisi a nobis suasi fuissent, vel coacti. Parco autem, non inops materiæ, sed verecundiæ satisfaciens dives. Inveni ego in claustris vestris, qui ad verbum prædicationis nostræ compuncti et conversi ad nos venire disposuerant: cum ecce sollicitantibus vestris retrahentes pedem, recepti et retenti sunt in Ordine et habitu vestro. Postmodum vero, remordente eos conscientia, exire voluerunt: et, ni fallor, exissent, nisi nostro firmentur non assensu tantum, sed et hortatu.

4. Sed jam audite (quia iterum vultis audire) quomodo tandem fratrem Robertum receperim. Dominus papa præcepit, nempe rogatus ab illo et ejus amicis. Dicebat vestrum sese et abbatis ejus assensum prece sua obtinuisse, ne quis dicat quod præcepto extorsit. Negatis: quid ad nos? ipse viderit. Si vobis summum et sanctum Pontificem falsitatis arguere libet, ignoscite nobis: quia nos tantæ sanctitati non credere, et tantæ majestati non obedire nefas ducimus. Quanquam et venerabilis abbas Godescalcus (688), qui de vestris est (nam is a domino Papa ad vos hujus rei gratia fuerat destinatus), non plane negaverit reportasse se a vobis, et liberam fratris emancipationem, et vestram ipsius spontaneam concessionem (*al., male, consessionem*).

5. Jam de fratre Fromundo non est quod nos lacessatis, eum nequaquam eum sine voluntaria abbatis sui concessionem receperim: quod quidem nec vos latuisse amara illa epistola demonstrat in qua nobis de sola capituli non expectata conniventia

(687) Pactum hoc describit Manriquez, initum anno 1142, inter Cistercienses et Præmonstratenses concordie causa, ut inter utrorumque monasteria leucæ duæ; inter grangias seu villas una intercederet. Hinc Bernardus domum Bassi-Fontis ait fuisse extra statutos terminos constitutam. Erat autem sita in diocesi Trecenti, fundata anno 1143.

calumniam struitis. Quasi vero vel in mutua nostra conventionem id prohibitum fuerit: vel emancipatio filii ad capitulum, et non potius ad solum spectet abbatem.

6. Adjicitis et de domo quadam fratrum vestrorum de Basso-Fonte, quod eam nos de medio tulimus, licet extra statutos terminos constitutam. Atque utinam priusquam nos argueretis, eosdem interrogassetis fratres, non solum quis eam de medio tulerit, sed etiam qua de causa. Neque enim celasent vobis, ut confidimus, hujus rei veritatem. Cæterum audite eam nunc vel a nobis, ac deinde, si ita plabet, eos interrogate. Cœperant ædificare locum, ubi aliquas e sororibus suis constituerent, longe quidem ab abbacia sua, in confinio autem duarum grangiarum domus nostræ et prope pascua ovium nostrarum. Rogavimus eos tanquam amicos, et quibus forte non inutiles fuisset, ne seminarium scandali, et dissensionum fontem suis pariter et nostris pararent, posteris relinquendum. At illi nihilominus ædificabant. Hæc fuit tota violentia nostra: sic nos de medio tulimus domum illam. Inexcusabiles sumus, si rogare, vim irrogare est

**252** 7. Revera episcopus (quod negandum non est) indignatus, non modo quod oratorium in suo episcopatu, sed et quod domum in fundo ecclesiæ et terra feudi sui ædificare se inconsulto præsumpissent cœpto intervenit operi, quamvis frustra; nam nec vetiti ab eo destiterunt. Exinde transeunti mihi per terram illam, is qui tunc erat abbas, Bassi-Fontis occurrens, indicavit quod ab ædificatione cessassent. Veruntamen non tam propter nos, sicut ex ejus relatione cognovi, quam propter militem illum, qui terram eis visus dedisse gravabat eos in multis, ita ut de eo plurimum quererentur. Quamquam etsi pro sola charitate nostra id voluntarie dimisissent, nec religionem eorum dedecisset, nec immeritis forsitan præstitisse beneficium viderentur. Miror sane unde hæc tandem querela emergerit, cum et abbas ille in bona, nisi fallor, et devota erga nos voluntate præsentem finierit vitam: et qui substitutus est ei, frequenter et familiariter conveniens nos in necessitatibus suis, nullam nobis querimonie hujus aliquando fecerit mentionem. Denique et in eadem postea domo humanissime susceptus hospitio, nihil hinc ab ipso abbate, vel alio quoquam audivi. Sed et vobiscum in Clara-Valle postmodum præsens fuit abbas, et nuperrime Barri, jam instante capitulo vestro, unde litteræ illæ querulæ, ne dicam calumniosæ, venerunt: et nec hic, nec ibi super hoc, sive ab eo, sive a vobis, vel tenuiter quidem memini me fuisse conventum.

8. Præterea causamini, quod comunculam fratrum vestrorum de Brena (689) conversus Igniacensis com-

(688) De eo vide epistolam 14.

(689) Brenæ seu Branæ, quod oppidum est ad Axonam, quatuor leucis supra Suessionas, insignis exstabat abbacia Præmonstratensium, S. Evodio sacra: a qua non longe distat Igniacum, Ordinis Cisterciensis in diocesi Remensi. Abbas Igniaci Humbertus, ad quem epistola 141.

hæssit. O domunculam! nempe umbraculum quoddam A  
rainorum erat, ubi sederet frater, qui stantes adhuc  
in agro segetes custodiret. Neque hoc combustum  
malitia, sicut fideli relatione cognovimus: sed quod  
positum in agro quodam fratrum Igniaciensium,  
terram occuparet, quam excoli oportebat. Denique  
vix uno taxata est nummulo domuncula hæc: et  
abbati de Brena ita jam, nisi fallimur, super hoc  
satisfactum, ut omnino nec queratur, nec habeat  
unde queratur. Si quominus, ubi id nos rescire  
feceritis, parati sumus ad omnem satisfactionem.  
Sic et de abbate Longi-Pontis (689\*), ubi primo  
querelam vestram accepimus, quod inter terminos  
vestros domum vellet ædificare, prohibuimus eum:  
et jam credimus destitisse. Sin autem; et id fiet, ubi  
factum non esse noverimus.

9. Super omnia plangitis, quod ecclesiam Sancti  
Foillani (690), quæ de Ordine vestro est, abbas no-  
ster de Villari fecerit imbanniri [*id est* interdicti].  
At forte justius vobis fratris et coabbatis vestri de  
prædicta domo Sancti Foillani incredibilis obstina-  
tio, quam summi Pontificis justissima [*al.* repre-  
hensibilis] animadversio displiceret. Novi siquidem,  
quod multis vestrorum ipsius abbatis animositas  
displiceat graviter: mirum valde, si non etiam  
vobis. Ita ergo dico vobis, huic indignamini: siqui-  
dem ipse est, cujus aut cupiditas, aut contumacia  
fratribus vestris divina fecerit officia interdicti. Et  
quidem prolixum est hoc negotium, et difficile esset  
universa ejus subterfugia epistolari brevitate con-  
cludi: causam tamen interdicti quam breviter inti-  
mabo. Post duas aut plures conventiones pacis,  
post definitivam sententiam judicii, juxta mandatum  
capituli vestri per vestros et nostros abbates pro-  
mulgatam, accitus demum episcopus Cameracensis,  
ad cujus parochiam locus Sancti Foillani pertinere  
cognoscitur, cum videret abbatem obstinato animo  
omnia violare, etiam sententia eum ecclesiastica  
cogere voluit, ut dicebat. Ille vero, ut redimeret  
tempus, summi Pontificis audientiam appellavit.  
Ventum est ante eum: qui postquam testimonio  
tam vestrorum abbatum, quam aliorum religiosorum  
**253** indubitanter agnovit abbatem Sancti-Foillani  
non solum resilire a compositionibus, sed et judicio  
contraire, ecclesiam ejus imbanniri jussit, donec  
satisfecisset. Demum rogastis tam vos, quam ipse  
domnum Cisterciensem, et nos; multisque tam  
vestris, quam vestrorum precibus extorsistis, præ-  
sente etiam ipso episcopo, qui promulgandæ senten-  
tiæ interdicti mandatum acceperat, ut provideretur  
adhuc forma aliqua pacis. Absente abbate de Villari,  
tractata compositio, dictumque episcopo est, ut si

(689\*) Abbatia Longi Pontis, duabus leucis  
prope Suessiones, ordinis item Cisterciensis, uti et  
Villaris, in Brabantia diocesis Namurcensis, ubi  
tunc abbas Fastredus, cujus est epistola in Appendice  
relata.

(690) Abbatia Sancti Foillani Hiberni, prope Ro-  
dium Hannoniæ oppidum in eius martyrii loco sita,

vel ipsam observaret, abbas Sancti-Foillani abstine-  
ret ab interdicto. Discedens autem nec illam tenuit,  
sed domum, quam et judicii sententia, et composi-  
tiones omnes diruendam esse definierant, ita ut  
semel etiam diruta jam fuisset, atque interim contra  
conventionem et judicium reædificata; hanc, in-  
quam, et tenuit, et tenet, et alteram quoque super-  
ædificavit. Quidni exsequeretur episcopus manda-  
tum apostolicum, quod acceperat de promulganda  
sententia interdicti, præsertim addita prævaricatio-  
ne? Ego tamen sperans tandem aliquando vincere  
in bono malum, eandem sententiam differri feci  
usque ad octavas Epiphaniæ, si forte interim vir  
ille recogitaret, ut vel formam judicii exsequeretur,  
vel compositionem aliquam observaret. Atque uti-  
nam sic contingat, et faciat Deus pacis, ut requies-  
cat super illum pax nostra!

10. Cum hæc ita se habeant, non est quod de  
nobis queri debeat: cum justius nos de vobis, ut  
apparet, queri possimus. Reliquum est ut diligentes  
vos diligatis, præsertim solliciti servare unitatem  
spiritus in vinculo pacis: illo, inquam, vinculo, quod  
inter nos et vos causa pacis charitatisque firmatum  
est, utiliter quidem, et non minus forsitan vobis  
quam nobis. Si rumpendum decernitis, non expe-  
dit quidem, sed nec licere ullatenus puto. Nempe  
ubi communis est causa, personæ reatus præjudicare  
non deberet, etsi vera essent quæ in nos dicitis.  
Ego autem, fratres, quidquid faciatis, decrevi sem-  
per diligere vos, etiam non dilectus. Occasiones  
quærat, qui vult recedere ab amico: mihi studii  
est, et erit, nec cuiquam amicorum justam in me  
discessionis causam dare, nec scrutari in alio: quod  
hoc quidem fictæ, illud vero neglectæ amicitie sit.  
Et quia secundum prophetam *glutino bonum est* (Isa.  
xli, 7); solvere, vel potius abrumpere vos poteritis,  
sed non me. Adhærebo vobis, etsi nolitis: adhære-  
bo, etsi nolim ipse. Olim me alligavi forti vinculo,  
charitate non ficta, illa quæ nunquam excidit. Cum  
turbatis ero pacificus, conturbantibus quoque dabo  
locum iræ, ne diabolo dem. Vincar jurgiis, vincam  
obsequiis. Invitis præstabo, ingratis adjiciam, hono-  
rabo et contemnes me. Et nunc tristis est anima  
D mea quod quacunque occasione offenderim vos;  
eritque tristis, usquedum vestra indulgentia releve-  
tur. Si tardaveritis, ibo, et excubabo pro foribus;  
perseverabo pulsans, instabo opportune, importune,  
donec vel merear, vel extorqueam benedictionem.  
Plus quam medium hiemis transiit jam, et tunicam  
nostram [*id est* charitatem] usque adhuc frustratus  
expecto.

erat Ordinis Præmonstratensis. His omnibus Ber-  
nardi in Præmonstratenses beneficiis adde donatio-  
nem loci in silva de Orta, a Ludovico Juniori factam  
et interventientem domno Bernardo præmemoriæ Claræ-  
Vallensi abbate, et Sancti-Mariani abbas Antissio-  
dorensis agnoscit in epistola; inter Chesnianas nu-  
mero 282.

## 254 EPISTOLA CCLIV (691).

AD ABBATEM GUARINUM ALPENSEM.

*Laudat in sene abbate studium reformandi Ordinis. Temporis brevitatem non obsistere studio perfectionis. In vita spirituali semper proficiendum, nunquam standum.*

Reverendo Patri, et omni veneratione digno, domino abbati Alpensi GUARINO, et universis ejusdem loci fratribus, frater BERNARDUS, vestræ sanctitatis servus, de bono in melius semper proficere.

1. Revera nunc in te, Pater, experior quod in sacris Litteris legisse me memini: *Cum consummatus fuerit homo, tunc incipit* (Eccli. xviii, 6). Jam seni requies, jam corona debebatur emerito: et ecce tanquam novus in Christo miles, nova iterum tibi excitas bella, provocas adversarium; et rem fortium præsumis fessus senex, dum ad iterandum certamen, antiquum hostem, etiam quodammodo invitum compellis. Enimvero dum præter morem tuum, tuorumque prædecessorum traditiones (692), divinitus inspiratus ecclesias et ecclesiastica beneficia relinquis; synagogas Satanæ, id est cellulas extra cœnobium (693), in quibus tres, vel quatuor fratres sine ordine, sine disciplina habitare solent, destruis; feminas a monasterio arces (694), cæterisque pietatis ac disciplinæ bonis studiosius invigilas solito: quid aliud primus et maximus ille peccator, nisi videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet? Sed quæ cura? E contra tu in ejus confusione et tua consolatione cantabis Deo tuo: *Qui timent te, videbunt me et lætabuntur, quia in verba tua supersperavi* (Psal. cxviii, 74). Nec timendum quod succumbat hosti, qui nec cedit ætati. Vincit annos animus, et frigente jam corpore servet sanctum in corde desiderium; artibusque fatiscen-  
tibus, durat tamen incolumis propositi vigor, nec sentit rugosæ carnis infirma spiritus promptus. Nec mirum. Ut quid enim metuat veterani domicilii ruinas, qui fabricam spiritualem videt in dies in sublime consurgere, proficere in æternitatem? Certus namque est, si terrestris domus ista dissolvitur, quod ædificationem habet ex Deo, domum non manu factam, æternam in cœlis (II Cor. v, 1).

2. Sed dicet aliquis: Quid si morte præventus fuerit homo, necdum videlicet spirituali ædificio consummato? Perfectus quippe non habet quo proficiat: et qui proficit, eo ipso quo proficit, perfectus non esse convincitur. Est quod securi de illo plena fide respondeamus. Dicemus nempe: Con-

A *summatus in brevi, explevit tempora multa* (Sap. iv, 13). Bene multa, qui universa complectitur. Quomodo enim non explevit omnia tempora, qui transiit ad æternitatem? Quanta sane tempora non longævitate, sed longanimitate; hoc est, non annorum serie, vel dierum numero, sed mentis devotione, et inexstinguibili semper proficiendi desiderio percurrere potuit, tanta sibi in meritis non immerito vindicavit. Retinet quippe virtute, quod amisit in tempore. Porro vera virtus finem nescit, tempore non clauditur. Unde est illud: *Charitas nunquam excidit* (I Cor. xiii, 8); et item: *Patientia pauperum non peribit in finem* (Psal. ix, 19); et: *Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi* (Psal. xviii, 10). Nunquam justus arbitratur se comprehendisse (Philipp. iii, 13): nunquam dicit: Satis est, sed semper esurit sititque justitiam: ita ut si semper viveret, semper, quantum in se est, justior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Non enim ad annum vel ad tempus, instar mercenarii, sed in æternum divino se mancipat famulatu. Audi denique vocem justii: *In æternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me*; et **255** rursum: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum* (Psal. cxviii, 93, 112). Non igitur ad tempus. Proinde *justitia ejus manet*, non aliquanto tempore, sed *in sæculum sæculi* (Psal. cxi, 5). Sempiterna itaque justii esuries sempiternam meretur refectionem: et licet in brevi consummetur pro tempore, judicatur tamen explesse tempora multa pro virtutis perpetuitate.

3. Quomodo denique temporis brevitatis bonorum præjudicet perpetuæ devotioni, quæ pertinacem reproborum malitiam excusare non sufficit? Ob hoc enim procul dubio inflexibilis et obstinatæ mentis punitur æternaliter malum, licet temporaliter perpetratum, quia quod breve fuit tempore vel opere, longum esse constat in pertinaci voluntate: ita ut, si nunquam moreretur, nunquam velle peccare desineret; imo semper vivere vellet, ut semper peccare posset. Proinde potest et de isto per contrarium itidem dici: *Consummatus in brevi, explevit tempora multa*; quod merito multorum, imo omnium temporum receperit vicem, qui nullo tempore malam voluerit mutare intentionem [al. voluntatem]. Itaque indefessum proficiendi studium, et jugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur.

4. Quod si studere perfectioni, esse perfectum est; profecto nolle proficere, deficere est. Ubi ergo sunt qui dicere solent: Sufficit nobis, nolumus esse melio-

(691) Hæc epistola scripta est anno 1136, quo unitum est Cistercio Alpense monasterium, de quo epistola 152.

(692) Id est remissiones disciplinæ regularis, a majoribus inductas, ut in epistola 91.

(693) Nempe ejusmodi cellulæ passim exitiales sunt observantiæ regulari, quæ in tam exiguo numero servari vix potest. Obedientias vocat epistola 400. Eisdem verbis usus est supra in epistola 150, n. 2.

(694) Id est ab ecclesia: nam et id in Ordine nostro olim receptum, ut apud Cistercienses, qui nequidem monachos alienos in ecclesias suas admittebant teste Orderico Vitali in libro viii, pag. 714. Cartusien-  
ses « hospites tantum religiosos in chorum, » apud Guigonem in Statutorum capite 10. De interdicto quondam mulieribus in nostras ecclesias ingressu lege Præfationem ad Sæculum primum, n. 112, et ad Sæculum secundum, n. 53.

res quam patres nostri? O monache, non vis proficere? Non. Vis ergo deficere? Nequaquam. Quid ergo? Sic mihi, inquis, vivere volo, et manere in quo perveni; nec pejor fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis quod esse non potest. Quid enim stat in hoc sæculo? Et certe de homine specialiter dictum est: *Fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet* (Job xiv, 2). Ipse denique hominis sæculique Auctor, quandiu in terris visus est, et cum hominibus conversatus est, nunquam [al. nunquid] stetit. Et quidem, teste Scriptura, *pertransiit benefaciendo et sanando omnes* (Act. x, 38.) Pertransiit autem, sicut non infructuose, ita non remisse, non pigre, non lento gressu; sed, quemadmodum item de ipso scriptum est: *Exsultavit ut gigas ad currendam viam* (Psal. xviii, 6). Porro currentem non apprehendit, qui et ipse pariter non currit. Et quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi? Ideo Paulus aiebat: *Sic currite ut comprehendatis* (I Cor. ix, 24). Ibi tu, Christiane, fige tui cursus profectusque metam, ubi Christus posuit suam. *Factus est, inquit, obediens usque ad mortem* (Philipp. ii, 8). Quantumlibet ergo cucurreris, si usque ad mortem non perveneris, bravium non apprehendis. Bravium Christus est. Quod si illo currente tu gradum sistis, non Christo appropias, sed te magis elongas; timendumque tibi est quod ait David: *Ecce qui elongant se a te, Domine, peribunt* (Psal. lxxii, 27). Itaque si proficere currere est: ubi proficere, ibi et currere desinis; ubi vero [al. ubi ergo] non currere, ibi et deficere incipis. Hinc plane colligitur quia nolle proficere, non nisi deficere est.

5. Vidit scalam Jacob, et in scala angelos, ubi nullus residens, nullus subsistens apparuit; sed vel ascendere, vel descendere videbantur universi (Gen. xxviii, 12): quatenus palam daretur intelligi, inter profectum et defectum in hoc statu mortalis vitæ nihil medium inveniri; sed quomodo ipsum corpus nostrum continue aut crescere constat, aut decrescere, sic necesse sit et spiritum aut proficere semper, aut deficere. Interest tamen, quod nequaquam juxta ordinem corporalium vicissitudinum etiam spiritus sua vel incrementa capit, vel patitur detrimenta. Nam semper in robusto et vegeto corpore animus mollior atque tepidior jacet; et rursum in corpore debili et infirmo fortior viget promptiorque spiritus. Quod se utique in se expertum contestans Apostolus, *Quando infirmor, inquit, tunc fortior sum*: sed et libenter gloriatur in infirmitatibus suis, *Ut inhabitet in me, ait, virtus Christi* (II Cor. xii, 9, 10).

**256** 6. Quod quidem sic astruimus exemplis, ut

(695) Sic cum Bernardo veteres passim, non, *In odorem*. Neque enim sponsa in odorem currit, sed in odorem currit ad sponsum. Petrus Venerabilis infra in epistola 264, et tractus odore unguentorum tuorum.

(696) Scripta anno Christi 1134.

(697) Id est Grossum quod intelligitur tum ex eo

A probemus et oculis, dum in te, pater, manifestum sit nobis quod dicitur: *cujus quippe et si homo exterior corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem* (II Cor. iv, 16). Unde etenim tantus ardor innovandi ordinis, nisi ex renovatione mentis? Sic bonus homo de bono thesauro suo profert bona (Matth. xii, 35); sic arbor bona fructus bonos facit (Id. vii, 17). Primi et purissimi fructus tui. Sed quænam arbor hos protulit: nisi puritas cordis. Alioquin quando impurus animus tanto studio Regulæ inquireret eligeretque puritatem? Nec de turbido fonte limpidus emanat rivus, nec de sordida mente munda cogitatio. Intus est procul dubio, intus est quod delectat: et ex illa plenitudine intrinseca erumpit totum quod foris exuberat: atque in mente fulget, quod sic placet in opere.

7. Sequimini, filii, patrem: imitatores ejus estote, sicut et ipse Christi. Dicite: *In odore* (695) *unguentorum tuorum curremus* (Cant. i, 3): siquidem bonus odor Christi est in omni loco (II Cor. ii, 14). Nam ut taceam de vobis, qui præsentibus cominus percipitis fragrantiam; tanta ad nos usque, qui longe absumus, ex studiis ejus bonis pervenit hujus suavissimæ respersionis ubertas, ut nobis certissime fiat odor vitæ ad vitam. Puto quod et in cælestibus jam persenserint odorem suavitatis, et quadam solito festivo exultatione decantent: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula sumi, ex aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii?* (Cant. iii, 6); et illud: *Emissiones tuæ paradisi malorum puniceorum cum pomorum fructibus* (Cant. iv, 13). Quicumque inter vos hunc in cælis jubulum non audit, invidet: quisquis hunc non sentit odorem, ut omnium pace dixerim, putet.

#### EPISTOLA CCLV (696).

AD LUDOVICUM REGEM FRANCORUM (697).

*Monet regem, ne concilium hoc tempore Ecclesiæ et regno tam necessarium, ipsiusque regis honori cessurum, impediat.*

LUDOVICO, Dei gratia excellentissimo regi Francorum, BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, fidelis suus, salutem a Rege regum, et Domino dominantium, ipsi, et dilectæ ejus, et filiis ejus.

1. Regna terræ et jura regnorum tunc sane suis dominis atque illæsa persistunt, si divinis ordinationibus ac dispositionibus non resistunt. Cum domine, irascitur furor tuus contra Dei electum quem tua quoque sublimitas suscepit, et præelegit tibi quidem in patrem, filio autem tuo etiam in Samuelem? Armatur regia indignatio, non plane in extraneos, sed in semetipsam et suos. Non mirum si, juxta Scripturam, *Ira viri justitiam Dei non operatur* (Jac. i, 20); quæ propriæ quoque utili-

dicibus manuscriptis in quibus hæc epistola collocatur post epistolam 126 ad episcopos Aquitanie; tum ex ipso contextu, cum dicitur filio suo elegisse papam in Samuelem, quod de Innocentio II intelligendum, qui Ludovicum Junioem Remis inunxit anno 1131.



tatis, sed dignitatis, sed salutis facit sæpe ut nec manifestum omnibus advertas periculum, sentias damnum. Colligitur concilium (698). Quid in hoc detrahatur regiae gloriæ, regni utilitatibus? Ibi universæ Ecclesiæ commendabitur ac rememorabitur excellentiæ vestræ prompta et specialis devotio, quod regum primus, aut certe inter primos, rabiei persequentium eandem matrem vestram strenuissime et christianissime defendendo obviastis. Ibi, gloriose, ab ingenti illa multitudine debitæ gratiæ referentur vobis: ibi a millibus sanctorum orabitur pro vobis et vestris.

2. Alias autem quam sit hoc tempore necessarius conventus episcoporum, nullus ignorat, nisi qui durus corde matris Ecclesiæ angustias non attendit. At calor, inquiunt, nimius est. Quasi nos glacialia corpora habeamus. An corda nobis magis congelata sunt, et nemo est qui, juxta prophetam, compatiatur super **257** contritione Joseph? (*Amos* vi, 6.) Sed hæc alias. Nunc autem ego minimus in regno vestro, sed dignitate, non fidelitate, dico vobis: Non expedit velle impedire tantum et tam necessarium bonum. Nec desunt evidentes causæ, quibus id manifestum facere possem, quas et nunc proferre in medium ad manum mihi est, nisi quod sat arbitror dictum sapienti. Tamen si quid ex apostolicæ auctoritatis rigore processit, unde se merito esse turbatam celsitudinis vestræ serenitas arbitretur; qualiter hoc ipsum revocetur, aut temperetur, prout oportet ad honorem vestrum, fideles vestri qui aderunt [*al. male, adhærent*] totis viribus enitentur. Inter quos nos quoque, si quid possumus, non dissimulabimus.

### EPISTOLA CCLVI (699).

AD DOMINUM PAPAM EUGENIUM.

*Excitat Eugenium ad suppetias orientali Ecclesiæ ferendas; nec abjiciendum animum ob acceptam cladem in amissione civitatis Edessæ. Miratur vero se Carnoti in ducem belli electum.*

1. Non est leve verbum quod sonuit: triste satis et grave est. Et cui triste? Imo cui non triste? Soli filii iræ iram non sentiunt, nec tristantur tristibus, sed lætantur et exsultant in rebus pessimis. De cætero communis tristitia est, quia communis est causa. Bene fecistis justissimum zelum nostræ gallicanæ Ecclesiæ collaudando, et corroborando auctoritate litterarum vestrarum. Non est, dico vobis, in causa tam generali et tam gravi tepidandum, sed ne timide quidem. Legi apud quemdam sapientem: « Non est vir fortis, cui non crescit animus in ipsa rerum difficultate (*SENECA*, in epist. **22**, ad *Lucillum*). » Ego autem dico, fideli homini magis et inter flagella fidendum. Intraverunt aquæ usque ad animam Christi, tacta est pupilla oculi eius. Exserendus est nunc uterque gladius (700) in

(698) Pisanum intellige anno 1154 celebratum, ad quod rex præsulēs Gallicanos accedere prohibebat obtentu caloris immodici.

(699) Scripta anno Christi

A passione Domini, Christo denuo patiente, ubi et altera vice passus est. Per quem autem nisi per vos? Petri uterque est, alter suo nutu, alter sua manu, quoties necesse est, evaginandus. Et quidem de quo minus videbatur, de ipso ad Petrum dictum est: *Converte gladium tuum in vaginam* (*Joan.* xviii, 11). Ergo suus erat et ille, sed non sua manu utique educendus.

2. Tempus et opus esse existimo ambos educi in defensionem orientalis Ecclesiæ. Cujus locum tenetis, zelum negligere non debetis. Quale est hoc, principatum tenere, et ministerium declinare? Vox clamantis: « Venio Jerosolymam iterum crucifigi. » (*EGESIPPUS*, *De excid.* lib. iii, cap. 2.) Ad quam vocem etsi alii tepidi, alii et surdi sint; successori Petri dissimulare non licet. Loquetur et ipse: *Etsi omnes scandalizati fuerint, sed non ego* (*Matth.* xxvi, 35); nec terrebitur damnis prioris exercitus, quibus magis resarciendis operam dabit. Numquid ideo non debet facere homo quod debet, quia Deus facit quod vult? Ego vero pro tantis malis, tanquam Christianus et fidelis, meliora sperabo, et omne gaudium æstimabo, quod in varias tentationes incidimus (*Jac.* i, 2). Revera panem doloris comedimus, et potati sumus vino compunctionis. Quid diffidis, amice sponsi, quasi non more suo vinum bonum servaverit usque adhuc benignus et sapiens sponsus? Quis scit si convertatur et ignoscat Deus, et relinquat post se benedictionem (*Joel.* ii, 14). Et certe sic operari, sic judicare superna divinitas solet: scienti loquor. Quando magna bona mortalibus provenerunt, quæ non magna prævenerint mala? Nam, ut cætera taceam, nonne illud unicum et singulare beneficium nostræ salutis præcessit mors Salvatoris?

3. Tu ergo, amice sponsi, amicum te in necessitate probato. Si triplici illo amore, de quo tuus interrogatus est prædecessor (*Joan.* xxi, 15-17), tu quoque toto corde, tota anima, **258** tota virtute Christum diligis, ut oportet, nihil reservabis, nihil dissimulabis in tanto periculo sponsæ ejus: sed quidquid habes virium, quidquid zeli, quidquid sollicitudinis, quidquid auctoritatis, quidquid potestatis, impendes. Singulare periculum singularem exigit operam. Fundamentum concutitur, et tanquam imminenti ruinæ totis est nisibus occurrendum. Et hæc propter vos, fidenter quidem, sed fideliter dicta.

4. De cætero verbum illud quod jam, ni fallor, audistis: quomodo videlicet in Carnutensi conventu (701) (quonam iudicio satis miror) me quasi in ducem et principem militiæ elegerunt, certum sit vobis nec consilii mei, nec voluntatis meæ fuisse vel esse; sed nec possibilitatis meæ (quantum metior vires meas) pervenire usque illuc. Quis sum ego, ut disponam castrorum acies, ut egrediar ante facies armatorum?

(700) De duplici hoc gladio legeris librum *De consideratione*, cap. 3 et *Ad milites Templi*, cap. 2.

(701) De hoc conventu, qui anno 1146 coactus est, legendæ Petri Venerabilis et Sugerii epistolæ.

aut quid tam remotum a professione mea, etiamsi vires suppeterent, etiamsi peritia non deesset? Sed neque hoc meum est vestram docere sapientiam: nostis hæc omnia. Tantum obsecro per illam charitatem, qua mihi specialiter debitores estis, ne me humanis voluntatibus exponatis; sed, sicut singulariter vobis incumbit, divinum consilium perquiratis; et operam detis, ut sicut fuerit voluntas in cælo, sic fiat.

## EPISTOLA CCLVII (702).

AD EUMDEM, PRO FRATRE PHILIPPO.

1. Est negotium quod cæteris non miscemus (703), quoniam cæteris amplius tangit et angit nos, et eget singulari propriæ precis instantia. Philippus noster cum se exaltavit, humiliatus est: sed cum se humiliavit, non est exaltatus, quasi utrumque pariter Dominus non dixisset (*Math. xxiii, 12*). Rigor est, sed sine dispensatione; iudicium, sed sine misericordia. Multi (quod negandum non est) sic mensuraverunt: sed nullus ita sibi voluit mensurari. Si autem in qua mensura mensi fuerimus, remetietur nobis (*Matth. vii, 2*); erit profecto iudicium sine misericordia ei qui non fecerit misericordiam. Capax est vester apostolatus rei utriusque, et zeli scilicet et miserationis. Et honor quidem majestatis iudicium diligit: sed absit, ut ad præiudicium mansuetudinis. Quanquam dispensator ille, cuius laus est in Evangelio, elegit potius fraudem facere suo domino, quam proximo non misereri. Denique pro centum nunc quidem octoginta, nunc vero quinquaginta redhibuit. Juste laudatus est, qui domino suo rerum maluit, quam personarum iacturam facere. Et quia dignus est qui sic operatur, mercede sua; uno tali opere quos ille retinuit servos, iste sibi fecit amicos (*Luc. xvi, 1-8*).

2. Quid facimus? Videmur intrasse causam, non porrigere precem. Non expedit ita. Si pergimus ista dicere, iudicium provocamus, non misericordiam. Nulla mihi fiducia in argumentationibus istis, non plus quam in telis araneorum. Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum (*Prov. i, 17*). Novi quam validiora valeant mihi responderi, præsertim a tali ingenio. Quamobrem arma mea preces pauperum sunt, et abundamus in genere isto. His cedat necesse est machinis turris fortitudinis, etsi alias inexpugnabilis. Non repellat pauperum preces pauperum pater, paupertatis amator. Quinam isti? Non sum solus; et si solus, fortasse præsumere possem. Omnes filii vestri qui mecum sunt, et qui mecum non sunt, mecum tamen sunt in hac supplicatione. Quis numeret eos? Solus sane frater Philippus exci-

pitur, qui nec postulat, nec petit postulari, et an velit, ignoro: magis, quod in se est, elegit abjectus esse in domo Dei sui. Sed nec nos quidem pro homine, sed pro Ordine postulamus, cui 259 dispensationem in eo factam non parum profuturam confidimus.

## EPISTOLA CCLVIII.

AD EUMDEM, PRO FRATRE RUALENO (704).

*Rualenum, jussu Pontificis abbatem Sancti Anastasii constitutum, sed invitum admodum ac renitentem, remitti ad se rogat.*

In veritate comperimus Rualenum nostrum nedum requiescere in quo positus est, sed nec aliquando requieturum confidimus. Quamobrem opus est maturato remedio, non solum illi, sed et mihi. Uror, dico vobis, quandiu ille in scandalo est. Nolite mirari hoc; una anima sumus, nisi quod ego mater, ille filius: nam patris in eo cessi vobis et nomen, et auctoritatem. Solus qui transfundi non potuit, mihi remansit affectus, qui me excruciat. Mater autem non potest oblivisci filii uteri sui (*Isai. xlix, 15*). Id me fuisse quis dixerit? ego adhuc esse sentio. Clamat matrem pectus triste, et continuus dolor cordis mei pro eo. Quæritis de quo querar? De me. De vobis nihil queror, sed vobis. Ego, ego sæva et pia mater propriis visceribus non peperci, ut castificarem cor meum in obedientia charitatis. Inmolavi de sinu meo chari pignoris hostiam: et non in angaria, fateor, sed in voluntate mea parvi voluntati, quæ quos vult, angariat. At ille non ita. Renitebatur, quamvis frustra, plane angariatus tam a me, quam a vobis. Numquid ego timere potui tanta obstinatione semper renisurum? Pii cordis est cedere importunitati, quæ ad id quod oportet adduci non patitur. Alioquin invitum tenere ad quod invitum tractus est, durum pro illo, fructuosum nemini est. Porro occupare locum, et non facere fructum, nec loco expedit, nec vos decet, nec nos. « Nemo, » ut ait beatus Ambrosius, « invitum bene facit, etiam si bonum est quod facit: quia nihil prodest spiritus timoris, ubi non est spiritus charitatis (S. AMBR. in psal. i). » Obsecramus itaque per viscera misericordiæ Dei nostri, exhibete viscera patris; et infantem, dum adhuc vivit, remittite ad ubera matris, cuius fortassis hic totus languor est, quod sit præpropere ablactatus. Melius enim vivere sinitur, quam dividitur. Quæ utilitas in sanguine ejus? Unum scio: non patris, non matris illa vox erit, *Nec mihi, nec tibi sit, sed dividatur (III Reg. iii, 26)*. Hoc vos forte non timeatis, quia non creditis proventurum. Sed scriptitationes et mussitationes frequentissime venientes in

obiit beatus Bernardus.

(704) Scripta anno 1145. — Rualenus, ex Priore Claræ-Vallis post electionem Eugenii pontificis creatus abbas Romæ apud Sanctum Anastasium, ut in epistola 245, cuius absentiam luget in epistola sua 43. Nicolaus Claræ-Vallensis, ejus præcipue suffragio in Claram-Vallem admissus, qui postea ejusdem nomine varias epistolas scripsit, in his 23 et 25, quæ perperam Rivallis titulum loco Rualeni præferunt.

(702) Scripta anno Christi 1146.

(703) Hinc colligitur, hanc epistolam eodem tempore missam cum superiori in gratiam Philippi, de quo hæc leguntur in Catalago Priorum Claræ-Vallensium: « Philippus, qui fuerat episcopus Tarentinus, et tempore schismatis degradatus, » nempe quod Anacleto adhæsisset, « venit ad Claram-Vallem: cui de misericordia concessum est esse in officio diaconi. » Hæc istius epistolæ causa. Prior erat quando

manus nostras, plenæ sunt timore isto, minitantes A hominis fugam et divisionem, vel potius diruptionem, non modo a vobis, sed et a nobis.

## EPISTOLA CCLIX (705).

AD EUMDEM.

*Unde supra. — Se eadem velle, et eadem nocte cum Pontifice; adeque Rualenum suum libenter sistere jubenti Pontifici ad abbatiam Sancti Anastasii.*

Etsi quid aliquando volui, quod velle me nolulistis; ansuetudinis vestræ dignatio eo me provocat, ut quod vultis, non modo velim, sed et avide velim. Placet vobis ut frater Rualenus abbas sit apud Sanctum Anastasium? et mihi placuerat et ante: sed quia nimis ille nolebat, placitum in non placitum venit. Porro vestro beneplacito non connivente, rursum, ut justum est, non placitum in placitum redit. Experiri licet. Factum est quod præcepistis, non quia præcepistis, sed quia voluistis. Ex voluntate ergo, et non quasi ex tristitia, vel ex necessitate. Executio maturata mandati **260** obedientiam probat: de voluntate stilus interrogetur. Si contentus forem mandatum facere, nonne juxta verbum Domini servus inutilis essem, solvens debitum? (*Luc. xvii, 10.*) Nunc autem quia adjeci velle; jam non servus, sed filius.

## EPISTOLA CCLX (706).

AD RUALENUM ABBATEM.

*Compatitur Rualeno in demandata sibi præfectura, cui tandem acquiescendum monet.*

Satis superque afflixit nos absentia tua, Rualene charissime: sed longe magis comperta tua tristitia turbati sumus. Etenim justius te, quam nostram de te desolationem seu destitutionem plangere nobis videmur. Et desolatio quidem non parum damnosa, et non parum molesta, nempe tam dulci filio, tam utili fratre, tam necessario adjutore. Verum quo verius ista de tua amabilitate memoramus, affectuosius compatimur mœrori tuo, pluris multo habentes tuum incommodum, et longe ægrius ferentes, quam nostrum damnum. Denique non dissimulavimus, non quievimus, non siluimus, tentantes super hoc Deum pene usque ad irritandum summum et sanctum Pontificem, ut quomodocunque, vel cum nostro periculo te revocarem. Sed quia adhuc frustrati sumus in cunctis molitionibus et conatibus nostris; D superius tandem judiciis vel fatigati cedentes, et dantes potentis manus, quoniam quod volumus non valemus, id velle cogimur, quod possumus. Tu igitur, frater charissime et desideratissime, confortare in Domino, et noli jam contra stimulum calcitrare: ne dum pungeris tu, plurimi qui te in Domino pluri-

(705) Scripta anno Christi 1145.

(706) Scripta eodem anno.

(707) Incertum quæ ista abbatia, quæ erat ordinis Cisterciensis, sita vel in ipsa, vel non longe a dicecesi Catalaunensi, ubi monasterium Sancti Urbani, cujus mentio infra, quod Herchenraus Catalaunorum episcopus anno 865 construxit, teste Herico monacho in libro de Miraculis S. Germani Antissiodorensis, cap. 14.

mum amant, pariter compungantur. Parce tibi et nobis, qui tui amore nec ipsi nobis pepercimus: magis autem induere fortitudine, confidens et sciens quia gaudium Domini fortitudo tua. Induere lætitiæ salutari, ut et nos de tua jucunditate lætantes, hilarem datorem diligenti Deo, tum pro tua pace, tum pro nostra consolatione laudes et gratias referamus.

## EPISTOLA CCLXI.

AD DOMINUM PAPAM EUGENIUM.

*Abbatem Sancti Urbani, ob susceptum militem Templi censuris subjectum, absolvi petit.*

Unus de militibus Templi voluit monachari in Ordine nostro: nec defuerunt de nostris, qui ei in tali voluntate assentirent. Sed cum non auderent eum in suis claustris recipere, quoniam non licebat, occulte eum duxerunt ad quamdam abbatiam, quæ dicitur Vallis (707), mandantes et suggerentes abbati, ut nigrum habitum de alio Ordine monachorum faceret ei tradi; et sic eum reciperent, nostrumque illi darent. Et factum est ita. Res nobis innotuit, et per nos delata ad capitulum est. Capituli decreto frater ille foras missus est. At fratres de Templo minime hoc contenti, litteras nihilominus a vestra majestate episcopo Catalaunensi attulerunt, quibus abbatem Sancti Urbani (nam is est qui militi habitum tradiderat) ab introitu ecclesiæ suspenderet, donec se vestro conspectui præsentaret. Inde est quod abbas de Vallibus, quo rogante ille hoc fecit, nil mali suspicatus, compulsus est in magna anxietate animi fratrem latorem præsentium mittere ad pedes misericordiæ vestræ, ut qui per eum intricatus est, per eum expediatur: si tamen hoc tam ipse, quam etiam nos alii filii vestri, a vestra sancta Paternitate potuerimus promereri.

**261** EPISTOLA CCLXII.

AD EUMDEM PRO MONACHIS MOSOMENSIBUS (708).

Non possum deesse [*al. add. denuo*] domino Remensi in petitione sua, præsertim cum digna sit exauditu. Rogamus proinde, et omni instantia supplicamus pro pauperibus monachis Mosomensibus, ut ab oppressione quam sustinent, sicut per latorem præsentium nosse poteritis, citius liberentur et ab eis injuriæ sive calumniæ malignantium in manu vestra valida propulsentur. Hoc enim est pro quo pauperes de longe miserunt clamantes ad vos. Jam quale responsum a vobis oporteat reportari, doceat vos amantium tam justitia, quam paupertas; et præfati viri, qui pro eis intervenit, et vos non parum diligit, reverentia.

(708) In codice Cisterciensi, *Pro Samsone Remensi archiepiscopo*. Sed perinde est, cum epistola scripta sit rogatu Samsonis in gratiam monachorum Mosomensium, quod monasterium est insigne beate Mariæ ad Mosam, diocesis Remensis, sub Benedictina Congregatione Sancti Vitoni. Cæterum nihil de hoc negotio legitur in Chronico Mosomensi, Spicilegii tomo VII.

## EPISTOLA CCLXIII.

EPISCOPO SUESSIONENSI PRO ABBATE CAZIACENSI (709).

Porrexeram preces, cum possem forte jubere, et me putaveram exauditum. Sed quia comperi non ita esse, mihi videor non jam simpliciter fore communiterque petendum, sed clamandum in vociferatione: neque enim tenuiter seu æquanimitè ferò repulsam, quam hactenus expertus non sum. Facite itaque quod debetis, facite quod soletis: nam consuetudo debitorem vos fecit. Facite, inquam, etsi non quia rogamini, certe quia jubemini. Itaque revertimini ad iudicium. Nec enim iustitiæ videtur esse, ut vir religiosus, et amicus noster et filius vester, abbas Caziacensis, quod juris est monasterii sui perdat propter verbum incaute a se inconsultè prolatum, et absque ecclesiæ suæ assensu. Quamquam etsi illi verbo omnino pertinaciter adhæreat adversarius, utpote iustitiæ non confidens; justo, ut putamus, iudicio prædicto abbati non debet obesse: cum viri illi, in quorum conniventia [*id est arbitrio*] res posita est, non concordasse, sed potius dissensisse sciantur. Ex hoc credimus, quia non contristabitis nos, neque conturbabitis. Sic Deus lætificet animam vestram, sic vos ab omni perturbatione conservet, Pater amande et honorande, et si omnibus servis Christi, sed nobis specialiter.

## EPISTOLA CCLXIV (710).

PETRI CLUNIACENSIS ABBATIS AD BERNARDUM ABBATEM.

*Suum erga Bernardum desiderium indicat, et in solatium absentia dilectum sibi Nicolaum mitti obnixè postulat.*

Forti ac splendide monastici Ordinis, imo totius Ecclesiæ Dei columnæ, domino BERNARDO Claræ-Vallis abbati, PETRUS humilis Cluniacensis abbas, salutem quam repromisit Deus diligentibus se.

Si liceret, si Dei dispositio non obstaret, si in hominis potestate esset via ejus; maluissem charissimæ Beatitudinis tuæ nexu indissolubili adhærere, quam principari inter mortales alicubi, vel regnare. Quid enim? nonne regnis omnibus terrenis præferri a me deberet grata non solum hominibus, sed et angelis ipsis cohabitatio tua? Concivem te illorum si dixerò, licet nondum spes in rem transierit, per misericordis Dei gratiam mendax non ero. Si plane mihi datum fuisset usque ad ultimum spiritum tecum hic esse, daretur fortassis posthac et ubi esses etiam perpetuo esse. Quo enim currerem nisi post te, tractus odore unguentorum tuorum a te? Quod quia semper non datur, utinam vel sæpe daretur! Et quia nec illud est, utinam saltem frequenter videam missos a te! Et hoc quoque quia raro **262** contingit, volo ut vel in proximo Sanctitas tua

(709) Simone scilicet, de quo epistola 295. Inscripta est hæc epistola in antehac editis et quibusdam manuscriptis, *Ad eundem*, id est ad Eugenium. At lectionem nostram præferunt codices Cistercienses et Vallis-Claræ præter alios, et quidem meo iudicio rectius inscripta est *Episcopo SueSSIONENSI* Josleuo, in cujus diocesi Caziacum, Ordinis S. Benedicti ad Matronam. Forsan de Simonis

A amantem se per suum Nicolaum (711) usque ad Octavas Domini mecum mansurum visitet, in quo tuus, ut mihi videtur, ex parte et meus ex toto spiritus requiescit. Videbo te, sancte frater, in illo audiam te per illum, et quædam, quæ secreto notificari volo sapientiæ tuæ, mandabo per ipsum. Sanctæ animæ tuæ, sanctisque sub regimine tuo omnipotenti Domino servientibus, me nostroque, quantis possum precibus, quanta possum devotione commendo.

## EPISTOLA CCLXV (712)

RESCRIPTUM BERNARDI ABBATIS AD EUNDEM.

*Laudari detrectat, velut indignus: vicissim tamen laudes præconi suo rependit.*

Quid facis, o bone vir? Laudas peccatorem, miserum beatificas! Restat ut ores, ne inducar in errorem. Inducor autem, si tantis delectatus præconiis, ignorare me cœpero. Propemodum id mihi contigerat visis litteris Beatitudinis tuæ et beatificationis meæ. Quam beatus nunc essem, si verbis beari possem! Beatum tamen me dixerim, sed favore tuo, non meis laudibus. Beatum, quod diligo a te, quod diligo te. Quamquam et hanc mihi, dulcem licet, buccellam liquandam arbitror, nec omnino plenis, ut aiunt, buccis admittendam. Miraris cur hoc? Nempe non video in me unde tantum diligi meruerim, præsertim a tanto. Scio autem quia plus justo velle diligi, minus est a justo. Quis mihi det tantæ humilitatis insigne tam imitari posse, quam admirari? Quis mihi tribuat sancta et desiderata præsentia tua, non dico semper, non dico sæpe, sed vel semel in anno frui? Puto quia nulla vice reverterer vacuus. Non, inquam, frustra conspicerem virtutis exemplar, disciplinæ summam, speculum sanctitatis: quodque minus usque adhuc a Christo didicisse me fateor, non incassum fide oculata perciperem, quam sis et tu mitis, et humilis corde. Verum si tibi pergo facere, quod a te mihi factum queror; etsi veritatem dicam, veritatis tamen legi non concordabo, in qua legitur: *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris* (Tob. iv, 16). Itaque jam respondeamus petitionculæ vestræ, qua epistolam conclusistis. Is quem mitti vobis jubetis, modo mecum non est, sed cum domino Autissiodorensi; et ita infirmus, ut sine nimio incommodo nec ad nos usque posse adhuc venire dicatur.

## EPISTOLA CCLXVI.

AD SUGERIUM ABBATEM SANCTI DIONYSII (713).

*Animat eum, ut mortem intrepidus excipiat. Desiderium suum ejus ante mortem visendi significat.*

Charissimo et intimo amico suo SUGERIO, Dei gratia abbati Sancti Dionysii, frater BERNARDUS

hujus dejectione intelligenda est Petri Cellensis lib. II epistola 14.

(710) Scripta anno Christi 1149.

(711) Vide epistolam 298, et Petri Venerabilis librum III, epist. 33-35.

(712) Scripta anno Christi 1149.

(713) Scripta anno 1151. — Sugerium Bernardus hortatur ad mortem alacri animo excipiendam, quæ

gloriam quæ ab intus est, et gratiam quæ desuper venit.

1. Homo Dei, ne trepides exuere hominem illum qui de terra est, illum qui te deprimit usque ad terram, et conatur deprimere usque ad inferos. Iste est qui vexat, qui onerat, qui oppugnat. Quid tibi et terrenis exuviis, qui ad cælum iturus, siola gloriæ mox indui habes? Præsto est, sed vestito non dabitur: vestire novit illa, non supervestire. Sustine ergo patienter, imo libenter accipe nudus et non vestitus inveniri. Denique et Deus ipse vult vestiri: sed cum nudus, non cum vestitus est. Homo Dei non revertetur ad Deum, nisi is qui de terra est et terra est, in terram ierit. Hi enim duo homines sibi invicem adversantur, **263** nec erit pax, donec ab invicem separentur: et si pax fuerit, non erit pax Domini, non erit pax cum Domino. Non es tu de illis qui dicunt: *Pax, et non est pax* (*Ezech. XIII, 10*). Te exspectat pax illa, quæ exsuperat omnem sensum; te exspectant justi donec retribuatur tibi; te exspectat gaudium Domini tui.

2. Et ego quidem, charissime, vehementer afficior ante videre te, ut benedictio morituri veniat super me. Et quoniam non est in homine via ejus, non audeo, unde certus non sum, pro certo polliceri: sed quod nondum video, quomodo possim, satis ago ut possim. Forte veniam, forte non veniam. Sed quodlibet horum sit, dilexi a principio, diligam sine fine. Fidenter dico, non possum perdere sic dilectum usque in finem. Non mihi perit, sed præit, **C** cujus animæ mea adhæsit glutino quod non dissipabitur, et vinculo quod non dirumpetur. Tantum memento nostri cum perveneris quo nos prævenis: ut et nobis cito detur venire post te, et ad te pervenire. Interim tamen nullatenus putes quod tua dulcis memoria recedat a nostra, etsi præsentia dolentibus subtrahatur. Quamquam potens est Deus te adhuc

accidit anno 1152, ut testatur Chronicon Dionysianum his verbis: « Hic est annus ultimus felicitatis recordationis Sugerii abbatis. Verum quia a conditione moriendi nemo excipitur, cum valetudine qua mortuus est, vexari cœpisset, fratrum manibus sustentatus est, et in capitulum se duci poposcit: ubi post verba ædificationis, cum lacrymis et gemitu omnium pedibus provolutus fratrum se iudicio exposuit, lacrymabiliter postulans ut quod in eos deliquerat, vel negligentius egerat, respectu pietatis ei relaxarent. Quod fratres omnes cum maxima devotione et copiosa lacrymarum effusione gratantissime fecerunt. Transit autem idem venerabilis pater inter verba Dominicæ Orationis et Symboli, die Iduum Januarii, septuagesimo ætatis suæ anno, a susceptione monastici habitus fere sexagesimo, prælationis vero suæ vigesimo nono: cujus sepulturæ et exsequiis interfuerunt sex episcopi cum multis abbatibus, Christianissimoque rege Francorum Ludovico, ubi et pietatis memor, et immemor regiæ celsitudinis, dum sepeliretur, amarissime flevit. » Huc usque Chronicon. Inscriptum est hoc ejus sepulcro epitaphium, HIC JACET SUGERIUS ABBAS: breve quidem, sed solo Sugerii nomine totum exprimens Sugerium. Eum egregie laudat Robertus Herefordensis in epistola 216 inter Sugerianas. Elegantissimum evulgavit Franciscus Chiffletius, a Simone Capra-Aurea San-

nobis donare rogantibus, servare indigentibus: quod utique non est diffidendum.

#### EPISTOLA CCLXVII.

ABBATI CLUNIACENSI.

Filius vester frater Galcherus, factus est et noster, secundum regulam illam: *Omnia mea tua sunt, et tua mea* (*Joan. XVII, 10*). Non sit minus familiaris, quia communis: sed si est quod possit alia gratia, sit familiarior atque acceptior, ut mihi, quia vester est; sic vobis, quia noster est.

#### EPISTOLA CCLXVIII.

AD DOMINUM PAPAM EUGENIUM.

*Monet promotionem cujusdam indigni subreptitie factam, adeoque revocandam sententiam.*

**B** Alii vereantur majestatem in vobis, et tremulis labiis ac digitis quod ad rem pertinet, vix ad id unquam longis ambagibus anfractibusque perveniant. Ego certe utilitatem vestram et honorem vestrum tantummodo attendens, rem, ut est, nûde et aperte illico aperio; et sine cunctatione et obvolutione, tanquam uni nostrum, apostolico, quod opus est, intimare non vereor. Subreptum est vobis, et graviter: quod non dubius affirmaverim. Quis vobis suggestit hominem de ambitione notatum, convictum, condemnatum, ad ecclesiasticam cogere dignitatem? Quasi non satis per se ipse se ingerere voluisset. Nonne is est, quem sanctæ memoriæ Lambertus episcopus (714) deprehensum in maleficiis detestandis, quæ ipse stimulante ambitione perpetrarat, non solum a gradu, in quo erat, sed a spectotius promotionis solemniter, ut debuit, degradavit? Non est nisi revocare sententiam, et propter anxietatem sanctorum fratrum de Corona, qui pro hoc clamant ad vos, et ob reverentiam episcopi sancti et docti, qui in hac re auctor exstitit: sed et propter conscientiam, conscientiam dico vestram, non alterius. Unum restat, ut hoc et pro mea con-

cti Victoris Parisiensis canonico compositum.

*Decidit Ecclesiæ flos, gemma, corona, columna,*

*Vexillum, clypeus, galea, lumen, apex,*

*Abbas Sugerius, specimen virtutis et aequi,*

*Cum pietate gravis, cum gravitate pius.*

*Magnanimus, sapiens, facundus, largus, honestus,*

*Judiciis præsens corpore, mente sibi.*

**D** *Rex per eum caute rexit moderamina regni.*

*Ille regens regem, rex quasi regis erat:*

*Dumque moras ageret rex trans mare pluribus annis,*

*Præfuit hic regno, regis agendo vices.*

*Quæ duo vix alius potuit sibi jungere, junxit,*

*Et probus ille viris, et bonus ille Deo.*

*Nobilis ecclesiæ decoravit, reppulit, auxit,*

*Sedem, damna, chorum, laude, vigore, viris.*

*Cui rapuit lucem lux septima Theiophaniæ,*

*Veram vera viro Theiophaniâ dedit.*

Prolixum et elegans ejus elogium a Patribus congregationis S. Mauri litteris aureis laminæ æræe inscriptum est. Plura de eo in notis ad epistolas 78 et 369.

(714) Engolismensis erat episcopus post Gerardum, qua in diocesi situm est monasterium, de Corona Ordinis S. Benedicti. Lambertus laudatur in libro quarto de Vita Bernardi, n. 29.

scientia inferam : irascimini, et nolite peccare (Psal. iv, 5). Peccatis enim, si non irascimini tanti suggestori mendacii, tam indignæ sententiæ subreptori.

## 264 EPISTOLA CCLXIX.

AD EUMDEM.

*Litteris a se per dolum extortis robur et auctoritatem derogat.*

Serpens decepit me. Homo versipellis et versutus, justitiæ inops, audientiæ fugitans, propriæ conscientie inimicus, fraternæ incubans injuriæ, nescienti mihi litteras pro se per dominum Belvacensem (715) elicit. Quid enim ille a me non obtineret? Si non vultis ultra modum onerare conscientiam meam, nil lucretur subreptione dolosus, nec de litteris nostris opprimat innocentes. Quanquam ne hoc quidem mihi satis fuerit, nisi et pœnam portet quam meruit subreptor malignissimus, et avarissimus exactor.

## EPISTOLA CCLXX (716).

AD EUMDEM

*Scribit in causa Prioris Cartusiani contra transgressores quosdam. Mortem abbatis Cisterciensis nuntiat, et successorem commendat.*

1. Qui tentant nos, non dormitant, neque dormiunt. Quomodo nunc de novo persecuti sunt in montibus, insidiati sunt in deserto? Cartusienses turbati sunt (717): turbati sunt et moti sunt sicut ebrius, et propemodum omnis sapientia eorum devorata est. Scias, domine mi: inimicus homo hoc fecit. Quid dico, fecit? et adhuc facit. Adhuc fiduciam habet, ut et illa sanctitas influat in os ejus. Esca ejus electa: nosti optime. Quosdam jam prævaricatores constituit: alios, quos per se expugnare non poterat, per illos impugnat bello domestico et intestino. Ab ipsa fundatione loci et Ordinis non est auditum, ut quis exiens, sine satisfactione reciperetur. Qui male

(715) Arnulfus de Maiole, ut puo; de quo in epistola 278.

(716) Scripta anno Christi 1151.

(717) Causam aperuit auctor Vitæ gallicæ S. Bernardi, libro vi, cap. 10, ex Vita S. Anthelmi seu Nanthelmi, primo quidem majoris Cartusie Prioris, demum episcopi Bellicensis, repetitam. « Cum enim, » ut ibi dicitur, « daret operam novus Prior Anthelmus, ut si quid sancti Ordinis pristina religio et observantia accepisset detrimenti, id ad pridem conscriptas Constitutiones reformaretur; negligentem si quidem cerneret aut contumacem, admonitionibus blandis, verbis et minis, præceptis quoque et objurgationibus ad meliorem frugem revocare nitetur. Quod si quis nollet respicere, planeque obstinatus esset, e fratrum sodalitate illum extrudere non dubitabat. Erant enim nonnulli, qui sanas institutiones ejus non ferentes, cum essent grandes in oculis suis, homines maligna mente et in contentiones proclives, illi sese opponere non vererentur. At ille non ferens eorum arrogantiam, ne aliorum pacem et quietem inturbarent, e monasterio eos ejecit. » Quidam vero ex illis, ut credere par est, ad Eugenium confugientes, absoluti et nulli pœnitentiæ obnoxii remissi sunt: qua de re hic Bernardus con-

exierant, pejus reintraverunt, addentes prævaricationem. Quid putas, Pater sancte, illi facturi sunt, quorum egressio in transgressione, regressio in superbia est? Et nunc superbia eorum ascendit semper (Psal. LXXIII, 23). Exsultant in re pessima quam egerunt, insultant injuriam patientibus. Vicere, triumphant: Prior jam non est Prior. Dum superbit impius, incenditur pauper. Exire etiam vult: non potest videre destructionem Ordinis sui. Et jam exisset, si solus exire potuisset. Qui Prior necesse est ut bonus sit: nam quorum innititur consilio, audivimus a bonis bonos esse.

2. Videsne, clementissime Pater, quantum subreptum sit tibi? Nihilne dignum recipiet subreptionis auctor? Si bene te novi, portabit judicium quicumque est ille. Venerunt ad te in vestimentis ovium, in habitu sancto; species decepit te. Quid mirum? et tu homo es. Sed jam prodita in lucem fraude, exurgat zelus, et partes suas viriliter exsequatur adversus malignantes. Non veniat anima tua in consilium eorum: dissipetur consilium Achitophel. Te ipsum custodi. Non est parvis periculi scientiæ subripi, et zelum dormire. Illud excusat ignorantia, hoc negligentia inexcusabile facit. Forte ascendat ex adverso, et aliud persuadere conetur. Mentiatur iniquitas sibi, et non domino meo. Nam hæc veritas; et res sic se habet. Nil vero jucundius, nil justius in judiciis vestris, quam cum se istiusmodi occasio præbet, si qui nocere voluit, cadat ipse in foveam quam fecit, et convertatur dolor ejus in caput ejus et in verticem ipsius iniquitas ejus descendat (Psal. vii, 16, 17). Zelus domini mei faciet hoc. Et priorabitur iterum, ut confido, qui Prior fuit: ut non gloriatur omnis iniquitas. Alioquin (quod non frustra timemus) nisi Prior restituatur in gradu suo, Ordo non diu erit in 265 statu suo. Inspiret Deus vobis paterne accipere ista, et respondere bona ad nostram omnium consolationem, qui valde desolati sumus, et afflicti super vires.

queritur, quod « ab ipsa fundatione loci esset inauditum, ut quis exiens sine satisfactione reciperetur. » Aliam causam assignat Manricus in Annalibus ad annum 1151, cap. 2, ex Petri Venerabilis epistolis (libri vi epistola 12); nimirum contentionem, quæ, Hugone Gratianopolitano episcopo in archiepiscopum Viennensem assumpto, novæ electionis occasione nata est anno 1151 inter varia Cartusianorum cœnobia, Cartusiam, Excubias, Durbonum, Portas, Majoricum, Silvam, et Alverium; aliis dicentibus, « electum non debere episcopari, » et causam illam ad judicia protrahentibus; aliis contra asserentibus, « suum non esse litigare, sed simpliciter quod sentirent dicere, non autem palatia ad causandum intrare. » Verum cum in hac posteriori causa agatur de monasteriorum altercatione, non vero de monachorum rebellionem, quam Bernardus hæc in epistola insinuat, ad priorem potius causam hæc referenda sunt. Quæ ad annum 1151 ideo referimus, quod contigerint paulo post mortem Bainaldi Cisterciensis (ut patet ex hac epistola) abbatis, qui obiit decimo septimo kalendas januarii anno 1150, ut ex Cisterciensi Martyrologio probat Manricus ad annum 1151, cap. 1.

3. Dominus Cisterciensis (718) deseruit nos : plaga magna in Ordine. Mihi vero duplex incumbit mœroris ratio, qui in uno homine et patrem amisi, et filium. Et nunc habemus pro eo dominum Gozvinum Bonæ-Vallis abbatem. Sit beneplaciti vestri confortare eum litteris apostolicis, et quod de eo factum est, vestro roborare favore. Nostis eum, et non est ei apud vos opus commendatore, quem satis commendat vita sua, et sapientia sibi data a Deo. Dominus Valentinus (719) convalet : et ubi valet, operatur bona. Propterea amatores boni diligunt eum, et ipse diligit bonos. In hoc apparet quia bonus est. Vestrum est tales diligere et sovere. Puer vester plus solito infirmatur : guttatim defluit, forte minime dignus qui occidatur semel, et cito ingrediatu ad vitam. •

EPISTOLA CCLXXI (720).

AD COMITEM CAMPANIÆ THEOBALDUM (721).

*Monet filium ob minusculam ætatem ad dignitates ecclesiasticas non esse promovendum.*

Scitis quia diligo vos : sed quantum, novit Deus melius quam vos. Me quoque diligi a vobis non dubito, sed propter Deum : quem si offendero, non erit quod me diligere debeatis, cum jam non fuerit in causa Deus. Quis enim ego sum, ut de me tantillo tantus princeps curetis, nisi quandiu Deum in me esse creditis? Ergo ut offendam eum, fortassis nec vobis expedit. Offendo autem procul dubio, si facio quod requiritis. Nam honores et dignitates ecclesiasticas non ignoro deberi his, qui eas digne secundum Deum administrare et velint, et possint. Porro eas acquiri parvulo filio vestro precibus meis, vel vestris, nec vobis justum, nec mihi tutum esse noveritis (722). Nam nec cuiquam, vel adulto, plures in pluribus ecclesiis habere licet, nisi dispensatorie quidem, ob magnam vel Ecclesiæ necessitatem, vel personarum utilitatem. Quamobrem si vobis videtur hic durus sermo, et placet quod cogitastis implere ; parcite mihi in hoc : nam vos satis, ni fallor, per

(718) Rainaldus, cujus obitus contigit anno 1151, Gozvinum ex abbate Bonæ-Vallis successorem habuit.

(719) Oribertus ex priore Casæ-Dei ; de cujus electione epist. 249.

(720) Scripta anno Christi 1151.

(721) Vide epistolam 37 et sequentem.

(722) In hac epistola attende, lector, et admirare insignem sancti Viri virtutem, zelum et constantiam, qui in re quam sensit Ecclesiæ Dei et suæ conscientie contrariam, magni principis Theobaldi, cui, utpote magno Claræ-Vallensium benefactori, plurimum debebat, votis et desiderio noluit obsequi. Pueros ob natalium splendorem ad dignitates ecclesiasticas promoveri, et plures uni dari graviter conqueritur Bernardus in epistola 42, n. 25. Exstat inter tractatus, ordine secundus, tomo II.

(723) Quartus hic Theobaldi filius, ad Albas-Manus appellatus, qui primo ad sedem Carnotensem evehctus, deinde ad Senonensem, postea ad Remensem, demum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis et legatus in Gallia creatus est. Is sacravit Philippum Augustum nepotem suum, ac in ejus gratiam Alexander III Francorum reges inaugurandi jus Remensi archiepiscopo confirmavit. De eo scribunt Petrus

vos et per alios amicos vestros istud obtinere potestis. Ita nec vos minus quod vultis, efficitis ; nec ego peccavi. Sane Willelmulo nostro (725) cupio bene per omnia : sed ante omnia Deum. Hinc est quod contra Deum nolo aliquid habeat, ne non habeat Deum. Quod si alius secus voluerit, nolo per me habeat, ne perdam et ego Deum. Ubi vero emergerit quod secundum Deum habere possit, probabo me amicum ; et operam meam, si opus fuerit, non negabo. Apud amatorem justitiæ in excusando eo quod pro justitia est, non multum mihi laborandum. Vos autem apud comitissam (724) per ea quæ vobis rescripsi, habete me excusatum. Valet.

EPISTOLA CCLXXII.

EPISCOPO LAUDUNENSI (725).

*Commonet eum piæ liberalitatis.*

Vestri sumus. Si hoc scitis, imo quia non ignoratis, lator præsentium per nos vobis, et per vos aliis omnibus, quos offendisse videtur, efficaciter firmiterque reconcilietur. Alioquin offenditis, quem vestrum non negatis : quod omnino facere non audetis. Ex quo episcopari cœpistis, nullam a vobis adhuc **266**, benedictionem accepimus ; neque sacculum, neque peram, neque calceamenta in pedibus

EUGENII PAPÆ EPISTOLA AD CAPITULUM CISTERCIENSE, EPISTOLÆ CCLXXIII PRÆMISSA (726).

*Capitulo Cistercii habendo se cupere interesse, si per occupationes pontificias liceret. Hortatur ad studium et zelum disciplinæ et perfectionis religiosæ in Capitulo promovendum.*

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis G. (727) Cisterciensi, et universis abbatibus apud Cistercium in nomine Domini congregatis, salutem et apostolicam benedictionem.

1. Optaremus, filii dilectissimi, corporali præsentia sacro vestro interesse collegio, unde sicut vobiscum in unitate sancti Spiritus ambulamus, ita de vivificatione sancti Spiritus et progressionibus

Cellensis, epist. 5, lib. 1 ; Petrus Blesensis, epist. 28, 122, aliique plures.

(724) Mathildem, filiam Engelberti marchionis, fratris episcopi Ratisponensis, ut videtur ex Vita S. Norberti, cap. 32. En locus : « Assumptis itaque legatis comitis Theobaldi, Ratisponam usque eos adduxit Norbertus. Erat enim episcopus ejus civitatis, nobilissimi stemmatis, et habebat fratrem Engelbertum potentissimum marchionem, cui erant nubilis ætatis filix : e quibus una (Mathildis nomine, teste Orderico sub finem libri xiii,) comiti Theobaldo desponsata est. » De Engelberto, ad epistolam 150.

(725) Scripta anno 1152.—Is erat Galterus de Sancto Mauricio, prius abbas Sancti Martini apud Laudunum, anno 1151, suffectus Bartholomæo piissimo episcopo, qui post regiminis annos triginta octo in Fusniacense ordinis Cisterciensis, quod ipse fundaverat, monasterium se recepit. Exstat egregia ejus epistola ad Samsonem archiepiscopum Remensem, qua falsam dilapidationis bonorum ecclesiæ Laudunensis accusationem diluit tum Fusniaci monachus, hic in Appendice hujus tomi.

(726) Antehac epistola 384. Scripta anno Christi 1150.

(727) Scilicet Gosvino abbati quinto Cistercii.

animæ præsentialiter et communiter tractaremus. Quia vero ex divinæ dispositionis arbitrio in medio pelagi ad regendam navim Ecclesiæ constituti, circum sævientium procellarum inundatione contundimur, ut non quod volumus, sed quod nolumus, faciamus; et susceptæ administrationis officio alligamur, unde ad optatum locum gressum flectere non possimus: per spiritum et litteras nostras vobis præsentiam exhibemus, et, quatenus permittitur, charitate ac desiderio vestro nos conventui præsentamus; cupientes quidem, et quanto possumus affectu rogantes, ut et vos conjunctum nobis vestrum spiritum habeatis, et in communi super nos omnipotentis Dei gratiam propensius imploretis. In montis siquidem vertice constituti, ubi undique ventorum flatibus propulsamur, speramus nos ex Dei dono aliquatenus in tanto turbine posse subsistere, si orationum vestrarum interventum apud Deum meruerimus obtinere. Ut autem apud eum de orationibus vestris promptam semper valeamus invenire fiduciam, et quod nostris meritis non valemus, vestris intercessionibus assequamur: optamus charitatem vestram de his quæ ad Deum sunt, de observantia ordinis, de custodia disciplinæ, ita semper fore sollicitam, et contemptis quæ retro sunt, ita se in anteriora unumquemque vestrum extendere, ut nulla nubes in operibus vestris appareat, quæ orationes vestras, quominus ad Deum penetrent, valeat aliquando præpedire.

2. Quoties itaque, filii dilectissimi, convenitis in unum, de corrigendis quæ in aliquibus vestrum corrigenda sunt, et statuendis quæ ad animarum salutem et profectum ordinis fuerint statuenda, communem curam habete, quoniam qui modica spernit, paulatim decidit (*Eccli. xix, 1*); nec ea quæ minora videntur in vobis, incorrecta relinquite. Inutiliter enim portas civitatis obserat [*al. observat*], qui vel unum foramen, unde ingrediantur, hostibus relinquit apertum, dicente scriptura, « Idem facit sentina neglecta, quod ventus irruens; » et: « Vitasti grandia; vide ne obruaris arena. » Respicite, quæso, ad veteres patres, qui nostrum sacrum Ordinem statuerunt; et considerate, qualiter relicto mundo, et contemptis omnibus, mortuis mortuos suos sepelire dimissis, ad solitudinem volaverunt, unde aliis circa frequens ministerium satagentibus, ipsi ad pedes Jesu cum Maria sederunt (*Luc. x, 39, 40*), ut tanto uberius cœleste manna perciperent, quanto longius ab Ægypto discessissent. Ipsi quidem egressi sunt de terra et de cognatione sua; obliti sunt populum suum, et domum patris sui: et quoniam Rex eorum speciem concupivit, crescere fecit eos in gentem magnam, et usque ad extremum **267** terræ propagines eorum extendit, ita quod splendor claritatis eorum universum corpus Ecclesiæ

illustravit; et Sareptana mulier ad eorum vocem innumera vasa de modico oleo, quod habuerat in lecytho, replevit (*III Reg. xvii, 10, 16*). Sane illi primitias Spiritus acceperunt, et oleum suavitatis eorum ad nos usque defluxit.

3. Unde cogitandum vobis est attentius et agendum, ut non degeneretis de eorum virtutibus, sed quales fuistis in germine, sitis etiam in virgulto: et qui ex eis vitæ semina suscepistis, idem cum eis germen afferatis, et fructum. Intuemini qualiter illi, quorum lampades exstinguuntur, de oleo vestro exoptant accipere; et multi, qui computruerunt sicut jumenta in stercore suo, ad respectum supernæ gratiæ regimini vestro committi, et orationibus desiderant commendari. Et quoniam filii sæculi hujus vos renitentes etiam ad regimen sui trahere moliantur, et de quiete contemplationis et deserti silentio volunt vos aliquoties ad occupationes et negotia revocare; ad mentis oculum patrum vestrorum instituta reducite, et propheticum habentes exemplum, eligite magis abjecti esse in domo Dei, quam habitare in tentoriis peccatorum (*Psal. lxxxiii, 11*). Et quia nihil habetis quod non accepistis; de Domino in bonitate, de vobis autem in humilitate sentite, unde illius videamini vestigia sequi, qui ait: *Cum omnia bene feceritis, dicite, Quia servi inutiles sumus* (*Luc. xvii, 10*). Si enim genera linguarum, si gratiam sanitatum, si prophetandi scientiam accepistis; si verba vestra meliora sunt, imo fragrantiora unguentis optimis; si mundus reveretur vos, et in odore unguentorum vestrorum currere delectatur; ejus opus certum est esse, qui ait: *Pater meus usque modo operatur* (*Joan. v, 17*).

#### EPISTOLA CCLXXIII (728).

AD DOMINUM PAPAM EUGENIUM.

*Lætatur ob litteras, zelo et affectu plenas, a Pontifice ad capitulum scriptas. Hortatur, ut ea sollicitudine pergatovere omnes, sed præcipue sui Ordinis Religiosos. Abbatem Trium Fontium a præfectura sua abstractum queritur.*

Amantissimo patri et domino EUGENIO, Dei gratia summo Pontifici, frater BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, modicum id quod est.

1. Vox turturis audita est in capitulo nostro: exsultavimus, et delectati sumus. Plane eloquium castum, fervidum zelo, cautum scientia. Spiritus vitæ spirabat in litteris, spiritus vehemens, intonsus et increpans, et æmulans nos Dei æmulatione. Fateor, non facile dixerim quid me amplius delectavit in illis, vestra benignitas, an nostra utilitas; inclinata majestas, an erecta humilitas; mordens severitas, an mulcens paternitas. Qui in nobis quantumcumque esuriebant justitiam, refecti sunt; qui minus, compuncti sunt; qui minime (729), confusi sunt. Ita, quæso, ita jugiter facialis. Sollicitudo quæ

(728) Scripta anno Christi 1150.

(729) Ita in quovis ordine, quantumvis sancto, reperiuntur hi tres hominum ordines; nec unquam in area Dominica palea deerit. Vide sermonem 3 in

Ascensione, n. 6; item sermonem in Dedicatione ecclesiæ, n. 3, et sermonem 30 de diversis, n. 1: ad hæc sermonem 46 in Cantica, n. 6.



omnibus debetur, nullo modo his, quibus specialius debetur, subtrahenda est, sed propensius exhibenda. Charitas benigna est: dilatare se, non minorare novit. Colligat sane et alios, sed nobiscum: nec alienum a vestro apostolatu fovere ejusmodi, qui cum apostolis loqui possunt: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te (Matth. xix, 27)*. Non sunt relinquendi, qui ipsi se reliquerunt. Pusilli Domini sunt, in ipsum credentes: non deseret eos fidelis servus et prudens, is præsertim cui credita universitas est. Nempe universitatis portio hi: et quidem pusillus grex, sed qui, ni fallor, meruerunt patrem habere Deum, accepturi coronam gloriæ de manu Domini, et diadema regni de manu Dei sui. Nec enim rapinam arbitrantur esse se hæredes Dei, cohæredes autem Christi. Denique **268** audierunt: *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum (Luc. xii, 32)*. De his interim satis.

2. Abbas Trium Fontium (730) bene plantatus erat, utpote secus decursus aquarum. Vereor ego, ne arbor bona faciens fructum bonum, explantata faciat nullum. Vidimus interdum vitem in prima plantatione fecundam, in secunda sterilem. Vidimus lignum bene plantatum virescere, transplantatum arescere. Graviter proinde vulnerastis cor meum, si non remittitis eum: quia sumus cor unum et anima una. Quandiu divisum erit, necesse erit ut utraque pars suo sanguine cruentetur. Heu! onus quod ambo vix portabamus, quomodo portabo solus, subducto baculo senectutis meæ? Si de me parum est, moveat vos totius Ordinis plaga non parva: et ne spe incerti boni, tam certa interim mala fieri velitis. Quod si omnino vobis in eo complacuit, ut retineatis eum; placeat, obsecro, commendatum habere ipsum, ac deinceps ad Deum levare manus, ut dignetur idoneum pro eo virum providere domui illi. De cætero super his quæ pro communi utilitate totius ordinis, et pro aliis quoque negotiis eidem abbati dignum, imo et necessarium judicavimus ad

(730) Hugo scilicet, ad quem epistola sequens, abbas Trium Fontium in Campania, non vero Sancti Anastasii ad Tres Fontes prope Romam, quidquid Wion, Ciaconius, aliique in contrarium sentiant. Primo quippe Trium Fontium appellatio, per ea maxime tempora, absolute soli Campaniæ monasterio tribuitur, ex Vita S. Bernardi, et ex titulo epistolæ 69, *Ad abbatem de Tribus-Fontibus*: cum Romanum illud Sancti Anastasii nuncupari soleat, ut probat in primis inscriptio epistolæ nunc 345, *Fratribus de Sancto Anastasio* directæ. Deinde Rualenus ex Priore Claræ-Vallensi abbas tunc erat ad Sanctum Anastasium, ex epistolis 245, 258, et duabus sequentibus: quibus accedit Nicolai Claræ-Vallensis epistola 43, *Ad Rualenum abbatem Sancti Anastasii*. Ad hæc sequens Bernardina epistola 274 in manuscriptis hunc titulum præfert, *Ad Hugonem abbatem Trium Fontium, quando erat Romæ*, quæ verba satis innuunt hoc monasterium ab urbe Roma longius dissitum fuisse. Præterea Bernardus in hac epistola 275 Eugenio significat se ægre ferre quod Hugo Romam evocatus sit, nempe ut crearetur cardinalis; additque se graviter ex hoc vulneratum iri, nisi ad se remittatur. Atque adeo Hugo in Galliis abbas

vos perferenda committere, festinatum exposcatis Benignitatis vestræ responsum; sed responsum facti, non verbi.

#### EPISTOLA CCLXXIV (731).

AD HUGONEM ABBATEM TRIUM FONTIUM, QUANDO ERAT ROMÆ (732).

*Pœnitet commendasse nepotem episcopi Autissiodorensis, improbens collatam illi præposituram.*

Pœnitet me scripsisse pro juvene illo; et velim, si fieri possit, revocari precem, per quam videor approbasse iudicium amici (733) super collata et male collocata ab eo præpositura, quod utique non facio, nec feci unquam. Sed vicit me, fateor, ut sic scriberem, dilectio qua tenebar, vehementer astrictus avunculo adolescentis, affectu grandi nimis, sed minus spirituali in hac parte. Urgebat maxime plaga recens de morte illius. Videar levitate usus: sed malo periclitari apud dominum meum præcipitatione scribendi, quam apud Deum suspitione mendacii. Quamquam caute ac provide de præpositura scripsi, nihil ad ipsum; quod indubitanter scirem duos ut memini, prædecessores ejus ipsam aliter ordinasse, atque alias suo confirmasse privilegio. Tu autem si efficere potueris apud ipsum, ut Ecclesiæ privilegium, et privilegio efficaciam reddat, bonum opus operatus es. Utinam a nævo sanguinis hujus sanctum purgaret episcopum, et adolescenti in aliis provideret!

#### EPISTOLA CCLXXV (734).

AD DOMINUM PAPAM EUGENIUM, PRO ANTISSIODORENSI ELECTIONE.

*De statu electionis Antissiodorensis, et fraude in ea commissa pontificem certiore facit.*

Cum primum vobis pro Antissiodorensi Ecclesia scripsi, de prima audieram electione, de secunda nihil. Et ecce me veluti prophetante, opprobrium quod suspicatus sum, secutum est: et timor quem timebam, evenit. Mementote quomodo actum sit Nivernis (735), et videte si non simili arte, imo fraude non dissimili, eodemque auctore, ut aiunt, et nunc secunda electio præsumpta est: ut scilicet uno no-

erat. Denique faciendæ electioni ad successorem Hugoni subrogandum Bernardus ipse, qui tum in Gallia versabatur, præsens interfuit, ut patet ex epistola 274. Porro Hugo anno 1150 cardinalis episcopus Ostiensis in tertia creatione ab Eugenio facta, simulque cum eo creati sunt cardinales alii duo monachi Claræ-Vallenses, Henricus et Rolandus, testante Ciaconio: tuncque accidit, ut ecclesiæ Ostiensi ob incolarum inopiam conjungeretur Veliterna. De Hugone iterum in epistolis 274, 287, 290, 296, 306 et 307.

(731) Scripta anno Christi 1151.

(732) Alias, *Contra nepotem episcopi Antissiodorensis*. Alias, *Pro nepote episcopi Antissiodorensis*. Vide epistolam 276. — Epistola 274, quæ in editis hunc profert titulum: *Ad Hugonem abbatem*, etc., in Leodiensi codice et in altero Aurea-Vallis ita inscribitur: *Ad Hugonem episcopum, de præposito Antissiodorensi*. MARTENE.

(733) Hugonis episcopi Antissiodorensis.

(734) Scripta anno Christi 1151.

(735) Idipsum repetit in fine epistolæ sequentis. Turbas intelligit, quæ acciderunt in electione Raymundi episcopi Nivernensis. Confer epistolam 246.

minato duos ejiciant, et sic demum tertium, quem A volunt, subinducant. Miserunt et isti ad me, ut pro sua parte scriberem, et visum 269 est mihi mittere fratrem a latere meo, qui de utraque certius actione cognosceret, nosque certificaret. Qui intrans ecclesiam, et de omnibus diligenter explorans, testimonio omnium qui convenerant, invenit nullum presbyterorum, præter unum, fratrem scilicet ipsius fratris Gaufridi (736), Hugonem; nullum de diaconibus præter Stephanum solum, ex parte illa esse: exceptis his, qui auctores exstiterant, personis ecclesiæ, cantore, archidiacono, et, ut dicebatur, thesaurario: neque enim ipse præsens tunc adfuit. Porro in parte altera, præter alios inferioris ordinis, diaconos novem, et presbyteros undecim consentire. Duodecimus, qui et archipresbyter est, pro neutra parte velle se subscribere, pro neutra scripsisse testabatur: quanquam priorem plus vellet. Sigillum Ecclesiæ præfatus Hugo tenebat (737), homo non pacis, sed partis alienæ: nec consideravit in tradendo quod debuit, sed quod voluit. Sic se res habet. Et ego solita præsumptione unum infero: nec malitiam gloriari oportet, nec sapientiam decipi decet, nec Ecclesiam suspendi diutius expedit.

#### EPISTOLA CCLXXVI (738).

AD EUMDEM, POST OBITUM EPISCOPI ANTISSIODORENSIS.

*De irreligioso episcopi Antissiodorensis testamento, non sine fraude Stephani diaconi facto, monet Pontificem: illudque scandali causa irritari debere.*

1. Adhuc suggero aliquid, quod ante non tacuissem, si ante mihi compertum fuisset, sicut nunc est. Adest homo qui peccare fecit Israel, sanctum loquor episcopum (739): qui cum in morte aliquantum stupidus esset et turbatus, iste eum fecit mori pene intestatum. Cum enim pauperibus et ecclesiis aut nihil, aut parum daret, nepoti suo carnali adolescentulo, sæculari inutili, totum pene quod acquiserat mensæ episcopali, Stephano suggerente et sollicitante, dimisit. Aiunt septem ecclesias, et decimas, et prata in propria silva episcopi; insuper, quod pudor est omni religioni, de mobilibus aureos suos, et proprias equitaturas; et, cum minus illæ sufficerent ad conficiendum iter, ut pro his firmandis ad vos veniret, jussisse tradi etiam monasterii equitaturas. Quanquam quidam existimant episcopum donationes istas nescisse, sed Stephanum fecisse, et sigillasse quæ voluit: et credendum. Nempe et anno præterito in articulo, ut putabatur, mortis positum, ecclesiam quandam eidem nepoti donare

(736) Hic videtur a tumultuantibus electus: sed tandem prævaluit electio Alani ex abbate Ripatorii ordinis Cisterciensis, diocesis Trecensis, qui Vitam S. Bernardi in compendium redegit. In Actis episcoporum Antissiodorensium episcopatus per annum vacasse dicitur. Vide epistolas 280 et 282, etc., atque librum tertium De consideratione, n. 11.

(737) Hinc intelligitur, Ecclesiam Antissiodorensis proprium sigillum ex tunc habuisse præter episcopale.

(738) Scripta anno Christi 1151.

(739) Id est Hugonem, ex primo abbate Pontinacensi episcopum antissiodorensis. Obiit anno 1151

fecerunt: quod donum postea convalescens, sicut certissime comperimus, fecisse se minime recognovit. Quis denique credat, virum sanctum, spirituales, si sapuit, si compos sui fuit, testamentum tale fecisse? Quis vel sæcularissimus hoc dixerit testamentum sacerdotis? Hæccine dispositio hominis sobrii et spiritualis, illius qui omnia dijudicat, et ipse a nemine judicatur? A quo enim, si ita remanserit, sive in cælo, sive in terra, iste non judicabitur?

2. Tu ergo, serve Dei, qui tenes gladium Petri, amputa confusionem opprobrii a religione, scandalum ab Ecclesia, crimen a persona, a spiritualium omnium, qui eum in spiritu et non carnaliter diligebant, et tuo ipsius corde amaritudinem et dolorem. B Exsurge, Phinees: sta et placa, ut sanetur quassatio. Sta, inquam, inflexibilis adversus carnem et sanguinem, quo 270 ariete murum tuæ constantiæ filii hujus sæculi procul dubio concutere conabuntur. Vera pietas est in avunculum, si super hujusmodi exstiteris impius in nepotem.

3. Et hoc scitote, quod viros religiosos, decanum Sancti Petri Antissiodorensis, et Priorem Sancti Eusebii, tam pro se, quam pro abbate Sancti Laurentii, ob primam Antissiodorensis Ecclesiæ electionem paratos venire ad vos, pars adversa per comitem Nivernensem (740) detinuit, et deterruit ne venirent. Siquidem comes ipse vocatis ad se denunciavit, ne se intromitterent, et minis gravissimis ac manifestis prohibuit eos: sicut Prior ipse a prædicto abbate suo et fratre suo carnali, et a decano missus ad nos propter hoc ipsum, confessus et conquestus est nobis, rogans etiam per nos hoc ipsum innotescere vobis. Dixi, et iterum dico: Mementote quod factum est Nivernis. Ordinatissimum est, minus interdum ordinate aliquid fieri. Claves vestras, qui sanum sapiunt, alteram in discretionem, alteram in potestate constituunt.

#### EPISTOLA CCLXXVII.

AD EUMDEM, PRO ABBATE CLUNIACENSI (741).

*Abbatem Cluniacensem benevole excipi, et honorifice tractari petit.*

Stultum videtur scribere ad vos pro domino Cluniacensi, et ei quasi velle patrocinium ferre, quem omnes sibi patronum habere desiderant. Sed scribo, etsi non necessarie illi, satisfaciens tamen affectui: affectui dico meo, non alterius. Ipso enim, quia corpore non possum, prosequor amicum peregrinantem. Quis nos separabit! Nec altitudo Alpium, nec

die decima Octobris: de ejus viri miraculosa conversione, virtutibus ac sanctimonia, lege Henriquez in Fasc. lib. II, dist. 10, cap. 28, et in Menologio ad diem vicesimam primam Januarii. Lege etiam Vitam S. Bernardi librum I, cap. 3.

(740) Guillelmum IV, qui patri Guillelmo III in Cartusiam secedenti successit ab anno 1147. Confer paulo infra epistolam 280 et ibi notam.

(741) Scripta anno 1146.—Petrum Venerabilem, ad Eugenium honoris causa procedentem, his litteris Bernardus commendavit. Ille sui itineris meminit tum libro secundo De miraculis, cap. 25: « In primo, » inquit, « pontificatus domini papæ Eugenii

nivium frigora, nec longitudo itineris. Et nunc præsens sum, in litteris his assistens illi. Sine me poterit esse nusquam. Debitor sum dignationi ejus, per quam dignus habitus sum assumi in id gratiæ. Sed debito ipsa absolvit gratia, quia necessitas in voluntatem transiit. Honorate virum, ut vere honorabile membrum in Christi corpore. Vas est in honorem, ni fallor, plenum gratiæ et veritatis, refertum plurimis bonis. Remittite eum cum lætitia, quamplurimos sub reditu lætificaturum. Dignemini eum ampliori, ut dignum est, gratia, et ita ut de plenitudine ejus omnes, cum redierit, accipiamus. Sane si quid petierit in nomine Domini Jesu, non debet apud vos pati difficultatem. Nam si nescitis, iste est qui manus suas extendit ad pauperes Ordinis nostri; iste est qui de possessionibus ecclesiæ suæ, quantum cum pace potest suorum, libenter frequenterque largitur ad victum. In nomine Jesu cur dixerim, audite. Si enim petierit (quod suspicor vereorque) dimitti a regimine monasterii (742), quis illum noscens, in nomine Jesu petere putet? Fallor, si non solito timorator, si non se ipso melior factus sit, ex quo vidistis eum. Quanquam pene ab introitu suo in multis Ordinem illum meliorasse cognoscitur: verbi gratia, in observantia jejuniorum, silentii, indumentorum pretiosorum et curiosorum (743).

anno ad visitandum tam ipsum, quam communem matrem Romanam Ecclesiam Romam adii; tum etiam ad Bernardum scribens libri sexti epistola 46, « Videram eum, » inquit (scilicet Eugenium), « prius anno pontificatus sui Romæ. » Quo quidem in itinere illud ipsi accidit, quod postea Eugenio scripsit, libri sexti epistola 44, ut a marchione Opizone per Italiam grassante spoliatus, Placentinorum auxilio omnia recuperaverit. Iterum vero Eugenium invisit circa annum 1151, a quo quam fuerit benigne exceptus, testatur in quadam epistola ad S. Bernardum, cujus amicitiam officium hac in parte agnoscit.

(742) Forsan cogitabat Petrus dimisso regimine ad S. Bernardum se recipere, ut quidem ipse profiteatur supra in epistola 264.

(743) Hæc omnia testantur præclara ejus Statuta in Bibliotheca Cluniacensi. Confer Orderici librum decimum tertium ad annum 1132.

(744) Scripta anno Christi 1150.

(745) Henrico, qui germanus erat Ludovici Junioris, post archiepiscopo Remensi. Confer epistolas 269, 305 et 307. Eum a Ludovico patre divinis servitiis mancipatum Honorius II in suam tutelam suscepit, teste ejus epistola in Spicilegii tomo III, pag. 150, ubi alia succedit Ludovici regis ad legatum apostolicum, de concedenda eidem Henrico præbenda in Ecclesia Pontisarenis. Abbas fuit Sanctæ Mariæ Stampensis, necnon archidiaconus Aurelianensis, ex Chartario Sancti Martini de Campis.

(746) Id patet ex duabus Anselmi epistolis ad Urbanum II, quæ sunt libri secundi epistolæ 33 et 34. Simile quid de Belvacensis Ecclesiæ statu scribit Ivo episcopus Carnotensis epistola 87. « Prædicta, » inquit, « Ecclesia (Belvacensis) tandiu jam bonos desuevit habere pastores, ut malos habere, videatur ei quasi legitimum, bonos autem eligere, quasi nefarium, » etc.

(747) Heloissa, Petri Abælardi quondam conjux, deinde sanctimonialis, denique abbatissa parthenonis Argentoliensis, ad Sequanam præterfluentem in diocesi Parisiensi. In quem locum anno 1127 cono-

### EPISTOLA CCLXXVIII (744).

AD EUMDEM, PRO EPISCOPO BELVACENSI (745).

Petitiones filii vestri episcopi Belvacensis quam dignæ sint exauditu, non est quod vos doceamus: ipsæ satis per se paternis visceribus vestris quocumque dignum **271** et justum est, facile persuadebunt. Agimus tamen. Fovendus est devotus juvenis favore paterno: et zelus bonus, quem pro sua Ecclesia gerit, non modo approbandus, sed et juvandus. Sic seipso in dies devotior, ferventior, fortior fiet, cum vexationes et tribulationes, quæ nunquam desunt illi Ecclesiæ (746) a malis hominibus, manu indeficientis auxilii vestri sibi senserit e regione levare. Petitionem fratris Arnulfi de Maiole petimus exaudiri. Magister G. (hoc nomen nuntio) dicet eam vobis. Sed et quod petit abbatissa de Paraclito (747), per ipsum, si dignamini, scire potestis; et facere, si dignum judicatis.

### EPISTOLA CCLXXIX (748).

AD HENRICUM COMITEM (749).

Comitem ob injuriam, a subditis ejus illatam de restitutione in integrum compellat.

Abbas de Castellione (750), vir religiosus, Romam proficiscens, in Dei et nostri custodia sua omnia dereliquit: et ecce ministeriales Simonis, homines de Belfort, abstulerunt porcos eorum. Maluissim,

bitæ Dionysiani, cum ex antiquissimis diplomatibus probassent, suum esse dono Hermenrici, Nummæque uxoris, regressi sunt longo postliminio. Theodrada enim, Caroli Magni filia, congregaverat ibidem velatas, quæ ejecta disciplina monastica ejectæ sunt. Paulo ante, ut superius diximus, Petrus Abælardus, cum facultate abbatis Sancti Dionysii abscesserat in solitudinem agri Trecentis, ubi oratorium calamarum palustrium, stipularum, juncorumque centonibus confectum, dicaverat primo sanctissimæ Trinitati: deinde Paracliti nomen indidit, quod ibi post varias calamitates tandem nonnullo solatio respirasse sibi visus est. Quem locum postea Heloissæ cessit. Heloissam alii Helwidem vocant, quo nomine duas ipsi epistolas scripsit Hugo Metellus, « Helwidi venerabili abbatissæ Paracliti. Feminæ sexum vos excessisse fama nobis notificavit. Quomodo dictando, versificando, et (quod excellentius omnibus est his) mutiebrem mollitiem exsuperasti, » etc. Eam aliquando invisit, et exhortatione sua dignatus est Bernardus, teste Abælardo in epistola 5.

(748) Scripta anno Christi 1152.

(749) Is filius Theobaldi Magni Campaniæ comitis, cujus in dignitates successit anno 1151.

(750) Balduinus, ad quem epistola 401, episcopus dein Noviomensis, ex epistola 402. Castellionensis abbatia, de qua hic sermo, illa est indubie regularium Ordinis S. Augustini ad Sequan in diocesi Lingonensis, ubi litterarum prima elementa didicit Bernardus, et quam ex sæculari regularem fecit, ex vitæ libro I, cap. 1, n. 3; non vero Castellio Neustriæ, ut quidam perperam volunt. Castellio quippe, cujus abbas iste Balduinus erat, parum distabat a Clara-Valle, siquidem abbas, Romam profecturus, res suas Bernardo commendavit. Ad hæc locus Bellus Fortis qui non longe a Castellione aberat ex contextu epistolæ, situs est ad amnem Vigoram, qui in Albam influit infra Claram-Vallem et Barrum oppidum. Denique in vetustis Castellionis Lingonensis chartis, uti et in vulgato abbatum indice, Balduinus abbas secundus post Aldonem abbatem primum recensetur.

dico vobis, ut nostros proprios rapuissent. A vobis requirimus illos. Ad hoc te constituit principem super terram Princeps regum terræ, ut sub eo et pro eo bonos foveas, malos coerceas, pauperes defendas, facias iudicium injuriis patientibus. Si hæc facis, opus principis facis : et spes est ut tuum Deus dilatare et roborare debeat principatum. Si non, timendum est tibi, ne hoc ipsum quod videris habere honoris et potestatis, auferatur (quod absit!) a te.

### EPISTOLA CCLXXX (751).

AD DOMINUM PAPAM EUGENIUM PRO ANTISSIODORENSI NEGOTIO.

*Queritur sententiam apostolicam in causa electionis Antissiodorensis, a se jussu Pontificis denuntiatam, contemni.*

1. Bene facitis, frequenti et benigno exaudito tempore breve, quo hic sum, solando lædentem, pusillanimum erigendo. Facitis, etsi non quod mereor ipse, certe quod vos decet. Non quod ad usum propriæ voluntatis tanta abuti benignitate delecter; paratus, teste conscientia, tam æquo accipere animo quod negare, quam quod præstare placuerit. Volo mihi geri morem, sicut et omnis homo; sed non quod justitiæ obviet, quod veritati præjudicet, quod vestræ denique displiceat voluntati. Hoc pro eo, ne me suspicemini aut non advertere beneficium, aut ingratum esse. Nunc quod res postulat, audiat Sanctitas vestra. Cum in me itur, levis jactura est, et quæ levare facili queat resarcitu. Ego plagis conscientia meæ nullum judico accommodatius medicamentum probris et contumeliis. Non est proinde quod pro me movear, homuncio omni opprobrio dignus et despectione. At si usque in christum Domini malignatio forte pervenerit, nitat, fateor, patientia, et omnis pene cedit **272** mansuetudo. Nunquid petivi a domino meo ordinari per me Ecclesias, disponi episcopatus, creari episcopos! Aptum videlicet instrumentum, formica plaustrum trahens. Voluistis hominem promoveri; digne sane, ni fallor: in quem nimirum quid dicant, non inveniunt, ne hi quidem qui contra volunt.

(751) Scripta circa annum 1152. Vide epistolas 275, 282.

(752) Defuncto Hugone episcopo Antissiodorensi anno 1151, et volentibus clericis alium episcopum, ut moris est, eligere, inquit Bernardus, libro tertio De consideratione, cap. 2, et quidam adolescentulus intervenit appellans et vetans ne fieret, quoad usque isset et redisset ab Urbe: cui tamen appellationi nec ipse detulit. Nam cum videret se contemni, tanquam qui irrationabiliter appellasset, occidit quos potuit sibi, tertia die post factam ab aliis electionem, fecit suam. (Vide epist. 275). Quibus acceptis Eugenius, tribus (ut hic dicitur) quorum unus erat Bernardus, commisit electionem. Bernardi et alterius in unum convenere suffragia, altero reclamante: unde hic postulat ab Eugenio suppleri quod minus est. Electus hic videtur fuisse Alanus, qui tandem Hugoni successit. De quo sic loquitur liber Sepulcrorum Claræ-Vallensium: « Ad dexteram domini Godefridi quondam Lingonensis episcopi, versus chorum, jacet dominus Alanus episcopus Antissiodorensis, qui in quadam ecclesia oppidi fa-

2. Innotuit quibus oportuit mysterium bonæ voluntatis. Et mysterium quidem publicatum est, fructu vero usque adhuc et utilitate fraudamur. Quæritur qui fecit hoc! Homo pacis vestræ, in quo sperabatis. Homo, cui odio religio, cui oneri sapientia, cui terrori justitia est: qui domini sui non est veritus secretum prodere, evacuare decretum. Nec mirum qui se talem aperire non est confusus: qui dum proprio concedit livori, etiam vestræ reverentiæ non pepercit. Confusus sum ego: sed quæ cura? Non recuso confusionem, quam mihi obedientia zelus invexit. A me quidem non transiit calix iste: sed per me plane usque ad vos pertransiit. In suggillatione, ne dicam depravatione datæ sententiæ, cui clarum non sit auctorem tangi potius, quam denuntiatorem? Cujus non potuit infamari persona, debuitne infirmari promotio (752)? Unum est e duobus: aut stabit sermo, quem a vobis egressum testati sumus; aut nos mendaces reputabimur, sicut jam reputamur. Sed melius vestroque dignius apostolatu, non gloriabitur in malitia qui potens fuit in iniquitate.

3. Obeditum tamen mandato ex parte est, et parte majori. Tribus commissum erat; uno contemnente, duobus consentientibus, quid restat, nisi ut vox vestra suppleat quod minus est? Et quidem tute hoc. Non est quod timeatis a scandalo illorum de quibus Dominus dicit: *Sinite illos; cæci sunt, et duces cæcorum* (Matth. xv, 14). Quod reliquum est, lætabitur populus, lætabitur sanior pars cleri, etiam ipse lætabitur rex; lætabitur denique omnis Ecclesia sanctorum. Multa bona opera ostendistis sæculo nostro ex gratia quæ data est vobis: at nullum, ut arbitror, quod magis pro gloria vestra faciat, quam si sic feceritis. Testimonium perhibeo eis, quod multos de religione nominaverint, non religione delectati, sed impotentia, qui non possint malignitatem eorum coercere, qui vi vim repellere non sufficiunt: ut quorum sanctitatem non amant, non sit quod timeant potestatem. Comes Nivernensis vias patris non ambulat (753): adversatur tum huic, tum omni bono. Incubat terris bonisque Ecclesiarum, sicut leo

mosi in Flandria, quæ Insula nuncupatur, a puero educatus, sub B. Bernardo in hac Clara-Valle habitum religionis suscepit. Postea primus abbas factus est monasterii, quod Ripatorium nominatur. Cui per annos duodecim præsidens, Domino cooperante satagit ut personis utilibus et possessonibus necessariis... ditaretur. Anno vero novissimo vitæ B. Bernardi, ab Ecclesia Antissiodorensi in episcopum concorditer est electus. Hic multam hospitalitatem omnibus religiosis domos suas frequentantibus exhibuit... Peractis demum in episcopatu tredecim annis, de licentia sedis apostolicæ cessit episcopatu et ad suam rediit Claram-Vallem. Obiit autem pridie idus Octobris circa annum Domini 1181. Ubi dum concorditer electus dicitur, intelligendum est in eum tandem eligentium suffragia convenisse, ut etiam Bernardus epistola 282 ad Ludovicum regem diserte testatur.

(755) Comes Nivernensis Guillelmus IV, de quo epistola 276, quem tamen multa multis ecclesiis beneficia contulisse legimus; nam Vezeliacensi monasterio bona, quæ pater suus abstulerat, restituit;

paratus ad prædam. Paratus est recipere etiam Sa-  
racenum, aut quempiam ex Judæis, ut isto careat,  
quod solus sibi videatur, qui malitiæ et calliditati  
ejus resistere et norit, et possit. Inde est quod non-  
nullis clericorum minis et manifestis gravaminibus,  
ut nobis ipsi confessi sunt, silentium imposuit, ne  
pars adversa de multitudine gloriëtur.

4. Et, ut breviter quod sentio exprimam, si judi-  
catur operæ pretium in illo episcopatu monasteria  
pauperari, ecclesias conculcari, religioni illudi, ipsam  
episcopalem sedem, cujus præcipue facultatibus et  
possessionibus inhiat, in servitutum redigi: Regnia-  
censis regnare nullatenus permittatur (754). Ubi est  
etiam nunc spiritus ille, quem habuistis in negotio  
Eboracensi? **273** Non sentiet illum, qui simile opus  
tentaverit? Ecce is, sicut accepimus, in spiritu illius  
venit, qui curiam adversum vos concitavit; si licue-  
rit, moliturus id ipsum. De negotio domini Lunden-  
sis (755) reducimus vobis ad memoriam. Causa  
dilationis sublata de medio, non est nisi ut fiat quod  
faciendum erat. Et hoc addiderim: habere bonum,  
justum, et bonæ famæ cancellarium (756), apostolicæ  
dignitatis non modica pars est, apostolicæ admini-  
strationis non parvum adminiculum est, apostolicæ  
conscientiæ non mediocris custodia est. Semper qui-  
dem notabilis constitutio perniciosa: at post longam  
deliberationem, etiam turpis.

#### EPISTOLA CCLXXXI.

ABBATI BRUNONI DE CHARA-VALLE (757).

*Brunonem perturbatè et imprudenter scribentem  
redarguit.*

Rectene irasceris tu modo? Non, ut opinor. Con-  
vincunt te sermones tui, non dispositi in iudicio,  
sed præcipitati in perturbatione. Nam iudicium qui-  
dem tale est: Meliora sunt verbera amici, quam  
oscula inimici (Prov. xxvii, 6). At ego sine causa  
vapulo, inquis. Esto: nihilominus tamen verbera  
verborum nostrorum amicabilem curam sonant. Pa-  
rum dixi: paternam loquuntur sollicitudinem. Ita-  
que si culpam non habes, nihil te læsimus, propria  
excusatum conscientia: si habes, tibi potius ira-

Pontiniacensi latifundia dono dedit, et, ut alia missa  
faciamus, etiam gratificatus est abbatiæ Sancti  
Germani apud Antissiodorum, ubi tumultum habet  
in capitulo, tametsi in cœmeterio sepulturam elegis-  
set. Illius pater, cujus dicitur vias non ambulare,  
erat Guillelmus III, vir utique pius admodum et  
religiosus, de quo ita Hugo monachus Antissiodo-  
rensis: « Anno 1147, Guillelmus Nivernensis comes,  
relicto sæculi principatu et omni honore calcato,  
Cartusiam petit, ibique Deo in humillima paupertate  
conversans, infra annum conversionis suæ felicem  
terminat cursum vitæ. » — Epistola 280 in vetusto  
codice monasterii Camberonensis hac inscriptione  
insignitur, *Ad dominum papam Eugenium, pro ele-  
ctione Nivernensi*. E contrario in editis, *pro Antissio-  
dorensi negotio*. MARTENE.

(754) Hoc ironice dictum, siquidem de Alano (ut  
videtur) intelligamus, quem hoc nomine S. Bernardus  
idcirco indigitaverit, fortasse quod ex pago  
Regniaco apud Belgas, non longe ab Ipra esset  
oriundus. Nam quod passim dicitur Insulensis, de  
loco educationis interpretandum insinuat liber Se-

ascendum, quam mihi fuerat. Quereris quod tibi non  
credidi: quasi tu mihi inde aliquid locutus fueris.  
Estò: credidi querenti de te. Tibi quomodo aut  
credere potui, aut decredere, qui dixeras nihil? Fac  
quod locutus es. Solve quod debes, quam ante po-  
teris [*al. quam cito poteris*], ne forte non modo  
inter nos, sed et de nobis scandalum oriatur. De  
nobis autem bene senti, bene de te sentientibus, et  
non decreditibus tibi, sicut perturbate loqueris,  
nesciens quid loquaris. Mea sunt verba, meum lo-  
quuntur affectum.

#### EPISTOLA CCLXXXII (758).

AD LUDOVICUM REGEM FRANCORUM JUNIOREM, PRO  
ELECTIONE ANTISSIODORENSI.

*Hortatur regem, ne electo Antissiodorensi episcopo  
obsistat.*

1. Volui ego unquam in aliquo imminui honorem  
regis, dignitatem regni? Deus scit, nec vestra, ut  
confido, conscientia id vobis respondet. Videte ne  
illi magis contra vos faciant, qui electiones distur-  
bant, ne sint in Ecclesiis qui serviant regi, sed  
ipsis de Ecclesiarum redditibus serviatur. Ego, ego  
electioni Antissiodorensi interfui. Concors fuit, quia  
clerici qui antehac in partes dissilierant, sine con-  
tradictione nunc tandem Deo miserante convene-  
runt. Electum bene novimus: testimonium ei per-  
hibemus, quoniam bonus est. Neminem prorsus  
arbitror adfuisse illi celebritati, qui de assensu vestro  
dubitaret, cum jam idem assensus vestris litteris  
teneretur. Quis enim hoc vel cogitare posset repe-  
tendum alterum assensum, nec sufficere unum, præ-  
sertim ubi nulla ex tunc intervenit altera electio?  
Nunquid quoties dissenserint clerici, toties erit re-  
quirendus favor regis? Nec ratio, nec consuetudo  
hoc habet. Denique nuper, si recordamini, in Sues-  
sionensi Ecclesia quoties ad eligendum clerici con-  
venerunt, quoties dissenserunt, et infecto negotio  
discesserunt: nec tamen existimo toties repetisse  
assensum vestrum, quem semel promeruerant.

**274** 2. Ita est, domine mi rex: non est quod  
debeat reprobare factas electiones, quibus ut

pulcrorum Claræ-Vallis loco supra citato ubi: « In  
quadam ecclesia oppidi famosi in Flandria quæ  
Insula nuncupatur a puero educatus legitur » non  
natus. Regniacensis enim dici non potest monas-  
terio Regniacensi, de quo anno 1128, in nostra  
Chronologia: cum ex Clara-Valle in Ripatorii abba-  
tem, exinde vero in episcopum Antissiodorensis  
fuerit assumptus. Nisi forte quis dicat in secunda  
electione Antissiodorensi monachum Regniacensem  
fuisse electum, pro quo hic S. Bernardus scripserit;  
sed multis dissentientibus tertia tandem electum  
fuisse Alanum.

(755) Eskili. Vide epistolam 390.

(756) Forte post mortem Guidonis cancellarii, ad  
quem epistola 367.

(757) Priores editi Clara-Valle: at Chara-Valle  
preferunt melioris notæ codices, quibus domestica  
Charæ-Vallis instrumenta suffragantur. Est autem  
Chara-Vallis insignis abbatia Cisterciensium prope  
Mediolanum de qua fuse superius ad epistolam  
134.

(758) Scripta anno Christi 1152.

fierent, semel vos assensisse constiterit. Sed sunt aliqui qui vos conturbant, et conturbare nituntur Ecclesias, sua lucra sectantes: quodque gravius est, summi Pontificis, et serenissimi Regis mutuam gratiam et amorem diabolico studio dirumpere molientes. Absit hoc; iudicium portabant quicumque sunt illi, et Rex semper faciet quod bonus rex, sicut hactenus fecit. Itaque cito mandentur jucundiora, ne diutius sedeat in tristitia Ecclesia, tandiu jam vexata et afflicta. De persona nulla subeat suspicio: aut ego nimium fallor, aut fidelis erit, et Regi beneplacitum super ea. Confido in Domino quia non contristabitis multitudinem sanctorum, qui sunt in illo episcopatu, nec me servum vestrum: qui, ut verum fatear, nihil æque unquam a vobis molestum pertuli, quam si in hoc consilio (quod non eveniat) B perstiteritis

EPISTOLA CCLXXXIII (759).

AD DOMINUM PAPAM EUGENIUM, PRO FRATRIBUS  
DE MIRATORIO.

*In compositione quadam litis frustra laboratum: ideoque auctoritate apostolica opus esse.*

Apud Cluniacum occurrimus Gigniacensibus (760) spe pacis: pro qua laboratum multum, elaboratum nihil. Nam totum quadriduanum laborem nostrum sola demum secuta est ruina spei. Repetita est, juxta tenorem litterarum vestrarum, damnorum resarcitio, restitutio ablatorum: sed incassum. Multum visum est ad eos, quia nocuerant multum: quippe ultra triginta millia solidorum computatio facta est amissorum: siquidem abbatia una (ne per singula evagemur) tota destructa est. Cæterum de tantis amissis multa dimittere parati fuimus, cum illi tam minimum obtulerint, ut venerabilis abbas Cluniacensis, qui affectuosius quam efficacius pro reformanda pace laborabat, nec dignum relatu iudicaret. Itaque non provenit compositio, quia reparatio iam ridicula offerebatur. Dicebant autem: Quidam

(759) Scripta anno Christi 1150.

(760) In quibusdam scriptis hæc epistola inscribitur absolute, *Pro Fratribus*; in editis, *Pro Gigniacensibus*; id est contra monachos Gigniacenses. Manuscripti Cistercienses habent, *Pro fratribus de Miratorio*. Sed perinde est. Hæc enim epistola scripta est contra Gigniacenses in causa fratrum de Miratorio. Cum enim decimarum exemptio ab Innocentio Cisterciensibus concessa, Cluniacensium animos multum exasperasset, ut dictum est in notis ad epistolam 228, in primis vero Gigniacenses Ordinis Cluniacensis in comitatu Burgundiæ, adversus vicinos sibi Cistercienses de Miratorio, utrosque provincie Lugdunensis; eo usque illorum effervuit commotio, ut quidam ex Gigniacensibus Miratorii cœnobium susque deque vertere non dubitaverint. Quod ut rescivit Eugenius, acres admodum litteras dedit ad Petrum Venerabilem, quo facta quamprimum damnorum compensatione Cisterciensibus fieret satis, alias rigide in reos animadvertendum denuntiavit, commissa Lugdunensi archiepiscopo facultate ecclesiasticas adhibendi censuras, nisi intra viginti dies de damnis illatis paciscerentur: Has litteras vulgavit Mauricus ex monasterio Vallis-Lucentis, ut videre est in Appendice tomi secundi Annalium. Convenere apud Cluniacum viri sanctissimi Berhardus et Petrus Venerabilis ejus rei gratia: quadriduo

A maligni de nostris totum malum fecerunt. Quid ad nos? ipsi viderint. Atque id quoque ridiculum. Clarum erat in tota regione, per homines Ecclesiæ hoc grande facinus perpetratum; monachos quoque adfuisse quosdam, consensisse omnes. Nam qui contradiceret malefactoribus, ne unum quidem fuisse usque ad hoc tempus audivimus. Denique ipse dominus abbas istiusmodi tergivertores palam refellebat et convincebat, affirmans juste ab ecclesia repeti, quod per ecclesiam amissum esse constabat. Ultima exspectatur manus vestra in eo, quod non nisi in manu valida posse emendari satis superque probatum est.

EPISTOLA CCLXXXIV (761).

AD DOMINUM PAPAM EUGENIUM, PRO REMENSI ARCHIEPISCOPO, ET ALIIS PERSONIS.

Dominus Remensis archiepiscopus (762) versatur in domo magni Patrisfamilias, tanquam vas in honorem. Si hoc scitis, servate honorem ejus, honorem Ecclesiæ ejus. Si bene novi virum, quo magis honorabitur eum, eo plus honorabitur Deus per illum, et in illo. Dominus Atrebatensis (763), homo simplex et rectus, et adhuc permanens in humilitate sua, non est opus ut per alium plus humilietur, ne perdat auctoritatem, ac per hoc et utilitatem. Hanc, si dignum 275 ducitis, date ei vos, quia suo studio nunquam habebit: utpote sui magis, quod in se est, mediocritate contentus. Est qui adversatur et extollitur: is plane ut humilietur episcopo opus est, et eidem ipsi non minus. Superbis resistere, et humilibus dare gratiam, familiare est Domino vestro, et audistis eum dicentem: *Qui mihi ministrat, me sequatur* (Jean. xii, 26). Abbas de Auvecurt (764) bonus homo est; secundum bonitatem suam respondeatur ei. Exaudiatur pro necessitatibus suis, et contra eum non auciatur apostata. Betuniensis decanus voluntate episcopi, et assensu advocati, bonam rem pro ecclesia sua in ecclesia eadem constituit:

res agitata, damnumque æstimatum ultra triginta solidorum millia. At Gigniacensibus sententiæ parere cunctantibus, Bernardus dilationem Eugenio hæc epistola significavit. Bernardo mortuo, inter utriusque loci monachos de decimis facta compositio est anno 1155, qualis refertur apud Guichenonem in Historia Sebusiana, pag. 115. Quamvis autem nos lateat compensatio per Gigniacenses facta, non latet tamen, ut Mauricus notavit, facta per Petrum Venerabilem in Cistercienses munificentia ex deposito Baronis Romani subdiaconi, quod Cluniaci relictum, mortuo Barone Petrus Cisterciensibus liberaliter resignavit, ut constat ex epistolis modo 388 et 389.

(761) Scripta circa annum 1151.

(762) Scilicet Samson.

(763) Godescalcus, de quo in epistolis 214 et 253, Alviso cujus mentio in epistolis 65 et 395 successit anno 1150. Causa de qua hic agitur, videtur esse cum Guerrico abbate Sancti Vedasti, cui scripsit Eugenius, ut Godescalco obedientiam manu promitteret de his, quæ ab ecclesia Atrebatensi possidebat, ut legimus in litteris manuscriptis.

(764) Indubie *Aucourt*, quæ abbatia est regularium Sancti Augustini prope Bapalmas, *Avulficurtis* et *Aiulficurtis* dicta in veteribus monumentis modo *Aquæ Curtum*.

bonum est ut vestra auctoritate firmetur. Similiter A et pro decanis Suessionensi et Cameracensi rogamus, ut dignæ preces eorum exaudiantur. Periclitati sumus in falsis fratribus, et multe litteræ falsatæ sub falsato sigillo nostro in manus multorum exierunt: et, quod magis vereor, etiam usque ad vós dicitur falsitas pervolasse (765). Hac necessitate abjecto illo, novellò quod cernitis de novo utimur, continente et imaginem nostram, et nomen (766). Figuram aliam tanquam ex nostra parte jam non recipiatis, nisi forte pro episcopo Clari-Montis, cui sub altero sigillo litteras dedi, cum necdum istud haberem.

EPISTOLA CCLXXXV.

AD EUMDEM, PRO ODONE ABBATE SANCTI-DIONYSII (767). B  
*Abbatem Sancti-Dionysii Odonem commendat, et adversus suspectas aliorum criminationes, ex invidia et ambitione natas, tuetur.*

1. Pro ecclesia Sancti-Dionysii, et pro persona Odonis abbatis, etsi nemò alius scriberet, ego scribere non dubitarem. Causa bona est, et neutra ex parte nutans: ecclesia nobilis, et abbas boni testimonii est. Illud orbi, hoc nobis, qui vicini sumus, notissimum est. Ad hæc et is, et illa specialis res vestra est. Pro his omnibus vel solus, ut dixi, si opus sit, scribere non confundor. Nunc vero tales mecum scribunt, quibus minime decredetur, etiam me non scribente. Ipsi sunt, quorum manus satis superque tractaverunt de verbo hoc. Ecce hi sciunt quid fecerit abbas; et quod sciunt, loquuntur. Secure prodeunt porrectæ a nobis preces pro eo, tam indubitatis fultæ testimoniis. Securus vestram sollicitudinem pro vestra ipsius proprietate sollicito et compello, nempe invasa nequiter, vexata atrociter. Rogo, obsecro, levate manum, extendite brachium, opponite scutum. Gladius Petri defendat patrimonium Petri.

2. Frustra quidam insurrexerunt in hominem, quem fama publica satis excusat. imo celebris commendat opinio. Boni videlicet filii, qui patris verecunda tam curiose scrutati sunt, nescio quæ incomperta omnibus crimina somniantes (768). Stupent qui audiunt ad subitam et inopinatam criminationem. Erubescunt, quia nunquam dictus fuerat sermo hujusmodi de Odone. Sancti-Dionysii abbas nequaquam sub modio latet. Super candelabrum D stat: ut, etsi velit, non possit dissimulare quod est. Et lumen ejus, ut fumus ejus, ab omnibus videatur necesse est. Numquid isti lynceos in eum oculos in-

(765) Vide epistolam 298.

(766) Hinc patet non verum esse quod ait Guillelmus abbas Cisterciensis, in epistola hic edita ad Theobaldum Campaniæ comitem, nempe falsum esse sigillum abbatis de Buzeio, in quo nomen abbatis impressum erat, asserens in nullo sigillo Ordinis proprium nomen abbatis unquam impressum fuisse. Certe in charta Bernardi ipsius pro compositione litis inter monasteria Sanctæ Genovefæ et Sancti Victoris, appensum est Bernardi sigillum cum ejus nomine et effigie, librum dextra, pedum sinistra tenente. — Vide notitiam de sigillo S. Bernardi, infra, Operum ejus tomo ultimo, post Vitam et Acta. Edit.

tenderunt, videntes quæ nemo adhuc videre alius potuit? Suspecta, fateor, mihi horum delatio est. Magis autem incredibilem reddit unus illorum, nomine Raymundus, qui ut aiunt, caput est hujus attentatæ malitiæ; homo, ut comperi, 276 palam loquax, clam susurro; anxie ambitiosus, adulatorie blandus; totus compositus ad fallendam, ad perurbandum non minus. Notavi sub pelle ovina lupum, ac certis designavi indicis, quo jam aut mordere non audeat, aut nocere non valeat.

EPISTOLA CCLXXXVI (769).

AD EUMDEM, PRO EODEM.

Si susurrations et subreptiones prævaluerint adversus abbatem Sancti-Dionysii, mundus ego sum a sanguine ejus, qui scripsi in alia vice adversus malignantes. Veruntamen quam accusationem afferunt adversus hominem illum! An quod non inveniunt quod accusent? Et quomodo si recte isti eum accusant, excusatur a vicinis omnibus qui recto sunt corde? Accusatur quod debita multa fecerit, impignoraverit terras, dilapidaverit bona. Quasi hæc vel necessariis, vel justis ex causis non potuerint contigisse. Mandavit nobis de his universis conventus illius ecclesiæ, et per fidelem personam testatus est aliter, quam vobis dicta sunt, se habere. Veruntamen inquiratur; nam certius de his oculus, quam juramentum fidem faciet: et si inventa fuerint quemadmodum isti malitiose componunt, quoquo modo acciderint, abbas non excusetur. Si non fuerint, delatores nihil de falsitate C lucrentur. Insimulant eum de morte hominis: si se purgare non potest, moriatur. Quanquam quis non videat nec verisimile esse, ut quem paulo ante de morte eripuerat, in mortem tradiderit? Qua fronte hæc audent insusurrare vobis, qui viderunt et cognoverunt zelum abbatis in liberatione illorum, qui prius homicidium perpetraverant, et in ultione eorum, qui sanguinem proximi ulti erant! Postremo si bene nossetis istos, posset profecto sufficere ad decredendum quidquid non accipitis nisi per eos. Adsit Deus sanctæ menti vestræ, ne quid illi lingua dolosa adversus innocentiam subripere possit.

EPISTOLA CCLXXXVII (770).

DOMINO OSTIENSI (771), PRO EODEM ABBATE.

Dominus abbas Sancti-Dionysii accusatur ab iniquis omnibus: sed a bonis hominibus, qui in ecclesia et in circuitu ejus sunt, excusatur. Pro quo tanto affectuosius rogamus Charitatem vestram, quanto me-

(767) Scripta circa annum 1153. — Odo ex monacho Sancti-Dionysii prope Parisios abbas Sancti-Cornelii apud Compendium, dein Sugerio abbati Dionysiano successit anno 1151. De ejus ordinatione et laudibus vide Sugerianas epistolas 156 et sequentes, maxime epistolam 162, quæ est Balduini episcopi Noviomensis, qui Odonem et virum religiosum et strenuum, catholice electum, et a se benedictum dicit Eugenio scribens.

(768) Vide epistolas sequentes.

(769) Scripta anno Christi 1153.

(770) Scripta eodem anno.

(771) Scil. Hugoni. V. ep. 273, 274, 290, 296, 306.

liorem de eo et habuimus, et habemus æstimationem: Siet pro eo vestra benignitas, et si non quia amicus noster est, sed quia nec vera sunt, nec verisimilia, quæ imponuntur ei. Si gravatus est debitis, causa evidens fuit temporis ipsius, quanquam fere nulla sint debita. Ad id quod impositum est deterrarum distractione, evidens falsitas comprobatur. Nam de morte G. ne ipsos quoque adversarios reor eum potuisse habere suspectum, quippe qui eundem G. et suos omnes conclusos ab hostibus, ab ipso mortis articulo, multo quidem labore eripuit. Pro his omnibus maximeque pro Raymundi non incognita nobis versutia, attentius rogamus, ut abbatis innocentiam vestra sollicitudo tueatur.

### 277 EPISTOLA CCLXXXVIII (772).

AD ANDREAM AVUNCULUM SUUM, MILITEM TEMPLI.

*Infelicem exitum sacræ expeditionis dolet; avunculi adventum optat.*

1. Litteræ tuæ, quas novissime transmisisti, invenerunt me in lectulo decumbentem. Accepi eas obviis manibus; libenter legi, libenter relegi, sed libentius te vidissem. Legi in illis desiderium tuum videndi me, legi et metum tuum pro periculo terræ, quam Dominus sua præsentia honoravit; periculo civitatis, quam suo sanguine dedicavit. Væ principibus nostris (775). In terra Domini nihil boni fecerunt: in suis, ad quas velociter redierunt, incredibilem exercent malitiam, et non compatiuntur super contritione Joseph. Potentes sunt ut faciant mala, bonum autem facere nequeunt [*al. nesciunt*]. Confidimus autem quia non repellet Dominus plebem suam, et hæreditatem suam non derelinquet. Porro dextera Domini faciet virtutem, et brachium suum auxiliabitur ei: ut cognoscant omnes quia bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus. Bene facis formicæ te comparans. Quid enim aliud quam formicæ quique terrigenæ et filii hominum sumus, rebus inutilibus atque inanibus insudantes? Quæ autem abundantia homini de universo labore suo, quo ipse laborat sub sole? Ergo ascendamus super solem, et conversatio nostra in cælis sit, jam mente præcedentes, quo sumus et corpore secuturi. Ibi, mi Andrea, ibi fructus laboris tui; ibi retributio tua. Sub sole militas, sed sedenti super solem. Hic militantes, inde donativa expectemus. Merces militia: nostræ non de terra, non de deorsum est: procul et ab ultimis finibus pretium ejus. Sub sole pe-

(772) Scripta anno Christi 1153.

(773) De infelici expeditione in Orientem hoc intellige. Nam ambitio, simultas, æmulatio inter christianos Principes sacræ illius expeditionis vires et conatus infregit. Ita indicat Bernardus libro secundo de Consideratione, cap. 1. Ita etiam indicat Otto Frisingensis, testis oculatus, de Gestis Friderici, libro 1, cap. 78, ubi, post commemoratas ingentes exercitus christiani clades, subjungit: « Nondum tamen ex tot et tantis attritionibus fastus inter eos regalis decoctus conquieverat. » Vide Æmiliam in Ludovicum VII, ubi agit de obsidione urbis Damascenæ, jam pene expugnata, nisi ambitione principum spes omnis elusa esset. Vide etiam Sigoniam, de Regno Italiæ, libro xi. Plura de causis rei infelicitate

A nuria est: super solem abundantia est. Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinus nostros (*Luc. vi, 38*).

2. Desideras me videre; et de meo, ut scribis, arbitrio desiderii tui pendet effectus. Nam mandatum super hoc meum te indicas expectare. Et quid dicam tibi? Et cupio ut venias, et timeo ne venias. Ita inter velle et nolle positus, coarctor e duobus; et quid eligam, ignoro. Unum, ne videlicet tuo satisfaciam desiderio, et in eo pariter: an credam magis celebri de te opinioni, qua terræ ita, per necessarius prædicaris, ut de tua absentia non mediocris illi desolatio imminere credatur. Itaque quod mandare non audeo, opto tamen ut te videam antequam moriar. Tu melius id videre et cognoscere potes, si quo modo sine damno, et sine scandalo illius gentis venire possis. Et fieri posset quod adventus tuus omnino non esset inutilis. Forte favente Deo non deessent qui te sequerentur revertentem ad subveniendum Ecclesiæ Dei, quoniam omnibus notus es et dilectus. Potest facere Deus ut et tu cum sancto patriarcha Jacob loquaris: *In baculo meo transivi Jordanem istum; et ecce cum tribus turmis regredior* (*Gen. xxxii, 10*). Unum dico: si venturus es, ne tardaveris, ne forte venias, et non me invenias. Ego enim jam delibor, nec puto me longum facere super terram. Quis mihi tribuat tua, in voluntate Domini, amabili et dulci præsentia vel paululum refrigerari, priusquam abeam? Reginæ scripsi (774), sicut voluisti, et gaudeo de bono testimonio quod ei perhibes. Magistrum et fratres vestros omnes de Templo, nec non et eos de Hospitali, per te in Domino salutamus. Inclusos quoque et sanctos omnes, ad quos opportune loqui poteris, per te in Domino salutantes, eorum nos orationibus commendamus. Esto pro me ad eos. Girardum nostrum (775), qui in domo nostra aliquando conversatus est, et nunc, ut audivimus, episcopus factus est, et ipsum affectu magno devotissime salutamus.

### 278 EPISTOLA CCLXXXIX (776).

AD REGINAM JEROSOLYMORUM.

*Instruit eam, quomodo se gerat, ut probæ viduæ coram Deo, et reginæ coram hominibus partes impleat.*

Dilectæ in Christo filiæ M. (777) reginæ Jerosolymorum, BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, misericordiam a Deo salutari suo.

1. Miror quod a multo jam tempore non vidimus in expeditione transmarina gestæ, vide in notis, ad librum secundum de Consideratione, cap. 1.

(774) Vide epistolam sequentem.

(775) An Girardus Bethlehemitanus episcopus, de quo Guillelmus Tyrius initio libri xvii, ad an. 1146, et sub finem ad an. 1152? an. Sidoniensis, ibidem?

(776) Scripta anno Christi 1155.

(777) Milisendi, alii Melusina, filia Baldvini Jerosolymorum regis ex Latinis secundi: cui successit Fulco gener ejus, hujus Milisendis maritus, qui leporem equo insectando præceps actus, post triduum exspiravit anno 1142. Ad eandem epistolæ 206. 354 et 355. Ivera, ejus soror, sanctimonialis, ex Guillelmo Tyrio sub finem libri xv



litteras tuas, non solitas salutationes habuimus : quasi nos obliti simus antiquæ tuæ erga nos devotionis quam in multis probavimus. Audivimus, fateor, nescio quæ sinistra : quæ etsi non pro certo credidimus, doluimus tamen sive veritate, sive mendacio tuam aliquatenus decolorari opinionem. Sane intervenit Andreas charissimus avunculus meus, cui in nullo decedere possumus, scripto suo nobis significans meliora : quod scilicet pacifice et mansuete te habeas, sapienter et consilio sapientium te et tua regas; fratres de Templo diligas, et familiares habeas; periculis imminentibus terræ, secundum sapientiam tibi a Deo datam, salutaribus consiliis et auxiliis provide et sapienter [*al. vigilantur*] occurras. Talia prorsus, talia decent opera mulierem fortem, humilem viduam, sublimem reginam. Neque enim quia regina es, indignum tibi viduam esse, quod, si voluisses, non esses. Puto quod et gloria tibi est, præcipue inter Christianos, non minus vivere viduam, quam reginam. Illud successionis est, hoc virtutis : illud tibi ex genere, istud ex munere Dei : illud feliciter nata es, hoc viriliter nacta. Duplex honor; alter secundum sæculum, alter secundum Deum : alterque a Deo. Nec parvus tibi videatur honor viduitatis, de quo Apostolus : *Honora, inquit, viduas, quæ vere viduæ sunt (1 Tim. v, 3).*

2. Habes certe penes te ipsam familiare communitorium apostolicæ iterum salutaris sententiæ, qua doceris ab eo providere bona, *non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus (11 Cor. viii, 21)* : coram Deo, ut vidua; coram hominibus, ut regina. Attende reginam, cujus digna, indignave non possunt latere sub modio : super candelabrum sunt, ut appareant omnibus. Memento viduam, cui jam non est quod velit placere viro, ut soli possit placere Deo. Beata es, si Salvatorem ponas tibi murum ad protectionem conscientiæ, et antemurale ad repulsionem infamiæ. Beata, inquam, si veluti desolatam et viduam totam te Deo regendam commiseris. Alioquin bene non regis, si bene non regeris. Regina Austri venit audire sapientiam Salomonis, ut regi disceret, et sic aregeret. Et ecce plus quam Salomon hic (*Matth. xii, 42*) : Jesum loquor et hunc crucifixum. Huic te committe regendam, huic docendam, quomodo regere debeas. Disce tanquam vidua, quod sit mitis et humilis corde (*Matth. xi, 29*) : disce tanquam regina, quod judicet in justitia pauperes, et arguat in æquitate pro mansuetis terre (*Isai. xi, 4*). Ergo cum cogitas dignitatem, attende et viduitatem : quia ut pure apud te quod sentio proferam, non potes esse

(778) Scripta anno 1152. — In quibusdam manuscriptis hæc epistola ad dominum Ostiensem, nempe Hugonem, locatur post epistolam ad Præmonstratenses, quæ habetur in iisdem manuscriptis post epistolam 296. Legatus iste, de quo hic agitur, fuit Jordanus de Ursinis, in Germaniam ad Conradum imperatorem legatus anno 1151.

(779) Joannes Papyrius seu Papyrius, anno 1152, teste Joanne Hagustaldensi, et profectus in Hiberniam, quatuor pallia certis sedibus distribuit, gentemque in ea legi nuptiarum non assuetam plurimum correxit. Ad id usque temporis episcopi sese mutuo

A regina bona, si bona non fueris vidua. Queris unde bona vidua æstimetur? Ex his profecto quæ Apostolus dicit : *Si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est (1 Tim. v, 10)*. Si hæc facis, beata es, et bene tibi erit. Benedicat te Dominus ex Sion, eximia in Domino filia, et omni veneratione digna. Admonitio præmissa est; prosecutio jam a vestra dignatione expectatur. Ocasio data est : excusatio jam non admittitur, si non renovata a nostra parte familiaritas, familiaribus deinceps a vobis verbis et litteris frequentetur.

## 279 EPISTOLA CCXC.

DOMINO OSTIENSI, DE JORDANO CARDINALE (778).

B Legatum apostolicum describit, quam cæda ubique vestigia reliquerit.

Pertransiit legatus vester de gente in gentem, et de regno ad populum alterum, sæda et horrenda vestigia apud nos ubique relinquens. A radice Alpium et regno Teutonicorum, per omnes pene Ecclesias Franciæ, et Normanniæ, et circumquaque circumiens usque Rothomagum, vir apostolicus replevit, non Evangelio, sed sacrilegio. Turpia fertur ubique commisisse; spolia ecclesiarum asportasse : formosulos pueros in ecclesiasticis honoribus, ubi potuit, promovisse; ubi non potuit, voluisse. Multi se redemerunt, ne veniret ad eos; ad quos pervenire non potuit, exegit et extorsit per nuntios. In scholis, in curiis, in triviis, fabulam se ipsum fecit. C Sæculares, religiosi, omnes male loquuntur de eo : pauperes, et monachi, et clerici conqueruntur de eo. Homines quoque sue professionis, ipsi sunt qui magis exhorrent et famam ejus, et vitam. Hoc testimonium habet et ab his qui intus, et ab his qui foris sunt. Non sic dominus Joannes Paperons (779), non sic : cujus laus est in Ecclesia, quippe honorificantis ubique ministerium suum. Legite litteras has domino meo. Ipse viderit, quid de tali homine faciendum sit : ego liberavi animam meam. Dico tamen præcipatione qua soleo : Bonum est ei si purget ipse curiam suam, et sic liberet conscientiam suam. Decreveram ista tacere : sed venerabilis Prior Montis-Dei (780) ad hoc me impulit, et animavit ut scriberem. Et scitote minus D me dixisse, quam publice prædicatur.

## EPISTOLA CCXCI.

AD DOMINUM PAPAM EUGENIUM, PRO ECCLESIA SANCTI-EUGENDI JURENSIS (781).

Sancti-Eugendi nobile monasterium, olim divitiis consecrabant, ex Giraldo in top. Hiberniæ, cap. 17.

(780) Gervasius tunc prior erat Montis-Dei, quæ Carthusia est diocesis Remensis, ab Odone Sancti-Remigii abbate fundata anno 1156. Apparet autem ex hoc loco, Gervasium Bernardo, uti et locum acceptum fuisse. Nec tamen putes cum esse auctorem epistolæ ad Fratres de Monte-Dei, de qua in t. 5.

(781) Augendum veteres appellabant, qui sanctus abbas fuit insignis monasterii Condatisensis, a S. Romano in Jurensibus jugis constructi, eique nomen S. Eugendi dedit, postea in S. Claudii mutatum, diocesis Lugdunensis.

et religione famosum, si vera sunt quæ dicuntur, prope interitum est. Nec decedenda omnia. Doms vicinas nobis, vobis notas, pertinentes ad ipsum, partim jam destructas, partim in dies destrui cernimus, et dolemus. Quæ in membris videmus, hæc et his graviora de capite fama nuntiante percepimus. Sed numquid debeo ego nunc malorum vobis, quorum non est numerus, retexere narrationem? Lator præsentium monachus præfati monasterii, et Archegaudus Prior, homo nobis ab antiquo pro sua honestate et religione dilectus, poterunt vobis intimare quæ plenius norunt, etsi non omnia: quis enim hoc posset? Tot et tanta pro certo, quæ apostolicam securim, etsi dissimulantem, etsi dormitantem, mirum si non surgere et ferire compellant. Ego liberavi animam meam: sed non sufficit, nisi et monasterium liberetur. In manibus vestris mors et vita illius.

### 280 EPISTOLA CCXCH.

AD QUEMDAM SÆCULAREM (782).

*Perstringit eum, quod Petrum, cognatum suum, a proposito vitæ religiosæ abstrahere conatus sit.*

1. Etsi ignotus nobis facie, sed non fama. Ipsa referente didicimus quod sis homo sapiens, et secundum sæculum honoratus. Voluit autem dilectus filius meus Petrus, cui et notior, et familiarior sanguinis affinitate videris, ut tibi scriberem, imo rescriberem. Tu enim scripseras illi, et utinam ut te decuisset, et illi expediret. Non sic fecisti. Novum Christi militem ausus es dehortari a servitio Domini sui. Dico tibi, est qui quærat et judicet. Non sufficiebant tibi peccata tua, nisi te et alienis involves; et rursus ad peccata, quod in te fuit, poenitentem juvenem revocares: et sic secundum duritiam tuam et cor impoenitens thesaurizares tibi iram in die iræ? Quasi non satis eum per se tentet diabolus, nisi tu juveris illum, homo christianus, dux ejus, et notus ejus. Tu quidem illi serpentem alterum, sed non tibi ille alteram Evam exhibuit. Tuis impulsus est manibus, sed non eversus: fundatus est enim supra firmam petram.

2. Verumtamen non reddimus tibi vicem, sed vincimus in bono malum, orantes pro te, optantes tibi meliora, et meliora scribentes. Primo quidem quia sapiens diceris, ut quod diceris, verius sis, mitto te ad virum sapientem, qui ait: *Noli prohibere eum qui potest bene facere; si vales et ipse, bene fac* (Prov. III, 27). Habes tempus faciendi. Sed

(782) Et quidem uxoratum, ex sine epistolæ. Fallit codex Vaticanus n. 663, in quo inscribitur, *Petro abbati de Cella*, ad quem epistola sequens.

(783) Scripta circa annum 1150. — Notior Petrus Cellensis a Cella monasterio suburbii Tricassini, quam a Sancti-Remigii abbatia aut ecclesia Carnutensi, quibus etiam præfuit. Binas scripsit litteras ad Caziacenses, quæ sunt libri secundi epistolæ 14 et 15; nullas de hoc monacho, cui nomen Adamo fuisse intelligitur ex duabus litteris, a Nicolao Claræ-Vallensi ejus nomine ad Petrum nostrum, id est Cellensem, scriptis, qui Petrum de reformato mo-

quantum habiturus? Quantulum superest vitæ tibi, præsertim jam senescenti? Vapor est ad modicum parens, et deinceps exterminabitur. Si sapis, non veniet super te illa maledictio: *Vidi stultum firma radice, et statim maledixi pulchritudini ejus* (Job v, 3). Pulchre stultum pseudosapientem versus Sapiens appellavit, sciens sapientiam hujus mundi stultitiam esse apud Deum (I Cor. III, 19). O utinam saperes, et intelligeres, ac novissima provideres! (Deut. xxxii, 29). Saperes quæ Dei sunt, intelligeres quæ mundi sunt, provideres quæ inferni sunt! Profecto inferna horreres, superna appeteres, quæ sunt ad manum [al., ad malum] contemneres. Multa suggerit animus, imo spiritus, loqui tibi de salute animæ tuæ: sed donec rescripto noverim tuo qualiter ista acciperis, non adjiciam ultra, ne fiam onerosus, cui de cætero volo esse amicus, et adjutor, si volueris, ad salutem. Dilectam nobis in Christo uxorem tuam per te, licet immeritam, salutamus.

### EPISTOLA CCXCIII.

PETRO ABBATI DE CELLA (783), PRO MONACHO CAZIACENSI, QUI AD CLARAM-VALLEM TRANSIERAT.

Unde mihi scripsistis, ita respondeo vobis. Molestiam domini Caziacensis nulli arbitror molestiorem esse quam mihi. Sed puto vos non latere, voluntate et præcepto ipsius jam ex longo illum monachum factum nostrum; et mihi ipsum obedientiam promississe, et me curam illius suscepisse. Quoties ex tunc volentem venire repuli, venientem remisi, recordari facile non est. Tandem modo veniens, me nolente remansit, et nullo modo ei persuadere reditum potui. **281** Dicebat autem, quia si nos eum projiceremus, iturum se longius, et nullatenus rediturum. Sed nec sic assensum meum habens, imo et contra consilium meum intravit. A quo utique introitu salva conscientia eum prohibere non potuit, nec projicere possum, utpote, ut dixi, jam olim in meam recepturæ curam, et de quo redditurus sum rationem. Dñi, fateor, periculum hoc conscientie meæ dissimulaveram propter molestiam boni illius hominis: et adhuc dissimularem, si meo iste consilio quoquo modo acquiescere voluisset. Quæ cum ita sint, vestrum est consolari hominem, delinire tristitiam ejus, excusatum me habere de tam rationabili causa. Postremo ipse quoque, ut scitis, in pendulo est, et sæpe cogitavit relinquere domum suam (784). Quod si vellet nunc effectui mancipare, ego non prohiberem, pro eo quod in ea non sine magna anxietate versetur.

monasterio laudat epistola 25. Hic est Petrus, qui Bernardi memoriam, et sententiam de B. Mariæ Conceptione vindicavit adversus alterius Nicolai insultus, ex notis ad epistolam 174. Bernardi alumnus se dicit in libri noni epistola 8 ad capitulum Cisterciense. De Caziaco supra ad epistolam 263.

(784) Huc spectat libri II epistola 15 Petri Cellensis ad Caziacenses: « Quamdiu patrem vestrum, imo nostrum, vobiscum retinere poteritis, alium ne cogitetis. » Id intelligendum de Simone, qui tandem mortuo Bernardo in Claram-Vallem se recepit, supra ad epistolam 263.

## EPISTOLA CCXCIV (785).

AD DOMINUM PAPAM EUGENIUM, PRO EPISCOPO  
CENOMANNENSI.*Episcopum Cenomannensem, et alios Pontifici commendat.*

Adest episcopus Cenomanensis (786). Ipse est, si nescitis, de cuius veritate et honestate nullus dubitat, nisi qui bene non novit hominem. Mihi quidem ab ineunte juventute sua notus et dilectus est, tam pro memoratis virtutibus, quam pro aliis bonis moribus suis. Si quid aliud Paternitati vestræ de eo insusurratum est, aut ego fallor, aut ille mentitus est in caput suum. Audite eum, et cum plenitudine gratiæ vestræ remittite. Deceptus sum enim, si bene non fuerit collocata. Abbas Vindocinensis, qui specialiter vester est (787), rogamus ut et ipse specialem inveniat gratiam, et rationabilis ejus petitio haud difficilem assequi mereatur effectum. Dominus Andegavensis mittit nuntium suum, et per se et per nos aliquid petens. Exaudiatur et ipse pro justitia sua, et non exaudiatur contra eum susurro mendax. Dignum est enim ut qui omnibus vivitis, omnibus pro meritis valeatis.

## EPISTOLA CCXCV.

DOMINO HENRICO CARDINALI (788), PRO EODEM  
EPISCOPO.

Sic tibi, quasi mihi scribo, et hoc quoties tibi scribo. Ubi enim tu es, me esse confido, quippe quem tanquam me ipsum diligo. Si me tu æque diligis, imo quia diligis, vide ne dominus Cenomanensis ex te (quod in te est) in aliquo redeat contristatus. Alioquin ego contristarer in homine quem satis pro sua honestate diligo, et a te diligi volo.

(785) Scripta circa eundem annum.

(786) Guillelmus de Passavant, ex archidiacono Remensi episcopus Cenomanensis, quam religiosæ vitæ fuerit, docent ejus acta in tomo tertio veterum Analectorum, a pag. 357.

(787) Ita supra de Odone abbate Sancti-Dionysii: « Ad hæc et is, et illa ecclesia specialis vestra est, nimirum quod abbatis et Dionysiana, et Vindocinensis, cui tunc præerat Robertus, sint proxime sub potestate et jure pontificis Romani.

(788) Scripta circa annum 1150. — Alias, *Domino Hellæ cardinali*. De eo Ernaldus in libro primo de Vita Bernardi, cujus apud Claræ-Vallem monachus fuerat Henricus, tunc cardinalis tituli Sanctorum Nerei et Achillei. Epistola ejus exstat in tomo tertio Bibliothecæ Cisterciensis, pag. 259, de legitima electione Alexandri III.

(789) Scilicet Hugoni. Vide epistolas 287, 290.

(790) Post hanc epistolam in manuscriptis haud paucis locantur epistolæ 259 ad Præmonstratenses, 290 ad episcopum Ostiensem, et 311 (quæ modo 374) ad monachos Hibernienses, in qua Bernardi epistolæ olim desinebant.

(791) Guidoni, ad quem epistola 398.

(792) Scripta anno Christi 1151.

(795) Hic ille Nicolaus, quem tanti fecit Petrus abbas Cluniacensis, ut videre est in epistolis ejus, ex monacho Arremarensi factus. Ci terciensis, et Bernardi notarius. Valebat enim stilo, et ipsum tantum non Bernardum exprimebat. Epistolæ ejus exstant in editione Coloniensi Bibliothecæ Patrum, ædente Joanne Picardo Victorino Parisiensi. Sed

## EPISTOLA CCXCVI.

DOMINO OSTIENSI (789), PRO EODEM.

Quidam clericus dicitur aures domini mei circumvenisse, aliquid contra episcopum suum, et nostrum amicum pro sua cupiditate molitus. Si mei **282** cura est vobis, imo justitiæ Dei, date operam, ut nihil lucretur de suo mendacio susurro malignus, nec lædatur in aliquo innocens episcopus, et fidelis amicus (790).

## EPISTOLA CCXCVII.

ABBATI ARREMARENSI (791).

*Monachum apostatam pœnitentem recipi petit.*

Lator præsentium, ad petitionem nostram dudum susceptus in consortium vestrum, stultitia et levitate sua rejecto habitu sancto a vobis exiit. Sed quia ductus pœnitentia, ut videtur, redire cupit, et se iterum recipi humiliter petit, petimus et nos ut iterum recipiatur, pœnitentique, amore Dei et nostro, introitus et habitus non negetur.

## EPISTOLA CCXCVIII (792).

AD DOMINUM PAPAM EUGENIUM.

*Nicolai notarii fraudes et imposturas detegit*

Nicolaus ille (793) exiit a nobis, quia non erat ex nobis: exiit autem foeda post se relinquens vestigia. Et ego longe ante hominem noveram; sed exspectabam ut aut Deus eum converteret, aut instar Judæ ipse se proderet: quod et factum est. Præter libros, de auriis, et aureos multos, in ipso exitu ejus inventa sunt super eum sigilla tria, unum ejus proprium, alterum Prioris, tertium nostrum, ipsumque non antiquum, sed novellum: quod et ob ipsius dolos et furtivas subreptiones mutare nuper coactus

homo versipellis, et pelle sub ovina aliquandiu mentem tegens lupinam, tandem prodidit hypocrisin suam. Nam sigillo Bernardi non semel abusus, et deprehensus falsarius, fugam arripuit: ut non sine causa alias ad Eugenium scripserit Bernardus, periclitatum se in falsis fratribus, epist. 284. Profugisse in Angliam communiter tradunt ex occasione ejusdem Nicolai S. Albani in Anglia monachi, qui S. Bernardi jam e vivis erepti sententiam de Conceptione B. Virginis impugnavit. At cum Petrus Cellensis, qui S. Doctoris causam tuendam suscepit, epistola 23 libri vi, et epistola 9 libri ix, istum Anglum vocet, eumque sibi ex istis duntaxat Scriptorum velitationibus notum et amicum indicet; illum autem Gallum, et Petro Cellensi familiariter notum et charissimum esse constet ex epistolis ultro citroque ad invicem missis; alium ab illo esse fatendum est; ut interim taceam quod stilus ejus non sit tam mordax, sed urbanior, quam ut in Petrum Cellensem tam petulanter se gesserit, ut ipse Petrus conqueritur passim de Nicolao Anglo epistola 9 libri ix, et ex ipsius Angli epistola, quæ ipsam præcedit, legenti innotescit. Cæterum Nicolaus ex monasterio Arremarensi ad Claræ-Valleses transiit absente Bernardo, anno circiter 1146, certe Eugenio in Pontificem assumpto, ut patet ex epistola 7 quam ad Claræ-Valleses nondum admissus scripsit. Fugit vero anno circiter 1151, nimirum post electionem Gratianopolitanam, de qua supra in notis ad epistolam 270, siquidem epistola 389 S. Bernardi ubi de illa agitur, subscripsisse reperitur. Plura de eo in Præfatione ad tomum III.

fuera. Hoc enim est quod vobis tacito nomine A scripsisse me memini (794) : quia videlicet periclitati sumus in falsis fratribus. Quis possit dicere, ad quam multas personas sub nomine meo, me ignorante, quæ voluit, scripsit? Quis mihi det ut ipsa curia vestra ad purum purgetur face mendaciorum ejus? Quis mihi det ut vel eorum innocentia, qui mecum sunt, satis valeat excusari, apud circumventos et præventos impudentissimis ejus mendaciis? Vobis quoque aliquoties in eadem falsitate scripsisse, et non semel, partim convictus, partim et confessus est. De turpitudinibus ejus, quibus terra sordet, et factæ sunt omnibus in parabolam, supersedeo polluere labia mea, et vestras aures. Si ad vos venerit (nam hoc gloriatur, et amicos se habere confidit in curia), mementote Arnaldi de Brixia, quia ecce plus B quam Arnaldus hic. Nullus perpetua dignior inclusione, nihil ei perpetuo silentio justius.

## EPISTOLA CCXCIX.

COMITI ENGOLISMENSI, PRO FRATRIBUS DE BUXIA (795).

*Queritur de gravi exactione suis a comite imposita.*

Nolite mirari, si gravis nobis videtur tam grandis C reditus, qui de terra illa Buxiæ a fratribus nostris exigitur, quia tale aliquid non consuevimus. 283 Nam multas fecimus abbatias, et nulla illarum tali subjacet exactioni. Sed quia vos ita vultis, et Deus pl s acceptat voluntarium bonum, quam coactum, sustinemus juxta conventionem, quam fratres nostri vobiscum fecerunt, donec Deus meliorem vobis C inspiret voluntatem, quod non diffidimus. De cætero diligite eos, fovete, defendite, manutenete : quia tunc securius stabitis ante tribunal Christi, si pauperes ejus habueritis vestri dilectores, et pro vobis intercessores.

(794) Epistola 284.

(795) Scripta circa annum 1150. — In editione prima Lugdunensi anni 1494 legitur, *Comiti Angelberto* (an is de quo epistola 125?) *pro fratribus de Bruzia*. In alia anni 1530, *Comiti Engelberto pro fratribus de Bruzia*. In editione item Lugdunensi anni 1520, et sequentibus præter unam, *Comiti Engolismensi pro fratribus de Buxia*. Hanc lectionem præferunt sæculi nostri auctores, asserentes, Guillelmum, cognomento Sectorem-ferri, comitem Engolismensem, Cisterciensibus locum concessisse D anno 1143 in villa Buxia, ubi situm Benedictinorum cœnobium S. Amantii, ab Arnaldo comite sæculo decimo constructum. Sed cum de concessione loci Cisterciensibus facta isti reclamarent, Bernardum pacis studio locum cessisse anno 1153 : tali quidem conditione, ait Picardus, quod sexaginta marcas argenti monachis Claræ-Vallensis propter ædificia et cætera ab eisdem loco acquisita monachi S. Amantii redderent. Scripsit itaque Bernardus hoc modo : « In nomine Domini. Ego Bernardus Claræ-Vallensis vocatus abbas, notum volo esse, quod locum de Buxia, et quidquid in eo habemus, ex dono comitis Engolismensis, et Petri Austentii, ecclesiæ Sancti-Amantii concessimus. Teste fuerunt dominus Hugo Engolismensis episcopus, dominus Godefridus Lingonensis episcopus, Junius abbas de Corona, frater quoque Philippus Prior noster, et frater Gerardus, et frater Gaufridus, monachi domus

## EPISTOLA CCC.

BLESENSI COMITISSÆ (796).

*Solatur comitissam, filii delicta per aetatem excusans, et melioris frugis spem faciens; unde blande potius et leniter quam aspere tractandum monet.*

Si quando in vos filius vester visus est excessisse, doluimus; et dolemus non minus excessum filii, quam matris injuriam : quod tamen et ipsum excusabile est in adolescente filio. Nempe delicta juventutis, ipsa, quæ commisit, excusat ætas proclivior. An nescitis quia proni sunt sensus hominis, et cogitationes in malum ab adolescentia? (*Gen. viii, 21.*) Confidendum mutatum iri in melius, patris meritis et eleemosynis (797). Propterea insistendum magis, magisque votis et precibus ad Deum pro eo : quia etsi ille minus interdum, quam debuit, se filialem exhibuit, mater tamen pro suis visceribus maternum deserere non debet, sed nec valet affectum. *Nunquid potest mater oblivisci filii uteri sui? Et si illa, inquit, oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui (Isai. xlix, 15).* Oremus et ploremus coram Domino, ut Deus tantæ indolis juvenem, probitatis paternæ imitorem (quod non diffidimus) suâ faciat pietate. Agendum cum eo in spiritu lenitatis, blandisque obsequiis : quia sic melius ad bona opera provocabitur, quam si irritationibus et increpationibus exasperetur. Ita sane de ejus cita lætaque mutatione posse lætificari confidimus cor vestrum et nostrum pariter. Quidni ego totis cupiam visceribus quotidie se ipso fieri meliorem? Utinam qualem inveni in me, talem semper in omnes inveniam. Quid enim, quantum ad nos, unquam volui, et non fecit? Retribuat illi Dominus. Cæterum pro vobis, sicut sæpe petistis, sæpe, prout oportuit, et monui, et monebo.

nostræ. Actum apud Claram-Vallem anno ab Incarnatione Domini 1153. » Ita Picardus, ex schedis ipsius monasterii Sancti Amantii.

(796) Scripta circa annum 1152. — Non vana spe, aut potius vaticinio Bernardus videtur Comitissam solatus. Nam quatuor eam filios Theobaldo Magno comiti Campaniæ genuisse reperio, Henricum comitem Blesensem, qui patri successit anno 1154; Theobaldum dapiferum Ludovici Junioris, ac postea Philippi Augusti-regum, quo in munere successit Radulfo comiti Viromandunorum; Stephanum Sacrum-Cæsarem, postea Cartusianum; itemque Guillelmum, de quo supra epistola 271, cui jam tum puero ad dignitates Ecclesiæ promovendo Bernardus operam suam recusabat. Bernardus hac in epistola agere videtur de Henrico primogenito ad quem epistola 279, qui ex Syria redux, et paternæ potentie successione intumescens, in quosdam excessus ætatis fervore abripiebatur. Inter quos a Sancto memoratur, epistola 376, quod « maledictas nundinas cum Roberto Regis fratre post festa paschalia statuisset, » ut monachia invicem congregarentur. Is tamen Bernardi monitis et piæ matris lacrymis brevi ita resipuit, ut ab illius ævi scriptoribus inter illustres viros referri meruerit.

(797) Nempe Theobaldi Magni, de quo supra in notis ad epistolam 57 : cujus eleemosynas et benefacta prædicat Vita non solum Bernardi, sed etiam Norberti et aliorum; item nova hic epistola 416.

## EPISTOLA CCCI (798).

SANCIE SORORI IMPERATORIS HISPANIÆ (799).

*Controversiam, ex receptione cujusdam monasterii inter suos et alios quosdam Religiosos natam, ejus opera sopiri cupit.*

1. Quod factum est de receptione Tholdanos monasterii, sciatis per me non esse factum, utpote absentem et ignorantem quid fieret. Factum autem per nostros non nego, consilio tamen multorum Religiosorum, episcopi conniventia et assensu, nobilis quoque dominæ, quæ locum illum in propria possessione fundavit, petitione et voluntate, publice, ut accepimus, et nihil in abscondito factum. Existimabant autem se libere posse suscipere locum, quem in Dei libertate, et sine alterius ecclesiæ subjectione fundatum, ipsa quæ fundaverat asserebat; et privilegia, ut aiunt, præ manibus erant. Cæterum quia Carracetenses [al. Carracenses] fratres factam sibi in hoc injuriam, ut scribitis, conqueruntur, nec audientes Salomonem, qui ait, **284** *Noli prohibere cum qui bene vult facere; si potes, et ipse bene fac* (Prov. III. 27), nobis in tam sancto opere, contradicunt: et quoniam servos Dei non oportet litigare (II Tim. II, 24), consilii nobis fuit ad vestrum potissimum consilium causam remittere, ut vestra auctoritate et opera omnis inepta et injusta, ut aiunt, calumnia conquiescat; et Ordo in domo Dei receptus, ad ejus gloriam et vestram ipsius salutem deinceps in pace permaneat.

(798) Scripta circa annum 1149.

(799) Alfonsi scilicet, cognomento Boni, Castellæ et Leonensis regis seu imperatoris: nam hoc titulo donari amabant tunc temporis illi reges. Sancia hæc in S. Bernardum mire propensa, asceterium Cisterciensis Ordinis in diocesi Palentina, Sancti-Petri de Spina appellatum, condidit anno 1147, colonia a Bernardo transmissa, duce ejus fratre Nivardo. Nec multo post monachi nigri cœnobii de Toldanos in regno Legionensi, ab Elvira infantissa recens fundati, Carracetensium, quibus suberant, jugum deponentes, Cisterciensibus se subdiderunt. Statim Carracetenses reclamavere, implorata Sanciæ apud Bernardum auctoritate. Quid vero inde secutum sit, discimus ex veteri instrumento, quod profert Mauricus in Annalibus ad annum 1148, cap. 8, in quo inter cætera sic legitur. « Post decessum D. Florentii abbatis, iste Ferdinandus abbas de Toldanos Carracetensem ecclesiam gratis odio habuit, et ei rebellis, et contumacia ductus ad Claræ-Vallensem ecclesiam se contulit. Quod regina donna Sancia, quæ Carracetense monasterium affectuose dilexit, moleste ferens, Claræ-Vallensi abbati et conventui litteras direxit, ne prædictum abbatem illicenter recipiant. Claræ-Vallensis abbas Regiæ preces exaudivit, abbatem Ferdinandum recipere noluit, nisi a Carracetensi ecclesia, ut reciperetur, licentiam impetraret. Quam cum impetrare non posset, nec Claræ-Vallensi, nec Carracetensi ecclesiæ aliquamdiu obedivit. » Hæc ibi. Istud tamen cœnobium post plures annos jugum Cisterciensium subiit.

(800) Ex hoc loco scriptores Cistercienses recte colligunt, Nivardum, Bernardi germanum nata minimum, a sancto fratre suo in Hispaniam missum ad deducendam coloniam in prædictum Spinense monasterium. Vide Epistolas 372 et 373. Idem etiam ab eodem antea missus fuerat in Neustriam ad ordinandum in diocesi Bajocensi novum cœnobium in

A 2. Nam et frater Nivardus (800), qui multum gratulatur de vobis, satis in hoc de vobis confidere monuit sum propter vestram erga nos specialem devotionem, tum etiam propter bonam, quam audivit a vobis, de hoc ipso promissionem. Si autem vestris (quod non credimus) salutaribus monitis aut consiliis contradictores illi acquiescere nolunt, tunc duorum iudicio episcoporum, ad quos duo illa loca jure parochiali pertinere noscuntur, omnis inter eos controversia terminetur: quodque ab eis judicatum sive constitutum concorditer fuerit, vestrum erit ratum habere, et de cætero firmiter manutenere. Si timetis Deum, non patiemini impediri tantum bonum, nec bonam illam mulierem frustrari a desiderio suo, nec fratres illos suæ devotionis privari fructu, nec Deum denique tam accepto sibi reformati ordinis sacrificio defraudari (801). Obsecramus vos et pro novella vestra plantatione, illos loquor de Spina, ut eis viscera misericordiæ exhibeatis, quatenus vestro beneficio sustentati, in servitio Dei et suo ordine perseverent.

## EPISTOLA CCCII.

LEGATIS APOSTOLICIS, PRO ARCHIEPISCOPO MOGUNTINO (802).

*Causam archiep. ab adversariis gravati commendat.*

Dominis et patribus reverendis, apostolicæ Sedis LEGATIS, puer Sanctitatis eorum BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, per omnia Deo placere, et

C loco Solopera seu Soleuvria dicto, qui locus situs est haud procul ab oppido Virio. Robertus, Heirnesii filius, « Bernardo abbati Claræ-Vallensi, et ecclesiæ beatæ Mariæ de Soleuvria, » tradit habitationem suam Fago Pendenti vicinam, circiter annum 1146. Algarus vero Constantiensis episcopus confirmat donationem, a quodam Wilhelmo Silvano, « Deo, et beatæ Mariæ de Soleuvria, et fratribus ibidem Deo servientibus factam in manu Nivardi, fratris domini Bernardi Claræ-Vallensis abbatis. » Quo ex loco inferunt, Nivardum tunc istius cœnobii fuisse abbatem. Paulo post, id est anno 1150, idem monasterium ob loci exiguitatem et incommoda translatum est in Vallè-Richerii, quæ de feodo ecclesiæ Bajocensis et parochia erat; Solopéra in dominium Bajocensis episcopi, sicut antea fuerat, resignata, cum consensu Bernardi abbatis. Exstant in Neustria pia Philippi episcopi Bajocensis litteræ de conventionem, quæ inter eum, « et abbatem Thomam de Valle-Richerii facta est de loco, qui Solopera vocatur, in quo prius ejus abbatia erat, » commutato cum Valle-Richerii, quem locum Philippus episcopus ei concessit, sicut abbas de Mortuo-Mari antea ab ipso acceperat. Hugo Rothomagensis antistes hanc commutationem confirmavit Bajocis anno 1150. Thomæ abbati Vallis-Richerii successit Rogerius, qui loci istius secundus abbas in epitaphio suo dicitur.

(801) Lambertus Campester, editionis anni 1520 auctor, hic ad marginem notat, mentionem reformationis fuisse tempore Bernardi.

(802) Scripta anno Christi 1153. — De ista legatione ita Baronius ad annum 1153: « Eodem anno, » inquit, « decernitur ab Eugenio papa legatio in Germaniam ad judicandum episcopum Moguntinum. Fuerunt delecti ad hoc munus obeundum Bernardus presbyter et Gregorius diaconus, » etc. Bernardus quidem ex priore monasterii Lateranensis Canonicus regularis ab Eugenio presbyter cardinalis tituli

gratos fructuosæ suæ legationis manipulos reportare.

Etsi corpore remoti, sed affectu et bona voluntate vobis appropriavimus, optantes et orantes dirigi actus et studia vestra ad omne quod decet et expedit. Inde est quod audientes miserandum illum archiepiscopum Moguntinensem, vocatum ad vestram præsentiam ibique responsurum adversariis suis, ausi sumus vestram pro eo interpellare bonitatem. In hoc enim credimus honorificari ministerium vestrum, si, quatenus salva justitia licet, parieti inclinato et maceræ depulsæ humeros vestræ auctoritatis supponitis; nec calamum quassatum conteri, nec linum fumigans (quod in vobis est) exstingui permittitis. Sentiat, obsecramus, sibi profuisse et preceam nostram, et suam simplicitatem, ob quam fertur a falsis fratribus circumventus potius, quam inventus in aliquo dignus depositionis.

### EPISTOLA CCCIII.

LUDOVICO JUNIORI REGI FRANCORUM.

*Quid agendum regi causa cujusdam de Britannia adulteri et excommunicati.*

Si homo ille de Britannia dimittere vellet adulteram, ut posset solvi anathematis vinculo quo tenetur, et illa paternam hæreditatem suam secundum divisionem suam, quam fecit cum fratre suo, a vobis requireret, etsi hoc ipso indigna, non esset forsitan recusandum, **285** ut proinde potentis viri servitium et auxilium haberetis. Alioquin non est consilium humilis fidelis vestri concedi ullatenus aut terram extraneo, aut vestri favorem domini excommunicato et incestuoso: ne (quod Deus avertat) quandoque et vos audiatis, *Si videbas furem, currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas (Psal. XLIX, 18).* Nec tamen verbum præcipitanter, et quasi ex abrupto rumpere consuluerim. Agendum autem per fidelem et prudentem nuntium, quatenus, si fieri potest, induciatur, et tempus redimatur. Quod si et hoc ille renuerit, et malignari maluerit; fidendum in Domino quia non prævalebit: quoniam quidem justitia, quæ cum rege est, erit

S. Clementis creatus anno 1145, Gregorius vero is esse creditur, qui anno 1137 ab Innocentio factus est cardinalis tituli S. Angeli. Conradus episcopus, qui centum annis postea scripsit Chronicon Moguntiacum, Henricum depositum tradit, omnemque culpam rejicit in Arnoldum quemdam episcopi proditorem; Dodechinus in Appendice ad Marianum, in Canonicos; uterque in Legatos pecunia corruptos, suffecto Arnaldo Cancellario. Otto nihilominus Frisingensis, de Vita Friderici, lib. II, cap. 9, qui præsens aderat, juste depositum asserit. « Rex, » inquit, « proximam Pentecosten Wormatiæ ferians, Henricum Moguntiae sedis archiepiscopum, virum pro defensione Ecclesie frequenter correptum, nec correctum, per eosdem cardinales deposuit, » etc. Videat Lector utri assentiendum sit, scriptori superari, an oculato, docto, et sincero. Certe quod addit Conradus, brevi post tempore ambos cardinales morte pudenda interiisse, erroris arguitur, cum Otto ibidem asserat eos diu supervixisse, et Bernardum alia legatione itidem in Germania perfunctum esse sub Adriano IV in comperto sit. Ut sit, Henricus depositus in Saxoniam secedens, non multo post in cæ-

A pro rege. Nescio autem an episcopus (805) ad hoc conveniens, satisque idoneus sit: non quia fidelis non sit, et quidem fidelissimus; sed quia odit illum, nec suum, ut vereor, consilium credet ei. Ipse tamen paratus est pro vestra voluntate ad omne, quod cum Dei voluntate facere poterit. Si quid est quod quasi ex parte mea vobis secreti suggerat, a me hoc illud accepisse sciatis, et tanquam ex ore meo id accipiatis. Homo est enim quem multum diligo, et satis credo ei: vosque illi, ni fallor, credere quod volueritis, secure potestis.

### EPISTOLA CCCIV (804).

EIDEM.

*Gaudet valetudinem suam regi esse curæ; Robertum regis germanum commendat.*

B In litteris, quas misit Dignatio vestra, lætificastis animam meam: lætificet vos ipse, qui in causa est, Deus. Quis sum ego, aut quæ domus patris mei, ut de morte, vel vita mea Majestas regia cogitet? Et nunc quia tanti habitus sum, ut de meo esse scire curetis, sciatis me aliquantulum convaluisse (805), et, ut me sentio mortis interim ereptum periculo, lebilem tamen, et debilem valde. De cætero scire vos volo, dominum Robertum (806), germanum vestrum, dignanter nos et devôte satis visitasse in infirmitate nostra, sed et sic locutum in auribus nostris, ut gaudium nobis et spem de se meliorem reliquerit. Diligite eum; quia si dictis facta compenset, complacebit vobis in illo: et, si dignum judicatis, sciat vobis placere quod nostro et bonorum consiliis de cætero se acquieturum promisit. Sigillum non erat ad manum: sed qui legit, agnoscat stilum, quia ipse dictavi (807).

### EPISTOLA CCCV (808).

AD DOMINUM PAPAM EUGENIUM.

*Episcopum Belvacensem a Romano itinere justis ex causis detentum. Itaque causam ejus Pontificis consilio totam committit.*

Filius vester ille Belvacensis (809) (quem dicerem et nostrum, nisi insolentiam redoleret) appellatus ad vestram præsentiam veniebat, et libens, utpote de

nobis Cisterciensi diem extremum pie et feliciter clausit. Vide Serarium de Rebus Moguntinis lib. V, et Baronium ad annum 1153. Ad eundem Henricum est epistola 365.

(805) Forsan Joannes, Aletensis seu Sancti-Maclovii episcopus ex monacho Ordinis Cisterciensis, ad quem plures epistolæ Petri Cellensis, lib. I epistolæ 15 et sequentes.

(804) Scripta eodem anno.

(805) Vide epistolam 307, n. 2.

(806) Vide epistolam 222, 224, 376.

(807) Id est, scripsi; ut ex ipsis verbis intelligitur: quo sensu etiam aliis in epistolis hoc verbum sumitur, in epistola 85, n. 4, et in epistolis 307, 310. Differt tamen dicto a scribo in epistolis 89, et 90, n. 1.

(808) Scripta anno Christi 1153.

(809) Henricus, Ludovici Junioris germanus, de quo epistola 278. Confer epistolam 307. « Nostrum » dicit Bernardus, itemque in epistola sequente, « frater vester; » nam Henricus monachus Claravallensis fuerat, ut in Vita libro IV, n. 15. Vide notas ad epistolam 307.

sua justitia securus, et de vestro paterno favore non dubius. Sed obstiti ego, et vix eum potui retinere, quippe cupidum videnti faciem vestram. Quod autem retinere volui, cum multa occurrerent causæ, illud præcipuum fuit, quod de vestra dubitavimus voluntate. Deinde præter alias incommoditates non paucas, quæ obviare viderentur, ipse et frater suus Rex non ambulant in uno spiritu, et non erat satis tutum diu absentari a suis. Nolo a me quæ atis cuius sit culpa: non est meum inculpæ quequam. Sufficit mihi excusare episcopum. Quidquid humilitatis, quidquid obsequii pro sua persona potuit, vidimus exhibentem, **286** et nihil proficiente. Scitote tamen, quidquid timet, quidquid accidere debeat, sine mora venturum, ubi vobis placitum cognoverit. Persona ejus, et causa ejus in manu vestra. Nec enim in sibi credito ita agit, vel ita conversatur, ut se tali indignum putet prærogativa. Itaque pro se direxit istum, sciens quod ad patrem dirigeret. Scire placet quid injunctum sit ei? Nihil ex injuncto agere, sed totum committere vestro consilio, de quo totus pendet ipse. Nempe fiduciam habet, non modo judicari causam suam a vobis, sed juvari, sed foveri, sed manuteneri. Si placet eam committere domino Remensi archiepiscopo, maturum posse sortiri finem Domino auxiliante confidimus, si tamen appellandi suffugium parti utrique subtrahatur.

EPISTOLA CCCVI (810).

DOMINO OSTIENSI (811) PRO ELECTIONE ABBATIS  
TUROLDI DE TRIBUS-FONTIBUS.

*Purgat se adversus calumniam Hugonis episcopi Ostiensis, qui promotionem Turoldi in abbatem Trium-Fontium indigne ferebat: nam alium ipse, Nicolaum scilicet, designaverat. Roberti electionem in novi monasterii abbatem excusat.*

1. Væ mundo a scandalis (Matth. xviii, 7). Ego vos scandalizo? ego vobis scandalo sum? Quis hoc crederet posse contingere, nisi cui nota non esset nostra unanimitas, nostra mutua charitas, et quomodo in domo Dei ambulavimus cum consensu? Subita et dolenda mihi mutatio! Qui me portabat, nunc parat opprimere; qui me defensabat, nunc terret, minis, blasphemis impetit, arguit prævaricationis! Protoplasti super gravi et singulari peccato confessionem requisiti sunt (Gen. iii): Ninivitæ ad pœnitentiã expectati sunt (Jon. iii): Sodomitæ non de auditu, sed magis de visu puniti sunt (Gen. xix): Mecum eo differentius, quo contemptibilis actum est. Non sum reputatus qui ponerer ad rationem, qui invitarer ad satisfactionem, qui cau-

am requirerem, qui pro me respondendi facultatem acciperem. Non conventus judicatus sum; non convictus condemnatus sum.

2. Et nunc audite, si dignamini, excusationem nostram, et si forte minime sufficientem vobis, veram tamen. Voluistis loco vestri substitui fratrem Nicolaum; et ego memini, non diffiteor. Ita convenit vobis pariter et mihi: fore credidi propter quod locutus sum. Quod ita non est factum, necessitas fecit, non duplicitas. Res in discordiam versa est. Quid dico in discordiam? Concordia magis fuit. Tam concorditer discordes ab hac nostra conniventia omnes inventi sumus, ut nec unus quidem monachus sive conversus, præter duos aut tres, qui vestrates erant, acquieverit assentire.

B Tentavimus nihilominus tamen in multis argumentis, nunc blandiendo, nunc terrendo quomodo res effectum sortiretur; sed ut unanimiter ita et pertinaciter obstiterunt. Possemus vim facere: sed sic mihi parcat Deus quomodo parcendo illi omisimus, ne homo verecundus et pusillus corde (ut nostis) et fugitans onus, in hoc tanto turbine remaneret. Nam præter ea quæ extrinsecus sunt, quæ probastis et vos, supra vires ejus esse omnia videbantur. Itaque tollentes eum cum suis imposuimus onus, quod eo levius ferret, quo a nostris pariter portaretur. Est enim locus noviter ordinatus de fratribus nostris et vicinior nobis, ut possit a nobis facilius frequentari. De abbatibus ad locum pertinentibus, quia assensum vestrum non tenebamus, nihil ausi, fratrem Robertum, quo nemo magis idoneus ad manum esse tunc visus est dare voluimus: cum responsum est nobis **287** a vestra discretionem fuisse prohibitum. Quid plura? Acceperunt hominem qui vestræ, sicut accepimus, displicet Sanctitati.

3. Nec latet causa. Inhonestum, ut aiunt, publice prædicatis, et ob turpitudinis notam e priori monasterio trusum (812), cui ante præfuerat. Potest ita exstitisse: me, quantum recordari valeo, usque ad hoc tempus non audisse hujusmodi verbum de illo, Deum testor et angelos ejus. Sed neque ipse archiepiscopus (813), cum eum amovere omnimodis niteretur, tale aliquid vel scripto, vel nuntio nobis aliquando significavit. Egone turpitudinis assentator [al. fautor] forem aut inhonesti? Si ita de me sentitis, videte ne vestram quoque Excellentiam pariter involvat hoc nubium: quippe qui cum ejusmodi tam notam omnibus familiaritatem atque amicitiam semel initam, tanto studio hucusque fovistis. Et de archiepiscopo quid dicitis? quid sentitis? An et ipse

(810) Scripta anno Christi 1151.

(811) Scilicet Hugoni, antea Trium-Fontium in Campania Galliarum provincia abbati, ex epistolis 273 et 274. Unde etiam cardinalis præcipuam ejus loci curam gerebat.

(812) Id est ex Fontanensi in Anglia, cui post Mauricium Turoldus seu Turolus duobus annis præfuit, multa pro potestate agens, quædam etiam contra consilium et voluntatem archiepiscopi venerabilis præsumens. Unde e iam orta inter eos simul-

tate, de mandato sancti patris Bernardi resignato officio Rievallem reversus, ex quo assumptus fuerat, teste Serlone in Historia Fontanensi, Monasterii Anglicani tomo I, pag. 748.

(813) Eboracensis, nomine Henricus de Murdach, et ipse Anglus, et monachus antea Claræ-Valleus, ad quem epistola 106, qui et ipse fuerat abbas Fontanensis, tum ex hac epistola, tum ex notis ad epistolam quæ nunc est 321.

quem talem sciret (nec enim poterat nescire, cum notus esset ex longo) prior promoveret et in loco cui ipse præfuerat? Minime ego vel tenuiter suspicer illud de tali viro, et tanto amatore honestatis. Et quidem qui promovit ipse et amovit; non negaverim: qua ratione hoc fecerit viderit ipse. Nam multis displicuisse factum cognoscitur, nempe nec rationem, nec ordinem, nec consuetudinem in ejus amotione cernentibus. Tantum archiepiscopus sic voluit; et ne contristaremus eum, nostro hortatu iste in pace cessit, et dedit locum iræ.

4. Unum dico : ex quo ad nos intravit (814) (sicut testimonium habet ab omnibus), nihil in eo quod promotioni huic obviaret comperitum est. Sine querela conversatus est. Adhuc non deest homini litteratura congruens, non doctrina, non affabilitas, non gratia in vultu et sermone. Sed suspecta est vobis brevitudo temporis quod nobiscum fuit : fateor et mihi. Fortassis bene faciet : fortassis male. Vereor omnia opera mea, et quod operor non intelligo. Unde certus non sum certum vos facere minime possum. Factum est ; et quod factum est, non potest non fieri. Si propheta fuisset, non profecto fecissem unde amicum offenderem, sanctum turbarem, episcopum scandalizarem. Quid vultis ut faciam? sic factum est tali necessitate, talique ordine.

5. Hæc excusatio mea. Si sufficit tollatur de medio scandalum : si minus, ego iudicium portem, quod et quale decreveritis. Nam si quod ædificavi, tam cito iterum destruam, grave; nisi forte causa conveniens supervenerit : quod fortasse processu temporis accidere potest. Si vultis vos amovere eum, potestatem habetis. Non obsisto, non me oppono torrenti. Inique non egi. Si insipienter videor, in

(814) Ergo relicta Rievalle accesserat ad Claram-Vallem. Quod subditur de ejus litteratura, probat Serlo his verbis : « Homo in Scripturis sacris non mediocriter eruditus, et in liberalibus artibus sufficienter edoctus. »

(815) Nempe Eugenii. Ita Innocentii II offensam incurrerat Bernardus vera dicens, ex epistola 218 ; adeo summorum hominum gratiam retinere difficile est, quantumvis bene meritis, citra dispendium veritatis!

(816) Scripta anno Christi 1153.

(817) Henricus, Ludovici Crassi filius, et Ludovici Junioris regis Galliarum frater, episcopus Belvacensis, male, uti hinc apparet, apud Pontificem adiit. Unde respondet Bernardus, se de ejus erratis, si quæ sint, dolere posse; emendare, prout velit, non valere : malletque Bernardus ipsum potius Pontificem has ejus corrigendi partes sibi sumpsisse, et fraterne eum monere super his, quæ de eo audiverat. Porro de repentina, sed a Bernardo prævisa, ejus ad religiosum statum conversione, lege Vitam S. Bernardi, lib. iv, cap. 3, quam nos, secuti Baronium, in Chronologia ad annum 1149 retulimus, cum eo anno factum episcopum Belvacensem videatur certior temporis nota convincere, uti Jacobus Sirmundus ad Epistolas Petri Cellensis ex Supplemento Sigeberti notat, lib. 1, epist. 24. Sed longius a vero recedit notatio inibi episcopatus Belvacensis ab Henriquez in Menologio ex Joanne Chenu relata ad annum 1161. Denique ad Remensem cathedram evectus est anno 1163. Cæterum quam

A promptu est vobis insipientiam meam corrigere; aut, si hoc dignius judicatis, etiam et punire. Dico tamen, si pie, si christiane mecum agitur, corripiet me justus in misericordia et increpabit me, non in ira apud alios diffamabit. Habetis formam meam hic, nisi et hoc indignamini præsentibus litteris. Nempe comperta per alios, et non per vos vestra indignatione, cautum habui non rependere vicem : sed mox vobis de vobis per præsentia scripta conqueri. De cætero benedictus Deus, qui et hoc quod dederat, et de quo mihi forte immoderatus blandiebar, solatium ante exitum tulit : vestram scilicet et domini mei gratiam (815), ut vel proprio experimento discam, non ponere spem meam in homine.

### 288 EPISTOLA CCCVII (816).

AD EUMDEM.

*Belvacensem episcopum contra sinistros rumores tuetur. Valeitudinem suam extreme afflictam indicat : et quid archiepiscopo Lugdunensi acciderit.*

1. Festine ista dicto, et ob hoc minus festive : siquidem viator transire festinans urget. Res mira, sed magis læta. Frater G. Fulcherius cum litteris domini mei pariter et vestris, simulque præsentium lætor peregrinus, uno pene momento adluerunt, Deo ita sine dubio providente, ut haberem per quem festinanter rescriberem : quod utique cupienti mihi non poterat satis esse festinum. Inde est quod hæc in infirmitate mea ipse dictavi, quod non esset tunc alter ad manum. De domino Belvacensi (817) quod primum posuistis, primum ita respondeo. Sui juris est : jam non est in mea potestate, sed in civitate vita ejus et conversatio. Si secus quam debet, vel decet interdum agit, dolere possum; sed emendare prout volo non valeo. Verumtamen quod vobis

invitus primo episcopatum susceperit, ostendit scriptis ad diversos epistolis imo et ipsi Bernardo præmatura promotio non est visa carere scrupulo, ut proinde Petrum abbatem Cluniacensem consulendum putaverit, uti videre est apud eundem, libri v, epistola 8, quam vide. Ipsius Henrici epistolam, Sugerio abbati Sancti-Dionysii scriptam, vide in Gallia Christiana in episcopis Belvacensibus. Alteram ad dictum abbatem Cluniacensem hinc tibi exhibendam duximus, vel quod suspicemur ab ipso Bernardo dictatam, vel certe ad imitationem Bernardi compositam. Prius enim non improbabile, cum non fuerit Bernardo insolens, aliorum, etiam episcoporum, nomine dare litteras : quarum plures habemus inter editas. Si id minus, alterum res ipsa convincet. Confer initium cum epistola 256 ad cardinales de electione Eugenii pontificis. Confer sequentia cum epistola 16, ubi eadem verbo tenus.

*Inter patres reverendissimo, et inter amicos charissimo domino PETRO abbati Cluniacensium, frater HENRICUS, sive jubente, sive permittente Deo, Belvacensis electus, se ipsum, et si quid amplius potest.*

*Parcat vobis omnipotens Deus, quid est quod fecistis? Sepultum hominem revocastis ad homines, et consilio vestro, cui nimium creditum est, expositus sum, et repositus in terribile curarum pelagus : ut ne iterum honoris altitudo resorbeat. Nescivi, anima mea conturbavit me, propter quadrigas Aminadab, quas suscepi regendus : regi, non regere opus habens.*



suggestum est de vagatione ejus, nimium exstitisse A in ea, usque adhuc nos non comperimus, nec inde notatum apud nos quandoque audivimus. Ex quo ad eum venit frater Robertus, qui cum eo est, turpe et grave aliquid perpetrasset, aut episcopo persuasisse, ad aures nostras nondum omnino pervenit: et mirum si ad vos potuit pervenire, quod latere nos potuit. Dabo tamen operam facere quod vultis de revocatione ejus, si quando honeste et opportune potuero. Jamque fecissem, si cum pace episcopi potuissem, et non timuissem inutiliorem huic subrogandum. In Quadragesima venit ad nos ipse episcopus, paratus ire ad curiam causa cujusdam appellationis: et venisset, nisi nos dissuasissemus. Porro dissuasionis intentio fuit, quod non ita videretur esse paratus, sive in consilio, sive in comitatu, ut juvenis episcopi personam decuisset. Propositum tamen ejus est proficisci tempore opportuno. Frater vester est; facite cum illo misericordiam, ut adversarii ejus non praevalcant adversus eum. Vellem vos ad ipsum potius, quam ad nos scripsisse, et fraterne monuisse super his quæ de eo audistis.

2. Deinde super statu corporis mei cognovi vos esse sollicitum. Verum est quod audistis; infirmatus sum usque ad mortem, sed interim revocatus ad mortem: atque hoc, ut me sentio, non diu. Longe enim sum debilior quam credi possit. Quod tamen dixerim absque præjudicio divinæ providentiæ, quæ et mortuos suscitare potest. Et in hoc sit responsum non modo vobis, sed et domino meo: cui volo et oro, ut in quantacumque devotione poteritis, accito vobis pariter domino Tusculano (818), plenissimas grates referatis pro tanta dignatione, et sollicitudine tam pia.

*Manus meas miserunt ad fortia, opus esset fortitudine. Speculator domui Israel factus sum, opus esset prudentia. Sapientibus et insipientibus debitor factus sum, opus esset justitia. Prædicator populo Dei datus sum, opus esset temperantia: ne forte cum aliis prædicavero, reprobus (quod absit) inveniar. Sed quæ sunt ista, et quis ego sum? vel ubi ista, et ubi ego? Domine Pater, et Deus vitæ meæ, imperfectum meum viderunt oculi tui: Domine, vim passus sum, responde pro me: quia sola obedientia coegit me, sine qua, juxta virum sanctum, infidelis quisquis esse convincitur, etiamsi fidelis esse videatur. Et quia nemo majori fiduciam utitur, quam qui ex affectu diligit, nunc vos quasi portionem animæ meæ convenio, deponens apud vos familiarem et dolentem querelam. Quid vobis visum est, ut litteris vestris, ad dominum abbatem missis, saceretis stultitiam meam elevari super candelabrum? Credidisti quidem, domine, propter quod locutus es: nec fallere, nec falli voluisti; sed non evasisti secundum. Verum tamen quoquo modo factum sit, et quaquaversum vertat exitum rei Dominus Deus noster, ego vester sum, et ad vestrum servitium, si dignamini, præparatus. Me accipite in serrum, in amicum, in filium; et illi s nctæ multitudini, cui Deo auctore præestis, specialem et uterinum monachum, ne dicam episcopum, sæmpiterno fardere sociate.*

Existimo superiorem epistolam non a Bernardo scriptam fuisse, sed potius a Nicolao Claræ-Vallensi ejus notario, qui alias Henrici nomine scripsit, nempe tertiam decimam ad ipsum Petrum Venera-

3. Jam de domino Lugdunensi (819) audite <sup>quod</sup> verum est et quod certum sit vobis. Vir ille aggressus est, iter cum multa pecunia et honorabili comitatu, prout decebat tantum archiepiscopum: et ecce undique in ipso peregrinatione procinctu insidiarum inimicorum. Quid faceret vir desiderii? Progredi non licebat, et desistere a proposito sibi gravius omni captivitate judicabat. Comites suos partim remisit, partim dispersit. Massa pecuniæ se exoneravit, modicum retinens, unde cum paucis posset perficere viam. Quid plura? venit cum tribus aut quatuor ministris, ipse nihilominus in habitu ministrantis; **289** sicque strata publica cum turba promiscua peregrinorum, tanquam unus ex illis, pervenit ad Sanctum Ægidium (820). Cumque infirmaretur, pertransiit usque ad Montem Pessulanum. Ibi aliquandiu commoratus, cum medicis expendit et quod habebat, et quod non habebat (821).

#### EPISTOLA CCCVIII (822).

AD ALFONSUM PORTUGALLIÆ REGEM.

*Petitione regis se ad laborasse respondet, et fratrem ejus brevi a terrena militia ad cælestem transiturum prædicit.*

ALFONSO illustri regi Portugallorum, BERNARDOS Claræ-Vallis vocatus abbas, si quid potest peccatoris oratio

Litteras et salutes celsitudinis vestræ suscepimus gaudentes in eo qui mandat salutes Jacob. Quid in hoc egimus, et exitus pro nobis, et vos per exitum comprobabitis: animi promptitudinem ex injuncta sollicitudine, vel saltem ex memorata necessitudine colligetis. Petrus, celsitudinis vestræ frater (823), et omni gloria dignus, a vobis injuncta retulit; et Gallia armis pervagata, in Lotharingia militat, proximo

bilem, vigesimam sextam ad Hugonem de Compendio. Exstat et alia ejusdem Nicolai ad eundem Henricum, nempe trigesima nona, ex qua apparet, quanto eum amore sit prosecutus.

(818) Ymaro seu Igmario episcopo Tusculano ex monacho Cluniacensi, ad quem epistola 219. Litteris Gilleberti Parisiensis episcopi pro concordia inter Drogonem de Claciaco et monachos Sancti Martini de Campis subscripsit Ymarus tum monachus, nempe anno 1122.

(819) Scilicet Heraclio.

(820) Vide Notas ad epistolam 241.

(821) In antiquis editionibus hic perperam repetuntur epistolæ 147 et 230.

(822) Scripta anno Christi 1153. Vide epistolam 419.

(823) Hic Petrus, Alfonsi Portugalliæ regis frater, unus fuit ex illis juvenibus, quos torneamentis ad dictos haustu cervisiæ benedictæ S. Bernardus ad conversionem provocavit, qua de re in libro primo Vitæ S. Bernardi cap. 11, n. 55. Porro quid isie a fratre Alfonso ad Bernardum in mandatis habuerit, constat ex ipsius Regis ad Sanctum epistola, quam refert Henriquez in Menologio ad diem nonam Maii: nempe debellatis Mauris regium nomen sibi a subditis delatum assumpserat, sed rege Castellæ contradicente, nisi certum illi tributum penderet. Itaque Bernardi opera Regis sibi a Pontifice titulum confirmari rogat, malens tributum persolvendi reus esse B. Petro seu Sedi apostolicæ, quam vicino et ænulo regi. Vide epistolam 419.

militaturus Domino exercituum. Frater Rolandus, A  
filius noster, apostolicæ largitatis litteras desert.  
Ipsam, fratres nostros vobiscum degentes, et me  
ipsum commendatos habete.

## EPISTOLA CCCIX (824).

AD EUGENIUM PONTIFICEM.

*Laudat Sugerium abbatem, ejusque legatos Pontifici  
commendat.*

Amantissimo patri et domino EUGENIO, Dei gratia  
summo Pontifici, frater BERNARDUS Claræ-Vallensis  
vocatus abbas, modicum id quod est.

Si quod magnæ domus magni Regis vas in honore  
habetur apud nostram Ecclesiam Gallicanam, si quis  
ut David fidelis ad imperium Domini ingrediens et B  
290 egrediens (*I Reg. xxii, 14*), meo judicio ipse  
est venerabilis abbas Sancti-Dionysii. Novi siquidem  
virum, quod et in temporalibus fidelis et prudens,  
et in spiritualibus fervens et humilis; et in utrisque  
(quod est difficillimum) sine reprehensione versetur.  
Apud Cæsarem est tanquam unus de curia Romana,  
apud Deum tanquam unus de curia cœli. Petimus  
et obsecramus, benigne a vobis suscipi nuntios tanti  
viri; et, sicut vos decet et ipse omnino dignus est,  
rescribi ei verba bona et amicabilia, plena familia-  
ritatis et dilectionis, plena favoris et gratiæ: siqui-  
dem specialius diligere et honorare personam ejus, C  
est honorificare ministerium vestrum.

## EPISTOLA CCCX.

AD ARNOLDUM CARNOTENSEM ABBATEM BONÆVALLIS  
(825).

*Bernardus in extremis positus, hanc amico epistolam  
ultimam scripsit.*

Susecepimus charitatem vestram in charitate, et  
non in voluptate. Quæ enim voluptas, ubi totum sibi  
vindicat amaritudo? nisi quod solum nihil comedere  
utcumque delectabile est. Somnus recessit a me, ne  
vel beneficio sopiti sensus dolor unquam recedat.  
Defectus stomachi fere totum quod patior est. Fre-  
quenter et in die, et in nocte exigit confortari mo-  
dico admodum qualicumque liquore: nam ad soli-  
dum omne inexorabiliter indignatur. Hoc parum  
quod dignatur admittere, non sine gravi molestia  
sumit: sed timet graviolem, si se vacuum omnino  
dimiserit. Quod si plusculum quid interdum admi-  
tere acquiescat, id gravissimum. Pedes et cura in-  
tumuerunt, quemadmodum hydropicis contingere  
solet. Et in his omnibus, ne quid lateat amicum de  
statu amici sollicitum, secundum interiorem homi-  
nem (ut minus sapiens dico) spiritus promptus est  
in carne infirma. Orate Salvatorem, qui non vult  
mortem peccatoris, ut tempestivum jam exitum  
non differat, sed custodiat. Curate munire votis cal-  
caneum nudum meritis: ut is qui insidiatur, inve-  
nire non possit unde figat dentem et vulnus infligat.  
Hæc ipse dictavi, sic me habens, ut per notam vobis  
manum agnoscatis affectum. Veruntamen rescri-  
psisse, quam scripsisse maluerim.

## ADMONITIO.

*Hactenus prima sancti Bernardi epistolarum collectio, quæ ipsius tempore ab ejus discipulis facta est, ut  
in Prefatione diximus. Harum epistolarum ordinem, adeo antiquum et receptum, mutare fuit religio. Se-  
quentes vero, quæ in prioribus editis confuse et temere, nulla habita temporis ratione, adjecta sunt, in ordi-  
nem redigere visum est operæ pretium, ad marginem apponendo vulgatum ordinem, quem unaquæque earum-  
dem epistolarum antea obtinebat. Verum quæ huic editioni jam primum accesserunt, singulas NOVÆ nomine  
ad calcem paginæ distinximus. His omnibus succedet APPENDIX, quæ Bernardi epistolas dubias, chartas et  
instrumenta ejus nomine confecta, ad hæc litteras ad eum vel pro eo scriptas complectetur, cum aliis nonnullis  
quæ ad illustrandam ejus epistolas conducere visa sunt.*

## EPISTOLA CCCXI (826).

AD HAIMERICUM CANCELLARIUM.

*Æmulos quosdam piis aliorum coratibus adversantes  
acriter perstringit: Haimericum vero ad sedulam  
boni publici curam, oblata occasione, exstimulat.*

Viro illustri domino HAIMERICO, sanctæ Romanæ  
Sedis cancellario, Hugo Pontiniacensis abbas, et

(824) Hæc epistola, quæ in regia editione ordine  
361 exstat, inter Sugerianas prima refertur apud  
Chesnium, ubi Eugenii responsum subjicitur. Confer  
epistolam ibidem septimam.

(825) Scripta anno 1153. Scriptores recentiores,  
nimirum Horstius, Carolus de Visch, atque auctor  
Vitæ Gallicæ S. Bernardi, contra Trithemii, Bellar-  
mini, aliorumque sententiam, Arnoldum hunc di-  
stinctum volunt ab auctore libri secundi Vitæ S. Ber-  
nardi, quem auctorem vocant Bernardum, eumque  
abbatem Bonæ-Vallis, non Pictaviensis aut Ruti-

BERNARDUS de Clara-Valle, in domo Dei quem admo-  
D dum oportet conversari.

1. Quod episcopi quæerunt, Christus, quantum  
credimus, acquirit; et ipsorum negotium, Dei est  
causa. Qui ergo Dei est, jungatur eis: si quis renuit,  
audiat a Domino, *Qui non est mecum, contra me est*  
(*Matth. xii, 30*) Imo vero aut acquiescat Apostolo

nensis, sed Viennensis Ordinis Cisterciensis. Alte-  
rum vero Arnoldum appellant, Bonæ-Vallis Carno-  
tensis (quæ est monachorum Benedictinorum) abba-  
tem, ad quem hæc epistola scripta fuerit. Sed tan-  
torum virorum pace dixerim, unum et eundem esse.  
Nam quod pertinet ad nominis diversitatem, auctor  
libri secundi Vitæ S. Bernardi in pervetusto co-dice  
manuscripto Corbeiensi scribitur Ernaldus, quo  
nomine noster Arnoldus abbas Carnotensis ab Ar-  
nullo episcopo Lexoviensi in iis, quas ad eum scri-  
psit, epistolis indigitatur. Sed missa nominis contro-

(826) Alias epistola 313: quæ vero antea 311 erat, nunc 374. Scripta circum annum 1125.

dicenti, *Spiritum nolite extinguere (I Thess. v, 19)*, aut certe audiat cum Judæis, *Vos semper spiritui sancto resistitis (Act. vii, 51)*; et a propheta, *Vae qui dicitis* **291** *bonum malum, et malum bonum (Isai. v, 20)*: *qui lætantur cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis (Prov. ii, 14)*. Non poterunt simul et in optimis exsultare, nec ex uno pariter simul ore laudantur; et justus de justitia sua, et peccator in desiderii animæ suæ. Attamen quid mirum, si bonum quod bonis est odor vitæ, contrarium contrariis operetur; quando ipse fons et origo boni natus est in ruinam et resurrectionem multorum, et in signum cui hodieque contradicitur? (*Luc. ii, 34*.) Etiam nunc quampluribus invenitur Salvator lapis esse offensionis, et petra scandali (*Isai. viii, 14*): cum tamen non desint, qui corde alacri dicant, *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum (Ephes. ii, 14)*. Porro cui pax generat scandalum, in quo pacabitur? cui ipsa salus damnatio est, in quo salvabitur? Scriptum est, *Gloria et divitiæ in domo ejus*; haud dubium quin hominis justis. Quam autem gloriam, quasve dicat divitias, subinde ostendit: *Justitia, inquit, ejus manet in sæculum sæculi (Psal. cxi, 3)*. Et revera nullalis gloria, nullæ tantæ divitiæ, quanta justitia in domo conscientie justis. Sed quid perdit injustus? Si Paulus gloriatur de sui cordis divitiis, *Gloria, inquit, nostra hæc est, testimonium conscientie nostræ (II Cor. i, 12)*: quisnam inde gravatur?

versia, certum est librum secundum Vitæ S. Bernardi scriptum esse Godefrido adhuc Lingonensi episcopo. Ita enim legitur cap. 5, n. 29: « Godefridus Prior ejusdem loci, propinquus ejus in carne et spiritu... qui postea in ecclesia Lingonensi factus episcopus... usque hodie ingrediens et egrediens laudabiliter perseverat. » Scriptus est igitur ante annum 1161, quo Godefridus dimisso episcopatu « Claram-Vallem reversus est ad amplexum suæ Rachelis, » ut refert Chronicon Claræ-Vallense, ubi mortuus perhibetur anno 1164, sexto Idus Novembris. Atqui a fundatione Bonæ-Vallis Viennensis anno 1147, usque ad annum 1180, nullus abbas in ea Bernardi nomen sortitus est. Primus enim præfuit S. Joannes ab anno 1118 ad annum 1138, qui in episcopum Valentium assumptus, locum cessit Gozevino secundo abbati. Ille Rainaldo Cistercii abbati successit anno 1151 Petrus habuit in Bonæ-Valle successorem: Petrus vero anno 1171 beatum Hugonem, antea Liuncelli abbatem, qui ad annum 1180, quo decessisse traditur in Menologio Cisterciensi, Bonæ-Valli Viennensi præfuit. Ubi ergo Bernardus Bonæ-Vallis Viennensis abbas, qui ante annum 1164 quo denatus est Godefridus Lingonensis, librum secundum vitæ S. Bernardi scripserit? Hæc autem omnia ex Annalibus Maurici inductione constant. Accedit quod Vitæ Bernardinæ liber secundus ab homine alterius congregationis, quam Cisterciensis, conditus est, ut ejus Præfationem accurate expendentem perspicuum fiet. Unus igitur atque idem est auctor prædicti libri, et S. Bernardi amicus ille, ad quem morti proximus hanc epistolam scripsit, nimirum noster Arnoldus seu Ernaldus Bonæ-Vallis Carnotensis abbas, de quo hæc monuit vir doctissimus R. P. Bertrandus Tissier, qui ea qua pollet sinceritate et judicio, cum nostri Arnoldi opera penes se haberet sciretque non posse ea Bibliothecæ Patrum Cisterciensium accenseri, ad nostrum Acherium transmisit quam humanissime: hæc inquam, de no-

A Tamen Propheta subjungit: *Peccator videbit, et irascetur (Psal. cxi, 10)*. Quanta malitia! Nunquid hæc divitiæ terrenis facultatibus similes sunt, ut instar illarum, etiam istis, in quo alter abundat, alter minuatur? Quid igitur irascaris, ubi nil perdis? imo quid invides bonis bona, et illa bona, quæ non curas tibi vindicare? Sic canis, ut vulgo aiunt, defendit fenum quod non comedit. Sed fremas dentibus licet et tabescas, non tamen poterit quod ex Deo est omnino dissolvi. Et velis, nolis, videbunt iusti et lætabuntur, et omnis iniquitas oppilabit os suum.

2. Verum hæc illis qui possunt esse suspecti. Cæterum vobis hoc dicimus: en lucrum præsto est, parate talentum. Quid enim facit in sudario, quod quandoque cum usura exigendum est? dum tempus habemus, cur operari negligimus? Sane etsi vestro ex officio semper in promptu sit pietatis incumbere lucris, sed maxime in præsentiarum maximis sanctæ avaritiæ patet quæstus: tantum vos non pigeat ipsam, quam ad hoc ipsum accepistis, dominicam in medium proferre pecuniam: Alioquin sapientia abscondita et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? (*Eccli. xx, 32*.) Denique si vere vobis non solum officii, verum, ut aiunt, et studii est operari bonum ad omnes; maxime hoc debetis ad domesticos fidei. Quod quidem licet omnibus ab Apostolo promulgatum sit generale mandatum (*Galat. vi, 10*),

C stro Arnoldo monuit: « Scripsit hic auctor librum secundum Vitæ S. Bernardi, item Hexameron seu tractatum de Opere sex dierum, librum de Cardinalibus Christi Operibus, tractatum de Verbis Domini in cruce. Hæc tria opuscula Claræ-Vallensis nobis Bibliotheca suppeditavit. Postea autem tertium in Bibliotheca Patrum reperi cum alio brevi de B. Virgine eidem subjuncto. Porro liber de Cardinalibus Christi Operibus huic in prædicta Bibliotheca Claræ-Vallensi adscribitur in duobus manuscriptis exemplaribus cum hoc titulo: Prologus domni Ernaldi abbatis Bonæ-Vallis in librum de Cardinalibus Christi Operibus, quem scripsit ad Adrianum papam, scilicet III. » Ita ille. Eidem in Cisterciensi Bibliotheca duo alii tractatus tribuntur: primus, de Septem Donis Spiritus sancti, cujus hoc exordium, « Nemo cum hæc capitula viderit, » etc.; secundus, de Corpore et sanguine Domini, ut litteris mihi significavit R. P. domnus Jacobus Lannoyus, qui priorem manu propria transcriptum ad nos direxit. Quanquam an vere ejus sit prior iste liber, non facile dixerim: de posteriori quid statuendum sit, cum illum non viderim, haud liquet. Hæc interim de nostro Arnoldo, qui obiisse videtur circa annum 1154, quo Gaufridus post eum vitam S. Bernardi prosequendam suscepit. Nam ipse Gaufridus libro quarto Vitæ S. Bernardi seu secundo a se conscripto, cap. 4, n. 25, dicit annum tertium elapsam esse a prima Eskili Danorum archiepiscopi profectio in Claram-Vallem visitandi Bernardi gratia, quam paulo ant S. Bernardi obitum contigisse, nempe anno 1152, colligitur ex his verbis Exordii Cisterciensis, dist. 3, cap. 25: « Haud vero multo post hoc elapso tempore, » (scilicet post Eskili in Daniam reditum) « tristissimus rumor aures ejus perculit de dormitione beati Viri specialis amici sui, » nempe Bernardi. Arnulfus episcopus Lexoviensis laudat epistolas Ernaldi, quas omnes excidisse summo opere dolemus.

Id tamen specialiter a vobis loci ipsius vestri atque ministerii privilegio audacter exposcimus. Nisi forte (quod minime sentimus) magis occupatis locum, quam honorificatis ministerium. Siquidem cum nullum ferme fiat in orbe bonum, quod per manus quodammodo Romani cancellarii transire non habeat, ut vel vix bonum judicetur, quod ejus prius non fuerit examinatum iudicio, moderatum consilio, studio roboratum, et confirmatum adiutorio; cui justius erit quam ipsi deputandum, quidquid justis in negotiis vel infectum, vel minus perfectum fuerit deprehensum, sicut et æque omne quod invenietur utiliter atque laudabiliter consummatum? Proinde aut felicissimum merito dixerimus hominem, qui illum locum tenet; aut certe miserrimum, quippe qui universi semper boni aut participem se sine dubio probabit, aut hostem: iureque in eum tota, sive laus, sive vituperatio, versabitur pro rerum exitibus, et suorum meritis studiorum. Beatus autem qui dicere poterit Domino: *Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua* (Psal. cxviii, 63).

5. Sed quid agimus? dum rem necessariam vobis intimare satagimus, pene obliti sumus, quam occupatis auribus ista ingerimus. Quanquam si opus sit et fiducia, nequaquam fortassis importuni videbimur: si tamen **292** recordamini non nostra merita, sed vestra munera, quibus apud nostram humilitatem dignanter satis amicitiarum fores anticipare curastis (827). Hoc nimirum, hoc vestræ dignationis ac devotionis clarum admodum insigne tenemus, quod tantillos tantus, tantisque intentus non dicimus munerandos, sed vel esse salutandos a vestra Excellentia iudicastis. Ipse itaque vobis pro materiali spirituale, quod est sapientia, retribuatur aurum, qui nobis jam tribuit, non tam dato vestro, quam vestro delectari lucro. Valeté.

#### EPISTOLA CCCXII (828).

AD RAYNALDUM ARCHIEPISCOPUM REMENSEM (829).

*De remissis ad se litteris gratias agit.*

Reverendissimo patri ac domino R. Dei gratia Remensium archiepiscopo, frater BERNARDUS de Clara-Valle, salutem, et si quid potest peccatoris oratio.

Benedictus Deus, qui nos litterarum vestrarum dignatus est visitatione consolari. Et quidem potuimus litteris litteras utcumque reddere: sed quando huic gratiæ sufficimus rependere vicem, qua nos a vobis benedictionibus dulcedinis tantæ præventos esse merito gloriamur, excitamur exhortationibus, salutationibus honoramur? Homines utique tam iis nomi-

(827) Inde patet, hanc epistolam, vel primam, vel unam ex primis ad Haimericum a Bernardo scriptam esse, et quidem ante epistolam 15, quam anno 1126 dictatam fuisse notavimus supra. Cancellarius erat Haimericus jam inde ab anno 1125, ut probat Honorii secundi bulla in Bibliotheca Cluniacensi, col. 1379.

(828) Epistola nova: quæ vero antea 512 erat, nunc 398. Scripta circa annum 1150

nibus indigni, quam vobis incogniti: sed certe eo magis non ingrati, quo minus digni. Verumtan eundem hæc facitis, facitis quod debetis, quia sapientibus et insipientibus debitorem vos esse cognoscitis. Sane illa opinio, cujus odore bono vestræ dignitatis excellentiam in id dignationis erga pusillitatem nostram dicitis fuisse permotam, periculosa quidem, sed in hac parte non mediocriter officiosa: quoniam ex hoc præcurrente vento fructus illè peroptimus nobis et gratissimus, et qui nil vento simile habet, provenit, quod in tanto Dei altissimi sacerdote prius suscipi in gratiam, quam in notitiam meruerimus. De adventu nostro, cur modo non venerimus, sive quando venire disposuerimus, vel si quæ sunt alia, quæ de nobis interim Sanctitati vestræ sit sciscitari, harum lator monachus, quem ad hoc ipsum præmittere curavimus, vobis fideliter de omnibus satisfacere poterit.

#### EPISTOLA CCCXIII (830).

AD GAUFRIDUM ABBATEM SANCTÆ-MARIÆ EBORACENSIS.

*Religiosos, a laxiore ad strictiorem vivendi modum transire volentes, non impediendos; et apostatas censendos, qui post transitum resiliunt ad vitam priorem.*

Viro venerabili domino GAUFRIDO, abbati ecclesiæ Sanctæ-Mariæ Eboracensis, frater BERNARDUS abbas dictus Claræ-Vallis, in Domino salutem.

1. Placuit Reverentiæ tuæ litteras parvitati meæ dirigere, in quibus me de rebus dubiis consulere voluisti. Verum de his et similibus tanto quid certum respondere pertimescimus, quanto minus divinæ voluntatis beneplacitum, sicut homines, ad purum intuentes, proximorum animos, si quidquam aliud quam volunt edicimus, offendere dubitamus. Quod sane illis potissimum accidit, quorum conscientia, quia fastidiosæ mentis angore confunditur, difficiles et angulosas impuritatibus suæ ratiocinationes affectare conatur. Sed ipsa tamen cæcitas suæ vindex est: quia dum quasi sibi adulari nititur eo quod egit, illico recurrente veritatis aculeo repungitur ac remordetur in eo quod meminit. Cujus nimirum difficultatis ærurnam Psalmista deplorans orat, et dicit: *Educ, Domine, de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo* (Psal. cxli, 8). Ne me ergo, vir bone, quasi simulatæ calliditatis arguas, si minus quam velis, inquisitionibus tuis respondere **293** sufficiam; vel, si quid valeo, totum tamen explicare non audeam. Litterarum siquidem tuarum prima species a querimoniis sumpsit exordium: quia videlicet senectuti tuæ grave infortunium sit, quod monachorum tuorum aliqua pars ad arctiorem ac

(829) Raynaldus seu Reginaldus, eo nomine secundus, Remensi Ecclesiæ præfuit ab anno 1124, ad initium anni 1159; secundum nostrum calculum, mortuus Idibus Januarii, ut notavimus ad epistolam 170.

(830) Alias epistola 371: quæ vero antea 313 erat, nunc 311. Scripta anno Christi 1132. Hujus epistolæ argumentum pendet ex epistola 94.

securiorem conversationis modum transire præsumpsit. Qua in re potius reformidare habes, quod tristitia hujus sæculi mortem operatur.

2. Nempe si in humanis opinionibus ratio vigeat, dolendum non est, si homo quandoque Creatoris sui legibus rectius inhærere præsumat. Et nos quidem non sancte, non satis pie paternis sollicitudinibus invigilamus, si filiorum propectibus invidemus. Quocirea si consiliarium unum de mille habere vis, imo, ni fallor, maxime vis, consulto opus est, quatenus filiis tuis, in mediocritatem tecum remanentibus, ne deficient attendas: cæteris vero citra professionis suæ puritatem propter conscientiam remanere metuentibus, ac de bono quod semel aggressi sunt, religionis proposito ad alioem gradum transire nitentibus, juxta prophetam, cum panibus occurras (*Isai. xxi, 14*). Illis curam maximam impendas, ne insolescant ad ruinam; cæteris autem benevolentiam offeras, ut proficiant ad coronam. Nempe qui ascensiones in corde suo disponunt, qui de virtute in virtutem eunt, Deum deorum in Sion eo felicius videre merentur in retributione, quo summo bono familiaris adhærere studuerunt puriore conversationis ordine.

3. Denique de duobus monachis, Gervasio videlicet atque Radulfo (851), qui simul cum aliis, domino Turstino archiepiscopo paterne et episcopaliter satagente, sunt egressi, et, sicut ipse testatur, te absolvente quandoque dimissi; certus sum quia si intra puritatis gradum, quem ascenderant, permansissent, non perperam, sed laudabiliter peregerant. Certus quoque sum nihilominus, quia si velint resumere puritatis gradum a quo temere corruerunt, ea virtutis gratia laudabiliores erunt, qua solent milites fieri post fugam ignavie de victoria tanto gloriosiores, quanto post ignominiam de spe victoriae ad pugnam redeunt alacriores. Et credo, ni fallor, quod absolutio quæ facta est, potest interim impediri; sed apud omnipotentis Dei judicium nequit evacuari. Postremo vitam istam confiteris quidem esse sanctiorem: illos tamen propter carnis fragilitatem vel propinquitatis affectionem non posse dicis sustinere hujus angustiae difficultatem. Ad hæc vero superaddis, eorum præsentiam tibi fore necessariam; et idcirco vehementer inquiris, utrumne sine culpa remanere queant in loco, unde non sine scandalo sunt egressi.

4. De qualitate, inquam, scandalorum discernenda, de carnis affectione propter Christum penitus amputanda, de commodis vero temporalibus propter animæ salutem fugiendis magnopere tonat Evangelium, tota clamat ubique series Scripturarum: quod ignorare non tam malum, quam pene hæreticum est. At vero certus non sum, an eorum talis

reditus absque pœnali culpa debeat æstimari. Periculosum quippe valde est, et gravi ruinæ proximum, de Dei misericordia præsumere contra Dei justitiam, et ipsam velle defendere contra ipsam. Denique Scriptura ait: *Ne adjicias peccatum, et dicas, Misericordia Dei magna est.* (*Eccli. v, 5, 6*). Nam et malus discretionis modus est, cum præponderant minora majoribus, sive deteriora melioribus comparantur.

5. Ac deinde post hæc vehementer expostulas, cur merito apostatae debent appellari, si ad cœnobiolum suum revertentes, cum bonis consuetudinibus professionem suam studeant adimplere. Ego, inquam, eos damnare non debeo. Novit Dominus qui sunt ejus (*II Tim. ii, 19*): et unusquisque onus suum portabit (*Galat. vi, 5*). Quem enim tenebræ non comprehendunt, cognoscetur Dominus judicium faciens, **294** et in operibus manuum suarum comprehendetur omnis peccator (*Psal. ix, 17*) De se quippe quod sibi bonum est, quisque sentiat; ego de me dicam quod sentio. Ego Bernardus, si de bonis ad meliora, vel de periculosis ad securiora voto et opere libere pertransissem, et illicita voluntate ad ea quæ mutavi, denno recurrere præsumpsissem, non solum apostata, verum etiam regno Dei non idoneus fieri pertimescerem. Hoc et beatus Gregorius ait: « Quisquis, » inquit, « majus bonum subire proposuit, minus bonum, quod licuit, illicitum fecit. Scriptum quippe est: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, et retro respiciens, aptus est regno Dei* (*Luc. ix, 62*). Qui ergo fortiori studio intenderat, retro respicere convincitur, si relictis amplioribus bonis ad minora retorquetur (*Pastor. part. iii, cap. 28*). » Quod autem de excommunicatione quadam interserere voluisti; ut mihi videtur, nec tua interfuit investigare, nec mea quidquam interest judicare. Neque enim lex judicat quemquam, nisi prius audiatur; et in absentem judicium temere promulgatur.

#### EPISTOLA CCCXIV (832).

AD DOMINUM PAPAM INNOCENTIUM.

*Bernardus post reconciliatos Ecclesie Mediolanenses, jussu Innocentii ad pacificandas ipsas inter se Lombardiæ civitates profectus, Papiam et Cremonam se contulit. Sed apud Cremonenses nihil proficiens, eorum pertinaciam Pontifici significat, et ut severiorem, quam in archiepiscopum Mediolanensem parabat sententiam, paulisper suspendat, hortatur.*

Amantissimo patri et domino INNOCENTIO summo Pontifici, frater BERNARDUS, modicum id quod est.

Cremonenses induruerunt, et prosperitas eorum perdit eos: Mediolanenses contemnunt, et confidentia ipsorum seducit eos. Ii in curribus et in equis spem suam ponentes, meam frustraverunt, et laborem meum exinanierunt. Abibam tristis, cum ecce

penitus recepisse.

(832) Alias epistola 318: quæ vero antea 314 erat; nunc 390. Scripta anno Christi 1134. Cohæret hæc epistola cum epistolis 131 132 et 133.

(851) De eorum defectione lege tomum primum Monastici Anglicani, pag. 758, col. 2, et sequenti, ubi Gervasius resumptis viribus rediisse ad castra, et apostasie maculam morum conversione deterisissæ memoratur: Radulfus vero in remissionem se vitam

non mediocris a vestra parte consolatio : ut, etsi abundant tribulationes pro Christo. abundant et consolationes per ipsum. Accepi optatas litteras, ferentes delicias cordis mei, certitudinem de vestra incolumitate, hostium infortuniis, successibus amicorum. Cæterum perlegenti rursus tristior finis lætitiæ temperavit. Quem enim vestra non terreat indignatio? Fateor justam, et eo plus terreor. Dico tamen : quod factum nondum est, faciendum est, sed tempore quo præviderit Deus. Si quo minus, erit vobis æque in promptu quidquid intentatis inferre, et non æque forsitan periculosum. Alioquin quod tantis Dei miserationibus, tantis vestris vestrorumque laboribus (835) in populo isto noviter ædificatum est, heu! quam leviter destrui potest. Mirum si ei qui misericordiam legitur superexaltare iudicio (*Jacob. II, 15*), placere potest. Sed o infelicem illum episcopum, (834), qui in Hur Chaldæorum, de quodam quasi paradiso translatus, frater factus est draconum, et socius struthionum! Quid faciet? Obedire vult, et ecce bestię Ephesi frendent in eum dentibus. Dissimulare vult prudenter pro tempore, et omni feritate formidolosior vestram indignationem incurrit. Angustię sunt ei undique, nisi quod tolerabilius iudicat sibi esse sine populo, quam sine domino : pluris habens, ut dignum est, apostolicam gratiam, quam Mediolanensem cathedram. An vos de ejus fidelitate dubitatis? Si quis vobis aliud de eo maligna persuadere suggestionē tentavit, se magis prodidit infidelem, qui virum tam boni testimonii lingua perfida in suo livore persequitur. Parce, Pater benigne, parce fideli tuo, parce adhuc recenti structurę, parce novellę plantationi, parce denique populo acquisitionis tuę, hisque ipsis beneficiis tuis, quę te eidem veracissime contulisse **295** commemoras. Memento, pie domine, sermonis Domini tui, quem dixit : *Ecce anni tres sunt, inquit, ex quo venio quęrens fructum in ficulnea hac, et non invenio* (*Luc. XIII, 7*). Tu vero vix tres expectasti menses, et jam securim paras. Si tres annos sustinuisses, quartum adhuc a fideli servo Dominici jure exigeremus exempli. Dicimus ergo et nos : Dimitte et hoc anno, si quo modo forte circumfossa humo ligone poenitentię, adhibitoque fimo lacrymarum suarum, sterilitati Mediolanensium is, cui eam credidisti, consulere, et fructum elicere queat.

(835) Guidonis Pisani scilicet, ac Matthęi Albanensis, qui ad Mediolanenses ab Innocentio legati cum Bernardo, ex epistolis 131, 132 et 133.

(834) Ribaldum opiner, qui electus, et ab Innocentio confirmatus in locum Anselmi rejecti, ut in iisdem epistolis 131, 132 et 133.

(835) Alias epistola 344 : quę vero antea 315 erat, nunc 341. Scripta circa annum 1134.

(836) Mathildis filia Malcolm III Scotię regis, Henrici V imperatoris, dein Henrici I Anglorum regis uxor, ex eo genuit Henricum II, de quo Bernardus in fine epistolę, quę ante annum 1135, Hen-

## EPISTOLA CCCXV. (835).

AD MALTHILDEM REGINAM ANGLORUM (836).

*Rogat ut annuat petitioni alias insinuatę pro monachis de Capella.*

Illustrissimę dominę, et dilectissimę in Christo filię (quod non ex præsumptione loquor, sed ex affectu) MALTHILDI, Dei gratia Anglorum reginę, BERNARDUS.

Si de vestra sublimitate præsumo, non est mirum. Jam enim non ego solus sentio, sed omnes pene novērunt quomodo nos acceptetis, et quanto nos diligatis affectu. Propter quod rogatus sum a quodam amico vestro, venerabili abbate de Capella, ut pro decima quadam vos rogemus, unde, si bene meministis, Bolonię vos rogavi, vos quoque more vestro benigne audistis me (837). Sed quia nondum factum est quod rogamus, tempus est ut jam petitio illa mancipetur effectui. De cætero bene servate mihi filium quem nunc peperistis : quia et ego quoque, si regi non displicet, in eo mihi vindico portionem. Vale.

## EPISTOLA CCCXVI (838).

AD HENRICUM SENONENSEM ARCHIEPISCOPUM ET AD HAIMERICUM CANCELLARIUM.

*Hortatur ut nobili cuidam, bona ecclesiastica possidenti, sed nunc ea religiosis quibusdam cedere volenti, non adversentur.*

Cum laici ecclesias sive ecclesiastica beneficia, quę illicite tenent, relinquere volunt, unum bonum est : cum vero transire ea in usus servorum Dei volunt, duplicatur bonum. Sed hoc cum fieri non potest nisi per manus episcopi, gemini se episcopus aut mali reum, aut boni probabit auctorem, juxta quod suum aut negabit aut dabit assensum. Quod miles quidam vos rogat, hoc a vobis ipse rogari debuerat. Quid enim? meliusne esse iudicatis ab homine militari hæreditate possideri sanctuarium Dei, quam a sanctis Dei? Mirum si non mirantur omnes qui audiunt. Nolite, quęso, nolite, ne forte audiant filii incircumcisorum, et lætentur. Esto, potestis captivam ecclesiam eripere de manu potentis, et juri proprio vindicare, quod minime arbitramur : quemnam, quęso, de illa libentius elegistis vobis hæredem et successorem? qui inde deserviat exercitiis regis, an intercessorem pro peccatis vestris? Facite ergo quod justum, quod vobis dignum, quod Deo et omnibus bonis jucundum est : quod denique, etsi aliud non esset, amore nostri confidenter fieri postularem.

rici I mortalem, scripta est. Alia fuit Mathildis, Fulconis V comitis Andegavensis filia, Guillelmo ejusdem Henrici I filio desponsata, sed eo Oceani aquis absorpto Fontis-Ebraldi religiosa et abbatissa, ad quam Petrus Cellensis libri primi epistola 10.

(837) Quippe Mathildis tantum Bernardo studium et affectum exhibuit, ut Boloniam venienti pedes ei extra urbem occurreret, ex Vitę libro quarto, n. 6.

(838) Alias epistola 375 : quę vero antea 316 erat, nunc 356. Scripta circa annum 1135.

**296** EPISTOLA CCCXVII (859).

AD PRIOREM SUUM GODEFRIDUM (840).

*Schismate extincto, et pace composita, jam se quamprimum ad suos rediturum pollicetur.*

Fratri GODEFRIDO, frater BERNARDUS, salutem.

In Octavis Pentecostes ipsa die complevit Deus desiderium nostrum, Ecclesiæ unitatem, et Urbi dando pacem. Nam illa die filii Petri Leonis omnes simul humiliaverunt se ad pedes domini Papæ, et facti homines ejus ligii (841), juraverunt ei ligiam fidelitatem. Clerici quoque qui in schismate erant, simul cum idolo quod erexerant (842), humiliantes se ad pedes domini Papæ, obedientiam ei juxta morem promiserunt, et facta est lætitia magna in populo. Hanc pacem nisi cum quadam securitate, occultata tamen diu a nobis, exspectavissemus; jam dudum venissemus. De cætero jam nihil est quod nos hic detineat. Facio quod imperastis: Veniam vertimus in Venio. Ecce enim venio cito, etiam et merces mea mecum est, victoria Christi, et pax Ecclesiæ. Sexta feria post diem illum egressus est noster de civitate. Itaque venientes veniemus cum exultatione, portantes manipulos pacis. Et hæc quidem verba pulchra sunt, sed pulchriora sunt facta. Etenim tam pulchra sunt, ut quisquis non lætatur in eis, aut stultus sit, aut nequam. Vale.

## EPISTOLA CCCXVIII (845).

AD PAPAM INNOCENTIUM.

*Remensis Ecclesiæ pericula insinuat, et maturam opem a Pontifice desiderat.*

Amantissimo patri et domino INNOCENTIO summo Pontifici, frater BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, modicum id quod est.

Cadit in interitum Remensis Ecclesiæ, data est in opprobrium civitas gloriosa: clamat transeuntibus per viam, quod non sit dolor similis dolori ejus. Foris enim pugnae, intus timores. Sed et intus pugnae, quoniam filii ejus pugnant contra eam, nec habet generatorem qui liberet eam: unica spes ejus Innocentius, qui abstergat lacrymas a maxillis ejus. Sed usquequo, domine, clypeus protectionis vestrae non opponitur? usquequo conculcabitur, nec inveniet sublevantem? Ecce rex humiliavit se, et jam

(839) Alias epistola 320: quæ vero antea 317 erat, nunc 357. Scripta anno Christi 1138.

(840) Charissimum dicit eum Bernardus in epistola 112. Episcopus postea fuit Lingonensis, ex dictis ad epistolam 164. Ejus litteras habes apud Perardum, pag. 122. Anno 1141 componitur pontificatus ejus annus secundus, pag. 134.

(841) Ligius, qui Domino suo ratione feudi vel subjectionis fidem omnem contra quemvis præstare debet.

(842) Victore antipapa, qui extincto Anacleto a schismaticis electus.

(843) Alias epistola 329: quæ vero antea 318 erat, nunc 314. Scripta circa annum 1138.

(844) Alias epistola 372: quæ vero antea 319 erat, nunc 399. Scripta circa annum 1138.

(845) Hic duas causas secedendi in episcopo probat Bernardus, nimirum pœnitentiam ob crimen, et facultatem summi Pontificis. Episcopi olim ob capitalia crimina in ordinem redigebantur, ut ob carnis lapsum, furtum, perjurium et homicidium.

A quievit indignatio ejus. Quid ergo superest, nisi ut manus apostolica supponatur afflictæ, et plagis ejus curam adhibens et fomenta? Primum itaque esse credimus ut maturetur electio, ne insolentia Remensis populi disperdat si quid residuum est, nisi in brachio excelso furori ejus resistatur. Si hæc rite celebrata fuerit, confidimus quod in reliquis quoque daturus sit Dominus gratiam et effectum.

**297** EPISTOLA CCCXIX (844).

AD TURSTINUM EBORACI ARCHIEPISCOPUM.

*Hortatur curam pastorem ne dimittat: si tamen justa causa, aut Pontificis consensus adsit, locum petat religiosæ disciplinæ magis observantem.*

Reverendo patri et domino TURSTINO, Dei gratia Eboracensi archiepiscopo, BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, salutem, non tam in via, quam in patria.

1. Laudamus quod optatis quietem, et desiderium habetis cum pace obdormire in Domino. Verumtamen istæ quas prætenditis causæ, curæ pastorali non videntur posse præscribere: nisi forte (quod absit! et nos non credimus) mortale aliquid commissum sit, aut summi Pontificis auctoritate emerito fuerit indulta licentia (845). Nam neque vos ignorare credimus illud Apóstoli: *Alligatus es uxori? noli quærere solutionem (I Cor. vii, 27.)* Verbo siquidem promissionis, qualem vos fecisse dicitis, non tenetur episcopus, quominus in eo quo vocatus est ministerio perserveret.

2. Videtur ergo nobis, sanius sapienti non præscribentibus, ut quod tenetis teneatis, et humilitatis habitu, vitæque sanctitate monachum exhibeatis in episcopo (846). Quod si aut causa latens cedere compellat, aut dominus Papa quietem indulgeat, pro nostro exiguo sapere consilium damus ut nulla victus aut vestitus asperitas, nulla omnino paupertas vos deterreat, quominus transeatis, ubi majorem invenire speratis puritatem. Quanquam in hujusmodi domibus, animabus sic consulitur, ut, pro ætate et imbecillitate, congrua cura corporibus non negetur. Vestri sumus, pro vobis Deum rogamus attentius, quatenus aspiret vobis quod melius est, concedat-

Aliud quodvis mortale peccatum hic intelligendum videtur, cui expiando monastica retrusio sit necessaria. Hæc epistola scripta videtur paulo ante Turstini obitum, quem anno 1139 accidisse tradit Ordericus in libro 13, pag. 919, ubi Andini Ebroicensis episcopi frater dicitur. Ad eundem Turstinum scriptæ sunt epistolæ 195 et 235.

(846) Monachis episcopis factis non licebat habitum et priorem vivendi modum abjicere. Lege Præfationem 2 Sæculi 4, n. 178. sqq. et 189. Sed hodie quam mutatus est color optimus! Lege Abælardum in sermone de sancto Joanne Baptista, fol. 966. Cum vero persuasum haberent nonnulli, vitam episcopalem, prout tunc agitur, cum institutis monasticis cohærere non posse, electi ad episcopatum, prorsus acquiescere detrectarunt: quale est insigne exemplum Guidonis abbatis Claræ-Vallis, qui mortuo Wilhelmo archiepiscopo in sedem Remensem cooptatus, electionem constanter refutavit ob ipsam rationem, apud Baluzium in tomo secundo Miscellaneorum, pag. 247.

que pondus diei et æstus sic portare, ut ad vesperam regia signatum imagine recipiatis denarium.

EPISTOLA CCCXX (847).

ALEXANDRO PRIORI DE FONTIBUS (848), ET EJUSDEM LOCI FRATRIBUS.

*Hortatur ad electionem novi abbatis unanimiter faciendam.*

Dilectissimis in Christo fratribus. ALEXANDRO PRIORI, et universo conventui de Fontibus, frater BERNARDUS Claræ-Vallensis vocatus abbas, salutem, et nostras qualescunque orationes.

1. Venerabilis pater vester (849) beato fine cursum consummavit, et obdormivit in Domino. Ego vero licet omni tempore, paterna pro vobis, tanquam pro visceribus nostris, charitate sollicitus, nunc tanto majorem pro vobis sollicitudinem gero, quanto major incumbit necessitas. Unde et dudum misissem ad vos, nisi quod exspectabam donec opportunius atque **298** utilius id agere possem, eo quod venerabilis abbas Henricus (850) citius advenire non posset, negotiis aliquibus occupatus: quem præcipue destinare proposueram ab initio, eo quod ipse utilior, et huic negotio magis idoneus videretur. Hunc ergo, fratres dilectissimi, cum eo honore et amore suscipite quo dignus est; et sic audite eum in omnibus, tanquam me ipsum. Imo et tanto amplius, quanto ille et prudentia et meritis antecessit. Ei siquidem et in facienda electione, et in omnibus, quæcunque vel in hoc monasterio, vel in cæteris quæ ab eo exierunt (851), ordinanda, velemendanda fuerint, omnino vicem nostram commisi. Misi autem cum eo fratrem Willelmum, qui est filius noster dilectissimus.

2. Et nunc obsecro vos, tanquam filios charissimos, ut in electione vestra id ipsum sapiatis omnes, et non sint in vobis schismata, sed unanimes uno ore glorificetis Deum; quoniam non est Deus dissensionis, sed pacis: unde et factus est in pace locus ejus, et dicit: *Qui non colligit mecum, dispergit* (Luc. xi, 23). Absit enim ab his qui in schola Christi degunt, sub magisterio Spiritus sancti, ut

(847) Alias epistola 381: quæ vero antea 320 erat, nunc 317. Scripta anno Christi 1138.

(848) Hic fuit frater uterinus Richardi abbatis Fontanensis in Anglia, eo nomine secundi, qui apud Claram-Vallem quievit in pace, teste Serlone in Monastici Anglicani tomo primo, pag. 854, ubi de monasterio Kirkstallensi seu Montis Sanctæ-Mariæ in agro Eboracensi: cujus loci primus abbas institutus est Alexander anno 1147, Henrico de Murdach tum archiepiscopo, ad quem epistola sequens. Alius fuit Alexander, itidem Anglus, et quidem abbas Fontanensis, sed in diocesi Turonensi, de quo in Spicilegii tomo 10, pagg. 374 et 377. De monasterio Fontanensi in Anglia confer epistolas 235 et 252.

(849) Richardus scilicet secundus (non primus, ad quem epistola 96), mortuus in Claro-Valle anno 1138, maii die 15.

(850) Henricus de Murdach, tunc abbas Vallis-Claræ, ad quem epistola sequens, tum occupatus controversia quæ inter Vallis-Claræ et Cuissiaci monasteria fervebat, apud Hermannum monachum

A gaudeat de eis inimicus, et in eorum dissensione gloriatur, quod et ipsorum animæ periclitentur, et frustra depereat totus poenitentiae labor; et fetere faciant odorem bonum Ordinis nostri, et per eos nomen Christi blasphemetur, per quos maxime fuerat glorificandum! Imo vero, sicut bene de vobis confidimus, sicut decet sanctos, sicut oportet servos Christi, unanimiter, obsecro, eligite vobis idoneum pastorem animarum vestrarum, una cum venerabilibus abbatibus de Rievallie et Valle-Clara: quorum consilio volo vos in omnibus acquiescere, tanquam nostro.

EPISTOLA CCCXXI (852).

AD HENRICUM DE MURDACH (853), PRIMUM ABBATEM DE VALLE-CLARA, POSTEA DE FONTIBUS, TANDEM ARCHIEPISCOPUM EBORACENSEM.

*Jubet ne electionem sui in abbatem de Fontibus refutet.*

Dilectissimo fratri et coabbati suo HENRICO frater BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, salutem et orationes.

Præcipio tibi, frater Henrice, ut si in te convenit electio fratrum nostrorum de Fontibus, cum consilio venerabilis abbatis Rievallis, non refutes, sed obedias in charitate. Quod quidem invitatus facio, sciens magnum mihi ex tua absentia solatium deperire; sed convenientibus eis contradicere timeo, credens a Domino exiisse sermonem istum in quo tot religiosorum vota concordant, cum legerim in Evangelio, *Ubicunque duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum ego sum* (Matth. xviii, 20). Age ergo, charissime, et suscipe professiones eorum, et de cætero curam eorum habe, tanquam pastor animarum eorum. Nec timeas pro ea domo quam regendam susceperas. Ego enim, **299** Deo volente, utilem ei providebo dispensatorem; illa namque mihi vicinior est. Sed neque pro episcopo (854) dubites obedire: super me illud dimitte.

Laudunensem in libro 3, cap. 16. In Henricum concertabat Lucas abbas Cuissiacensis, ad quem epistola 79.

(851) Nempe in Fontanensi, et in tribus aliis ex eo productis, videlicet Novo-Monasterio diocesis Carleolensis, Kirkenstadio et Ludæ-Parco Lincolnensis.

(852) Alias Epistola 382: quæ vero antea 321 erat, nunc 343. Scripta anno Christi 1138.

(853) Henricus iste Anglus, ad quem epistola 106, monachus primum in Clara-Valle, inde sub finem anni 1135 missus est cum sociis duodecim ad constituendum monasterium Vallis-Claræ in diocesi Laudunensi, illudque rexit ad finem anni 1138, quo tempore translatus est in regimen abbatiae Fontanensis, jubente et instituyente, ut ex his litteris patet, Bernardo: archiepiscopus Eboracensis creatus anno 1147, vivere desiit anno 1153, ex Necrologio Vallis-Claræ, pridie idus octobris.

(854) Bartholomæo nimirum Laudunensi episcopo, in cujus diocesi sita Vallis-Clara.



## EPISTOLA CCCXXII (855).

AD HUGONEM NOVITIUM, POSTEA BONÆ-VALLIS ABBATEM (856).

*Laudat vitæ religiosæ propositum, præmunitque eum adversus tentationes, et ad constantiam ac perseverantiam excitat.*

Charissimo in Christo filio HUGONI, novæ creaturæ in Christo, frater BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, confortari in Domino.

1. Audita conversione tua, exultavimus et delectati sumus. Quidni gaudeant homines, unde lætantur et angeli? jam celebris agitur dies, jam resonat in excelsis gratiarum actio, et vox laudis. Adolescens nobilis, delicatus, vicit malignum, sprexit mundum, corpus exposuit, propinquorum renuntiavit affectibus, paratos divitiarum laqueos transilivit, quia pennatum animal erat. Unde tibi hæc sapientia, fili? Neque enim tantam invenimus in senibus Babylonis. Ipsi sunt qui juxta Apostolum, imo contra, divites fieri volunt in hoc sæculo, ut incidant in tentationem et laqueum diaboli (*I Tim. vi, 9*). Hugonis nostri sapientia non de terra est, sed de cælo. Confiteor tibi, Pater, quia abscondisti hæc a sapientibus, et parvulo revelasti. Tu quoque, fili, ne sis ingratus beneficio Redemptoris, sed pone animum puerilem, magis autem parvulus esto malitia, sed non sensu (*I Cor. xiv, 20*). Non ætatem teneram ordinis asperitas terreat. Memento quod asperior carduus [*al. cardo, male*] pannum faciat leniorem, conversatio conscientiam. Aderit Christi suavitas, et prophetæ farinula pulmentum incomedibile condietur (*IV Reg. iv, 39-41*). Si tentationum sentis aculeos, exaltatum in ligno serpentem æneum intueri; et sugere non tam vulnera quam ubera Crucifixi. Ipse erit tibi in matrem, et tu eris ei in filium; nec pariter Crucifixum lædere aliquatenus poterunt clavi, quin per manus ejus et pedes ad tuos usque perveniant.

2. Sed inimici hominis domestici ejus (*Michææ vii, 6*). Ipsi sunt qui non te diligunt, sed gaudium suum ex te. Alioquin audiant a puero nostro: Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem (*Joan. xiv, 28*). « Si prostratus, » ait beatus Hieronymus, « jaceat in limine pater, si nudato sinu, quibus te lactavit, ubera mater ostendat, si parvulus a collo pendeat nepos; per calcatum transi patrem, per calcatam perge matrem, et siccis oculis ad vexillum crucis evola. Summum pietatis est genus, in hac parte pro Christo esse crudelem (*Hieron. Epist. 1, ad Heliodorum*). » Phreneticorum lacrymis ne movearis, qui te plangunt de gehennæ filio factum filium Dei. Heu! quænam miseris tam dira cupidæ (*Virg. Æn. vi, 720*)? quis tam crudelis amor, quæ tam iniqua dilectio? Corruptunt bonos mores colloquia

A mala (*I Cor. xv, 33*). Propterea, quantum poteris, fili, confabulationes hospitem declinato, quæ, dum aurem implent, evacuunt mentem. Disce orare Deum, disce levare cor cum manibus: disce oculos supplices in cælum erigere, et Patri misericordiarum miserabilem faciem representare in omni necessitate tua. Impium est sentire de Deo, quod continere possit super te viscera sua, et avertere aurem a singultu tuo vel clamore. De cætero spiritualium patrum consiliis, haud secus quam majestatis divinæ præceptis, acquiescendum in omnibus esse memento. Hoc fac, et vives: hoc fac, et veniet super te benedictio, ut pro singulis quæ reliquisti, centuplum recipias, etiam in præsentī vita. Nec vero credas spiritui suadenti nimis id festinatum, et in B maturiorem ætatem differendum fuisse: ei potius crede qui dixit: *Bonum est homini, cum portaverit jugum ab adolescentia sua. Sedebit solitarius, levavit enim se supra se* (*Thren. iii, 27, 28*). Bene vale, et studeto perseverantiæ, quæ sola coronatur.

## 300 EPISTOLA CCCXXIII (857).

AD INNOCENTIUM PAPAM.

Pro archiepiscopo Treverensi contra abbatem Sancti Maximini (858).

1. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, domine, ac dilectionis circa nos, sicut frequenter experti sumus! et nunc superest ut experiamur adhuc in tempore opportuno. Absit autem ut aliquid petere audeamus, quod voluntati Dei, et honori tuo sentiamus esse contrarium! Quia ergo cor nostrum non reprehendit nos de minus rationabili vel honesta petitione, fiduciam habemus quod non revertentur ad nos vacuæ preces nostræ, præsertim quia patrem pro filio, et Innocentium pro innocente postulamus. Quam fideliter Treverensis archiepiscopus apostolicæ Sedis honorem, et quietem Romanæ Ecclesiæ ab adolescentia sua dilexerit, quam immobiliter et sollicite in tempore tribulationis ei adhæserit, et, aliis in umbra sedentibus, pondus diei et æstus cum ea portaverit; quam constanter et intrepide verbum veritatis pro testimoniis ejus in conspectu regum locutus sit pro consortibus suis, non necesse habetis scribi a nobis; ipse enim certissime scitis. De cætero autem quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur, si tamen testimonium nostrum accipitis; quam prudenter et provide res et possessiones Ecclesiæ eripuerit de manu filiorum alienorum, quam liberaliter et benigne bona sua semper in commune deduxerit, maxime autem circa domesticos fidei; quam diligenter et circumspecte integritatem famæ suæ custodierit a labiis iniquis, et a lingua dolosa.

2. Quid ergo displicuit in eo Paternitati vestræ? Numquid quod ecclesiam illam beati Maximini de

(855) Alias epistola 351: quæ vero antea 329 erat, nunc 363. Scripta circa annum 1138.

(856) Bonæ-Vallis scilicet in diocæsi Vesontionensi, cujus postea abbas iste Hugo piissimus, sancti Hugonis episcopi Gratianopolitani nepos, de quo

in Vitæ libro iv, n. 40.

(857) Epistola nova: quæ vero antea 323 erat, nunc 365. Scripta anno Christi 1139.

(858) Vide epistolas 179, 180.

regia potestate extraxit, ut sacerdotali subiceret? **A** numquid quod hominem illum, qui, ut aiunt, prius dux quam miles, prius abbas quam monachus esse voluit, non suscepit? Si ergo hoc, vel aliquid aliud in eo displicuit, dignum tamen erat ut apud pium Patrem inveterata dilectio facile non periret, sed operiret gratia culpam, et hominem in paucis reprehensibilem, laudabilem in pluribus, multorum beneficiorum recordatio excusaret. Nunc autem, domine, exaltasti dexteram deprimentium eum, lætificasti omnes inimicos ejus. Mirabile siquidem est in oculis multorum, quo vitæ merito, qua opinione boni positus sit in regimine animarum homo qui accepit in vano animam suam. Quomodo namque poterit regere, qui regi non potuit? quomodo audebit præesse, qui subesse non didicit? vel obedientiam imperare subjectis, quam prælatis exhibere non novit? *Si quis domui suæ præesse nescit, dicit Magister Gentium, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? (I Tim. III, 5.)* Denique, qualis pater, tales filii; qui matrem suam crudeliter evisceraverunt, ut haberent unde foverent schismata et dissensiones: de quorum tamen moribus et conversatione honestius est silere, quam aliquid loqui. Sed neque hoc ipsum diximus, ut judicemus de alienis servis, qui suo domino stant, aut cadunt: sed scimus, si istorum misera voluntas prævaluerit, quod dissoluti juvenes excutient jugum disciplinæ a cervicibus suis, ut ad similitudinem istorum possint circumire terram, et perambulare eam: quibus etiam, si affectus ad effectum non pertingat, hoc ipsum erit ad gloriam, quod repugnare poterint prælatis suis. Heu! quantorum et qualium, qui de suis meritis apud vestram misericordiam confidunt, spes et fiducia movebitur de loco suo, si filium olim tam dilectum, a gremio vestro, et ab uberibus consolationis vestræ turbo repentinus excuserit!

3. Si quis ergo precibus nostris locus est apud Excellentiam tuam, beate Pater, suppliciter petimus, nos qui te potius, quam tua diligimus, ut in die bonorum **301** non repellas hominem qui permansit tecum in tentationibus tuis, ut aliquid apud te de jure illius depereat, qui a te crescere potius quam minui expectabat. Alioquin, si præter spem omnipium, et præter meritum hominis contigerit ut diripiant alieni labores ejus, ut ponantur adversus eum mala pro bonis, odium pro dilectione; ipse quidem, a quo non timebit, vulnus excipiet solus, sed multi in persecutione ejus dolebunt. Spiritus veritatis, qui a Patre procedit, doceat te dividere lucem

a tenebris in omni opere tuo, ut scias reprobare malum et eligere bonum.

## EPISTOLA CCCXXIV (859).

AD ROBERTUM ABBATEM DE DUNIS (860)

*Absentiæ mutuae solamen suggerit, nempe animorum conjunctionem, imo et corporum, quandoque futuram.*

Fraatri et amico charissimo ROBERTO abbati, frater BERNARDUS de Clara-Valle, quod amico charissimo.

**B** Et tarde notus, et cito es mihi sublatus, Roberte charissime. Sed consolor, quod solo de corpore patiar hoc: nam spiritu semper es mecum. Quod tamen vel ipsum quando ego æquanimiter tolerarem, si solas non esset in causa Deus? Erit, erit, quando reddemur nobis, quando et quisque de se, et uterque de invicem plene gaudebimus, præsentibus nobis in utraque portione nostri, in neutra deinceps ab alterutro dividendi. Glutinum erit tantæ conjunctionis, qui causa nunc est tantillæ separationis, præsens perpetuo futurus nobis, præsentibus nos nobis perpetuo servaturus. Salutamus omnes filios vestros et nostros, et rogamus ut orent pro nobis.

## EPISTOLA CCCXXV (861).

AD EUMDEM, DE IDERIO NOVITIO.

**C** *Quid de novitio dyscolo faciendum rogatus consulit.*

Amantissimo fratri et coabbati suo ROBERTO de Dunis, frater BERNARDUS Claræ-Vallis dictus abbas salutem.

**D** Super hoc fratre, quem adeo non solum inutilem, sed etiam onerosum esse nuntiastis, absque eo quod intrinsecus latet; quale nobis ipsis, tale et vestræ Dilectioni damus consilium. Nobis siquidem videtur pro his quæ de ipso retulistis, quod in probatione sua se nec probabilem exhibuit, nec receptibilem: et ideo meruit ut rationabiliter, et sana conscientia valeatis malum auferre ex vobis. Verumtamen si pietati vestræ placet superexaltare misericordiam judicio, adhuc ipsum potestis retinere sine professione, quanto vobis tempore videbitur. Hoc autem omnino dissuademus, ne eum in hoc statu recipiatis ad professionem: sed iterum probetur, si forte se talem exhibere valeat, qualem debet. Sin autem, ferro abscissionis utendum est, ne una ovis morbida totum gregem contaminet.

(859) Alias epistola 336: quæ vero antea 324 erat, nunc 382. Scripta anno Christi 1139.

(860) Hic est ille Robertus, qui B. Bernardo in Clara-Valle successit: imo, quem ipse Bernardus jam moribundus sibi successorem nominavit. Vide librum de viris illustribus Ordinis Cisterciensis dist. 2, cap. 23; Meyer. libro Annalium Flandr. et Manriquez in Annalibus. Dunas vocant Belgæ maritimi

aggeres collesve sabuli candidi, vel a natura, vel ab æstuante pelago congesti. In his olim fuit cœnobium Dunense florentissimum, verum nunc arenis excrecentibus sepultum, ob neglectam per belli calamitates obicium ligneorum instaurationem.

(861) Alias epistola 337: quæ vero antea 325 erat, nunc 395. Scripta circa annum 1139.

## EPISTOLA CCCXXVI (862).

GUILLELMI ABBATIS, AD GAUFRIDUM GARNOTENSEM EPISCOPUM, ET BERNARDUM ABBATEM CLARÆ-VALLENSIS (863).

*Ut Dei et Ecclesie causam adversus Petri Abælardi errores, quorum aliquot capitula producit, tueantur.*

Reverendis in Christo dominis et patribus, GAUFRIDO Carnotensium episcopo, et BERNARDO Claræ-Vallis abbati, vitam et dies bonos.

1. Confundor, Deus scit, apud vos, cum de re communis et gravis necessitatis, silentibus vobis, et **302** aliis, quorum erat loqui, cogor vos alloqui, nullus in hominibus, domini et patres. Cum enim fidem communis spei graviter nimis et periculose corrumpi video, nullo resistente, nullo obloquente; quam Christus suo nobis sanguine sacravit, pro qua apostoli et martyres usque ad mortem pugnaverunt, quam sancti doctores duris laboribus suis, et magnis sudoribus defensam, integram et incorruptam usque ad sæces temporum nostrorum transmiserunt: contabesco in memetipso, et a frixura cordis et dolore spiritus cogor pro ea loqui, pro qua, si necesse esset et opportunum, vellem etiam mori. Nee de minimis agitur, sed de fide sanctæ Trinitatis, de persona Mediatoris, de Spiritu sancto, de gratia Dei, de sacramento communis redemptionis. Petrus enim Abælardus iterum nova docet, nova scribit; et libri ejus transeunt maria, transiliunt Alpes; et novæ ejus sententiæ de fide, et nova dogmata per provincias et regna deferuntur, celebriter prædicantur, et libere defenduntur: in tantum ut in curia Romana dicantur habere auctoritatem. Dico vobis, periculose siletis, tam vobis, quam Ecclesie Dei. Pro nihilo ducimus corrumpi fidem, pro qua nosmetipsos nobis abnegavimus: non timeamus Deum offendere, ne offendamus. Dico vobis, adhuc parturiens parturit malum hoc: sed nisi præventum fuerit, erumpet in regulum, cui vix inveniatur incantator. Quod cur dicam advertite.

2. Casu nuper incidi in lectionem cujusdem libelli hominis illius, cui titulus erat, Theologia Petri Abælardi. Fateor, curiosum me fecit titulus ad legendum. Duo autem erant libelli idem penè continentes: nisi quod in altero plus, in altero minus aliquanto inveniretur. Ubi, cum aliqua invenirem quæ multum moverent me, notavi, et cur moverent subnotavi, et cum ipsis libellis misi vobis: utrum recte me moverint, iudicii vestri sit. Cum enim graviter turbarer ad insolitas in fide vocum novitates, et novas inauditorum sensuum adinventiones, cum non haberem in quem refunderem; vos in omnibus elegi, ad quos me converterem, et quos in causam Dei, et totius latinæ Ecclesie citarem. Vos etiam

(862) Alias epistola 391: quæ vero antea 326 erat, nunc 400. Scripta circa annum 1139.

(863) Hæc epistola præfationis vice præfixa est Disputationi ejusdem Guillelmi abbatis Sancti-Theoderici prope Remos contra Abælardum, editæ in tomo quarto Bibliothecæ Cisterciensis. Scripta vero est ante omnes Bernardi in Abælardum epistolas,

A timet homo ille, et reformidat. Claudite oculos: quem timebit? et qui jam dicit quod dicit, quid non dicet, cum nullum timebit? Emortuis quippe ex Ecclesia omnibus penè doctrinæ ecclesiasticæ magistris (864), quasi in vacuum rempublicam Ecclesie domesticus irruens inimicus, singulare sibi in ea magisterium arripuit: agens in Scriptura divina quod agere solebat in dialectica, proprias adinventiones, annuas novitates; censor fidei, non discipulus; emendator, non imitator.

3. Hæc sunt ergo capitula ex opusculis ejus collecta, quæ vobis offerenda putavi: 1. Quod fidem definit æstimationem rerum quæ non videntur. 2. Quod impropria dicit esse in Deo nomina Patris, et Filii, et Spiritus sancti, sed descriptionem hanc esse plenitudinis summi boni. 3. Quod Pater sit plena potentia, Filius quædam potentia, Spiritus sanctus nulla potentia. 4. De Spiritu sancto, quod non sit ex substantia Patris et Filii, sicut Filius est ex substantia Patris. 5. Quod Spiritus sanctus sit anima mundi. 6. Quod libero arbitrio, sine adjuvante gratia, bene possumus et velle et agere. 7. Quod Christus non ideo assumpsit carnem et passus est, ut nos a jure diaboli liberaret. 8. Quod Christus Deus et homo non est tertia persona in Trinitate. 9. Quod in sacramento altaris in aere remaneat forma prioris substantiæ. 10. Quod suggestiones diabolicas per physicam dicit fieri in hominibus. 11. Quod ab Adam non trahimus originalis peccati culpam, sed poenam. 12. Quod nullum sit peccatum, nisi in consensu peccati et contemptu Dei. 13. Quod dicit concupiscentia, et delectatione, et ignorantia nullum **303** peccatum committi; et hujusmodi non esse peccatum, sed naturam.

4. Hæc pauca interim capitula, ex opusculis ejus congesta in unum, primo vobis arbitratus sum offerenda, ad excitandos vos, et excusandos nos, ne frustra commoti videamur. Quæ tamen cum aliis incidentibus, auxiliante eo in cujus manu sumus et nos et sermones nostri, ex hoc latius digerere aggrediar; parvipendens si vobis displicuero in sermone, dum non displiceam in fide: ut, si quocumque modo suggerere potuero vobis me juste commotum, commoveamini et vos; et in causa capitis, sive pes ille sit, sive manus, sive etiam oculus, non paveatis. Dilexi et ego cum, et diligere vellem, Deus testis est: sed in causa hæc nemo unquam proximus mihi erit, vel amicus. Nec secreta commonitione seu correptione malum hoc attentandum est, quod, ipso se prodente, tam publicum factum est. Sunt autem, ut audio, adhuc alia ejus opuscula, quorum nomina sunt, Sic et non; Scito te ipsum; et alia quædam de quibus timeo ne, sicut monstruosi sunt nominis, ut ex initio epistolæ intelligitur; adeoque ante annum 1140.

(864) Ita fere Hugo Metellus in epistola quarta ad Innocentium contra eundem Abælardum. « Mortuo Anselmo Laudunensi et Guillelmo Catalaunensi, ignis verbi Dei in terra defecit, » etc.

sic etiam sint monstruosi dogmatis : sed, sicut dicunt, oderunt lucem, nec etiam quæsitæ inveniuntur. Sed jam veniamus ad rem, etc.

EPISTOLA CCCXXVII (865).

RESCRIPTUM BERNARDI AD GUILLELMUM ABBATEM.

*Libellum contra Petrum Abælardum conscriptum laudat, mutuamque colloquium vobis Pascha promittit.*

GUILLELMO charissimo suo, frater BERNARDUS.

Motum vestrum et iustum iudico, et necessarium. Sed et otiosum non esse, monstrat libellus tundens et obstruens os loquentium iniqua. Non quod illum adhuc attentius, ut iubetis, percurrerim ; sed quia ex eo quod cursim potui pervidere, placet fateor, et potentem existimo iniquum dogma obruere. Verum, quoniam meo iudicio non satis, ut optime nostis, fidere consuevi, præsertim in tam magnis rebus ; operæ pretium puto, præsertim considerata opportunitate, me atque vos pariter alicubi convenire et conferre de omnibus. Idipsum tamen ante Pascha fieri posse non arbitror, ne, quod præsens tempus indicit, studium orationis impediatur. Porro silentii ac patientiæ super his meæ patientiam habete : cum horum plurima et pene omnia hucusque nescierim (866). Jam vero ad quod hortamini potens est et Deus dare mihi spiritum bonum vestris orationibus. Valet.

EPISTOLA CCCXXVIII (867).

AD ROMANUM PONTIFICEM (868).

*Contra electum Rutenensem.*

Hactenus amicorum precibus morem gerentes, scripsimus opportune, importune : nunc autem, etiamsi velimus, tacere tamen christiana religione prohibemur. *Maledictus*, inquit propheta, *qui prohibet gladium suum a sanguine* (Jerem. XLVIII, 10). Quotidie nequitia proficit, malorum desideria prosperantur ; et non est qui ascendat ex adverso, vel qui opponat se murum pro domo Israel. Ecce adhuc in diebus tuis, et manibus et pedibus nituntur ingredi ad sancta sanctorum homines corruptissimi, qui pepigerunt pactum cum morte, et foedus cum inferno. Ut quid patientia hæc ? Rutilenses (869) clerici elegerunt **304** vitiis suis consentientem personam, nec puduit eos, etiam in oculis tuis, veritatem operire mendacio, ut dicitur, et circa electam personam, et circa negotium electionis.

(865) Alias epistola 392 : quæ vero antea 327 erat, nunc 339. Scripta circa annum 1139.

(866) Hinc patet Guillelmum, unum ex primis incentorem fuisse adversum Abælardum, quod etiam Guillelmus ipse in superiori epistola disertè affirmat, conquerendo de Gaufridi et Bernardi silentio.

(867) Epistola nova : quæ vero antea 328 erat, nunc 414. Scripta circa annum 1140.

(868) Hæc epistola subsequatur aliam, cuiusdam A. *ad abbatem Rutenensis monasterii* ; atque inscripta erat, *Ad eundem*. At Innocentio vel Eugenio, et quidem a Bernardo, directam fuisse, patet ex epistola sequente, quæ est ejusdem argumenti, id est contra Rutenensem electum, Ademari successorem, cujus nomen ignoratur. Bernardus in epistola 240, n. 1, Eugenio gratulatur, ob finitam

A Homo ille, non a Deo, sed ab hominibus electus, multos habet testes infamiæ suæ, nullum purgationis ; et, ut vobiscum involute loquar, honestius est de illo silere, quam loqui. Absit ut in diebus tuis talia monstra promoveantur, ut ille ponatur custos animarum, qui pro nihilo ducit effusionem sanguinis Christi, et pretium redemptionis animæ suæ ! Quid autem illi aliquantulum astute verbum de injuria et oppressione appellationis, ut ad se per hæc ad curiam inclinarent, causæ interseruerunt suæ ? Nolite accipere verbum mendacii : quia, sicut virorum veracium relatione discitur, nulla secuta est appellationis oppressio, ubi nulla præcessit appellatio. Proinde oportet ut quod religiosorum consilio per episcopum factum est, per te robur accipiat in manu B potenti et brachio excelso. Sed et ipsum archiepiscopum (870) magis ac magis tibi volumus commendari pro quo nec rogare, nec exaudiri vellemus, si non honorificaret ministerium suum.

EPISTOLA CCCXXIX (871).

AD EPISCOPUM LEMOVICENSEM.

*Contra eundem electum Rutenensem.*

Verba quæ ego loquor vobis, non pro me ipso loquor, nec in eis quæro quæ mea sunt. Vobis loquor pro vobis. Breves dies hominis sunt. Quandiu estis episcopus Lemovicensis, ministerium vestrum honorificate, ut videamus opera vestra bona. Causam Catinensis (872) electi, a domino Papa vobis commissam, et remota omni appellatione canonico fine terminandam a vobis audientes, facimus sicut consolati. Ecce enim præ manibus est tempus, et negotium, in quibus Ecclesia Dei perspiciet utrum sit rationale in pectore pontificis. Jam non erit otiosus, si tamen in vobis est, timor Dei, vigor canonum, amor justitiæ. In Ecclesia Rutenensi agitur de pastore, et episcopo animarum, et successore Christi, de illo, inquam, qui suscitaret semen fratris defuncti. Et ad hæc quis tam idoneus ? Numquid ille, quem vita inquinavit, quem conscientia accusavit, quem fama publicavit ? numquid ille, qui de abbacia in abbatiam, vel potius de abisso in abyssum descendit, ut idem sit violator virginum, et consecrator ? Et ubi erit jam illud, quod dictum est ab Apostolo : *Oportet episcopum sine crimine esse, tanquam dispensatorem Dei* ? (Tit. 1,

D causam Rutenensis Ecclesiæ, nempe ob depositum, ut videtur, Rutenensem episcopum indignum, de quo hæc in epistola et in sequente.

(869) legendum, *Rutinenses* ; ut colligitur ex epistola sequente. Rutila monasterium diocesis Treverensis, de quo in libro quarto Vitæ S. Bernardi, n. 47 ; nihil juvat ad hunc locum.

(870) Bituricensem scilicet, cujus suffraganeus est episcopus Rutenensis.

(871) Epistola nova : quæ vero antea 329 erat, nunc 318. Scripta circa annum 1140.

(872) Fortasse legendum, *Caturcensis* ; nam vix ad aliam civitatem hæc epistola referri potest. Quod si ita videbitur, hoc loco agi videtur de electione Raimundi, quem proinde Guillelmus a Cruce ex albo Cadurensium episcoporum immerito expungat.

7) Noli ergo stare contra te ipsum, aliud dicens, et aliud agens: sed opera tua verbis tuis respondeant idem de eodem; ne illud tibi aptari possit, quod de quibusdam dictum est: *Infirmatae sunt contra eos linguae eorum* (Psal. LXIII, 9). Ecce in manu tua est. Verumtamen animam tuam custodi, neque communicaveris peccatis alienis. Per te stabit, aut per te corruet: sed si per te corruerit, manus tuas consecrabis Domino.

EPISTOLA CCCXXX (873).

AD INNOCENTIUM PAPAM.

*Contra Petrum Abælardum.*

Amantissimo patri ac domino INNOCENTIO, BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, modicum id quod est.

Plorans ploravit in nocte sponsa Christi, & lacrymæ ejus in maxillis ejus: non est qui consoletur **305** eam ex omnibus charis ejus. Moram faciente Sponso, tibi, domine, commissa est Synamitis in loco peregrinationis suæ. Nulli familiarius constitetur injurias, nulli secretius exponit æstus et gemitus suos, quam amico Sponsi. Nam quia Sponsum diligis, sponsam ad te clamantem non despicias in opportunitatibus, in tribulatione. Inter hæc omnia genera hostium, quibus circumvallatur Ecclesia Dei, sicut lilium inter spinas, nihil periculosius, nihil molestius est quam cum ab eis, quos continet in gremio suo, et quos suis fovet uberibus, laceratur interius. Pro talibus et de talibus est illa vox dolentis et gementis: *Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt et steterunt* (Psal. XXXVII, 12). Nulla quidem pestis efficacior ad nocendum, quam familiaris inimicus. Argumento nobis sunt et Absalon familiaritas, et osculum Judæ. Fundamentum aliud ponitur nobis, præter id quod positum est. Nova fides in Francia cuditur, de virtutibus et vitis non moraliter, de sacramentis non fideliter, de mysterio sanctæ Trinitatis non simpliciter ac sobrie, sed præter ut accepimus (873\*), disputatur. Magister Petrus et Ernaldus, a cujus peste Italiam purgastis, astiterunt et conveniunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus. Squama squamæ conjungitur, et ne spiraculum quidem incedit per eas. Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis, et de fermento suæ corruptionis corrumpunt fidem simplicium, morum ordinem conturbant, Ecclesie maculant castitatem: ad imaginem et similitudinem illius qui transfiguratur se in angelum lucis habentes formam pietatis, sed virtutem ejus abnegantes, circumornati sunt ut similitudo templi, ut sagittent in obscuro rectos corde. Evasimus rugitum Petri Leonis, sedem Simonis Petri occupantem: sed Petrum Draconis incurrimus, fidem Simonis Petri impugnantem. Ille persecutus est Ecclesiam Dei manifeste, sicut leo rapiens: iste vero, tanquam

A draco, sedet in insidiis in occultis, ut interficiat innocentem. Sed tu, Domine Deus, oculos superbiorum humiliabis, tu conculcabis Leonem et Draconem. Nocuit ille, quoad vixit; et idem fuit ei vitæ terminus atque malitiæ: iste vero, nova dogmata scribens, jam providit quomodo virus suum transfundat in posteros, quomodo noceat generationi omni quæ ventura est. Denique, ut pauca de multis dicam, theologus noster cum Ario gradus et scalas in Trinitate disponit; cum Pelagio liberum arbitrium gratiæ præponit, cum Nestorio Christum dividens hominem assumptum a consortio Trinitatis excludit. Sed in his omnibus gloriatur, quod cardinalibus et clericis curiæ, scientiæ fontes aperuerit; quod manibus et sinibus Romanorum libros et sententias **B** incluserit, et in tutelam erroris sui assumit eos a quibus judicari debet et damnari. Qua mente, qua conscientia recurris ad fidei defensorem, fidei persecutor? quibus oculis, qua fronte intueberis amicum Sponsi, sponsæ violator? O nisi detineret me cura fratrum! o nisi me corporalis infirmitas impediret! quantum desiderarem videre amicum Sponsi pro sponsa zelantem in absentia Sponsi! Ego, qui silere non potui injurias domini mei, læsiones Ecclesie patientis feram? Tu autem, dilectissime Pater, ne elongaveris auxilium tuum ab ea: ad defensionem ejus conspice, accingere gladio tuo. Jam enim ex abundantia iniquitatis refrigescit charitas multorum: jamjam sponsa Christi, nisi manum adhibeas, egreditur et abiit post vestigia gregum, et pascit [greges juxta tabernacula pastorum.

EPISTOLA CCCXXXI (874).

AD STEPHANUM CARDINALEM ET EPISCOPUM PRÆNESTINUM.

*Ejusdem argumenti.*

Venerabili domino et charissimo Patri S. Dei gratia Prænestino episcopo, frater BERNARDUS Claræ-Vallis abbas, viriliter agere et confortari in Domino.

Angustias et gemitus sponsæ Christi ad vobis familiariter enuntio, quo amicum Sponsi vos esse **306** cognovi, et gaudio gaudere propter vocem Sponsi. Confido enim de vobis in Domino, si bene novi interiorem hominem vestrum, quia non queritis quæ vestra sunt, sed quæ Jesu Christi. Petrum Abælardum, catholicæ fidei persecutorem, inimicum crucis Christi, vita probat, et conversatio, et libri jam de tenebris in lucem procedentes. Monachum se exterius, hæreticum interius ostendit, nihil habens de monacho, præter nomen et habitum. Aperit cisternas veteres et lacus contritos hæreticorum, ut bos et asinus cadat. Siluerat jam per multos dies: sed quando siluit in Britannia, concepit dolorem, et nunc in Francia concepit iniquitatem. Egressus est de caverna sua coluber tortuosus, et in similitudinem hydræ, uno prius capite succiso, se-

(873) Epistola nova: quæ vero antea 330 erat, nunc 349. Scripta anno Christi 1140.

(873\*) Hic præter ut idem valet ac præterquam: quod simili prorsus intentione et formula usurpatur

de eodem Abælardo, *Epist. CCCXXXVI*: «De Spiritu sancto præterquam accepimus enuntians.» Edr.

(874) Epistola nova: quæ vero antea 331 erat, nunc 350. Scripta anno Christi 1140.

ptem pro uno capita produxit. Succiso uno, succisa fuit una illius hæresis Suesione : sed jam loco illius septem et eo amplius hæreses emerferunt, quarum exemplar habuimus, et misimus vobis. Rudes et novos auditores ab uberibus dialecticæ separatos, et eos qui, ut ita dicam, prima fidei elementa vix sustinere possunt, ad mysterium sanctæ Trinitatis, ad sancta sanctorum, ad cubiculum Regis introducit, et ad eum qui posuit tenebras latibulum suum. Denique theologus noster cum Ario gradus et scalas in Trinitate disponit, cum Pelagio liberum arbitrium gratiæ præponit, cum Nestorio Christum dividens, hominem assumptum a consortio Trinitatis excludit. Sic, sic per omnia fere sacramenta discurrens, attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia damnabiliter. Ad hæc goriatur, se infecisse curiam Romanam novitatis suæ veneno; manibus et sinibus Romanorum libros et sententias suas inclusisse, et in tutelam sui erroris assumit eos a quibus judicari debet et damnari. Provideat Deus Ecclesiæ suæ, pro qua mortuus est, ut eam exhiberet sibi non habentem maculam aut rugam, quatenus perpetuum silentium imponatur homini cujus maledictione os plenum est, et amaritudine et dolo.

## EPISTOLA CCCXXXII (875).

AD G. CARDINALEM.

*Item contra Petrum Abælardum.*

Domino venerabili et patri dilectissimo, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali G. BERNARDUS Claræ-Vallensis abbas, spiritum consilii et fortitudinis.

Silere non possum injurias Christi; angustias et dolores Ecclesiæ, et miseriam inopum, et gemitum pauperum. Incidimus in tempora periculosa. Magistros habemus prurientes auribus: discipuli a veritate auditum avertunt, ad fabulas convertuntur. Habemus in Francia monachum sine regula, sine sollicitudine prælatum, sine disciplina abbatem Petrum Abælardum, disputantem cum pueris, conversantem cum mulieribus. Aquas furtivas et panes absconditos domesticis suis apponit in libris, et in sermonibus suis profanas vocum novitates inducit et sensuum. Accedit non solus, sicut Moyses, ad caliginem in qua erat Deus, sed cum turba multa et discipulis suis. Per vicos et plateas de fide catholica disputatur, de partu Virginis, de sacramento altaris, de incomprehensibili sanctæ Trinitatis mysterio. Evasimus rugitum Petri Leonis: sibilos Petri Draconis incurrimus. Sed tu, Domine Jesu, oculos superbiorum humiliabis, tu conculcabis Leonem et Draconem. Nocuit ille quoad vixit, et idem fuit ei vitæ terminus, atque malitiæ: iste vero jam providit quomodo virus suum transfundat in posteros, quomodo noceat generationi omni quæ ventura est.

(875) Epistola nova: quæ vero antea 332 erat nunc 367. Scripta anno Christi 1140.

(876) Epistola nova: quæ vero antea 333 erat, nunc 386. Scripta anno Christi 1140.

(877) Is est Gregorius Tarquinius, sanctorum Sergii et Bacchi diaconus cardinalis, a Callisto II

A Leporam adiventionum suarum atramento signavit et calamo. Libros ejus habuimus, et misimus vobis. Cognoscite auctorem operis in opere. Videte quod theologus noster cum Ario gradus et scalas in Trinitate disponit, cum Pelagio liberum arbitrium gratiæ præponit; cum Nestorio Christum dividens, hominem assumptum a consortio Trinitatis excludit. Et hæc pauca sunt de multis. Non erit in vobis qui vicem Christi doleat **307**, qui diligat justitiam, qui oderit iniquitatem? Si os loquentis iniqua obstructum non fuerit, videat ille et judicet, qui solus laborem et dolorem considerat.

## EPISTOLA CCCXXXIII (876).

AD G. CARDINALEM (877).

*Ejusdem item argumenti.*

B Viro venerabili et amico suo G. diacono cardinali sub titulo sanctorum Sergii et Bacchi, BERNARDUS Claræ-Vallensis abbas, salutem et dilectionem.

Secundum tuam consuetudinem, quotiescunque curiam intro, semper mihi debes assurgere. Verba videntur quasi ludentis; sed seria res agitur. Ecce ego curiam intro, secundum causam dico, non secundum personam. Qui personæ meæ assurgere solebas, assurge nunc causæ meæ, imo causæ Christi: quia Christus est in causa, et veritas periclitatur. Assurge, imo exsurge adversus eum qui disputat de fide contra fidem, qui verbis legis legem impugnat, cujus manus contra omnes, et manus omnium contra eum. Ille est Petrus Abælardus, qui de moribus, de sacramentis, de Patre et Filio et Spiritu sancto scribit, docet, et disputat, dividens prout vult. Nunc autem intrat curiam, postquam commovit Ecclesiam, et turbavit eam, non ut sanet contritiones ejus, sed ad excusationes excusandas in peccatis. Si filius ejus es, defende uterum qui te portavit, et uberaquæ suxisti.

## EPISTOLA CCCXXXIV (878).

AD GUIDONEM PISANUM (879).

*Contra eundem Abælardum.*

GUIDONI Pisano, BERNARDUS Claræ-Vallis abbas, mentem sanam in corpore sano (JUVEN.).

Causam meam propriam secure vobis committerem propter officium mutuæ dilectionis nostræ: nunc autem tanto confidentius istam committo, quanto amplius ille diligendus est, cujus est causa.

D Causa est Christi, imo Christus est in causa, et veritas in periculo. Dividuntur vestimenta Christi, sacramenta Ecclesiæ scinduntur: sed integra manet tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Tunica hæc unitas est Ecclesiæ, quæ scissuram ignorat, divisionem non recipit. Quod enim desuper contextum est, quod a Spiritu sancto compactum est, non dissolvetur ab hominibus. Cum hæretici exacerunt linguam suam sicut serpentes, cum omnes aculeos ingenii sui excusserunt, ut pacem Ecclesiæ contur-

creatus. (878) Epistola nova: quæ vere antea 334 erat, nunc 362. Scripta anno Christi 1140.

(879) Guido Moricotus de Vico, Pisanus, cardinalis tituli sanctorum Cosmæ et Damiani, ab Innocentio creatus.

bent; tamen, quoniam portæ inferi sunt, non præ-  
valebunt adversus eam. Si filius hujus est, si materna  
ubera recognoscis, non deseras matrem in periculo,  
non subtrahas humeros tuos in tempore tribulationis.  
Magister Petrus ingreditur curiam, ut apostolicæ  
Sedis auctoritas ponatur ei murus et antemurale ad  
confirmandos suos errores, quos scripsit, quos do-  
cuit, quibus fidem catholicam impugnavit.

EPISTOLA CCCXXXV (880).

AD QUEMDAM PRESBYTERUM CARDINALEM (881).

*Item contra Petrum Abælardum.*

Cardinali presbytero, BERNARDUS Claræ-Vallis ab-  
bas, salutem et dilectionem in Domino.

Nemo adolescentiam tuam contemnat. Canities  
quippe non capitis, sed mentis requiritur a Domino,  
**308** et ætas senectutis vita immaculata. Non expa-  
vit Jeremias, non formidavit Daniel, licet ambo pueri  
essent, senes impudicos, inveteratos dierum malo-  
rum. Impudicum et ego merito appellaverim illum  
qui decorem Ecclesiæ, qui fidei maculat castitatem.  
Hic est Petrus Abælardus, qui de fide, de sacramen-  
tis, de mysterio sanctæ Trinitatis, præterquam ac-  
cepit, disputat, dividens singulis prout vult. Nunc  
autem ingreditur curiam, postquam Ecclesiam com-  
movit, et conturbavit eam, non ut sanet contritio-  
nes ejus, sed quia declinavit in verba malitiæ, ad  
excusandas excusationes in peccatis. Confidenter pro  
Ecclesia stabunt qui se filios esse Ecclesiæ cogno-  
scunt.

EPISTOLA CCCXXXVI (882).

AD QUEMDAM ABBATEM (883).

*Ejusdem argumenti.*

Dilectissimo fratri et coabbati, frater BERNARDUS  
Claræ - Vallensis abbas, zelum Dei habere secun-  
dum scientiam.

Oportet hæreses esse, ut qui probati sunt, mani-  
festi fiant. Si quis est Domini, jungatur ei. Deus  
enim est in causa. Veritas periclitatur: dividuntur  
vestimenta Christi, sacramenta scinduntur Ecclesiæ.  
A planta pedis usque ad verticem faciei corrumpitur  
sanitas, simplicitas fidelium deridetur: prope est  
ut ascendat leo de cubili suo, ut contra Ecclesiam  
se erigat prædo gentium. Præcedit jam Petrus Abæ-  
lardus ante faciem Antichristi parare vias ejus,  
de fide, de sacramentis, de Patre et Filio et Spiritu  
sancto, præterquam accepimus, enuntians. Scribit,

880) Epistola nova: quæ vero antea 335 erat,  
nunc 368. Scripta anno Christi 1140.

(881) Codex Vedastinus, nominatim, *ad Petrum  
cardinalem.* MARTENE.

(882) Epistola nova: quæ vero antea 336 erat,  
nunc 324. Scripta anno Christi 1140.

(883) Forte ad Bernardum abbatem Italum, qui  
Romam a Bernardo tunc missus fuerat, infra in  
epistolis 343 et 344.

(884) Alias epistola 370: quæ vero antea 337 erat,  
nunc 325. Scripta anno Christi 1140.

(885) In codice Vaticano notato 662, habetur  
ordine suo post epistolam 189, cum hoc titulo,

A docet, et contendit verbis ad subversionem audien-  
tium. Ponit in Trinitate gradus et scalas cum Ario;  
præponit gratiæ liberum arbitrium cum Pelagio;  
hominem assumptum a consortio Trinitatis excludit;  
Christum dividit cum Nestorio. Sed in omnibus his  
gloriatur quod Ecclesiam Romanam sibi reconcilia-  
vit quod libros et sententiæ suas manibus et sini-  
bus Romanorum incluserit: et in defensionem sui  
erroris assumit eos a quibus judicari debet et  
damnari. Videat Deus, et judicet, si velociter ob-  
structum non fuerit os loquentis iniqua. Cætera  
præsentiumq; lator latius explicabit.

EPISTOLA CCCXXXVII (884).

AD INNOCENTIUM PONTIFICEM, IN PERSONA FRANCIÆ  
EPISCOPORUM (885).

*Episcopi Galliæ exponunt Pontifici quid actum sit in  
causa Petri Abælardi, Bernardum ad disceptationem  
in synodo provocantis, sed objectos sibi hæresum  
articulos respondere nolentis et ad Sedem apostoli-  
cam appellantis.*

Reverendissimo patri et domino INNOCENTIO, Dei  
gratia summo Pontifici, HENRICUS Senonensium  
archiepiscopus, GAUFRIDUS Carnotensis episcopus,  
sanctæ Sedis apostolicæ famulus (886), HELIAS Au-  
relianensis, HUGO Autissiodorensis, HATTO Trece-  
sis, MANASSES Meldensis episcopi, devotas orationes  
et debitam obedientiam.

1. Nulli dubium est quod ea quæ apostolica fir-  
mantur auctoritate, rata semper existunt, nec ali-  
cujus possunt deinceps mutilari cavillatione, vel  
invidia depravari. Ea propter ad vestram apostoli-  
cam Sedem, beatissime Pater, referre dignum cen-  
suimus quædam, quæ nuper in nostra contigit tra-  
ctari præsentia: quæ quoniam et nobis, et multis  
religiosis ac sapientibus viris rationabiliter acta  
visa sunt, vestræ **309** Serenitatis exspectant com-  
probari iudicio, simul et auctoritate perpetuo robo-  
rari. Itaque, cum per totam fere Galliam in civitati-  
bus, vicis, et castellis, a scholaribus, non solum  
intra scholas, sed etiam trivialim; nec a litteratis  
aut provecis tantum, sed a pueris et simplicibus,  
aut certe stultis, de sancta Trinitate, quæ Deus est,  
disputaretur, insuper alia multa ab eisdem, abso-  
ma prorsus et absurda, et plane fidei catholicæ,  
sanctorumque Patrum auctoritatibus obviantia  
proferrentur: cumque ab his qui sane sentie-  
bant, et eas ineptias rejiciendas esse cense-

*Episcopi Franciæ domino Innocentio papæ; ubi  
Franciæ nomine metropolis Senonensis intelligitur.  
Hinc in epistola 161, vox sanguinis Archembaldi,  
subdecani Aureliacensis, ad Innocentium clamare de  
Francia dicitur: et epistola 126, n. 4, Franciam a  
Burgundia distinguit. Franciæ tamen nomine etiam  
tunc secundæ Belgiæ magna pars comprehende-  
batur.*

(886) Id est legatus. Hoc nomine præ modestia nri  
solebat Gaufridus, ut legitur in chartario ecclesiæ  
Sancti-Stephani apud Drocas. Vicarii sanctæ sedis  
alii passim dicebantur.

bant (887), sæpius admoniti corripentur; vehementius convalescebant, et auctoritate magistri sui Petri Abælardi, et cujusdam ipsius libri, cui Theologiæ indiderat nomen, nec non et aliorum ejusdem opusculorum freti, ad astruendas profanas adinventiones illas, non sine multarum animarum dispendio, sese magis ac magis armabant. Quæ enim et nos et alios plures non parum moverant ac læserant, inde tamen quæstionem facere verebantur.

2. Verum dominus abbas Claræ-Vallis, his a diversis et sæpius auditis, imo certe in prætaxato magistri Petri Theologiæ libro, nec non et aliis ejusdem libris, in quorum forte lectionem inciderat, diligenter inspectis, secreto prius, ac deinde secum duobus aut tribus adhibitis testibus, juxta evangelicum præceptum, hominem convenit: et ut auditores suos a talibus compesceret, librosque suos corrigeret, amicabiliter satis ac familiariter illum admonuit. Plures etiam scholarium adhortatus est ut et libros venenis plenos repudiarent et rejicerent, et a doctrina quæ fidem lædebat catholicam, caverent et abstinerent. Quod magister Petrus minus patienter et nimium ægre ferens, crebro nos pulsare cœpit, nec ante voluit desistere, quoad ad dominum Claræ-Vallensem abbatem super hoc scribentes, assignato die, scilicet octavo Pentecostes, Senonis ante nostram submonuimus venire præsentiam, quo se vocabat et offerebat paratum magister Petrus ad probandas et defendendas, de quibus illum dominus abbas Claræ-Vallensis, quomodo prætaxatum est, reprehenderat, sententias. Cæterum dominus abbas nec ad assignatum diem se venturum, nec contra Petrum sese disceptaturum nobis remandavit. Sed quia magister Petrus interim suos nihilominus cœpit undequaque convocare discipulos, et obsecrare ut ad futuram inter se dominumque abbatem Claræ-Vallensem disputationem, una cum illo suam sententiam simul et scientiam defensuri venirent, et hoc dominum Claræ-Vallensem minime lateret; veritus ipse ne propter occasionem absentiae suæ tot profanæ, non sententiæ, sed insanæ, tam apud minus intelligentes, quam earundem defensores majore dignæ viderentur auctoritate; prædicto quem sibi designaveramus die, licet eum minime suscepisset, tactus zelo pii fervoris, imo certe sancti Spiritus igne succensus, sese nobis ultro Senonis præsentavit. Illa vero die, scilicet octava Pentecostes, convenerant ad nos Senonis fratres et suffraganei nostri episcopi, ob honorem et reverentiam sanctarum, quas in ecclesia nostra populo revelaturos nos indixeramus, reliquiarum.

(887) Ineptias vocabant veteres etiam gravissimas hæreses, ut observatum alias in Præfatione 2 Sæculi 4. Benedictini, n. 133. Hieronymus in epistola ad Alypium et Augustinum, agens de hæresi Cœlestiana, « Nec grande est ineptissimis nœniis respondere; » et Bernardus ipse rursus in sermone 65 in Cantica, n. 8.

(888) Id anno 1140 accidisse refert præter alios Hugo Sancti Mariani Chronographus, nulla tamen

3. Itaque præsentate glorioso rege Francorum Ludovico cum Willelmo religioso Nivernis comite, domino quoque Remensi archiepiscopo, cum quibusdam suis suffraganeis episcopis, nobis etiam et suffraganeis nostris, exceptis Parisiis et Nivernis, episcopis præsentibus, cum multis religiosis abbatibus et sapientibus, valdeque litteratis clericis, adfuit dominus abbas Claræ-Vallensis, adfuit magister Petrus cum fautoribus suis (888). Quid multa? Dominus abbas cum librum Theologiæ magistri Petri proferret in medium, et quæ adnotaverat absurda, imo hæretica plane capitula **310** de libro eodem proponeret, ut ea magister Petrus vel a se scripta negaret; vel, si sua fateretur, aut probaret, aut corrigeret; visus diffidere magister Petrus Abælardus, et subterfugere, respondere noluit: sed quamvis libera sibi daretur audientia, tutumque locum et æquos haberet judices, ad vestram tamen, sanctissime Pater, appellans præsentiam, cum suis a conventu discessit.

4. Nos autem, licet appellatio ista minus canonica videretur, Sedi tamen apostolicæ deferentes, in personam hominis nullam volumus proferre sententiam. Cæterum sententias pravi dogmatis ipsius, quia multos infecerant, et sui contagione adusque cordium intima penetraverant; sæpe in audientia publica lectas et relectas, et tam verissimis rationibus, quam beati Augustini, aliorumque sanctorum Patrum inductis a domino Claræ-Vallensi auctoritatibus, non solum falsas, sed et hæreticas esse evidentissime comprobatas, pridie ante factam ad vos appellationem damnavimus. Et quia multos in errorem perniciosissimum et plane damnabilem pertrahunt eas auctoritate vestra, dilectissime dominè, perpetua damnatione notari, et omnes qui pervacilliter et contentiose illas defenderint, a vobis, æquissime Pater, justa pœna mulctari unanimiter et multa precum instantia postulamus. Sæpedicto vero Petro si Reverentia vestra silentium imponeret, et tam legendi quam scribendi prorsus interrumperet facultatem, et libros ejus, perverso sine dubio dogmate respersos, condemnaret; avulsis spinis et tribulis ab Ecclesia Dei, prævaleret adhuc læta Christi seges succrescere, florere, fructificare. Quædam autem de condemnatis a nobis capitulis vobis, reverendè Pater, conscripta transmisimus, ut per hæc audita reliqui corpus operis facilius æstimetis.

#### EPISTOLA CCCXXXVIII (889).

AD HAIMERICUM CARDINALEM ET CANCELLARIUM.

*Petro Abælardo hæreseos convicto, non debere apud cardinales et curiam Romanam patere refugium.*

Illustri viro et amico præcordiali HAIMERICO, san-

mentionem factam de revelatione reliquiarum, neque in Chronico S. Petri Vivi. De hac synodo agens Otto Frisingensis episcopus, Theobaldum palatinum comitem cum aliis nobilibus ei interfuisse scribit in libro primo de Gestis Friderici, cap. 48.

(889) Alias epistola 369: quæ vero antea 338 erat, nunc 401. Scripta anno Christi 1140. Vide epistolam 187 seqq. et Notas.



ctæ Romanæ Ecclesiæ diacono cardinali et cancellario, BERNARDUS Claræ-Valleensis abbas, providere bona coram Deo et hominibus.

1. Sicut audivimus, sic vidimus libros et sententias magistri Petri Abælardi: notavimus verba, signavimus mysteria, et mysteria iniquitatis inventa sunt. Theologus noster verbis legis legem impugnat. Sanctum projicit canibus, et margaritas porcis: fidem corrumpit simplicium, Ecclesiæ maculat castitatem.

*Quo semel est imbuta recens servabit odorem  
Testa diu*

(HORAT. *Epist.* I, II, 69.)

Transierat per ignem liber ejus, et inductus est in refrigerium. Jamque in Ecclesia hostis Ecclesiæ, fidei persecutor, in gremio fidei requiescit. Effusus est sicut aqua. Non crescat qui ascendit cubile patris sui, et maculavit stratum ejus. Maculavit Ecclesiam homo ille, rubiginem suam simplicium mentibus affricuit. Cum ea ratione nititur explorare quæ pia mens fidei vivacitate apprehendit. Fides piorum credit, non discutit. Sed iste Deum habens suspectum, credere non vult nisi quod prius ratione discussit. Cumque propheta dicat, *Nisi credideritis, non intelligetis* (*Isai.* VII, 9, sec. LXX): iste fidem voluntariam nomine redarguit levitatis, abutens illo Salomonis testimonio, *Qui credit cito, levis est corde* (*Ecclesi.* XIX, 4). Reprehendat ergo beatam virginem Mariam, quoniam cito credidit angelo nuntianti, et dicenti: *Ecce concipies et paries filium* (*Luc.* I, 31). Redarguat et illum in extrema linea vitæ credentem verbo morientis et dicentis: *Hodie mecum eris in paradiso!* (*Id.* XXIII, 43.) Laudet e regione duritiam cordis illorum, quibus dictum est: *O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ!* (*Id.* XXIV, 25.) Commendet etiam illius tarditatem, cui dictum est: *Pro eo quod non credidisti verbis meis, eris tacens, et non poteris loqui* (*Id.* I, 20).

2. Denique ut pro brevitate epistolæ de multis pauca dicam: doctor egregius cum Ario gradus et scalas in Trinitate disponit; cum Pelagio liberum arbitrium gratiæ præponit; cum Nestorio Christum dividens, hominem assumptum a consortio Trinitatis excludit. Sed in his omnibus gloriatur quod cardinalibus et clericis curiæ scientiæ fontes aperuerit, quod manibus et sinibus Romanorum libros et sententias suas incluserit; et in tutelam sui erroris assumit eos a quibus judicari debuit et damnari. Jacinctus multa mala ostendit nobis (890): non fecit tamen, non quia non voluit, sed quia non potuit. Verum æquanimiter ferimus, cum nec personæ domini Papæ, nec curiæ in curia illa pepercit. Cæ-

(890) Vide epistolam 189.

(891) Alias epistola 327: quæ vero ante 339 erat, nunc 402. Scripta circa annum 1140.

(892) Marcianense Ordinis S. Bened. nobile monasterium ad Scarpam, diocesis Tornacensis, a sancta Rictrude conditum sæculo septimo.

tera autem quæ vidit et audivit Nicolaus iste meus, imo et vester, viva melius referet voce.

### EPISTOLA CCCXXXIX (891).

AD PAPAM INNOCENTIUM.

*Alvisi Atrebatensis episcopi innocentiam adversus calumniatores ejus asserit.*

Amantissimo patri et domino, Dei gratia summo Pontifici INNOCENTIO, BERNARDUS Claræ-Vallis abbas vocatus, modicum id quod est.

Nec novum nec mirum est humanum animum posse falli vel fallere. Cavendum et hoc et illud, quia utrobique periculum. Ad utrumque cautelam vobis apposuit magni consilii Angelus, quando dixit, *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ* (*Matth.* X, 16), ut nec prudentia decipi, nec simplicitas decipere posset. Marcianenses monachi (892) venerunt ad vos in spiritu mendacii et spiritu erroris, adversus Dominum, et adversus christum ejus. Verbum iniquum constituerunt adversus Atrebatensem episcopum, cujus conversationis et vitæ bonus odor fuit hactenus in omni loco. Qui sunt isti, qui ut canes mordent, qui dicunt bonum malum, qui ponunt lucem tenebras? qui sunt isti, qui contra legem maledicunt surdo, et coram cæco ponunt offendiculum? (*Levit.* XIX, 14.) Quare, domine, irasceris in filium tuum? quare lætificasti inimicos ejus? Ubi est illud apostoli, *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt?* (*I Joan.* IV, 1.) In Domino confido quia dissipabitur consilium eorum, et, cum apparuerit quod verum est, evacuabitur quod ex falso est, ut mentita sit iniquitas sibi. Auribus nostris audivimus quam fideliter, quam constanter locutus sit in conspectu Regis et principum pro fidelitate Romanæ Ecclesiæ. Veniet ad vos in innocentia sua in die vocationis suæ: præmisit ante filium suum archidiaconum præsentium latorem, cujus personam et mores vestræ mansuetudini commendamus. De cætero venit ad vos abbas Sancti-Vedasti (895), homo plane inimicus sibi, suis, et ecclesiæ suæ, homo qui accepit in vanum nomen abbatis: quærit enim quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi. Sed et qualis pater, talis et filius qui cum eo est: qui nec conscientiæ, nec suæ famæ pepercit. Subsannatio et illusio his qui in circuitu ejus sunt: G. loquor monachum ejus. Spiritus veritatis det vobis dividere lucem a tenebris, det vobis reprobare malum et eligere bonum.

### 312 EPISTOLA CCCXL (894).

AD EUNDEM INNOCENTIUM PAPAM.

*Pro episcopo Andegavensi.*

Amantissimo domino et patri, Dei gratia summo Pontifici INNOCENTIO, BERNARDUS Claræ-Valleensis abbas, modicum id quod est.

(893) Gualtero nomen erat, cujus successor ab anno 1147 Guericus, de quo in epistola 284. Purgatur in Gallia Christiana, quod nihil in eum ab Innocentio decretum sit.

(894) Epistola nova: quæ vero antea 340 erat, nunc 403. Scripta circa annum 1140.

Fractus jam ætate, laboribus, periculis, Andegavensis episcopus (895), cujus pectus non moveat, nisi ejus qui viscera misericordiæ, qui omnem humanitatis exiit affectum? Hæc me movent pro homine illo, cujus senectutem, si unum excipitur factum, venerabilem facit et vita et scientia. De quo quoniam quid peractum sit inter ipsum et abbatiam, nondum cognovimus, nihil scribere præsumimus de re incognita. Sed, si constiterit eum fecisse quod promisit, nihil jam superesse credimus, nisi ut plenitudini gratiæ et officii sui restituatur.

EPISTOLA CCCXLI (896).

AD MALACHIAM HIBERNIÆ ARCHIEPISCOPUM.

*Fratres, litteras, et baculum, ab eo missa grato animo suscipit. Locum Religiosis idoneum præparari jubet : sequæ ejus orationibus commendat.*

Venerabili domino et beatissimo patri MALACHIÆ, Dei gratia Hiberniensium archiepiscopo (897), apostolicæ Sedis legato, frater BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, invenire gratiam apud Dominum.

1. Inter multiplices æstus et curas pectoris mei, præ multitudine quarum anima mea turbata est valde, fratres de terra longinqua venientes, ut serviant Domino, epistola tua, et baculus tuus ipsa me consolata sunt : epistola in ostensione bonæ voluntatis, baculus ad sustentandum corpus infirmitatis, fratres qui Deo serviunt in spiritu humilitatis. Omnia suscepimus, omnia placent, omnia pariter cooperantur in bonum. Quod autem voluistis duos de fratribus mitti vobis ad prævidendum locum (898); communicato cum fratribus consilio, dignum duximus non eos separandos ab invicem, donec plenius in eis formetur Christus, donec ad integrum doceantur prælia Domini. Cum igitur fuerint in schola sancti Spiritus eruditi, cum induti virtute ex alto; tunc demum ad patrem filii revertentur, ut cantent canticum Domini, non jam in terra aliena, sed in sua.

2. Vos autem interim juxta sapientiam vobis datam a Domino, secundum habitudinem locorum quæ vidistis apud nos, prævidete et præparate eis locum a tumultibus sæculi separatum. Tempus enim prope est, in quo vobis, operante Dei gratia, novos de veteribus homines producemus. Sit nomen Domini benedictum in sæcula, de cujus munere venit, ut communes habeam filios vobiscum, quos vestra prædicatio plantavit, nostra exhortatio rigavit, Deus

895) Ulgerius, ad quem epistola 200.

(896) Alias epistola 315 : quæ vero antea 344 erat, nunc 385. Scripta circa annum 1140.

(897) Usserius hanc epistolam inter Hibernicas refert, ubi contra Johannem Picardum observat, Armachanos antistites antè pallii usum, qui non nisi anno 1150 ipsis concessus est, dictos fuisse archiepiscopos, atque metropolitani potestate usos. Usserium in primis movet archiepiscopi nomen in Malachia, qui ante aliquot annos relicto archiepiscopatu, Dunensis episcopatus administrationem susceperat, Vitæ capite 14. Sed archiepiscopi nomen ob pristinam dignitatem ei tribuere potuit Bernardus qui tamen in sequentibus episcopum tantum

A autem incrementum dedit. Sanctitatem vestram rogamus ut verbum Domini prædicetis, ad dandam scientiam salutis plebi ejus. Duplex enim vobis incumbit necessitas, et ex officio legationis, et episcopali negotio. De cætero, quoniam in multis offendimus omnes (*Jacobi III, 2*), et inter homines sæculi frequenter positi multum de pulvere mundi contrahimus; vestris et vestrorum orationibus me commendo, ut in fonte misericordiæ suæ nos **313** lavare et emaculare dignetur ipse fons pietatis Jesus Christus, qui dixit Petro : *Nisi laveris te, non habebis partem mecum* (*Joan. XIII, 8*). Sed et hoc ipsum, non solum precibus, verum etiam quasi ex debito requiro, cum ego clamem ad Dominum pro vobis, si quid possit peccatoris oratio. In Domino valet.

EPISTOLA CCCXLII (899).

AD JOSLENUM EPISCOPUM SUESSIONENSEM.

*Archiepiscopum Burdegalensem apud regem purgari postulat.*

Venerabili domino et dilectissimo patri JOSLENO, Dei gratia Suessionensi episcopo, BERNARDUS Claræ-Vallensis abbas, invenire gratiam apud Dominum.

1. Injuria regni est et principum ejus, si negotia regis de sinu ipsius cum impetu procedant ad publicum, et non tam circumspecto quam præcipiti explicentur consilio. Placet mihi, et multum placet quoniam rex credit vobis, et confidit in vobis. Scio enim quia regem et honorem regni bona æmulatione æmulamini, et scio nihilominus spiritum consilii esse vobiscum. Ita oportet : hic ordo, hæc ratio, hic modus videndus est in viro consilii, ut diligat, et sapiens sit. In ore duorum istorum, id est dilectionis et sapientiæ, stabit omne verbum consilii. Hæc duo, si in unum convenient, poterit eructare verbum bonum, et discere opera facienda regi. Cæterum, si vel dilectio prudentiam, vel prudentia dilectionem solam in administratione consilii deseruerit, væ terræ, cujus rex puer erit! In consilium eorum non veniat anima mea, qui vel diligentes me, prudentes non sunt, vel prudentes, me non diligunt. Sic enim cecidit miser ille Adam de gradibus æternitatis, quando abiit in consilio impiorum; Evæ diligentis, sed non prudentis; serpentis prudentis, sed minime diligentis.

2. Quid est quod dominus meus rex archiepiscopum Burdegalensem (900) attrahere nititur in causam sine causa? Vestrone id agitur consilio? Absit vocat.

(898) Id est situm Melli-Fontis monasterii, anno 1141 conditi in diocesi Armachana, præfecto Melli-Fonti abbate Christiano, de quo in epistola nunc 357, n. 3. De hoc monasterio in Actis S. Malachiæ et S. Bernardi, et in epistola 254, apud Chesnium tomo 4.

(899) Epistola nova : quæ vero antea 342 erat, nunc 385. Scripta anno Christi 1140. Vide epistolam 223.

(900) Is tum erat Gaufridus de Loratorio, cui nondum archiepiscopo scripta est epistola 125. In editis hæc male directa scribitur ad Joannem

a vobis istud consilium! absit a me ista suspicio! Quid tandem mali fecit homo ille? Quod electam pari Pictaviensium pace, et voto, et voce, personam (901) canonica libertate consecravit! quod pecuniam Pictaviensium, quam moriens dispersit, dedit pauperibus et ecclesiis, de faucibus esurientium, de sinu Ecclesiæ non extraxit! En sanguis iste de manu ejus exquiritur. Si culpa est quod ovibus errantibus assignavit pastorem, quod pupillum et viduam non spoliavit, quod privilegia apostolicæ Sedis illibata conservavit, non potest excusari. O consilium sine consilio, in quo justitia pro scelere, et innocentia pro crimine reputatur! Attendite vobis, episcopi: vestra enim res agitur, paries cum proximus ardet (HORAT. *Epist.* I, II, 84).

3. Vobis tamen, domine, quoniam et lateri regis arctius adhæretis, et ex nutu vestro ipsius pendent negotia; vobis incumbit pro consortibus vestris id agere cum rege, ut non accendat omnem iram suam. Dico vobis, homo ille imperterritus est, homo potens in opere et sermone: vix poterit avelli a suo jure. Magnum enim locum obtinet in terra illa. Si res turbata fuerit, multi permanebunt cum eo in tentationibus ejus. Videte ergo, ne quis oleum flammæ adjiciat. Exstinguatur ignis, antequam convalescat incendium:

*Sero (enim) medicina paratur,  
Cum mala per longus convaluere moras.  
(OVIDIUS, De remed. amor., 91, 92).*

### 314 EPISTOLA CCCXLIII (902).

BERNARDI ABBATIS ITALI AD INNOCENTIUM.

*Conqueritur quod in monasterio Salvatoris omnia secundum Pontificis promissa non contigerint.*

Desiderabili domino et delectissimo patri, Dei gratia summo Pontifici INNOCENTIO, servus ejus BERNARDUS, preces pauperum.

Coarctor e duobus, quoniam et pudor silentium imperat, et necessitas jubet loqui. Loquar ergo ad dominum, cum sim pulvis et cinis: loquar autem in amaritudine animæ meæ. Conquerimur, domine, de te, sed apud te: et querela quidem in umbra est, sed causa querelæ jam in sole posuit tabernaculum suum. Factum ut imperasti: venimus ad monasterium Sancti-Salvatoris (903) sicut mandaveras in litteris tuis servo tuo, patri nostro. Ubi est ergo nunc exspectatio mea, et tua promissio? Transivimus per ignem et aquam: et, nisi quia Dominus erat in nobis, forsitan aqua absorbuisset nos. Periculis latronum et fluminum, periculis in civitatibus et solitudine, periculis in terra et in mari fatigati sumus, et non fuit qui adjuvaret. Hæc omnia vene-

(901) Grimoardum, ex abbate B. Mariæ de Alodiis: cujus electio, anno 1140 facta, aliquandiu suspensa fuit per Ludovicum VII.

(902) Epistola nova: quæ vero antea 345 erat, nunc 384. Scripta anno Christi 1140.

(903) Hoc monasterium hactenus existit, octo millibus a Farsensi dissitum, eidemque subjectum: in quod monachi Farsenses æstate commigrant. Confer epistolam 184, et ibi Notas.

(904) Nempe Atenulfum abbatem Farsensem, de

runt super nos: sed nondum statim finis. Litteris tuis, domine, extracti sumus de sinu patris nostri, et ad unius jussionis vocem, relictis fratribus et patre, in odore præceptorum tuorum cucurrimus. Litteris tuis excussi sumus a gremio matris nostræ, et ab uberibus consolationis ejus: ejecti sumus de loco voluptatis, et opposuisti, domine, flammeum gladium, ne revertamur, et utinam versatilem. Cecidit corona capitis nostri, versus est in luctum chorus noster. Quomodo cantabimus, domine, canticum Domini in terra aliena? O quanto dulcius et securius fuerat nobis exsultare animas nostras in sinu matris nostræ, et in cubiculo genitricis nostræ! Sic cucurrimus, quasi in incertum; sic pugnavimus, quasi aerem verberantes: sed tua, domine, promissio fuit in causa, quam credidimus gratia plenam et veritate. Nunc autem (jam enim hiems abiit et recessit), si ita placet domino meo, egrediamur ad videndum, ubi inveniamus requiem pedibus nostris: quoniam usque adhuc prohibuit nos grando, nix, glacies, et spiritus procellarum. Crudelissimum quippe videtur, et ab omni humanitatis officio longe remotum, illum (904) fraudare a desiderio suo, qui nos prius coepit amare quam nosse, qui nos patris affectu in filios adoptavit, adeo ut, si fieri potuisset, oculos suos eruisset, et dedisset nobis. Non habuit ubi caput suum reclinaret Rex meus et Deus meus, cujus regnum non erat de hoc mundo: utinam et mundus nos abiciat et repellat in solitudinibus errantes, in montibus, et speluncis, et cavernis terræ!

### EPISTOLA CCCXLIV (905).

EJUSDEM BERNARDI AD SANCTUM BERNARDUM.

*Præfecturam sibi impositam conqueritur.*

Venerabili domino et dilectissimo P. (906) abbati Claræ-Vallis, filius ejus B. unctionem illam quæ docet de omnibus..

Quotiescunque memoriæ occurrit dies illa miseriæ et calamitatis in qua avulsus sum ab uberibus consolationis vestræ, flere magis libet quam aliquid scribere. Si tanta esset ubertas orationis quanta lacrymarum, facile vobis esset intelligere super egenum et pauperem. Accessit ad meditationem animus, manus 315 ad calamum, et dolor meus renovatus est. Obviavit mihi scribenti illa amaritudo mea amarissima, et illa tristis imago diei illius in qua stultitia elevata est super candelabrum, et factus sum conturbatus. Non ego reprehendo, domine, vel opus, vel intentionem vestri operis, quod in digito Dei esse creditur: sed plango paululum dolorem meum. Ecce enim, postquam projectus sum quo infra.

(905) Epistola nova: quæ vero antea 344 erat, nunc 315. Scripta anno Christi 1140.

(906) Id est, Patri, scilicet Bernardo: nam hanc epistolam ad S. Bernardum scriptam fuisse constat, et quidem a Bernardo illo qui postea abbas fuit Sancti-Anastasio ad Aquas-Salvias prope Romam, ac demum pontifex sub nomine Eugenii III. Ejusdem est præcedens, uti et epistola 428. Hæc omnes sub Bernardi nomine primum vulgatæ sunt.

a facie oculorum tuorum, defecit in dolore vita mea, A et dies mei in gemitibus. Heu mihi! quia perdidisti formam cui imprimebar, speculum compositionis meæ, lumen oculorum meorum! Jam non sonat vox illa dulcis in auribus meis, nec facies illa decora meis aspectibus apparet, quam mei errores erubescere solebant. Quare, domine, frustratus sum a spe mea? quare fraudatus a desiderio meo? Præcisa est velut a texente vita mea; dum adhuc ordiretur, succisus sum. Completa est in me miserabilis illa sententia, et sicut in Cantico canticorum, domine, dixisti, hodie lego in libro experientiæ illud: *Homo, cum in honore esset, non intellexit (Psal. XLVIII, 15)*. Non enim satis intelligebam, cum essem in Clara-Valle, me esse in loco voluptatis, inter ligna paradisi; et ideo pro nihilo habui terram desiderabilem. B Quid, domine, quid in me placuit considerationi tuæ, quod me posuisti ducem ac præceptorem gentibus, quod me constituisti principem populi tui? Numquid conversatio mea in sæculo? Sed illa fetida fuit. Numquid illa in monasterio? Sed illa tarda et tepida fuit. Quare, cum essem parvus in oculis meis, caput factus sum in tribu Israel? quare, cum non essem mundus ab occultis meis, ab alienis non pepercisti servo tuo? Quid faciet homo, quem de præteritis urget dolor, de præsentibus labor, et timor de futuris? Ad summam doloris, et cumulum miseriæ meæ, hoc solum tibi dicere præsumo, domine desiderabilis, quia non exspectato vulnus ab hoste tuli (Ovid.). Cæterum, domine, ut de loco loquar ad quem me misisti, sic cucurri quasi in incertum, sic pugnavi, quasi aerem verberans. Nam dominus papa, cujus litteris evocati sumus, promissionem quam de ejusdem loci confirmatione fecerat, opere non complevit, sicut et præsens tempus probat. Dominus Fars (907) ad introitum nostrum gavisus est gaudio magno, et in toto corde suo pueros vestros recepit, ita ut, si fieri posset, oculos suos eruisset, et dedisset nobis. In hoc solum reprehensibilis est, et corrigendus est a vobis, quod omnia faciat vehementer, et ultra promissionem suam et nostram voluntatem. Quoniam sermo jam in longum processit, de interiori meo homine nihil brevius, nihil verius dicere possum, nisi quia laterem lavo.

EPISTOLA CCCXLV (908).

AD FRATRES DE SANCTO ANASTASIO (909).

Commendat eorum in religiosa disciplina zelum et

(907) Legendum, *Farsensis*; cujus loci abbas Ate-nulfus monachos a Bernardo petierat. Vide librum tertium Vitæ S. Bernardi, cap. 7, n. 23.

(908) Alias epistola 321: quæ vero antea 345 erat, nunc 321. Scripta anno Christi 1140.

(909) Nempe Romæ ad Tres-Fontes, unde assumptus Eugenius III, antea Bernardus dictus, supra.

(910) Mirum nostris temporibus paradoxum: sed saltem hic locus, cum alio ex sermone 50 in Cantica comparatus, monachos, qui odium carnis suæ profitentur, ab immodica valetudinis cura revocare deberet exemplo veterum monachorum, qui quidem aliquando medicos ad temperandam victus rationem (ut in Vita Pachomii de Pakemone, cap. 1) remedia arte quæsitâ, sed rarius, admittebant. Quin etiam

observantiam. Attamen nimium valetudinis per medicinas tuendæ studium improbat.

Dilectissimis in Christo filiis nostris de Sancto-Anastasio, frater BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, salutem et devotas orationes.

1. Testem habeo in cælis, quam multum omnes vos cupiam in visceribus Jesu Christi, quanto, si fieri posset, desiderio desiderarem videre vos, non propter vos tantum, sed propter me, cui magnum certe solatium et prægrandis esset lætitia amplecti viscera mea, gaudium meum, et coronam meam, quod estis vos. At quoniam id nondum conceditur (concedetur enim, sicut bene confido de misericordia Dei, et erit quando videbimus vos, et gaudebit cor nostrum, et gaudium **316** nostrum nemo tollet a nobis); interim certe magna mihi est consolatio et lætitia multa in his quæ de vobis audivi per dilectissimum fratrem et coabbatem nostrum venerabilem Bernardum vestrum. Multam enim vobis habeo gratiam, quod tam bene sibi complacet in vobis pro disciplina vestra et Ordinis zelo, pro obedientia et voluntaria paupertate, pro quibus sine dubio merces vestra multa est in cælis. Unde rogo vos, fratres, et multum obsecro, sic agite, et sic state in Domino, dilectissimi, solliciti semper circa custodiam Ordinis, ut Ordo custodiat vos: solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis (*Ephes. IV, 3*); mutuam in vobismetipsis, maximeque ad prælatos, charitatem humilem habentes, quæ est vinculum perfectionis (*Coloss. III, 14*). Humilitatem ante omnia, super omnia pacem sectamini, propter inhabitantem Spiritum Dei in vobis, qui non nisi super quietum et humilem requiescit (*Isai. LXVI, 2*).

2. Cæterum unum quidem a me petit venerabilis abbas vester, quod mihi minime bonum videtur. Credo autem quod et ego spiritum Dei habeam, et consilium Dei in hoc. Scio quidem quod in regione habitatis infirma, et multis aliqui ex vobis laborant infirmitatibus: sed mementote ejus qui dixerit: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi*; et: *Cum infirmor, inquit, tum fortior sum (II Cor. XII, 9, 10)*. Compatior utique, et multum ego compatior infirmitati corporum: sed timenda multo magis, ampliusque cavenda infirmitas animarum. Propterea minime competit religioni vestræ medicinas quærere corporales, sed nec expedit salutem (910). Nam de vilibus quidem herbis,

Cistercienses medicamina suis indulgebant, ut constat ex epistola nunc 405, et ex Herberto, libro 3, cap. 15; nec Bernardus in hac epistola denegat, sed quas hortus et nativæ herbarum species suppeditent, non quas medicorum apothecæ. Interim sequentes, si lubet, auctores, super hoc problemate non inutiliter leges: S. Basilium, in Reg. fus. disp. cap. 55; Cassiodorum, libro Instit. divin. cap. 51; Estium, Cornel. et Oliv. Bonart. in cap. 38 Eccli. Rossignol. De vita relig. libro II, cap. 12; Nigronium in Reg. comm. 17; Franciscum Arias, De mortif.; Blossium, ultim. edit. p. 654; Molanum, libro De sanctis medicis; Rodriguez, III p. tract. 5, cap. 17; Platum De bono statu libro III, cap. 28; Barradum in Evang. tomo II, libro V, cap. 20.

et quæ pauperes deceant, interdum aliquid sumere, A tolerabile est, et hoc aliquando solet fieri. At vero species emere, quærere medicos, accipere potiones, religioni indecens est, et contrarium puritati, maximeque Ordinis nostri nec honestati congruit nec puritati. Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scimus autem quia qui in carne vivunt, Deo placere non possunt (*Rom. VIII, 8*). Spiritualia proinde spiritualibus comparanda (*I Cor. II, 13*), et quærenda potio humilitatis, et clamandum in toto corde: *Sana animam meam, domine, quia peccavi tibi (Psal. XL, 5)*. Huic sanitati, fratres dilectissimi, operam date; hanc sectamini, hanc servate, quia vana salus hominum.

EPÍSTOLA CCCXLVI (911).

AD DOMINUM INNOCENTIUM PAPAM.

*Hortatur Pontificem, ne causæ archiepiscopi Eboracensis, utpote iniquæ, faveat.*

Amantissimo patri et domino, Dei gratia summo Pontifici INNOCENTIO, BERNARDUS Claræ-Vallensis vocatus abbas, modicum id quod est.

Cum multi sint vocati, pauci vero electi (*Matth. xx, 16, et xxii, 14*), non est magnum argumentum ad faciendam rei dubiæ fidem, id esse laudabile quod a multis laudatur. Archiepiscopus Eboracensis venit ad vos [*al. nos*], ille, de quo jam sæpenu-mero scripsimus Sanctitati vestræ, homo qui non posuit Deum adiutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum. Causa ejus iusfirma est, et languida: et, sicut virorum veracium attestazione deprehendimus, a planta pedis usque ad verticem C non est sanitas in ea. Quid ergo? quid quærit homo sine justitia apud examinatorem justitiæ, apud custodem æquitatis? Itane arbitratur se posse absorbere justitiam in curia, sicut eam absorbit in Anglia? Absorbuit fluvium, et non miratur, et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus. Ecce ille venit cum multis, quos astipulavit sibi et precibus et pretio. Solus iste evasit, ut nuntiaret tibi: solus iste in periculum capitis 317 sui opposuit se murum pro domo Israel, qui cum aliis non adoravit statuam ad imperium regis. Solus est, nisi quia justitia non reliquit eum solum. Illa obviavit filio suo, quasi mater honorificata (*Eccli. xv, 2*). Quid ergo faciet Vicarius Petri in negotio isto, nisi quod fecit Petrus cum illo qui domum Dei aestimavit pecunia possideri? (*Act. viii, 20*). Si supra petram fundata est Ecclesia, portæ inferi non prævallebunt adversus eam (*Matth. xvi, 18*). Non loquor

(911) Alias epistola 377: quæ vero antea 346 erat, nunc 405. Scripta circa annum 1141. Vide epistolam 235.

(912) Alias epistola 378: quæ vero antea 347 erat, nunc 391. Scripta circa annum 1141.

(913) Indubie hi sunt abbas et monachi Fontanenses, qui maxime intruso adversi erant, uti et monachi Rievallenses, de quibus in binis epistolis sequentibus, nempe in epistolis 353 et 360.

(914) Alias epistola 388: quæ vero antea 348 erat, nunc 407. Scripta anno Christi 1141.

(915) Arnulfus ex archidiacono Sagiensi erectus anno 1141 in sedem Lexoviensem, Orderico passim

hoc a me ipso, sed ad testimonium illorum qui spiritu Dei aguntur.

EPÍSTOLA CCCXLVII (912).

AD EUNDEM DOMINUM INNOCENTIUM PAPAM.

*Commendat nuntios, causa archiepiscopus Eboracensis Romam petentes.*

Amantissimo patri et domino INNOCENTIO summo Pontifici, frater BERNARDUS, Claræ-Vallensis vocatus abbas, modicum id quod est.

B Hic quos videtis, viri sunt simplices et recti ac timentes Deum. Et nunc in spiritu ascenderunt ad conspectum gloriæ vestræ, justitiæ utique solius intuitu et obtentu. Ponite, quæso, oculos vestros super fatigatos pauperes (913), quia non sine causa de longe ad vos veniunt, nec longa terrarum spatia, nec maris periculum, nec Alpium nives, nec sumptus grandis viæ, cum pauperes sint, reputantes. Provideat ergo dominus meus, ne cujus fraus vel ambitio tantos labores evacuare prævaleat: præsertim cum non quæ sua sunt quærant, sed quæ Jesu Christi. Neque enim vel inimicum arbitror suspicari eos privato amore vel odio in id negotii excitatos, sed solo timore Dei. Itaque, si quis Dei est, jungatur eis. Si deinceps terram occupaverit arbor infructuosa, cujus culpam dixerim, nisi tenentis securim?

EPÍSTOLA CCCXLVIII (914).

AD EUNDEM INNOCENTIUM.

*Pro Arnulfo Lexoviensi episcopo electo (915).*

C Amantissimo patri et domino, Dei gratia summo Pontifici INNOCENTIO, BERNARDUS Claræ-Vallensis vocatus abbas, modicum id quod est.

D 1. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui Ecclesiam suam, immaculatam sponsam dilecti Filii sui, in diebus nostris liberam et absolutam a tribulationibus malorum custodivit et dolore. Schismata corruerunt, hæreses siluerunt (916), superborum et sublimium colla calcantur. Et quidem in schismate vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani; et transivi, et ecce non erat. In hæresi multorum redivivi pullulabant errores, sed obstructum est os loquentium iniqua. Tyrannus Siciliæ (917) extulerat in altum cor suum, sed jam humiliatur sub potenti manu Dei. Nullus gradus prætermisus est, de quo non acceperit victoriam per vos Ecclesia Dei, in manu potenti et in brachio excelso.

2. Superest tamen in tertio gradu comes (918) An-

Luxoviensem, in Neustria, vir doctus, scriptis epistolis clarus, de cujus electione etiam Petrus Venerabilis ad Innocentium scripsit, quæ est libri quarti epistola 7. Hæc Bernardi epistola primum a Joanne Picardo edita est ultima, n. 357, ab Horstio dein ommissa, et recusa in Spicilegii tomo tertio. De eodem Arnulfo agit epistola 248.

(916) Anacleti et Victoris schismata intelligit, hæreses Petri Abælardi.

(917) Scilicet Rogerius.

(918) Gaufridus, cognomento Planta-Genestus, Fulconis Jerosolymorum regis filius, Henrici II Anglorum regis pater.

degavensis, malleus honorum, oppressor pacis et libertatis Ecclesiæ. Persequitur ecclesiam Lexoviensem, ut non introitum habeat pastor ecclesiæ illius in ovile ovium, nisi aliunde. Sed quod factum est, non potest non fieri. Denique si res ipsa habeat diligentem inspectorem, et prudenter examinetur; ad commodum causæ, et ad rei gestæ confirmationem, omnia cooperantur in bonum, persona, negotium, auctor operis, impugnator. Si enim ad personam respicias, hic est filius tuus dilectus, in quo tibi complacuit. **318** Si ad negotium, ordine integro et canonicæ libertate consummatum est. Si ad auctorem operis, vir religiosus est, et timens Deum. Si ad operis impugnatorem, ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum, hostis Ecclesiæ, inimicus crucis Christi. In omni siquidem negotio validissimum argumentum est ad faciendam rei dubiæ fidem, id semper esse melius, quod placeat bonis, malis autem displiceat. Sed appellavit Sedem apostolicam comes Andegavensis. Quare obsecro? qua læsione? quo gravamine urgente? Non quia opprimeretur, sed quia opprimeret; non ut injuriam suam relevaret appellationis remedio, sed ut benedictionem istius obstaculo appellationis impediret.

3. Cum itaque et religio promoventis, et promoti dilectio, et causæ justitia confluant in unum; superfluum videtur et vanum rogare pro eo, ubi ejus humilitas postularit. Loquar ergo ad dominum meum, cum sim pulvis et cinis. Loquar servus sponsæ ad amicum Sponsi: jucundum sit eloquium meum. Tibi, domine, commissæ est Ecclesia a solis ortu usque ad occasum. Tu ei debes esse murus et antemurale a facie inimici et persequentis; tu debes fovere filios ejus sub umbra alarum tuarum. Suscipe Lexoviensem episcopum, uterinum filium Romanæ Ecclesiæ, et remitte eum in benedictionibus dulcedinis, nequando dicat inimicus ejus: Prævalui adversus eum. Accingere gladio tuo, Pater, ad exaltationem filii, ad depressionem inimici, ad conservandam Ecclesiæ libertatem. Non enim sumus ancillæ filii, sed liberæ, qua libertate liberavit nos Christus.

## EPISTOLA CCCXLIX (919).

AD EUMDEM.

*Amicum Pontifici commendat.*

Amantissimo Patri et domino, Dei gratia summo Pontifici INNOCENTIO, frater BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, modicum id quod est.

Gratiam quam inveni in oculis vestris, nolo habere solus: cum amicis eam volō dividere. Non enim timeo, ne forte non sufficiat mihi et illis. Magna enim est. Multos possum facere participes ejus: verumtamen ego exinanitus non ero. Quod igitur gratis accepi, gratis dabo: et liberalem me facit

(919) Alias epistola 350: quæ vero antea 349 erat, nunc 408. Scripta circa annum 1141

(920) Alias epistola 351: quæ vero antea 350 erat, nunc 409. Scripta circa annum 1141.

(921) Epistola nova: quæ vero antea 351 erat, nunc 322.

vestra liberalitas, sed de vestro. Præsentium latorem, virum commendabilem, vobis commendamus. Amicus est, domine, pauperum Christi, et servus servorum tuorum, Peto, domine, si quid habuerit apud tuam Excellentiam, ut eum solita pietate pro nobis exaudias, imo pro ipso, qui talis est, ut per se tantum merito debeat exaudiri.

## EPISTOLA CCCL (920).

AD EUMDEM.

*Propinquum suum benedictione Pontificis muniri rogat.*

Juvenis iste magnanimus (ut aiunt) et strenuus in opere militari, ut meliorem militet militiam, proficiscitur Jerusalem. Rogat puer vester rogatus ab ipso, ut in bono opere quod cœpit, vestram mereatur percipere consolationem, sed favorem, sed orationem, sed benedictionem. Propinquus noster est, et carnem meam juxta prophetam, non debui despexisse (*Isa. LVIII, 7*).

**319** EPISTOLA CCCLI (921).

AD EUMDEM INNOCENTIUM.

*Pauperes quosdam commendat.*

Frequenter scribo vobis. Preces et litteras meas habetis per singulos dies. Coarctor a duobus, nè aut amicis ingratus sim, aut vobis importunus. Dilectio me provocat, sed revocat confusio, et pene pudor excludit officium charitatis. Non habet sponsa Christi, ubi caput reclinet, ubi confugiat, nisi ad amicum Sponsi in tempore tribulationis. Isti, quos videtis pauperes, a pauperibus missi per multa pericula terræ et maris, confugiunt sub umbra alarum vestrarum, ad petram fidei catholicæ, et ad gremium apostolicæ pietatis recurrunt: quia in multis vexati, in paucis bene disponuntur a tribulatione malorum et dolore. Si vestri apostolatus officium, si veterem consuetudinem tenetis, nec pauperis causas potestis abjicere, nec vultum honorare potentis, Precamur vos pro eis, quoniam fratres nostri sunt, et de Ordine nostro, a quibus missi sunt, ut precibus eorum pro ratione aurem pietatis inclinetis, pro amore illius qui non spernit preces pauperum.

## EPISTOLA CCCLII (922).

SEU INNOCENTII II PAPÆ PRIVILEGIUM SANCTO BERNARDO CONCESSUM (923).

*Innocentius Bernardo atque Ordini Cisterciensi amplissima privilegia concedit ob præclara ejus in Sedem apostolicam merita.*

INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei, dilecto filio BERNARDO Claræ-Vallensi abbati, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum, etc.

Cæterum quam firma perseverantique constantia causam beati Petri et sanctæ matris tuæ Romanæ

(922) Epistola nova: quæ vero antea 352 erat, nunc 389. Scripta anno Christi 1151.

(923) Hoc privilegium post Bernardi ad Innocentium epistolam visum est referre ex Spicilegii tomo X, pag. 383, ubi Historia Fontanensis monasterii diocesis Turonensis habetur.

Ecclesie, dilecte fili in Domino Bernarde abbas, A incandescente Petri Leonis schismate fervor tuæ religionis et discretionis susceperit defensandam, et se murum inexpugnabilem pro domo Dei opponens, animos regum ac principum, et aliarum tam ecclesiasticarum quam sæcularium personarum, ad Catholicæ Ecclesie unitatem, et beati Petri ac nostram obedientiam, frequentibus argumentis et ratione munitis inducere laboraverit; magna quæ Ecclesie Dei et nobis provenit utilitas manifestat (924). Quamobrem tuis justis desideriis accommodantes assensum, beatæ Mariæ Dei genitricis monasterium; cui Deo auctore præses, cum omnibus ad ipsum pertinentibus, apostolicæ sedis patrocinio communivimus. Statuentes, ut quascunque possessiones aut bona, quæ ad eundem locum in præsentiarum jñste et canonice pertinere noscuntur, aut in futurum concessione pontificum, liberalitate regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, auxiliante Domino, ei conferri contigerit, firma tibi tuisque successoribus, et illibata permaneant. Prohibemus ne aliquis archiepiscopus aut episcopus te vel successores tuos, seu aliquem abbatem Cisterciensis ordinis, nisi pro fide ad concilium vel synodum venire compellat. Quia vero Cisterciense monasterium hujus religionis origo est atque principium, nostra concessione hac prærogativa non immerito gaudeat; ut si quando fuerit pastore proprio viduatum, quemlibet abbatem de omnibus abbatibus vestri ordinis, vel monachum sibi libere præficiendum eligat, et absque aliqua contradictione obtineat; cæteris vero vestri ordinis abbatibus, quæ unam vel plures abbatias habent sibi subditas, et de sui corporis fructifera copia derivatas, **320** abbate suo rebus humanis exempto, eligendi quemcunque mauerint de sibi subjectis abbatibus, vel quemlibet monachum de omnibus congregationibus Cisterciensibus, liberam concedimus facultatem. Illa autem abbatia, quæ nullam habet subditam, quemlibet monachum de omnibus præfatæ religionis congregationibus, libere sibi in abbatem eligat et habeat. Porro conversos vestros qui monachi non sunt, post factam in vestris cœnobiis professionem, nullus archiepiscoporum, episcoporum vel abbatum, sine vestra grata licentia suscipere, aut susceptum retinere præsumat. Statuimus ut de laboribus, quos vos et totius vestræ congregationis fratres propriis manibus et sumptibus colitis, et de animalibus vestris, a vobis decimas expetere vel recipere nemo præsumat. Nulli ergo, etc. Conservantibus vero eidem loco quæ sua sunt, sit pax Domini nostri Jesu Christi: quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

(924) Hæc verba laudantur a Gaufrido in Vita S. Bernardi, lib. III, n. 13.

(925) Alias epistola 379: quæ vero antea 355 erat, nunc 387. Scripta circa annum 1141.

(926) Is est Willelmus, Rievallis in diœcesi Ebo-

Ego Innocentius catholicæ Ecclesie episcopus.

Ego Matthæus Albanensis episcopus.

Ego Romanus diac. card. S. Mariæ in Porticu.

Ego Joannes tit. S. Chrysogoni presb. card.

Ego Gregorius diac. card. SS. Sergii et Bacchi.

Datum Lugduni, per manum HaimERICI sanctæ Romanæ Ecclesie diac. card. et cancellarii xii kal. Martii, indict. x, Incarnationis dominicæ anno MCCCXI, pontific. domini Innocentii II papæ anno tertio.

### 321 EPISTOLA CCCLIII (925).

AD WILLELMUM ABBATEM DE RIEVALLE (926).

*B Monet æquanimiter ferre illegitimam archiepiscopi Eboracensis ordinationem.*

Dilecto fratri et coabbati suo WILLELMO de Rievalle, frater BERNARDUS de Clara-Valle, spiritum consilii et fortitudinis.

Audivi quod factum est de archiepiscopo illo, et plurimum doleo. Propterea sciens zelum vestrum, ne forte plus justo serveat, temperamentum scientiæ non admittens, quod nec ordini nostro convenit, nec domui vestræ necessarium est; dignum duxi consolatoria scribere vobis: quoniam satis æquanimiter portanda sunt cætera, quandoquidem non nos arguit propria conscientia. Securus dico, neque iniquitas vestra, neque peccatum vestrum. Restitistis quoad potuistis: jam secundum Augustini sententiam, non vos inquinat alienum malum, quandoquidem non consensistis corde, et ore redarguistis. Ait enim: « Duobus modis non te inquinat alienum malum [al. non te inquinat malus], si non consentis, et si redarguis. » (Serm. 88, cap. 18, n. 19.) De cætero jam bono animo estote, et nolite turbari. De Ordinibus vero et Sacramentis cæteris scitote, quoniam qui baptizat, ipse et sacrat, Christus Dominus, Pontifex animarum nostrarum. Quod si quis contentiosus est super ordinatione, nemo vos cogit ordinari. Omnino tamen secure dico, si cum Ecclesia suscipitur, non est periculum. Alioquin de hoc mundo exiremus, si vellemus omnes malos fugere, quos Ecclesia tolerat. Ad summam, non diu tardabit quin innotescat res summo Pontifici: et quod ordinaverit aut præceperit ipse, bona omnino conscientia sequimini et tenete. Interim vos æquanimiter expectate.

### EPISTOLA CCCLIV (927).

AD REGINAM JEROSOLYMORUM MILISENDEM, FILIAM BALDINI REGIS, ET FULCONIS UXOREM.

*Mortuo Fulcone viro suo, ut se gerere debeat.*

Illustrissimæ Jerosolymorum reginæ M. BERNARDUS Claræ-Valleensis abbas, invenire gratiam apud Dominum.

racensi Ordinis Cisterciensis abbas, quo ministro usus est Bernardus in scribenda epistola 1 ad Robertum. De Rievalle Monasticon Anglic. pag. 727.

(927) Epistola nova: quæ vero antea 354 erat, nunc 388. Scripta anno Christi 1142.

Inter multiplices curas et negotia regalis aulae A tura Dei ; et gladio spiritus, quod est verbum Dei, satis incongruum mihi scribere videtur, si in te tantum gloriam regni tui, potentiam tuam, et lineam nobilitatis respexissem. Hæc omnia videntur in oculis hominum ; et qui non habent, invident habentibus ea, et beatum dicunt hominem, cujus hæc sunt. Sed quæ est ista beatitudo in possidendis illis, quæ omnia tanquam fenum velociter arescunt, et quemadmodum olera herbarum cito decidunt ! Bona sunt hæc ; sed mobilia, sed mutabilia, sed præteritura, et peritura, quia bona carnis. Porro de carne, et de bonis ejus dictum est. *Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus tanquam flos feni (Isa. XL, 6)*. Scribentem ergo ad te non multum ista revereri oportuit, in quibus fallax gratia, et vana est pulchritudo. Accipe paucis quæ dico : nam etsi multa habeam tibi, B dicere, verbum tamen faciam abbreviatum propter multas curas tuas, et meas. Accipe breve consilium, sed utile, de terra longinqua, de quo tanquam de parvo semine multa seges surgat in posterum ; accipe, inquam, consilium de manu amici, non commodum suum quærentis, sed honorem tuum. Nullus siquidem tibi fidelior ad consilium esse potest, quam qui non tua, sed qui te diligit. Mortuo rege viro tuo, et parvulo rege adhuc minus idoneo ad portanda negotia regni et ad proseguendum regis officium, oculi omnium in te respiciunt, et in te solam universa regni moles inclinata recumbit. Opus est ut manum tuam mittas ad fortia, et in muliere exhibeas virum, agens ea quæ agenda sunt in spiritu consilii et fortitudinis. Ita prudenter et moderate C oportet te cuncta disponere, ut omnes, qui te viderint, ex operibus regem te potius, quam reginam existiment, ne forte dicant in gentibus : Ubi est rex Jerosolymorum ? Sed non sum, inquires, ad ista sufficiens. Magna enim hæc sunt ; supra vires meas, et supra scientiam meam. Opera hæc opera sunt viri ; ego autem mulier sum, corpore debilis, mobilis corde, nec provida consilio, nec assueta negotiis. Scio, filia, scio, quia magna sunt hæc : sed et hoc scio, quia etsi mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus. Magna sunt hæc, sed magnus Dominus noster, et magna virtus ejus.

## EPISTOLA CCCLV (928).

AD EAMDEM REGINAM JEROSOLYMORUM.

*Præmonstratenses Jerosolymam peregrinantes commendat.*

Videtis quantum præsumam de vobis, cui audeo et alios commendare. Quanquam Præmonstratenses fratres istos magis fortassis superflue commendarim, quam temerarie. Sunt merito ita commendabiles suo, ut non egeant alieno. Invenientur, nisi fallor, viri consilii, spiritu ferventes, in tribulatione patientes, potentes in opere et sermone. Induerunt se arma-

(928) Alias epistola 576 : quæ vero antea 555 erat, nunc 564. Scripta circa annum 1142.

(929) Alias epistola 516 : quæ vero antea 556 erat, nunc 569. Scripta anno Christi 1141.

(950) Et hanc epistolam inter Hibernicas ordine

se accinxerunt, non adversus carnem et sanguinem, sed contra spiritualia nequitiae in cœlestibus. Suscipite illos, tanquam bellatores pacificos, mansuetos ad homines, violentos ad dæmones. Imo Christum in eis suscipite, qui est causa peregrinationis eorum.

## 322 EPISTOLA CCCLVI (929).

AD MALACHIAM HIBERNIÆ ARCHIEPISCOPUM (950).

*Remittit Religiosos, sed (quod negotiis imputat) non satis adhuc excultos, et instructos.*

MALACHIÆ Dei gratia episcopo, Sedis apostolicæ legato, frater BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, si quid potest peccatoris oratio, et si quid pauperis devotio prodest.

Fecimus quod præcepit Sanctitas vestra, et si non ut dignum, profecto ut possibile pro tempore fuit. Tanta apud nos ubique malitia grassatur, ut vix id tantillum, quod factum est, fieri licuerit. Misimus tam [al. tamen] exiguum seminis quod videtis, ad seminandam vel modicam partem agri illius, in quem verus Isaac quondam exierat ad meditandum, cum primum adducta est ei Rebecca per puerum Abraham, perenni conjugio feliciter copulanda (Gen. xxiv). Nec contemnendum semen, de quo illud in patribus vestris experimur impletum hoc tempore : *Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuisset, et sicut Gomorrha similes essemus (Isa. 1, 9)*. Itaque ego seminavi, rigate vos, et Deus incrementum dabit. Sanctos omnes qui apud vos sunt, per vos salutamus, humiliter ipsorum nos et vestris sanctis orationibus commendantes. Valete.

## EPISTOLA CCCLVII (931).

AD EUMDEM.

*Perseverantem, imo et proficientem ab eo dilectionem requirit, eamque in fratribus a se missis, curandis et fovendis ostendi cupit.*

Amantissimo patri et domino reverendissimo MALACHIÆ, Dei gratia episcopo, sanctæ et apostolicæ Sedis legato, suæ sanctitatis puer, frater BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, salutem et qualescunque nostras orationes.

1. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, domine pater ! quam jucunda tuæ memoria Sanctitatis ! Si D quid affectionis, si quid devotionis, si quid animi in nobis est, totum sine dubio sibi vindicat tuæ Dilectionis charitas. Nec opus est verborum multitudine, ubi multum viget affectus. Confido enim quod testimonium perhibeat spiritui tuo spiritus quem habes a Deo, tuum esse modicum id quod sumus. Tu quoque, pater amantissime et desideratissime, ne tradas oblivioni animam pauperis, charitatis nexibus adhærentem tibi, et animam pauperis tui ne obliviscaris in finem. Neque enim quasi de novo

43 Usserius refert, ubi multa de Melli Fonte, aliisque ejusdem provincie Cisterciensibus monasteriis notat.

(951) Alias epistola 517 : quæ vero antea 557 erat, nunc 570. Scripta anno Christi 1142.



commendamus nos tibi, cum in multo jam tempore A  
gloriamur in Domino, quod invenire meruit parvitas  
nostra gratiam in oculis Sanctitatis tuæ: sed ora-  
mus, ut dilectio, jam non nova, novis quotidie pro-  
ficiat incrementis. Filios nostros, imo et vestros,  
tanto obnixius commendamus vobis, quanto amplius  
remoti sunt a nobis. Vos scitis quoniam tota post  
Deum fiducia nostra fuit, ut mitteremus eos, quo-  
niam Sanctitatis vestræ precibus non acquiescere  
illicitum videbatur. Facite quod vos decet, ut totis  
visceribus charitatis amplectamini eos, et foveatis.  
Nequaquam occasione aliqua circa eos sollicitudo  
et diligentia tepescat, et pereat quod plantavit dex-  
tera tua.

2. Jam quidem quia bene proficit domus, et ex  
vestris litteris, et ex fratrum nostrorum relatione B  
didicimus: multiplicatur tam in temporalibus quam  
in spiritualibus. Unde et congratulamur plurimum,  
et toto animo gratias agimus Deo et paternæ solli-  
citudini vestræ. Et quoniam multa adhuc opus est  
vigilantia, tanquam in loco novo, et in terra tam  
insueta, imo et inexperta monasticæ religionis; ob-  
secramus in Domino, ne retrahatis manum vestram,  
sed quod bene **323** incepistis, optime perficiatis.  
De fratribus nostris, qui redierunt a loco illo, nobis  
bene placuisset, si remansissent. Et fortasse non-  
nullam occasionem præbuerunt eis fratrum, qui de  
terra sunt, minus disciplinati mores, in eo maxime,  
quod minus facile eorum consiliis acquiescere vi-  
dentur in his rebus, quarum prius fuerant inex-  
perti.

3. Charissimum filium nostrum Christianum et  
vestrum remisimus ad vos, quantum potuimus in-  
structum plenius in his quæ ad Ordinem pertinent,  
et de cætero circa observantias ejus sollicitiorem  
futurum, ut speramus. Nec miremini quod non plures  
cum eo misimus fratres; quoniam nec idoneos in-  
venimus fratres, qui facile acquiescerent, nec invi-  
tos cogere consilium fuit. Dilectissimus frater noster  
Robertus (932) precibus nostris acquievit etiam hac  
vice, tanquam filius obedientiæ. Vestrum erit juvare  
eum, ut possit jam et in ædificiis et in cæteris ne-  
cessariis promoveri domus vestra. Illud quoque Pa-  
ternitati vestræ suggerimus, ut viris religiosis, et  
quos speratis utiles fore monasterio, persuadeatis, D  
quatenus ad eorum Ordinem veniant: quoniam hæc  
erit summa utilitas domus, et vobis facilius acquie-  
scent. Valeat Sanctitas vestra, nostri semper memor  
in Christo.

(932) Quis iste Robertus? an Robertus ille vir  
sanctus, a Serlone laudatus in Historia Fontanensi,  
Monastici Anglicani tomo I, pag. 743 et 749, mo-  
nachus quondam Witebiensis, sociatus monachis  
de cœnobio Eboracensi egressis, de quibus supra  
ad epistolam 95 et sequentes? an Robertus, Bernardi  
consanguineus, ad quem epistola 1?

(933) Alias epistola 374: quæ vero antea 358 erat,  
nunc 376. Scripta anno Christi 1142.

(934) Post verba, *amicus Sponsi non contristabit  
eum*, in codice Vedastino additur: *Fratrem N.  
vestræ majestati et commendavimus et commendamus,*

## EPISTOLA CCCLVIII (933).

AD DOMINUM PAPAM, NEMPE COELESTINUM.

*Opem et auctoritatem Pontificis in pace Theobaldo  
Campaniæ comiti procuranda postulat.*

Quod comes Theobaldus rogat, et ego: filius si-  
quidem pacis est. Et zelum pacis habet, sed a vobis  
flagitamus effectum. Pacis vester apostolatus, pacis  
locus, quem tenetis, debitor est. Pacem omnes di-  
ligunt, pauci merentur. Porro de amatoribus puer  
vester se esse faletur: an et de meritoribus sit, vos  
judicabitis. Unum est, quod etsi nos non meremur,  
sponsæ Christi, quæ est Ecclesia, necessitas exigit:  
amicus Sponsi non contristabit eam (934). Ad hoc  
illi uni Sedi apostolicæ incumbit sollicitudo omnium  
Ecclesiarum, ut omnes sub illâ, et in illa uniantur;  
et ipsa pro omnibus sollicita sit servare unitatem  
Spiritus in vinculo pacis. Pacem ergo date nobis,  
pacem mittite nobis: etsi non quia debetis, certe  
quia obedire debetis. Satis pro imperio.

## EPISTOLA CCCLIX (935).

CLARÆ-VALLENSIUM AD EUNDEM COELESTINUM.

*Abbatem Morimundi Jerosolymam peregrinaturum  
cupiunt retinere.*

Summo pontifici C. pusillus grex de Clara-Valle,  
devotissimam debitæ subjectionis obedientiam, et si  
quid potest peccatorum oratio.

Quoniam illius vos gerere vicem gratulamur, qui  
suam dicebat instantiam quotidianam sollicitudinem  
omnium Ecclesiarum (II Cor. XI, 28); apud aures  
C Pietatis vestræ, licet majoribus occupatas negotiis,  
repulsam tamen non metuit nostra pusillitas, verum  
magna compellit necessitas: neque enim pro mini-  
mo audire potestis, de quibus auditurus estis, *Quod  
uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (Matth.  
xxv, 40). Causa autem hæc non nostra tantum, sed  
totius ordinis nostri, ob quam etiam filius vester,  
noster omnium videlicet pater, si, cum hæc datæ  
sunt, domi fuisset (936), aut vestræ per seipsum  
Majestatis præsentiam adisset, aut certe ex suo  
nomine scriptam hanc miserabilem lacrymabilemque  
delegasset querimoniam. Sed ne diu sollicitam cha-  
ritatem **324** vestram suspendamus, unus ex fra-  
tribus nostris abbatibus, qui dicebatur de Morimun-  
do (937), ipsum cui præerat monasterium inconsulte  
satis deserens, spiritu levitatis impulsus statuit pe-  
tere Jerosolymam, prius quidem, ut aiunt, circum-  
specionis vestræ prudentiam tentaturus, si quo  
modo a vobis suo posset errori extorquere licentiam.

*quia commendandus est.* Quæ vero sequuntur ejus-  
dem epistolæ in prædicto Vedastino codice, novam  
incipiunt lineam cum hoc titulo, *ad eundem*, quasi  
altera esset epistola. MARTENE.

(935) Epistola nova: quæ vero antea 359 erat,  
nunc 377. Scripta anno Christi 1143.

(936) Glossema huc irrepserat, *Forle eum tunc  
contigerat abesse, et hujus rei adhuc ignarum esse.*

(937) Raynaldus scilicet, abbas Morimundi quar-  
tus ab Arnaldo abbate primo, qui item abbatiam  
deseruit, ex epistola quarta. Raynaldus etiam cessit  
præfectura post quindecim annos regiminis.

Qua in re si quem ei (quod absit!) assensum præbueritis, ipse perpendite, quanta possit nostro ordini esse destructionis occasio: cum exemplo hujus, quicumque abbas pastorali se sentiet sarcina aggravatum, mox illam abjiciet, utpote quam se licite posse abjicere arbitretur, præsertim apud nos, ubi nec grandis honor, et grande videtur onus. Deinde ad majorem domus sibi commissæ desolationem, meliores quosque ac perfectiores, qui sub ipso degebant, suæ socios vagationis assumpsit: inter quos etiam nobilem illum puerum, quem et antea de Colonia (quod nec vos latuisse credimus) non sine scandalo tulerat, ad majus scandalum nunc abducere secum præsumpsit. Quod si, ut vobis relatum est, dicit se in illa terra nostri Ordinis velle servare observantias, et ideo fratrum se dicit secum ducere multitudinem, quis non videat, plus illic milites pugnantes, quam monachos cantantes aut plorantes necessarios esse? Sed et nostra religio plurimum ex hoc capiet detrimentum: cum facile sit cuique vagari gestiendi, illo, tanquam absque ullo discrimine, præsumere peregrinari, ubi scilicet idem, quod professus est, inventurus est propositum observari. Jam vero quid super hoc vobis placeat, quidve vestram decernere deceat auctoritatem, non est nostræ præsumptionis indicare, sed vestræ discretionis examinare.

#### EPISTOLA CCCLX (938).

AD WILLELMUM ABBATEM DE RIEVALLE.

*Denuo hortatur Willelmum ad patientiam et æquanimitatem.*

Charissimo fratri et coabbati WILLELMO de Rievalle, frater BERNARDUS Claræ-Vallensis vocatus abbas, salutem et spiritum consilii.

Laboravimus, quantum potuimus, adversus pestem communem; et si quo minus impetravimus quod optavimus, manet tamen nobis fructus laboris nostri apud eum, apud quem nullum bonum irremuneratum est. Hæc est ergo nostra et omnium qui pro veritate decertant, consolatio vera, quoniam reposita est nobis corona justitiæ, quam reddet nobis in illum diem justus Judex. De cætero jam meminisse vos volumus, quoniam si quid patimur propter justitiam, beati; et quod nos non inquinat alienum malum, cui non consensimus, imo et redarguimus. Est ergo et hæc consolatio nostra, ut jam in patientia nostra possideamus animas nostras; et quod apud homines obtinere nequivimus, a Domino

A speremus auxilium, qui non despiciet sperantes in se. Confido enim de misericordia Patris nostri qui est in cœlis, quoniam evelletur omnis plantatio quam non plantavit ille: et arescet ad maledictum ejus ficulnea sterilis, nec terram diutius occupabit. Propter quod rogo et obsecro Fraternitatem vestram, ut non conturbemini, nec turbetis gregem Dei, qui commissus est vobis: magis autem consolamini vos, et viriliter agite, ut in sanctitate serviamus Domino, et liberabit nos ab inimicis nostris. Nos tamen, quod potuimus, suggessimus domino Tusculano episcopo (939), cui injunctum est, ut legatione fungatur in partibus illis: et omnino promisit nobis, se, nisi aliquid melius fecerit nobis, id saltem omnimodis observaturum, ne tradat ei pallium quod portat, si non juraverit **325** decanus ille, nunc vero episcopus (940), in cujus juramento causa pendebat: sed causam referat ad dominum papam.

#### EPISTOLA CCCLXI (941).

AD THEOBALDUM ARCHIEPISCOPUM (942), PRO JOANNE SALESBERIENSI.

*Confusus de amicitia Theobaldi, Joannem ei commendat.*

Angelis mihi gratiam, et multiplicatis gloriam, si gratia mei, amici mei gratiam inveniant in oculis vestris. Ego tamen ab homine gloriam non quaero, sed regnum Dei et justitiam ejus. Unde factum est, ut præsentium latorem Joannem (943), amicum meum et amicum meorum, mittam ad Sublimitatem vestram, ad familiaritatem vestram, quam in vobis et de vobis habere præsumo. Testimonium enim bonum habet a bonis, quod non minus vita, quam litteratura promeruit. Nec hoc didici ab illis qui verba sicut verba jactare noverunt; sed a filiis meis, qui mecum sunt, quorum verbis credo, sicut crederem oculis meis. Præsens vobis commendaveram eum; sed nunc absens multo magis commendo, utique tanto securius, quanto sincerius et vitam et mores hominis fidissimis relatoribus didici. Si quid ergo ego possum, imo quia possum plurimum ante faciem vestram, providete ei, unde honeste, imo honorabiliter vivere possit; sed et hoc velociter, quia non habet quo se vertat. Interim providete ei in necessitatibus suis, et liceat mihi experiri totum illud familiaritatis arcanum, quod mihi conservatis in visceribus vestris, amantissime pater.

(938) Alias epistola 380: quæ vero antea 360 erat, nunc 378. Scripta anno Christi 1143.

(939) Ymaro, qui legatus in Angliam anno 1143, quo anno hæc epistola scripta est. Ad eundem Ymarum exstant epistolæ 249 et 250.

(940) Willelmus a Sancta-Barbara, ex decano Eboracensi episcopus Dunelmensis, de quo in epistola 235.

(941) Alias epistola 383: quæ vero antea 361 erat, nunc 379. Scripta circa annum 1144.

(942) De Theobaldo, qui ex monacho Beccensi

creatus est archiepiscopus Cantuariensis, jam superius facta mentio est in epistola 238. Ordericus ejus promotionem consignat anno 1138, pag. 919.

(943) Is est Joannes Saresberiensis, a cognomine Angliæ civitate sic dictus, sancti Thomæ archiepiscopi Cantuariensis amicus præcipuus: cujus meritis episcopatum Carnutensem sibi obtigisse profiteri solebat, litteras suas sic exordiri solitus: « Joannes Dei gratia, et meritis beati Thomæ martyris, Carnotensis ecclesiæ minister humilis, » ut in Spicilegii. tomo X, pag. 391, ubi ~~væx~~ « meritis » ommissa.

## EPISTOLA CCCLXII (944).

AD ROBERTUM PULLUM (945) CARDINALEM ET CANCELLARIUM.

*Hortatur ut Eugenio, recens electo Pontifici, strenuum pro officio suo se adiutorem præbeat in negotiis Ecclesiæ,*

Domino et amico charissimo ROBERTO, Dei gratia sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbytero cardinali et cancellario, frater BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, salutem et devotas orationes.

1. Scripta Dilectionis vestræ eo affectu susceptimus, quo semper apud nos est in benedictione memoria vestra. Nec sane egere vos credimus humanæ gratiæ verbis, aut commendatitiis epistolis ad nos: quoniam quidem utrique nostrum indubitabile, nisi fallor, testimonium perhibet Spiritus veritatis, quam sincere et diligamus vos et diligamur a vobis; ille, inquam, Spiritus, per quem et diffunditur charitas ista in cordibus nostris. Benedictus Deus, qui secundum suam misericordiam Eugenium nostrum, imo suum, prævenit in benedictionibus dulcedinis, parare scilicet lucernam Christo suo; et præmittere virum fidelem ad adiutorium ejus, et nostram quoque plurimam consolationem. Nam cum molesta esset amico amici vocatio et absentatio, cujus nimirum præsentia frui delectatur in Domino; jam tunc, ut manifeste video, cogitabat ipse cogitationes pacis, et non afflictionis, et **326** dicebat: *Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea* (Joan. XIII, 7). Quamobrem sollicitus sis, charissime, pro eo cui te consolatorem et consiliarium ordinavit Deus, et observa caute secundum datam tibi sapientiam, ne forte inter tam multiplicium negotiorum tumultus malignorum fraude circumveniri possit, ut subripiatur ei verbum quod indignum sit Eugenii apostolatu.

(944) Alias epistola 334: quæ vero antea 362 erat, nunc 380. Scripta anno Christi 1145.

(945) Alias, *Ad Rolandum cancellarium*. At codex manuscriptus Cisterciensis habet, *Ad Robertum Pullum*, et quidem rectius, quantum conjectura assequi possum. Primo enim Robertum S. Bernardo fuisse charissimum et maxime familiarem constat ex epistola 205, ad episcopum Roffensem, quod etiam de ea, ad quem hic scribit, aperte insinuat. Deinde virum istum eruditioni multorum fideliter et utiliter instituisse, cælo et terra testibus hic asserit, quod quidem de nullo alio melius intelligas, quam de Roberto Pullo, qui litteras Parisiis professus, Oxoniensem academiam in Anglia instauravit. Demum cancellarius iste, de quo hic quæstio, præmissus a Deo dicitur ante Eugenii pontificatum ad adiutorium ejus. At Robertus Pullus, ex Onuphrio, cancellarium egit Lucio II pontifice usque ad annum Eugenii tertium, imo, si Ciaconio credimus, ad quintum: Rolandus vero, cognomento Blandinellus seu Paparo, patria Senensis, postea Alexander III, cardinalis diaconus tituli sanctorum Cosmæ et Damiani ab Eugenio creatus, cancellarii dignitatem obtinuit pontificatus Eugenii anno duntaxat octavo. Plura de Roberto Pullo vide si lubet in notis ad epistolam 205. Interim tamen noto de tempore, quo Robertus cancellariam administravit, præferendam

A 2. Age, inquam, dilectissime, pro loco quem tenes, pro ea quam adeptus es dignitate: viriliter et prudenter exerce qui in te est zelum Dei, ad gloriam ejus, et salutem tuam, et Ecclesiæ sanctæ plurimam utilitatem, ut dicere possis et tu quia *gratia Dei in me vacua non fuit* (I Cor. xv, 10). Hactenus quippe eruditioni multorum fideliter et utiliter instabas, cælo et terra testibus; sed jam tempus faciendi Domino, ne patiaris, quod in te est, dissipari ab impiis legem ejus. Cura proinde, dilectissime et desideratissime pater, etiam in hac dispensatione inveniri fidelis Domini servus et prudens: quatenus et pro te faciat columbina simplicitas, et pro ea, quæ tuæ quam maximæ fidei et sollicitudini credita est, Domini tui sponsa, adversus B venenatas maligni et antiqui serpentis astutias militet prudentia serpentina, et in utraque glorificetur Deus. Multa quidem habeo vobis dicere; sed non est opus longa epistola, ubi præsens est vox viva. Quamobrem vestris pariter et nostris occupationibus parcens, posui verba mea in ore præsentium fratrum: tanquam me, ipsos audite. Valet.

## EPISTOLA CCCLXIII (946).

AD ORIENTALIS FRANCIE CLERUM ET POPULUM.

*Ad arma contra infideles pro defensione Orientalis Ecclesiæ suscipienda hortatur. Præterea contra turbulentum quemdam prædicatorem docet Judæos non esse persequendos, nedum occidendos.*

Domini et patribus charissimis, archiepiscopis, episcopis, et universo clero, et populo orientalis Franciæ et Bajoariæ, BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, in spiritu fortitudinis abundare (947).

1. Sermo mihi ad vos de negotio Christi, in quo est utique salus nostra. Hæc dico, ut excuset indignitatem personæ loquentis auctoritas Domini; excuset et consideratio propriæ utilitatis. Modicus

esse Onuphrii sententiam: nam Guidonem, cancellarii nomine litteris apostolicis subscripsisse anno 1146, lego tomo primo Monastici Anglicani, pag. 108, anno 1147, in notis ad Guibertum de Novigento, pag. 620.

(946) Alias epistola 322: quæ vero antea 363 erat, nunc 371. Scripta anno Christi 1146.

(947) Inscriptio hujus epistolæ in hactenus editis angustior mihi visa est (soli enim Spirensis episcopi ejusque cleri et populi meminerat), quam pateretur scopus epistolæ. Itaque aliam et ampliorem præfiximus, quam Otto Frisingensis de Gestis Frederici libro I, cap. 41, exhibuit. Verum postea comperi, eandem epistolam non eodem tantum argumento, sed et totidem pene verbis, mutata tantum epigraphe, ad diversas nationes, provincias et urbes datam. Nam in manuscripto ex Anglia mihi misso, item in alio Confluentino inveni, *Populo Anglorum* inscriptam (exstat in manuscripto Sancti-Victoris Parisiensis sub eadem epigraphe) (a). Imo Baronius eandem epistolam exhibet, pauculis tantum verbis mutatis, cum hac epigraphe: *Mainfredo Brixiensis ecclesiæ episcopo, nec non consulibus, militibus, et universis populis sub eo constitutis, frater Bernardus Claræ-Vallis vocatus abbas, spiritu fortitudinis abundare*. Vide Baronium, ad annum 1146, n. 15. Nempe hoc veluti classicum est ad expeditio-

(a) In Leodiensi S. Jacobi codice hunc titulum præfert: *Hanc epistolam B. Bernardus abbas Claræ-Vallis jam in extremis positus dictavit ad gentem Anglorum*. MARTEN.

quidem sum, sed non modicum cupio vos omnes in visceribus Jesu Christi. Ea nunc mihi ratio scribendi ad vos, ea causa, ut universitatem vestram litteris audeam convenire. Agerem id libentius viva voce, si, ut voluntas non deest, suppeteret et facultas. Ecce nunc, fratres, acceptabile tempus, ecce nunc dies copiosæ salutis. Commota est siquidem et contremuit terra, quia cœpit Deus cœli perdere terram suam. Suam, inquam, in qua est, Verbum Patris sui, docere visus (948), et annis plus quam triginta homo cum hominibus conversatus: suam utique, quam illustravit miraculis, quam dedicavit sanguine proprio, in qua primi resurrectionis flores apparuerunt. Et nunc peccatis nostris exigentibus, crucis adversarii caput extulerunt sacrilegum, depopulantes in ore gladii terram promissionis. Prope enim est, si non fuerit qui resistat, ut in ipsam Dei viventis irruant civitatem, ut officinas nostræ redemptionis evertant, ut polluant loca sancta, Agni immaculati **327** purpurata cruore. Ad ipsum, proh dolor! religionis Christianæ sacrarium inhiant ore sacrilego, lectumque ipsum invadere et concalcare conantur, in quo propter nos Vita nostra obdormivit in morte.

2. Quid facitis, viri fortes? quid facitis, servi crucis? Itane dabitur sanctum canibus, et margaritas porcis? Quam multi illic peccatores, confitentes peccata sua cum lacrymis, veniam obtinuerunt, postquam patrum gladiis eliminata est spurcitia Paganorum! Videt homo malignus, et invidet; fren-det dentibus et tabescit. Excitat vasa iniquitatis suæ, nec ulla quidem tantæ pietatis signa aut vestigia relicturus, si quando forte (quod Deus avertat!) obtinere valuerit illa sancta sanctorum. Verum id quidem omnibus deinceps sæculis inconsolabilis dolor, quia irrecuperabile dâmnium, specialiter autem generationi huic impiissimæ infinita confusio, et opprobrium sempiternum.

3. Quid tamen arbitramur, fratres? Nunquid abbreviata manus Domini, aut impotens facta est ad salvandum, quod ad tuendum et restituendum sibi hæreditatem suam exiguos vermiculos vocat? Nunquid non potest mittere Angelorum plus quam duodecim legiones, aut certe dicere verbo, et liberabitur terra? Omnino subest ei, cum voluerit, posse:

nem sacram. De ea loquens Guillelmus Tyrensis: « Vir immortalis memoriæ et honestæ conversationis speculum dominus Bernardus Claræ-Vallensis abbas, pius in Domino et per omnia amplectendæ recordationis, ad prædicti Deo muneris executionem præcipuus eligitur, qui injunctæ sibi dispensationis sedulus exsecutor, ejusdem operis secum Deo amabiles trahens comministros, impiger, indefessus, licet corporis esset invalidi, tum propter jejunia et subtilem nimis dietam, regna circuit, regiones obambulat, evangelizans ubique regnum Dei, » etc. Adde quæ hac de re leguntur in ejus Vita et miraculis, et confer epistolam 355. Habitus est autem Spiræ frequens principum conventus sacræ expeditionis causa, ubi publice recitatas has Bernardi litteras quis dubitet? Hinc illa ad Spirenses inscriptio: *Domino et patri charissimo episcopo Spirensi,*

A sed, dico vobis, tentat vos Dominus Deus vester. Respicit filios hominum, si forte sit qui intelligat, et requirat, et doleat vicem ejus. Miseratur enim Dominus populum suum, et lapsis graviter providet remedium salutare.

4. Considerate quanto ad salvandos vos artificio utitur, et obstupescite; intuemini pietatis ejus abyssum, et confidite, peccatores. Non vult mortem vestram, sed ut convertamini, et vivatis; quia sic quærit occasionem, non adversum vos, sed pro vobis. Quid est enim nisi exquisita prorsus et inventibilis soli Deo occasio salvationis, quod homicidas, raptos, adulteros, perjuros, cæterisque obligatos criminibus, quasi gentem quæ justitiam fecerit, de servitio suo submonere dignatur Omnipotens? Nolite diffidere, peccatores: benignus est Dominus. Si vellet punire vos, servitium vestrum non modo non expeteret, sed nec susciperet quidem oblatum. Iterum dico, pensate divitias bonitatis Dei altissimi, consilium miserationis attendite. Necessitatem se habere aut facit, aut simulat, dum vestris cupit necessitatibus subvenire. Teneri vult debitor, ut militantibus sibi stipendia reddat, indulgentiam delictorum, et gloriam sempiternam. Beatam ergo dixerim generationem, quam apprehendit tam uber indulgentiæ tempus, quam invenit superstitem annus iste placabilis Domino, et vere jubilæus. Diffunditur enim hæc benedictio in universum mundum, et ad signum vitæ (949) certatim convolant universi.

C 5. Quia ergo fecunda est virorum fortium terra vestra, et robusta noscitur juventute referta, sicut laus est vestra in universo mundo, et virtutis vestræ fama replevit universum orbem; accingimini et vos viriliter, et felicia arma accipite Christiani nominis zelo. Cesset pristina illa non militia, sed plane malitia, qua soletis invicem sternere, invicem perdere, ut ab invicem consumamini. Quæ miseros tam dira libido excitat, quod proximi corpus gladio, cujus fortassis et anima perit, transverberent? Sed nec effugit qui gloriatur: et ipsius animam pertransibit gladius, cum solum hostem gaudeat cecidisse. Illi se dare discrimini insanix est, non virtutis: nec audaciæ, sed amentix potius est ascribendum. Habes nunc, fortis miles, habes, vir bellicose, ubi dimices absque periculo; ubi et vincere gloria, et

D et universo clero et populo, Bernardus Claræ-Vallis vocatus abbas, in spiritu fortitudinis abundare. Uti et paulo post in Bavaria in conventu procerum per abbatem Eberacensem, una cum litteris Eugenii pontificis lectas testatur Sigonius, de Regno Ital. anno 1147, et Otto, de Gestis Friderici, libro 1, cap. 41. Cæterum exstat Bernardi nomine inter epistolas Nicolai Claræ-Vallis, Bibliothecæ Patrum tomò XII, edit. Colon. alia ejusdem argumenti ad comitem et proceres Britannix: quam hic habes in fine epistolarum S. Bernardi.

(948) Apud Horst. *Suam, in qua est visus.*

(949) Crucis signum, numero sequenti, ubi etiam de indulgentia cruce signatis concessa omnium, de quibus corde contrito confessio facta fuerit. Confer epistolam 423.

mori lucrum. Si **328** prudens mercator es, si conquisitor hujus sæculi, magnas quasdam tibi nundinas indico; vide ne pereant. Suscipe crucis signum, et omnium pariter, de quibus corde contrito confessionem feceris, indulgentiam obtinebis. Materia ipsa si emitur, parvi constat: si devoto assumitur humero, valet sine dubio regnum Dei. Bene ergo fecerunt, qui cœleste jam signaculum susceperunt: bene cæteri faciunt, sed nec ad insipientiam eis, si festinent et ipsi apprehendere quod et eis in salutem existat.

6. De cætero, fratres, moneo vos, non autem ego, sed apostolus Dei mecum, non esse credendum omni spiritui (*1 Joan. iv, 1*). Audivimus et gaudemus, ut in vobis ferveat zelus Dei; sed oportet omnino temperamentum scientiæ non deesse. Non sunt **B** persequendi Judæi, non sunt trucidandi, sed nec effugandi quidem (950). Interrogate eos divinas paginas. Novi quid in Psalmo legitur prophetatum de Judæis: *Deus ostendit mihi, inquit Ecclesia, super inimicos meos, ne occidas eos, nequando obliviscantur populi mei*. Vivi quidam apices nobis sunt, repræsentantes Dominicam passionem. Propter hoc dispersi sunt in omnes regiones, ut dum justas tanti facinoris pœnas luunt, testes sint nostræ redemptionis. Unde et addit in eodem psalmo loquens Ecclesia: *Disperge illos in virtute tua, et depone eos, protector meus, Domine (Psal. LVIII, 12)*. Ita factum est: dispersi sunt, depositi sunt; duram sustinent captivitatem sub principibus christianis. Convertentur tamen ad **C** vesperam, et in tempore erit respectus eorum. Denique cum introierit gentium multitudo, *tunc omnis Israel salvus erit*, ait Apostolus (*Rom. xi, 25, 26*). Interim sane qui moritur, manet in morte.

7. Taceo quod sicubi desunt, pejus Judaizare dolemus Christianos feneratores (951), si tamen Christianos, et non magis baptizatos Judæos convenit appellari. Si Judæi penitus conterantur, unde jam prosperabitur eorum in fine promissa salus sive conversio? Plane et Gentiles si essent similiter exspectandi, sustinendi forent potius quam gladiis

(950) Recte ac religiose Bernardus, et id quidem longe potiori ratione quam de Gentibus: quod Judæi vivi apices sunt repræsentantes Dominicam passionem, et testes divinarum paginarum: Gentiles non ita. Confer epistolam sequentem, et sermonem **D** 64 in Cantica, et librum ad Milites Templi, cap. 10.

(951) Hic usuras universim in Christianis damnat Bernardus, nedum in clericis.

(952) Litteræ Eugenii III pro expeditione in terram sanctam recitantur apud Ottonem Frisingensem, de Gestis Friderici libro 1, cap. 58. Ubi pontifex sacram militiam professos, non tantum ab animæ debitis, sed et ab usuris præstandis absolvit. « Quicumque vero, » inquit, « ære premuntur alieno, et tam sanctum iter puro corde inceperint, de præterito usuras non solvant; et si ipsi, vel alii pro eis occasione usurarum astricti sunt, sacramento vel fide, apostolica eos auctoritate absolvimus. »

(953) Celebris iste Petrus, cognomento Eremita, de quo Guillelmus Tyrius in libro primo de bello sacro passim, et Jacobus a Vitriaco in Historiæ occidentalis capite 17. Hujus nominis Petrum Eremitam, Montis Sancti-Quintini prope Peronam

**A** expetendi. Nunc autem cum in nos cœperint esse violenti, oportet vim vi repellere eos, qui non sine causa gladios portant. Est autem christianæ pietatis, ut debellare superbos, sic et parcere subjectis; his præsertim, quorum est legislatio repromissa, quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est benedictus in sæcula. Attamen exigendum ab eis juxta tenorem apostolici mandati (952), ut omnes qui crucis signum susceperint, ab usurarum exactione liberos omnino dimittant.

8. Illud quoque admonitos vos esse est necesse, fratres dilectissimi, ut si quis forte amans primatum gerere inter vos, expeditione sua regni voluerit exercitum prævenire, nullatenus audeat: et si a nobis missum se simulet, non est verum: aut si ostendat litteras, tanquam a nobis datas; sed omnino falsas, ne dicam furtivas esse dicatis. Viros bellicosos, et gnaros talium duces eligere est: et simul proficisci exercitum Domini, ut ubique habeat robur, et non possit a quibuslibet violentiam sustinere. Fuit enim in priori expeditione, antequam Jerosolyma caperetur, vir quidam, Petrus nomine (953), cujus et vos, nisi fallor, sæpe mentionem audistis. Is populum qui sibi crediderat, solum cum suis incedens tantis periculis dedit, ut aut nulli, aut paucissimi eorum evaserint, qui non corruerint, aut fame, aut gladio. Propterea omnino timendum est, si similiter et vos feceritis, ne contingat et vobis similiter. Quod avertat a vobis Deus, qui est benedictus in sæcula! Amen.

### 329 EPISTOLA CCCLXIV (954).

AD PETRUM ABBATEM CLUNIACENSEM.

*Invitat Petrum ad conventum Carnotensem, ubi ad auxilio Orientali Ecclesiæ ferendo consultandum.*

Amantissimo patri PETRO, Dei gratia venerabili Cluniacensi abbati, frater BERNARDUS de Clara-Valle, salutem, et quas potest orationes.

1. Gravem nimis ac miserabilem Orientalis Ecclesiæ gemitum (955) ad aures vestras, imo etiam ad ipsa etiam penetralia cordis arbitror pervenisse.

Priorem invenimus in Necrologio Corbeiensi. An idem sit cum isto, qui etiam de Acheriis dictus, nondum pro comperto habemus.

(954) Alias epistola 555: quæ vero antea 364 erat, nunc 581. Scripta anno Christi 1146.

(955) Nimirum cum anno 1144 nobilis civitas Mesopotamiæ, trans flumen Euphratem, Edissa, a tempore Constantini Magni christianæ religionis cultui dedita, et beati Thomæ apostoli allatis ex India reliquiis incluta, tum demum in potestatem Infidelium redacta est maxima christiani populi clade. « Nam cum a multis retro annis, » ut habet Willelmus Neubrigensis de Rebus Angl. « Saraceni, occulto Dei judicio supra modum in Christianos grassari permitti, captis civitatibus clarissimis, scilicet Alexandria, Antiochia, Jerusalem, Damasco, Ægyptum, Syriam, aliasque Orientis provincias, in quibus Christus colebatur occupassent; sola hæc civitas propugnatrix non tantum murorum, sed etiam finium suorum, in medio hostium innumerabilium et ferocissimorum invicta perseveravit, usque ad tempus expeditionis Jerosolymitanæ prioris: qua Jerusalem et Antiochiam Christiani expugnatis ob-

Dignum quippe est, ut secundum magnitudinem A vestram, magnum exhibeatis eidem vestræ et omnium fidelium matri compassionis affectum, præsertim tam vehementer afflictæ, tam graviter periclitanti. Dignum, inquam, ut tanto amplius comedat vos zelus domus Dei, quanto ampliorem in ea locum, ipso auctore, tenetis. Alioquin si duramus viscera, si obduramus corda, si plagam hanc parvi pendimus, nec dolemus super contritione; ubi nostra in Deum charitas, ubi dilectio proximorum? Imo vero, si non satagimus quanta possumus sollicitudine, consilium aliquod et remedium tantis malis, tantisque periculis adhibere; quomodo non ingrati convincimur esse ei qui abscondit nos in die malorum, in tabernaculo suo; justius perinde et vehementius puniendi, utpote tam divinæ gloriæ, quam fraternæ salutis negligentes? Hæc vobis tam fiducialiter, quam familiariter duximus suggerenda, ob gratiam utique, qua nostram indignitatem excellentia vestra dignatur.

2. Nam et patres nostri, episcopi Franciæ, una cum domino Rege et principibus, tertia die dominica post Paschâ apud Carnotum urbem venturi sunt, et de verbo hoc tractaturi (956): ubi utinam mereamur habere præsentiam vestram. Quia enim magnis omnino magnorum virorum consiliis hoc verbum constat egere; gratum profecto obsequium præstabitis Deo, si negotium ejus non duxeritis alienum, sed charitatis vestræ probaveritis zelum in opportunitatibus, in tribulatione. Nostis enim, pater C amantissime, nostis quoniam amicus in necessitate probatur. Confidimus autem quod magnum huic verbo proventum præsentia vestra præstabit, tum pro auctoritate sanctæ Cluniacensis ecclesiæ, cui Deo auctore præestis, tum maxime pro sapientia et gratia, quam vobis ipse donavit ad utilitatem utique proximorum, et sui ipsius honorem. Qui vobis etiam nunc inspirare dignetur, ut non gravemini venire,

tinuere Saracenis. Pergit deinde narrare qua occasione Edissa cesserit i. fidelibus. Nempe Armenius quidam civis Edissenus, habitans in turri muro contigua, ob filiam suam a principe civitatis corruptam coquens animo vindictam, invitatos pactis clandestinis Turcas ipsa nocte Nativitatis Dominicæ intramisit in urbem: qui irruentes in populum secure in ecclesia excubantem, et archiepiscopum quidem altari assistentem mactarunt; populum vero non resistentem, sed subiti casus stupore rigentem gladiis trucidarunt. Sic capta et in potestatem spurcissimæ gentis redacta est Edissa, tantis retro temporibus semper invicta et antiqua fidei christianæ alumna. Latissimis quoque sinibus ejus pertinaci hostium furore pervasis et in eorum possessionem cedentibus, christianæ religionis cultus trans Euphratem funditus deletus est. Tanti mali fama exciti Christiani, etc. Ita Willelmus Neubrigensis, de Rebus Angl. libro 1, cap. 48. Ecce hic est ille gravis et miserabilis Orientalis Ecclesiæ gemitus de quo Bernardus.

(956) In hoc conventu, Bernardus militiæ dux electus, id officii suscipere detrectavit, tanquam suis moribus et monastico instituto repugnans, ut in epistola 256 ad Eugenium, n. 4. Confer epistolam nunc 365, et epistolas Sugerianas, quarum cente-

et servis suis in nomine ejus, et pro zelo ipsius nominis congregandis vestram admodum desiderabilem conferre præsentiam.

## EPISTOLA CCCLXV (957).

AD HENRICUM MOGUNTINUM ARCHIEPISCOPUM (958).

*Radulfum monachum, qui fideles in Judæorum necem armabat, arguit.*

Venerabili domino et charissimo patri HENRICO Moguntino archiepiscopo, BERNARDUS Claræ-Vallis abbas, invenire gratiam apud Deum.

1. Litteras Dilectionis vestræ debita veneratione suscepi; sed præ multitudine negotiorum brevis est responsio. Depositum querele vestræ apud nos signum est et pignus dilectionis et præcipuæ humilitatis indicium. Quis enim ego sum, aut quæ domus patris mei, ut ad me referatur archiepiscopi contemptus, et metropolitanæ 330 sedis injuria? Nonne ego sum puer parvulus, ignorans introitum et egressum meum? Verumtamen non ignoro verbum veritatis usquequaque, quod ex ore Altissimi procedit: *Necesse est ut veniat scandalum, ræ autem illi per quem venit!* (Matth. xviii, 7). Homo ille de quo agitur in litteris vestris (959), neque ab homine, neque per hominem, sed neque a Deo missus venit. Quod si se monachum aut eremitam jactat, et ex eo sibi assumit libertatem, vel officium prædicationis; potest scire, et debet, quod monachus non habet docentis, sed plangentis officium (960): quippe cui oppidum carcer esse debet, et solitudo paradus. Hic vero a contrariis, et solitudinem pro carcere, et oppidum habet pro paradiso. O hominem sine pectore! o hominem sine fronte! cujus stultitia elevata est super candelabrum, ut appareat omnibus qui sunt in domo.

2. Tria sane sunt in eo reprehensione dignissima: usurpatio prædicationis, contemptus episcoporum, homicidii approbati libertas. Novum genus potentiss-

sima trigesima tertia est Petri Venerabilis ab hoc conventu se excusantis ob capitulum generale Cluniaci eodem die indictum.

(957) Alias epistola 523: quæ vero antea 365 erat, nunc 396. Scripta anno Christi 1146.

(958) De quo supra epist. 302. In codice Aquincitensi huic epistolæ præfigitur titulus: *Ad Henricum Moguntinum archiepiscopum, contra fratrem Radulfum, qui neci Judæorum consenserat.* MARTENE.

(959) Radulfus sen Rodulfus nomine, describitur apud Ottonem Frisingensem, de Gestis Friderici, libro 1, cap. 37, cruentæ in Judæos persecutionis auctor, cujus seditiosæ doctrine restitit Bernardus ipsumque Radulfum, Moguntiæ in maximo populi favore repertum, monuit ne contra monachorum regulam per orbem vagando, propria auctoritate verbum prædicationis assumeret. Tandem ad hoc eum, ut sub promissa obedientia in cœnobium suum transiret, induxit populo graviter indignante et nisi ipsius sanctitatis consideratione revocaretur, etiam seditionem movere volente. Ita Otto, De gestis Friderici, libro 1, cap. 39.

(960) Vide Hieronymum adversus Vigilantium, cap. 6, et notas ad epistolam 89

Nunquid tu major es patre nostro Abraham, qui A eodem prohibente gladium deposuit, quo jubente levaverat? (*Gen. xxii.*) Nunquid tu major es principe Apostolorum, qui quæsit a Domino, *Domine, si percutimus in gladio?* (*Luc. xxii, 49.*) Sed instructus es omni sapientia Ægyptiorum, id est sapientia hujus mundi, quæ stultitia est apud Deum (*I Cor. iii, 19.*) Aliter solvis quæstionem Petri, quam ille qui dicit: *Mitte gladium in locum suum. Omnis enim qui acceperit gladium, gladio peribit* (*Matth. xxvi, 52.*) Nonne copiosius triumphat Ecclesia de Judæis, per singulos dies vel convincens, vel convertens eos, quam si semel et simul consumeret eos in ore gladii? Nunquid incassum constituta est illa universalis oratio Ecclesiæ, quæ offertur pro perfidis Judæis a solis ortu usque ad occasum, ut Deus et Dominus B auferat velamen de cordibus eorum, ut ad lumen veritatis a suis tenebris eruantur (961)? Nisi enim eos, qui increduli sunt, credituros speraret, superfluum videretur et vanum orare pro eis. Sed considerat oculo pietatis, quod Dominus habet respectum gratiæ apud eum qui reddit bona pro malis, et dilectionem pro odio. Ubi est ergo illud quod dictum est, *Videas ne occidas eos?* (*Psal. lviii, 12.*) ubi est, *Cum plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus fiet?* (*Rom. xi, 25, 26.*) ubi est, *Ædificans Jerusalem Dominus, dispersiones Israelis congregabit?* (*Psal. cxlvi, 2.*) Tune es ille qui mendaces facies Prophetas, et evacuabis omnes thesauros pietatis et misericordiæ Jesu Christi? Tua doctrina non est tua, sed ejus qui misit te patris. Sed credo sufficit tibi, C si sis sicut magister tuus. Ille enim erat homicida ab initio: ille mendax, et pater mendacii (*Joan. viii, 44.*) O monstruosa scientia! o sapientia infernalis, contraria Prophetis, et Apostolis inimica, subversio pietatis et gratiæ! o immundissima hæresis! o meretrix sacrilega, quæ imprægnata de spiritu falsitatis concepit dolorem, et peperit iniquitatem! (*Psal. vii, 15.*) Libet, sed non licet ultra progredi. Ad ultimum, ut omnia quæ sentio super his, breviter comprehendam; homo est magnus in oculis suis, plenus spiritu arrogantæ. Verba et opera ejus prætendunt, quod conatur sibi facere nomen juxta nomen magnorum qui sunt in terris; sed non habet sumptus ad perficiendum. Vale.

(961) Hæc oratio quotannis funditur feria sexta Hebdomadæ sanctæ, totidem verbis quæ hic adhibet Bernardus.

(962) Alias epistola 386: quæ vero antea 366 erat, nunc 410. Scripta anno Christi 1146.

(963) Celebris revelationibus abbatissa nempe cœnobii S. Ruperti confessoris in opposito Bingen-sis oppidi Moguntinæ diœcesis, Ordinis S. Benedicti, inquit Trithemius, libro de Scriptoribus ecclesiasticis. De Hildegarde intelligendus videtur Monachus Autissiodorensis ad annum 1146 his verbis: « Per idem tempus in Alemanniæ partibus habebatur admirabilis virgo quædam provectæ ætatis, cui tantam gratiam virtus divina contulerat, ut, cum ipsa laica et illitterata esset, mirabiliter tamen ab hoc mundo raperetur frequentius et in summis disceret, non solum quod postea in imis diceret, sed potius (quod

### 331 EPISTOLA CCCLXVI (962).

AD HILDEGARDIEM ABBATISSAM (963).

*Laudibus suis modeste rejectis, ut ipsa Dei gratiam in se agnoscat monet, et orationes pro se suisque postulat.*

Dilectæ in Christo filiæ HILDEGARDI, frater BERNARDUS Claræ-Vallensis vocatus abbas, si quid potest oratio peccatoris.

Quod de nostra exiguitate longe aliter quam nostra sese conscientia habeat, quidam sentire videntur; non nostris meritis, sed stultitiæ hominum deputandum est. Ad dulcedinem autem piæ charitatis tuæ scribere properavi; quamvis id brevius omnino quam vellem, negotiorum multitudo compellat. Congratulamur gratiæ Dei quæ in te est, et ut eam tanquam gratiam habeas, et toto ei humilitatis et devotionis affectu studeas respondere, admonemus: sciens quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (*Jacobi iv, 6*). Quod in nobis est, hortamur et obsecramus. Cæterum ubi interior eruditio est, et unctio docens de omnibus, quid nos aut docere possumus, aut monere? Diceris enim cœlestia secreta rimari, et ea quæ supra homines sunt, Spiritu sancto illustrante dignoscere. Unde rogamus magis et suppliciter postulamus, ut nostri memoriam habeas apud Deum, et eorum pariter qui nobis in spirituali societate juncti sunt. Nam cum spiritus Deo conjungitur, confidimus quod nobis multum prodesse valeas et subvenire. Multum enim valet deprecatio justis assidua (*Jac. v, 16*). Nos pro te assidue oramus, ut conforteris ad bona, instruaris ad interiora, dirigaris ad permansura: ita ut nec hi qui spem suam in Deo posuerunt, desperando pro te claudicent; sed ut in profectu benedictionis, quam a Deo accepisse cognosceris, bene confortati, in melius et melius proficiant.

### EPISTOLA CCCLXVII (964)

G. (965) CANCELLARIO.

*Episcopum Metensem commendat*

D Prædecessor vester bonæ memoriæ Haimericus cancellarius dominum Metensem episcopum (966) speciali amplectebatur dilectione; et nuntios ejus, quoties Romam venirent, plurimum acceptabat, et juvabat studiosius. Unde rogo vos quoque per eadem

satis mirabile est et inauditum) etiam scribendo latine dictaret, et dictando libros catholicæ doctrinæ conficeret. Vide Chronologiam nostram ad annum 1148. Hildegardis epistolæ habentur in Bibliotheca Patrum, quas inter una exstat ad Bernardum in qua ejus studium in prædicanda sacra expeditione laudat, eumque « ante biennium sicut hominem in sole » se vidisse dicit. Joannes Saresberiensis ejus visiones petit a magistro Girardo, eamque dicit Eugenio papæ acceptissimam fuisse.

(964) Alias epistola 332: quæ vero antea 367 erat, nunc 419. Scripta circa annum 1147.

(965) Guidoni Moricato de Vico, Pisano, qui post Robertum Pullum cancellarius fuit ab anno 1146: ex notis ad epistolam 334.

(966) Scilicet Stephanum.

gradi vestigia, et nobili episcopo, in magna necessitate posito, armis Ecclesiæ subvenire.

EPISTOLA CCCLXVIII (967).

AD G. DIACONUM CARDINALEM.

*Affectum ejus, litteris et donis expressum, gratus, amplectitur, et ab amore terrenorum opumque avocatur.*

Domino et amico charissimo G. Dei gratia sanctæ Romanæ Ecclesiæ diacono cardinali, frater BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, salutem et devotas orationes.

1. Benedictus tu a Domino, qui tam copiose prævenisti nos in benedictionibus dulcedinis: ut si qua misericordiæ viscera, si quid affectionis, si quid charitatis invenitur in nobis, totum sibi merito vindicet illustris animi tui tam devota humilitas, humilisque devotio. Nam et antea exultabam omnino, et gratulabar zelo bono, quem in te esse fratrum nostrorum<sup>a</sup> relatione **332** didiceram: sed jam eo amplius, si quid possum in Domino, tuæ dilectioni me sentio debitorem, quo devotius et humiliter parvitati nostræ commendatum te reddere studuisti. Unde et sollicitus fui fratribus nostris indices tui pectoris legerelitteras, plenas devotæ affectionis, plenas pietatis et gratiæ; benedictionem (968) quoque, quam destinaveras, exhibere; et præcipere, sicut rogasti, in memoriam tui et tuorum, ipsis in vasis Missarum solemnibus celebrari. Faciat te Deus in magna domo sua vas in honorem, ut de te quoque nos charissimi tui operum testimonio, quod plurimum desideramus, mereamur audire, *Quoniam vas electionis mihi est iste* (Act. ix, 15). Testis enim nobis est Spiritus veritatis, per quem et diffunditur charitas ista in cordibus nostris (Rom. v, 5), quomodo te cupiamus in visceribus Jesu Christi.

2. Quia ergo æmulamur te Dei æmulatione, non modo est ad eum pro te deprecatio nostra, sed etiam ad te ipsum, ut sollicite provideas, quomodo te oporteat conversari in domo Dei, et in sorte ministerii hujus. Dico enim non de præsumptione, Deus scit, sed de charitate, quoniam judicium grave his qui præsumunt (Sap. vi, 6), si non etiam prodesse laborant: et e contra, qui bene ministraverit, gradum bonum acquirat (I Tim. iii, 13). Tu ergo, dilectissime et desideratissime domine, declina, ob-

(967) Alias epistola 335: quæ vero antea 368 erat, nunc 420. Scripta circa annum 1147.

(968) Id est donum seu vasa sacra, quæ Guido in ministerium altaris Claræ-Vallensibus destinaverat, infra, indubie aurea aut argentea.

(969) Alias epistola 356: quæ vero antea 369 erat, nunc 358. Scripta circa annum 1147.

(970) Hac precandi formula uti solet Bernardus scribendo ad Sugerium.

(971) Quæ sit salus ista collige ex Stephano Tornacensi episcopo, quondam abbate Sanctæ Genovefæ, in sermone de reformatione disciplinæ ibidem facta. « Anno, » inquit, « ab Incarnatione Domini factum est verbum in palatio Regis et tractatum solemniter et protractum fideliter, et feliciter consummatum. Venerunt nuntii qui dicerent, ecclesiam sanctorum apostolorum Petri et Pauli, in monte Locutitio sitam, in qua gloriosa virgo Genovefa requiescit in corpore, multis exponi periculis, et infirmi statu suorum mo-

A secro, magis ac magis a malo, et fac bonum: nec inveniaris in Christi hæreditate quærens quæ tua sunt, sed memor esto semper apostolici illius, *Nihil intulimus in hunc mundum, hæud dubium quia nec quidquam auferemus* (I Tim. vi, 7). Quamobrem eam, quæ immortalis est, animam tuam serva, charissime; ne qua occasione avelli aut eradicari queat ab affectu cordis tui quod Dominus loquitur in Evangelio: *Quid prodest, inquit, homini si universum mundum lucretur, se autem ipsum perdat, et detrimentum sui faciat?* (Matth. xvi, 26.) Miseri prorsus, miseri, qui in bonis ducunt dies suos, ut in puncto ad inferna descendant (Job xxi, 13). Cum enim interierint, non sument omnia, nec descendet cum eis gloria eorum (Psal. xlviii, 18), quoniam vapor est ad modicum parens (Jac. iv, 15). Hæc cogita, dilectissime, et hæc meditare jugiter, et in corde tuo describe ea, nec a memoria tua ullatenus recedant. Vale.

EPISTOLA CCCLXIX (969).

AD SUGERIUM ABBATEM.

*Gratulatur Sugerio de reformatione ecclesiæ S. Genovefæ feliciter instituta, et ut bene cœptis insistat, hortatur.*

Amantissimo patri et domino SUGERIO, Dei gratia venerabili abbati Beati-Dionysii, frater BERNARDUS de Clara-Valle, salutem et orationes (970).

Benedictus Deus, qui in manu vestra operatus est salutem in ecclesia Sanctæ Genovefæ (971): ut domus Dei restitueretur ordini et disciplinæ. Agit vobis gratias apostolica ipsa auctoritas, quod fideliter et efficaciter opus magnificum incoepistis: agimus et nos quas possumus gratias, et quicumque Deum diligunt in veritate. Rogamus itaque obnixius et postulamus, ut secundum apostolicarum tenorem litterarum, operi manuum vestrarum dexteram porrigatis: ut quod magnifice cœptum est, vestræ Magnitudinis opera proficere possit in dies, et feliciter consummari. Jam pro ecclesia Sancti-Victoris (972) charitatem vestram sollicitare superfluum judicamus: quia omnium ecclesiarum custodia vobis commissa esse dignoscitur. Sed his debetur amplius, quarum religio amplius noscitur indigere.

Dum potius quam murorum minari ruinam: filios ejus singulariter et sæculariter viventes quærens quæ sua sunt, vagari post greges sodalium suorum: ecclesiastica stipendia, quæ sunt tributa egentium animarum pro voluntate sua consumere: portiones de communi facere et non vivere in communi: divina officia minus devote, minus religiose celebrare. Propter hæc et alia quæ dici non opus est, personarum statum mutari debere, mundari sancta et in melius ordinari. Placuit sermo in oculis Domini sabaoth et principium ejus, nec sine lætitia mirati sunt universi. In ea porro ecclesia canonicos regulares S. Augustini instituerat Sugerius pro monachis, quos Eugenius eo induci præceperat in locum canonicorum sæcularium: qua de re item in epistola sequente, ubi ecclesia de Monte appellatur, scilicet Locutitio, ut olim dicebatur. Vide Sugerii epistolas, ubi hæc et sequentes insertæ sunt.

(972) Vide epistolam 410.



**333** EPISTOLA CCCLXX (973).

AD EUMDEM.

*Ecclesiam de Monte ei commendat.*

Charissimo patri et domino SUGERIO, Beati-Dionysii abbati, frater BERNARDUS Claræ-Vallensis vocatus abbas, salutem et dilectionem.

Oportet vos operari opera ejus qui reliquit vos in loco suo (974), imo opera Domini-Dei vestri, qui ad tale ministerium vos elegit. De operibus ejus est, quod ecclesia de Monte religionem induit et decorem: ubi vos novella illa plantatio consiliatorum et auxiliatorum magnum invenit. Supplicamus, ut quod bene cœpistis, melius consummetis, et opponatis vos murum pro domo Israel, ut non prævaleat homo. Dignemini etiam consolari abbatem loci illius (975) quia pusillanimis est: quia sic convenit honori personæ vestræ, et salutem animæ vestræ, et specialiter in tempore isto.

## EPISTOLA CCCLXXI (976).

AD EUMDEM.

*Dissuadet matrimonium inter filium comitis Andegavensis et filiam regis Francorum, ob impedimentum consanguinitatis.*

Domino abbati Beati-Dionysii, frater BERNARDUS de Clara-Valle, salutem et orationes.

Sic scripsi ad dominum Regem: « Opus grande et onus inæstimabile suscepistis, quod a nemine, nisi divina virtute, possit portari. Supra vires est hominis negotium vestrum (977): sed Deo facile est, quod hominibus est impossibile (Luc. xviii, 27). Si hæc scitis, cavendum vobis summopere est, ne qua occasione tam necessarium repellatis auxilium, ne qua suggestionem Deum offendatis, et gratiam ejus vobis reddatis infensam. Cavendum, inquam, nunc maxime, nequando provocatus a vobis irascatur Deus, et avertat faciem suam a vobis, ac manum retrahat adjutorii. Siquidem periculum hoc non ad solum Regem spectat, sed ad universam Ecclesiam Dei: quia ex hoc jam vestra et totius mundi una est causa. Quorsum hæc tendant, audite. Festino quidem ad vos, sicut hæc litteræ, vigiliam beatæ Mariæ Magdalænæ Lauduni facturus; sed aliis jam litteris præmonere vos et præmunire curavi. Audivi enim quod festinet Comes Andegavensis alligare vos fide et sacramento, super matrimonio contrahendo inter filium suum, et filiam vestram. At hoc quidem non tantum non expedit, sed non licet; non modo alias ob causas, sed quia titulus consanguinitatis id pro-

A libet, sicut veridica attestazione cognovimus, matrem reginæ et puerum istum, filium Comitis Andegavensis, in tertio consanguinitatis gradu inveniri. Propter quod omnimodo monemus, ne faciatis hanc rem: sed timeatis Deum, et declinetis a malo. Promisistis vos nulla ratione sine consilio nostro id facturum: et si dissimulavero, ipse peccavi. Hoc ergo consilium nostrum, ut nullo modo id faciatis. Si feceritis, sciatis vos et contra consilium nostrum, contra consilium multorum diligentium nomen vestrum, et etiam contra Deum fecisse: et nolite putare quod acceptum sit Deo sacrificium vestrum, cum sit ex parte, ut pro alieno sollicitus, regno proprio non parcatis, disponendo illud contra Deum, contra jus et fas, et contra utile atque honestum. B Liberavi animam meam: liberet et vestram Deus a labiis iniquis et a lingua dolosa. »

**334** EPISTOLA CCCLXXII (978).

AD P. (979) EPISCOPUM PALENTINUM IN HISPANIA.

*Laudat eum ab humilitate, sed maxime a studio lectionis.*

Venerabili domino, et charissimo patri P. Dei gratia Palentiensi episcopo, BERNARDUS Claræ-Vallensis abbas, præveniri a Domino in benedictionibus dulcedinis.

Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam in odore unguentorum tuorum? Venerabilis tua conversatio, et integritas morum replevit nares meas in odorem suavitatis; et ecce odor iste factus est mihi, sicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus. Vere sicut adipe et pinguedine repleta est anima mea in odore isto, et in talibus vita spiritus mei. Quomodo enim potest audire, et non delectari in crassitudine anima mea, cum audierit virum sublimem et humilem, negotiosum et quietum, et trementem verba Domini? O rara avis in terris, humilitas cum sublimitate, et tranquilla mens in medio negotiorum! Lætificasti, Domine, animam servi tui; lætificet et tuam misericors Dominus in lætitia gentis suæ. Gavisus sum gaudio magno, quod talia de vobis, et a talibus nuntiata sunt, quibus non forte putare potui. Latores enim præsentium fratres nostri nuntiaverunt nobis de castigatione carnis, quam redigis in servitutem, de erectione spiritus, de amore lectionis, de mansuetudine morum, de operatione boni ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. Tu ergo, charissime, non me intendas intentum circa laudes tuas in verbis istis. Nondum enim menti excidit illa

(973) Alias epistola 357: quæ vero antea 370 erat, nunc 337. Scripta circa annum 1147.

(974) Id de Ludovico Juniore intelligendum, qui in Orientem profectus, Sugerio vices suas commiserat: unde Bernardus in superiori epistola ait, omnium ecclesiarum curam ei esse commissam, et in epistola nunc 376 ad eundem « Maximus, » inquit, « Princeps estis in regno. » Unde « Majestatis » nomine compellatur ab Ulgerio Andegavensi episcopo in epistola 3 inter Sugerianas.

(975) Scilicet Odonem.

(976) Alias epistola 363: quæ vero antea 371 erat, nunc 325. Scripta circa annum 1147.

(977) Id est expeditio sacra: unde hæc epistola

sine dubio referenda est ad Ludovicum Juniorem, qui Mariam suam primogenitam filio Fulconis Andegavorum comitis, qui in Orientem etiam profectus est, conjungere volebat; quæ res effectu caruit, Maria Henrico Campaniæ comiti tradita.

(978) Epistola nova: quæ vero antea 372 erat, nunc 319. Scripta circa annum 1147.

(979) Petrum scilicet, cujus nomen diplomati Sanctiæ, Spinam abbatiam S. Bernardo concedentis, subscriptum invenitur apud Manriquez, ad annum 1147, cap. 18. n. 3. — Hanc chartam vide infra inter variorum donationes pias, Appendici epistolarum ubi jungimus. Edit.

prophetica reprehensio : *Populus meus, qui te beati-  
ficant, ipsi te decipiunt* (Isa. ix, 16). Nolo enim oleo  
peccatoris impingnari caput tuum, quia peccator  
sum; sed potius oleo lætitiæ, quæ procedit de corde  
puro, et conscientia bona, et fide non ficta. Non  
sum ego venditor olei; non enim habeo nisi parum  
olei, quo ungar in palæstra hujus sæculi: verumta-  
men laudes Christi silere non possum. Laudetur  
ergo non creatura, sed Creator: laudetur non ille  
qui accepit, sed ille a quo accepit: laudetur non ille  
qui plantat, non ille qui rigat, quia nihil sunt;  
sed qui incrementum dat Deus. Ego ergo non acci-  
pientis, sed porrigentis manum laudabo: non lau-  
dationem servi, sed laudationem Domini loquetur os  
meum. Tu ergo, dilectissime, si sapis, imo quia sapis  
in te quidem, sed non ex te cognosce gratiam: quia,  
omne datum optimum, et omne donum perfectum  
desursum est, descendens a Patre luminum. Scio  
quosdam esse, qui quasi scienter nescire volunt  
quæ acceperunt a Domino, ne in superbiam elati,  
in viscum incidant diaboli. Mihi autem videtur  
debere scire quid acceperim, ut sciam quid  
desit mihi: mihi videtur juxta Apostolum, ut scia-  
mus quæ a Deo donata sunt nobis, ne nesciamus, ad  
quæ postulanda suspirandum sit nobis. Qui enim  
accepit, et nescit quæ accepit, duplici periculo vic-  
inum se constituit: quia ingratus est circa acce-  
ptum, et incautus circa custodiendum beneficium.  
Quomodo enim refert gratiam ei, a quo accepit, si  
nescit se accepisse quod accepit? vel quomodo  
sollicitus erit custodire, qui non meminit se aliquid  
accepisse? Aufer a me, Domine, opprobrium ingra-  
ti illius populi, de quo dictum est: *Obliti sunt bene-  
factorum ejus, et mirabilium ejus, quæ ostendit eis*  
(Psal. lxxvii, 41). Acceptum itaque beneficium,  
etiam secundum sapientes hujus sæculi, æternæ me-  
moriæ infigendum est. Oportet ergo ut accepta scia-  
mus custodire, et gratia Dei vacua non sit in nobis;  
sed ut semper in nobis maneat, semper gratias  
agamus Domino **335** Deo nostro. Illud quoque non  
otiose puto adjiciendum, ut in acquisitionem salutis  
et gratiæ tribus gradibus ascendas: humilitate,  
fide, timore. Humilitas enim est, cui gratia datur;  
fides, in qua suscipitur; timor, a quo custoditur. Nam  
sine tribus his si ascendamus ad gratiam, timeo, ne  
dicatur nobis: *Domine, neque in quo haurias habes, et  
puteus altus est* (Joan. iv, 11). Sit ergo ad haurien-  
dam aquam sapientiæ funiculus hæreditatis, et hæc  
humilitas sit in ore, sit in corde, sit in actu: quia  
funiculus triplex difficile rumpitur. Fides sit hydria,  
et hæc magna sit, ut ab ea multum gratiæ capiatur.  
Sit timor operculum, ne sortibus vanæ gloriæ aqua  
sapientiæ inquinetur: scriptum est enim, *Vas quod*

(980) Epistola nova: quæ vero antea 373 erat  
nunc 411. Scripta circa annum 1147.

(981) Haud dubie abbatissæ de Spina, Palentinæ  
diocesis cujus fundatrix Sancia, Alfonsi imperatoris  
soror, ad quam epistola 301, locum, S. Bernardo dedit.  
Nivardus Bernardi frater cum sociis eo missus. Ab-  
batis primi nomen ignorat Manriquez, ad annum 1147,

*A non habuerit cooperculum, immundum erit* (Num. xix,  
15). Manum meam provocavit ad scribendum illa  
tua devotio legendi, qua non solum magnorum ho-  
minum, sed etiam nugas nostras amplecteris: ut  
per quos nuntiata est bonitas tua, per eosdem tibi  
nuntiaretur, quantam cordi meo dedisti lætitiæ.

#### EPISTOLA CCCLXXIII (980).

ABBATIS SP. (981) AD SANCTUM BERNARDUM.

*De præfectura sibi imposita luget.*

Desiderabili domino et charissimo patri BERNARDO  
Claræ-Vallensi abbati, filius ejus SP. fratrum ecclesiæ  
servus inutilis, benedictionem omnium gentium.

Desiderio desideravi, si fieri posset, ut litteræ  
istæ invenirent vos liberum ab aliis negotiis et ab-  
solutum. Timeo enim, et timui, cum eas scriberem,  
et recordabar illius, qui quærebat videre Jesum, sed  
non poterat præ turba, quia statura pusillus erat  
(Luc. xix, 3). Sed quid, si otium invenero, et non  
invenero gratiam in oculis vestris? Nunquid solum  
otium erit mihi solatium? Parcat vobis Deus. Quid  
fecistis? ubi me posuistis, et qualem? Utinam ap-  
penderentur vires meæ, et sarcina, quam porto, in  
statera! quasi arena maris hæc gravior appareret.  
Quis enim ego sum, aut quæ domus patris mei?  
Nonne ego sum puer parvulus, ignorans introitum  
et egressum meum? Quis ego, aut quid ego, ut  
possim solus occurrere, imo succurrere ecclesiæ,  
in qua positus sum, tanquam parieti inclinato et  
maceriæ depulsæ? Supra vires meas est negotium  
istud; stulto labore consumo. Laboravi in gemitu  
meo: sed quæ utilitas in laboribus et gemitibus  
meis? Inveterati sunt morbi, plaga crudelis, et insa-  
nabilis dolor, nisi in manu forti. Vitia quippe versa  
sunt in mores, mores in consuetudinem, consuetudo  
in naturam, natura in necessitatem. O quam necesse  
esset hanc necessitatem evelli! Sed, quod cum  
lacrymis dicendum esset, confortata est, et non potero  
ad eam. Ecce enim non est auxilium mihi in me. Sed  
et frater iste lator præsentium, qui valde nobis neces-  
sarius erat, recedit a nobis. Docebat enim novitios;  
proficiebant illi, ego autem gaudebam, et sperabam  
de misericordia Dei, quod quandoque absorberetur  
mortale a vita. Testimonium illi perhibeo, quan-  
tum licet æstimare hominem ab homine, quia con-  
versatio ejus apud nos, et Deo grata fuit et dulcis  
hominibus. Unde et discessio ejus sine dolore esse non  
potuit. Potens es, Domine, convertere planctum meum  
in gaudium mihi, si inveni gratiam in oculis tuis. Hæc  
hactenus. Cætera præsentium lator latius explicabit.

#### **336** EPISTOLA CCCLXXIV (982).

AD FRATRES DE HIBERNIA, IN TRANSITU BEATI MALA-  
CHIE EPISCOPI (983).

*Sanctorum obitum gaudio potius quam luctu prose-  
cap, 18, n. 3.*

(982) Alias epistola 311: quæ vero antea 374  
erat, nunc 358. Scripta anno Christi 1148.

(983) Anno 1148, die secunda novembriis contigit  
sancti Malachie obitus, de quo in ejus Vita a Ber-  
nardo scripta, in tomo II. Adde sermones duos de  
eodem, in tomo III.

quendum. Singularem quoque Dei beneficio, Claram-Vallem tanti viri morte et sepultura honoratam.

Religiosis fratribus qui in Hibernia sunt, et his maxime congregationibus, quas beatæ memoriæ Malachias episcopus fundavit, frater BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, Paracliti consolationem.

1. Si haberemus hic manentem civitatem, copiosissimis jure lacrymis plangeremus; talem nos amisisse concivem. Cæterum si futuram magis inquiremus ut oportet, est quidem non modica doloris occasio tam necessario duce destitui: debet tamen zelum temperare scientia, et dolorem spei fiducia delinire. Nec mirari quempiam decet, si gemitum extorquet affectus, si desolatio lacrymas exprimit: modum tamen adhibere necesse est, imo non modice etiam consolari, intuentes non quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna. Primum quidem congratulandum est animæ sanctæ, ne nos arguat de inopia charitatis, dicens et ipse quod Dominus ad Apostolos ait: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem (Joan. xiv, 28)*. Prævenit nos ad Patrem spirituum spiritus patris nostri: nec modo charitatis inopes, sed ingratitude etiam rei esse convincimur super omnibus quæ per eum nobis beneficia provenere, si non congratulamur ei, qui de labore ad requiem, de periculo ad securitatem, de mundo transiit ad Patrem. Itaque et pium est Malachiam flere defunctum, et pium magis Malachiæ congaudere viventi. Nunquid non vivit? Utique et beate. Visus est oculis insipientium mori, ille autem est in pace.

2. Dehinc etiam utilitatis propriæ consideratio exsultandum nobis suggerit et lætandum, quod tam potens suos patronus ad cœlestem curiam, tam fidelis præcesserit advocatus: cujus et ferventissima charitas oblivisci ne queat filiorum, et probata sanctitas obtineat gratiam apud Deum. Quis enim nunc Malachiam sanctum aut minus posse prodesse, aut minus suos diligere audeat suspicari? Profecto cum diligeretur prius, certiora nunc suæ dilectionis a Deo capit experimenta: et cum dilexisset suos, in finem dilexit eos. Absit autem ut tua nunc, o anima sancta, minus efficax æstimetur oratio, quando præsentem, vividius supplicare est majestati, nec jam in fide ambulas, sed in specie regnas! Absit ut immutata, nedum exinanita tua illa tam operosa charitas reputetur, cum ad fontem ipsum charitatis æternæ procumbis, pleno hauriens ore, cujus et ipsa prius stillicidia sitiabas! Non potuit morti cedere charitas fortis ut mors, imo et morte fortior ipsa. Nam et decedens non erat immemor vestri, affectuosius vos commendans Deo, et nostram quoque exiguitatem solita illa sua mansuetudine et humilitate exorans, ut vestri non oblivisceremur in finem. Unde et dignum duximus scribere vobis, ut sciatis nos et in

A spiritualibus, si quid nostra in his exiguitas per beati hujus Patris nostri merita unquam potuerit; et in corporalibus, si quando forte opportunitas præberetur, omnem vobis consolationem impendere tota devotione paratos.

3. Et nunc quoque, dilectissimi, Hiberniensis Ecclesiæ gravem hanc destitutionem toto miseramur affectu: et eo amplius vobis compatimur, quo nos amplius ex hoc novimus debitores. Magnificavit enim Dominus facere nobiscum, cum locum nostrum dignatus est beatæ mortis ejus honorare præsentia, et pretiosissimo **337** corporis ejus locupletare thesauro. Nec molestum sit vobis, quod apud nos habeat sepulturam: quando sic ordinavit Deus secundum multitudinem misericordiæ suæ, ut vos eum vivum haberetis, nobis habere liceret vel defunctum. Et nobis siquidem communis vobiscum pater ille erat, et est: nam et in morte ipsius hoc nobis confirmatum est testamentum. Quamobrem sicut nos hujus tanti patris gratia, universos vos, tanquam germanos fratres, totis amplectimur visceribus charitatis: sic et de vobis idem sentire spiritualis ipsa cognatio persuadet.

4. Hortamur autem vos, fratres, ut beati hujus patris nostri semper curetis sectari vestigia, eo studiosius, quo vobis certius sancta ejus conversatio diuturnis experimentis innotuit. In hoc enim veros vos ejus filios esse probabit, si paterna viriliter instituta servetis: et ut in eo vidistis et audistis ab eo quemadmodum vos oporteat ambulare, sic ambuletis, ut abundetis magis: siquidem gloria patris, sapientia filiorum (*Prov. x, 1*). Nam et nostram non mediocriter excutere desidia, et reverentiam incutere cœpit præsens nobis tantæ perfectionis exemplar. Atque utinam sic nos post se trahat, ut pertrahat in tam recenti virtutum ejus odore avidius alacriusque currentes. Orantem pro nobis universitatem vestram Christus custodiat.

#### EPISTOLA CCCLXXXV. (984).

AD IDAM COMITISSAM NIVERNENSEM.

*Monachos Vizeliacenses a Comitissæ clientibus infestari queritur.*

Dilectæ in Christo filiæ Nivernensi comitissæ, frater BERNARDUS Claræ-Vallensis vocatus abbas, salutem et orationes.

Conqueritur venerabilis abbas Vizeliacensis (985), quod vos et clientes vestri mercatores et cæteros Vizeliacum volentes ire prohibetis: quod quia Guillelmus comes (986) bonæ memoriæ, et filius ejus in præsentia domini Autissiodorensis et nostra penitus refutavit, tanquam impium et iniquum; monemus et rogamus, ne id deinceps ullo modo faciatis. Timemus enim, si talia facere cœperitis, ne forte et vobis hic, et viro vestro, ubi ipse est, plurimum possint obesse, quod omnino nollemus. Credite ergo nobis, et omnino desistite a malitia hac.

(984) Alias epistola 390: quæ vero antea 575 erat, nunc 316. Scripta anno Christi 1148

(985) Scilicet Pontius.

(986) Guillelmus iste in Carthusiam (ut jam notatum) secedens, alterum Guillelmum filium suum successorem habuit ab anno 1147.

## EPISTOLA CCCLXXVI (987)

AD SUGERIUM ABBATEM.

*Hortatur et rogat, ut duellis quorundam principum se opponat.*

Venerabili patri et domino SUGERIO, Dei gratia abbati Sancti-Dionysii, frater BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, salutem et orationes.

Nunc tempus et opus est, ut apprehendatis gladium spiritus, quod est verbum Dei, contra diabolica figmenta, quæ regerminare moluntur iterum. Homines namque illi qui reversi sunt, maledictas illas nundinas (988) post festa paschalia præfixerunt, et statuerunt laxatis habenis dominus Henricus filius Comitis, et dominus Robertus frater Regis, ut irruant et interficiant semetipsos. Animadvertite quali voluntate viam Jerosolymitanam aggressi sunt, qui cum voluntate hujusmodi regressi sunt. Quam recte dici potest de istis: *Curavimus Babylo-nem, et non est sanata! (Jerem. LI, 9); percussi sunt, et non doluerunt; attriti sunt, et renuerunt suscipere disciplinam! (Jerem. v, 5.)* Post tot labores, post tot pericula, quibus vexati sunt a tribulatione malorum et dolore, regnum in pace est, et Dominus Rex abest: et per hos duos potest terra singulariter commoveri, sed **338** et perturbari. Supplico et consulo Sublimati vestræ, quia maximus princeps estis in regno, ut vel dissuasionem, vel vi, totis viribus vos opponatis, ne fiat hoc: quia sic convenit honori personæ vestræ, et terræ vestræ, et utilitati Ecclesiæ Dei. Vim autem appello, quod ad ecclesiasticam pertinet disciplinam. Nos autem idem scribimus domino Remensi, domino Senonensi, domino Suesionensi, domino Antissiodorensi, comiti Theobaldo, comiti Rodulfo. Opponite vos tantis malis, et propter dominum regem, et propter dominum papam, ad quem pertinet custodia regni,

## EPISTOLA CCCLXXVII (989).

AD EUMDEM.

*Prædicat ejus zelum et studium boni communis, quod indixerit comitia regni pro ejus salute, hortaturque ad causam reipublicæ fortiter agendam.*

Charissimo patri et domino SUGERIO, Dei gratia

(987) Alias epistola 338: quæ vero antea 376 erat, nunc 355. Scripta anno Christi 1149.

(988) Quæ istæ nundinæ? Id dicere licet ex Wilhelmo abbate Sancti Theoderici, Vitæ S. Bernardi libro I, cap. 11, ubi ita habet: « Divertit aliquando nobilem cohortem militum ad Claram-Vallem... Prope autem erat sacrum Quadragesimæ tempus et illi omnes fere juvenes, dediti militiæ sæculari circumibant, quærentes execrabiles illas nundinas, quas vulgo Tornetas vocant. » Alii « Torneamentum » appellant, Mattheus Parisiensis, Historiæ Angl. pag. 258. Non in hastiludio illo quod vulgariter « Torneamentum » dicitur, sed potius in illo ludo militari qui « Mensa rotunda » dicitur. « Res quidem ludicra et speciem præ se ferens tirocinii seu potius exercitii militaris, et ad agilitatem seu dexteritatem in armis tractandis acquirendam institui solita. Ideo Richardus rex Angliæ ad imitationem Gallorum suos voluit torneamenti exerceri, ut ex bellorum solemnium præludio verorum addiscentem artem, ait Willelmus Neubrigensis, libro V, cap. 4. Sed frequenter joca fiebant seria et ludi in cædes abibant. Unde tribus diversis

A Beati-Dionysi abbati, frater BERNARDUS Claræ Vallensis vocatus abbas, spiritum consilii et consolationis.

1. Visis quibusdam litteris vestris, quas ad dominum Turonensem direxerat Sublimitas vestra, exsultavimus, et delectati sumus, non qualicumque gaudio, sed gaudio magno valde. Visitet vos Oriens ex alto, qui visitare disponitis regnum gloriosissimi regis nostri, ut sic respirare possit a tribulatione malorum et dolore, qui jam in januis est, si non fuerit totis viribus contradictum. Profecto consilium Dei fuit, ut ad consilium tam curiæ quam Ecclesiæ principes vocaretis: ut sciant omnes qui habitant terram, quia remansit et regno, et regi amicus dulcis, consiliarius prudens, adjutor fortis. Illi, inquam, regi, qui servit Regi cujus regnum est omnium sæculorum; qui commovit gentes et regna, ne Rex cœli perderet terram suam; terram, ubi steterunt pedes ejus. Illi, inquam, regi, qui cum esset gloria singularis, rebus affluens, pace securus, victoriosus in præliis, juvenis ætate, elegit exulare a propriis, ut serviret in alienis; illi tamen, cui servire, regnare est. Et quis audeat turbare regnum ejus? quis tantam impietatem committat adversus Dominum, et adversus christum ejus? Domine, mi rex, utinam abscindantur, qui te conturbant! qui quærunt mala et tibi, et tuis, cum tu inter alienas gentes solus remanseris, ne remaneret in solitudine ille locus, quem elegit Dominus ex omnibus locis terrarum, ut esset nomen suum ibi.

2. Propterea viriliter agite, et confortetur cor vestrum, quia vobiscum est Dominus Deus vester in protectione Regis et exulis sui. Qui imperavit ventis et mari, tumentes fluctus facile complanabit. Erit vobiscum universitas Ecclesiæ Dei, ne insurgat aliquis et peccare faciat Israel, et totis humeris totum onus, si quid tamen oneris fuerit, supportabit. Nunc enim tempus et opus est, ut agatis pro loco quem tenetis, pro dignitate qua polletis, pro potestate quam accepistis: ut memoria vestra non solum in benedictione, sed et in admiratione sit generationi huic omni quæ ventura est. Providendum

conciliis generalibus, teste eodem Neubrigensi, sub tribus Romanis Pontificibus hujusmodi armorum exercitia prohibita sunt. In concilio Lateranensi Alexander papa sic ait: « Felicis memoriæ papæ Innocentii et Eugenii prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, detestabiles nundinas, quas vulgo Torneamenta vocant in quibus milites ex condito convenire solent et audacia temeraria congregiuntur, unde mortes hominum et pericula animarum sæpe proveniunt, fieri prohibemus. Quod si quis etiam ibidem mortuus fuerit, quamvis ei poscenti pœnitentia non denegetur; christiana tamen careat sepultura. » Hæc ex Willelmo Neubrigensi. Sed nihil minus profecisse et fervorem juvenum, armorum gloriam vanissime affectantium, frenum non admisisse, testatur idem loco citato. Hinc ergo patet, quales nundinas instituerint Henricus comes, filius Theobaldi Magni comitis Campaniæ et Robertus Regis frater, qui ex itinere Hierosolymitano redierant. Vide epistolas 179, 288 et 363.

(989) Alias epistola 359: quæ vero antea 377 erat, nunc 346. Scripta anno Christi 1149.

est, et multum providendum, ne tanta portio Ecclesie Dei sine fructu maximo fatigetur, et hic statuendum, quod omnes insurgentium malignitates vel reddere, vel elidere possit. In voluntate nostra est, ut vobis in nomine Domini congregatis, parvitas nostræ litteras transmittamus, quæ etsi non adjuvent, saltem affectum nostrum ostendant. Ille autem qui vobis dedit hanc voluntatem, donet et facultatem, et conterat Satanam sub pedibus vestris: ut in opere isto glorificetur Dominus, honoretur Ecclesia, regnum stabiliatur, et obstruatur os loquentium et facientium iniqua.

### 339 EPISTOLA CCCLXXVIII (990).

AD EUMDEM.

*Petit subsidium annonæ pro Religiosis Bituricensibus.*

Domino dilectissimo SUGERIO, Dei gratia venerabili abbati Sancti-Dionysii, frater BERNARDUS Claræ-Vallis abbas, salutem et orationes.

Fratres nostri de Bituricensi archiepiscopatu, de Domo Dei, egent pane: et audivimus quod abundat ibi annona domini Regis, et parum venalis inibi videtur. Itaque rogamus vos, ut præcipiatis eis dari de annona illa, quantum visum fuerit prudentiæ vestræ. Nam et dominus Rex, dum in hac terra esset, eis benefacere solebat.

### EPISTOLA CCCLXXIX (991)

AD EUMDEM.

*Abbati cuidam inopi subveniri rogat.*

Domino et patri dilectissimo SUGERIO, Dei gratia reverendo abbati Sancti-Dionysii, frater BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, salutem et devotas orationes in Christo.

Abbatem pauperem abbati diviti mittimus, ut de alterius abundantia alterius inopia aliquatenus releveretur. Vobis sane honestiorem cedimus partem juxta sententiam Veritatis, quæ beatus esse definit dare, quam accipere (*Act. xx, 35*). Nec dubito, quin libentius et liberalius manum vestram extendetis ad hunc pauperem Christi, si vobis æque, ut nobis, innotuisset ejus religiositas et honestas, sed et necessitas ipsa quam patitur. Nam et debilis premitur, et panis inopia laborat, quod agri ejus pro tritico herbas ei perniciosas reddiderint. Quia ergo sterilitas ista vestros non attingit oculos, rogamus et petimus per vestram misericordiam ei subveniri: nec ullatenus dubitetis, quin utiliter positum sit et repositum, quidquid ei præstare placuerit.

### EPISTOLA CCCLXXX (992).

AD EUMDEM.

*De periculoso statu Ecclesie Orientalis*

Amantissimo patri et domino SUGERIO, Dei gratia Beati-Dionysii abbati, BERNARDUS Claræ-Vallis vo-

(990) Alias epistola 360: quæ vero antea 378 erat, nunc 347. Scripta anno Christi 1149.

(991) Alias epistola 361: quæ vero antea 379 erat, nunc 553. Est 93 inter Sugerianas. Scripta anno Christi 1149.

A catus abbas, salutem, et quas potest orationes in Domino.

Verbum quod attulerunt magister Templi et frater Joannes tam lætus accepi, quam id quod a Deo crederem processisse. Ipsa enim jam Orientalis Ecclesia tam miserabiliter clamat, ut quisquis non toto compatitur affectu, Ecclesie filius esse non probetur. Verum quam lætus de nuntio, tam tristis de angusto termino, ad quem vestræ Dilectioni occurrere non potui. Siquidem promiseram Lingo-nensi episcopo ipsa die occurrere ad colloquium, quod de magnis et gravibus negotiis fiducia nostri acceperat. Indicavi autem ipsum tempus, quando, si placet, lætus occurram cum eodem episcopo qui multum poterit utilis esse colloquio.

### 340 EPISTOLA CCCLXXXI (995).

AD EUMDEM.

*Monet se de ipso recte sentientem, dolere tamen quod mala regni palam ipsi imputentur. Hortatur ut caveat, ne eorum, per quos ista fiunt, consortio infametur.*

Reverendo patri et amico nostro charissimo SUGERIO Dei gratia abbati Sancti-Dionysii, frater BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, salutem et qualescunque nostras orationes.

Ad litteras Paternitatis vestræ respondere brevius, temporis angustia coegerunt. Jam enim advesperascebat ea die, qua litteras illas accepi: et necesse erat sequenti die ad Cisterciense capitulum proficisci. Proinde respondeo breviter, et volo ut omnino longe fiat a vobis, ne aliquando veniat in cor vestrum, quod de vobis ullo modo crediderim, vestro consilio et voluntate fieri mala quæ plangimus. Verum unum fuit, quia zelo urgente ductus, ipsum vobis zelum exprimere, imo et imprimere atque ingerere laborabam, ut vestram quoque Sanctitatem inflam-maret affectus. Alterum fuit, quod licet bene sentirem de conscientia vestra, plurimum tamen contristabar de fama et scandalo, quod est in Ecclesia Dei. Quod si acquiescere nolunt maxime in hujusmodi rebus, quid facietis inter eos? Quare de vobis illi se palliant? nonne oportet vos omnino alienare a sacrilegis illis, et longe fieri ab eis; ut securi de conscientia, decantetis: *Odivi ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo (Psal. xxv, 5)*: ut noverit omnis ecclesia sanctorum, alienam ab eorum numero et consortio vestram innocentiam esse? Proinde memoramini principium loquendi Domino in Propheta; et invenietis beatum virum esse qui non abiit in consilio impiorum (*Psal. i, 1*). Illud autem credatis, nunquam male me sensisse de vobis. Novi enim vos et puritatem vestram. Valete, et orate pro nobis.

(992) Alias epistola 362: quæ vero antea 380 erat, nunc 360. Scripta anno Christi 1149.

(995) Alias epistola 364: quæ vero antea 384 erat, nunc 320. Scripta circa annum 1150

## EPISTOLA CCCLXXXII (994).

AD LEONIUM ABBATEM SANCTI BERTINI (995).

*Ejus in se suosque beneficia gratus agnoscit. Thomam de Sancto Audomaro ad Claræ-Vallenses transire volentem non prohibendum.*

Dilecto et venerabili domino LEONIO abbati, et universo conventui ecclesiæ Sancti Bertini, frater BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere.

1. Litteras Dilectionis vestræ, dilectissimi fratres, suscepimus, indicium voluntatis et petitionis vestræ. Beneficiorum, quæ nobis et nostris plena manu, hilari mente, vultu sereno exhibetis, in æternum non obliviscar. Sed quid, si non sum oblitus, et ingratus invenior? Nunquid sola memoria habebit me excusatum? imo acerbius accusabit. Nec immemorem, nec ingratum amicis meis me exhibere novi. Si tamen non habeo quod retribuam pro omnibus quæ accepi a vobis; ut minus sapiens loquor, Dominus retribuet pro me. De alieno liberalis sum, quoniam inops et pauper sum ego. Honorem ecclesiæ vestræ, et decorem domus Domini, qui in vobis est, quantum diligam, ipse novit, qui plus profunditatem humani cordis ingreditur. Sed nec ego vereor verum dicere in hac parte: ego diligentes me diligo. Sed non in hoc justificatus sum: nam et Ethnici hoc faciunt. Non multum laudis habet, si amantes me amavero: sed si non amavero, sceleratus pro scelere judicabor. Dilexi vos, et ante meritum: quare etiam post meritum non diligerem? Quos enim, etiamsi nulla merita præcessissent, honorari oportuit, post beneficia non honorare, plus quam injuria est. Diligam vos semper, fratres **341** charissimi, in Domino, et cum omni amore serviam vobis in eo, cuius servi estis: imo Christum, cuius membra estis, semper in vobis honorabo.

2. Verumtamen ut rationale sit obsequium nostrum et honor irreprehensibilis, quem vobis exhibere debemus; prudenter et caute id fieri oportet, quia honor regis iudicium diligit (*Psal. xcvi, 4*). Super his igitur quæ mihi rescribitis, respondeo Charitati vestræ, quia nec ego audeo, nec vos debetis prohibere eum qui bene facere potest. Quid enim respondere habemus Apostolo dicenti: *Spiritum nolite extinguere? (I Thess. v, 19.)* Neque enim securum est extinguere, quod extinctum accendere non sit tuæ potestatis. Et ubi est illud: *Unusquisque in ea vocatione qua vocatus est, in ea permaneat? (I Cor. vii, 20.)* Vocatus est, inquam, Thomas (996), non a me, sed ab eo qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt (*Rom. iv, 17*). Quid ad nos respicitis? quid nos intuemini in hoc facto, tanquam opus hominis sit, et non Dei? Non ab homine, neque

994) Alias epistola 524: quæ vero antea 382 erat, nunc 321. Scripta circa annum 1150.

(995) De Sancti Bertini monasterio actum supra in epistola 149. De Thoma confer epistola 108 ad ipsum. Leonius abbas laudatur ab Hermanno monacho Laudunensi in libro tertio de Miraculis B. Mariæ cap. 4, ubi vir religiosissimus et tam gentiliū, quam divinarum litterarum peritissimus dicitur.

A per hominem, sed a Domino factum est istud. Non enim homo, sed Deus est, qui operatur in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit. A Domino, inquam, factum est istud: et ideo non solum mirabile, sed immutabile esse debet in oculis nostris. Quis enim, vel quid est homo, ut adjuvet sensum Domini, vel spiritum ejus? Novit ille qui quærit ovem perditam, et quid quærat, et ubi quærat: et quomodo, et unde revocet, et ubi collocet, sic ut eam ulterius non perdat. Quem ergo Dominus vocavit, vide ne revoces; quem Deus erexit, tu inclinare noli; nec ponas ei offendiculum, cui Deus manum porrigit ascendenti.

3. Sed jam videndum est quid ponderis habeat illud quod dicitis, eum oblatum a parentibus. Videat prudentia vestra quid habeat plus vigoris et rationis, utrum illud quod factum est de ipso per alium ipso nesciente, an illud quod sciens et prudens de se ipso fecit: non autem ipse, sed gratia Dei, quæ nolentem prævenit ut velit, quæ volentem subsequitur ne frustra velit. Ego autem dico, quod votum parentum integrum manet, et oblatio eorum non est exinanita, sed cumulata. Nam et idem offertur quod prius oblatum est; et eidem offertur cui prius oblatum est; et quod prius a solis parentibus oblatum fuerat, nunc offertur a filio. Præterea super hoc verbo præcipere vobis nihil habeo: consilium autem do. A Domino egressus est sermo: nolite impedire cursum gratiæ Dei, nolite reprimere primitias bonæ voluntatis: quod enim in eo ceptum est, de Spiritu sancto est. Vos autem nolite dissimulare injuriam quam nobis infertis, cum nunquam vos læserimus in hac parte, ut fratres, quos Deus misit ad vos, vellemus subtrahere vobis. Noverit autem ipse Thomas, si irritum fecerit votum suum, cuius me testem adhibuit: noverit alius, quicunque sit ille, qui eum ad hoc impulerit, quod ascendam ex adverso, et stabo contra eos in die Domini. Sed interim melius est ei, vobis, et nobis, servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Vale.

## EPISTOLA CCCLXXXIII (997).

AD EUMDEM ABBATEM SANCTI BERTINI.

*Rogat ut officia humanitatis, hactenus fratribus suis exhibita, continuet.*

Amico suo charissimo LEONIO, Sancti Bertini venerabili abbati, frater BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, salutem in eo qui mandat salutes Jacob.

Quod merito confidam de vobis, charitas vestra palam fecit, quæ inventa occasione se ipsam innocendi, non potuit latere sub molio. Gratissima habeo illa officia humanitatis, quæ fratribus nostris (998) impenditis, qui habitant juxta vos. Quod illis

Præfuit ab anno 1148, ad annum 1163

(996) Exstat ad eum epistola 108.

(997) Alias epistola 342: quæ vero antea 385 erat, nunc 361. Scripta circa annum 1150.

(998) Monachis de Claro Marisco, prope Audomaropolim, cuius cœnobii primordia Mauricus refert ad annum 1138.

facitis, mihi facitis: imo sic magis mihi facitis, A quam si mihi **342** faceretis. Obsecro ergo, ut perseveret hæc sollicitudo vestra pro eis, quoniam longe facti sunt a nobis, ut non possimus eis, prout oportet, assistere. Sit ergo vestræ benignitatis vicem nostram supplere, ut vos ipsis in patrem, et ipsi sint vobis in filios. Si forte venerit tempus, quo tantæ charitati respondere possimus; quod non sinus ingrati, fides oculata monstrabit. Vale.

EPISTOLA CCCLXXXIV (999).

AD MONACHOS ECCLESIAE SANCTI BERTINI.

*Gratias agit beneficentiæ hactenus suis præstitæ largam a Deo retributionem promittens.*

Universis qui sunt in ecclesia Beati-Bertini amandis in Christo, frater BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, servire Domino in lætitia.

Ad gratiarum actionem, ad reddendum dilectionis officium, meritis vestris provocamur. Quia enim acceptum beneficium æternæ memoriæ insigendum est, beneficiis quæ fratribus nostris, imo quæ mihi contulistis, nec immemor esse debeo, nec ingratus. Meum est, quidquid meis impenditur: mihi datur, quidquid infunditur in visceribus meis. Scio cui credidi, et certus sum: scio quia diligitis nos, non verbo et lingua, sed opere et veritate. In argumentum quippe dilectionis et gratiæ, quam fratres nostri invenerunt in oculis vestris, non verba procedunt, sed opera: eo utique puriora apud Deum, et gratiora apud homines, quo de sola gratia dantis proveniunt, præter meritum accipientis. Pro his igitur gratias agimus universitati vestræ: pro his omnibus debitores sumus vobis, si quid sumus, si quid possumus, et nos, et fratres nostri. Sed ne parum vobis sit acceptos esse hominibus, accepti estis et Deo meo. Nam quod uni ex minimis ejus fecistis, ipsi fecistis (*Matth. xxv, 40*). Quid quod non uni tantum, sed pluribus ex minimis ejus fecistis? In omnibus his penes me non retributio multa, quoniam inops et pauper sum ego: sed Dominus retribuet pro me. Ipse qui retributor est omnium bonorum, retribuatur vobis, quod pauperes ejus prævenistis in benedictionibus dulcedinis, et in exemplo charitatis. De præteritis gratias agimus: de futuro precamur, ut bonum facientes non deficiatis. Tempore enim suo metetis de semine boni operis manipulos pacis et gloriæ: quod nobis præstet Deus. Amen.

EPISTOLA CCCLXXXV (1000).

AD EOSDEM.

*Eis de meliori observantia gratulatur, eosdemque ad studium relaxatæ perfectionis et assidui profectus excitat.*

Dilectissimo sibi in Christo universo conventui monasterii Sancti-Bertini, frater BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, salutem et orationes:

1. Ita, quæso, ita facite, dilectissimi. Discipulus quippe proficiens, gloria est magistri. Quisquis in

(999) Alias epistola 343: quæ vero antea 384 erat, nunc præmissa epistolæ 273. Scripta circa annum 1150.

schola Christi non proficit, ejus indignus est magisterio, præsertim tamen ubi sumus, ubi nihil eodem statu permanet: et non proficere, sine du bio desistere est. Nemo proinde dicat: Satis est, sic volo manere, sufficit mihi esse sicut heri et nudius tertius. In via residet qui ejusmodi est: in scala subsistit, ubi neminem patriarcha vidit non ascendentem, aut descendentem (*Gen. xxviii, 12*). Dico ergo: *Qui se existimat stare, videat ne cadat* (*I Cor. x, 12*). Ardua et angusta est via, et non hic, sed in domo patris mansiones sunt multæ (*Joan. xiv, 2*). Itaque, qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare (*I Joan. ii, 6*). Jesus enim, ut ait evangelista, *crescebat et proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines* (*Luc. ii, 52*). Ille non restitit ergo, sed exsultavit ut gigas ad currendam viam (*Psal. xviii, 6*): et nos quoque, si non desipimus, curremus post eum, **343** trahemur in odore unguentorum ipsius. Alioqui si elongari contigerit, erit pigritanti animæ et laboriosior, et periculosior via, dum nec odore recreari, nec certa possit agnoscere vestigia longius abeuntis.

2. Sic ergo currite, fratres, ut comprehendatis (*I Cor. ix, 24*). Quod sane ita fiet, si nequaquam arbitramini vos comprehendisse, sed obliti quæ retro sunt, extenditis vos in anteriora (*Philipp. iii, 13*): si apprehendatis disciplinam, nequando irascatur Dominus, et pereatis de via justa (*Psal. ii, 12*). *Qui edit me, ait Sapientia, adhuc esuriet; et qui bibit me, adhuc sitiit* (*Eccli. xxiv, 29*): ut noverit piger, qui digne prorsus lapidatur stercorebus boum (*Eccli. xxii, 2*), fastidium sibi non de satietate, sed de inedia generari.

3. Denique, quia omnia cooperantur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt sancti (*Rom. viii, 28*); moveat nos ipsum quoque sæcularis cupiditatis exemplum. Quem enim ambitiosum vidimus aliquando, contentum adeptis dignitatibus, ad alias non anhelare? Sic et curiosi cujusque non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu. Quid eorum qui avaritiæ serviunt, aut amatores sunt voluptatum, seu vanas sectantur hominum laudes, nonne et ipsorum insatiabilia desideria arguunt nos negligentiam et tepiditatem? Pudeat certe spirituum nos bonorum minus cupidos inveniri. Erubescat anima conversa ad Dominum, minori affectu sectari justitiam, quam iniquitatem antea sectaretur. Est enim causa quoque valde dissimilis. Stipendium quippe peccati mors; fructus autem spiritus, vita æterna (*Rom. vi, 23*). Pudeat proinde negligentius nunc in vitam, quam prius in mortem ire, et minori studio salutis acquirere, quam perditionis augmentum. Nam, ut omnino sinus inexcusabiles, in via vitæ quo citius, eo facilius curritur: et leve Salvatoris onus, quo crescit amplius, eo portabilius est.

(1000) Alias e istola 341: quæ vero antea 385 erat, nunc 413.

Nonne et aviculas levat, non onerat pennarum sive plumarum numerositas ipsa? Tolle eas, et reliquum corpus pondere suo fertur ad ima. Sic disciplinam Christi, sic suave jugum, sic onus leve, quo deponimus, eo deprimimur ipsi: quia portat potius quam portatur. Onerosa alicui videtur silentii disciplina: sed propheta magis robur quam onus esse considerans ait, *In silentio et in spe erit fortitudo vestra.* (*Isai. xxx, 15*). *In silentio*, inquit, *et spe*, quia bonum est præstolari Dominum in silentio (*Thren. iii, 26*). Enervat quippe animam præsentium consolatio, roborat expectatio futurorum.

4. Bene ergo fecistis, dilectissimi, addere aliquid ad priorem silentii regulam (1001): quod nimirum, prædicto attestante propheta, *cultus justitiæ est* (*Isai. xxxii, 17*). Bene fecistis alienando vos magis ac magis ab actibus sæculi hujus, quæ est munda et immaculata religio. Modicum quippe fermentum, fratres, totam massam corrumpit (*I Cor. v, 6*); et muscæ morientes exterminant oleum suavitatis (*Eccle. x, 1*). Quid prodest tanti corporalis pariter et spiritualis laboris atque exercitii fructum vilissima aliqua consolatione, imo desolatione minus acceptabilem fieri, aut certe et periclitari? Quantam internæ consolationis dulcedinem, et gratiam visitationis divinæ præpedit hujusmodi nugarum vapor ad modicum parens? Præsertim nos monachi, quorum certe, velimus, nolimus, in labore vita est; plane miserabiliores sumus omnibus hominibus, si pro tam exiguis tanta patimur detrimenta. Quid enim insipientiæ, imo quid insanix est, ut qui majora reliquimus, C minora cum tanto discrimine teneamus? Si mundum contempsimus universum, si abrenuntiavimus affectibus propinquorum, si monasteriorum carceri mancipavimus nosmetipsos; si denique non venimus facere voluntatem nostram, sed imposuimus homines super capita nostra: quid non oportet fieri, ne forte contingat hæc omnia nobis in insipientia 344 nostra et negligentia deperire?

5. Agite ergo, dilectissimi, et in his quæ cœpistis, solliciti estote perseverare et abundare magis, ut augeantur in dies incrementa frugum justitiæ vestræ. Etenim qui parceseminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet (*II Cor. ix, 6*). Et certe modicum seminis incrementum, non modica messis multiplicatio est. Hæc nos, D fratres, quia audito profectu vestro exsultavimus et delectati sumus, dignum duximus scribere charitati vestræ, cupientes admonitos vos esse, ubi observationes sanctas, quæ salvare possunt animas vestras, digna devotione suscipiatis et amplectamini. Scitis enim quia hilarem datorem diligit Deus (*Ibid. 7*).

(1001) Mirum quantum ad perfectionis studium silentio tribuerit Bernardus, ut in epistola 91 ad abbates Suessione congregatos, et alibi passim. Imo mirum sit videri cuiquam, religionem stare posse absque accurata silentii observatione, quod a Bernardo « Custos religionis » vocatur sermone 2 post Octavam Epiphaniæ, n. 7.

(1002) Alias epistola 553: quæ vero antea 586 erat, nunc 566. Scripta anno Christi 1150.

A Orantem pro nobis universitatem vestram Christus custodiat.

### EPISTOLA CCCLXXXVI (1002).

JOANNIS CASÆ-MARIÆ AD BERNARDUM ABBATEM.

*Solatur Bernardum de infelici expeditionis in Terram Sanctam successu.*

Dilecto patri ac venerabili domino suo BERNARDO, Dei voluntate ac gratia Claræ-Vallis abbati reverendissimo, frater JOANNES minister suus, qualescunque Casæ-Mariæ (1005) abbas, feliciter currere, ac felicius Christi pietate consummare.

1. Memor dulcedinis ac familiaritatis, quam mihi indigno pietas vestra quondam exhibuit, aperire cogitationes mei cordis paternitati vestræ, quasi coram positus, præsumo, vestra magis de mansuetudine confisus, quam de offensa suspectus. Spero namque affectionem ac dilectionem, quam erga vos habeo, pietatem vestram non latere; et si aliquid etiam stultum dicerem, confido vos benigne ac mansuete quasi patrem filio ignoscere. Dictum est mihi, pater charissime, quod de hac re, quæ non ita prospere, ut forsitan volebatis, contigit (de via vero Jerosolymæ loquor), multum tristamini: eo quod Ecclesia Dei vel gloria, non sicut desiderabatis accrevit. Quapropter quod mihi pro hoc diu cogitanti Deus (ut credo) in corde misit, vobis humiliter suggero, nimirum perpendens quod sæpe parvo cuilibet Dominus aliquid ostendit, quod alicui magno et multis donis repleto videre nequaquam concedit: sicut Moysi sancto, facie ad faciem cum Deo loquenti (*Exod. xxxiii, 11*), Jethro alienigena concitium dedit (*Exod. xviii*).

2. Videtur itaque mihi, quod omnipotens Deus de hac via multum fructum fecit, non tamen eo ordine, quo ipsi viatores arbitrabantur. Siquidem si hoc quod cœperant, sicut decet Christianos, juste ac religiose prosequi vellent; Dominus cum eis esset, ac magnum fructum per eos perfecisset. Sed quoniam ipsi ad mala sunt devoluti, et hoc nequaquam Dominum, qui auctor viæ fuerat, a principio latere potuit; ut sua providentia in sui dispositione non falleretur, malitiam eorum in suam convertit clementiam, et immisit eis persecutiones et afflictiones, quibus purgati ad regnum pervenire possent. Denique confessi sunt nobis qui redibant, quod vidissent multos ibi morientes, qui libenter se mori dicebant, neque velle reverti, ne amplius in peccatis reciderent.

3. Sed ne in dubium veniat quod dico, quasi patri meo spirituali in confessione aperio, quod patroni loci nostri, beatus Joannes et Paldus, sæpius nos visitare dignati sunt: quos ego super hac re interro-

(1005) Casa-Mariæ abbatia insignis in agro Verulano in Italia condita anno 1005, sub Ordine S. Benedicti et Benedicto abbate primo. Bernardus isthuc non semel adisse memoratur; unde amicitiam inquit cum Joanne abbate piissimo, hujus epistolæ auctore, qui monasterium suum anno 1140 Cisterciensibus adunavit sub linea Claræ-Vallis. Ughellus in Italia sacrae tomo I, col. 289.



gari feci, et hujusmodi sententiam responderunt, A dicebantque multitudinem angelorum qui ceciderant, de illis qui ibi mortui sunt, esse restauratam. Hoc autem scitote, quod magnam vestri memoriam habuerunt, finemque vestrum cito venturum prædixerunt. Quia igitur **345** bene res, etsi non secundum hominum desiderium, tamen secundum Dei propositum evenit; vestræ erit prudentiæ in ipso de hac re consolari, cujus solius gloriam quæritis et desideratis. Idcirco namque vobis et exhortandi, et operandi gratiam in hoc negotio dedit, quia bonum, quod inde facturus erat, prævidit. Ipse igitur cursum vestrum feliciter compleat, nosque vobiscum in sua gloria constituat.

EPISTOLA CCCLXXXVII (1004)

AD PETRUM ABBATEM CLUNIACENSEM.

*Prævia sinceri in Petrum affectus et amoris protestatione, si quid acerbius litteris quibusdam scripserit, excusari rogat.*

Reverendissimo patri et amico charissimo PETRO, Dei gratia Cluniacensi abbati, frater BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, in vero Salutari salutem.

Utinam sicut præsentem epistolam, ita vobis mentem meam mittere possem! Sine dubio tunc clarissime legeretis, quid in corde meo de amore vestro digitus Dei scripserit, quid meis impresserit medullis. Quid ergo? incipio me iterum apud vos commendare? Absit. Jam pridem conglutinata est anima mea animæ vestræ: et de personis imparibus pares animos fecit paritas charitatis. Quid enim meæ humilitati cum vestra sublimitate, si non inclinasset dignatio dignitatem? Ex tunc factum est, ut utrinque permiscerentur et mea humilitas et sublimitas vestra: ut nec ego sine vobis humilis, nec sine me sublimis esse possetis. Hæc dico, quia Nicolaus meus, imo et vester, in spiritu vehementi commotus, commovit me, asserens se vidisse epistolam nostram directam ad vos, in qua voces amaritudinis claudabantur (1005). Credite amanti, quia nec in corde meo ortum est, nec ab ore meo extortum est, quod aures vestræ Beatitudinis exasperaret. Multitudo negotiorum in culpa est, quia dum scriptores nostri non bene retinent sensum nostrum, ultra modum acuunt stilum suum, nec videre possum quæ scribi præcepi (1006). Parcite hac vice: quia, quidquid de aliis sit, vestras videbo, et non credam nisi oculis et auribus meis. Cætera vobis communis iste filius planius et plenius viva referet voce. Ipsum tanquam me audietis, qui vos diligit, non verbo, neque lingua, sed opere et veritate. Salutate nobis sanctam illam multitudinem vestram; et orate, ut orent pro puero suo.

(1004) Alius epistola 352: quæ vero antea 387 erat, nunc 397. Scripta anno Christi 1150.

(1005) Nulla ex editis epistola est cui hæc conveniant. Argumentum memorat Petrus in epistola sequente, n. 4. Similes motus experti sunt Cartusenses ut patet ex epistola 270.

EPISTOLA CCCLXXXVIII (1007).

PETRI VENERABILIS AD BERNARDUM ABBATEM CLARÆ-VALLENSIEM.

*Titulos et elogia respuit, et quanti Bernardum, ejusque amicitiam faciat, luculenter ostendit. Ejusdem quoque satisfactionem de injuria litterarum libens admittit.*

Venerabili et præclaro in membris Christi viro, domino BERNARDO Claræ-Vallensi abbati, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, post Deum et in Deo quod est.

1. Quid dicam? Loqui soleo: sed nunc mutus factus sum. Unde hoc? Quia litteræ vestræ, quæ me eloquentem facere debuerant, mutum fecerunt. Quare? Tanta in illis, licet brevibus, legi, ut si ad respondendum me effundere conarer, magis taciturnus quam loquax viderer. Sed gravi homini, sed religioso loquor. Agendum est ergo, prout gravitas postulat; prout religio, etsi non mea, tamen vestra efflagitat. Quid enim? nonne verum est quod dico? Brevis est epistola, sed multa respondendi materia. Fer, rogo, insulsum, si quid secus dixero quam oporteat. Veræ enim amicitia est, non solum salsa amici suscipere, sed et insulsa aut condire, aut tolerare. Accepi, **346** ut dixi, ex parte tua litteras, litteras singulares, litteras amorem dulcissimum, et honorem plus quam mihi debitum prætendentes. Reverendissimum me dicis, patrem nominas, amicum charissimum appellas. Gaudeo ad ista: sed salva veritate, quæ ex Christo in te defluxit, duo præcedentia nescio, tertium agnosco. Nam reverendissimum me esse ignoro; patrem, quantum ad te, me esse nego: amicum et charissimum tuum me non solum ore profiteor, sed et corde agnosco.

2. Ut enim de reverendissimi et amici charissimi nominibus taceam, quorum, ut dixi, alterum nescio, alterum agnosco: de patris interim nomine hoc tibi, reverende frater, scribo, quod singularis suo tempore, et præclarissimus religionis flos, domnus Guigo Prior Carthusiensis, mihi quondam scripsit. Scribebam ei frequenter, et sæpe cum eo, vel verbis ad invicem collatis, vel litteris familiaribus delectabar, et eum in epistolis meis patrem nominabam. Toleravit hoc primum, putans me finem facturam scribendi. At postquam me persistere vidit, et frequentibus litteris patris nomen iterare, in hæc verba sanctus ille tandem prorupit. Scripsit namque mihi epistolam, in quam inter cætera hoc inseruit: « Unde petimus per eam, quia in nos indignos vestra fervent viscera, dilectionem, ut quando nostræ exiguitati vestra scribere dignatur serenitas, ita de propria cogitetis ædificatione, ut infirmitatem nostram periculosa non inflatis elatione. » Ac statim: « Et illud, » inquit, « præ omnibus ac super omnia quæsumus, et

(1006) Hinc apparet multas si non ex his saltem ex aliis, epistolas a Bernardi notariis compositas fuisse: quales sunt Nicolai infra in Appendice.

(1007) Alias epistola 353: quæ vero antea 388 erat, nunc 348. Scripta circa annum 1150.

delixis in terram genibus obsecramus, ne vilitatem nostram patris nomine dignam ulterius æstimetis. Satis et super satis est, si frater, si amicus, si filius appelletur, qui nec servi nomine dignus habetur. » Scripsit hoc ille mihi : scribo et ego hoc idem tibi. Sufficit, et multum sufficit, si fratris, si amici, si chari, vel charissimi nomine de te, vel apud te glorier : vel si quid tale aut te decet mittere, aut me docet suscipere. Hoc de præmissa salutatione.

3. Sed quid de sequentibus? « Utinam, » inquis, « sicut præsentem epistolam, ita vobis mentem meam mittere possem! » Et statim : « Sine dubio tunc clarissime legeretis, quid in corde meo de amore vestro digitus Dei scripserit, quid meis impresserit medullis. » Vere hæc verba, salvo majoris mysterii sacramento, sicut unguentum in capite, quod descendit de barba Aaron in oram vestimenti ejus : vere ista sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion : vere etiam sic stillant montes dulcedinem, et colles fluunt lac et mel. Nec mireris, quia tam sollicitè attendo, et teneo verba tua. Non enim a quacunque ore prolata scio : sed ab illius qui loqui non novit nisi de corde puro, et conscientia bona, et amore non ficto. Novi hoc, inquam, ego, novit et mecum orbis, non esse te de illorum numero, qui, juxta Psalmum, *Vana locuti sunt ad proximum suum; non esse te de illis, quorum labia dolosa in corde, et corde locuti sunt (Psal. xi, 5)*. Idcirco quotiescunque placet Sanctitati vestræ scribere mihi, non negligentèr, non transitorie; sed studiose, affectuose scripta tua suscipio, lego, amplector. Quis enim non sollicitè legeret, non multo cum affectu amplecteretur et ea quæ præmissi, et illa quæ sequuntur? « Jam pridem, » ais, « conglutinata est anima mea animæ vestræ et de personis imparibus pares animos fecit paritas charitatis. Quid enim meæ humilitati, cum vestra sublimitate, si non inclinasset dignatio dignitatem? Ex tunc factum est, ut utrimque permiscerentur et mea humilitas et sublimitas vestra; ut nec ego sine vobis humilis, nec vos sine me sublimis esse possetis. » Hujusmodi ergo verba negligentèr legenda sunt? Numquid non debent oculos legentis fixos tenere, cor rapere, animos unire? Videris, mi charissime, qui scripsisti, quid de his sentias : ego de his aliud sentire non possum, quam quod littera sonat, quam quod a tanto, a tam veraci, a tam **347** sancto homine dictum teneo. Nec, ut ipse dixisti, incipio me iterum apud te commendare. Adhuc juvenes amare in Christo nos cœpimus : et jam senes aut fere de amore tam sacro, tam diuturno dubitabimus? Absit, credite amanti, ut verbis vestris utar, quia nec in corde meo ortum est, nec ab ore meo exortum est, ut de verbis vestris quolibet modo, si tamen serio expromptis, aliquando dubitaverim. Unde quod in his, de quibus agitur, litteris scripsisti, amplector, servo, custodio. Facilius mihi possent

**A** auri mille talenta subripi, quam hæc quolibet casu a corde avelli. Sed de his satis.

4. De reliquo unde me motum prudentia vestra putavit, hoc fuit. Pro negotio, quod vobis bene notum est, cujusdam Anglici abbatis, continebant litteræ vestræ (1008) : « Quasi, » inquit, « subversum sit judicium, et de orbe perierit justitia, et non sit qui eripiat inopem de manu fortiorum ejus, egenum et pauperem a diripientibus eum. » Sed, si mihi creditis, sciatis prorsus inde me ita motum esse, sicut de se dicit propheta, licet ego propheta non sim : *Ego autem tanquam surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum; et rursum : Factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones (Psal. xxxvii, 14, 15)*. Ego quidem in istis offensus non sum. Sed, etsi offensus essem, multum satisfactum est, quando dixisti : « Multitudo negotiorum in culpa est, quia dum scriptores nostri non bene retinent sensum nostrum, ultra modum acuunt stilum suum, nec videre possum quæ scribere præcepi. Parcite hac vice : quia, quidquid de aliis sit, vestras videbo, et non credam nisi oculis et auribus meis. » Parco igitur, et de facili veniam tribuo. Non est apud me (quod humiliter dico) etiam in offensis gravibus, labor gravis, ut ignoscam oranti, dem veniam postulanti. Quod si in gravibus ignoscere labor non est, quanto minor in levibus, aut nullus est?

5. De testamento domini Baronis Romani subdiaconi (1009), quod vestræ Claræ-Vallensi et Cisterciensi ecclesiæ, ex his quæ apud nos deposuerat, moriens fecisse dicitur; factum est quod a quibusdam personis, qui sibi hoc ab eo injunctum esse dicebant, mihi scriptum est. Volo tamen vos scire, quia, sicut quidam, ut puto, testes veridici astruunt, plus vobis in his contulit gratia Cluniacensis abbatis quam testamentum Baronis. Scio quidem, nec adeo expers sum divinarum vel humanarum legum, ut nesciam, quod per posterius testamentum et legatum, et fideicommissum causa mortis rata sunt. Sed lego tamen alibi : « Nihil tam juri naturali conveniens est, quam voluntatem domini, volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi. Hoc ideo dico, quia, sicut teste præmissi fatentur, quidquid Cluniaci deposuerat, totum Cluniaco dederat, nisi forte eum recipere contingeret antequam præsentem vitam finiret. Nolui tamen hoc uti privilegio : sed quod, juxta illorum testimonium, meum esse credebam, vobis vestrisque concessi. De electione Gratianopolitana (1010), contra quam nostri Carthusienses agunt, quid sentiam, in ore charissimi mei, vestrique fidelis Nicolai vobis relegendum diligenter reposui. Ipsum audite, et quod ab ore meo vobis retulerit, absque hæsitacione vel minima verum esse credite. Si quæ mandanda mente exciderunt, cum memor fuero, charissimo mihi in Christo mandabo. In fine

(1008) Non exstant.

(1009) Vide notas ad epist. 283.

(1010) Vide notas ad epist. 270.

rogo quantum possum, et supplico, quod jam per quasdam vestri Ordinis personas mandavi: ut in hoc tanto sanctorum virorum qui Cisterchi convenerunt, conventu, mei, utique vestri, memoriam faciatis, meque totum que Cluniacensis congregationis corpus eorum intente orationibus commendatis.

### 348 EPISTOLA CCCLXXXIX (1011).

AD PETRUM ABBATEM CLUNIACENSEM

*Perjucundas sibi fuisse Petri litteras, sed occupationum mole præpedito non licuisse prolixius respondere.*

Charissimo patri et domino PETRO, Dei gratia Cluniacensium abbati, frater BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, salutem et orationes.

Vidi litteras vestras parvo momento, sed non parvo affectu. Occupatus eram tanta occupatione, quantum vel vos scitis, vel scire potestis, amantissime pater. Abripui tamen me, et eripui votis et responsionibus omnium: et inclusi me cum Nicolao illo, quem diligit anima vestra. Legi et relegi dulcedinem, et magnam dulcedinem, quæ de vestris litteris emanabat. Redolebant illæ litteræ affectum vestrum, movebant meum. Dolebam, quia sicut afficiebar, non valebam rescribere. Nempe multa diei malitia evocabat. Convenerat enim multitudo magna fere ex omni natione, quæ sub cælo est. Me oportebat omnibus respondere: quia, peccatis meis exigentibus, in hoc natus sum in mundum, ut multis et multiplicibus sollicitudinibus confundar, et urar. Hoc tantillum interim scribo animæ meæ: sed cum accepero tempus, ego accuratius dictabo epistolam, quæ lucidius aperiat diligentis affectum. De testamento Baronis, quod nobis misistis, in veritate vobis mandamus, quia non sicut debitum, sed sicut datum accepimus. Gaudeo, quia de Gratianopolitano negotio veritatem cognovi (1012). Illud autem scitote, quia multum in caluit cor meum ad verba communis filii, quæ ex parte vestra retulit mihi. Paratus sum et non sum turbatus ad faciendam vestram, ubicumque potuero, voluntatem. In conventu Cisterciensi, vestri, tanquam specialis domini, et patris, et amici charissimi, et vestrorum, tam vivorum, quam mortuorum, memoria facta est (1013). Salutat vos Belvacensis electus, ut vester (1014): vester est enim.

Ego Nicolaus vester saluto vos in æternum, et ultra, et domesticam illam familiam, quæ lateri et spiritui vestro adhæret (1015).

(1011) Alias epistola 354: quæ vero antea 389 erat, nunc 413. Scripta anno Christi 1150.

(1012) Vide epistolam præcedentem, n. 5.

(1013) Sic ferebat usus inter monachorum congregationes, quæ mutua suffragiorum societate attingebantur.

(1014) Henricus. Vide epistolam 307, et notas.

(1015) Hoc de suo addidit Nicolaus notarius Bernardi.

(1016) Alias epistola 314: quæ vero antea 390 erat, nunc 375. Scripta anno Christi 1152.

(1017) Lundensis civitas, Daniæ Metropolis, cui

### EPISTOLA CCCXC (1016).

AD ESKILUM LUNDENSEM ARCHIEPISCOPUM, SEDIS APOSTOLICÆ IN DACIA ET SUECIA LEGATUM (1017)

*Amorem eius gratus et humilis agnoscit, suumque vicissim ostendit.*

Amantissimo patri et domino ESKILO, Dei gratia Lundensi archiepiscopo, frater BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, in vero Salutari salutem.

1. Scripta et salutationes vestras, imo affectiones cordis vestri, tam libenter suscepi, quam specialiter et diligo vos, et diligor a vobis. Inde est quod auditis tribulationibus vestris, eas non solum meas feci, sed et inveni: quia non possum te dolente non dolere, dulcissime pater, nec nisi molestus et anxius tuas molestias et anxietates audire. Tangit et angit cor meum quidquid tuum exasperat: et quidquid illud sit quod te persequitur, non solum te persequitur, sed me tecum. Quidquid enim gratiæ et dilectionis impendere sibi possunt absentes amici, puto et me debere tibi, et mihi deberi a te. Audax sum, sed non mendax, et in hanc audaciam me compulit tuæ Sublimitatis dignatio. Quando enim id præsumerem ego? quando tantam tantillum, et a tantò gratiam sperare auderem? Et si ego retribuere non potero, non est mortuus retributor meus, quia Dominus retribuet pro me (*Psal. cxxxvii, 8*). Dominus, inquam, in quo et pro quo tanta nos devotione complecteris, tanta stringis affectione. Benedictus sanctus angelus tuus, qui pio pectori tuo id suggestit: benedictus **349** Deus noster, qui persuasit. Glorior privilegio amoris tui, reffectus sum per charissimum fratrem nostrum filium tuum Guillelmum de abundantia suavitatis pectoris tui. Reffectus sum per nuntium tuum, reffectus sum per litteras tuas, reffectus sum per omnes qui a te usque ad nos, vel per nos evadere possunt.

2. Utinam mihi datum esset desuper hæc dicere, non dictare, ut me potius loquens, quam scribens aperire valerem! Pro certò acceptior esset sermo vivus quam scriptus, efficacior lingua quam littera. Oculi quippe loquentis fidem facerent dictis, et melius affectum vultus exprimeret, quam digitus. Sed quia illud absens per me non possum, per litteras, quæ secundum in hujusmodi locum obtinent, satisfacio quantum possum. Nuntium tuum cum magna exultatione vidimus, et negotium tuum, quantumcunque potuimus, munivimus ad dominum

tunc præerat Eskilus, ad quem plures epistolas scripsit Petrus Cellensis, qui ejus rogatu Carlusenses in Daniam direxit ex libri primi epistola 23, ubi Eskilum laudat, quod non solum in herbam, sed in spicas Cisterciensis sive Claræ-Vallis Ordo ibi multiplicatione fratrum excrevit, nihilominus et religio Præmonstratensis. Eskilum non modo archiepiscopum Lundensem in Dania, sed et primatem Sueciæ ex decreto Adriani IV papæ fuisse lego. Venit is ex Dania visitatum S. Bernardum in Clara-Valle. Vide historiam lectu dignissimam, Vitæ S. Bernardi libro iv, cap. 4.

Papam (1018). De secreto autem verbo illo (1019), quod tam ardentem ascendit in cor tuum, respondebit tibi ex parte nostra Guillelmus tuus: tuus, inquam, et specialiter tuus in visceribus Jesu Christi. Posui enim verba mea in ore ejus, et ipsum audies tanquam me in negotio isto. Heu avellor, abripior! non licet ultra. Avocat diei malitia, revocat turba supervenientium et epistolam potius rumpunt, quam finiunt. Sed nunquid quia faciunt ut paucis scribam facere poterunt ut parum diligam? Actum excludunt a me, non affectum. Ille semper tecum est, qui sui juris est; et tecum erit quandiu fuerit, omni mihi amicitiae jure colende, pie, ac reverendissime pater.

EPISTOLA CCCXCI (1020).

AD ABBATISSAM FABERNIACENSEM (1021).

*Monet de reficiendis non tantum domibus, sed et moribus, et de diligenti hospitalis cura.*

BERNARDUS vocatus abbas de Clara-Valle A. abbatissae Faberniacensi, pudicitiae et gratiae titulum.

Fratres isti pro consilio animarum suarum paternitatem nostram adeuntes, de vestro bono studio,

(1018) Vide epistolam 280, n. 4.

(1019) Quidnam hoc secreti? Id plane mihi secretum nisi quod Saxo grammaticus id ipsum, nisi fallor, aperiat. Is ergo de Eskilo nostro sic habet, Historiae Dan. libro 14: « Eodem tempore Eskilus, domesticis supra vires negotiis fatigatus, dum quieti intentius consulit, proficiscendi licentia a Rege difficulter extorta, nobile Galliarum cœnobium quod Clara-Vallis nuncupatur petivit. » Et rursus eodem libro: « Valdemarum regem Eskilus secreta allocutione petitem enixe deposcit arcani, quod ei committere velit, intempestivam confessionem non arguat. A quo postulata sperare jussus, jampridem deponendi pontificatus allatam sibi cupidinem dicit, quem tanto oneri imparem aetas viribus defuncta cœstituat. Neque enim in fastigio, sed privatam ac procuratorum liberum decedere velle; præteritæ conversationis habitum monastica mutaturum. » Mox subdit eum ab Absalone quem in pontificatu successorem habuit, rogatum, « Quid ita plebem mœstitia afficeret? » respondisse: « Tum senium suum, tum exilium nepotum dignitatis sibi, patriæque fastidium afferre. Huic accedere voti religionem qua se dudum Bernardo Clara-Valensi, pontificatu ultro cessurum, privatamque vitam et honoribus defunctam acturum sponderit. » En secretum. Porro anno 1178 venit Eskilus in Claram-Vallem, ubi quadriennio pie religioseque transacto obiit, anno nimirum 1182. Vide Saxonem grammaticum, Historiae Dan. libro 14; vide etiam librum de Viris Illustribus Ordinis Cisterciensis, dist. 3, cap. 25; Vitam S. Bernardi, libro 4, cap. 4; Crantzium, libro 6; Dan. capp. 41, 42; Henriquez in Menologio, die decima aprilis. De recessu Eskili in Claram-Vallem legendæ præ aliis epistolæ duæ Petri Cellensis, nempe libri septimi epistola 17 et libri octavi epistola 1. Idem auctor in libri primi epistola 23 eundem laudat, quod « nova seminaria de omni genere sacrorum Ordinum, provinciam sibi commissam seminare statuisset, idque jam magna ex parte perfecisset, adductis fratribus ex Ordine non modo Cisterciensi, sed etiam Præmonstratensi; et Carthusiensibus quam primum ibidem instituendis.

(1020) Alias epistola 347: quæ verò antea 391 erat, nunc 326.

(1021) Faberniacum seu Faverneium, cœnobium diocesis Bisuntinensis, in comitatu Burgundiae situm, primum quidem in gratiam sanctimonialium Ordinis

A quod in emendando loco, cui gratia Dei præstita, habere vos perhibent, non parum nos lætificaverunt. Monemus autem et obsecramus devotionem vestram, quod sicut reficiendis domibus, ita renovandis moribus operam detis. Non solum autem de monasterio, sed etiam de hospitali domo Dei, cui sub manu vestra prædicti fratres deserviunt, intentissime necesse est curam geratis: quatenus videlicet ab omni exactione et infestatione ministrorum seu clientum vestrorum securam ac liberam custodiat; quodque illorum pravo, ut audivimus, consilio eidem domui ab aliis ante vos abbatissis collatum abstulistis, precamur ut restituatis. Sicut enim ad vestram sollicitudinem pertinet aliarum malefacta destruere aut corrigere; sic illarum, si qua bona esse videntur, non solum firma et inconcussa tenere, sed etiam augmentare et multiplicare debetis. Presbyterum quoque, qui in ipsa domo habitans, suam adhuc foris rem habere videtur, aut proprium deserere aut de domo exire cogatis. Valet, et propter bonum quod de vobis audivimus, de nobis, si quid valeamus, familiariter confidite.

S. Benedicti conditum est, postea vero, cum disensionibus et liberiori monialium vitæ pateret locus, in jus et potestatem monachorum Casæ-Dei transit anno 1132, ut constat ex sequenti diplomate, quod ex Chartophylacio Casæ-Dei proferimus.

ANSERICVS Dei gratia Bisuntinensis archiepiscopus, venerabili STEPHANO Casæ-Dei abbati, fratribusque ibidem Deo famulantibus, suisque successoribus in perpetuum.

C Ex commissa nobis pastoralis sollicitudine oportet nos ad ecclesiam pacem et ad religionis incrementum pervigili cura providere. Quapropter illam nobilem Faverniacensem ecclesiam, quæ antiquis temporibus religione sanctimonialium floruerat, visitavimus, ut ejus desolationi aliquod suffragium præberemus. Convocatis itaque ibidem ejusdem loci advocatis, videlicet Rainaldo consule, Widone de Junci-Villa, et Henrico fratre ejus, Tebaldo de Rubro-Monte, Humberto de Jusliaco et Ludovico fratre ejus, ab omni religionis cultu alienam, et ab incolis suis pro multimoda perturbatione desertam reperimus. Nostra igitur sollicitudine et illustrium virorum admonitione dissensio, quæ præfatum locum exterminaverat, Deo auctore, pacificata est: pro religione vero præfati loci reformanda, prædicti advocati consuetudines, quas in villa Faverniacensi et infra terminos parochiæ ejus, sive justas, sive injustas habebant, in manu Rainaldi comitis omnino deposuerunt, vœrpiverunt, et se nunquam ulterius repetituros abjuraverunt. Illas vero consuetudines, quas in villis Faverniaco appendentibus habere videbantur, similiter in manu ejusdem consulis vœrpiverunt, et præter debitas abjuraverunt. Illas vero easdem Richardus de Monte Falcherti præter debitas in villis Faverniacensi ecclesiæ appendentibus, in manu nostra deposuit et vœrpivit: comes autem Rainaldus consuetudines a prædictis advocatis in sua manu depositas in nostra manu donavit, et vos Deo et beatæ Mariæ super altare obtulimus. Hoc itaque per Dei misericordiam expleto, sanctimoniales, clerus et populus, casati, advocati pari voce et consensu acclamaverunt, ut ecclesiæ Casæ-Dei Faverniacensis ita uniretur ecclesia, ut de capitulo Casæ-Dei perpetuis temporibus abbas assumatur, a quo secundum Ordinem et consuetudinem ecclesiæ Casæ-Dei Faverniacensis regatur ecclesia. Nos igitur præfate plebis voluntatibus inclinati, ecclesiæ Casæ-Dei Faverniacensem ecclesiam cum suis appendiciis, salvo pontificali jure et ministrorum ejus, regendam conce-

## 350 EPISTOLA CCCXCH (1022).

AD RADULFUM PATRIARCHAM ANTIOCHENUM.

*Humilitatem præcipue ei inculcat.*

Domino et patri reverendissimo R. Dei gratia patriarchæ sedis Antiochenæ, frater BERNARDUS Claræ-Vallensis abbas, si quid prodest pauperis devotio, et si quid potest peccatoris oratio.

Ut ad vestram Celsitudinem scribere auderem, nimirum vilis homuncio, non fuit præsumptio, sed fiducia: nam et fr. Hatto id suggestit, et charitas persuasit. Itaque exhibito brevi quidem, sed fidei debitæ venerationis salutationisque obsequio, oro Deum omnipotentem, ut quem Petri dignatus est cathedra, dignum iudicet et corona. Cæterum, ut optime novit prudentia vestra, non coronabitur, nisi qui legitime certaverit. Hinc est, quod ipse, cujus hæc verba sunt, beatus Apostolus, cum sibi repositam coronam justitiæ dicere vellet, præmisit, quia *bonum certamen certavi* (II Tim. iv, 7). Quod si milita est vita hominis super terram (Job vii, 1), quid pontificis vita, cui duplex profecto causa existit pugnandi, et pro se videlicet, et sibi commissis? Pugnandum vero est adversus carnis lasciviam, adversus nequitiam sæculi, contra spiritualia nequitiae in cœlestibus. Et quis ad hæc idoneus? funiculus hic triplex difficile rumpitur. Has tres turmas fecere Chaldæi ad deprædandos greges Job: carnem videlicet, cum vitiis et concupiscentiis suis. Exurgat Deus, et dissipentur inimici eius (Psal. lxxvii, 2). Exurgat, inquam, necesse est, qui dixit: *Sine me nihil potestis facere* (Joan. xv, 5). Cum eo autem, quid? *Omnia in eo*, inquit, *possum, qui me confortat* (Philipp. iv, 13). In eo confortare et tu, pater, confortare, et esto robustus: accingere, sta in prælio, pugna fortiter pro gregibus tibi commissis, quos te necesse est Commisori ex integro reassignare: pugna et pro te ipso, quia et pro te habes exigere rationem. Cave-to tibi in loco excelso, quo stas: ne forte, quod absit, corruas, et tanto gravius conquassaris, quanto ex altiori corrueris. Sic locum aptum teneas, ut tamen altum non sapias, sicut dicit Apostolus: *Noli altum sapere, sed time* (Rom. xi, 20). Locus altus sensato homini non tam occasio est elationis, quam causa timoris. Habet quidem honorem Ecclesia, sed habet et pavorem ruinæ: nec altus locus, sed altum supercilium reprehenditur. Et quisnam sedens in

*dimus, et abbatum correctionem abbati Casæ-Dei, suisque successoribus, si in Ordine suo peccaverit, fore stabilimus. Si vero culpa tam gravis existierit, ut abbas dignus sit depositione, nobis prius ostensa culpa vel archiepiscopis nobis succedentibus, si rebellis existierit et emendare noluerit, potestatem deponendi eum prædicto abbati concedimus. Ut autem præsens pagina immobilis perseveret, sigilli nostri impressione insignimus, et ne quis eam ulterius infringere attentet, sub anathematis vinculo interdici-mus.*

*Hujus rei testes sunt Willemus de Arguel, Wido de Mertiniaco archidiaconus, Petrus de Treva decanus Sancti-Stephani, Hugo Faverniacensis archidiaconus, Wolbertus archidiaconus, Hugo de Dola, Hugo Luxoviensis abbas, Wido abbas de Charo-Locho, Lambertus*

A alio demissum potest habere supercilium, nisi qui semper suspectum habet præcipitium? Timor præcipitii tumorem dominii reprimit. Quæcunque volumus ut faciant nobis homines, eadem et nos faciamus eis. Quis sibi non velit deferri a subditis? utinam æque libenter et nos nostris præpositis deferamus. Alioquin pondus et pondus, mensura et mensura, utrumque abominabile est apud Deum (Prov. xx, 10). Abominabiles ergo apud Deum sumus, si non eodem pondere vel mensura superioribus exhibemus, quo a subjectis exigimus. Non possum satis mirari cautam humilemque Centurionis fidem et responsionem, qua legitur ad Salvatorem ita dixisse: *Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites* (Luc. vii, 8). O prudens et vere corde humilis anima! dicturus quod prælatus esset militibus repressit extollentiam confessione subjectionis; imo præmisit subjectionem, ut pluris sibi esset quod suberat, quam quod præerat: quod ipso verborum ordine ostenderet, et bonam mentis compositionem bene ordinatæ orationis series indicaret. Volebam plenius ista prosequi, luculentiusque distinguere; sed verecundia intervenit. Erit, cum potero scribere plura, securus, si tamen hæc pauca vobis placere **351** cognovero. In fine obsecro, ut si vere mihi locus ille gratiæ apud vos manet qui dicitur, milites Dei, qui templum Jerosolymitanum inhabitant, in se experiantur, ut amore nostri sint vobis deinceps de commendatis commendatiores. Ex hoc siquidem magis et Deo placitus, et hominibus acceptus eritis.

## EPISTOLA CCCXCIII (1023).

AD W. PATRIARCHAM JEROSOLYMORUM (1024).

*Ad humilitatem eum hortatur.*

Venerabili domino et dilectissimo patri, Dei gratia Jerosolymorum patriarchæ W., BERNARDUS Claræ-Vallensis abbas, Spiritum veritatis qui a Patre procedit.

1. Occasione accepta per virum fidelem et amicum nostrum, latorem præsentium, pauca verba, in multis occupatus, scribo vobis, in multis occupato. Quod si præsumptuosum cuiuslibet videatur, et in hac parte judicer, venialis tamen est præsumptio, quæ descendit ex amore. Sed, ne multa scribam, cum pauca promiserim, ad rem ipsam veniamus. Cum placuit universorum Creatori Deo aperire altitudinem consilii sui super salutem generis humani,

*abbas de Clara-Fontana, abbas de Morimonte, Warinus Capellanus, Rainaldus comes, Fridericus comes de Fontiniaco, Wido de Junci-Villa et Henricus frater ejus, Tebaldus de Rubro-Monte, Humbertus de Vissiaco et Ludovicus frater ejus.*

*Data Bisuntii in æde capituli Sancti Joannis, anno ab Incarnatione Domini Jesu Christi 1132, Indictione duodesima, decimo quinto kalendas Octobris. Vide epist. 199.*

(1022) Epistola novæ vero antea 392 erat, nunc 327.

(1023) Epistola nova

(1024) Wilhelmu, ad quem epistola 175: ubi consule notas.

sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, qui factus homo propter homines, de filiis hominum vocabit ad se quos voluit, et electos de cæteris, et dilectos præ cæteris. Item et unum ex illis, quasi de electis electum, et dilectum præ dilectis, in specialem sui amoris gratiam separavit: cui vices suas committens, cum jam exaltatus a terra elevatis manibus sacrificium offerret vespertinum, antequam in manus Patris sui spiritum commendaret, tanquam frater fratri, Matrem virgini, virgo virginem commendavit. Quid sibi vult tale principium? diligenter attende.

2. Multos elegit Dominus, et principes fecit in populo suo, ut sit illis sacerdotii dignitas: sed te quadam familiari gratia collocavit in domo David pueri sui. Tibi soli de omnibus episcopis universi orbis commissa est terra illa, quæ germinavit herbam virentem, et facientem fructum secundum speciem suam, de cujus radice ortus est flos campi, et liliam convallium. Te solum, inquam, elegit Dominus præ consortibus tuis, ut sis ei in episcopum familiarem, qui per singulos dies introeas in tabernaculum ejus, et adores in loco, ubi steterunt pedes ejus. Legimus olim dictum ad sanctum Moysen, quoniam mandatum accepit a Domino, quod traderet filiis Israel: *Solve calceamentum pedum tuorum; locus enim in quo stas, terra sancta est (Exod. III, 5).* Sanctus quoque locus, sed in illo figura; in isto autem veritas expressa signo sanctitatis. Sanctus ille, sed iste sanctior. Quid enim simile cum veritate?

quid simile habet illud, quod per speculum et in ænigmate, cum gloria illa, quæ jam scisso velo revelata facie videtur? Et tamen, cum hæc omnia in figura contingerent et in forma futurorum, dictum est Moysi: *Solve calceamentum pedum tuorum; locus enim in quo stas, terra sancta est.* Et ego dico tibi, *Solve calceamentum pedum tuorum; locus enim in quo stas, terra sancta est.* Si adhuc affectus tui ex aliqua parte involuti sunt operibus mortuis, solve velociter: locus enim in quo stas, terra sancta est. O quam metuendus est locus ille, in quo primum per viscera misericordiae Dei nostri visitavit nos Oriens ex alto! O quam metuendus est locus ille, in quo primum occurrit pater filio revertenti de regione dissimilitudinis, et accumbens super collum ejus stola gloriæ induit eum! O quam metuendus est locus ille, in quo dulcis et rectus Dominus vulneribus nostris vinum pariter infudit et oleum, in quo constituit nobiscum pactum fœderis pater misericordiarum, et Deus totius consolationis! Gratias tibi, **352** Domine, gratias tibi, quia bonum opus operatus es in medio terræ, in medio annorum legis et gratiæ notum faciens illud. Cum enim iratus fueris, misericordiae recordaberis. Ecce locus longe sacratior illo, in quo stetit Moyses, et longe nobilior: quia locus Domini, locus, inquam, illius est, qui venit per aquam et sanguinem; non in aqua

tantum, sicut Moyses, sed in aqua et in sanguine. Ecce locus, ubi posuerunt eum. Quis ascendet in montem Domini? aut quis statuit in loco sancto ejus? Solus iste ascendere debet, qui didicit a Domino Jesu Christo, esse mitis et humilis corde.

3. Humilis solus secure potest ascendere: quia humilitas non habet unde cadat. Superbus, etsi ascendat, stare tamen diu non potest, tanquam qui non supra pedes suos stare voluit, sed alienum sibi assumpsit pedem, illum scilicet, quem propheta abhorrens, dicit: *Non veniat mihi pes superbiæ (Psal. xxxv, 12).* Superbia enim non nisi unum pedem habet, propriæ amorem excellentiæ: et ideo superbus diu stare non potest, tanquam qui non nisi uni pedi inmititur. Quis enim staret in illo pede, in quo ceciderunt qui operati sunt iniquitatem, angelus in cælo, homo in paradiso? Si Deus naturalibus ramis non pepercit, homini, dico, quem gloria et honore coronavit, et constituit eum super omnia opera manuum suarum; et angelo, qui fuit initium viarum Dei, plenus sapientia, et perfectus decore: multo magis timendum est, ne forte nec mihi parcat superbienti, non jam in loco voluptatis, non in cæli palatio, sed in valle lacrymarum. Ut ergo secure stare valeas, sta in humilitate; sta, non in uno pede superbiæ, sed in pedibus humilitatis, ut non moveantur vestigia tua. Humilitas enim duos habet pedes; considerationem divinæ potentiae, et propriæ infirmitatis. O speciosi pedes, et firmi, nec tenebris ignorantiae involuti, nec lubrico luxuriæ inquinati! Tu ergo in alto positus, noli altum sapere, sed time, et humiliare sub potenti manu ejus qui superbiorum et sublimium colla propria solet virtute calcare. Novis Ecclesiam commissam tibi, non sicut ancillam domino, sed, ut ad principium epistolæ revertar, tanquam filio matrem, tanquam Mariam Joanni, ut et de te ad eam dici possit, *Mulier, ecce filius tuus;* et de ipsa ad te, *Ecce mater tua (Joan. xiv, 26, 27).* Ita enim securus esse poteris ingrediens et egrediens, et pergens ad imperium ejus, qui, etsi altus est, et in altis habitat, humilia tamen respicit in cælo et in terra.

#### EPISTOLA CCCXCIV (1025).

AD ARCHIEPISCOPUM LUGDUNENSEM.

D *Pro abbate Athanacensi apud Lugdunum.*

Lugdunensi archiepiscopo (1026), apostolicæ Sedis legato, BERNARDUS Claræ-Vallensis abbas, providere bona coram Deo et hominibus.

Si suavis opinio et odor bonus, quem de vobis habuit hactenus mater Ecclesia, in cujus horto germinastis sicut liliam, fuerit immutatus, non potero non dolere. Sicut cedrus in Libano exaltata est, sic estis hodie in Ecclesia Dei, amabilis, laudabilis, et charus omnibus. Magna sunt, quæ jam de vobis habemus, sed adhuc expectamus majora. Tene interim quod accepisti: non dabis famam tuam videre

(1025) Epistola nova.

(1026) Petro, qui Acconè in Palestina obiit, teste

Willelmo Tyrino in libro xv, cap. 45, et quidem anno 1139. De hoc Bernardus in epistolis 171 et 172.

corruptionem. Melius est enim nomen bonum, quam A  
divitiarum multarum. Quid fecisti de abbate Athanacensi  
(1027)? Jam judicatus est, jam damnatus est, jam  
depositus, et locum perdidit abbatis, et officium.  
Quod factum est de eo, factum est citius, tanquam  
in momento et in ictu oculi, sicut erit in resurre-  
ctione mortuorum. Confidenter loquor vobis, quia  
plenitudo amoris excludit timorem. Tamen quid  
peccavit homo? quid tandem mali fecit **353** homo,  
cui laus est in Ecclesia Dei? Quod scimus, loqui-  
mur, quia testimonium bonum habet, et ab his qui  
foris, et ab his qui intus sunt. Cæterum, cum adhuc  
ignoretur utrum penes eum culpa sit, nec canoni-  
cum subterfugit examen; sicut nobis videtur; vel  
stare debuit adhuc, vel cecidisse canonico iudicio  
de cætero. Quid igitur? nec sponte confessum, nec B  
aliis manifestum, vel ab his convictum damnastis!  
Sed dicitis mihi: Cum in causa esset, decidit a  
causa. Non enim potuit producere testes illos, quos  
ei scripseram. Bene; quia non steterunt pro eo qui  
stabant contra eum: tanquam eis diceretur, Aut  
contra vos stabitis, aut iste deponetur. Illos, inquam,  
habere non potuit; sed potuit habere alios, quorum  
testimonia non minus essent credibilia testimoniis  
illorum quos habere non potuit. Sed jam ex alio  
latere causam inspiciamus. Esto, reus est; in media  
causa defecit, et innocentia, et causa. Et ubi est  
illud, « Vitiatam causam licet relevare appellationis  
remedio? » Quod si appellentem noluit audire,  
attamen appellato deferri oportuit. Neque enim de-  
cet ut procedant de labiis vestris inconsiderata verba, C  
vel præcipitata iudicia. Non, inquam, principem  
Ecclesiæ decenti verba præcipitationis, præsertim  
illa, quæ non in tenebris, sed in lumine proferuntur.  
Dico vobis, multos cum illo læsistis, et multi in  
persecutione ejus dolebunt. Non faciam vobis ver-  
bum absconditum. Multorum precibus rogabar scri-  
bere pro eo ad apostolicam Sedem, quorum non  
est tutum preces contemnere. Sed quomodo fieri  
poterat, donec prius convenirem dominum meum, et  
charissimum meum Patrem? Convenimus igitur  
vos verbis pacificis, tanquam illum cujus honor sem-  
per fuit mihi curæ, ut sententiam illam intempesti-  
vam in locum suum revocetis, et homo ille restitua-  
tur in gradum pristinum, donec causa ejus cum ma-  
jori cautela examinetur. Hæc scribo vobis servus  
vester, præcipue pro vobis. Non enim contra vos,  
sed vobiscum stare volo, et pro vobis, apud Deum,  
et apud homines.

(1027) Athanacense monasterium Ordinis sancti  
Benedicti antiquum et illustre, Lugduni ad confluen-  
tes Rhodani et Araris.

(1028) Antea epistola 325.

(1029) Eidem tum abbati scripta est epistola 65.  
Episcopus fuit ab anno 1131 ad annum 1148, quo  
anno apud Philippopolim decessit octavo idus Octo-  
bres, ex Necrologio Sancti-Dionysii apud Remos.  
Ejus obitum memorat Ludovici Junioris epistola 22  
inter Sugerianas. Confer epistolam 339.

(1030) Quantum reatus contrahitur ex ipsa pro-  
fessione, si tantum ex sola vocatione, ut alibi etiam  
naset Bernardus in epistolis 107 et 108, qui item

## EPISTOLA CCCXCV (1028.)

AD ALVIVM ATREBATENSEM EPISCOPUM (1029).

*Non satis æquam ejus petitionem esse, ut Thomas de  
Sancio-Audomaro, qui se Claræ-Vallensibus devo-  
verat, dimittatur Bertinensibus, qui eum sibi ex  
voto parentum vindicare volebant.*

Venerabili patri et amico nostro ALVISO, Dei gratia  
Atrebatensi episcopo, frater BERNARDUS vocatus ab-  
bas, salutem et nostras qualescumque orationes.

1. Rogastis nos pro ecclesia Sancti-Bertini, quam  
et vos diligitis, et nos ipsi diligimus, et dileximus  
ab initio. Veruntamen quod nunc rogat venerabilis  
abbas ejusdem monasterii, utinam diligentius con-  
siderasset prudentia vestra, quale sit istud, non  
dicam facere, sed vel rogare. Neque enim dubito,  
quin redarguissetis eum, tanquam qui delinqueret  
graviter, et adversum nos amicos suos, et adversum  
ipsum, cujus animam quærit; imo et adversum  
Deum, cujus conatur immutare consilium. Quid  
enim, domine pater? id vobis persuaderi potuit, ut  
ab amico vestro tale aliquid peteretis? Vocat Deus  
Thomam de cælo, vocat ut exeat de terra sua, et  
de cognatione sua, et de domo patris sui, et veniat  
in locum quem ipse ei ostendit: ego quis sum qui  
prohibeam spiritum Dei, **354** qui debeam impedi-  
re eum, qui proprias oves vocat nomine proprio; et  
ipse ante eas vadit, ut alium non sequantur, sed  
ipsum? Thomas paupertatem elegit, ego eum ad  
divitias deliciasque remittam?

2. Nec ignoro, quin possint apud Sanctum-Berti-  
num fratres suam ipsorum operari salutem: sed  
quos illuc vocaverit Deus (1030), ut unusquisque in  
qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Scio, scio  
ubi legerim: *Nemo mittens manum suam ad aratrum,  
et respiciens retro, aptus est regno cælorum (Luc. ix,  
62)*. Quo nequaquam ego fraudare velim charissimum  
filium meum Thomam, et animam quæ mihi a Deo  
commissa est. Unde satis admiror, quonam modo  
subtripi potuerit tantæ discretioni, rem hujuscemodi  
postulare. Ego enim, quoniam de vestra, sicut scitis,  
dilectione præsumo, paulo minus respondeam, quod  
ait Dominus ad filios Zebedæi: *Nescitis quid petatis  
(Matth. xx, 22)*. Nisi quod cogitavi, non sic de  
charitate præsumendum, ut non etiam sacerdotali  
cathedræ deferretur.

3. Facite ergo morem vestrum: honorificate  
etiam in hac parte ministerium vestrum, et viriliter  
juvate etiam has Christi sponsas, ut eum ad quem  
vocantur sponsi thalamum, sine offensione, sine

Novitios ab Ordine deficientes inter apostatas censet  
sermone 63 in Cantica, n. 6. Si ad laxiorem statum  
citra apostasiæ crimen reflectere non licet, teste  
etiam Bernardo in Apologia ad Guillelmum, n. 30,  
licebitne in ipsa stricte viventium societate mollia et  
laxiora impune sectari, in scandalum fratrum, et  
recti ordinis detrimentum? Et tamen hæc est quo-  
rundam religio, qui in tuto omnia esse arbitrantur,  
si cæteris insuper habitis, substantialia servent:  
quasi sanctæ institutionis et recti ordinis violatio,  
non sit violatio professionis: et substantialia invio-  
lata esse possint, accidentariis cum animo cor-  
ruptis.

dilatione mereantur intrare. Agite, inquam, ut A amicus sponsi, qui stat et gaudio gaudet propter vocem sponsi : et sicut bene soletis juvare cæteros, sic juvate et istos, ut non solum non exstinguatis (quod absit) spiritum Dei, sed et coadjutorem ejus fidelem vos esse probetis. Hoc enim omnino certum sit Paternitati vestræ, quoniam meo consilio sive permissione mea nusquam declinabunt. Scio enim quoniam ipse peccarem, et eos peccare facerem, si quid eis aliud consulerem, aut concederem. Reddant ergo vota sua quæ distinxerunt labia sua. Alioquin viderint ipsi, quibus credant dicentibus : Ecce hic est Christus, ecce illic est. Quoniam oportebit eos mihi ante tribunal Christi super voto suo, cujus ego testis sum, respondere.

EPISTOLA CCCXCVI (1031).

AD RICUINUM EPISCOPUM TULLENSEM (1032).

*Excusat se apud eum, quod ejus professum Wilhel-  
mum ignorans susceperat.*

Venerabili RICUINO, Dei gratia Tullensi episcopo, frater BERNARDUS dictus de Clara-Valle, cum pusillo sibi grege commisso, sospitatem et pacem.

Gratias agimus salutis Auctori, quod digni habili sumus a vobis salutari. Veruntamen quantum nos salutatio lætificat, tantum illa, quam subjunxistis, obedientia gravat : licet tamen gravati, fecimus quod jussistis. Simul coram Deo, et vestra sanctitate, teste etiam ipso venerabili fratre Wilhelmo, nos excusamus, quod ignorantes vestrum esse professum recepimus. Si culpa est, quod ita a nobis receptus est ; ipsius, non nostra est. Post hanc nostram veram ac puram satisfactionem, mereamur vestram gratiam et benedictionem. Valete. Optamus vos tam plenum dierum, quam virtutum

(1031) Antea epistola 365.

(1032) Inscriptionem hanc restituit codex Corbeiensis, Bernardi ætate scriptus : in antehac editis legebatur, *Ad abbatem quemdam*. Nec conjectura tituli ievis erat, cum in contextu epistolæ agatur de professo ejus, ad quem Bernardus scribit, scilicet Wilhelmo, qui monachus erat forsitan Sancti-Apri aut Sancti-Mansueti. Sanctitatis compellatio, et sancti et reverendissimi Patris tituli episcopo rectius conveniunt, quam abbati. Ad Ricuinum item epistola 61.

(1033) Antea epistola 587.

(1034) Quem a secunda profectio ad loca sancta D dehortatur Goffridus Vindocinensis, epistola 21 libri quarti ad eum scripta, cujus etiam meminit epistola 26 libri secundi in qua de rapinis et sæculari violentia suo monasterio, injuriisque archiepiscopo Turonensi illatis apud Gaufridum Carnotensem adversus Majoris-Monasterii monachos graviter expostulat. Et tamen horum pietatem et religionem eo ipso tempore maxime commendat Ulgerius Andegavensis episcopus in quadam charta anni 1131 his verbis : « Ego Ulgerius episcopus Andegavensis, ecclesiæ Majoris-Monasterii, et fratribus meis Odoni venerabili abbati et monachis illius, quibus ferventiores in divino servitio alios me novisse non memini, dedi anno Incarnationis 1131 ecclesiam de Bessiaco et capellam de Belli Fortis, » etc. Et in alio instrumento : « Ego Ulgerius Andegavensis episcopus cum cognovissem sanctissimam ecclesiam Majoris-Monasterii nullum receptaculum suæ proprietatis in Andegavensi civitate habere, dedi viridarium juris

A tranquillo transitu mortem finire, sancte, et reverendissime pater.

355 EPISTOLA CCCXCVII (1033.)

AD ODONEM ABBATEM MAJORIS-MONASTERII PROPE  
TURONES (1034).

*Monachos, de quibusdam redivibus cum clericis  
contententes, arbitrorum sententiæ acquiescere  
debere.*

Reverendissimo patri et domino ODONI, Dei gratia abbati Majoris-Monasterii, sanctoque et in Christi charitate juncto conventui, Hugo Pontiniacensis et BERNARDUS Claræ-Vallensis, spiritu ambulare, et quærere semper non pigre faciæ Dei Jacob.

1. Charitas, fratres, nos admonet scribere ad vos et pro vobis, et quod longe a vobis absumus, sed B locis, non animis. Porro animos facile in eandem vestræ fraternitatis unanimitatem conflavit fragrans ubique odor suavissimus famosissimæ sanctitatis. Cæterum ab heri et nudinstertius modice intra nos turbatum dolemus tantæ serenitatis participium. Subito nempe oborto nubilo famæ subtristioris, haud dubium quin a faciæ aquilonis, operuit confusio facies nostras, quod de vobis tam insolitum, tam vestro nomini dissonum audiremus. Formidantes igitur jamjamque graviter periclitari et famam vestram, et nostram pro vobis gloriam, si non sermo, qui exiit velocius, evanuerit flatu secundior ; fraternam curamus sollicitudine his litteris vestram commonere Reverentiam de celeri correptione super malo, quod in dies divulgare non parcat fama volans. C Miramur sane aliquos vestrum (absit enim ut omnes suspicemur) tanta vel simplicitate deceptos, vel cupiditate cæcos, ut celeberrimo nomini non parentes, unius altaris pauculos redditus (1035) orbis gloriæ præferant. Non oportet, fratres, non oportet

episcopalis, quod habebam proprium in parochia Sancti-Stephani, non longe ab ecclesia ipsius, concedente Andegavensi capitulo. Non enim decebat, ut tam sanctum ac religiosum monasterium, quod hospitalitate insignissimum ubique plantationem habet, et præ cæteris prædicatur, in tam populosa urbe et tam vicina sibi hospitio carere. ... Regnante Ludovico rege Francorum, Gaufrido filio Fulconis regis Jerosolymitani, et Hugone archiepiscopo Turonensi. « Quin et Normannus Ulgerii successor in charta donationis ecclesiæ de Ver, anno Incarnationis 1152, Indict. 15, confecta, non inferius reddit amoris et honoris testimonium de monachis Majoris-Monasterii. « Quos, » inquit, « ob religionis sanctæ privilegium, quo specialiter pollent, et quia boni ædificatores et propagatores sui ordinis existunt, singulari amplector charitate. » Imo causam abbatis Majoris-Monasterii (Guillelmi videlicet non Odonis ejus successoris, qui hanc dignitatem iniit anno 1124 ad annum 1135) egregie tuetur Ivo Carnotensis epistola 108, ad Paschalem scripta adversus Rodulfi archiepiscopi Turonensis accusationes, quamvis postea epistola 234 ad promittendam metropolitano suo obedientiam Guillelmum cohortetur. Porro de simili decimarum litigatione, de qua hac in epistola agitur, vide inter alios Petri Venerabilis epistolam 28 libri tertii ubi hæc argumentum solide pertractat.

(1035) Altaria vocabant ecclesias parochiales cum decimis, qualia tunc temporis monasteriis conferri, etiam a sæcularibus, mos erat. Conter epistolam 575.



ullis æstimare temporalibus lucris testimonium, quod vobis ab antiquo, imo ab initio, ab his quoque qui foris sunt, conversationis merito conquistis. Sed forsitan dicitis: Nos nemini injuriam facimus. Tenemus nostra, parati, si quis ex adverso est, subire iudicium. Recte. Sed quid, si alius responderit et dixerit, *Hoc ipsum delictum est in vobis, quod causas habetis. Quare non magis fraudem patimini? (I Cor. vi, 7.)* Quid, si legerit et alius: *Si quis abstulerit tua, ne repetas: quinimo, percutienti in dextram maxillam, præbe et alteram; auferenti tuniceam, præbe et pallium? (Luc. vi, 29, 30.)*

2. Et hæc vobis, hisque similia objiceremus, nisi quod corrigere vos, quam confundere malimus. Hoc autem dicimus, tutius esse omni christiano, et maxime monacho, possidere quidpiam minus in pace, quam cum lite amplius. Sic quippe canitis: *Melius est modicum justo, super divitias peccatorum multas (Psal. xxxvi, 16)*. Quid, quod de altari contenditur, et hoc adversus filios Levi, id est adversus clericos? Clericorum est altari deservire, et de altario vivere. Nobis nostra professio et antiquorum monachorum exempla victum ex propriis præscribunt laboribus, et non ex sanctuario Dei. Huc accedit, quod eidem ecclesie, de qua præsens disceptatio est, clerici soli deserviunt, vosque cum illis partimini beneficium, cum quibus non exhibetis obsequium. Paulus clamat pro clericis, imo ante ipsum Moyses: *Non alligabis os bovi trituranti (Deut. xxv, 4)*; Item: *Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? Aut, Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat? (I Cor. ix, 9, 7.)* Vos autem per contrarium convenimus: Qua audacia, o monachi, præsumitis, seu vinum de vinea quam non plantastis, seu lac de grege quem non pascitis? Quo pacto ibi exigitis, ubi nihil exhibetis? Certe, si ita vultis, baptizate nascentes, sepelite morientes, visitate jacentes, copulate nubentes, instruite rudes, corripite delinquentes, excommunicate contemnentis, absolvite resipiscentes, reconciliate poenitentes: et in medio denique Ecclesie aperiat os suum monachus, cujus officium est sedere et tacere. Sic fortasse dignum se **356** probabit mercenarius mercede sua. Alioquin invidiosum admodum est, velle metere ubi non seminaveris; sed et colligere quod alius sparserit, etiam injuriosum.

3. Esto tamen: liceat et hoc ex dono episcopi, nec ulla jam reputetur injuria, cum canonica excusat investitura. Cæterum de pacto vestro quid facitis? Siquidem Canonicis reclamantibus et causantibus de injuria, placuisse tandem vobis, nisi fallimur, non negabitis causam vestram poni in manu Carnotensis episcopi, simul et comitis T. (1036) ut quidquid pari utriusque consensu pro lite dirimenda definiretur, utraque pars irrefragabiliter teneretis. Optime plane, et consultissime. Tales quippe electi sunt mediatores, de quorum satis non solum probata æquitate, sed et privata, ut bene novimus,

(1036) Theobaldi.

familiaritate confiditis. Quod igitur viri boni, et ipse amici vestri super reformanda pace concorditer, nec dubium quin et fideliter definierint, quare vos juxta conditum quod præcesserat non tenetis? An idcirco non fideliter egisse putantur, quia videtur nec æqua commutatio, quæstus utique majoris ad minorem? Sic prorsus videtur: sed quærenti quæ sua sunt, sed ei qui pluris æstimat nummos quam amicos, pecuniam quam justitiam, ac terrenam possessionem super fraternam dilectionem. Si de mundo fuissetis, et mundus quod suum erat diligere; tam non mirum, quam nec insolitum videretur: nunc vero filii lucis et pacis, luci tenebras, paci res præferunt temporales. Tales profecto deplorat prophetica lamentatio: *Et qui, inquit, nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora (Thren. iv, 5)*.

4. Merito, aiunt, nolumus tenere concordiam, in qua pars nostra gravari cognoscitur. Quid, si pars altera gravari videretur? Tunc prorsus, tunc æqua et justa concordia judicaretur. Verumtamen hoc ante pactum cautum esse debuit. Ubi enim non est lex, nec prævaricatio. Nunc autem lex pacti jam commodum non considerat, sed conditum. Quid ad hæc dicitis, qui contradicitis? qui, dum vos singitis consultores, proditis turbatores, tergiversatores, prævaricatores. Aut negate pactum, aut implete. Quid enim? an non negatis quidem conventionem, sed causamini circumventionem, culpamque refertis in episcopum, quasi non egerit simpliciter vobiscum; sed cum astu et dolo vos ceperit, et induxerit in eandem, cujus vos modo poenitet, pactionem? Dicere potestis: sed mirum cui persuadere; mirum si vos vel ita suspicari. Nequaquam, inquit; sed non debet stare quod absque nostro consilio factum est, hoc est sine assensu totius capituli. Quid? quod abbas statuerit cum consilio seniorum, stare non debet, si non omnes consenseritis? Itane in Regula vestra manifestam super hoc sententiam aut non attenditis, aut contemnitis? Mandat siquidem ut fratres ad consilium vocati, singuli sic respondeant quod senserint, quatenus defendere non præsumant quod responderint: sed abbas, auditis singulorum sententiis, quam potissimum ipse elegerit, ei omnes sine contradictione acquiescant (*Reg. S. Benedicti, cap. 5*).

Si ergo in quibuscumque disponendis præminet auctoritas abbatis, Regula item præscribente, quia in abbatis arbitrio pendet omnis ordinatio monasterii; patet quod inobedientes vos ac rebelles esse probatis, qui pactum quod abbas formavit, contra ejus voluntatem labefactare conamini. Nisi forte et ipse in corde et corde locutus est, ut quod palam per se ædificavit, clam per suos destruat; et sic prævaricatorem se quoque constituat. Quod quidem absit ut credamus: nam de optimo viro id tantum suspicari, pessimum est. Non nos sane latet scrupulus nonnullorum, qui plusquam oportet justis, nodum in scirpo quærebant, dum absque Simonia istiusmodi commutationes inter ecclesias posse fieri

non putarent. Sed de hoc, ut arbitramur, vobis antique curiosius sciscitantibus, catholicorum et eruditorum virorum responsionibus satisfactum est: **357** aut si quo minus; in promptu est etiam nunc ex auctoritate canonum affirmare, quod fas sit de rebus ecclesiasticis fieri permutationes, prout ecclesiis videbitur expedire. Hæc adversus illos, qui se de his quorum sua nihil interest præsumptuosius intromittentes, semper parati sunt injuriam concitare (1037).

EPISTOLA CCCXCVIII (1038).

AD GUIDONEM ABBATEM ET FRATRES ARREMARENSES.

*Rogatus ab Arremarensibus, ut Officium de sancto Victore ipsorum patrono componat, tenuitatem suam et operis difficultatem præterdit, exponens qualia esse oportet quæ publice adhibentur divino cultui: cantus quoque ecclesiastici leges describit.*

Venerabili GUIDONI abbati Arremarensi (1039), et sanctis qui cum eo sunt fratribus, BERNARDUS servus Sanctitatis eorum, servire Domino in sanctitate.

1. Petis, charissime mihi Guido abbas, et tecum pariter qui tecum sunt fratres, dictare me aliqua vobis legenda solemniter, vel canenda in festiuitate sancti Victoris, cujus apud vos corpus sacratissimum requiescit. Cunctanti instas, dissimulantes urges; meam, etsi justam, verecundiam dissimulans. Ipse adhibes mihi et alios precatores, quasi sit aliquid, ad inclinandum me tuæ voluntati, tua ipsa voluntate cogentius [*al. convenientius*]. Verum

1037) Codex Vedastinus sic epistolam concludit: *Semper parati sunt concitare injuriam aliis, invidiam suis. Vobis autem, Pater, consulimus uti consilio meliorum, nec abduci scandalo priscorum ad prævaricandum pactum labiorum vestrorum; ne, dum paucorum malorum scandalum declinatis, bonis omnibus, quod absit, scandalo-sitis.* MARTENE.

(1038) Antea epistola 312.

(1039) Arremarensis monasterium, diocesis Trecentensis, ordinis sancti Benedicti, patronum habet sanctum Victorem confessorem, cujus Acta ex Bernardo habes in tomo 3. Ejus loci monachus fuit Nicolaus Bernardi notarius, de quo supra in epistola 298.

(1040) Perquam eleganter ista Bernardus, ideoque debite ponderanda. Si locus et propositum patere, verba Bernardi illustranda essent, et aliorum sanctorum Patrum sententiis munienda, aut certe ostendendum, quæ illorum de cantu Ecclesiæ et divinis officiis idoneo mens fuisset. Sed quia severior et rigidior forte disciplina fuit, quam præsentis sæculi mores et ingenia ferant; libet audire virum prorsus pium et religiosum, ac de rebus ad pietatis ac virtutis cultum spectantibus pridem eleganter florideque disserentem. « Hic pace, » inquit, « vestra dixerim, o musici; nunc templis cantandi genus dominatur novum, sed exorbitans, concisum, saltatorium, et parum profecto religiosum, theatro aut choreis convenientius, quam templo. Artificium quærimus, et perdimus priscum præcandi ac cantandi studium: curiositati consulimus, sed revera negligimus pietatem. Quid enim novitia hæc et tripudians cantandi ratio, nisi comœdia est, in qua cantores velut actores sunt, quorum modo unus prodit, modo duo, modo simul prodeunt omnes, et modulatis vocibus colloquuntur: mox iterum vivus triumphat solus, cæteris brevi secuturis? » Et infra: Fuerunt ævo superiore præ-

tu, vel proprio judicio consulens, cogitare debueras, non affectum erga me tuum, sed meum in Ecclesia locum. Sane altitudo negotii non amicum desiderat, sed eruditum, sed dignum: cujus auctoritas potior, vita sanctior, stilus maturior et opus illustret, et consonet sanctitati.

2. Quantulus ego in populo christiano, cujus litteræ in ecclesiis lectitentur? aut quantula mihi ingeni eloquii facultas, ut à me potissimum festiva et plausibilia requirantur? Quid? quem cœli habent laudabilem et laudatum, ego de novo laudare incipio super terram? Supernis velle addere laudibus, detrudere est. Non quod glorificatos ab angelis, homines jam laudare non audeant: sed quia in solemnitate celebri [*al. solemn*], non novella audiri debeat vel levia, sed certe authentica et antiqua, quæ et Ecclesiam ædificent, et ecclesiasticam redolent gravitatem. Quod si nova audire libet, et causa requirit; ea, ut dixi, recipienda censuerim, quæ cordibus audientium, quo gratiora, eò utiliora reddat et eloquii dignitas, et auctoris. Porro sensa indubitata resplendeant veritate, sonent justitiam, humilitatem suadeant, doceant æquitatem: quæ etiam lumen veritatis mentibus pariant, formam moribus, crucem vitiis, affectibus devotionem, sensibus disciplinam. Cantus ipse, si fuerit, plenus sit gravitate (1040); nec lasciviam resonet, nec rusticitatem. Sic suavis, ut non sit levis; sic mulceat aures, ut moveat corda. Tristitiam leveat, iram ni-

stantissimi musici, sed revera, vel vobis testibus, aliter et (liceat dicere) religiosius cecinerunt. Sed eorum libros musicos vestrum jam fastidium pridem sepelivit. Reviviscat, obsecro, saltem aliquid priscae religiositatis in sacra musica, quod si cordi est et curæ divinus honor, hoc agite, viri, hoc laborate, ut quæ cantantur verba, simul etiam intelligantur. Quid mihi varius in templo sonus, quid multiplex concentus, si desit ei nucleus, si sensum et verba, quæ concentu sunt instillanda, percipere nequeam? Ita Hieronymus Drexelius in Rhetoricæ cœlestis libro 1, cap. 5. Sed age, liberemus religiosum recentis memoriæ virum ab invidia, quam illi forte apud musicos nostros hujusmodi censura creat: aut saltem consortes illi demus, quibuscumque uti grandioribus, facilius, sustineat odium, infaustum veritatis partum. Et ecce occurrit e Bernardi nostri schola, qui pari cum magistro suo sensu spiriūque musices abusum acriter perstringit. Aelredus, inquam, abbas Rievallis in Anglia, cujus pleraque tomo quinto Operum Bernardi habes. Ille ergo Speculi Charitatis libro 11, cap. 2, ita loquitur. « Ad quid illa vocis contractio et infractio? Illic succinit, ille discinit: alter supercinit, alter medias quasdam notas dividit et incidit. Nunc vox stringitur, nunc frangitur, nunc impingitur, nunc diffusiori sonitu dilatatur. Aliquando, quod pudet dicere, in equinos hinnitus cogitur, aliquando virili vigore deposito, in femineæ vocis gracilitate acuiur, nonnunquam artificiosa quadam circumvolutione torquetur et retorquetur. Videas aliquando hominem aperto pro, quasi intercluso halitu expirare, non cantare, ac ridiculosa quadam vocis interceptione, quasi mimitari silentium, nunc agones morientium, vel extasim patientium imitari. Interim histrionicis quibusdam gestibus totum corpus agitur, torquentur labia, rotant oculi, ludunt humeri, et ad singulas quasque notas digitorum flexus resonant. Et hæc ridiculosa dis-

tiget; sensum litteræ non evacuet, sed fecundet. Non est levis jactura gratiæ spiritualis, levitate cantus abduci a sensuum utilitate, et plus sinuandis intendere vocibus, quam insinuandis rebus.

3. En qualia oportet esse quæ in audientiam Ecclesiæ veniunt, qualeinve horum auctorem. Numquid talis ego, aut talia quæ paravi? Et tamen de paupertate **358** mea, te pulsante, te inquietante, et si non quia amicus es, certe ob tuam importunitatem surgens, juxta verbum Domini, præstiti quod petisti (*Luc. xi, 8*). Præstiti dico, non quod tibi ad votum, sed quod mihi ad manum venire potuit, pro posse utique meo, non pro velle tuo. Servata tamen antiquorum veritate scriptorum, quæ tu mihi transmisseras, de vitæ Sancti duos Sermones dictavi (1041) qualicumque sermone meo: illud quantum potui cavens, ut nec brevitatis obscuros, nec prolixitas redderet onerosos. Deinde, quod ad cantum spectat, hymnum composui, metri negligens, ut sensui non deessem. Responsoria duodecim, cum antiphonis viginti septem suis in locis disposui, addito responsorio uno, quod prioribus Vesperis assignavi; itemque duobus aliis brevibus ipso die festo pro vestra regulari consuetudine, uno ad Laudes, altero ad Vesperas decantandis. Et pro his omnibus mercedem flagito, sequor retributionem. Quidni sequar?

solutio vocatur religio, et ubi hæc frequentius agitantur, ibi Deo honorabilius serviri clamatur! Stans interea vulgus sonitum folium, strepitum cymbalorum, harmoniam fistularum tremens attonitusque miratur, sed lascivas cantantium gesticulationes, meretricias vocum alternationes et infractiones, non sine cachinno risuque intuetur: ut eos non ad oratorium, sed ad theatrum, nec ad orandum, sed ad spectandum æstimes convenisse. Nec timetur illa tremenda majestas, cui assistitur; nec defertur mystico illi præsepio, cui ministratur: ubi Christus mystice pannis involvitur, ubi sacratissimus ejus sanguis calice libatur, ubi aperiuntur cæli, assistunt angeli, ubi terrena cœlestibus junguntur, ac angelis homines sociantur. Sic quod Sancti Patres instituerunt, ut infirmi excitarentur ad affectum pietatis, in usum assumitur illicitæ voluptatis. Non enim sensui præferendus est sonus, sed sonus cum sensu, ad incitamentum majoris affectus, plerumque admittendus. Ideoque talis debet esse sonus, tam moderatus, tam gravis, ut non totum animum ad sui rapiat oblectationem, sed sensui majorem relinquat portionem. Ait nempe B. Augustinus, Confession. lib. 10, cap. 35: Movetur animus ad affectum pietatis, cantico audito: sed si magis sonum, quam sensum, libido audiendi desideret, improbatur. Et alias: Cum me, inquit, magis cantus, quam verba delectant, pœnaliter me peccasse confiteor, et matrem non audire cantantem. Ita Aelredus. Verum colophonem imponat summus Ecclesiæ Præsul, Joannes XXII, et quid de hujusmodi musica sentiat, imo quid sanciat, audiamus: « Dulcis omnino sonus in ore psallentium resonat, cum Deum corde suscipiunt, dum loquuntur verbis: in ipsum quoque cantibus devotionem accendunt. Inde etenim in ecclesiis Dei psalmodia cantanda præcipitur, ut fidelium devotio excitetur: in hoc nocturnum diurnumque officium, et Missarum celebritates assidue clero ac populo sub maturo tenore, distinctaque gradatione cantantur: ut eadem distinctione collibeant, et maturitate defectent. Sed nonnulli novellæ scholæ discipuli, dum temporibus mensuranis invigilant,

A Sive placeant, sive non; mea non refert, qui habui, dedi. Ergo merces mea, oratio vestra.

### EPISTOLA CCCXCIX (1042).

AD LELBERTUM ABBATEM SANCTI-MICHAELIS (1043).

*Monachum quemdam a perverso peregrinationis proposito dehortatus, remittit ad suum monasterium.*

Patri et amico suo LELBERTO, Sancti-Michaelis abbati, frater BERNARDUS, eorum, qui in Clara-Valle sunt, servorum Dei inutilis servus, debitum dilectionis affectum.

Hic filius vester peregrinationem, quam, etsi vestra licentia susceperat, nostro consilio deserens, ad vos reversus est. Cum enim cognovissemus, viam illam et eum requisisse per levitatem, et vos ob illius improbitatem annuisse; dure, ut dignus erat, increpatum reverti persuasimus, suæ siquidem, quantum conjicere potuimus, levitatis et improbitatis pœnitentem, ac de cætero emendationem pollicentem: rectius judicantes, quantumlibet reum in suo monasterio monachum pœnitentiam agere, quam foris vagando provincias circumire. Neque enim terrenam, sed cœlestem requirere Jerusalem, monachorum propositum est; et hoc non pedibus proficiscendo, sed affectibus proficiendo. Vos autem, pater, non molestam habeatis ejus reversionem, etsi

novis notis intendunt: fingere suas, quam antiquas cantare malunt: in semibreves et minimas ecclesiastica cantantur, notulis percutiuntur. Nam melodias hoquetis intersecant, discantibus lubricant, triplis et motetis vulgaribus nonnunquam inculcant, adeo ut interdum antiphonarii et gradualis fundamenta despiciant; ignorent super quo ædificant; tonos nesciant, quos non discernunt, imo confundunt: cum ex earum multitudine notarum ascensiones pudicæ, descensionesque temperatæ, plani cantus, quibus toni ipsi secernuntur, ad invicem obfuscentur. Currunt enim, et non quiescunt, aures inebriant, et non medentur: gestibus simulant, quod depromunt, quibus devotio quærenda contemnitur, vitanda lascivia propalatur. Non enim, inquit, frustra ipse Boetius, lascivus animus, vel lascivioribus delectatur modis, vel eosdem sæpe audiens, emollitur et frangitur. Hæc ideo dudum nos et fratres nostri correctione indigere percipimus: hoc relegare imo prorsus abjicere, et ab eadem Ecclesia Dei profligare efficacius properamus, etc. Ita Joan. XXII, Extrav. com. lib. 3. tit. de Vita et hon. cleric., cap. un., ubi etiam subjungit qualem ve-it esse musicam et cantum, qui Ecclesiam Dei deceat.

(1041) Habentur tomo III cum officio sancti.

(1042) Antea epistola 519.

(1043) Multa sunt in Galliis cœnobîa Sancti-Michaelis: nempe in Monte-Tumba seu in Periculo maris, ad Mosam, Tornodofi in Burgundia, in Eremo apud Pictones, et in Terascia. Hujus abbas videtur fuisse Lelbertus: sive is sit Elbertus, qui Fusniaci locum Bar. hofemaro Laudunensi episcopo concessit ad construendum Cisterciensium cœnobium, anno 1121; sive Gislebertus ejus successor, in chartario notatus anno 1130, alter sui sæculi Plato dictus apud Hermannum Laudunensem monachum in libro tertio de Miraculis S. Mariæ, cap. 19. Simone Sancti-Nicolai abbate (de quo supra in epistola 83) defuncto, ad Sanctum-Nicolaum, unde assumptus fuerat, revocatus. Leoni abbati ejus successoris Innocentius II diploma largitur anno 1138.

suspectam habeatis ejus conversationem : quin potius gaudete, quia hic filius vester mortuus fuerat, et revixit; perierat, et inventus est (*Luc. xv, 52*) (1044).

EPISTOLA CD (1045).

AD ABBATEM LÆTIENSEM.

*Fratrem Robertum recipi, et benignius tractari, ac statutum abbatis sibi renuntiari cupit.*

Venerabili patri Lætiensi (1046) monasterii, ac filiis ejus, frater BERNARDUS, servorum Dei, qui in Clara-Valle sunt, inutilis servus, servire Domino in timore, et exultare ei cum tremore.

Remisimus vobis fratrem Robertum, primum pro eo et cum eo precantes, ut clementius cum ipso **359** agatur in recipiendo, quam cum cæteris solet fugitivis revertentibus. Non enim par esse debet pœna, ubi dispar est causa. Deinde ut ab obedientia (1047), in qua cum periculo (ut ipse dicit) animæ suæ diu invitus detentus est, amoveatur; et ad aliam, in qua securius et salubrius vivat, transferatur. Alioquin, quantum intentionem hominis attendo, timeo ne illum irrevocabiliter amittatis. Cæterum autem audivimus dominum abbatem graviter infirmari: cujus nobis vel vitam, vel mortem flagitamus citius renuntiari, ut aut de vita, licet mortali, recipiamus gaudium; aut de morte, licet vitali, luctum; sive, ut verius fatear, de qualibet et gaudium simul et luctum. De vita quidem ipsi condolentes [*al. de vita utique ipsi condolentes*], quod sit retardatus; sed nobis gaudentes, quibus est reservatus: de morte vero ipsi nimirum congratulantes pro adepto præmio, nobis autem gementes pro adempto necessario.

EPISTOLA CDI (1048).

AD ABBATEM BALDUINUM DE CASTELLIONE.

*Timorem ei eximit, ex imprudenti cujusdam verbonatum.*

Et in hoc cognovi quod diligis nos, quoniam timuisti nos. Veruntamen gaude, quia timor, quem timebas, non accidit nobis. Diligenter est res inqui-

(1044) Iisdem omnino verbis utitur Hildebertus in epistola 25, quæ est ejusdem cum ista argumenti. Confer sententiam Theodemiri abbatis in Opusculo Jonæ Aurelianensis episcopi contra Claudium Taurinensem de peregrinationibus monachorum.

(1045) Antea epistola 326.

(1046) Codices nonnulli habent *Lesciensis*, quod cœnobium est Ordinis S. Benedicti in finibus Hannoniæ et Terasciæ, sacrarum litterarum studiis tunc non incelebre, teste Philippo de Eleemosyna in epistola 24, Bibliothecæ Cisterciensis tomo 5, religione et institutis Ludovici Blossii, piissimi abbatis illustre: quod Theodericus de Avesniis a fundamentis instauravit sub annum 1080, ut scribit Herimannus in Spicilegii tomo 12, pag. 415. Gunterô primo abbati post annos regiminis duodecim successit Reinerus, mortuus anno 1124. Hunc excepit Wedricus religiosissimus abbas, qui bibliothecam et viros ex Hannonia pios et doctos acquisivit. Anno 1147 successorem habuit Tescelinum: cui successit anno 1153 Helgotus ex monacho Lâtiniacensi. An ad Wedricum spectet hæc epistola, aliorum esto judicium. — Hæc epistola in vetusto codice Sancti-Martini Tornacensis talem præfert inscriptionem: *Epistola Bernardi ad Werricum* (pro quo nomine facile legitur *Wedricum*) *Letiensem abbatem* cujus hactenus nomen ignotum

sita, quemadmodum monuisti, et inventus est dolus in ore ejus qui ista dixit tibi. Unum e duobus nullatenus dubites, hominem videlicet aut ex malignitate, aut ex suspicione locutum. Procul dubio convertetur dolor ejus in caput ejus, et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet. Reus est enim illius rei, quam alteri conatur impingere

EPISTOLA CDII (1049).

AD BALDUINUM NOVIOMENSEM EPISCOPUM (1050).

*Puerum ei facete commendat.*

Domino BALDUINO Noviomensi episcopo, frater BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, melius quam meruit.

Mitto vobis puerum istum præsentium latorem, comedere panem vestrum, ut probem de avaritia vestra, utrum cum tristitia id feceritis. Nolite lugere, nolite flere: parvum ventrem habet, paucis contentus erit. Gratiam tamen vobis habemus, si doctior a vobis, quam pinguior recesserit. Maneries (1051) locutionis pro sigillo sit, quia ad manum non erat, nam neque Gaufridus vester.

EPISTOLA CDIII (1052).

AD HENRICUM ARCHIDIACONUM (1053).

*An valeat Baptismus hac verborum forma collatus, « Baptizo te in nomine Dei, et sanctæ et veræ crucis. »*

Dilecto suo HENRICO archidiacono, frater BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, salutem et orationes.

1. Breviter vobis de proposita quæstione respondemus, sine præjudicio tamen sanius sapientis. Raptum ex utero puerum ob periculum mortis laicus quidam, ut dicitis, baptizavit, communem verborum formam non tenens, sed dicens: « Baptizo te in nomine Dei, et sanctæ et veræ crucis. » Quæritis, utrumnam baptizatus sit puer; an magis, si vivit, baptizandus (1054)? Ego vere hunc baptizatum puto: nec sonum vocis, veritati fidei et pietati intentionis

fuit. MARTENE.

(1047) Obedientia, Cellæ, Prioratus, seu villa, cui procurandæ bini aut terni, pluresve monachi destinari solebant. Cellulæ vocantur in epistola 254, n. 1.

(1048) Antea epistola 358.

(1049) Antea epistola 359.

(1050) Epistola capituli Noviomensis de ejus electione habetur ordine 44 inter Sugerianas: ubi plures Balduini jam episcopi litteræ de Compendiensi ecclesia referuntur, nempe 157, 158, et 162. Ex priori Sugeriana epistola 44 constat, Balduinum hunc ipsum esse abbatem de Castellione, ad quem Bernardi epistola 279, et quæ nunc est 401. Idem subscribit epistolæ 426, hinc in appendice.

(1051) Id est modus, Gallice *manière*.

(1052) Antea epistola 340.

(1053) Henricus Ludovici Junioris frater, per id tempus erat archidiaconus Aurelianensis, ex Chartario Sancti-Martini de Campis.

(1054) Interrogatus Bernardus (si tamen ejus est hæc epistola, nam plerique negant, quod tamen non facile dixerim. *Hæc Horstius. Mabillonius autem sic*: Epistola hæc dubia nonnullis videtur. Reperitur tamen in vetustis editionibus, Lugdunensi anni 1520 aliisque subsequentibus, et in manuscripto codice

præjudicare potuisse. Ut enim taceam, quod in nomine Dei unam expressit substantiam **360** Trinitatis; in eo ipso quod addidit, « sanctæ et veræ crucis, » manifeste commendavit Dominicam passionem. Nisi forte putamus Apostolum contra id quod quidem alio loco dixerat, *qui gloriatur, in Domino gloriatur* (I Cor. i, 31, et II Cor. x, 17); in ipsa ligni substantia, et non magis in Crucifixi gratia gloriari, cum diceret: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (Galat. vi, 14). Neque enim, cum juxta communem Ecclesiæ constitutionem baptizantes dicimus, « In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, » aliud intelligendum est, quam in confessione Trinitatis. Porro autem confessio sanctæ crucis, non nisi Crucifixi confessio est. Legimus sane in Actibus apostolorum, non modo: « In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, » verum et in nomine Domini Jesu Christi aliquos baptizatos (Act. x, 48).

2. Pergitis autem quærere de ipso baptizatore, utrumnam peccaverit, an vero et aliis formam hanc liceat imitari. Quasi vero consequens sit, ut, si in facto hominis ipsa eum videtur excusare simplicitas, ut aut nullum, aut non magnum peccatum fuerit; continuo etiam inveniantur excusabiles, qui sua temeritate, contra formam Ecclesiæ, novum baptizandi vellent inducere morem. Quod si quis eum peccasse contendit, ego tantum non crediderim fuisse peccatum, ut vel baptizatoris, vel ipsius qui baptizatus est, potuerit præjudicare salutem. Neque enim ecclesiasticam contempsisse formam, sed ex devotione quadam festinantis fidei in hanc vocem erupisse videtur.

#### EPISTOLA CDIV (1055).

AD ALBERTUM INCLUSUM.

*Consultit ei semel in die refici, et mulierculas prorsus non admittere.*

Frater BERNARDUS de Clara-Valle, fratri ALBERTO incluso, bonum certamen certare.

Petis a me, ut nescio quam jejunii observantiam, quam a me intra tuam cellam requisieras, ac muliercularum colloquia, quæ et tibi videlicet a me recordari fuisse prohibita, mea licentia possis admittere: quæ utique propter inopiam, ut scribis, non potes evitare. Ego jam nullam super te usurpo mihi pote-

Sorbonico: nec stilus differt a Bernardino), interrogatus, inquam, an baptismus sub hac verborum forma collatus valeret, « Baptizo te in nomine Dei, et sanctæ crucis; » respondit affirmative, non omnino spernenda ductus ratione. Sed hæc sententia hodie non recipitur a theologis, et traditione apostolica, et aliorum Patrum, ipsiusque S. Augustini auctoritate refellitur; ac docent passim omnes, expressam invocationem sanctissimæ Trinitatis, sive distinctam trium personarum expressionem, esse de essentia formæ; adeoque Baptismum sine hac collatum esse invalidum. Ita habet Canon 49 apostol. qui locum Matth. xxvii, velut interpretans de forma verborum, rejicit Baptismum in morte Domini collatum, ita subjiciens: « Non enim dixit nobis Dominus, in morte mea baptizate; sed, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* » S. Augustini sententia clarissima est libro sexto contra Donatistas, cap. 25, certa esse

A statem. Consilium tibi dedi, non præceptum, semper vel semel in die comedere; feminarum visitationes vel colloquia omnino non admittere; tuarum te opere manuum sustentare, multaque alia, quæ longum est modo commemorare. Quod si hujusmodi sumptus nequaquam tibi ad opus tam sumptuosum suppetere cerneres, non deberes incipere quod consummare non posses. Hoc tibi tutum credidi consilium: hoc nec meo cogaris tenere præcepto, nec tamen meo mutabis consilio. Vale.

#### EPISTOLA CDV (1056).

AD G. ABBATEM.

*Fratri cuidam ad vivendum more communitatis sat virium esse.*

B Domino G. abbati, frater BERNARDUS, quidquid sibi.

Scito fratrem G. ex quo venit de Crista, ubi medicamina sumpsit, Conventum per omnia, tanquam unum de validioribus, firmissime tenuisse, nec ei quidquam in alimentis præter quod commune fuit, indultum fuisse; ad vigiliis jugiter cum aliis existisse. Ex hoc jam, si aliter apud vos egerit, non ei consentiatur. Certum enim sit vobis, non esse corporis ægrotudinem, sed animæ passionem. Vale.

#### 361 EPISTOLA CDVI (1057).

AD ABBATEM SANCTI-NICOLAI.

Dulcissimo amico et coabbati suo de Sancto-Nicolao (1058), frater BERNARDUS de Clara-Valle, spiritum pietatis.

C Hostis Christi diabolus fecit morem suum, seducendo christianum; nos quoque, ad quos forte devenit, nihilominus, prout potuimus, fecimus nostrum, corrigendo seductum. Restat itaque, ut et vos, quod vestrum est, faciatis, suscipiendo correctum; et sic omnes in communi speremus, Deum etiam quandoque quod suum est facturum, redditurum scilicet unicuique secundum opera sua.

#### EPISTOLA CDVII (1059).

AD ODNEM ABBATEM BELLI-LOCI.

*Monet depositum pauperi sine dilatione reddendum.*

Fratri et amico suo Odoni, abbati regularium clericorum Belli-Loci, frater BERNARDUS, monasterii Clara-Vallis dispensator indignus, salutem.

D verba evangelica, sine quibus non potest consecrari Baptismus. Idem habet epistola 23 ad Bonifacium. Estque similis locus libri decimi noni contra Faustum, cap. 16. Quæ sint autem illa verba evangelica, exponit contra Donatistas, libro 3, cap. 15: « Si, » inquit, « evangelicis verbis, *In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Marcion Baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum. » Vide eundem libro tertio contra Maximinum, cap. 17; epistola 20; et Enarrationes in psalmum lxxxvi. Hinc et Cajetani sententia sufficere Baptismum in nomine Christi collatum, exploditur.

(1055) Antea epistola 545.

(1056) Antea epistola 346.

(1057) Epistola nova.

(1058) Haud dubie Simoni abbati monasterii Sancti-Nicolai in silva Vedogii, ad quem epistolæ 83 et 84.

(1059) Antea epistola 348.

Depositum nujus hominis, quod, ut ipse ait, apud vos servandum commisit; nec bonum est vobis, nec honorificum quod detinetis, si tamen detinetis (1060). Hinc enim deplanctum (1061) ad me facere venit, ulique propter familiarem specialemque amicitiam, quam inter me et vos esse audivit. De qua etiam ipse præsumens, ad reverentiam vobis dico, quare non potius calicem de altari vendidistis, quo tam importunum clamorem reprimeretis, si hos vel equus non erat vobis qui venundari posset, ut is quod suum erat, reciperet? Parcite, quæso, personæ vestræ, parcite hono nomini domus vestræ, parcite sacræ, quæ nunc est, Quadragesimæ; et pauperi, quod sine excusatione debetur, sine dilatione reddatur, antequam res amplius divulgetur, et jam non sine majori dedecore persolvatur.

## EPISTOLA CDVIII (1062).

AD W. ABBATEM TRECENSEM (1063).

*Clericum delicatum sæculo valedicentem abbati Trecentensi commendat, veritus rigori Claræ-Vallensium impari fore.*

Amico et conservo suo domino W. abbati canonicorum (1064) clericorum Trecensium, frater BERNARDUS ecclesiæ Claræ-Vallis servus inutilis, salutem in Domino.

Clericum istum relinquente sæculum, nobiscum manere cupientem, ad vestrum potius Ordinem, timens ne nostri difficultate frangeretur, confugere persuasi. Commendamus ergo vobis eum, utpote nobis bene cognitum, et honeste morigeratum, et in litteris eruditum; postremo tanquam Dei servum, quem per Dei gratiam credo vobis futurum fidum solatium. Neque enim ipsum tam propter se, quam propter vos, quem diligimus sicut nos, ad vos ire volumus: quem propter vitæ suæ meritum libenter

(1060) De restituendo deposito exstat in Bibliothecæ Cisterciensis tomo I, pag. 241, egregia epistola Philippi abbatis ab Eleemosyna, ordine tertiâ; ad Henricum comitem palatinum.

(1061) Deplangere, multum plangere; deplanctus, querelæ multæ.

(1062) Antea epistola 349.

(1063) Guillelmum abbatem Sancti Martini Trecentis Ordinis Sancti Augustini.

(1064) Hic adjective « canonici » appellantur clerici, eodem sensu quo in superiori epistola Præmonstratenses dicuntur regulares clerici.

(1065) Antea epistola 350.

(1066) Rorgo de Abbatis-Villa, quæ urbs est ad Somenam fluvium, in veteri Breviario Corbeiensis Bibliothecæ, ante annos quingentos scripto, laudatur cum uxore sua Elizabeth pridie Idus Augusti, ut fundator loci ad quem primo pertinuit breviarium, nempe Prioratus Sancti-Petri apud Abbatis-Villam.

(1066\*) Alciacum, monasterium Ordinis sancti Benedicti, diocesis tunc Tervanensis, nunc Audomarensis, fundatum in Morinis ad Quantiam fluvium sub annum 700, primo pro sanctimonialibus, quibus successerunt monachi ab instauratione post Nortmannos.

(1067) Antea epistola 366.

(1068) Is a Ludovico Grosso abbatis Sancti-Victoris fundatore abbas constitutus est anno 1113, Guillelmo Campellensi, qui locum ordinare cœperat, ad sedem Catalensem evecto, ut dictum est ad epistolam 5. De Sancto-Victore, præter ea quæ

retineremus, nisi esset illa causa, quod clericum delicatum, laboris inexpertem, suscipere formidamus. Vale.

## 362 EPISTOLA CDIX (1065).

AD RORGONEM DE ABBATIS-VILLA (1066).

*Monet corpoream præsentiam non magni pendendam: rogat terram quamdam incultam religiosi attribui.*

Viro illustri, etiam nobis quoque dilecto, RORGONI de Abbatis-Villa, BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, salutem et nostras orationes.

Perlatum est ad nos, quod gratum tibi esset, si præsentiae et colloqui nostri copiam habere valeres; et hoc ideo, quia unum de servis Altissimi me esse credit tua benignitas. Et ego dico tibi, quod pro hac tua humilitate, et pro bona tuæ nobilitatis fama, quam audivimus, mihi quoque iucunda foret tua præsentia. Sed licet hoc in nos humanæ pietatis bonum laudabile sit, non tamen perfectum. Nam hæc corporalis quidem est visio, et brevis, et nobis cum cæteris animantibus communis. Magis ergo ad illam æternæ societatis jucundissimam visionem suspirare debemus, et bonis operibus insistere, ut ad illam perveniamus. Rogamus tuam Dilectionem, ut terram illam, quæ tui juris est in parœcia de Currenni, de qua dilectus et familiaris noster abbas de Alchi (1066\*) tecum locutus est, et quæ deserta et inculta tibi, tuisque antecessoribus usque nunc inutilis fuit, ecclesiæ de Alchi in eleemosynam concedere digneris: quatenus et animæ tuæ, et animabus antecessorum et successorum tuorum, apud Deum hoc tuum proficiat beneficium.

## EPISTOLA CDX (1067).

AD GILDUINUM ABBATEM SANCTI-VICTORIS (1068).

P. Lombardum commendat.

Reverendis patribus et dominis, et amicis charis-

Chesnius refert in notis ad Abælardum, sic loquitur Albericus in Chronico ad annum 1129: « Domus Sancti-Victoris Parisiensis, quæ erat Prioria nigrorum monachorum de Massilia, ejectis prædictis monachis, adductus est conventus Regularium de Sancto Rufo de Valentia per magistrum Hugonem, qui dictus est Sancto-Victore, et de regis auctoritate: et ita multiplicata religione habet Ordo iste bene triginta abbatias, et plus quam octoginta priorias. » Eximia sunt quæ de isto Sancti-Victoris Ordine narrat Jacobus a Vitriaco, Historiæ Occidentalis capite 24, de quo inter alia: « Hæc siquidem, » inquit, « sancta et omni acceptione digna militantium in castris Domini congregatio, refugium est pauperum, consolatio lugentium, fulcimentum et quasi basis debilium, recreatio lassorum, relevatio lapsorum, portus tranquilissimus scholarum.... Multis a principio Parisiensibus magistris, viris litteratis et honestis, velut stellis fulgentibus illustrata, et quasi margaritis pretiosis decorata. Inter quos nominatissimus et præcipuus existit citharista Domini, organum Spiritus sancti, magister Hngo de Sancto-Victore dictus. » Ea propter S. Bernardus speciali semper amore domum istam complexus est, cujus rei evidens nobis suppeditat argumentum concessio sequens, ipso agente facta, ut testatur autographum in Sancti-Victoris Cartophylacio etiamnum asservatum, cujus exemplum eruditus et amicissimus D. Tonnelerius Bibliothecæ præfectus mihi communicavit. Vide infra inter chartas Bernardi.

simis, G. Dei gratia venerabili abbati Sancti-Victoris Parisiensis, et universo conventui sancto, frater BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, salutem et nostras qualescunque orationes.

Necesse habemus multa requirere, quia multa requiruntur a nobis: nec amicis possumus parcere, quia ab aliis amicis non parcitur. Dominus Lucensis episcopus, pater et amicus noster, commendavit mihi virum venerabilem P. Lombardum (1069), rogans ut ei parvo tempore, quo moraretur in Francia causa studii, per amicos nostros victui necessaria providerem: quod effeci, quandiu Remis moratus est. Nunc commorantem Parisius vestræ dilectioni commendo, quia de vobis amplius præsumo: rogans ut placeat vobis providere ei in cibo per breve tempus, quod facturus est hic usque ad Nativitatem beatæ virginis Mariæ. Vale.

### 363 EPISTOLA CDXI (1070).

AD THOMAM BEVERLACENSEM PRÆPOSITUM (1071)

*Suavissima sane et melliflua epistola, qua Thomam invitavit ad vitam religiosam, peccatis etiam quibuscunque non obstantibus. Bonæ conscientie nihil præferri posse in hoc mundo.*

Bonæ spei juveni THOMÆ, venerabili Beverlaciensi præposito, frater BERNARDUS, pauperum Christi de Clara-Valle servus, secundum nomen, apostolicæ hæreditatis omen.

1. Ut ad te ignotus scriberem, is qui te noverat Ivo suggestit, charitas persuasit. Ille sibi liquido comperta de te nobis retulit quæ voluit: illa quæ omnia credit (*I Cor. xiii, 7*), audire non potuit otiose. Non, inquam, otiose, quantum quidem ad nos, quos profecto audito illo mox compulit ad scribendum tibi, ad te exhortandum, ad orandum pro te. An vero tibi non infructuose, tu videris. Placent, fateor, quæ audivimus de te ab his qui te noverunt; non quidem generositas sanguinis, non corporis elegantia, non formæ decus, non rerum copia, vel fastigia dignitatum: hæc siquidem et his similia gloria carnis sunt, et flos feni: sed vivacitas ingenii, et morum ingenuitas, maximeque is, quem nuper te aiunt inter divitias concepisse, sanctæ paupertatis amor. Unde et nos gratulantes admodum, bonam de te spem concepimus, quæ utinam non confundat. Utinam nostrum hoc gaudium cito perveniat usque ad Angelos qui de tua pœnitentia et conversione, sicut et de cæteris peccatoribus, jucundum expectant festivumque convivium. Florem tuæ juventutis, et tantæ indolis specimen, o si mihi in manibus venire contingat! si liceat Deo servare immodicum [*f. imminutum*], illibatum offerre in odorem suavitatis!

2. Sed forte me sero locutum tua responderit conscientia, quod jam non valeat illibata servari, quam multis te fortasse sentis maculasse crimini-

(1069) Petrus, a theologicis libris sententiarum Magister dictus, a patria hic Lombardus, ex Bononiensi academia in Galliam æcedens, commendatus Bernardo est ab episcopo Lucensi, Uberto an Gregorio (ad quem epistola tertia Nicolai Claræ-Vallen-

bus. Non me sane terret hoc, et peccator non horreo peccatorem: nec ægrum sperno, cum ipse me sentiam ægrotare. Sed etsi me sanum putas, non recuso infirmus infirmo fieri, ut infirmum lucrificiam; libenter audiens et in hoc Pauli consilium, qui ait: *Vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis; considerans teipsum, ne et tu tenteris* (*Galat. vi, 1*). Nec reputo immanitatem morbi, cogitans peritiam medici, simul et pietatem sæpe mihi expertam in propriis magnisque languoribus. Quantislibet sordeas vitiis, quantumvis scædam geras conscientiam, horrendisque licet sceleribus tuam adolescentiam sentias inquinatam; etsi inveteratus dierum malorum computrueris tanquam jumentum in stercore suo: mundaberis sine dubio, et super nivem dealbaberis, renovabiturque ut aquilæ juvenus tua. Scio denique qui ait: *Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia* (*Rom. v, 20*). Bonus Medicus, qui sanat omnes infirmitates animæ, replens in bonis desideria ejus (*Psal. cii, 5, 5*).

3. Magnæ divitiæ bona conscientia. Et revera quid ditius in rebus, vel dulcius? quid in terra quietius atque securius? Bona conscientia damna rerum non metuit, non verborum contumelias, non corporis cruciatus: quippe quæ et morte ipsa magis erigitur, quam dejicitur. Quid, quæso, in bonis terræ tantæ compares felicitati? quid tale mundus blandiens suis offerat amatoribus? quid simile vel mentiens polliceatur insipientibus? Si infinita prædia, si ampla palatia, si infulas pontificales, et sceptræ regnorum; nonne, ut cætera taceam discrimina, sine quibus talia nec acquiruntur, nec retinentur, una superveniente morte simul omnia dimittuntur? Scriptum namque est, *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis* (*Psal. lxxv, 6*). At vero bona bonæ conscientie revirescunt, in laboribus non arescunt, nec in morte evanescent, sed refflorescent: lætificant viventem, morientem consolantur, resciunt mortuum, nec deficient in æternum. Sed quid moror in verbis, cum modo sim verba factis implere paratus? In promptu certe tibi est, aut me probare mendacem aut te divitem. Tantum veni, et experire. Quam lætis gressibus occurremus cum panibus fugienti, quam lætis amplexibus excipiemus filium adolescentiorem? Cito proferetur stola prima, et dabitur annulus in digito, diceturque: *Hic filius meus mortuus fuit, et resurrexit; periit, et inventus est* (*Luc. xv, 24, 32*).

### EPISTOLA CDXII (1072).

AD T. ADOLESCENTEM QUI VITAM MONASTICAM VOVERAT.

Dilectissimo filio suo T. BERNARDUS Claræ-Valle-nsis abbas, exire obviam sponse et sponsæ.

sis, in persona Bernardi), et per Bernardum Gilduino et canonicis Sancti-Victoris.

(1070) Antea epistola 373.

(1071) Vide epistolam 167, ad eundem.

(1072) Epistola nova.

1. Ut verbis tibi familiaribus loquar: homo est animal rationale, mortale. Aliud nobis gratia Creatoris, aliud nobis intulit meritum peccatoris. In uno sumus consortes angelicæ nobilitatis, in altero bestialis infirmitatis. Utrumque tamen debet excitare nos, et elevare ad quærendum Dominum, et timor mortis, et dignitas rationis. Memor esto verbi tui, in quo mihi spem dedisti. Fructum promissionis requiro, tempus requisitionis advenit: noli ibi trepidare timore, ubi non est timor. Non onus est, sed honor, servire Domino in lætitia. Inducias tibi dare non possum: nihil enim certius morte, nihil hora mortis incertius. Sed quid dicemus de tenera ætate tua? Poma sæpe ante maturitatem avelluntur de arboribus, vel manu, vel turbine. Quid de specie et pulchritudine tua?

*O formose puer, nimium ne crede colori:*

*Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.*

(VIRGILIUS, *Bucolicon*, egl. II, vers. 17, 18.)

Exi, exi cum Joseph de domo Pharaonis; et Ægyptiæ dominæ, id est gloriæ sæculari, [pallium relinque. Exi de terra, et de cognatione tua; obliviscere populum tuum, et domum patris tui; et concupiscet Rex decorem tuum. Puer Jesus non invenitur inter affines et notos. Egredere de domo patris tui in occursum ejus: quia ipse egressus est propter te de domo Patris sui. A summo cælo egressio ejus. Merito invenit illum mulier, quæ a fluibus suis egressa clamabat, dicens: *Miserere mei, Fili David*. Ille autem, quoniam diffusa est gratia in labiis suis, cito respondit ei: *O mulier, magna est fides tua! fiat tibi, sicut petisti* (Matth. xv, 22, 28).

2. Satanus Satanam potest ejicere: sed Spiritus veritatis nunquid erit sibi contrarius? Ipsum credo fuisse, qui de conversione tua mecum per os tuum loquebatur. Vide ergo ut non declines ad dexteram, vel ad sinistram: sed venias in Claram-Vallem secundum verbum tuum. Hoc tibi breviter et secreto scripsi, mandans per dilectum filium nostrum Girardum, amicum tuum. Nihil excusationis prætendas. Si studium est in causa, si adhuc doceri vis, et esse sub magistro: Magister adest, et vocat te, ille scilicet, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ absconditi. Ipse est, qui docet hominem scientiam, qui linguas infantium facit disertas, qui aperit, et nemo claudit; claudit, et nemo aperit.

EPISTOLA CDXIII (1073).

AD RAINALDUM ABBATEM (1074).

*Novitium in proposito confirmatum benigne recipi postulat.*

Domino abbati RAINALDO, frater BERNARDUS, quidquid sibi cupit gratiæ spiritualis.

Laudo prudentiam, qua monachum propter novitium tristare timuistis: sed magis approbo humilitatem, qua factam vobis injuriam, et tam grandem injuriam, tam patienter tulistis: incomparabiliter

(1073) Antea epistola 389.

(1074) Fusniacensem, ut puto, ad quem epistola

A autem præfero charitatem, qua calamum quassatum non patiendo conteri, nostrum expetere consilium ei suadere curastis. O prudens humilitas, humilisque charitas, sic parcens monacho injurianti, ut non deesset novitio fluctuanti! Quantum ergo potui confirmatum, et omnia, quantum reor, de quibus notatus est, emendare **365** paratum, ad vos enim remitto, tam probatæ vestræ benignitati consulens, et, si necesse est, supplicans, ut recipiatur, ut tamen prædictum fratrem, cui et litteras proinde precatorias misi, a sua priori, si fieri potest, sententia flectat. Valete.

EPISTOLA CDXIV (1075).

AD ALARDUM MONACHUM.

*Unde supra. — Perstringit eum, quod prædicto novitio expulso, ac jam reditum atque emendationem molienti, pertinacius obsistat.*

Dilecto filio SUO ALARDO, frater BERNARDUS, paternæ dilectionis affectum.

1. Conqueritur frater Adamarus [al. Ademarus], quod ei nimis amarus exstiteris: non solum quia te agente domo expulsus sit, sed quia te quoque prohibente reconciliari non possit. Et ego quidem non nisi bono zelo te id facere crediderim: sed cum recordor tuæ illius obstinationis, quam tibi amicissima, ut scis, fiducia soleo sæpe improperare; vereor, ne idem zelus tuus non sit secundum scientiam. Nam ut ipsa Regulæ verba ponam, quantæ audaciæ est quemquam cedere, aut excommunicare, nedum eliminare, abbate scilicet absente et nesciente? (Reg. S. Benedicti, cap. 70.) An non magis tuæ humilitatis erat, alii non facere quod tibi nolles fieri? Imo tuæ perfectionis esse debuerat Apostolum potius imitari dicentem, *Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem* (I Cor. ix, 22); et rursum: *Vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis; considerans te ipsum, ne et tu tenteris?* (Galat. vi, 1.) At Prior, inquit, illum ejecit, non ego. Et hoc quidem ipse novi: sed te suadente, te omnimodis compellente. Unde et nunc cum eum, sicut audivi, ipse quoque Prior miseratus cupiat revocare; te in tua perdurante duritia, non sinitur emendare, quod compulsus est indiscretus egisse. Rogo, quæ est hæc securitas, ut, cæteris omnibus miserantibus, ipso quoque domino abbate propitio, tu solus implacabilis flecti non queas ut recipiatur? An non legisti, *Judicium sine misericordia ei qui non fecit misericordiam?* (Jac. ii, 13.) An oblitus es quod rursum scriptum est, *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis?* (Matth. vii, 2.) An vero contemnitis quod misericordibus promissum est, *Quoniam ipsi misericordiam consequentur?* (Matth. v, 7.)

2. Sed nescis, inquit, quam juste expulsus sit. Sed juste, an injuste expulsus sit, non quæro, nec curo modo: sed hoc tantum queror, hoc causor, hoc vehementer admiror, quod humiliter satisfaciens,

72 et sequentes.

(1075) Antea epistola 528.



instanter petens, patienter sustinens, emendationem promittens, nec sic quidem exaudiri meretur, ut juxta Apostolum confirmetur in eo charitas (II Cor. 11, 8), et secundum magistrum nostrum probetur iterum in omni patientia (Reg. S. Benedicti, cap. 58). Certe si injuste expulsus fuit, justum est ut revocetur: si juste, pium est ut recipiatur. Unde et hoc nostrum consilium, licet indiscussa causa, arbitratus sum esse securum, quo sit, ut sive per justitiam, sive per misericordiam a justo et misericorde Deo non recedatur. Rogo ergo te, dilectissime fili, ut quod ille suis apud te precibus non meruit, vel nostris, quas tam longe quæsit, valeat adipisci.

#### EPISTOLA CDXV (1076).

AD QUEMDAM PACTI SUI PRÆVARICATOREM.

*Hortatur ut, excusso voluptatis carnalis jugo, promissum religionis votum exsequatur.*

Etsi tu oblitus tui, sed non ego: siquidem diligo te, et quantum diligo, tantum doleo. Porro dilectio facit ut doleam: dolor autem, ut non obliviscar. Sed heu! miseram tristemque memoriam! Mirabar quid te impediret, ut, quemadmodum promiseras, non venire. Nec enim credere poteram, te tuum pactum, et illud pactum, leviter prævaricari, nisi grandi ex causa: quippe quem et in ætate minori fidelem satis veracemque compereram. Nec me fefellit opinio. Revera **366** enim grandis gravisque causa est quæ te detinet. Ea siquidem ipsa vicit fortissimum David, decepit sapientissimum Salomonem. Quid dicam? Numquid qui cadit, non adjiciet ut resurgat? O quam multa et quam necessaria habeo tibi dicere! sed ea scribere longum est. Hoc ergo breviter intimo. Si qua nostri antiqui-amoris adhuc in te scintilla vivit; si tibi quandoque evadendi a miserrima illa captivitate tua spes ulla remansit; si denique cassam falsamve non vis esse fiduciam, quam te in tali quoque conversatione tua multam habere ajunt in orationibus et amicitia nostræ congregationis; revisere Claram-Vallẽm ne differas: si tamen tam liber et compos tui es, ut te a cruenta illa bestia, quæ tua quotidie omnia simul cum sanguine animæ tuæ effundere satagit, vel ad tempus audeas absentare. Alioquin ex hoc jam noveris te a nostræ fraternitatis familiaritate prorsus sepositum, nec poteris ultra, nisi frustra, blandiri de societate bonorum: quoniam indignum profecto te judicas eorum consortio, quorum acquiescere recusas consilio. Cæterum si venire non pigritaris, confido te per Dei misericordiam, priusquam discedas a nobis, solvendum a mortis compede quo teneris.

#### EPISTOLA CDXVI (1077).

AD INCOGNITUM.

*Elemosynas comitis Theobaldi a se non fuisse distributas asserit.*

Mordaces litteræ, quas more vestro dudum nobis misistis, morsum vos cordis pati significant. Nam

(1076) Antea epistola 393.

(1077) Epistola nova.

A primo quidem, cum vos putarem in eis non serio loqui, sed nobis, ut soleis, voluisse joculari; forte a partibus vestris adveniens monachus aliquis, inanis nostræ illius opinionis nebulam solvit. Siquidem cum de litteris illis nihil ante cognosceret, præter ea, quæ de ore nostro audierat; ipsas aliter, sed veraciter, licet nesciens, exposuit, ita ut jam minime sinamur dubitare, male vos revera suspicari de nobis, quasi qui in distributione elemosynarum comitis Campaniæ (1078), amicis nostris absentibus amici non existeremus. Et hoc vos patimini, quia rem in manu nostra positam fuisse creditis. Verum qui prædictum comitem vel se, vel sua putat moderari nostro consilio; certus sum quia aut me, aut illum non satis novit. Denique et probatum est. B Nonnullis namque monasteriis, sed et ipsi specialiter episcopo, de quo me, ne de vobis aperte loqueremur, tam aspere tetigistis; importune satis et impudenter rogitans, ut aliquid daret, impetrare non merui. Distribuit itaque homo de rebus ipse suis, quantum voluit, et quibus voluit; partim quidem me vidente, sed non dividente; plurimum vero nec vidente, non tamen invidente. Nam et nobis forsitan aliqua extorquere potuissemus, si voluissemus. Deo autem gratias, quo inspirante nec oblata contingere acquievimus. Jam si dignum ducitis, mihi potius de me, quam famæ esse erendum; nulla vobis, ut arbitror, occasio remanet, cur vestris illis solitis beneficiis, quæ nobis impropere esse putastis, solito indigniores vel nec, vel episcopum judicetis. Scitote tamen paratos nos æquanimiter carere, quidquid habere non meruimus.

#### EPISTOLA CDXVII (1079).

AD ABBATEM DE TRUNCO-BERENGARII

*Fratrem Dodonem ab eo humane recipi postulat.*

Dilectissimo fratri et coabbati suo G. de Trunco-Berengarii, frater BERNARDUS de Clara-Valle, salutem in Domino.

Unde frater Dodo nostram simplicitatem consultum venit, tale a nobis consilium, imo iudicium reportavit. Cum nullam idoneam causam attulerit, cur locum suum et Ordinem deserere velit; nulla **367** nobis visa est ratio permittere, quod ad alium transire debeat. Nam votum illud, quod se prius fecisse dicit, de quo et maxime sui scrupuli occasionem sumpsit; cum sola cogitatione, aut plus etiam verbo, sed hoc solo facto fuisse constat; nequaquam huic præponendum, cui utique, posterius licet, tamen et verbo, et deliberatione, et habitu, et professione sese astrinxisse videtur: præsertim cum illud, quod voverat, nec districtius esse videatur isto, nec rectius. Quapropter nec vobis, qui pro ejus anima Christo reddere rationem habetis, tutum esse credimus, in hoc ei vestram indulgere licentiam, cum scriptum sit: *Declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus*

(1078) Scilicet Theobaldi.

(1079) Epistola nova.

*iniquitatem* (*Psal.* cxxiv, 5). *Suscipite ergo eum* A  
dulciter ut filium, custodite sollicitè ut vobis commis-  
sum, vestris, ni fallor, ex hoc jam obsecutorum  
præceptis, et consiliis obtemperatorum.

EPISTOLA CDXVIII (1080).

AD HUGONEM ARCHIEPISCOPUM ROTOMAGENSEM.

*Donationem Saviniaco factam confirmari ab archi-*  
*episcopo rogat.*

Domino et patri dilectissimo HUGONI, Dei gratia  
Rotomagensi archiepiscopo, et universæ Ecclesiæ  
Rotomagensi, frater BERNARDUS, Claræ-Vallis voca-  
tus abbas, salutem et quas potest orationes in Do-  
mino.

Scire volumus benignitatem vestram et certum  
perhibemus testimonium veritati, quod dominus  
Philippus Bajocensis episcopus (1081) culturam, ante B  
grangiam de Escuris sitam, et quatuor acras terræ  
continentem, filiis vestris fratribus nostris Savi-  
niacensibus concessit nostra prece, et in præsentia  
nostra, simul et reverendi patris Domini Henrici,  
modo Eboracensis archiepiscopi, et domini Guidonis  
abbatis Chari-Loci, et aliorum fratrum nostrorum.  
Quocirca petimus et obnixè deprecamur charissi-  
mam in Domino Pietatem vestram, quatenus præfa-  
tis filiis vestris, ne forte super eadem terra dein-  
ceps inquietentur, paterna sollicitudine et paterno  
provideatis affectu. Si quis autem vel nunc vel alio  
tempore aliquam eis de cultura ista seu movere  
calumniam, seu violentiam inferre voluerit; sit ve-  
stræ charitatis opponere vos murum pro domo quæ C  
vestra est, et vindicare ei jus suum, ut sine in-  
quietatione illud possideat: siquidem hæc est veri-  
tas et certa veritas quam vobis scribimus.

EPISTOLA CDXIX (1082).

AD PETRUM ABBATEM CELLENSEM.

*Furnum Cellensibus dimittit.*

PETRO, Dei gratia venerabili abbati Sancti-Petri  
de Cella. frater BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus  
abbas, salutem et quas potest orationes in Do-  
mino.

Concedimus et confirmamus vobis et domui vestræ  
furnum apud Treças positum, qui erat domus  
nostræ de Mores. Quia enim fratres nostri ejus-  
modi redditus tenere non possunt; per manum no-  
stram qui eundem furnum ædificant, acceptis  
quadraginta quatuor libris quas in ædificationem  
ipsius expenderant, vobis et domui vestræ libere  
obtinendum tradiderunt: quod nos ratum haberi  
volumus, et sigilli nostri impressione firmamus.  
Testes sunt fratres domus vestræ, Petrus prior,  
Jocelinus subprior, Stephanus præpositus; Walche-  
rus quoque et Rainaudus cellerarii nostri, et Fro-  
mundus qui locum ædificabat. Actum anno ab In-  
carnatione Domini 1152.

EPISTOLA CDXX (1083).

(Fragmentum.)

AD NICOLAUM CAMERACENSEM EPISCOPUM.

Venerabili domino et charissimo Patri N. (1084)  
Cameracensi episcopo BERNARDUS Claræ-Vallis  
vocatus abbas, providere bona coram Deo et homi-  
nibus.

In amicitia veteri novum quærimus argumentum,  
non quod dubietatem tollat, sed quod certitudinem  
faciat. Certus sum enim quod me diligitis; sed  
sicut ipsa dilectio vestra nobis apud nos innotuit.  
(1085).

## MONITUM IN SEQUENTES TRIGINTA SEX EPISTOLAS

Sub num. CDXXI-CDLV inter genuinas, CDLXI inter spurias,

Quas primus, sed sine temporis nota, edidit dominus MARTENIUS *Amplissimæ Collectionis*  
tomo I, col. 725, (1086).

*Ex epistolis quas hoc tomo plurimas edidimus, hæc maximi sunt pretii quæ Bernardum habent parentem  
hactenus ineditæ (1087), cum propter sancti doctoris excellentiam, tum propter earum quas tractant re-  
rum gravitatem. Singulas hic expendere nec propositi nostri est, nec otii, quanquam in his nulla est quam  
diligenter accurateque legi non maximopere intersit. Unam tantum aut alteram perstringemus, quæ ad illu-  
strandam sancti abbatis historiam maxime videntur conducere, earumque occasione quædam de eodem sancto  
hactenus minus nota discutiemus. Consideranda in primis venit epistola 11, ad Innocentium papam II, de  
contentione Philippi et Hugonis pro Ecclesia Turonensi. Nimirum mortuo Hildeberto archiepiscopo anno 1134,*

(1080) Epistola nova, ex Archivo Saviniacensi. D-Camerac. — Huc usque sine numerali nota edita  
Scripta circa annum 1152. cum titulo: *Fragmentum epistolæ.*

(1081) Is erat Philippus Harcurius, qui cum de  
terra de Escuris Saviniaco, data anno 1124 a Ro-  
berto de Tostis, et a Richardo I et Richardo II Ba-  
jocensibus episcopis, a quibus beneficiario jure pen-  
debat, confirmata aliquandiu cum monachis disce-  
plasset; eadem demum et ipse confirmavit litteris  
suis anno 1151, mense novembris, additis quatuor  
acris terræ.

(1082) Epistola nova, ex chartario Cellensi. Scri-  
pta anno Christi 1152.

(1083) Epistola nova, ex ms. codice S. Sepulcri

(1084) Nicolas de Chievres, de quo epistola 214.  
(1085) Cætera desunt, nec alibi usquam occur-  
runt.

(1086) Epistolas 421-454 codex Vedastinus, Atre-  
bat., sequentem ms. Aquicinctensis, ultimam, quæ in  
Appendice inter spurias est ordine prima, Verdinen-  
sis codex suppeditavit. EDIT.

(1087) Nonnullæ tamen exstant supra, sed aliis  
inscriptæ; scilicet epist. 428, 430, 444, 452, 455,  
quæ cum editis sub num. 591, 516, 417, 86, 413,  
paucis mutatis, eadem sunt. EDIT.

Decembris die decima octava, cum canonici Gaufridi comitis violentia e propriis expulsis sedibus exsulerent, vacantique Ecclesie providere deberent, quidam contra sacrorum scita canonum Philippum quemdam elegerunt, Gisleberti ante Hildebertum archiepiscopi nepotem, et, ut ait S. Bernardus (Epist. 150), ejus ambitionis heredem. E contrario Hugo vir prudens et nobilis a saniori parte eorundem clericorum canonicè eligitur, » uti legimus in Actis episcoporum Cenomanensium (Analect. tom. III). Re ad Innocentium papam delata, utriusque electionem designatis iudicibus examinandam commisit, atque ut libris ambarum partium utrimque rationum momenti, decretorio iudicio pronuntiarent quis legitimus futurus esset antistes, facultatem attribuit. Hos inter iudices videtur principem locum tenuisse sanctus Bernardus qui de tota iudicii serie Innocentium II certiore fecit, scripta ad eum epistola 11, a nobis primum hoc tomo edita qua multa discimus, hactenus ignota, quæ historiam archiepiscoporum Turonensium et Vitam S. Bernardi mire illustrant.

Paucis post annis Eugenius papa III S. Bernardi olim discipulus celeberrimam illam controversiam, quæ ab ducentis jam et amplius annis, de primatu seu jure metropolitano Turonensem inter et Dolensem ecclesias movebatur, sancto abbati commisit æqua placidaque compositione dirimendam. Apostolicum mandatum ut exsequeretur Bernardus, una cum Gaufrido notario ac Nivardo fratre suo, ad destinatum accessit locum, examinatis utriusque partis rationibus, pacis amans faventem Dolensibus protulit sententiam. Cujus tenorem hactenus ignoramus: at Turonenses quibus antea causam adjudicaverant summi pontifices, Nicolaus I, Joannes VIII, Joannes XIII, Leo IX, Gregorius VII, Urbanus II, et novissime Lucius II, qui Hugonem Turonensem archiepiscopum de Dolensi, Briocensi et Trécorensi episcopatibus investiverat per baculum ligneum, hactenus in ecclesia Turonensi conservatum, prolata a S. Bernardo sententiæ stare detrectarunt. Hæc discimus ex Anastasii papæ IV epistola ad Turonensem archiepiscopum, a nobis primum edita tom. III Anecdotorum, pag. 897, in qua sic loquitur: « Dolensis Ecclesiæ gemitus felicitatis memorie papa Eugenius prædecessor noster consideratione motus, sanctæ recordationis Bernardo quondam Claræ-Vallis abbati per sua scripta mandavit, ut ad componendam pacem inter te et Dolensem ecclesiam laboraret, et juxta datam sibi desuper sapientiam, agitatam hinc inde longo tempore controversiam fraternam charitate sopiret. Quoniam igitur a parte tuâ et illius Ecclesiæ de servando quod ipse inter vos constitueret, securitate accepta, idem abbas inter vos, præsentibus dilectis filiis nostris G. monacho et Nivardo fratre ipsius abbatis, quod vidit expedire constituit, per præsentia scripta fraternitati tuæ mandamus, quatenus a rigore voluntatis tuæ descendas, considerans quia charitas non quæ sua, sed quæ aliorum sunt quærit compositionem ipsam observes. » Idem testatur Innocentius III in decretoria sententia adversus Dolenses, a nobis edita ibidem pag. 945. De pertinacia Turonensium conquesti sunt Dolenses, et ipsi similem in reatum prolapsi, factæ ab abbate de Fontanis de consensu partium compositioni stare recusantes.

Docent Vitæ S. Bernardi scriptores sanctissimum abbatem revertentis in Italiam Innocentii II comitem fuisse: at vero ad Casinense monasterium eundem accessisse nusquam tradunt. Tamen non solum accessisse, sed et in capitulo sermonem habuisse, cum solemni iudicio depositus est Raynaldus abbas, ejusque in locum subrogatus abbas Stabulensis Wibaldus, qui paulo ante vitandæ tantæ dignitatis causa Casino declinaverat, discimus ex Petri Diaconi Chronico Casinensi, in quo lib. IV, cap. 122, hæc habet: « Sequenti autem die iterum ad monasterium ascendentes in capitulo resederunt, in quo post peractum ab abbate Claræ-Vallensi sermonem, cardinales auctoritate apostolica eidem Raynaldo Casinensem abbatiam interdixerunt, » etc.

Et in loco primum Wibaldo abbati innotuisse potuit S. Bernardus, quem etiam postea in Germania prædicantem audiit ac demiratus est, unde et in epistola 147, ad Monegoldum scholæ magistrum, eundem Bernardum tanquam egregium Christiani oratoris exemplum proponit his verbis: « Est tamen interdum in Ecclesia quædam rerum opportunitas, in qua dicendi artificium irreprehensibiliter exercetur, et maxime in prædicandi officio, in cujus gratiæ principatu meo quidem iudicio ponitur vir nostrorum temporum valde illustris Bernardus Clarevallensis abbas. Oratorem non immerito dixerim, qui a rhetoribus definitur vir bonus dicendi peritus (1088). Si quidem vir ille bonus, longo eremi squallore et jejuniis ac pallore confectus, et in quamdam spiritualis formæ tenuitatem redactus, prius persuadet visus quam auditus. Optima ei a Deo concessa est natura, eruditio summa, industria incomparabilis, exercitium ingens, pronuntiatio aperta, gestus corporis ad omnem dicendi modum accommodatus. Non igitur mirum, si potenti tantarum rerum virtute excitat dormientes, imò, ut plus dicam, mortuos, et Domino cooperante et sermonem confirmante, alterat homines et ad jugum Dei trahit captivos qui fuerant in curribus Pharaonis. Hunc tu vere dixisses eloquentem, qui non destruit opere, quod prædicat ore, qui non est intus Nero, foris Cato. Quem si videas, doceris; si audias, instrueris; si sequere, profeceris. »

Cum igitur ea fuerit in Bernardo eloquendi vis et gratia, laudquaquam mirum videri debet, si tanto cum fructu ubique, sed maxime in Germania concionatus fecerit, Domino præsertim cooperante, ac sermonem confirmante sequentibus signis. Miracula hæc in Germania a S. Bernardo quotidie patrata scriptis consignarunt discipuli ejus, testes oculati; sed juvat hic ea referre quæ de his scribit Helmodus in Chronico Sclavorum, cap. 59, hoc modo: « Circa tempora dierum illorum ortæ sunt res novæ et toti orbi stupendæ. Præsidente enim sanctissimo papa Eugenio, Conrado quoque III gubernacula regni moderante, claruit Bernardus Claræ-Vallensis abbas, cujus fama tantæ signorum fuit opinione celebris, ut de toto orbe conflueret ad eum populorum frequentia, cupientium videre, quæ per eum fierent mirabilia. Hic itaque ingressus in Teutonicam terram, venit ad celebrem curiam Franckenvord, quo tunc rex Conradus cum omni principum frequentia festinus occurrerat. Cum ergo vir sanctus in ecclesiis positus, curandis ægrotis in nomine Domini propensius instaret, astante rege et summis potestatibus, incertum erat inter tantas populorum catervas, quid quis pateretur, aut cui forte subveniretur. Aderat illic comes noster Adolfus certius nosse cupiens ex operatione divina virtutem viri. Inter hæc offertur ei puer cæcus et claudus, cujus debilitatis nulla potuit esse dubitatio. Cæpit ergo vir sagacissimus intentare solerter, si forte posset in hoc puero sanctitatis ejus experimentum capere. Cujus incredulitati, veluti divinitus edoctus vir Dei, remedium providens, puerum præter morem jussit sibi applicari, cæteros enim verbo tantum consignavit. Hunc vero exhibitum manibus excepit, oculisque morosa contractione visum restituit. Deinde genua contracta corripiens, jussit illum currere ad gradus, manifesta dans indicia recuperati tam visus quam gressus. »

Epistola 23, S. Bernardus quemdam dehortatur monachum qui ad aliud transire monasterium aiebat, ejusque propositum improbat omnino. Et quidem ea fuit semper et constans sanctissimi doctoris sententia, monachum in regulari monasterio stabilitum, quocumque prætextu, ad aliud transmigrare monasterium non debere. Id præsertim docet in libro De præcepto et dispensatione, capite 16, ubi monachum per majoris perfectionis

(1088) Sit ergo nobis orator quem institimus, is qui a M. Catone definitur, vir bonus dicendi peritus. QUINTIL. lib. XII. cap. 1.

speciem e Cluniacensibus ad Cistercienses eosque districtiori disciplinæ addictos transire meditantem a suo consilio avertere conatur. Id si observasset Nicolaus Arremarensis monachus nunquam in illam præcipitii abyssum ruisset, quam prohi exhorruere omnes. Is absente, Bernardo, a Rualeno priore admissus apud Claræ-Vallē, cum esset ingenii facilis, at sibi parum constantis, seque in aliorum animos insinueret, ac litteras pro tempore apprime calleret, brevi post firmatam in Clara-Valle stabilitatem, S. Bernardi factus est notarius, quo in munere sanctissimi abbatis sui indulgentia ac facilitate abusus, sigillum ejus in malos usus adulteravit, commissis turpibus quibusdam, ac demum in horrendam prolapsas est defectionem; sed tandem post varios hinc inde discursus, ad suos mortuo S. Bernardo reversus est Arremarenses, ubi tunc sibi tuto ac securo esse liceret. Omnia hæc quidem observat fusiussque describit Mabillonius in limine sermonum S. Bernardi, ubi Nicolai ejusdem Vitam a se compositam repræsentat. Verum quod vir eruditus ignoravit, quis crederit! idem Nicolaus tam turpi labe inustus, tantam sibi postea famam fecit, sibique adeo principum, episcoporum, summorum etiam pontificum devinxit animos, ut ipsis charus evaderet. Id sane constat ex Adriani papæ IV epistola ad Samsonem archiepiscopum Remensem a nobis, tomo II, edenda, in qua summus pontifex sic loquitur: « Veniens ad apostolicæ sedis præsentiam dilectus filius noster magister Nicolaus, qui nobis satis charus est et acceptus, Arremarensis monasterii monachus, de suffragio et admissione precum suarum in negotiis ejusdem ecclesiæ fraternitatem tuam nostris litteris expetiit ammoneri. Quocirca fraternitatem tuam per apostolica scripta mandamus, quatenus eundem filium nostrum, qui circa negotia tua existit satis sollicitus ac devotus, pro B. Petri ac nostra reverentia diligas attentius, et honores, et petitionibus ejus in negotiis ipsius ecclesiæ benigno jugiter concurras assensu, et ita ei favorem et auxilium tuum in causis suis impendas, ut fraternitas tua de admissione precum nostrarum commendabilis videatur. » Quid quod Alexander III, sua eundem Nicolaum epistola dignatus est honorare, ac etiam non spernendis laudibus exornare. Sic enim edendam tomo II epistolam 6, ad eundem Nicolaum, inchoat: « Devotionis tuæ constantiam et fidei firmitatem, quam erga sacro sanctam Romanam Ecclesiam et personam nostram multis rerum experimentis et ipso effectu operis te habere cognoscimus, gratam acceptamque tenemus, et eam plurimum in Domino commendamus. Novimus enim qualiter propriæ personæ minime pepercisti, et pro negotio ecclesiæ satis multum laborasti. Unde nos propositum et voluntatem habemus personam tuam, sicut specialem ecclesiæ filium, sincera in Domino charitate diligere, et petitiones tuas omni tempore exaudire. » Deinde eum hortatur, ut sicut bene cœpit, « in devotione et fidelitate, et Ecclesiæ, » et sua, constanter perseveret, « et alias tam ecclesiasticas quam sæculares personas ad hoc idem inducere studeat et propensius solidare. » Demum ipsum Hugoni Senonensi, Samsoni Remensi archiepiscopis atque Henrico Trecensi comiti commendat.

## 367 \* EPISTOLA CDXXI.

AD MAR. ET UXOREM EJUS.

*Hortatur eos ad eleemosynam et pia opera.*

BERNARDUS abbas Claræ-Vallis, dilectis suis MAR. et uxori ejus, sic se invicem diligere, ut mutuo norint Christi amorem præponere.

Quidquid super terram possidetis, certum est vos quandoque amittere, nisi quod in cœlum et per manus pauperum curaveritis præmittere. Eia, charissimi, thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi tinea non demoliatur, ubi fures non effodiant, nec furentur; ubi denique dux ipse nobis nihil vobis possit auferre. Si de nuntio solliciti estis, habetis quotidie ad ostium vestrum non unum, sed plures, qui fideliter deportabunt quæcunque illo transmittere volueritis. Ad hoc enim tempore præsentem Deus illorum ærumnas multiplicavit, ut occasionem habeatis thesaurizandi in loco tantæ felicitatis et securitatis. Id ipsum de vestra parte intimare curetis T. fratris nostro et bono nepoti vestro, et W. qui habet neptem vestram, et si quos alios scitis qui nostrum de hac re tam salubre consilium non contemnant, et eos maxime qui in domo Dei sunt sentire volo vestræ in proximo visitationis benedictionem.

## EPISTOLA CDXXII.

AD QUEMDAM ABBATEM.

*Excusat se de epistolæ brevitate, remittitque illi quemdam adolescentem, quem admittere cum suis minime poterat.*

Quidquid sibi.

Non ignoro quidem quod in nostris litteris ad vos missis et brevitatis et siccitas soleat esse molesta.

A Sed brevem me facit multa occupatio, et modica devotio siccum. Indulgete mihi; et nunc urgente diei malitia, probare, [*f. properare*] compellor ad id quod necesse est. Huic adolescenti de vestris partibus illis causa suæ salutis ad nos venienti, vobis nescio qua causa prætermittis, quia nos, sicut scitis, eum recipere non possumus, ad vos reverti persuasimus, vobis, nisi fallor, non inutilem futurum si recipere volueritis, quod et multum precor ut faciatis.

## EPISTOLA CDXXIII.

AD QUEMDAM EPISCOPUM.

*Commendat ei causam monasterii Sancti-Martini.*

B Semper facere quod Deus vult.  
Placet vobis quod pauper ecclesia S. Martini collatum sibi a Deo paupertatis levamen magis fortassis amicorum quam justitiæ inopia perdit? Alioquin si justam creditur non habere causam, et hoc ei expedit, ut cito ab injusta quiescat querimonia. Volumus itaque vos non gravari diligenter inquirere causam, et operam dare qualiter aut juste terminent aut pacifice, id est aut judicio aut concordia. Valere mei memor, dulcissime pater.

## EPISTOLA CDXXIV.

AD QUEMDAM AMICUM.

*Excusat se quod cum eo ad legatum ire non queat.*

C Quod ad vos, ut mandastis, ipse non venit, causa est et tam gravis, cujus vos, etsi interim non conscium, necesse sit misereri. Supplicare vos pro illa omnipotenti Deo simplex [*f. supplex*] rogo. Quod ergo cum legato utrique pariter acturi fueramus, solus ut potestis implete.

## EPISTOLA CDXXV.

AD QUEMDAM JUDICEM.

*Commendat ei causam abbatiæ Fontaneti (1089).*

Sic de vobis usque modo confusus sum, ut circa ea quæ ad nos pertinent, ubicunque vos scirem, me non necesse esse putaverim. Miror ergo quomodo erga abbatiam Fontaneti, quam in vestra post Deum custodia reliquimus, pro qua et sæpe vos præsentem præsentem rogavimus, ita intepuistis. Audivimus quod in placitis quæ pro eadem ecclesia super vos accepistis, sicut definistis, necdum finem posuistis. Sciatis autem quandiu hæc facere tardabit, quandiu aliter fratres ipsos quam soletis consolari et visitare non curabit; semper nostras pro ipsis querimonias audietis.

## EPISTOLA CDXXVI.

AD QUEMDAM AMICUM.

*Commendat ei latorem præsentium.*

Ubleunque et per omnia placere Deo.

Commodo vestræ Charitati satis mihi pro sua religioſitate charum hominem, harum videlicet latorem, vestro apud Comitem indigentem patrocínio. Sentiat, quæſo, pro sua causa, quam ipse vobis referet, quantum apud vos humilitas nostra, quantum vestra apud Comitem Reverentia possit.

## EPISTOLA CDXXVII.

AD EPISCOPUM TRECENSEM.

*Improbat quod archidiaconatum puerulo dederit.*

Venerabili domino H. (1090) patri, Dei gratia Tricassino episcopo, frater BERNARDUS seipsum quantum potest.

Benigna vestra Dignatio fecit ut de vobis, cum necesse est, indubitanter præsumamus. Pro venerabili filio vestro G. precem apud vos facere, imo consilium vobis propter vos ipsum dare suscepimus. Miramur vos, qui bonam famam vestram diligimus, qua ratione, cujusve consilio, quod bene feceratis, de archidiaconatu videlicet, quem prædicto filio vestro G. qui illum optime administrare potest, quam puerulo qui seipsum regere non potest (1091), committere maluistis, tam male, ut nobis videtur, in irritum ducere cogitastis. Nam si quid ædificaveratis, iterum (quod absit!) destruitis. Sed sat dictum est capienti. Si homines timetis, Evangelium docet quem magis timere debetis. Si hominibus placere vultis, melius tamen est obedire Deo; si quid Cæsari debetis, et Deo.

(1089) Fontanetum insigne monasterium Ordinis Cisterciensis in diocesi Aduensi, haud procul a Monte-Barri, a sancti Bernardi consanguineis fundatum circa annum 1118, filia secunda Claræ-Vallis, cujus primus abbas Godefridus. MART.

(1090) Hattoni, ad quem existant ejusdem sancti Bernardi epistolæ 23 et 203, plures vero Petri Cluniacensis. Id.

(1091) Ecclesiasticas dignitates pueris tribui semper ægre tulit sanctus doctor. Id patet tum ex epistola

## 367 \* EPISTOLA CDXXVIII.

AD QUEMDAM ABBATEM.

*Laudat eum et hortatur ad emendationem sui monasterii et præcipue hospitalis.*

Pudicitæ et gratiæ titulum.

Fratres isti pro consilio animarum suarum parvitatem nostram adeuntes, de vestro bono studio, quod in emendando loco, cui Dei gratia præestis, habere vos perhibent, non parum nos lætificaverunt. Monemus autem et obsecramus devotionem vestram, quod sicut in reficiendis domibus, ita renovandis moribus operam detis. Non solum autem de monasterio, sed etiam de hospitali domo Dei, cui sub manu vestra prædicti fratres deserviunt, intentissime necesse est curam geratis: quatenus videlicet ex omni exactione et infestatione ministrorum seu clientum vestrorum securam ac liberam custodiatis; quodque illorum pravo, ut audivimus, consilio eidem domui ab aliis ante vos abbatibus collatum abstulistis, precamur ut restituatis. Sicut enim ad vestram sollicitudinem pertinet aliorum malefacta destruere aut corrigere; sic illorum, si qua bona egerunt, non solum firma et inconvulsa tenere, sed etiam augmentare et multiplicare debetis. Presbyterum quoque, qui in ipsa domo habitans, suam adhuc foris rem habere videtur, aut proprium deserere, aut de domo exire cogatis. Valet, et propter bonum quod de vobis audivimus, de nobis si quid valemus familiariter confidite.

## EPISTOLA CDXXIX.

AD QUEMDAM AMICUM.

*Gratias agit Deo de rebus prospere gestis.*

Velle scire vos scio, quod scire vos facio. Gratias illi, qui omnia opera nostra operatus est nobis. Grande opus, et iter grave læte prospereque peregrimus, fratres lætos et in pace dimisimus, rebus et amicis abundantes, Deo et hominibus satis, ut æstimo, placentes. Fratrem G. vix sine tam episcopi, quam fratrum offensione reducere potuimus. Post messium tempus, quod nunc in manibus est, si opus illo habueritis imo quia habebitis, habere poteritis.

## EPISTOLA CDXXX.

AD QUEMDAM AMICUM.

*Quod beneficia ecclesiastica non de laicali manu, sed de episcopi accipienda sunt.*

Cum laici ecclesias sive ecclesiastica beneficia quæ illicite tenent, relinquere volunt, unum bonum est. Cum vero ea in usus servorum Dei transire volunt, duplicatur bonum: sed cum hoc fieri non potest nisi per manum episcopi, gemini se episcopus aut

271, in qua redarguit Theobaldum comitem, quod Willelmo filio suo impuberi eas procurare vellet; tum ex tractatu De officio episcoporum cap. 17, ubi hæc habet: « Scholares pueri et impuberes adolescentuli ob sanguinis dignitatem promoventur ad ecclesiasticas dignitates, et de sub ferula transferuntur ad principandum presbyteris; lætiores interim quod virgas evaserint, quam quod meruerint principatum. » Vide ejusdem librum tertium de Consideratione, cap. 5. lq.

mali reum, aut boni probabit auctorem, juxta quod suum negabit aut dabit assensum. Quod autem miles vos rogat, hoc a vobis rogari ipse debuerat. Quid enim? meliusne esse judicatis ab homine militari hæreditate possideri sanctuarium Dei, quam a sanctis Dei? Mirum, si non mirantur omnes qui audiunt. Nolite, quæso, nolite; ne forte audiant filii incircumcisionem et lætentur. Esto, potestis captivam Ecclesiam eripere de manu potentis, et juri proprio vindicare; quod minime arbitramur: quemnam, quæso, de illa libentius eligitis vobis hæredem successorem? Qui inde deserviat exercitiis regis, an intercessorem pro peccatis vestris? Facite ergo quod justum, quod vobis dignum est, quod Deo et hominibus bonis jucundum; quod denique, etsi aliquid non esset, amore nostri confidenter fieri postularem.

## EPISTOLA CDXXXI.

AD INNOCENTIUM II PAPAM.

*Delegatus a summo pontifice judex ad dirimendam litem inter duos contendentes de archiepiscopatu Turonensi, declarat Philippi electionem esse nullam.*

Ad decidendum Turonensis litem, Pater venerande, convenimus, et convenimus Blesis, quod is locus acturis foret et vicinitate congruus et securitate. Ibi ergo Philippi electionem (1092) qui ex adverso erant cum in multis accusassent, quæ brevitas studio præterimus; duo hæc demum precipua capitula ei opposuerunt, quod infra annos videlicet esset, et quod nequaquam electus a quibus oportuit, sed neque a quantis. Aberant siquidem eo temporis majores personæ ecclesiæ nimirum, et ab ecclesia pulsæ et propriis domibus, archidiaconi scilicet omnes, decanus et cantor, cum universis illius ecclesiæ presbyteris, ac multitudine aliorum diversi ordinis clericorum: unde et suam quam fecerant de Hugone electionem sanam atque canonicam esse dicebant, quod ii in ea consentirent, quorum prævaleret in eligendo auctoritas; non autem obesse quod extra ecclesiam vel civitatem præter morem celebrata fuisset, cum ad hoc persecutionis urgeret necessitas; sed neque impedire, quod pars altera non interfuit, cum præmonita a fratribus, et vocata adesse renuerit. Nam dicit eis assignasse locum, et illum locum quem pari consensu utruque pars ad eligendum elegerant; porro autem illos anticipasse diem, præripuisse electionem, Philippum furtiva temeritate, se omnino ignorantibus, elegerit. Nam nec

(1092) Hic Philippus fuit Gisleberti ante Hildebertum archiepiscopi nepos, et, ut ait S. Bernardus epistola 150, ipsius «ambitionis hæres», ad quem tanquam invasorem sedis Turonensis exstat ejusdem S. Bernardi epistola 151. De eo liber De gestis episcoporum Cenomanensium sic habet: «Hildeberto defuncto, canonici ejusdem Ecclesiæ diu violentia Goffridi comitis propriis sedibus sunt expulsi. Cum vero pontificem canonicè deberent eligere, in partes divisi sunt. Quidam enim illorum contra sanctorum scita canonum quemdam Philippum, aliis reclamantibus, elegerunt. Philippus quidem non intrans per ostium ovile ovium, sed ascendens aliunde, Petrum suum, Petrum Leonis primogenitum satanæ adiit,

de suffraganeis episcopis quempiam expectatum, suæ vero eos magis favere electioni et assensum præbuisse. Ad hæc Philippi pars: «Possumus,» inquiunt, «ad objecta facile et sufficienter respondere, si modo dies alius nobis conveniens nominetur, non quod hodiernum negemus fuisse datum, sed electus noster non fuit submonitus. Debit enim vocari et nomine, ad quem proprie causa spectare cognoscitur.» Tunc qui ex adverso erant: «Absit,» inquiunt, non inter electos de cathedra, sed inter electores de electionibus contentio est. Litigantium igitur est causa, ipsi ad causam vocari debuerunt, quod si et electum de litigantibus esse contenditis, id quidem grave et indecens. Sufficit autem generaliter vocatum fuisse cum cæteris. Nemo quippe a litteris submonitoriis exclusus est qui in parte fuisset, quanquam negare non potestis, quin vobis manifeste denuntiatum fuerit eum quærere. Abierat, et non inveniebatur, ne forte inhærentem die statuto non adesse contingeret. Nihil igitur lucraturum de absentia, quam quidem etsi non veniret, nihilominus eo absente causa terminaretur. Si ejus, ut dicitis, causa est, et opus erat hominem pro se loqui, certe quod submonitionem non habuit, culpa est, aut ejus qui disparuit, aut vestra, qui ei insinuare neglexistis. Quid eorum interest qui in civitatem vestram et in ecclesiam communia vocationis scripta miserunt, si ad eum qui se absentavit, qui se non solum ab urbe, sed et a patria, et a regno, et qua intentione, ipse viderit? Adhuc quid sibi deest ex omnibus quod suum requirit negotium, si de justitia non diffidit? Cernimus hominem vallatum multitudine sapientum et peritorum in causis, stipatum etiam numero armatorum, si opus est et ipsis. Habet secum et episcopos, habet optimum procultorem. Itane venerat imparatus? aut quid sibi vult tantus iste comitatus necessariorum suorum, si acturus non erat? quid si sui sibi necdum sufficiunt? Judex offert quotquot habet necessarios. Et hæc diceremus, si vere constaret Philippum nescisse diem constitutum negotio; nunc autem quando queat negare de die et loco sibi significatum fuisse, ab abbate utique Claræ-Vallensi, qui ante decem ferme et octo dies in episcopatu Cameracensi forte transiens latitantem offendit; patet vos manifeste non pacem quærere, sed dilationem? » His itaque a partibus allegatis, justum nobis et his qui nobiscum erant, religiosis et sapientibus personis, episcopis et abbatibus et clericis, visum est

et ab eo pro honore opprobrium, pro benedictione maledictionem, pro sacramento suscepit sacrilegium, unde festinanter rediens, sedem Turonensem occupavit. Interim Hugo, vir prudens et nobilis a saniori parte eorumdem clericorum canonicè eligitur. Hic vero in Cenomanensi ecclesia a Guidone et comprovincialibus episcopis consecratur. Quo Philippus cognito, secum ornamenta ecclesiæ deferens, furtim aufugit. » Porro eum Hildebertus die decembris decima octava anni 1136 obierit, hæc non nisi anno sequenti contingere potuerunt. Hiuc corriges Horstii Chronologiam quæ Philippi intrusionem consignat ad annum 1135. MART.

diuturnæ jam latigationi ecclesiæ ponere finem, et A nequaquam ultra suslinere moras et dilationes quærentium quæ sua sunt, et sub hac occasione pessumdantium Ecclesiam Dei. Data ergo sententia a nobis, quod justitia exigeret ingredi causam, nec esset canonica excusatio quam afferrent, ipsi more suo tergiversantes tanquam qui causæ suæ parum fiderent, appellaverunt. Tunc vero prolatis scriptis apostolicis, in quibus et nobis causam inexcusabiliter terminare, et ipsis sententiæ nostræ irrefragabiliter obedire præcipitur, illi audire contemnentes abierunt: vocati sunt nec venerunt; vocati secundo, et iterum renuerunt: nos autem conversi ad partem alteram ordine nihilominus judiciario juxta mandatum vestrum processimus, et suscepta probatione, canonica super duobus memoratis capitulis, post examinatos testes, post peracta sacrificia, Philippi electionem apostolica freti auctoritate quassavimus. Porro de Hugone quia infra sacros ordines eum constat fuisse electum, vestræ, ut dignum est, misericordiæ reservavimus.

### 367 \* EPISTOLA CDXXXII.

AD DOMINUM PAPAM.

*In gratiam episcopi Trecensis.*

Petimus dominum Trecensem exaudiri de justitia sua: vellemus autem ut inter ipsum et clericos suos talis concordia studio vestræ benignitatis reformaretur, ut ultra clerici non apponerent injuste vexare hominem senem, qui nec juste de pontifice in aliquo C conqueri possunt. Est quidam inter eos contemptibilis adolescentiæ, contemptricis insolentiæ, cujus satius judicamus castigatum iri præsumptionem, quam ab ipso conculcari pontificem: quis ille sit lator præsentium vobis dicet. Sic igitur et de isto et de aliis vestra discretio providere dignetur, ut et episcopus qui vestrum honorem diligit, honoretur et nunquam de sua justitia gravetur. Videndum autem ne odium cujusquam personæ ei noceat quem sua defendit innocentia.

### EPISTOLA CDXXXIII.

AD EUMDEM.

*In gratiam episcopi Trecensis.*

In causa domini Trecensis et clericorum illa, D quæsumus, cautela servetur, ut episcopus, sicut dignum est, honoretur, et clerici sua justitia non priventur. Reformetur pax inter eos, et frenum imponatur malevolis, ut de cætero in jam senem pastorem insurgere unquam non possint.

### EPISTOLA CDXXXIV.

AD EUMDEM.

*Ejusdem argumenti.*

Oportet vos esse amicum amicorum nostrorum, et fratri N. assistere in causa quam portat, cum ea tamen discretionem, ut clerici proprio pastori, si fieri potest, subdantur, et quod ipsi in sua justitia non graventur, et de cætero inter eos pax sit.

### EPISTOLA CDXXXV.

AD EUMDEM.

*Commendat ei litterarum latorem.*

Frigescente charitate, pauci hodie inventantur fideles, et quia omne charum pretiosum, fidelitas et amor domini N. qui fidelissime vestra negotia apud nos gessit, arctioribus vinculis gratiæ et benevolentiae debet astringi. Prosit autem ei, quoniam nos ipsum tanquam promptum litterarum et fidelem virum spirituali charitate diligimus.

### EPISTOLA CDXXXVI.

AD EUMDEM.

*Commendat ei auendam amicum.*

N. flamma negotiorum quæ assidue Romæ geruntur, fere adustus, ex desiderabili et jucunda inspectione scriptorum vestrorum, utinam refrigerari merear. Sed, prohi dolor! ad opus servi vestri in tota Clara-Valle scriptores non possunt reperiri, satis dictum est a filio patri. Amicum nostrum et personæ nostræ et Ordinis glorificum amatorem dominum N. qui etiam fideliter negotia gerit suorum, dulcedo vestræ benevolentiae pro se et nobis habeat charum.

### EPISTOLA CDXXXVII.

AD EUMDEM.

*In gratiam Trecensis episcopi.*

Ad notum misericordiæ fontem, de quo mihi et amicis meis toties hausi, domini Trecensis episcopi reverendi senis et amici nostri necessitas compellit recurrere. Hoc est ergo quod haurire desidero, quatenus apostolica pietas hominem, cujus jam canerentur quietem, non sinat injuste vexari, et petitiones ejus, quas per nuntium suum facit, dignetur effectui mancipare.

### EPISTOLA CDXXXVIII.

AD EUMDEM.

*In gratiam Trecensis episcopi.*

Augetis mihi gratiam, et gloriam multiplicatis, cum gratia mei, amici mei gratiam inveniunt in oculis vestris, quam multis jam de charo fecistis chariorem. Ego tamen gloriam ab homine non quæro, sed regnum Dei et justitiam ejus, quam puto esse cum domino Trecensi. Secure vobis utrumque cupio esse commendatum, et justum scilicet et amicum; non solum autem, sed et missum ab eo bonæ indolis juvenem, charum nobis latorem prææque vestræ commendo charitati.

### EPISTOLA CDXXXIX.

AD EUMDEM.

*In gratiam Trecensis episcopi.*

Causa domini Trecensis, cum nuntio directo nostro, qui eam portat, sit vobis commendata; manuteneat eam, quoniam, ni fallor, justa est. Homo ipse amici vestri amicus est. Vide ne quemquam audias adversus dominum Trecensem; sed potius juva causam et nuntium ejus in quantum potes.

367<sup>a</sup> EPISTOLA CDXL.

AD ANONYMUM.

*Hortatur ut animæ curam præferens corporis sollicitudini, sæculo renuntiet.*

Magnum, fateor, bonum fecit nobis dominus Aviaficensis (1093), qui post indultam sui satis optatam gratamque notitiam, etiam tuæ Dilectioni subintulit mentionem, de tua nos certificans ac lætificans incolumitate. Verumtamen id ego de anima tua libentius accepissem, nam de corpore episcopus aiebat: « Amo quidem et corpus tuum, sed animam amplius: nam et meum corpus ego non diligo, nisi propter animam, ut noveris juxta illam a me diligere regulam, *Diliges proximum tuum sicut teipsum* (Matth. xxii, 39); et sicut meam meo, sic tuo tuam corpori præfero animam. Tolle quippe animam, quid erit corpus, nisi quod ad omnium humanorum corporum partem dictum est, *Terra es, et in terram ibis?* (Gen. iii, 19.) Cæterum animæ præstatum cum corpore solvitur, si non tamen tantis fuerit aggravata peccatis, ut revertens in terram, quod de terra sumptum est, non prævaleat, sicut scriptum est, redire spiritus ad Dominum qui fecit illum (Eccli. xii, 7). Non est æquum profecto æque diligere quod movetur, et quod movet; quod regitur, et quod regit; quod vivificatur, et quod vivificat; quod denique de terra et terra est, et quod desursum venit naturæ superioris insignitum imagine. Quanto tamen, prohi dolor! hoc fenum, et hujus feni male olentem florem, hoc est carnem, et bona carnis non æque saltem, et iusuper plures habent, quam æternæ beatitudinis et beatæ æternitatis capacem rationem quidem prædictam creaturam? Verum tu qui aliter sapis, novi enim, sed doleo nondum te vivere ut sapis, tu ergo miserere animæ tuæ placens Deo (Eccli. xxx, 24). Quid adhuc jungis vitam cum quibus sententiam non concordas? Aut muta vitam, aut dissimula sententiam. Cæterum hoc melius est, ut quod jam ratione cœpisti, et corde concepisti, opere non dissimules. Sapiens sapientiæ consilium non contemnit: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* (Matth. xvi, 26.) Quid te juvat mente tenere veritatem, cum adhuc vanitatem teneas in conversione? Abi, quæso, recede de medio filiorum alienorum, quorum os loquitur vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis. Beatum hi dicant populum cui hæc sunt; tu cum propheta non tam verbo clama, quam experimento proba, quia *beatus populus cujus Dominus Deus ejus* (Psal. cxliiii, 11, 15). Delectet eos in mundo, cum sint ruituri cum mundo; tu delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui; tibi adhærere bonum sit, ut et tu cum Jeremia dicas: *Bonus est Dominus quærenti illum* (Thren. iii, 25): quod si quærenti, quanto magis inventi?

(1093) Avia Orthelio est duplex: una scilicet ex Ptolemæo Vacceorum urbs in Hispania Tarraconensi; altera Vestinorum urbs in Italia, modo excisa, cujus episcopatus Aquilam translatus est. MART.

## EPISTOLA CDXLI.

AD PRIOREM QUEMDAM (1094).

*Mittit ei adolescentem qui se in ordine recipi postulabat.*

Devotas orationes.

Hunc adolescentem qui vobis has litteras portavit, exspectantem me Catalaunis inveni: qui, ut me vidit, simpliciter satis et verecunde rogavit se in nostro Ordine recipi, et monachum fieri; narrans mihi, quia cum Thomas de Marla, cujus armiger fuit, vellet eum militem facere militiæ sæculi militiam Christi præposuit, et ob hanc causam ad nos confugit. Super his aliquos de fratribus consulite, et si laudaverint, vobisque ita visum fuerit, recipite eum et probate. Notum facio vobis extorsisse me, non meis, sed dominæ Beatricis precibus (1095), ab episcopo licentiam hiemandi juxta vos, non tamen in Clara-Valle, sed in Dementini prato. Interim vigilate, pigros excitate, nimios reprimate, pusillanimes consolamini; omnibus omnia facti, omnium virtutes vestras facite.

## EPISTOLA CDXLII.

AD QUEMDAM ORDINIS S. BENEDICTI ABBATEM.

*Mittit ei duos adolescentes ad ordinem Cisterciensem viribus impares, sed sibi non forte inutiles.*

Pacem et charitatem diligere.

Istos duos adolescentes, bonam quidem voluntatem habentes, sed viribus corporis ad nostrum Ordinem nequaquam sufficientes, idcirco vobis transmittere curavimus: quia si tales perseverant, quales eos probavimus, non inutiles vobis confidimus. Denique suscipite eos et probate vos ipsi, an verum sit quod testamur; nec eorum acceleretur suscipienda professio, ut prius ipsorum utilitas dignoscatur.

## EPISTOLA CDXLIII.

AD QUEMDAM AMICUM.

*De quodam adolescente, cujus prava mores narrat, qui nobilium matrimonium ambiebat.*

Feci quod voluistis, quod ad me omnino non pertinebat, nisi quia voluistis. Quid enim ad nos pertinet de vestris terris, de vestris placitis, de vestris conjugiiis? Deinde etiam hominem illum, pro quo me precantes ducissam precari compulistis, ita semper cognovimus a juventute sua malis fuisse intentum, et ab omni bono elongatum, quatenus hæc ei mala non tam illa vel cupiditate ducissæ, quam justo Dei judicio credamus contingere; nunquam ejus ad aliquem sanctorum peregrinationem, cum peccator sit, vidimus; nunquam ejus elemosynas, cum dives sit, audivimus; nunquam ejus patrocinium quod papillo vel viduæ ferret, cum diu præpositus exstiterit, agnovimus. Et nunc iusuper non cessat se supra se extendere ultra etiam mensuram suam. Scitote, vos qui amici ejus estis, quia aut vix

(1094) Fortasse, ad priorem Claræ-Vallis.

(1095) Exstat ejusdem S. Bernardi epistola 118 ad Beatricem, nobilem et religiosam matronam, in qua officiosam ejus charitatem et sollicitudinem commendat. Id.



aut nunquam poterit ei ad aliquod proficuum societas nobilium venire, quibus in matrimonium, suam non attendens mediocritatem, tanto appetit studio filios et filias suas conjungere : volo tamen et multum desidero, ut illud quod propter vos faciliter rogare suscepi, in bonum ei proveniat.

## EPISTOLA CDXLIV.

AD QUEMDAM ABBATEM.

*De quodam monacho qui ad alium Ordinem transire volebat, quod fieri improbat.*

Unus frater dum nostram simplicitatem consulere venit, tale a nobis consilium, imo iudicium reportavit. Cum nullam idoneam causam attulerit, cur locum et Ordinem suum deserere velit; nulla visa est ratio permittere, quod ad alium transire debeat. Nam votum illud quod se prius fecisse dicit, de quo et maxime sibi scrupuli occasionem sumpsit; cum sola cogitatione aut ut plus etiam verbo, sed soli factum fuisse constet, nequaquam huic præponendum putamus, cui utique posterius licet tamen et verbo et deliberatione, et habitu et professione sese astrinxisse videtur; præsertim cum illud quod voverat, nec districtius esse videatur isto, nec rectius. Quapropter nec vobis, qui pro ejus anima Christo reddere rationem habetis, tutum esse credimus in hoc ei credere, in hoc ei vestram indulgere licentiam cum scriptum sit: *Declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem (Psal. cxxiv, 5)*. Suscipite ergo eum dulciter, ut filium; sollicite custodite, ut vobis commissum, vestris, nisi fallor, ex hoc jam obsecuturum præceptis, et consiliis obtemperaturum.

## EPISTOLA CDXLV.

AD QUEMDAM ABBATEM.

*Commendat ei L. fugitivum revertentem, quem benigne suscipi rogat.*

Obsecro vos per misericordiam Dei et per nostram invicem dilectionem, quatenus fratrem L. erroris sui poenitentem, cum desiderio revertentem, emendationem promittentem benigne suscipiatis; sed et in ipsa susceptione atque reconciliatione clementius mitiusque cum eo agatur, quam cum cæteris solet fugitivis, sentiatque sibi valere, quod per nos se apud vos commendare nostrisque precibus munire curaverit.

## 367 EPISTOLA CDXLVI.

AD ANONYMUM.

*Scribit se ex morbo gravi convalescere, et mortis januas evasisse.*

Quidquid sibi.

Super ipsa vestra sollicitudine, qua vos anxiam per litteras vestras insinuatis, diu exstiti et ego sol-

(1096) Rogerii primi Siciliae regis, ad quem exstant sancti Bernardi epistolæ 207, 208, 209. MART.

(1097) Misit postea S. Bernardus fratres ad fundandum in Sicilia abbatiam, quibus præfecit magistrum Brunonem, olim sibi per dies multos individuum comitem, tunc autem patrem multarum animarum lætantium in Christo, ex epistola 209, quæ scripta dicitur anno 1139, ac proinde hæc aut eodem aut præcedenti anno scripta videtur. Id.

licitus. Neque enim ignorare poteram quod patere-  
mini, cum cogitarem, qualem me relinqueretis; sed  
nuntii usque modo defuit opportunitas, per quem,  
cum corpore cœpi, Deo miserante, meliorari, vos  
quoque esse facerem animo meliori. Jam ergo bono  
animo estote, quia castigans castigavit me Domi-  
nus, et morti non tradidit me. Prima Dominica Ad-  
ventus Domini, primum ad altare per memetipsum,  
et sine adminiculo alterius accessi ad accipiendam  
sacram Communionem; istas litteras ipse dictavi:  
quibus duobus signis perpendere potestis, quantum  
divina benignitate et corpore et animo convalescerim.  
Libenter vos viderem, si opportune et sine disturba-  
tione fieri posset.

## EPISTOLA CDXLVII.

AD AMEDEUM ALTÆ-CUMBÆ ABBATEM.

*Rogat ut nuntios mittat Montem-Pessulanum, quo ascendere debebant regis Siciliae naves, ut apud regem eum excusent, quod fratres in Siciliam non miserit.*

Dilecto fratri in Domino abbati Altæ-Cumbæ AMEDEO, frater BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, salutem et dilectionem.

Rogamus ut patrem vestrum vel aliquem alium nuntium rationabilem et discretum mittatis pro nobis apud Montem-Pessulanum, ita ut ibi sit in Octavis Assumptionis beatæ Mariæ: in ipsa enim die et in ipso loco debent esse nuntii regis Siciliae (1096), qui descendunt mare in navibus, ut portent filiam comitis Theobaldi filio domini sui. Si forte ad opus fratrum nostrorum naves adduxerint, et requisierint abbatiam quam missuri eramus, nuntius vester habeat nos excusatos (1097) in hæc verba: « Fratres quidem parati erant, et abbatia ordinata; sed dominus Alfanus nuntius domini regis Siciliae dixit, quia rex non requirebat nisi duos fratres qui præcederent alios ad videndum locum; cum autem placuerit domino regi, significabit nobis voluntatem suam de tota abbatia simul mittenda: nam periculum est religionis et ordinis, sicut vestra providentia novit, fratres sine disciplina, sine custodia vel abbatis vel aliorum fratrum suorum versari in terra aliena. »

## EPISTOLA CDXLVIII.

AD ANONYMUM.

*Commendat ei abbatem Farsensem sanctæ Ecclesiæ Romanæ cardinalem.*

Virum nobilem et genere et moribus, abbatem Farsensem, apostolicæ sedis cardinalem (1098) vobis commendamus, ut eum honorifice et amicabiliter suscipiatis. Descendit a latere domini Papæ ad curiam Regis ab ipso vocatus, habens ad ipsum verba secreta de communi negotio regni et Ecclesiæ.

(1098) Hunc statim suspicatus fui esse Gerardum cardinalem diaconum ab Innocentio II creatum, factum postea monachum Claræ-Vallensem et in claustris Claræ-Vallis sepultum. Verum cum in eo desideretur abbatialis dignitas, satius est ut credamus esse Adulfum abbatem Sanctæ-Mariæ Farsensis, Ordinis S. Benedicti, ab Innocentio II anno 1130 sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyterum cardinalem creatum. Id.

Suscipite honeste hominem, et hominem bonæ voluntatis; et in eo excellentiores principes mundi, eum videlicet a quo venit, et eum ad quem venit, papam et imperatorem pariter honorate. Temeritatis quidem est, quod ego tantillus talem virum vobis audeo commendare; sed humilitas ipsius hoc peccatis excludit pudorem, et si factus sum insipiens, ipsa me coegit.

### 367. EPISTOLA CDXLIX.

AD REGEM FRANCORUM.

*Excusat se a suscipienda dignitate ad quam electus erat.*

Regi Francorum, frater BERNARDUS.

Placet, fateor, quod in his quæ Deo sunt, tanta sinceritate versamini. Nam ut alia taceam, nequam promotionem miseri hominis tantopere curaretis (1099), si non esset in causa Deus: quo enim alio emolumento id ita placeret, cum sim pauper et inops? Nec sufficit assentire, insuper et rogatis. Exhibetis favorem, largum gratiæ sinum expanditis, et ne onera pusillanimitatis reformidem, auxilium de regia protectione promittitis. Quenam hæc in rege dignatio, in adolescente maturitas? Verum ego, optime Rex, nullatenus acquiesco mittere manum ad fortia, corde pusillus, fractus corpore, et cui solum pene superest sepulcrum; non audeo prorsus ad sancta indignus et insufficiens. Hoc considerare debuerant auctores electionis: si dissimularunt, ego non quero, quod lego, *Miserere animæ tuæ placens Deo (Eccli. xxx, 24)*. Aut si idoneum crediderunt ob habitum religionis quo induor, in habitu species est sanctitatis, non sanctitas. Nemo mihi me notior, nemini ego quam mihi: non plane me credo contra testimonium conscientiæ meæ videntibus tantum in facie et secundum faciem judicantibus. Ecce ego et pueri mei, quod dedit mihi Deus, orantes hic sumus, quamvis peccatores, pro regno vestro et vestra persona: si separatis ab invicem, id quidem difficile et crudele; non ad orandum, sed plorandum provocatis. Hactenus pro me: jam pro Ecclesia quid parturiat animus, dignemini, obsecro, paucis attendere. Sedet in tristitia domina Ecclesiarum, et lacrymæ ejus in maxillis ejus: mutatus est color optimus, defloruit antiqua venustas, pretiosissimus ille ornatus datus est in conculcationem, nobilitas in contemptum, et in servitutem libertas. Crucior in hac flamma, nec consilium refrigerii, donec veniat qui consoletur eam. Tangat proinde cor vestrum reverentia Sponsi ejus, cujus sanguine redempta, cujus similitudine adornata, cujus hæreditate dotata est, et perseveret propositum vestrum, ne tam di-

lecta unici Domini nostri sponsa tali vel nunc ad enulum malorum committatur, qui displiceat oculis ejus. Dico vobis, et dico ut vere fidelis, quia omnino non expedit vobis. Sic vobis regnum contingat administrare Francorum, ut inde acquiratis regna cælorum, optime et illustrissime rex.

### EPISTOLA CDL.

AD AMICUM.

*Scribit se tandem convalescere et a mortis faucibus ereptum.*

Idem quod sibi.

Opus utile, et quantum mihi videtur, catholicum elaborastis: habeo tamen semel adhuc, si vita duraverit, vobis illud præsentem perlegere et vobiscum singula proferre; et tunc si quid forte repertum fuerit quod merito moveat, aut omnino amovebitur, aut ita emendabitur, ut ultra jam non movere valeat, nec movere debeat. De cætero congratulamini mihi, quia castigans castigavit me Dominus et morti non tradidit me (*Psal. cxvii, 18*). Cum enim, securi ad radicem infructuosæ arboris posita, jam succidi metuerem; precibus amicorum redditus sum, qui videlicet fimo charissimo lacrymarum suarum sterilitatem meam se fecundaturos pollicentes, inducias aliquanti temporis a pio Patrefamilias impetrarunt (*Luc. xiii, 6-9*).

### EPISTOLA CDLI.

AD FRATRES.

*Hortatur ad eleemosynas famis tempore faciendas.*

Non ignoratis, fratres, qui dixerit, *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur (Matth. v, 7)*; et illud, *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem (Psal. xl, 2)*, et rursum: *Si videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris (Isai. lviii, 7)*; et apud sanctum Job, *Visitabis speciem tuam, et non peccabis (Job v, 24)*. Ut hæc vobis pauca de multis in hunc modum et Scripturis retexerem, illud est occasio, quod egenos vagosque sub hoc famis tempore (1100) plus solito constat egere. Unde si qua in vobis pietatis viscera, si qua in vobis miserationis compassio, dignum est ut in se ipsos experiantur: quantumlibet enim miseri et despiciabiles, os vestrum et caro vestra sunt, quod vos non aliter de illis sentire, justum est ut sentiant: sentiant dico, et, si non rerum vestrarum, saltem verborum beneficio; ut videlicet capellano præcipiatis, quatenus omni studio curet excitare et exhortari populum quam publice quam privatim, ad benefaciendum eis.

(1099) Hæc epistola scripta fuisse videtur occasione electionis factæ de S. Bernardo in archiepiscopum Remensem, cum post defunctum Rainaldum archipræsulem, omnium electorum vota in Clare-Vallensem abbatem se contulerunt: quam ille dignitatem at et multas alias recusavit. Tunc post duorum annorum sedis pontificalis vacationem, Samson electus est, anno 1140. MART.

(1100) Anno 1146, ex brevi Chronico Catalau-

nensi apud Labbeum, «fames valida ubique terrarum, qualis unquam ante non fuit.» Hæc famines, si Chronico Lobiensi a nobis tomo tertio Anecdotorum edito credimus, incœpit anno 1143 ac fuit valida septem annis. Ejusdem meminere Chronica Monasteriense, Mortui-Maris et Senonense Anecdotorum, tomo tertio, Remense apud Labbeum, et Britannicum apud dominum Lobinotium Historiæ Britanniæ tomo II, pag. 3. lb.

367<sup>o</sup> EPISTOLA CDLII.

AD QUEMDAM ABBATEM.

*Hortatur ut benigne fugitivum recipiat, nec prælati dignitatem abjiciat.*

Suo illi quod suo.

Nemo cum has legerit, si norit unde salutationis formulam sumpserim, succensere, ut arbitror, debet mihi, quod me in capite meliori præferre præsumpserim, et quod tanquam aliquid inferius meum esse dixerim, cujus ego merito totus sum et quo ex toto inferior: quanquam non solum inferiora nostra, sed etiam plerumque quibus inferiores nos esse scimus, nostra non improprie appellare solemus, ut est illud, *Portio mea, Domine, in terra viventium* (*Psal. CXLII, 6*). Et hæc quidem de vobis, sed non vobis. Jam ad vestras litteras breviter pro tempore respondendum est, quæ cum mihi in manus venerunt, natalis animæ Dominæ nostræ dies festus illuxerat, cujus me totum jure sibi vindicans devotio, nihil aliud cogitare sinebat; sed et nuntius repedare festinans, vix usque in crastinum, ut hæc jam festo exoccupatus utcumque rescriberem, expectavit. Fugitivum itaque fratrem dure a me, utpote durum corde increpatum, nihil melius interim potui quam ad locum remittere unde fugerat: quippe quem juxta nostras consuetudines domi absque abbatis sui consensu retinere non debui. Oportet autem a vobis eum similiter asperere increpari, et ad humilem provocari satisfactionem, deinde nostris confortari litteris pro eo directis ad abbatem. De infirmitate nostra nihil certius modo sollicito indicare potui, nisi quod infirmus et fuit et sum, nec minus solito, nec magis multum. Quod vero non nisi quam missurus eram, causa est plus me animarum timuisse scandalum, quam unius corporis periculum. Jam ne quid horum quæ mandatis omnino prætermittam, quin et aliquatenus ad singula respondeam, venio etiam ad vos. Velle vos audire scripsistis, quid ego vos, qui utique omnia vestra norim, facere velim. Sed hæc, nisi fallor, si modo dicerem nec vos possetis, nec ego consulerem. Volo enim et ipse quod vos velle de vobis jam olim non latet me. Cæterum mea atque vestra æque, ut æquum est, voluntate postposita, magis quod velle Deum de vobis puto et mihi ut vobis suadeam tutum duco; et vobis si persuadeam, non incommodum. Tenete itaque meo consilio quod tenetis, manete in quo estis, et studete prodesse quibus præestis; nec præesse refugite, dum prodesse potestis: quia vae siquidem, si præestis et non prodestis; sed vae gravius quia præesse metuitis et prodesse refugitis.

(1101) Hæc epistola scripta fuisse videtur occasione foundationis monasterii de Spina in diocesi Palentina, quod condidit Sancia Alfonsi regis soror, cujus se foundationi opponebant monachi de Careda, seu ut legitur in epistola 301 S. Bernardi Carraccenses, sive Carraccenses, quæ scripta dicitur circa annum 1149. MART.

## EPISTOLA CDLIII.

AD ANONYMUM.

*Laudat ejus prudentiam et humilitatem.*

*Quidquid sibi cupit gratiæ spiritualis.*

Laudo prudentiam, qua monachum propter novitium contristari timuistis; sed magis approbo humilitatem, qua factam vobis injuriam et tam grandem injuriam, pertulistis. Incomparabiliter autem præfero charitatem, qua calamum quassatum non patiendò conteri (*Isai. XLII, 3*), nostrum expectere consilium ei suadere curastis. O prudens humilitas, humilisque charitas, sic parcens monacho injuriam, ut non deesset novitio fluctuanti! Quantum ergo potui confirmatum, et omnia, quantum reor, de quibus notatus est, emendare paratum, ad vos eum remitto; tam probatæ vestræ benignitati consulens, et si necesse est, supplicans, ut recipiatur, ut tamen prædictus frater, cui et litteras proinde precatórias misi, a sua prius, si fieri posset, sententia, flectatur.

367<sup>o</sup> EPISTOLA CDLIV.

AD ANONYMUM.

*Stephano, si perseveraverit, promittit dignos pœnitentiæ fructus.*

Quis satis mirari possit vestræ charitatis ardorem? Sed quoniam dignum non est, ipsam unde sollicitam esse cognovimus, diutius manere sollicitam, Stephanus vester qui et noster, si digno suæ conversationis initia sine compleverit; si æqua cum capite devotione etiam caudam hostiæ offerre sategerit, testimonium ei perhibemus quia dignos faciet pœnitentiæ fructus.

## EPISTOLA CDLV.

AD MATERTERAM IMPERATORIS HISPANIARUM (1101).

*Fratrum ei suffragia concedit, oratque ut controversia, quæ inter suos et fratres de Careda erat, per episcopos terminetur.*

Illustri dominæ G. reginæ et materteræ imperatoris Hispaniarum, BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, salutem et orationes.

Devotionem vestram ex relatione fratris nostri Nivardi (1102) audientes, gratias agimus Deo, et oramus ut secundum fidem et fiduciam quam habetis in nobis, vobis retribuere pro sua pietate dignetur. Fratritatem domus nostræ et orationum nostrarum, sicut desiderastis, gratanter vobis annuimus, et ut tantundem pro vobis fiat, quantum pro uno quolibet nostrum tam in vita quam in morte. De cætero necesse habuimus suggerere præstantiæ vestræ de fratribus de Careda (1103), quia per neptem vestram et per seipsos calumniam nobis struunt. De monasterio. . . . . Oportet ergo nos providere bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus, omnimodisque

(1102) Fratris S. Bernardi natu minimi, qui primus Spinensis monasterii abbas fuisse perhibetur. *Id.*

(1103) Seu de Carraceda ordinis S. Benedicti in diocesi Asturicensi, quod monasterium circa annum 990 a Bermundo rege fundatum Cisterciensibus donavit Alphonsus VII, rex Hispaniarum. *Id.*

cupimus sic procedere in hoc negotio, ut non vituperetur bonum nostrum, nec homines illi occasionem habeant detrahendi. Proinde remisimus ad vos negotium, ut scandalum istud compescere studeatis. Et si aliter noluerint illi desistere, iudicio, ut dignum est, domini Zamorenensis [Zamorensis] episcopi et domini Asturicensis velitis et faciatis hanc

A controversiam terminari. Ubi enim vel eorum confessione, episcoporum iudicio innotuerit non habere eos unde adversum nos super hoc possint vel debeant reclamare, parati sumus, iuvante Deo, sic ordinare locum, ut et vestra devotio gratuletur, et Deus glorificetur in opere vestro.

*Epistolæ sequentes, ex variis auctoribus in unum collectæ, nunc primum sancti Bernardi operibus accensentur. Ultimam, seu quadringentesimam sexagesimam, de cujus genuitate tamen est unde merito dubitetur, in appendicem, ne interturbaretur ordo, amandare nolimus. EDITOR PATROLOGIÆ.*

### PRÆFATIO IN EPISTOLAM SEQUEMTEM.

(AMADUZZI, *Anecdota litteraria ex mss. codicibus eruta*, tom. IV, pag. 229. Romæ apud Antonium Fulgonium, 1783, 8°.)

Francisco M. BANDITIO, Ariminensi, archiepiscopo Beneventano et S. R. E. cardinali amplissimo, Joannes Christophorus AMADUTIUS.

Qui litteris operam navant, quique eruditis pabulum præbere student statis quibusdam operibus, id potissimum curant, ut primum varietate rerum omnibus placeant, tum ut ea, quæ uniuscujusque intersint, singulis consentanea faciant. Vides, cardinalis amplissime, me in eo esse, ut anecdotis quibusdam opusculis varias litteratorum classes detinendas oblectandasque susceperim; quod ut assequar, varia tum idiomatis et orationis, tum ætatis et argumenti diversitate distinctas lucubrationes jamdiu mihi edendas proposui. Quare si quæ sunt quæ præcipue spectari debeant hac præsertim temporum corruptione, quæ se miris litterarum scientiarumque progressibus sædè immiscuit, ea esse cum primis censui, quæ ad sacra pertinerent, quæque vel fidei præstantiam, vel morum castitatem præseferrent. Verum quam ipse unquam gratiam inirem, si hujusmodi res munusculi instar iis præberem, qui ludicris levibusque crepundiis assueti (nam cæteros, qui impiis nefuriisque commentis detinentur, utpote omnino aspernandos non moror) gravia ac severa quæque ad stomachum usque fastidiunt? Sua ergo sponte fuit cogitatio, quæ ad te unum deligendum, cui beati Bernardi abbatis Claræ-Vallensis epistolam adhuc anecdotam inscriberem ac nuncuparem, me nunc potissimum commonescit. Tu, qui ea studia sedulo coluisti, quæ tuum institutum in primis decent, qui ad bibliothecam omni scriptorum genere instruendam in Ariminensi clericum regularium collegio animum tot annorum spatio intendisti, quique eos præsertim auctores consecraris, qui et tuam præclaram dignitatem, et pastoralem procuratorem præceptis, et exemplis juvent, ac excitent, libentissime quidem excipies opusculum, quod a clarissimo, sanctissimoque Cisterciensis ordinis alumno concinnatum tibi nunc statuo. Is enim fuit divus Bernardus, ut singulos fore hominum ordines instituendos epistolis suis sibi proposuisse visus fuerit: quandoquidem laicos, monachos, clericos, abbates, episcopos, cardinales, et ipsos quoque summos pontifices in Eugenio III scriptis suis pro dignitate erudit, atque informavit, singulis præbens castigatioris vitæ perquam apta documenta. Epistola quam nunc profero ea est qua laicum variis humanæ, rectæ tamen honestæque politice præceptis imbuendum suscipiat; quorum sane plura cum privatum hominem, quem se esse sentiat semper unusquisque quantacunque dignitate præcellat, respiciant, facile singuli ea vindicent atque arripiant quæ sibi peculiariter convenire intellexerint. Nulla vero in cæteris, sive epistolis, sive scriptis quibuscunque S. Bernardi abbatis mentio occurrit hominis ad quem epistolam hanc hactenus ineditam inscriptam animadvertimus. Qui vero et epistolus et scripta cætera sanctissimi hujus Ecclesie doctoris, atque ea potissimum quæ Mabillonius tanquam genuina et a spuris distincta proposuit (1104), accurata lectione percurrerit, facile in hac etiam styli dulcedinem, orationis ardorem, eloquii sanctitatem, sententiarum gravitatem, leporum copiam, quæ eidem potissimum tribuuntur, non ægre deprehendet. Quod si id asserere detrectaverit, saltem anxium sancti scriptoris imitorem hanc scripsisse epistolam fateri omnino cogetur. Hanc nos quidem obtinimus a viro clarissimo Angelo M. Bandinio, qui ex codice membranaceo sæculi XIV, ineuntis, bibliothecæ Mediceo-Laurentianæ, cui ipse pro meritis suis præest, excipit, et ut ederemus, nobis pro sua humanitate induxit. Exstat ipsa etiam in duobus aliis ejusdem bibliothecæ codicibus, quos omnes ipse accurate recensuit (1105); quod dum primum facit, epistolæ ingenuitatem in aliquod suspicionis dubium revocare videtur, forte ut severioribus critices regulis, quas docti interdum impensius amant, morem gerat. Habet et ipsa bibliotheca alios codices divi Bernardi opera continentes, et eam quidem quæ in Mabilloniana editione desiderentur. Cum illa vero nec pauca, nec exigua sint, ac multo egeant examine, seduloque comparationis studio, eadem nunc innuisse sufficiat, rejectis interim in inam oram eorundem indicium, quæ præsto esse possint iis quibus hanc spartam deinceps ornare libeat (1106). Porro alibi

(1104) Parisiis apud Montalan 1719, tom. IV.

(1105) Vid. tom. II; *Catalog. codd. mss. Latin. biblioth. Laurent.* cod. 45, plut. 46, § 2, col. 587, et tom. III, cod. 5, plut. 78, § 3, col. 159; tum ibid. cod. 138, plut. 80, num. 8, pag. 86, col. 697.

(1106) Plut. 14, cod. 18, § 22: Liber de quatuor principalibus virtutibus prudentia, magnanimitate, constantia, justitia. Inc. *Quatuor virtutum species*

multorum sapientium sententiis definitæ sunt. Des. æquo vivendi sine servaveris. Vide Bandinium in catalogo tom. I, col. 122.

Ibid. § 27: De oblatione laudis. Inc. *Oblatio nostræ laudis, quam Deo immolamus*, etc. Des. *martyrium divinum*. Sunt variæ brevesque sententiæ. Vid. ibid., col. 123.

Ibid. § 38: De immensa charitate Dei Patris, de

etiam alia habentur sancti nostri doctoris opera, quæ absunt a laudata editione, quæque forte eadem quoque ac quæ exstant in codicibus Mediceo-Laurentianis esse possent; quod sane nonnisi diligenti perquisitione assequi quis poterit. Scilicet cl. Martinus Gerbertus abbas S. Blasii in *Silva Nigra* ait in *Itinere Alemannico* (1107) haberi in mss. operibus sancti Bernardi asservatis in bibliotheca Augustæ Vindelicorum nonnulla quæ haudquaquam in Mabillonii editione occurrant, quæque examen aliquod postulent. Insuper ipse ibidem (1108) profert epistolam omnino brevem, erutam ex cod. ms. sæculi XIII bibliothecæ Oehenhusanæ, quam S. Bernardus G. de Stopho scribit, quæque in laudata editione frustra quæreretur. Non aspèranda quidem, imo plurimi æstimanda illius scriptoris opera, quæ ecclesiasticam traditionem, et Patrum serièrè claudant, quæque scholasticorum barbariem, quæ mox religionem, in scientias, ac litteras irrepsit, feliciter antevertant. Nec te interim pigebit, Cardinalis amplissime, si insuper addam epistolam alteram, non eam quidem a divo Bernardo exaratam, sed a matrona quadam, quæ ab ejus concilio, disciplinaque penderet, ad ipsum scriptam. Non te quidem latet, sanctissimum abbatem nostrum, cum pluribus lectissimis feminis epistolarum commercium exercuisse, ut docent ipsius epistolæ a Mabillonio recensitæ, ac datæ ad reginam Jerosolymorum, ad Mathildem reginam Anglorum, ad Sanciam sororem imp. Hispaniæ, ad ducissam Lotharingiæ, ad ducissam Burgundiæ, ad Ermengardam quamdam comitissam Britanniæ, ad Idam comitissam Nivernensem, ad Blesensem comitissam, ad Beatricem nobilem, et religiosam matronam, ad Sophiam virginem, ad abbatissam Faberniacensem, ac postremo tandem ad nonnullas sanctimoniales. Amanuensis fortasse incuria (nisi id alia etiam culpa factum fuerit) matronæ, quæ hanc nostram epistolam scripsit, nomen nobis invidit; neque etiam institutæ a nobis hac de re observationes quidquam lucis attulerunt. Hanc epistolam quinetiam nobis communicavit laudatus Bandinius, qui ipsam ex codice altero Mediceo-Laurentiano, eoque membranaceo sæculi XV eruere satègit (1109), nobisque edendam concessit. Quam vellem, ut ego gratum, et obsequentem in te animum meum prodere nunc studui, sic tu meam hanc voluntatem, et observantiam æqui bonique consuleres! Sed quid ab antiqua tua, planeque singulari humanitate nunc mihi polliceri non dubitem? Quæ quidem humanitas etsi stimulis non egeat, nec precibus locum relinquat, patere tamen, Cardinalis amplissime, ut de ea jugiter mihi conservanda tanquam de re mihi tum charissima, tum spectatissima, cujus instar eorum, qui pretiosas res possident sollicitum esse decet, te majorem in modum exorandum nunc censeam. Vale.

Datis Romæ Idibus Augusti anno a Christo nato 1780.

#### EPISTOLA CDLVI.

AD RAYMUNDUM DOMINUM CASTRI AMBRUSII.

(Ex codice membranaceo sæculi XIV bibliothecæ Mediceo-Laurentianæ edidit Joannes Christophorus AMANDUTIUS.)

**367** <sup>o</sup> Gratoso militi et felici RAYMUNDO, domino Castri Ambrusii, BERNARDUS in senium deductus salutem.

Doceri petis a nobis de cura et modo rei familiaris utilius gubernandæ, et qualiter patresfamilias debeant se habere, ad quod tibi respondemus. Licet omnium rerum mundanarum status, et exitus sub fortuna laborent, non tamen hoc timore est

mira filii obedientia, et Spiritus sancti benignitate. Inc. *O immensa Dei Patris charitas, qua adeo dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Des. malum legere Salmonem, quam legere Salomonem. Vid. ibidem, col. 124.*

Plut. 16, cod. 1, § 17: Bellum de perfectione servorum Dei. Inc. *Peccantes prima excipit negligentia sui, deinde curiositas rerum exteriorum. Des. et hæc est perfectio servorum Dei. Vid. ibid. col. 160.*

Ibid. § 24: Sermo de octo beatitudinibus per modum dialogi, et correspondet superiori proximo sermone. Inc. *Simile est regnum cælorum monacho negotiatori, qui audiens proximarum nundinarum opinionem. Des. ubi tantam habuit copiam, et facultatem lucrandi. Vid. ibidem col. 161.*

Ibid. § 29. De passione Domini in septem horis canonicis meditanda. Inc. *Septies in die laudem dixi tibi. Rogasti me, ut aliquem modum contemplandi in passione monstrem tibi. Des. et sedebis juxta eum ad monumentum ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui vivit, etc. Vid. ibid. col. eadem.*

Ibid. § 33. De cœlesti gloria, ad quam festinare debemus. Inc. *Festinemus ingredi illam sancta civitatem, in qua filius virginis est rex. Des. et quidem perpetuus minimeque fucatus candor vitæ æternæ. Vide ibidem col. eadem.*

Ibid. § 34. Speculum monachorum. Inc. *Fratres charissimi, locus iste, in quo convenimus, locus sanctus est. Des. et gaudere mereamini, præstante eodem Domino nostro, qui cum Patre, etc. Vid. ibid., col. 162*

A vivendi regula omittenda. Audi ergo, et attende.

Quod si in tua domo sumptus et reditus sunt æquales, casus inopinatus poterit destruere statum ejus. Status hominis negligentis domus est ruinosus. Quid est negligentia gubernantis domum? Ignis validus in domo accensus. Discute diligenter eorum diligentiam, et propositum, qui tua administrant. Labenti, nondum lapsa facultatibus minus verendum est abstinere quam cadere. Sæpius revidere, quæ tua sunt, quomodo sint, magna prudentia est. Cogita de cibo et potu animalium tuorum; nam esuriunt, et non petunt. Nuptiæ sumptuosæ damnum, sine honore conferunt. Sumptus pro militia hono-

Ibid. § 35: Laus de Domino Jesu Christo. Inc. *Quam pulcher es angelis tuis, Domine Jesu. Des. Domine, quis similis tui? Est brevissimum. Vid. ibid., col. ead.*

Cod. 3, § 5, pag. 65. De amore Dei. Inc. *Magna res est amor, quo anima per semetipsam. Des. Non cessant mihi dicere, ut amem Deum meum. Vid. ibid. col. 165.*

Ibid. § 6, pag. 66 v°. De excellentia et utilitate orationis. Inc. *Dominus dicit in Evangelio, quoniam oportet semper orare, etc. Des. et compendium faciam, orat et ipse Dominus Jesus Christus, etc. Vid. ibidem col. ead.*

Ibid. § 8, pag. 68 v°: Quomodo in pace vera obdormit anima, et requiescit. Inc. *In pace in idipsum dormiam, et requiescam. Pax, inquam, illa, per quam, et qua, etc. Des. qui cum tanta fiducia psallebat, in pace in idipsum dormiam, et requiescam. Vid. ibidem col. ead.*

Ibid. § 9, pag. 70 v°: Vita S. Bernardi, quam dedit cuidam monacho ad bene religioseque vivendum. Inc. *Si vis plene assequi quod intendis, duo tibi sunt necessaria facienda. Des. sin autem, roga Deum, ut tibi dimittat, qui est misericors et pius, benedictus in sæcula. Vid. ibidem col. eadem.*

(1107) Pag. 175, et seq.

(1108) Pag. 216.

(1109) Vid. tom. I *Catalog. codd. mss. Latinor.* cod. 2, plut. 16, pag. 234, col. 163.

rabilis est, sumptus pro juvando amicos rationabilis est. Sumptus pro juvando prodigos perditus est. Familiam grosso cibo, non delicato nutrias. Qui gulosus effectus est, vix aliter quam morte mōres mutabit. Gulositas vilis et negligentis hominis putredo est; gulositas solliciti et diligentis hominis sotatium est. Diebus paschalibus abundanter, non delicate pasce familiam tuam. Fac gulam litigare cum bursa, et cave cujus advocatus existas. Si autem inter gulam et bursam iudex existas, sæpius, sed non semper pro bursa sententiam feras. Nam gula affectionibus probat, et sic testibus non juratis, bursa evidenter probat, jam arcis et cellario vacuatis, vel in brevi tempore vacuandis: tunc male iudicas contra gulam, quando avaritia ligat bursam; nunquam recte inter gulam et bursam avaritia iudicabit. Quid est avaritia? Sui homicida. Quid est avaritia? Paupertatis timor. Semper in paupertate vives: recte vivit avarus in se, non perdens divitias, sed aliis reservando. Melius est aliis reservare, quam in se perdere. Si abundas blado, non diligas canestrum. Diligens canestrum cupit esse pauperum homicida. Vende bladum, cum satis valet, non quando per pauperem emi non potest. Vicinis minori pretio vende, etiam inimicis; non semper gladio, sed sæpe servitio vincitur inimicus. Superbia contra vicinum balenum est; expectas tonitru cum sagitta. Habes inimicum capitalem, in carcere positus es, habes inimicum, quæras tuum oculum pro custode. Si habes inimicum, conversationem non habeas cum ignotis. Semper cogita quod inimicus sagax cogitat inimici vias. Debilitas inimici non est loco pacis, sed tregua ad tempus. Si te (1110) securus non cogitare, quæ tu cogitas, inimicum, periculo te exponis. De feminis tuis suspectis quid agant, ignorantiam, non scientiam quæras. Postquam sciveris crimen uxoris, a nullo medico curaberis: dolorem de mala uxore tunc mitigabis, quando audies de uxoribus alienis. Cor nobile et altum non inquit de operibus mulierum; malam uxorem potius risu, quam baculo castigabis. Femina meretrix et senex omnes divitias annullabit; femina senex et meretrix, si lex permitteret, viva sepelienda esset. De vestibus nota quod vestis sumptuosa probatio est pauci sensus. Vestis minus apparens cito vicinis tædium parit: stude bonitate placere, non veste. Mulieris petitio habentis vestes, et vestes quærentis, non indicat firmitatem. De amicis teneas quod major est amicus qui sua tribuit quam qui seipsum offert; de illis magna est copia amicorum. Amicum non reputes qui te præsentem laudat; si consulis amico, non quæras placere sibi, sed rationi. Dicas in consulendo amico, sic mihi videtur, non præcise sic agendum est. Facilius de malo exitu consilii redargutio sequetur quam de bono laus. Audivi quod te visitant joculariter, attende quæ sequuntur. Homo

A joculariter intendens, cito uxorem habebit, cuius nomen est paupertas. Sed quis erit hujus uxoris filius? Derisio. Placet tibi verbum joculariter, sige te non audire, et alia cogitare: ridens et gaudens de verbis joculariter jam pignus sibi dedit. Joculariter improperantes digni sunt suspendio. Quid est joculariter, mala improperans? Animal homicidium secum portans. Joculariter instrumentorum Deo placuerunt. Audi de famulis. Famulum alti cordis repelle ut futurum inimicum. Famulum tuis moribus blandientem repelle. Famulo et vicino te laudantibus resiste, alias te cogitat decepisse. Famulum de facili se verecundantem dilige ut filium. Si vis ædificare, inducat te necessitas, non voluntas. Cupiditas ædificandi ædificando non tollitur, nimia et inordinata ædificandi cupiditas parit, et exspectat ædificiorum venditionem. Turris completa et arca vacuata faciunt valde tarde hominem sapientem. Vis aliquando vendere, cave partem hæreditatis non vendas te potentiori, sed potius minori pretio, te minori. Totum autem vende plus offerenti. Melius est gravem pati famem quam patrimonii venditionem; sed melius est partem vendere, quam te usuris subicere. Quid est usura? Legalis latro, prædicens quod intendit. Nihil emes in consortio potentioris: parvum consortem patienter sustineas, ne tibi societas fortiosem. Quævivisti de usu vini. Qui in diversitate et abundantia vinorum est sobrius, ille est terrenus Deus. Ebrietas nil recte agit, nisi cum in lutum cadit. Sentis vinum, fuge consortium. Sentis vinum, quære somnum, antequam colloquium. Qui se esse ebrium verbis excusat, suam ebrietatem aperte accusat. Male sedet in juvene vina cognoscere. Fuge medicum scientia plenum, exercitio non probatum. Fuge medicum ebrium. Cave tibi a medico volente in te experiri qualiter alios de simili morbo curabit. Caniculos valde parvos dimitte. Clericis et reginis canes custodes utiles sunt. Canes ad venandum plus constant quam conferant. Habentem filios dispensatorem tuorum bonorum non instituas. Sed dices: Si aversetur fortuna, quid prodest vivendi doctrina? Audi quod de hoc viderim stultos omittentes continentiam, et tandem se excusatos sub fortuna; et venit aliquando fortuna, sed servans doctrinam raro accusabit fortunam. Raro enim diligentiam cum infortunio sociabis, et rarius a pigritia infortunium separabis. Exspecta piger sibi subveniri a Deo, qui vigilare præcepit in mundo. Tu ergo vigila, et levitatem expendendi cum gravitate lucrandi compensa. Appropinquat senectus; consulo quod Deo potius quam tuo filio te committas. Disponis legatum; consulo quod prius servitoribus quam sacerdotibus solvi mandes. Diligentibus personam tuam non committas animam. Committè animam tuam diligenti animam suam. Dispone de rebus ante morbum; sæpe quis efficitur infirmitatis servus, et servus testari non

(1110) Sic. — Lege: Si non es securus, etc.

potest. Liber ergo testeris, antequam servus efficiaris. Sufficit tibi quod dictum est de testamentis. De filiis audi. Mortuo patre, quærent divisionem, si nobiles sunt; melior est sæpe eorum aspersione per mundum, quam hæreditatis divisio. Si laboratores sunt, faciant quod volunt; si mercatores, tutior est divisio quam communio, ne unius infortunium aliis imputetur. Mater autem forsitan remaritari quærit; stulte agit; sed ut peccata sua deploret, utinam ipsa senex accipiat juvenem, nam non ipsam, sed sua quæsit; quibus habitis, bibet cum eo deloris calicem quem optavit, ad quod eam perducatur meta suæ vitæ damnabilis senectutis. Amen.

Deo gratias.

(*Litteras matronæ cujusdam vide infra inter epistolas diversorum ad S. Bernardum, sub num. 477.*)

### EPISTOLA CDLVII.

AD UNIVERSOS FIDELES.

*De expeditione in terram sanctam. Festum SS. Petri et Pauli quo apud Magdeburgum conveniant, designat.*

(Anno 1147.)

[BOCZEK, *Codex diplomaticus et epistolaris Moraviæ. Olomucii 1836, 4<sup>o</sup>, t. I, p. 253, ex codice ms. Olomucensi sæc. XIV signato CXXVI.*]

**367** <sup>11</sup> Dominis et Patribus reverendis archiepiscopis cæterisque episcopis et principibus et universis fidelibus Dei, BERNARDUS, Claræ-Vallensis vocatus abbas, spiritum fortitudinis et salutis.

Non dubito quin auditum sit in terra vestra, et celebri sermone vulgatum, quomodo suscitaverit spiritum regum Deus et principum ad faciendam vindictam in nationibus et exstirpandas de terra Christiani nominis... Magnum bonum magna divinæ miserationis ubertas! Verumtamen videt hoc malignus et invidet more suo; frendet dentibus et tabescit; multos amittit ex his quos variis criminibus et sceleribus obligatos tenebat: perditissimi quique convertuntur declinantes a malo, parati facere bonum. Sed aliud damnum veretur longe amplius de conversione gentium, cum audivit plenitudinem eorum introituram, et omnem quoque Israel fore salvandum. Hoc ei nunc tempus imminere videtur, et tota fraude satagit versuta malitia, quemadmodum obviet tanto bono. Suscitavit proinde semen nequam filios sceleratos paganos, quos, ut pace vestra dixerim, nimis diu sustinuit Christianorum fortitudo, perniciose insidiantes dissimulans, calcaneo suo nec conterens capita venenata. Sed, quia dicit Scriptura: *Ante ruinam exallabitur cor*, fiet ergo, Deo volente, ut eorum superbia citius humilietur, et non propter hoc impediatur via Hierosolymitana; quia enim verbum hoc crucis parvitati nostræ Dominus evangelizandum commisit, consilio domini regis et episcoporum et principum, qui convenerant Frankonovort, denuntiamus armari Christianorum robur adversus illos, et ad delendas penitus, aut certe convertendas nationes illas signum salutare suscipere, eandem eis promittentes indulgentiam peccatorum,

A quam et his qui versus Hierosolymam sunt profecti. Et multi quidem signati sunt ipso loco, cæteros autem ad opus simul provocavimus, ut qui ex Christianis necdum signati sunt ad viam Hierosolymam, noverint eandem sese indulgentiam hac adepturos expeditione, si tamen præstiterint in ea pro consilio episcoporum et principum. Illud enim omnimodis interdiximus, ne qua ratione ineant foedus cum eis, neque pro pecunia, neque pro tributo, donec, auxiliante Deo, aut ritus ipse, aut natio deleatur. Vobis sane loquimur archiepiscopis et coepiscopis vestris, opponite omnino, ut maximam super his geratis sollicitudinem, et quantumcunque potestis, studium adhibeatis et diligentiam, ut viriliter fiat; et secundum Deum ministri Christi estis, et idcirco fiducialius a vobis exigitur, ut negotio ejus, quod ad vos spectat, invigiletis. Nos quoque plurimum id rogamus et obsecramus in Domino. Erit autem hujus exercitus, et in vestibus, et in armis, et faleris cæterisque omnibus eadem quæ et alterius exercitus observatio, quippe quos eadem retributio munit. Placuit autem omnibus in Frankonovort congregatis, quatenus exemplar istarum litterarum ubique portaretur, et episcopi atque presbyteri populo Dei annuntiarent, et eos contra hostes crucis Christi, qui sunt ultra albi (*sic*), signo sanctæ crucis consignarent et armarent; qui nimirum omnes in festo apostolorum Petri et Pauli apud Magdeburg convenire debent.

### EPISTOLA CDLVIII.

AD WLADISLAUM DUCEM, MAGNATES ET POPULUM BOHEMIÆ.

*Omnes ad expeditionem Hierosolymitanam invitat, idemque negotium episcopo Moraviensi commendat.*

(Anno 1147.)

[BOCZEK, *ubi supra* p. 255, ex eodem codice.]

Duci WLADISLAO cæterisque nobilibus et universo populo Bohemiæ, BERNARDUS Claræ-Vallensis abbas vocatus, salutem in Christo.

Est mihi sermo ad vos de negotio Christi, in quo est etiam salus vera. Quod loquor, ut indignitatem personæ scribentis excuset apud vos auctoritas Domini; excuset consideratio utilitatis vestræ; excuset, quæ in nobis est intentio charitatis. Modicus quidem sum, sed non modice cupio omnes vos in visceribus Jesu Christi. Hic zelus urget ut scribam quod libentius viva voce cordibus vestris inscribere laborarem, si, ut voluntas non deest, suppeteret et facultas. Sed spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Obtemperare non potest corruptibile corpus animæ desiderio, nec spiritus velocitatem moles terrena valet comitare; sed quod hinc queremur, abest a vobis portio nostri; sed quæ utilior est, cor nostrum, usque ad vos dilatatum est, etsi corpus onerosum terrarum intercapedo delineat. Audiat ergo universitas vestra verbum bonum, audiat verbum salutis, et oblatam indulgentiæ copiam devotis quibusdam animæ brachiis amplectatur. Neque

enim simile est tempus istud cæteris, quæ hucusque præteriere, temporibus; nova venit e cælo divinæ miserationis ubertas; beati quos superstites invenit annus placabilis Domino, annus remissionis, annus utique jubilæus! Dico vobis, non fecit Dominus taliter omni retro generationi, nec tam copiosum in patres nostros gratiæ munus effudit. Videte quò artificio utitur ad salvandum vos; considerate pietatis abyssum, et obstupescite, peccatores: necessitatem se habere facit, aut facit, aut simulat, dum vestris necessitatibus subvenire de cælo venit; consilium hoc nec ab homine est, sed a corde pietatis divinæ processit. Commota est et contremuit terra, quia Dominus fecit perdere terram suam. *Suam*, inquam, [suppl. in qua] visus est et annis plus quam xxx homo inter homines conversatus. *Suam*, quam honoravit nativitate sua, illustravit miraculis, dedicavit sanguine, sepultura ditavit. *Suam*, in qua vox turturis audita est, cum Virginis Filius castitatis studium commendaret. *Suam*, in qua primi apparuerunt flores resurrectionis. Hanc repromissionis terram cœperunt occupare maligni, et nisi fuerit qui resistat, ad ipsum inhiant nostræ religionis sacrarium, lectumque ipsum maculare conantur, in quo propter nos obdormivit vita nostra in morte, et profanare loca sanctorum, loca dico Agni immaculati purpurata cruore. Audite amplius aliquid quod movere debeat quamlibet durum pectus hominis Christiani. Accusatur proditoris Rex noster; imponitur ei quod non sit Deus, sed falso simulaverit quod non erat. Quis in vobis est fidelis ejus, surgat, defendat Dominum suum ab impositæ proditoris infamia; securum conflictum ineat, ubi sit et vincere gloria, et mori lucrum. Quid moramini, servi crucis, quid dissimulatis vos, quibus nec robur corporum, nec terrena substantia deest. Suscipite signum crucis, et omnium, de quibus corde contrito confessionem feceritis, plenam indulgentiam delictorum hanc vobis summus pontifex offert, vicarius ejus cui dictum est: *Quodcunque solveris super terra, erit solutum et in cælo*. Suscipite munus oblatum, et ad irrecuperabilem indulgentiæ facultatem alter alterum prævenire festinet. Rogo et consulo,

A ne propria quisque negotia Christi negotio velit præferenda, nec propter ea quæ temporibus aliis potuerunt vel poterunt exerceri, illud omittat quod recuperari ultra non possit. Et ut noveritis quando, qua, quomodo sit eundem, paucis audite: in proximo Pascha profecturus est exercitus Domini, et pars non modica per Hungariam ire proposuit. Illud quoque statutum est ne quis aut variis aut grisiis, seu etiam sericis utatur vestibus; sed neque in equorum faleris auri vel argenti quidpiam apponatur, tantum in scutis et ligno sellarum, quibus utentur; cum ad bella procedent aurum vel argentum apponi licebit his qui voluerint, ut refulgeat sol in eis et terrore dissipetur gentium fortitudo. Copiosius hæc et latius prosequi oportuerat, nisi quod habetis apud vos dominum Moraviensem episcopum, virum sanctum et doctum, quem exoratum volumus esse, ut secundum sapientiam, quæ data est ei a Domino, diligentius super hoc universitatem vestram studeat exhortari. Exemplar quoque litterarum domini papæ misimus, cujus admonitionem intentissima debetis aure percipere, et ejus observare decreta. Valete.

## EPISTOLA CDLIX.

AD G..... DE STOPHO.

[OIM BERBERT, *Iter Alemannicum*, 1765, 8°, p. 216.]  
BERNARDUS, Claræ-Vallensis vocatus abbas, dilecto in Christo filio G. de STOPHO, salutem et orationes.

C Charissimus filius noster frater tuus Henricus ad nos divertit, et consilio nostro salutaris signi quod acceperat, propositum non deposuit. Sed longe meliora: uti pauper enim factus pro paupere Christo, in domo pauperum Christi sub religionis habitu disposuit conversari. Quod tibi nec grave debet videri nec asperum, quia ipse cum Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eo, et faciem induit vere euntis in Hierusalem, non quæ occidit prophetas, sed eam, cujus participatio in idipsum. Consolare igitur in verbis istis et memento quid inter vos novissime fueritis colloqui. Et sic age cum eo de omnibus, ut a nobis et ab ipso gratiam, et a Deo misericordiam consequaris. Bene vale, semper dilecte.

## MONITUM IN SEQUEMTEM EPISTOLAM.

[Eugenius de LEVIS, presbyter, *Anecdota sacra, sive collectio omnis generis opusculorum veterum SS. Patrum*, etc. Augustæ Taurinorum 178..... 4°, p. 50.]

A pluribus historicis, ut apud Carolum Visch, et editores operum ejusdem sancti abbatis plurima alia opera S. Bernardi asservari in manuscriptis, et nundum edita hinc inde delitescant edocti sumus. Cum vero hæc epistola in quodam codice nostro sæculi XIII, in membrana exarato, legatur inter diversa alia opera jam edita, et plura S. Bernardo attributa, dubia vel supposititia, ut sunt De interiori domo, De conscientia ædificanda, et Sermo de doctrina S. Bernardi ad quemdam suum monachum, eam edere curamus, ne in pulvere delitescat.

Quis vero sit ille frater N., cui hanc scripsit sanctus Bernardus, ignoramus, cum nobis compertum non fuerit vel quo loco vel ad quod monasterium ipse N. pertinere dicatur. Veremur tamen ne hæc alicujus solitarii sit, cum de solitudine loquatur in documento 11.

## EPISTOLA CDLX.

AD N....

[LEVIS *Anecdota sacra*, p. 51.]

367 In Christo suo fratri dilecto N., frater

BERNARDUS, in Domino qualicumque veteri jam exuto homine Christo vivere, et mori mundo.

Quoniam, dilecte mi frater in Domino, adhuc me in poenitentia posito, me instantissime supplicasti, ut te



in posterum aliquibus spiritualis exhortationis litterulis visitarem, novi, frater, quod hoc dicens arden-tes carbones super caput meum congeris. Verumtamen affectuose instando duritiæ meæ, superbia omni tua supplici humilitate vicisti in tantum, ut hoc tibi jam promitterem, quod optabas, quamvis magis dignum foret hoc me a te quidem suscipere, quam me tibi hujusmodi destinare. Quia tamen instantia tuæ devotionis me compulit, stultum fieri in parte ista, sicut potero qualitercunque experiar, quod hortaris. Non tibi alia spiritualia quidem scribens, nisi ea, quamvis rudia et simplicia mihi colligere proponebam. Sed interim alloquor tuam dilectionem, cum nullus, sicut tu melius nosti, perfecte Deo servire possit; nisi omnino procuret se dissolvere a mundo. Oportet, si sequi volumus Deum Salvatorem, vocem nos audire prophetæ, ut *impietatis colligationibus dissolutis, dissolvamus fasciculos deprimentes*, sequamur Redemptorem, quia juxta Apostoli testimonium *Nemo militans Deo terrenis se debet negotiis implicare (II Tim. xii, 4)*. Nunquam igitur de aliqua re creata, nisi in quantum nostrum sunt incitantia divini amoris affectum cor nostrum esse sollicitum permittamus. Quia multiplex rerum labentium varietas plus debito ruminata, non solum animi distrahendo pacatam et mentis gratam interruptit quietem, verum etiam rerum gignendo phantasmata turbulenter quassationis molestia, importune impellit cadaver. Sed potius post affectum omnium terrenorum sarcinam onerosam depositam absque recordationis gravedine curramus ad illum qui nos invitat, in quo est animarum opulenta refectio, et pax summa, *quæ exsuperat omnem sensum*. Venite, inquit, ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. O Dei nostri dignatio admirabilis! o mansuetudo amabilis! o charitas ineffabilis! Quis enim hominum aliqua fecit talia? Quis unquam audivit, quis ne conspexit similia? Ecce invitat inimicos, hortatur reos, allicit ingratos: Venite, inquit, ad me, tollite jugum meum super vos, et invenietis requiem (Matth. xi, 19). O verba dulcissima! o verba suavissima! o verba deifica, et omni gladio penetrabiliora ancipiti, intima præcordium eviscerantia, nimiaque repleta dulcedine usque ad divisionem animæ pertingentia! Expergiscere igitur nunc, anima Christiana, ad tantæ benignitatis amorem, dulcedinis tantæ saporem, ad tantæ suavitatis odorem. Certe quod ista non sentio infirmus ero, jam proximus morti. Inardesce, quæso, anima mea, pinguesce, dulcesce in misericordia Dei tui. Inardesce fervore, pinguesce amore, et dulcesce sapore. Nemo te prohibeat in te trahere, tenere et gustare. Quid amplius querimus? Quid exspectamus? Quid ultra desideramus? In hoc enim uno habemus omnia bona. Sed, o heu insania nostra mirabilis! o infirmitas miserabilis! o vesania detestabilis! Nam vocamur ad requiem, et sequimur laborem, invitamur ad delectum, et sequimur dolorem; promittitur gaudium irretimur mœrore. Miserabilis

A prorsus infirmitas, miserrimaque perversitas! Jam enim quasi insensibiles facti sumus, quasi deteriores simulacris, habentes ante oculos, et non videntes; aures, et non audientes; rationem, et non discernentes; amarum in dulce, et dulce in amarum ponentes. O Deus nunc nobis tantæ perversitatis correctio? Unde tibi tantæ offensionis satisfactio? Certe nihil tale invenitur in nobis, nisi nobis tuo munere tribuatur: tu enim solus pro nostris delictis satisfacere, qui solus cognoscis figmentum nostrum, salus et redemptio nostra. Qui solum in illis hoc facis, qui se miseros conspicientes in intimis a te solo relevari se posse confidunt. Levemus sic ad Deum mentis nostræ oculos in directo, et videamus ubi nunc prostrati sumus, nam qui proprium casum ignorat surgere, minus curat. Cognoscentes ergo in fortitudine clameinus ad Deum de profundis, ut nobis adjutricem porrigat manum suæ misericordiæ, quam abbreviari nunquam potuit ad salvandum. Non, quæso, confidentiam amittamus magnam habentem remunerationem. Adeamus thronum gratiæ ejus cum fiducia, finem fidei nostræ reportantes salutem animarum nostrarum. Nulla nobis insit cunctatio, jam enim nos vocat salus, exspectat tribulatio, compellit intrare. Quid igitur facimus? Quid moras contrahimus? Festinemus ingredi illam requiem jucunditatis æternæ, festivitatis supernæ, refectionis internæ ubi sunt magna, et inscrutabilia, et mirabilia quorum non est numerus. Ascendat Jerusalem super cor nostrum. Suspiremus ad patriam nostram, tendamus sursum ad matrem nostram, introeamus in potentias Domini, et intueamur regem nostrum mansuetum super omnia regnantem, et liquescent in miserationibus ejus corda nostra. Agamus illi gratias toto corde, qui defectum nostrum considerans suæ a nobis non abstulit misericordiæ pietatem, desiderium nobis tribuens ipsius currere, quod non est munus per impendendum, se i gratiæ reputandum. Cum hoc prophetarum ille eximius se asserit concupiscere: *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore (Psal. cxviii, 20)*, sine qua hoc ipsum desiderium nostra incuria negligens aliqua nimia tepiditate lassescit. Cogitavi quædam incitationes hujus memorialia adnotare, in quibus fugienda pariter, et consequenda pateant. Quæ quidem cum affectu affectuose quotidie speculantes pristino vigore reassumpto tandiu infatigabiliter virtutibus, et gratis in charitate divina crescimus. Quoadusque perfectum veniat *desiderium collium æternorum*. Sunt igitur hæc virtutes quædam innumerabiles, et scalæ salubres, per quas sine dubio ad perfectionem virtutum, et culmen possunt ascendere, fideliter excitati per eas videlicet sancta verecundia in cunctis verbis, et actibus suis. Tarditas loquendi, promptitudo obediendi, frequentia orationis, fugere otium, et dissolutiones pure et frequenter consistere, libenter servire, infructuosum consortium devitare. Hæc namque sunt margaritæ quædam fulgentes, quæ possessorem

suam angelis et hominibus faciunt gratiosum, dum autem ei placuerit *qui te segregavit ex utero matris tuæ* (Galat. 1, 15), et vocavit per gratiam suam, ut in te revelaret imaginem filii sui, de miserabili Ægyptiaca servitute te transferens in libertate gloriæ filiorum Dei, tanquam in viam novi hominis cœperis pedem ponere, quæ inter timorem et amorem humilitatis est semita constituta, tunc per eandem humilitatis viam ad eminentiora ascendens poteris te in altioribus exercere. Ex quibus alia memorabilia subsequuntur.

Oportet igitur primum ante omnia te cupientem sequi vestigia Salvatoris, ut spem totam fixam haberes in Domino, de omnibus mundi hujus te desperes. Secundum, ut ab omnibus vitiis, et concupiscentiis malis in quantum sustinet humana conditio te ipsum studeas penitus emendare, *ut fermento veteri totius malitiæ, et nequitiae expurgato, ambules in novitate vitæ* (I Cor. v, 7), post Christum, quod nisi prius hujus catenas iniquitatis confregeris, anima tua in tenebris agravata ad cœlestia non poterit elevari. Tertium, ut a te ipso dissolvas omnem colligationem extrinsecam, ut mente possis Domino colligari. Quartum, ut amore Altissimi omnes mundi persecutiones æquanimiter feras uno, si possibile est; cunctas pro voto suscipiens solum in Christi passionibus delictis; renuens temporalem lætitiã in ipsis tribulationibus hilarescas; omnes reputans tibi ad purgationem peccaminum luctumque tuæ animæ præparatas. Quintum, ut cum sentias te tuo obnoxium Creatori, rationem tibi fieri non poscas ad aliqua creata. Sextum, ut habens despectum temetipsum, et cupiens ab omnibus haberi zelans, malensque sacratissimam paupertatem in omnibus, quæ ad te pertinent, asperitatem, vilitatem et paritatem habeas quantum potes. Sic tamen in aliis non requiras, sed potius lætus et gaudens de omni consolatione fraterna eis, si oportet, obsequendo, ministrando, assistas omni consolatione reputans esse dignos nisi absit, quod divina in aliquo, ita tibi patet offensio, quæ omni excusatione careret, de qua tamen compatiendo et timendo ex intimo corde doleas quantum potes. Septimum, ut vivens omni tempore in timore, blanditias hujus sæculi, honores, glorias vel favores, aurasque vanæ gloriæ, qui potationes mortiferas omnino fugias toto posse stans continuo in te ipso omni hora habeas te suspectum. Quod si tui ipsius fueris gloriam assecutus, nullus hostis interior vel exterior tibi nocebit. Octavum, ut amore illius, qui, cum sit Dominus omnium cœlestium, terrestrium et infernorum, pro nobis assumpsit vilissimi servi formam in eo subjiciens se voluntarie hominem peccatis humiliando temetipsum, omnem hominem reputes tuum dominum, et te reputes vilissime servum hominum, et in omnibus circa omnes te reputes sicut servum. Sic enim tranquillitatem, et pacem cum omnibus obtinens scandalum penitus ignorabis. Nonum, ut nihil eorum tangas, qui te spiritali utilitate non tan-

gunt, hoc est de nulla re cures, vel implices te in aliquo interius, vel exterius quoquo modo, ubi non invenis animo tuo lucrum, nec etiam in hujusmodi te ab aliquo implicari permittas. Decimum, ut visui, atque ori, cæterisque corporis sensibus omnimodam abstinentiam ponas, ita ut nihil prorsus, vel videre, audire, vel tangere studeas, nisi utilia tuæ animæ; linguam etiam perfecte restringes, ut nihil loquaris omnino, nisi interrogatus, vel necessitate, seu evidenti utilitate coactus, et tunc cum reverentia, timore, animique dulcedine breviter, et submisso, si potes, super devitans prolixitatem verborum, eorumque occasionem juxta posse præcidents. Undecimum, ut gratam sanctamque solitudinem possideas omni tempore, et operatione vigiliarum habeas pretiosam in ipsis, offeres Deo semper orationes tuas cum attentione verborum, devotionis fervore, humilitateque profunda. Duodecimum, ut cum divinum officium debes celebrare, ita faciens in te ipso obliviscaris omnium terrenorum quantum fixa, et immobili mente cœlestibus insistendo mysteriis cum tanta illorum reverentia, devotione, et timore persolvas, qui inter angelorum agmina constitutus divino conspectui laudes principaliter offeras cum eisdem. Terciumdecimum, ut gloriosam reginam Domini nostri matrem in summo habens omnis temporis venerationis affectu, in cunctis ad eam necessitatum articulis ac pressuris, tanquam ad singulare et tutissimum refugium te convertas, fiducialiter ipsius tutelæ præsidium flagitando, eamque in tuam suscipiens advocatam devotissime, ac secure tuam ei committas causam, quæ est misericordiae mater, quotidie studens ei placere, ac spiritualem et singularem reverentiam exhibere, et tua ei devotio sit accepta, et reverentia grata ipsius puritatis munditia, omni virtute, mente et corpore illibata in te ipso servando toto conatu nitaris humilitatis ac mansuetudinis ejus sequi vestigia. Quartumdecimum, ut unquam mulieres omnes juvenes, et imberbes præter necessitatis vel manifestæ utilitatis causam devitans, unum ubicunque fueris eligens tibi patrem, unum quidem discretum, sanctum, mansuetum et pium, doctum in experientia operis, potiaturque sublimitate sermonis, qui te verbis, et exemplis efficacibus, et ignitis ad divinum amorem instruat, ad quem etiam in cunctis necessitatibus tuis possis habere recursum, et spirituale consolamentum. Quintumdecimum, ut omnem frigiditatem tristitiæ, vel acidiæ, in qua latet via confusionis, quæ ducit ad mortem a te ipso summo studio depellens interius, exteriusque serenus semper existas. Nulli ullo modo contradicens in aliquo, vel resistens, sed potius omnino per omnia requiescens, duntaxat divinæ laudi, vel salutis animæ non obsistant. Sextumdecimum, ut affectiones tuas omnes ac voluntates conformans voluntati divinæ omnia te ædificet in hoc mundo puritatis et innocentiae gratia divinæ, tibi munere elargita, nec aliorum unquam, plusquam debito defectibus perturbatus, iniquitati addendo

iniquitatem alienis sordibus polluaris, ne, dum cupis alios de pelago liberare, deterius ipse corruas in profundum potius, igitur quibus non potes sine detrimento prodesse operiens charitate benigna illi summæ sapientiæ derelinque, quæ bona novit eligere de malis quibuscunque, sic in omnibus bonis pariter, atque malis spiritualem Deo concedente poteris reperire profectum. Decimumseptimum, ut cor tuum serves omni custodia, solisque spiritualibus exercitiis deditum nullæ tibi exercitium visibilibus rerum imagines imprimantur, ut a creaturis omnibus alienus liber possis omnium Creatori vacare. Decimumoctavum, ut imaginem ac similitudinem majestatis divinæ considerans in omnibus hominibus, ita omnes diligas intimo charitatis affectu omniumque, et maxime infirmorum, et quorumcunque indigentium curam geras, dummodo circa spiritualia non fiat tibi noxia destructio, sicut bona mater diligit, atque curat unicum filium prædilectum. Decimumnonum, ut continue mentem tuam ita habeas cum Deo ordinatam, quæ omne tempus tuum exercitium semper tam mentis quam corporis sit oratio, omniaque exercitia, servitia, et maxime viliora, vel humilia cum tanto facias charitatis fervore, ac si ea Christo corporaliter exhiberes, quod certe potes, et debes, et veraciter cogitare, quia Christus dicit in Evangelio: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (Matth. xxv, 40). Vigésimum, ut honorem et reverentiam omnibus exhibeas tam debitam quam devotam, et sanctissimam obedientiæ normam non solum in magnis et arduis, sed etiam in minimis, qui pupillam oculi studeas custodire illæsam, obediensque quidem non solum majoribus et prælatis, sed etiam omnibus te subjiciens quibuscunque abnegando te ipsum pro Christo in omnibus et differentibus, alius, studeas facere voluntatem, in nullo te præbens alicui onerosum, sed potius in charitate Christi, et diligens universos te ipsum communiter omnibus gratum reddens, affabilitates, amicitias, familiaritates fugias singulares, præ omnibus autem cavens, ne unquam verbo, facto, vel gestu alicujus rancoris, odii, clamoris, injuriæ,urbationis, murmurationis, detractionis scandali, vel adulationis, et quorumcunque similium aliqua ratione, vel modo per te, vel per alium causa vel occasio fias. Vicesimum primum, ut virtutes vel gratias spirituales, quas per te, vel in te divina largitio operari dignatur, tribulationesque, et prælia virtutum, quæ proposita, et similia ab omnibus studeas quantum potes, iis tamen exceptis, quæ proprio sacerdoti in propria debent accusatione detegi, nisi forte alicui tuo spirituali, et probato amico ei spiritualis utilitatis causam revelares, cujus consilium vel doctrinam in hujus tibi credas posse conferre, sollicitus semper furare tempus ubique, ut possis solitariæ orationi vacare, et tacendo sedeas solitarius elevatus desiderio ad superna. Vicesimum secundum, ut solutus ab omnibus nihil tenere desiderans, jam contemptis omnibus charis, tanto mentis conatu

A desiderii, quæ fervore circa universorum Creatorem intendas, ut qui omnium inferiorum oblitus quidquid agas ubicunque steteris, et quibuscunque negotiis impliceris die ac nocte, omni momento, et omni hora Deum semper habeas in memoriam, credens, et cogitans te semper esse coram eo verissime, et cogitans ipsum undique te conspicere, hæc cogita cum maxima reverentia, timore pariter et tremore, cum summa discretione, et ardentissimo amore nunc ante pedes immensæ majestatis ejus prostratus corde amarissimo peccatorum veniam postulando; nunc sacratissimæ passioni Filii Dei gladio compassionis confossus, coram ejus cruce vulneratus cum eo, lacrymosus, et flebilis apparendo; nunc totius vitæ decursum tuæ obliquitati, velut rectitudinis lineam proponendo; nunc innumerabilia, et immensa ejus beneficia mente pertractans gratiarum actionibus insistendo; nunc stimulis alicujus amoris ardentissimi punctus ipsum in creaturis omnibus intuendo; nunc potentiam, nunc sapientiam, nunc bonitatem ejus et clementiam attendens, eum magnifice in cunctis operibus suis collaudando; nunc desiderio patriæ cœlestis attractus gemebundis suspiriis anhelando; nunc circa nos viscera inexistentibilis charitatis considerans lætabunda et excellentissima admiratione, corde et animo in Christo deficiendo; nunc te præcipitem tenentem fugientem, nunc enim te tenentem, sublevantem et attrahentem; nunc ingratum te per omnia existentem, considerans ineffabilibus divinæ misericordiae tibi visceribus patefactis, nimio in eum charitatis ardore te conferens totum in fletibus resolvendo; nunc vero occultissima, profundissima, admirabilissima, et summa arcana, nimiumque stupenda judicia justitiæ ejus diligenter attendens eum in omnibus sceleribus, et constans cum summo amore, ingentique timore descendens suppliciter, et humiliter venerando præ omnibus; aut continuam et vivam memoriam ipsius sacratissimæ passionis. Vicesimum tertium, ut super custodiam tuam vigiles omni tempore ab antiqui hostis fraudibus, quæ sæpe se in angelum lucis transfigurans in omni via hominum laqueos tendit et retia, ut animas nostras valeat captivare, sollicitudine cautissima venantium laqueos fugiens, sicut passer, tantæque parvitas humilitate sancta in oculis tuis fias, ut nec subtilissima ejus retia te valeant continere, a quibus sane tunc poteris liberari illæsus, cum effectus fueris Israel, continue mentalibus oculis videns Deum, quia neque dormitabit, neque dormiet ejus custos. Vicesimum quartum, ut tenens indefessum instituti sancti rigorem sacris ardoribus cœlestium desideriorum succensus, mentis ac corporis munditiæ pulchritudinem, innocentiae puritatem, conscientiae rectitudinem illibate conservans, curam diligentissimam tenens, ne tenendo unquam in aliquo resipiscas. Ad quod diligentius, et purius conservandum quotidiana discussione septies in die examines vitam tuam, semper vide post

quamlibet canonicam horam, an ambulationis dignæ Deo sine macula justitiæ et sanctitatis. Et quod nemo est, qui sic justitiam et disciplinam servet, ut nihil penitus negligat vel omittat, et ideo necessarium est, ut ad prænitentiæ lavacrum recurrens cum dolore et gemitu sæpissime tuæ accusationi insistas, in qua quidem accusatione sicut confessione integre veraciter et pure, sine omni velamine excusationis vel occultationis, per ordinem omnes tuos recensendo defectus tanquam Deo sacerdoti dicens ore proprio intimare, narrando proprias omissiones, quas in his, quæ sunt ad Deum, fecisti, et maxime in oratione quantum supplicem ejus actum mentalem scilicet, et vocalem defectus in observatione justitiæ

A quantum ad primum, post hæc commissiones, quas egisti ex mala custodia sensuum, et sensibus adjacentium affectionum et cogitationum. Quam quidem confessionem semper debet contritio et satisfactio comitari; doleas de offensis non solum magnis, sed etiam et modicis, et dolendo caveas reiterare culpam, semper studens causas et occasiones peccati præcidere, quantumcunque per amorem etiam videantur tibi esse conjunctæ, quod juxta Salvatoris justitiam, sententiam, eruendus est oculus scandalizans, imo occasiones peccati, quæ quidem apparent nobis nimium delectabiles, etiamsi nobis multum displiceant eorum affectus, unde fortissimum est in hac pugna certamen.

## APPENDIX AD EPISTOLAS S. BERNARDI. (1111)

### I.

#### EPISTOLÆ DUBIÆ VEL SPURIAE.

##### EPISTOLA CDLXI.

AD MATTHÆUM ALBANENSEM EPISCOPUM.

*Super Evangelio Lucae, cap. XVI, 1-9: « Homo quidam erat dives qui habebat villicum. »*

Reverentissimo domino suo MATTHÆO venerabili Dei gratia Albanensi episcopo, frater BERNARDUS, utique suus quidquid servus domino et filius patri (1112).

Quod a Roma per dominum SERVULUM charissimum nostrum Velvacensem abbatem supereminentia magnitudinis vestrae parvitati meae mandaverat, videlicet ut ea quæ super evangelium de villico iniquitatis Deus mihi dixisse donaverat, vobis transcriberem, etsi sero nunc tandem non minimum pavidus, ne quid ibi insulsum vos offendat, transmitto. Super hoc igitur quæso vos in me pietatis et charitatis abundare visceribus, quatenus et ignoscatis mihi quod distuli et emendatis vobis incorrectum quod obtuli. Auctoritati namque prudentiæ vestrae

(1111) Hæc Appendix continet S. Bernardi dubias spuriasve epistolas nonnullas; quasdam item a Nicolao Claræ-Vallensi ejus nomine scriptas; tum epistolas ad eundem a diversis hominibus scriptas; ad hæc chartas Bernardi; cum quibusdam aliis monumentis quæ ad illustrandas Bernardinas epistolas conducere visa sunt. Omnia partim ex libris editis, partim ex mss.

(1112) Epistolam hanc descripsimus ex manuscripto codice Verdinensi, ubi exstat post Vitam et Miracula S. Bernardi abbatis Claræ-Vallensis. Matthæus Albanensis episcopus, cui inscribitur, ex monacho Cluniacensi factus Prior Sancti-Martini a Campis, inde creatus est cardinalis et episcopus Albanensis, apostolicæ Sedis in Gallia legatus, ad quem exstat sancti Bernardi epistola 21. Servulus seu Serlo, de quo epistolæ initio, Belvacensis Sancti-Luciæ monasterii abbas erat, quæ omnia

B reservavi id ad corrigendum, et suppliciter offero, et cultellum qui vulgo *Quinivers* nuncupatur, habens de ebore manubrium cum chartula mitto, quatenus imposturam quam avulsione dignam adjudicaveritis, meo gladio succidatis. De cætero autem precor vestrae pietatis abundantiam, ne in orationibus vestris obliviscamini mei, quia sine oblivione quotidie vestri memor, ubi propensius postulo misericordiam Dei. Valete.

*Explicit epistola.*

LECTIO SANCTI EVANGELII:

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc, etc.*

##### 368 EPISTOLA CDLXII (1113).

C AD QUOSDAM NOVITER CONVERSOS (1114).

*Hortatur ad constantiam propositi vitæ religiosæ et ne anteactæ vitæ peccatis se deterreri sinant.*

1. Super bono nuntio quod de vobis auribus no-

ætati S. Bernardi conveniunt. Hanc tamen epistolam suspectam et pro adulterina habemus: verum non fuit ideo prætermittenda. Referenda videtur ad annum 1153. MART.

(1113) Antea epistola 385.

(1114) Etsi hæc epistola pia est, nescio quid tamen contortum ac elaboratum habet; quod Bernardi genium et dicendi facilitatem non sapit. Et in ipso epistolæ contextu quiddam habetur Bernardi sententiæ non satis conveniens. Hanc invenimus in uno codice Vaticano, notato 663, et quidem extra ordinem aliarum epistolarum, post « homiliam B. Bernardi de Contemptu mundi, » sub hoc titulo, « Epistola ejusdem consolatoria; » quo ex codice quædam loca hic emendavimus. Fortasse ex illarum est numero epistolarum, quas Bernardi jussu ejus notarii quandoque suo Marte scribebant.

stris insonnit, vehementer gavisus est anima mea et exsultavit cor meum in Domino, qui vos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, et vocare dignatur, ut in præsentibus justificet, et glorificet in futuro. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui jussit lumen suum splendescere in cordibus vestris: quatenus contemnentes hujus sæculi vanitates et insanias falsas, ad gloriandum in spe gloriæ filiorum Dei de intimis animæ medullis trahatis suspiria; eligentes et proponentes abjecti esse in domo Dei nostri, magis quam habitare in tentoriis peccatorum. Confirmet autem Deus in vobis bonum quod inspiravit propositum, ne antiquus et inimicus hostis humani generis vos vel a proposito avertere, vel subvertere possit in proposito: ne videlicet blandiente vobis vana et insana hujus sæculi delectatione, ad perficiendam carnis curam in desideriis animum denuo revocetis, quod est averti a proposito: aut in ipso religionis introitu, lenocinantibus imperfectioni vestræ extrinsecis consolationibus, carni potius quam spiritui consulatis, quod est in proposito subverti. Quidam enim sæculo abrenuntiaturi (ut salva pace omnium dixerim) illorum maxime conversationem æmulantur, quibus majorem sollicitudinem incutit carnis suæ fragilitas, quam spiritus infirmitas. Unde gravioribus relictis turpitudinibus, crapulæ tamen applaudunt et tam ciborum quam potuum exigunt superfluitatem: non satis diligenter animadvertentes, multa licere quæ non expediunt, quia profectum poenitentis graviter impediunt.

2. Super hac re, charissimi, consuatis eum qui, quod impossibile est cujuscunque legis observantiæ, in quo infirmatur per carnem, de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis in his impleatur, qui non secundum carnem ambulant. *Quicunque enim in carne sunt*, sive in habitu, sive extra habitum religionis, si verax est, imo quia verax est Apostolus, *Deo placere non possunt* (Rom. viii, 8). Multum enim citra profectum proficit, imo infra imperfectum vehementer deficit, cujus gula deus est. Consulatis, inquam, Dominum nostrum Jesum Christum, qui non solum langoribus, sed et nostris erroribus volens mederi, de secreto suo ad publicum nostrum prodiit; et inter hæc et illa afferens remedium, sicut langores evacuavit moriens in cruce, ita et errores destruxit, et mores instruxit, dum vixit in carne. Ipse nimirum utpote qui peccare non poterat, et universorum Dominus erat, cum mundi hujus deliciis libere et juste uti potuisset, voluntariam paupertatem tamen tam diligenter amplexus est, ut nec etiam haberet ubi caput suum reclinaret. In cujus paupertatis executione tantam exhibuit Patri obedientiam, ut non solum delicias, sed et se ipsum sibi abnegaverit, petens in omnibus non suam, sed Patris fieri voluntatem. Qui ergo hominem errantem in solitudine et in iniquo venerat reducere in viam rectam, ut iret in civitatem habitationis; salubriorem et securiorem redeundi viam

A exemplo suæ conversationis nobis ostendit, nihil proprium in mundo possidens, Patri obediens usque ad mortem. Ejus ergo exemplo deliciae nobis fugiendæ sunt, et bonum obedientiæ toto mentis ac corporis conatu amplectendum: ut qui inobediendo recessimus a Deo, per obedientiæ legem redire mereamur. Sed sunt qui dicunt: Ut quid in miseria tormentorum affigemus animas nostras, cum Deus non delectetur in cruciatibus et licite mundo utentes salutem invenire possimus? Filii hominum ut ad vos verbis utar Apostoli, *hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu: qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* (Philipp. ii, 5-7). Si ergo hoc sentitis de ipso, quod licet justa et æquali prærogativa majestatis, formam Dei habere posset et exhibere, ipsam tamen exiit et induit servilem; non ut aliquid in se evacuaret usurpatum, sed ut nostrum reprimeret supercilium: si hoc, inquam, sentitis de ipso; propter hoc ipsum et vos vestram exinanialis transitoriam felicitatem, ei qui se pro nobis miserum fecit, cum miser non esset, vicem rependentes, non de vobis faciendo quod non estis, sed in vobis ostendendo quod estis: ut quos facit miseros necessitatis conditio, miseros fateatur voluntatis devotio.

4. Itaque, dilectissimi, ut ad vos redeam, in hac valle lacrymarum et miseriarum, si christiani estis, ea via qua Christus ambulavit et ipsi ambuletis. Væ homini duabus viis ingredienti (Eccli. ii, 14). Si enim caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt (I Cor. xv, 50); carnalibus profecto consolationibus spirituales sociari impossibile est. Qui ergo debitorem et procuratorem carnis se constituit, ut magis sterilem pascere, quam viduæ studeat benefacere, nullum religionis jugum quamlibet leve, quamlibet suave videatur, ei tolerabile est. Unde contingit ut neque hic, ubi sine murmure esse non potest, neque in futuro, ubi poenam murmurationis tolerari necesse est, pacem inveniat. Ubi autem non est pax, nec Deus, quia in pace factus est locus ejus (Psal. lxxv, 5). Jugum tamen Dei suave est et onus leve (Matth. xi, 30). Sed quibus? Spiritui ejus et qui eo aguntur (Rom. viii, 14). Qui sunt illi? Non servi carnis, sed filii Dei. Vultis cognoscere filios Dei? Qui spiritu facta carnis mortificant, quorum membra templum sunt Spiritus sancti, quem a Deo acceperunt: ut jam non sint sui, nec sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit, empti videlicet pretio magno pretiosi sanguinis Christi. Unde et portantes eum et glorificantes in corpore suo, utique honorificant eum: quia non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus confitentur eum. *Qui autem confitetur eum coram hominibus, confitebor, inquit, et ego eum coram Patre meo* (Matth. x, 32).

5. Bonum est ergo confiteri Domino in gratiarum actione, bonum est quoque confiteri Dominum in

operum exhibitione : ut Christus nos confiteatur in districta singulorum examinatione, quando nos oportuerit manifestari ante tribunal ejus, ut unusquisque referat propria corporis, sive bonum, sive malum, prout gessit in corpore (*I Cor. v. 10*). Harum utrarumque confessionum, et ejus qua homo confitetur Deum, et ejus qua Deus confitetur hominem, si vultis esse participes, nolite ulterius evagari in exterioribus, diffusi in vanitates et insanias sæculi: sed reversi ad vos intrate ad cor vestrum, ubi sine dubio regnum Dei est. Regnum enim ejus intra vos est (*Luc. xvii, 21*). Quid est hoc regnum? Sana et libera voluntas hominis, ita se conformans voluntati Dei, ut nihil velit quod sciat ei displicere; nihil nolit quod sciat ei non placere. Primum ergo quærite regnum Dei, ut liberetur et sanetur voluntas vestra, veneno sæculi graviter imbuta vel corrupta; et omnia corpori necessaria adjicientur vobis. Nolite solliciti esse de corpore quod est hæreditas vermium: sed solliciti estote de anima, quæ ad imaginem Dei facta est, quomodo revelata facie gloriam Dei speculetur, et in eandem imaginem reformetur, et transformetur a claritate in claritatem, tanquam a Domini spiritu.

6. Quid dulcius fratres mei, quid jucundius, quid sanctius inter corporea corpore Christi? Et tamen dictum est Apostolis: *Nisi ego abiëro, Paracletus non veniet*. Dum enim corporali Christi præsentia videndo et audiendo delectati sunt, nunquam eis perfecte datur, sed semper promittitur Spiritus sanctus. Etenim **370** inquit, *cum assumptus fuero, mittam eum ad vos* (*Joan. xvi, 7*). Christo enim adhuc vivente in carne, nonne Petrus negavit ad vocem ancillæ? Christo autem assumpto et misso Spiritu sancto, nonne ibant gaudentes Apostoli a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt propter nomen Jesu contumeliam pati? (*Act. v, 41*.) Longe ergo eminentior et dulcior virtus Spiritus sancti, quam delectatio corporis Christi. Quod si tam excellentis et beati corporis carnalis delectatio potuit ab Apostolis avertere Spiritum sanctum, sine cujus affectione nihil quod bonum est potest amari, sine cujus virtute nihil salutiferi oneris potest tolerari: vos ipsi judicate an non miseri sunt et insani, qui ad religionem venturi, delicias corporis quærunt. Venientibus quippe ad religionem non est consideranda carnis fragilitas, ut ei delicate subserviat, sed impedimenta fervoris spiritus, ut sollicite fugiantur.

7. Festinate ergo fieri pauperes spiritu, et inopes rebus, ut Dominus sit sollicitus vestri. Hujusmodi enim paupertatis, voluntariæ videlicet, et ex volun-

(1115) Non putamus id dicturum fuisse Bernardum: nec damnationem æternam, in qua nulla erit humanæ voluntatis cum divina consensio, imo obstinata ac detestanda ab ea defectio, in sententia Bernardi fuisse de genere rerum illarum, quas divinæ voluntati committere debeamus volentes. Id patet ex sermone 25 de Diversis, ubi distinguens ea quæ a Deo sub conditione, et quæ absolute petere

A late necessariæ, via segura et recta est: alioquin Christus eam non fuisset ingressus. Cæteræ viæ, etsi bonæ sint, plenæ tamen sunt latronibus. Semita hujus paupertatis, quia ardua est, et pauci per eam ascendunt, insidias latronum ignorat. Non enim frequenter ponunt latrones insidias, ubi frequens non est transitus viatorum. Dico vobis in veritate, quæ Deus est, et experto credite: quia hæc via quanto arctior, quanto molestior videtur in ingressu, tanto lætior, tanto jucundior invenitur in progressu. In ingressu exigit meritum, in progressu rependit præmium. Etenim non solum in futuro vitam æternam possidebitis, sed et in præsentibus centuplum accipietis, non solum in bonis spiritualibus, sed et in temporalibus, si cor non apposueritis. Ipsa siquidem bona temporalia, sunt, si non amantur, licita; si amantur, illicita. Sive autem amantur, sive non amantur, non multum expediunt, quia quadam sui dulcedine cor possidentis cito subvertunt. Quæ vobis dubitandi occasio? Pauca relinquitis cum sollicitudine, totum mundum assumetis in possessionem sine sollicitudine. *Omnia enim vestra sunt, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura: omnia, inquam, vestra sunt*. Tamen vere subjungi potest, *Vos autem Christi, sicut Christus Dei* (*I Cor. iii, 22, 23*): id est, si, sicut Christus in omnibus operibus suis Patrem suum glorificavit, ita et vos in omni actu vestro ejus gloriam quæsieritis.

8. Si enim Christus in operibus vestris apparuerit gloriosus, a quo vobis trepidandum est? Ipse utique solus est, in cujus manu sit salus, et condemnatio nostra. Si condemnat, benedictum sit nomen ejus, quia sic meruimus (1115): si salvat, gloriosum sit nomen ejus, quia superabundavit misericordia iudicio. Pater enim omne iudicium dedit Filio. Quis tamen est qui condemnet? Jesus Christus? pius, inquam, et dulcis Jesus, qui mortuus est pro delictis nostris; qui resurrexit propter justificationem nostram; qui est ad dextram Patris, ubi etiam interpellat pro nobis? Militans in terra, regnans et in cælo, nihil sitit nisi nostram salutem: et ipse fugientibus ad se referet confusionem? Absit! Quantumcunque gravis se ingerat memoriæ meæ recordatio scelerum meorum, quantumcunque me deterreat præteritæ vitæ meæ horribilis consideratio, faciant alii quod censuerint expedire; ego semper sentiam in bonitate de dulcedine Domini mei Jesu Christi, semper oculi mei ad misericordiam ejus: sciens nimirum et quandoque in me experiens, longe efficaciorum ejus dulcedinem ad consolandum, quam vitæ meæ amaritudinem ad desolandum; multoque promptiorem ejus benignitatem ad indulgendum, quam meam

debeamus, in hoc genere gratiam Deo gratum facientem, et gloriam in futuro reponit, n. 5. In epistola 42, ad Henricum Senonensem, n. 13, Mosis quidem excessum amoris volentis fratrum causa deleri de libro vitæ, et Pauli anathema esse cupientis, ad gehennam ipsam extendit, sed cum bona conscientia, quæ non compellit damnatis, quorum mentio est hac in epistola.

iniquitatem ad delinquendum. Scio utique, quia non est iniquitas, sicut iniquitas **371** mea: sed e regione, non est dolor sicut dolor ejus. Si supra modum peccavi, non despero, quia supra modum doluit, in quo respiro. Si exasperatur Deus immanitate sceleris mei, mitigatur procul dubio in dolore satisfactionis Filii sui: quia mitis et innocens Agnus in cruce pendens, utpotè qui coram tendente se obmutuit, non improperat circumstantibus, et insanientibus in eum; sed dulciter suggerit transeuntibus per viam, et respicientibus ad eum. Sic enim scriptum est: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus (Thren. 1, 12.)* Hoc siquidem de cruce clamat transeuntibus. Sed unde transeuntibus? De mundo, non cum mundo. Qua, et quo transeuntibus? Per viam momentaneae paupertatis, ad divitias aeternae felicitatis. Id enim quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis: si tamen contemplerur non ea quae videntur, sed quae non videntur (*II Cor. iv, 17, 18*).

9. Non haec scribo vobis, ut in peccatis securius delectemini: quia Altissimus, qui et ipse Jesus Christus, odio habet peccatores, et misertus est poenitentibus. Si poenitentia, imo quia poenitentia est vobis necessaria, locus et tempus poenitentiae vobis non deest. Ecce enim tempus acceptabile, in quo, etsi non cruor martyrum, labor tamen in Christo antiqui serpentis astutiam triumphat, et dejicit fortitudinem. Locus autem apud nos idoneus et delectabilis, non ad gaudendum, sicut in saeculo, sed ad lugendum quod commissum est in saeculo: ubi quidem multum subtiliter et utiliter praedicatione seniorum, sed multo subtilius et utilius examinatione conversationis eorum, et in malo destruimur, et instruimur ad bonum. Deus autem totius misericordiae et consolationis faciat vos socios nostrae

(1116) Antea epistola 367.

(1117) Duas sequentes epistolas Horstius huc retulit et tomo primo Annalium Bernardi Brito-Lusitani, qui alias sub nomine ducissae Lotharingiae ad Bernardum, et Bernardi ad eam litteras ex Gallico (si ei credimus) idiomate translatae vulgavit. Sed alium ejusmodi epistolarum fidejussorem optamus. Certe Bernardi genius, stylus, modestia in eis desiderari videntur. Genuina est Bernardi epistola 308 ad Alfonsum Regem; itemque Petri abbatis Claræ-Vallensis octavi epistola ad Regem Portugalliae, cui gratias agit ob relevatam suorum fratrum inopiam et oblationem monasterii de Castineria, apud Chesnium tomo IV, pag. 480. Quae sequuntur notae Horstii sunt.

(1118) Rem gestam vide prolixè narratam apud Henriquez in Fasc. lib. 1 dist. 4, cap. 27; et in Menologio ad diem vigesimam Augusti, pag. 273, ubi videbis Bernardum, etsi in Galliis agentem, velut alterum Moysen, extensis in caelum manibus, Alfonso in Lusitania Scalabim munitissimam Saracenorum urbem oppugnanti, tanquam alteri Josue, suppetias et victoriam contulisse: idque quia sola nominis ejus fama permotus Alfonsus opem illius, licet tanto intervallo distantis, imploraverat.

(1119) Memorabile Bernardi vaticinium, quod

congregationis. ut sitis participes illius internae consolationis, quam in vobis quandoque sentire, sed a nobis nunquam potestis audire. Valet.

#### EPISTOLA CDLXIII (1116).

AD ALFONSUM REGEM PORTUGALLIAE (1117).

*Rex, obtenta de Saracenis victoria, reus voti de condendo Cisterciensibus monasterio tenebatur. Itaque postulat e Clara-Valle monach Bernardus mittit in Lusitaniam.*

Christianissimo et pio ALFONSO regi Portugallorum, BERNARDUS, Claræ-Vallis vocatus abbas, modicum id quod est.

Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatus est vos in tribulatione vestra, dum abstulit opprobrium Saracenorum a cervicibus vestris. Ceciderunt muri Jericho, cecidit Babylon magna, destruxit Dominus munitiones inimicorum suorum, et extulit cornu populi sui: quod etiam antequam fieret rescivimus, revelante Spiritu, qui ubi vult spirat absque auditione vocis. Propter quod animas nostras affliximus, et tam parvitas mea, quam reliqui fratres mei coram Domino provoluti, decertantibus manibus vestris, robur et fortitudinem postulabamus (1118), et ex eo quod iniquitates nostrae vestram non impediverunt felicitatem, summe lætati sumus. Rescivimus etiam ingentem pietatem, qua commotus votum de ædificando cœnobio Altissimo devovistis. Quapropter mittimus hos filios, quos lacte doctrinae ab incunabulis religionis Christo nutrivimus: quatenus nos ipsos celsitudini vestrae commendantes, piam voti intensionem ad debitam executionem perducant, illud condentes monasterium, in cujus duratione et **372** integritate indelebile habebitis elogium regni vestri, et in divisione reddituum dividetur a vobis corona vestra (1119.) Servet vos, et illustrem regi-

nostris annis complevit eventus. Sed id te malo ex ipsis ejus gentis auctoribus plenius cognoscere. Audi ergo Angelum Manriquez Lusitanum Ordinis Cisterciensis theologum: « Quod autem ibi dicit, *in divisione reddituum, dividetur a vobis corona vestra*, nostris temporibus evenit. Sebastiano enim in Africa misere extincto, Henricus cardinalis regnum obtinuit, qui partem reddituum monasterii Alcobaciensis aulico cuidam assignavit, et rex brevi fato cessit, nullum hæredem relinquens: et rex Hispaniarum Philippus II in hæreditatem intravit, extincta antiqua Lusitanorum regum progenie. In dicto autem monasterio mille monachi simul habitabant, qui die ac nocte incessanter divinis laudibus insistebant. Qui divisi erant per decanos tali ordine, ut in choro laus perennis haberetur. Primis enim post absolutas laudes matutinas e choro egredientibus, alii succedebant; quibus etiam abeuntibus, alii intrantes easdem decantabant, ita ut nunquam chorus sine monachis videretur. » Sic prophetiam hanc explicat R. P. Angelus Manriquez in Laurea evangelica, et in Annalibus, et ex eo Henriquez in Fasc. c. lib. 1, dist. 4, cap. 27, et rursus in Menologio ad diem vicésimam Augusti.

Illic occurrit opportune non minus memorabile consilium, seu potius vaticinium de eodem Henrico

nam consortem Servator cunctorum, et benedicat A te ipsum signiferum et ducem cæterorum elegit, ut prolem vestram, ut videatis filios filiorum vestrorum, et principia agas, et actum ad exitum ducas, ductumque Deo, et ejus Præcursori offeras.

EPISTOLA CDLXIV (1120).

AD JOANNEM CIRITAM (1121).

*Cognito divinitus ejus zelo ac desiderio, mittit e Clara-Valle monachos ad fundandum in Lusitania monasterium.*

Venerabili fratri, Deo dilecto, et in via sæculi hujus socio nostro JOANNI CIRITÆ, BERNARDUS, Claræ-Vallis vocatus abbas, salutem in salutis auctore.

Permittente Patre misericordiarum, et Deo totius consolationis (1122), qui non sinit animas peccatorum peccatis damnari, scivimus de Fraternalitate tua, quo pacto assiduis orationibus pro peccatorum venia pectus divinum pulsare non desinis: et quia B vir desideriorum es, adimplevit Dominus desiderium tuum, dum nobis aperuit exaudiri deprecationes tuas (1123). Et qui in eadem societate nos tibi sociavit, qui duobus discipulis euntibus Emmaus se socium præbuit; mittimus hos filiolos, quos lacte evangelicæ doctrinæ Domino nutritivimus, ut quocumque miseratio divina disposuerit, et coeleste aliquod micaverit signum, monasterium condatis: in quibus

rege Lusitaniæ, sed jam tum cardinale et archiepiscopo Eborensi, quod in Vita S. Caroli Borromæi legisse memini, nec abs re futurum puto, si hinc in gratiam lectoris addidero. « Sebastiano Lusitaniæ rege absque filiis mortuo, creatus est rex Henricus S. R. E. cardinalis ejus patruus, quem vehementer rogatum, regni optimates, præsules, populique exoraverunt, ut uxorem vellet ducere: sperabant enim ex eo, quamvis ætate confecta, procreandum in imperio qui succederet. Præter universi regni solatium, pietati religionique valde consentaneum esse, discordiis, bellis calamitatibus occurrere, quæ Henrico mortuo, nullo regiæ domus relicto successore, propemodum necesse erat exsistere. Henricus, ut episcopus, religione solvi, uxorisque ducendæ facultatem a Gregorio pontifice sibi concedi postulat, Eodem tempore Mediolanum ad Carolum dat litteras: adductum se a Lusitanis suis, ut conjugio consentiret: quo tanquam unico remedio tranquillitati provinciæ posset consuli: grave admodum sibi esse, ducereque id cujusdam loco sacrificii, in quo seipsum pro suorum salute immolaret: sed publicæ quieti cedendum judicasse. Vehementer igitur rogare, ut, quantum eniti posset, ad eam concessionem Pontificem perducere conaretur. Idem viri principes alii majorem in modum a Carolo postulabant, negotiumque ejus auctoritati commendant.

D « Carolus amicissimi optimique regis postulationi, non quod is velle videtur, sed quæ sanctæ Ecclesiæ putaret conducere, respondet: Magni quidem interesse videri, quærere Lusitanis, qui ei sine controversia legitime posset in regno succedere: sed tali antistiti potestatem facere conjugii, rem omnium videri gravissimam, neque ullo unquam tempore concessam. Personæ Deo dicatæ, in alio genere, factam quandoque dici potestatem nuptiarum: quod nullo tamen satis certi probatique auctoris testimonio fere confirmatur: omnino exoptatos ejusmodi nuptiarum, vel publicæ quietis, vel successionis eventus minime contigisse: maxima etiam inde publice ac privatim exstitisse incommoda, unde magnæ utilitates expectarentur: probandam magis atque imitandam quorundam regum continentiam, qui matrimonio conjuncti, cum recte ac legitime filios possent suscipere, nulla tamen hæredis successorisve habita ratione, singulari cæstimonie studio, tali

et principia agas, et actum ad exitum ducas, ductumque Deo, et ejus Præcursori offeras.

EPISTOLA CDLXV (1124).

AD ABBATEM SANCTI-BENEDICTI.

Domno abbati Sancti-Benedicti, frater BERNARDUS de Clara-Valle, sanctam accipere benedictionem.

Oportet ut ex instanti festinelis ad dominum Regem, et totam confusionem nostram, et quomodo proditi sumus, ei tanquam benigno domino nostro plenissime indicetis. Et quia gaudemus ex parte, quod negotium ejus in causa nobis fuit hujus anxietatis, pro eo siquidem quod domino Senonensi consulimus; de die statuenda, quod nobis bene ante promiserat, ita confudit, sic in nos vindicans Regis amorem. Petite et ab eo litteras efficacissimas super hoc negotio, ut dominus Papa omnimodis confirmet, quod fecerunt filii obediens, duo scilicet episcopi: quia et sibi gratissimum, et Ecclesiæ necessarium est. Nec noceat quod ita tertius se subtrahit, inobediens mandato apostolico, et regalium contemptor monitorum: qui si ad eum venerit, sentiat nostram injuriam, et injuriam singularem, Regi non placere.

matrimonii usu abstinuerunt, quanto magis qui cælibem vitam professi sine singulari quadam venia sese ad connubium referre non poterant? Quæ dixerat, allatis exemplis confirmavit. Postremo in re tanta tanque difficili, nihil se aliud probare posse dixit, quam ut quibus de causis ea facultas postulanda videretur, eæ causæ summo Pontifici candide, nulloque studio referrentur: quod is pro summa auctoritate divinoque afflatu judicasset, æquo animo voluntateque acciperetur. De re graviter ad pontificem scripsit, quid sibi maxime probaretur, indicavit: eventus qualis fuerit, ignorat nemo. Ita gravissimus scriptor Vitæ sancti Caroli Borromæi Carolus a Basilica, episcopus Novariensis,

Exstat in Spicilegii tomo VIII diploma Joannis regis Portugallensis, qui Menendo Alchobaziæ abbati monasterium Ceicense tradit æra MCCXXXIII.

(1120) Antea epistola 368.

(1121) Alias, *Ziritam*. Fuit is abbas et fundator monasteriorum Sancti-Joannis de Tarouca, Sancti-Christophori, et Sancti-Petri de Aquilis.

(1122) Eadem verba initio superioris epistolæ; et infra, « lacte evangelicæ doctrinæ. » Sanè quod ait de condendo monasterio, « ubi coeleste aliquod micaverit signum » a Bernardi moribus et genio alienum videtur.

(1123) Henriquez, ait Horstius, in Vita Joannis Ciritæ modum exauditionis explicat. Nimirum B. Bernardo anno 1119, vigesima quarta junii, post Vigiliarum laudes orationi in choro insistenti S. Joannem Baptistam apparuisse, jubentem, ut in remotiores Hispaniæ oras coloniam monachorum dirigeret, locum a Deo monstrandum monasterio congruum. Hinc Bernardum octo ex suis delegisse, nempe Boemundum, Aldebertum, Joannem, Bernardum, Cisinandum, Rolandum, et Alanum, eosque de divina voluntate commonitos in Hispaniam misisse; qui Joannem Ciritam, dato per S. Bernardum indicio, inventes, ejus ductu et auspiciis principis, monasterium Sancti-Joannis de Tarouca construxerint. Vide Henriquez in Fasc. lib. 1, dist. 19, et Manriquez in Annalibus, anno 1119, cap. 3.

(1124) Hæc epistola cum sequente edita est apud Chesnium, tomo IV sed neutra stilum Bernardi sapit.



Salutate charissimum nostrum cancellarium, et ro-  
gate, ut tales super hoc litteras scribat, quæ et suum  
proben, et regium erga nos redolere inveniantur  
affectum, sicut præsumimus de utroque.

## EPISTOLA CDLXVI.

AD LUDOVICUM REGEM.

LUDOVICO excellentissimo regi Francorum, domino  
suo, BERNARDUS abbas Claræ-Vallis salutem.

Scitis, mi domine, qualiter et ego, et res meæ  
sub tutela vestra positæ sint. Unde de amicitia vestra  
373 confidens, hunc clericum J. latorem præsen-  
tium precario commendo : quatenus vestra Subli-  
mitas, si opus sit, ipsum domino Papæ commendet,  
et querimoniam ipsius super pecunia episcopo nostro  
credita veram et justam esse me attestante credatis.  
Valete.

## II.

## NICOLAI CLARÆ-VALLENSIS IN PERSONA S. BERNARDI.

## EPISTOLA CDLXVII (1125).

NICOLAI CLARÆ-VALLENSIS AD COMITEM ET BARONES  
BRITANNIÆ, IN PERSONA DOMINI CLARÆ-VALLENSIS  
PRO NEGOTIO CRUCIS (1126).

1. Commota est et contremuit terra, quia hex  
coeli perdidit terram suam, terram ubi steterunt  
pedes ejus : inimici crucis ejus unanimiter simul  
adversus eum testamentum disposuerunt, et qui  
oderunt eum extulerunt caput. Dixerunt in corde  
suo cognatio eorum simul : Hæreditate possideamus  
sanctuarium ejus. Officinas redemptionis nostræ  
evertere moliantur, et loca Christi sanguine dedi-  
cata profanare contendunt. Præcipue autem illud  
christianæ religionis insigne, sepulcrum, inquam,  
in quo sepultus est Dominus majestatis, ubi facies  
ejus sudario ligata est, omni nisu nituntur evellere.  
Agitant manus suas super montem filiae Sion : et  
nisi Dominus custodierit, prope est ut irruant in  
civitatem sanctam Jerusalem, in civitatem Dei  
viventis, super quam invocatum est nomen ejus.  
Populi christiani partim conjiciuntur in vincula,  
partim trucidantur sicut oves occisionis. Videt et  
dissimulat ille magnus providentiæ oculus, ut videat  
si est intelligens aut requirens Deum, si sit qui  
doleat vicem ejus, qui restituat hæreditatem suam  
sibi. Et cum omnia possit, cui subest omnia posse  
cum voluerit, vult tamen nomini christiano victo-  
riam adscribere, et super tribulantes eos mittere  
manum suam.

2. Propterea instantissima postulatione domini  
Regis, apostolicoque præcepto in paschali solemni-  
tate ad Verseliacum celeberrimum locum advenimus,  
ubi dominus Rex cum principibus regni et populo  
multo ad diem festum convenerat. Expositus est autem  
lacrymabilis iste dolor in conspectu omnium, et reci-  
tatae sunt litteræ istæ domini Papæ, quarum exem-  
plar universitati vestræ transmittimus. Emollivit  
autem corda eorum Spiritus sanctus ; et statim Rex  
cum multa multitudine principum, et innumerabili  
populo, signo crucis Christi armatus est. Diffun-

B dicitur autem benedictio ista per universam ter-  
ram, et certatim evolant omnes ad suscipiendum  
sigillum salutis in frontibus et in humeris suis. Et  
quia terra vestra fecunda est virorum fortium, et  
militari juventute referta, decet vos inter primos,  
et cum primis ad tam sanctum opus accedere, et  
armatos ascendere ad serviendum Deo viventi. Eia  
igitur, fortissimi milites, accingimini ; et qui non  
habet gladium, emat eum. Nolite deserere solum  
Regem vestrum, Regem Francorum, imo Regem  
cælorum, pro quo ipse tantum viæ et laboris susci-  
pit. Venit ad vos homo Dei dominus Carnotensis, qui  
plenius vos doceat quæ dicta et facta sunt, et osten-  
dat largissimam veniam, quæ in litteris domini  
Papæ, super eos qui cruces susceperunt, continetur.  
C Pro illo qui pro vobis mori dignatus est, defendite  
loca mortis ejus et redemptionis nostræ, ne quando  
dicant gentes : Ubi est Deus eorum ? ut vos faciat  
victoriosos in terris, in cælis gloriosos, sponsus  
Ecclesiæ, filius Mariæ, Dominus Deus noster.

## EPISTOLA CDLXVIII (1127).

EJUSDEM AD MANUELEM COMNENUM CONSTANTINOPOLI-  
TANUM IMPERATOREM, IN PERSONA DOMINI CLARÆ-  
VALLENSIS.

*Ut filium comitis Theobaldi faciat novum  
militem (1128).*

Sublimi et glorioso MANUELI, Constantinopolitano  
imperatori, frater BERNARDUS Claræ-Vallensis voca-  
tus abbas, salutem et orationes.

D 1. Quod tantæ audeo scribere majestati, non inso-  
lencia temeritatis est, sed confidentia charitatis.  
374 Quis enim ego sum, aut quæ est domus patris  
mei in Israel, ut tanti nominis Imperatori nostris  
litteris audeam prævenire ? Pauper enim sum igno-  
bilisque persona, longo terrarum spatio et vastissimi  
maris interjectu remotus a præsentia vestræ Subli-  
mitatis. Quid ergo tantæ sublimitati cum tanta humi-  
litate, si non daret mihi fiduciam humilitas Christi,  
in qua, et de qua reges terræ et omnes populi,

(1125) Scripta anno Christi 1146.

(1126) Confer epistolam 363, ad cujus imitatio-  
nem hæc scripta est.

(1127) Scripta anno Christi 1146.

(1128) Agitur de Henrico ad quem epist. 179. Quoad  
cætera, vide epist. 363.

principes et iudices gloriantur? Ad nos enim usque **A** pervenit magnificentia et gloria nominis vestri, quæ longe lateque dilatata est super terram. Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem spirituum, ex quo omnis paternitas in cælo et in terra nominatur, ut de regno illo ad regnum illius transferamini, cujus regnum, regnum est omnium sæculorum.

2. Nullis igitur meis meritis præcedentibus audeo mittere ad thronum gloriæ vestræ præsentium latorem, juvenem magnæ nobilitatis, ut eum sacramentis militaribus applicetis, et accingatis ei ensem contra inimicos crucis Christi, qui adversus eum extulerunt caput. Et juveni quidem sublimium patebat aditus curiarum: sed altiori consilio mittimus ad illius imperii vestri gloriam singularem, ut memor sit omnibus diebus vitæ suæ, a quo militaris disciplinæ dignitatem suscepit. Nequaquam autem has **B** ivissem in preces, nisi Christus esset in causa, pro quo tantum viæ pariter et laboris assumpsit. Quidquid illi, vel pro illo feceritis, mihi factum est.

3. De cætero, gloriosissime Imperator, nunc opus est ostendendi et extendendi abundantiam suavitatis vestræ. Commota est et contremuit terra, quia Rex cæli perdidit terram suam, terram ubi steterunt pedes ejus. Prope est enim ut irruant inimici Domini in civitatem suam, etiam in illud gloriosum sepulcrum, ubi virgineus flos Mariæ linteis et aromatibus conditus est, unde et resurrexit ille primus et maximus flos qui apparuit in terra nostra. Propterea ad præceptum domini Papæ, et ad qualemcunque **C** exhortationem nostram Francorum Rex et innumerabilis multitudo principum, militum, populorum, transitura est per fines vestros ad civitatem Dei viventis. Vestrum erit eos honorifice suscipere, et agendum nunc pro loco quem tenetis, pro potestate quam accepistis, pro dignitate qua polletis, pro divitiis quibus abundatis; quod conveniat imperiali excellentiæ, honori personæ vestræ, et salutis animæ vestræ in æternum, et in sæculum sæculi. Inter quos et ante quos filium comitis Theobaldi illustrissimi principis vobis sollicitius commendamus, non tanquam unum de cæteris, sed præ cæteris unum. Juvenis est, nobilis est, bonæ indolis est, et primitias suæ militiæ, non malitiæ sed justitiæ consecravit: filius **D** etiam est hominis illius, qui propter veritatem et mansuetudinem et justitiam diligitur et honoratur inter principes terræ. Pro his omnibus vos participem facimus omnium beneficiorum quæ in domo nostra sunt et fient, ut vos faciat victoriosum in terris, in cælis gloriosum, Sponsus Ecclesiæ, filius Mariæ, Dominus Deus noster.

## EPISTOLA CDLXIX.

EJUSDEM AD LUCANUM EPISCOPUM (1129), IN PERSONA DOMINI CLARÆ-VALLENSIS.

*Incitativa ad fortitudinem.*

Venerabili domino LUCANO episcopo, BERNARDUS, in luce vivere et in luce mori.

1. Positus estis in sublimi loco, et opus est sublimi animo, qui vos doceat: quia cathedra, quam accepistis, oneris est, non honoris; operis, non nominis; virtutum denique, non divitiarum. Sic enim ait illa cælestis fistula, de cujus et in cujus pectore verbum Domini personabat: *Si quis, inquit, episcopatum desiderat, bonum opus desiderat (1 Tim. iii, 1). Opus, non dignitatem.* **375** Quia ergo manum vestram misistis ad fortia, opus est vobis fortitudine: quæ speculator domui Israël factus estis, opus est prudentia: opus est aurea temperantiæ mediocritate, quia sapientibus et insipientibus debitor estis. Porro in consummationem virtutum, justitia vestri vos oportet, quæ unicuique reddetur quod suum est, dicente Scriptura: *Sacerdotes tui induantur justitiam (Psal. cxxxii, 9).* Felix hæc quadriga, et auriga ejus beatus, qui in humilitatis temone præsidens, virtutum rotas ad ductum et conductum ipsius inclinat.

2. Humilitas virtutum magistra, singularis filia summi Regis, a summo cælo cum cælorum Domino descendens, in cælestibus animis æternam posuit mansionem. « Sine humilitate per prudentiam eligere quod diligendum est, » sicut Sapiens ait, « erronea discretio est: adversa per fortitudinem superare, tacens victoria: illecebris per temperantiam resistere, tumultentia sobrietas: operibus justitiæ insistere, palliata superbia. » Sola est humilitas quæ virtutes beatificat, et perennat: quæ vim facit regno cælorum, quæ Dominum majestatis humiliavit usque ad mortem, mortem autem crucis. Verbum enim Dei in sublimi constitutum, ut ad nos descenderet, prior humilitas invitavit; veritas, quæ se promiserat venturum, compulit; puritas uteri virginalis suscepit: salva Virginis integritate, potentia eduxit, obedientia in omnibus deduxit, patientia animavit, charitas verbis et miraculis manifestavit. Hæc in corde pontificis alta radice radicari debet, atque fundari: quæ cedente, omnis conventus virtutum vel opprimitur, vel succumbit. Factus sum insipiens, vos me coegistis. Non erat quidem meum docere episcopum: sed amicum admonere, et meum est, et omnium qui noverunt veritatem charitatis. Reliqua vobis communis filius illic plenius et planius viva voce referet. Neque enim litteris committendum, **376** quod etsi quosdam docere, quibusdam tamen nocere potuisset.

(1129) Existimamus hunc esse Lucanum seu Lucensem in Italia episcopum, qui Petrum Lombardum Bernardo commendavit, supra in epistola 410,

Ubertum an Gregorium, quorum ille anno 1140, hic anno 1146 electus est, testante Ughello in Italiæ sacræ tomo I.

## III.

## DIVERSORUM AD S. BERNARDUM ET ALIOS.

Quæ numeralibus notis 470, 473, 474, 475, 477, prænotantur, nunc primum eduntur inter opera S. Bernardi. EDIT.)

## EPISTOLA CDLXX.

ALFONSI REGIS AD S. BERNARDUM.

[MÁNRIQUE, *Cisterciensium seu verius ecclesiasticorum Annalium* tomi I-IV, Lugduni 1642, fol., t. II, p. 71.]

ALFONSUS, Dei gratia Portugallensium rex, venerabili patri BERNARDO, abbati Claræ-Vallensium.

Noveritis quod per Dei misericordiam acquisivimus Sanctarenam, quæ erat civitas munitissima et jugum super capita nostra; et credimus per bonas orationes vestras, quia nos vobis primum commendavimus, et promisimus quod faceremus vobis monasterium vestri ordinis; quod parati sumus, ut faciamus sumptibus nostris. Vos mittite ad nos monachos, et nos quod diximus, complemus. Reliqua quomodo acciderunt, quæque evenerunt, dicet vobis familiaris noster, quem mittimus: ipsum credite; et nos, reginam uxorem nostram, et unicum filium, quem nuper habeo, Henricum, Deo commendate.

## EPISTOLA CDLXXI.

SUGERII ABBATIS S. DIONYSII AD S. BERNARDUM (1130). *Gratias agit de consolatione sibi in extremis agenti data, sequè ipsius commendat orationibus.*

(DOM MARTENE, *Thesaurus Anecd.*, tom. I, col. 424, ex ms. Coislinianæ bibliothecæ.)

Amantissimo domino et patri venerabili, Dei gratia Claræ-Vallis abbati BERNARDO, SUGERIUS adhuc B. Dionysii humilis minister salutem et sinceræ dilectionis affectum.

Visitasti nos litteris vestris, visitet vos Oriens ex alto. Munuscula vestra, imo munera maxima, mapulam pretiosam, panem benedictionis vestræ, litteras consolationis, in quibus continentur verba bona, verba sancta, melle et lacte redundantia, mihi misero peccatori delegastis, et in extremis posito consolationem maximam præbuitis. Si enim angelicam faciem vestram vel semel ante decessum meum videre potuissem, ab hoc miserrimo sæculo securius exirem. Sciatis autem pro certo, quia si mille anni, aut ultra, vivere meruissem, nisi in beneplacito Dei remanere non curarem. Nec enim ex operibus justitiæ, sed in sola Dei misericordia confidens, quam semper in se sperantibus exhibet, ad eum redire tota cordis intentione desidero; unde et animam meam in sanctas manus vestras devote commendo, et ut vestris et sanctarum congregationum vestrarum orationibus, divinam propitiationem animæ meæ concilietis, genibus vestræ sanctitatis provolutus efflagito.

(1130) Hanc epistolam scripsit Sugerius morti proximus, accepta sancti Bernardi epistola 266, qua sanctus abbas eum animat, ut mortem intrepidus excipiat his verbis: *Homo Dei, ne trepides exuere*

## A

## EPISTOLA CDLXXII.

EVERVINI STEINFELDENSIS PRÆPOSITI AD S. BERNARDUM.

*De hæreticis sui temporis.*

(Ex tom. IV operum S. Bernardi, antea sermoni 65 in Cantica canticorum præposita.)

Reverendo domino suo et patri BERNARDO Claræ-Vallensium abbati, EVERVINUS Steinfeldensis minister humilis, in Domino confortari, et confortare Ecclesiam Christi.

**377** 1. Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa, qui nobis memoriam abundantis suavitatis Dei eructare in omnibus dictis et scriptis vestris soletis, maxime in Cantico amoris Sponsi et sponsæ, hoc est Christi et Ecclesiæ, ita ut eidem Sponso dicere veraciter possimus: *Servasti bonum vinum usque adhuc* (Joan. II, 10). Hujus vini tam pretiosi pincernam te nobis ipse constituit: non cesses propinare; non hæsites, hydrias non poteris evacuare. Nec te excuset, pater sancte, debilitas tua: cum plus operetur pietas in officio, quam corporalis ædificationis exercitatio. Nec dicas te occupatum: nescimus aliquid huic tam necessario operi communi præponendum. De hydria quantum, sanctissime pater, habes nobis modo propinare! De prima propinatum est satis, et reddidit eos sapientes et fortes contra doctrinam et impetum Scribarum et Phariseorum: secunda, contra argumenta et tormenta Gentilium: tertia, contra subtiles deceptiones hæreticorum: quarta, contra falsos Christianos: quinta, contra hæreticos circa finem sæculi venturos, de quibus per Apostolum manifeste Spiritus dicit: *In novissimis temporibus discedent quidam a fide, intendentes spiritibus erroris et doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, prohibentium nubere, abstinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione* (I Tim. IV, 1-3). De sexta inebriabuntur, fideles confortando contra illum qui in hac nimirum discessione a fide revelabitur, scilicet ille peccati filius, homo perditionis, qui adversatur et extollitur super omne quod dicitur aut quod colitur Deus; cujus est adventus secundum operationem Satanæ in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis (II Thess. II, 3-10). Post hanc septima non erit necessaria, quando filii hominum inebriabuntur ab ubertate domus Dei et torrente voluptatis ejus. O bone pater, satis interim propinasti de quarta hydria

*hominem illum qui de terra est... Quid tibi et terrenis exuviis, qui ad cælum iturus, stolæ gloria mox indui habes?*

omnibus nobis ad correctionem, ad ædificationem, ad consummationem, incipientibus, proficientibus atque perfectis; usque in finem sæculi profuturus contra teporem ac pravitatem, quæ est in falsis fratribus. Jam tempus est ut de quinta haurias, et in medium proferas contra novos hæreticos, qui circumquaque jam fere per omnes Ecclesias ebulliunt de puteo abyssi, quasi jam princeps illorum incipiat dissolvi, et instet dies Domini. Et in epithalamio amoris Christi et Ecclesiæ locus, qui a te, pater, sicut tu ipse mihi retulisti, jam est tractandus, videlicet: *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas* (*Cantic. II, 15*), huic mysterio congruit, et te ad quintam hydriam perduxit. Rogamus igitur, pater, ut omnes partes hæresis illorum, quæ ad tuam notitiam pervenerunt, distinguas, et contra positis rationibus et auctoritatibus nostræ fidei, illas destruas.

2. Nuper apud nos juxta Coloniam quidam hæretici detecti sunt, quorum quidam cum satisfactione ad Ecclesiam redierunt. Duo ex eis, scilicet qui dicebatur episcopus eorum cum socio suo, nobis restiterunt in conventu clericorum et laicorum, præsentate ipso domino archiepiscopo cum magnis viris nobilibus, hæresim suam defendentes ex verbis Christi et Apostoli. Sed, cum vidissent se non posse procedere, petierunt ut eis statueretur dies, in quo adducerent de suis viros fidei suæ peritos; promittentes se velle Ecclesiæ sociari, si magistros suos viderent in responsione deficere: alioquin se velle potius mori, quam ab hac sententia deflecti. Quo audito, cum per triduum essent admoniti, et respiscere nolissent, rapti sunt a populis nimio zelo permotis, nobis tamen invitis, et in ignem positi, atque cremati; et, quod magis mirabile est, ipsi tormentum ignis non solum cum patientia, sed et cum lætitia introierunt et sustinuerunt. Hic, sancte pater, vellem, si præsens essem, habere responsionem tuam, unde istis diaboli membris tanta fortitudo in sua hæresi, quanta vix etiam invenitur in valde religiosis in fide Christi.

3. Hæc est hæresis illorum. Dicunt apud se tantum Ecclesiam esse, eo quod ipsi soli vestigiis Christi inhæreant; et apostolicæ vitæ veri sectatores permaneant, ea quæ mundi sunt non quærentes, non domum, nec agros, nec aliquid peculium possidentes: sicut Christus non possedit, nec discipulis suis possidenda concessit. Vos autem, dicunt nobis, domum domui, et agrum agro copulatis, et quæ mundi sunt hujus quæritis: ita etiam ut qui in vobis perfectissimi habentur, sicut monachi vel regulares canonici, quamvis hæc non ut propria, sed possident ut communia, possident tamen hæc omnia. De se dicunt: Nos pauperes Christi, instabiles, de civitate in civitatem fugientes, sicut oves in medio luporum, cum apostolis et martyribus persecutionem patimur: cum tamen sanctam et arctissimam vitam ducamus in jejuniis et abstinentiis, in orationibus et laboribus die ac nocte persistentes, et tantum necessaria ex eis

A vitæ quærentes. Nos hoc sustinemus, quia de mundo non sumus: vos autem mundi amatores, cum mundo pacem habetis, quia de mundo estis. Pseudoapostoli adulterantes verbum Christi, quæ sua sunt quæsierunt, vos et patres vestros exorbitare fecerunt: nos et patres nostri generati apostoli, in gratia Christi permansimus, et in finem sæculi permanebimus. Ad distinguendum nos et vos, Christus dixit: *A fructibus eorum cognoscetis eos* (*Matth. VII, 16*). Fructus nostri sunt vestigia Christi. In cibis suis vetant omne genus lactis, et quod inde conficitur, et quidquid ex coitu procreatur. Hoc de conversatione sua nobis opponunt. In sacramentis suis velo se tegunt: tamen nobis aperte confessi sunt, quod in mensa sua quotidie cum manducant, ad formam Christi et apostolorum, cibum suum et potum in corpus Christi et sanguinem per Dominicam orationem consecrant, ut inde se membra et corpus Christi nutriant. Nos vero dicunt in sacramentis non tenere veritatem, sed quamdam umbram et hominum traditionem. Confessi sunt etiam manifeste se præter aquam, in ignem et spiritum baptizare, et baptizatos esse: adducentes illud testimonium Joannis Baptistæ baptizantis in aqua, et dicentis de Christo: *Ille vos baptizabit in Spiritu sancto et igne* (*Matth. III, 11*); et in alio loco: *Ego baptizo in aqua, major autem vestrum stetit, quem vos nescitis* (*Joan. I, 26*), quasi alio baptismo præter aquam vos baptizaturus. Et talem baptismum per impositionem manuum debere fieri conati sunt ostendere testimonio Lucæ, qui in Actibus Apostolorum describens baptismum Pauli, quem ab Anania suscepit ad præceptum Christi, nullam mentionem fecit de aqua, sed tantum de manus impositione; et quidquid invenitur, tam in Actibus Apostolorum, quam in Epistolis Pauli, de manus impositione, ad hunc baptismum volunt pertinere. Et quemlibet sic inter eos baptizatum dicunt electum, et habere potestatem alios qui digni fuerint baptizandi, et in mensa sua corpus Christi et sanguinem consecrandi. Prius enim per manus impositionem de numero eorum, quos auditores vocant, recipiunt eum inter credentes: et sic licebit eum interesse orationibus eorum, usquedum satis probatum eum faciant electum. De baptismo nostro non curant. Nuptias damnant, sed causam ab eis investigare non potui; vel quia eam fateri non audebant, vel potius quia eam ignorabant.

4. Sunt item alii hæretici quidam in terra nostra, omnino ab istis discordantes, per quorum mutuam discordiam et contentionem utrique nobis sunt detecti. Isti negant in altari fieri corpus Christi, eo quod omnes sacerdotes Ecclesiæ non sunt consecrati. Apostolica enim dignitas, dicunt, corrupta est, implicans se negotiis sæcularibus; et in cathedra Petri non militans Deo, sicut Petrus, potestate consecrandi, quæ data fuit Petro, se privavit: et quod ipsa non habet, archiepiscopi, qui in Ecclesia sæculariter vivunt, ab ea non accipiunt ut aliquos

consecrare possint, advertentes illud de verbis Christi: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisei; quæ vobis dicunt facite* (Matth. xxviii, 2, 3): quasi istis talibus concessa sit potestas tantum dicendi et præcipiendi, et nihil amplius. Et ita evacuant sacerdotium Ecclesiæ, et damnant sacramenta, præter Baptismum solum, et hunc in adultis, quos dicunt baptizari per Christum, quicumque sit minister Sacramentorum. De Baptismo parvulorum fidem habent, præter illud de Evangelio: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* (Marc. xvi, 16). Omne conjugium vocant fornicationem, præter quod contrahitur inter utrosque virgines, masculum et feminam, astruentes hæc de verbis Domini, quibus respondit Pharisæis: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*; quasi Deus tales jungat, tanquam ad similitudinem primorum hominum: et quod eisdem ei opponentibus de libello respondit repudii: *Ab initio non fuit sic*; et item quod ibidem sequitur: *Qui dimissam duxerit, mæchatur* (Matth. xix, 6-9); et illud de Apostolo: *Honorabile concubium sit omnibus, et thorus immaculatus* (Hebr. xiii, 4).

5. In suffragiis sanctorum non confidunt; jejunia cæterasque afflictiones, quæ sunt pro peccatis, astruunt justis non esse necessaria, nec etiam peccatoribus; quia in quacunque die ingemuerit peccator, omnia peccata remittuntur ei: cæterasque observantias in Ecclesia, quas Christus et apostoli ab ipso discedentes non condiderunt, vocant superstitiones. Purgatorium ignem post mortem non concedunt; sed animas statim, quando egrediuntur, de corpore in æternam vel requiem, vel pœnam transire, propter illa Salomonis: *Lignum in quamcunque partem ceciderit, sive ad austrum, sive ad aquilonem, ibi manebit* (Eccl. xi, 3). Et sic fidelium orationes vel oblationes pro defunctis annihilant.

6. Contra hæc tam multiformia mala rogamus, sancte pater, ut evigilet sollicitudo vestra, et contra feras arundinis stilum dirigatis. Nec nobis respondeatis, quod turris illa David, ad quam confugimus, satis sit ædificata cum propugnaculis, quod mille clypei pendent ex illa, omnis armatura fortium. Sed volumus, pater, ut hæc armatura propter nos simpliciores et tardiores, vestro studio in unum collecta, contra hæc tot monstra ad inveniendum fiat paratior, et in resistendo efficacior. Noveritis etiam, domine, quod redeuntes ad Ecclesiam nobis dixerunt, illos habere maximam multitudinem fere ubique terrarum sparsam, et habere eos plures ex nostris clericis et monachis. Illi vero qui combusti sunt, dixerunt nobis in defensione sua, hanc hæresim usque ad hæc tempora occultatam fuisse a temporibus martyrum, et permansisse in Græcia, et quibusdam aliis terris. Et hi sunt illi hæretici, qui se dicunt apostolos, et suum papam habent. Alii papam nostrum annihilant, nec tamen alium præter eum habere fatentur. Isti apostolici Satanæ habent inter se feminas (ut dicunt) continentes, viduas, vir-

gines, uxores suas, quasdam inter electas, quasdam inter credentes; quasi ad formam apostolorum, quibus concessa fuit potestas circumducendi mulieres. Vale in Domino.

## EPISTOLA CDLXXIII.

HENRICI REMENSIS AD BERNARDUM.

[MANRIQUE, *Annal. Cisterc.*, t. II, p. 135.]

377<sup>1</sup> Patri suo filius suus HENRICUS, quidquid filius patri.

Non est insolentia, sed confidentia, quod vobis scribo, benignissime Pater. Scio quia non est meum loqui, sicut vulneratus N. et dormiens in sepulcris, sed zelus, fateor, urit animam meam pro paupere isto episcopo, qui, quia justitiam coluit, voluit æquitatem, plaga inimici percussus est, castigatione crudeli. Quia voluit sedere in sede sua, et episcopo episcopalia resignare, hoc est maximum et primum peccatum. En sanguis iste de manu ejus exquiritur. Si quid ergo ego possum in oculis Patris, imo quia multum possum, facite negotium ejus, sicut illi noveritis expedire. De cætero lætus et incolumis sum, et exspecto videre faciem vestram, sicut faciem Dei. Prope est enim dies desponsationis meæ, quod feriam pactum Domino cum Deo per manum vestram, et sub custodia vestra, ut serviam ei die ac nocte, et omnibus diebus vitæ meæ, amantissime Pater.

## EPISTOLA CDLXXIV.

JOANNIS ALETANI EPISCOPI AD S. BERNARDUM.

[MANRIQUE, *ubi supra*, 135.]

Patri suo et Patri omnium honorum, Bernardo Claræ-Vallensi abbati, frater Joannes Aletensis episcopus, et hic honestari in laboribus suis, et illic honorari cum angelis.

Utinam viderem vos, non scriberem vobis, et dolorem meum lintret, et leniret vestræ suavitatis aspectus. Contristatus sum enim in execratione mea, quamvis juxta Sapientem, ipsa tribulatio sit mihi pro solatio, non conscientia, sit pro flagello. Scio enim, quia feliciter sunt miseri, quos constat non meruisse quæ perferunt. Propterea ex me quæ circa me sunt, scribo vobis, breviter tamen, ne quos mundo debetis oculos, detineam pagina longiori. Post datam in me sententiam juxta vestrum consilium, perrexi ad dominum meum, quem constituit Dominus, dominum domus suæ et principem omnis possessionis suæ. Ad quem ingressus plus inveni iudicis, quam patris, minus misericordiæ quam censuræ. Prævenērunt enim me homines monasterii majoris, et majores facti sunt me, facientes voci suæ vocem virtutis. Dixerunt me subterfugisse episcoporum audientiam, in quorum manibus ipse me posuerat audiendum. Non solum autem hæc, sed quæcunque undecunque colligere potuerunt, proposuerunt adversum me, et cum multa pace auditi sunt. Cumque paratus essem repellere, vel refellere, quæ dicebantur, noluit me audire universitatis iudex, non illi imputetur. Sed et super dolorem vulnerum meorum addidit, remittens me ad illos, ad

quos ante me miserat, quos ex parte suspectos habebam, et adhuc manus ejus extenta, quia suspensus accessi ad illum, et suspensus ab illo recessi.

Et quamvis nihil horum conscius sum, quæ illi malitiose composuerunt adversum me: porro tamen iudicium patienter [exspecto], etsi non libenter. Scio enim me meruisse graviora quam patior, tanquam servus male operans et dignus omni indignatione. Verumtamen duram provinciam nactus sum homo minimi census, et census minoris illi aggredi, et cum illis ingredi causam, qui confidunt in virtute sua et in multitudine divitiarum suarum gloriantur. Hinc est, quod inter vestros Claræ-Vallenses positus exspecto consilium vestrum, tanquam consilium Dei: quia nemo poterit eripere pauperem episcopum de manu fortiorum ejus, nisi vestra manus tota obviaverit infestantibus et diripientibus eum. Domine pater, paratus sum, et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua, et utinam voluntas tua (si Domini voluntas est) cum mea voluntate non discordet, beneplacitum vestræ dignationis, si dignum judicatis, renuntiate puero vestro, quia non est consilium et auxilium nisi ad vos et ex vobis, amantissime Pater.

#### EPISTOLA CDLXXV.

M. CRACOVIENSIS EPISCOPI AD S. BERNARDUM

*Mlum ad conversionem Ruthenorum invitat.*

(S. Bernardus Pez. *Thesaurus Anecd.*, tom. V, part. I, col. 360, ex codice Windbergensi.)

**377** B. Dei gratia Claræ-Vallensi abbati, viro venerabili et reverendo, omni præconio digno, et merito sanctitatis insigni, M. ejusdem gratia Cracoviensis episcopus, et comes... Petrus, quos facit, facere fructus.

Grates Deo nostro referimus, grates siquidem infirmitas, qui vos talem, o abbatum decus et gloria, nostro suscitavit sæculo, quem sollicitudo omnium Ecclesiarum, quemadmodum vas electionis, nunquam et nusquam prætereat, quem infirmitas aliorum cogat pariter infirmari; cujus meritis Deus orbi bonum omne largitur immerito, cujus prece districtus arbiter mitigatus septentiam revocat, ac, ne statim feriat peccatores, iram suspendit, ut pareat.

Dilectus filius vester magister A. nos ex parte vestra consuluit, si quis posset et impios Ruthenorum ritus atque observantias extirpare. Posset quidem, domine, posset, sed solus ille homo posset, in quo potens gratia esset. Confidimus autem in Domino Jesu quod si abbas Claræ-Vallensis hic esset, hoc bonum facere posset. Gens autem illa Ruthenica multitudine innumerabili ceu sideribus adæquata, orthodoxæ fidei regulam ac veræ religionis instituta non servat, non attendens quoniam extra Catholicam Ecclesiam veri sacrificii locus non est. Nec solum in sacrificio Dominici corporis, sed in conjugii repudiandis et rebaptizandis atque aliis Ecclesiæ sacramentis turpiter claudicare cognoscitur. Ita erroribus variis, imo vero

A hæretica pravitate a primordio suæ conversionis imbuta, Christum solo quidem nomine confitetur, factis autem penitus abnegat. Neque enim vel Latinæ vel Græcæ vult esse conformis Ecclesiæ, sed seorsum ab utraque divisa neutri gens præfata sacramentorum participatione communicat. Hoc autem, domine, totum penetrabilior omni gladio ancipiti vestra prædicatio amputaret, si, ut eam visitaretis, vobis Spiritus sanctus inspiraret. Nec modo in Ruthenia, quæ quasi est alter orbis, verum etiam in Polonia et Bohemia, vel communi appellatione Sclavonia, quæ plures provincias continet, talem ac tantum fructum tamque Deo acceptabilem faceretis, ut ab ipso postmodum audiretis: *Euge serve bone et fidelis*. Aut certissime vobis omnes, aut fere omnes, ut speramus, in auditu auris obedirent.

Dignamini igitur, pie Pater, dignamini, qui cæteras illustrastis, nostras etiam tenebras illustrare. Dignamini Sclavos incompósitos in via morum et vitæ rationibus informare. Dignamini gelidum axem vestri præsentia visitare, ut in adventu nostri abbatibus frigus horridum Aquilonis, Austri gratia et Mulciberi flamine temperetur: ut inculta barbaries vestris moralitatibus excolatur: ut homines inhumani vestra eruditione mitescant, sub jugo Dominico mansuescant. Si enim gloria celeberrima et Treicius Orpheus et Thebanus Amphion cælo inseruntur et astris, vatunque celebrantur ingenio, et post mortem carmine vivunt, quod uterque silvas et lapides, id est, silvestres et lapideos homines lyræ cantibus delinivit, legemque pati coegit, quanto magis nos speramus quod gentes efferas et immanes sacer abbas Christo conciliet, qui et præco est Evangelii, et lucerna in domo Domini, et divinæ voluntatis interpret, et melior Orpheo. . et superna clarus scientia, et cœlesti prædictus intelligentia, et omnium fere charismatum munere insignitus et gratia.

Quanto autem animi quamque ardenti desiderio ego et comes Petrus, vir utique circa Dei cultum et Ecclesiam religionemque devotissimus, vestrum, pie Pater, præstolemur adventum, solus ille nobis est testis qui videt secreta cordis. Nec nos soli optamus abbatem Claræ-Vallensem. Simul in unum dives et pauper, nobiles et ignobiles, juvenes et virgines, senes cum junioribus æque desiderant. Abbatem omnis ordo et ætas, abbatem omnis sexus atque omnis conditio, abbatem omnes Poloni omniumque vota suspirant.

#### EPISTOLA CDLXXVI.

THOMÆ (1131) QUONDAM ABBATIS MAURIGNIACENSIS AD S. BERNARDUM.

(*Exstat in editione Operum S. Bernardi anno 1719 data, tom. I, in appendice ad epistolas, col. 576.*)

**377** A. Domino dilectissimo et in Christi visceribus honorando BERNARDO Dei gratia Clararum

(1131) Hic Thomas, prius abbas Mauriniacensis, abdicato sponte regimine, ad Sanctum Martinum de Campis secesserat. Cum vero Albericus episcopus

Ostiensis in Franciam, et Ymarus Tusculanensis in Angliam a Lucio papa legati Floriacum venissent, et in pernicioso statu positam abbatiam agnovissent.

Vallium abbati, THOMAS suæ sanctitatis servus et A filius, salutem.

Vestri loci nomen vestræ et sub signis vestris militantium congruit actioni. Lucetis enim in medio nationis pravæ atque perversæ veluti magna luminaria, in mundo verbum vitæ continentis, et habitatis in convallibus quæ frumento illo abundant quod misit Deus in Jacob et cecidit in Israel. Hæc intuens, fiduciam concepi scribendi celsitudini vestræ modicus homo et abjectus in domo Dei, de commotione mea, quam patior licet invitus, sanctitatis vestræ repositus antidotum. Causa autem hæc est. Albericus, vir apostolicus, episcopus Ostiensis, cum sub Romanæ legationis officio Gallias circuiret et perambulare terram miracula faciendo, de quorum multitudine et magnitudine reticemus, Macharium nepotem suum, læsæ opinionis hominem, corpore pinguem, corde duplicem, ore bilinguem, de nova parvæ et paupere abbatis in antiquam, magnam, et divitem Sancti Benedicti abbatiam transposuit, inaudita hac conventionem interposita, ne Cluniacensis ordo inibi introuderetur, neve quisquam de fratribus illis ad aliquem locum Cluniaco subditum mitteretur. Cui hoc mortiferum simoniacæ hæreseos venenum non olet, profecto dono caret discretionis, et spiritualium narium fetidissimo abundat polypo. Quid enim hoc est nisi vendere religionem, justitiam, veritatem, et non ingredi per ostium? Putans igitur episcopus quod nil sibi posset obsistere, alterum nepotem suum Lancelinum omni conatu nititur Ecclesiæ Mauriniacensi subrogare; quod Macharius, dum loco præesset, non solum se facturum promiserat, sed etiam indubitanter adjuraverat. Nam progenies hæc de toxicato trunco sumens originem, squamis squamas adjungit, et Ecclesiæ culturam præoccupat, et sub umbra atque potestate viri supradicti alitur, ac invitis omnibus coalescit, pecunias et præbendas acquirendo condonatione gravium culparum et turpinum redemptione personarum. Clamores adversariorum audiunt quam libentissime. At si præsulis Albini et martyris ossa Rufini discapsata rutilaverint, nox illico vertitur in diem, niger color albescit, Protheus ludit in pelago, protinus mutantur omnia; rident qui flebant, flent qui ridebant, et, ut vulgari proverbio dicitur, non evangelici, sed Sydonii piscatores aqua turbida retia mittunt, et licet multiplicia, auro et argento sua farciunt marsupia. Harum exactionum immanitas non ideo fit ut sancta Romana Ecclesia, quæ nunc populi sui seditione commovetur, auxilietur, sed ut generatio prava et perversa rapinis ecclesiarum sustentetur,

teste chronographo Mauriniacensi, Ademaro abbate deposito, Macarium Alberici nepotem, tunc Mauriniacensem abbatem, ei substituunt, ut locum ad Cluniaci instituta, quæ ille in cella Longipontis professus erat, reformaret. Thomas, quem jam longioris otii tædebat, sperabat ea occasione ad Mauriacensem abbatiam regredi. At spe sua frustratus, obsistente forte Alberico, suffectumque Macario Thevinum Argentoili priorem videns, impotentius in Albericum

ditetur, sublimetur ad superbiam, diffluat ad luxuriam, confirmetur ad nequitiam. Sed spuria vitulamina non dabunt altas radices, quia omnis plantatio quam non plantat Pater cœlestis eradicabitur. Denique in hoc quoque negotio spe sua frustrati sunt. Erat namque Lancelinus vir nequam et intractabilis, pelle rufus, facie fulmineus, mente sanguineus, nostri temporis Phalaris alter; ob idque jure meruit pati repulsam rei quam diu desideraverat, et ad quam tam turpiter quam patenter aspiraverat. De aliis quæ fama dispergit tacendum est. Nulli enim et omnibus credere, teste Seneca, vitium est. Episcopus tamen auctoritate confisus, vinci nesciens, cœptis vehementer insistit; et si me, qui diu loco præfueram, et nunc a monachis, clero, populo, militibus, proceribus expetebam, posset obruere, desiderata se credebat firmiter obtinere. Parisius igitur in palatio, in conventu venerabilium personarum, rege præsentem simul et curia, moderationis abrupto freno, in amicum absentem, qui sibi servierat, qui Macharium in abbatem sibi subrogari fecerat, multa jaculatus est et ira dictante plurima congescit quibus veritas non consentit. At cum per hæc pulmonem non sedaret, et eadem usque ad tædium quorundam quibus sanior et ideo clarior oculus inerat multiplicaret, cum se nihil proficere videret et pene deficere, priorem Sancti Martini de Campis, sub quo militabam, et in privato loco successeram, evocat, et auctoritate qua præcellit præcipit quatenus quid de me sentiat adjuratus coram cunctis edicat. Ille vero, sicut ex conducto machinatum erat (nam et die præterita legatum quem capitulum mittebat ad me ut quantocius Parisius venirem retraxit ab itinere), asserit me sic corpore debilitatum ut vel hanc vel alteram obedientiam non possem implere. Hic stilum retraho, et impono digitum ori meo. Scriptum est enim: *Principi populi tui non maledices. Et: Mihi vindictam, et ego retribuam. Et: Falsus testis non erit impunitus.* Quantum enim id devium sit a vero, propitia divinitate ipsa res indicat. Nam de infirmitate in qua me servum vestrum vestra sublimitas visitata est, sanus et membris omnibus incolumis convalui, excoctis humoribus quos ex infirmitate loci ubi plus minus quinquennio inhabitaveram, contraxeram. Mox episcopus verbum arripit, et cum austeritate et imperio monachos jubet discedere, ac indiscussis electione et persona, aliam festinato personam præcipit eligere, de his et similibus his summo justoque judici rationem redditurus. Has propter res oculus interioris hominis mei, mi dulcissime Pater, conturbatus est,

et nepotes ejus, Macarium et Lancelinum, invehitur. Quæ autem in eos scribit, vel nimio animi rancore abreptus, vel vanis rumoribus deceptus falsissima esse constat ex prædicto chronographo Mauriniacensi. An et quid Bernardus huic epistolæ responderit, incertum. Sed ex citato chronographo discimus Thomam ad Columbense monasterium, unde primum assumptus fuerat, remigrasse, ubi paulo post obiit.

et albugine præoccupante pupinam, ad intuitum veri A  
 minis tremulus palpitat et deficit. Sciens igitur  
 in Campis amplius me pacem habere non posse,  
 titubo, fateor, utrum ad monasterium Mauriniacense  
 redeam, ubi me juvenis dedi et in communi capi-  
 tulo me fieri monachum devovi, an ad ecclesiam  
 Columbensem, in qua quibusdam causis emergen-  
 tibus monachi vestes indui et professionem feci, et  
 cum mitterer ad abbatiam Mauriniacensem, me Co-  
 lumbas rediturum, si eam reliquisssem, sponondi.  
 Pluat ergo mihi Deus per vos cœlestem rorem, et quod  
 devote exopto et supplex expeto, vestræ consola-  
 tionis merear habere rescriptum. Valet.

### EPISTOLA CDLXXVII.

MATRONÆ CUJUSDAM AD SANCTUM BERNARDUM

[AMADUZZI, *Anecdota litteraria*, ex mss. codicibus  
 eruta, tom. IV, p. 251. Romæ 1783, 8°. — Vide  
 præfationem ad epistolam 456.]

Angustiae, fateor, mihi sunt undique, quoniam quem  
 diligit anima mea sermonibus excitare compellit  
 amor, impatiens intellectus scaturit dilatatur affe-  
 ctus. verum censura silentii reprimat, dum nota non  
 exprimit lingua balbutiens, charta deficit, retun-  
 ditur calamus, manus quoque ab antiquo non im-  
 pigra retardatur. Evæ nempe maledictæ, non cor-  
 pore, sed spiritu parturiens doloribus, premor ma-  
 gna sollicitudine Saræ, anxie Rebeckæ desiderio,  
 æmulatione Rachelis, Liæ contemptu. Atque utinam  
 mihi prudentia daretur Jahelis, importunitas Ruth,  
 Judith audacia, placor Edissæ, ut operirem pallio C  
 Sisaram, amicerer Booze, deciperem aggrediens  
 Holofernem, in bonum hoc nil ultra simile illis atten-  
 tans, et adirem Assuerum in throno sedentem  
 languentis animæ salubria petitura. O indicibile  
 Magdalenæ gaudium, o solatium, o tripudium, quæ  
 Jesu fructus virginei pedes deosculans, rigans la-  
 crymis, capillis tergens, ungens unguento, antido-  
 tum reportavit salutis! Cum hæc servo, servo Jesu.  
 Si data licentia, et honestate concedente, impende-  
 rem ab ubertate, jucunditates conciperem. Fierem,  
 arbitror, præ magnitudine gaudii semiviva. Gaudeo  
 quia scienti legem loquor, cui omnia prout sonant,  
 sapiunt, et figuras, et ænigmata intelligit, et expo-  
 nit. Quid nostra paternitatem vestram epistolari  
 distendo angustia, cum ad vocem, dudum loquelæ D  
 grandis in me ignis amoris omni narratione major  
 exarsit; ita ut fructeta vanitatis omnia exusta sint,  
 et cum sponsa clamarem una voce: Filie Jerusalem,  
 nuntiate dilecto, quia amore langueo. Quis mihi det,  
 ut languentes et vos, et hibatis poculum quo potatis.  
 Indulgete, Pater; indulgete; stulta facta sum, vos  
 me coegistis. Caritas quæ est in Christo, urget me,  
 plena quidem sum sermonibus, et uteri mei spiritus  
 me coarctant. Quapropter verbis finem imponens do-  
 minationem vestram, quæ unica et singularis est  
 mihi, flagito in Christo Jesu pro vulneribus interpel-

lans eandem, quatenus ancillæ vestræ, ac, quæso,  
 filie memoriam habeatis, quæ in signum incor-  
 ruptæ fidei, non in munus per latorem præsentium  
 enxenium offero, et præsentio, desiderans, et anhe-  
 lans, antequam moriar, vestris conspectibus con-  
 solari.

### EPISTOLA CDLXXVIII (1132)

B. AD S. BERNARDUM (1133).

*De indiscipinato monacho agit.*

Dilectissimo Patri BERNARDO, Dei gratia Claræ-  
 Vallensis abbati, frater B. sicut ablactatus super  
 matrem suam, terram fluentem lac et mel.

1. Injurias meas decreveram operire silentio,  
 nisi quia dignum duxi, veritate mendacium præve-  
 nire. **378** Quoties, et quam proterve frater R.  
 intus et extra monasterium mecum contenderit,  
 quot et quanta scandala sciens et prudens coram  
 pusillo grege posuerit, quam erecta cervice, et ex-  
 tento collo regulari disciplinæ et consuetudinibus se  
 opposuerit, testis est ille qui laborem et dolorem con-  
 siderat; testis est tota congregatio fratrum, in quorum  
 auribus et oculis effusa est contentio ejus; testis est et  
 sua ipsius conscientia, etiamsi aliud lingua loquatur.  
 Gratias ago Deo meo, quoniam, quantum ad inju-  
 riam meam pertinet, si aliqua fuit, ab ipso fuit pa-  
 tientia mea. Audivi multa verba quæ non licet  
 monacho loqui; et factus sum sicut homo non au-  
 diens, et non habens in ore suo redargutiones. Ro-  
 gabam hominem multis precibus et secreto, et pu-  
 blice, et solus, et cum aliis; ut parceret et sibi, et  
 nobis: ut conscientie suæ misereretur, pariter et  
 famæ nostræ in terra aliena, ne tam nova plantatio  
 aliquo turbine commoveretur. Arguebam, obse-  
 crabam, increpabam, miscens terroribus blandimenta,  
 ne poneret nos subsannationem, et derisum his qui  
 in circuitu nostro sunt. Vulneribus semivivi nostri  
 vinum pariter infudi et oleum; sed insanabilis fuit  
 dolor.

2. Cum jam pene omnia correctionis argumenta  
 consumpta essent, nec vulnus veniret ad cicatricem,  
 timui ne scabies et putredo unius membri reliquas  
 partes corporis occuparet. Sed, quia verebar opera  
 mea, diu supersedi, metuens ne ille, qui in angelum  
 lucis transfiguraverat se, ad injuriarum ultionem  
 mearum, sub zelo justitiæ et amore Ordinis me pro-  
 vocaret. Invocato ergo in auxilium Domino, ne me  
 pateretur declinare ad dexteram vel ad sinistram,  
 homini superbo et contumaci indixi, ne psalmum  
 vel antiphonam imponeret, donec emendasset illud  
 quod adversus filios matris suæ ponebat scandalum.  
 In omnibus his non est aversus furor ejus, sed  
 manus ejus extenta. Nam qui prius volebat cantare  
 rogatus, prohibitus cantabat; antiphonas imposuit,  
 et locutus est mutus, et admiratæ sunt turbæ. In  
 crastino suspendi hominem a mensa. Cumque  
 ascendisset ex adverso, et oppositus mihi in altera

(1132) Epistola nova.

(1133) Haud dubie Bernardi, qui abbas fuit ad

Sanctum-Anastasium prope Romam, de qua in fine  
 epistolæ. Ejusdem sunt epistola 343 et 344.



parte capituli facie ad faciem plurima intorsisset verba præcipationis, respondi breviter: Si quis vult contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei. Et sic evasi manus ejus. Indignatus graviter (quoniam et me novitium, et se inveteratum in Ordine prædicabat) de claustro exsilivit; et egressus portam monasterii, recessit solus: quippe quem non amor propågandi Ordinis, sed, sicut ipse impudenter abbati confessus est, ad contemplationem sui Roma pertraxerant. Videat Deus, et judicet: quoniam, quantum in ipso fuit, fetere fecit Ordinem nostrum, coram abbate, et coram servis ejus,

### EPISTOLA CDLXXIX.

HUGONIS METELLI AD S. BERNARDUM.

*In qua ejus laudes fuse prosequitur.*

Reverendo et in Christo benedicto patri BERNARDO abbati Claræ-Vallis, clarissimæ lampadi, HUGO METELLUS, quondam nugigerulus, nunc crucis Christi bajulus, introire in sanctuarium sacræ Scripturæ, et fragmenta illius ne pereant colligere, et a frigido lapide interiorum excutere.

1. Oleum effusum nomen tuum, fragrans more contritorum aromatum. Fama nominis clarissimi tui longe lateque diffusa, usque ad fines terræ pertransiit, suavissimoque suo odore mare et aridam recreavit, plurimosque ad locum unde spirat pertraxit, quia tracti per odorem, ex ipso aromate gustaverunt salutiferum saporem; **379** et quos sapor stygius infecerat, imo fetor Acherontis defecerat, et dehominaverat, gustu nectareo reformati sunt. Oleum effusum vita tua. Vita tua clarissima lampas est, quæ lucendo ardet, et ardendo lucet. Ardet sibi, lucet alteri. Vita tua lampas est, quæ non tantum vicinat, sed etiam illuminat remota. Conversatio enim tua sparsa lumine rutilans, non inclusa, sed exclusa; non confusa, sed modeste effusa, exemplo bono tenebras illuminat, lucem ministrat, montes humiliat, irradiat, valles implet et illustrat. Tu es etiam carbo ardens, qui carbones extinctos accendis de vicino bonæ conversationis tuæ sufflatorio. Totus enim vitæ tuæ cursus exemplo bene vivendi plurimos informat, deformia reformat, exintegrata redintegrat, excrustata consolidat, et non in tenebris, sed in conspectu solis, odorem suavitatis dans, aromatizat.

2. Oleum effusum verbum tuum. Talentum tibi creditum, talentum, inquam, loquendi et persuadendi, non includis, sed mensura excludis. Verba tua igne charitatis vaporantur, et nectare mansuetudinis dulcorantur. Lingua tua calamus est scribæ velociter scribentis. Lingua tua, lingua benefici sapienter incantantis. Lingua nova, nova, inquam, lingua loqueris, dum mysteria sacra insonas, dum laudes Conditoris personas. Sub lingua tua nova et vetera, corpus et umbra. Sub lingua tua gratia et lex, non legis examinata fæx. Sub lingua tua lac et mel, non dolus, non fel. Lingua favus est distillans

mel. Non aerem incassum verberas, non inutilia tractas. Non digito loqueris, non pede strepis: omnia cum mansuetudine componis. In peculio enim tuo lupus accubat cum agno, pardus cum hædo, et puer parvulus minat eos. Oleum effusum verbum tuum. Lex clementiæ in verbo tuo est. Dum prædicas misericordiam, lapsis indulgentiam, desolatis solatium, desperatis spem et consilium, effundis oleum. Dum agonistas in palæstra Dei desudantes, nimioque labori succumbentes, eloquio mellito recreas, fonte lacteo potas, sermone dulci ungis, oleum fundis. Verbum tuum stillicidium est, in quo lætatur germinans. Torrens inebrians est, germina multiplicans. Dum examine discretionis honestum ab inhonesto, utile ab inutili segregas, oleum in torculari ab amurca eliquas, paleam in ventilabro a grano separas. Dum spiritualem sensum in littera scrutaris, oleum prelo rationis a theca, qua latebat, elicis. Oleum aqua mixtum supereminet: et spiritualis sensus, quem inquiris, litterali supereminet. Oleum vino mixtum superiorem petit locum; et misericordia, quam prædicas, superexaltat iudicium, etc.

3. Dum lego scripta tua, ipsa voce sua mihi loquuntur, ipsa salutaria monita prosequuntur: sed non mihi obsecundant, non me satiant. Ipse loquaris, ipse osculo oris tui me osculeris. Revelatâ facie te volo videre, non per speculum in ænigmate. Ipse me osculeris, non ore tuo, jungendo labia labiis, quia indignus sum, sed osculo; non osculo scriptorum tuorum, non prædicantium de te bonum: sed osculo oris tui, id est mellito eloquio procedente ex ore tuo jucundo. Loquendo enim et exhortando trahes me post te: trahes, inquam, non invitum, sed spontaneum. Spontaneum, quia etsi difficile sit ire post te; si Caucasus et Parnassus Alpesque sint inter me et te, tamen odor boni trahit me post te. Tractus curram in odore unguentorum tuorum, ut per odorem perveniam ad saporem. Introduces enim me in cellaria tua, ubi sunt diversi generis fercula, et diversis speciebus condita pocula: quibus saginatus, quibus debriatus, introducar in æterni Regis cubiculum, ubi gaudeam in sempiternum. Dixi, curram post te, sed non ad te: quia nondum deliberavi apud me, angelicum habitum candidorum Nazaræorum pro alio habitu mutare. Bonum est mihi sic esse, etc. Quæ superius dixi, pater venerande, ad te, et de te, et propter te, dixi specialiter: jam calamum laxo, et alios tecum ad audiendum ea quæ dicam invito: in quibus errata mea reprehendo, et miseriam mundi deploro, precumque tuarum levamen appello, etc.

### 380 EPISTOLA CDLXXX.

EJUSDEM HUGONIS METELLI AD S. BERNARDUM

*Se suosque ab accusatione purgare conatur.*

BERNARDO Claræ-Vallis abbati serenissimo, et in Christo benedicto, HUGO METELLUS, quondam domesticus Aristotelis, nunc servus Christi, ascendero de Jericho in Jerusalem.

1. Pinguescunt speciosa deserti, et Clara-Vallis abundat frumento, quo pascitur pardus cum agno, leo cum vitulo : a quibus regnum cœlorum vim patitur, a quibus Domino Deo abominationes Egyptiorum immolantur : ubi bestię fiunt homines, et in hominis naturā fiunt conversationes angelicę. Adiciat Clarę-Valli larga Dęi dextera pluribus pluriora, et de clara faciat clariorem, de clariori clarissimam. Felix conventus, felix concentus, ubi non flat aquilo ventus terras exurens, sed pluvius auster areolas aromatum nutriens.

2. Mittimus vobis, pater venerande, abbatem nostrum ad videndum, ad colloquendum, ad ædificandum. Videre enim faciem vestram angelicam jucundum est, colloqui jucundius est, ædificari jucundissimum est. Mittimus vobis hominem innocentem, plenum melle, sine felle; plus enim habet mellis quam fellis, plus amoris quam horroris; simpliciter prudentem et prudenter simplicem; turturem cum castitate, et columbam cum simplicitate.

3. Relatum est nobis, pater reverende, relatum esse vobis, quod claustum quod claudit nos, paucos vel nullos clauderet religiosos. Si relator vester retulit, nullos, falsi prolocutor fuit : si paucos retulit, verum dicit, et mecum sentit. Nos enim pauci sumus. Si vero non ita intellexit, sed de numero paucorum, paucos separat, et ad sinistram collocat, non est mirabile, etsi sit miserabile. Ut enim quę fiunt in pręsentiarum taceamus, et priora tempora ad memoriam reducamus, arca beati Noe munda et immunda animalia in sinu suo collocavit. Domus patriarchę bonum unum, et alterum reprobum habuit. Ad ultimum, schola Christi undecim sanę mentis collegit, unumque phreneticum inter alios sustinuit; aliosque discipulos habuit, quorum nomina secundum pręsentem justitiam in libro vitę dixit esse scripta, quę ab eodem libro secundum Dei pręscientiam erant abrasa. Claustum etiam cœli superbia ascendit, de quo cum dedecore corruit. Si, inquam, relator vester improbus paucos reprobos de numero proborum segregat, videat ille, provideat ille, quo oculo dicat. Quod si caligat, lippientem oculum tergat, et collyrio inungat, ut clarius videat, nec in malis alterius ita acuta perspiciat, ut aquila vel epidaurius serpens; sua vero lippis et inunctis ocellis intuens. Non est tutum in ambiguis offendere Deum aut proximum, et judicare alterius servum. Scio enim qui dicit : *Tu quis es, qui judicas alienum servum? suo domino stat, aut cadit* (Rom. xiv, 4). Noli itaque, pater, noli omni spiritui credere, nec claudat oculum tuum lingua adulantium et lippientium, nec impinguet caput tuum peccatoris oleum. Quærunt namque gratiam tuam et glóriam suam super aliorum excogitatam offensam. Credo ego te, pater, habere gratiam spirituum, et effundere in terram venditoris oleum. Hi tales cursores, alienarum cogitationum sunt dispunctores, verborum et syllabarum venatores. Ili tales figuram oculorum tenent, qui alios vident, se non vident. Quia vero in

humana natura una perfectio est, cognoscere se imperfectum (si enim dixerimus quod peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas non est in nobis (I Joan. 1, 8); optimus ille est, qui urgetur minimis. (HORAT. *Satirarum* libro 1, sat. 5, vers. 68, 69). Memini quędam prudentem dixisse, et dictum memorabile scripturę mandasse : « Non ego, » inquit, « offender paucis maculis, ubi plura nitent in egregio corpore. » (HOR. *De arte poetica*, vers. 351, 352.)

4. Scio, pater, scio, charitate movente, Apostolo pręeunte (I Cor. vii, 7), velle te omnes homines similes tui esse. Sed **381** labor difficilis est te assequi, difficilior te consequi. Quemadmodum enim acies exterioris hominis reverberatur intuendo sphæram solis, sic ad intuitum tuarum virtutum obstupescit acies interioris hominis. Condescendat itaque satur famelico, sanus infirmo, perfectus imperfecto; et oret ut famelicus satiatur, et infirmus firmetur, imperfectusque perficiatur. Omnipotens autem Deus, qui te fecit cum non esses, et perfecit cum imperfectus esses; omnipotens, inquam, non est factus impotens, nec brachium ejus abbreviatum est, nec misericordia ejus attenuata est.

#### EPISTOLA CDLXXXI.

EJUSDEM HUGONIS METELLI, IN PERSONA ABBATIS SUI AD GUILLELMUM ABBATEM.

*Excusat, quod ad Herberti sui calumnias aliquanto durius respondeat.*

GUILLELMO venerabili et in Christo dilecto abbati, SIEBAUDUS humilis abbas Sancti-Leonis, de leone rugiente, et ovile Christi circumeunte feliciter triumphare.

1. Epistolam nostram devota et dextera manu suscipite, et quidquid in ea exaratum est perlegite. Nihil salis est ibi, amaritudinis nihil; quod contristet spiritum vestrum nihil. Pacificus est ad vos ingressus noster; ramum olivę, non arma fert sermo noster. Irritati relationibus quorundam asperis, adversum fratrem nostrum Herbertum commoti sumus, quod aspera et irrita promulgasset de nobis; et commoti scripsimus in eum aspera pro asperioribus. Homines siquidem sumus. Nulli etenim injurię suę videntur parvę : multi etiam eas gravius æquo acceperunt. Pręter ea longe plus irritavit nos Dei nostri injuria quam nostra, cujus pactum irritum fecit : quamvis et Dei sit nostra, et nostra Dei. Quia vero irritati, et zelo Dei intrinsecus tacti, aspera verba in fratrem nostrum respersimus, non sine ratione, nec sine auctoritate divinę paginę hoc fecimus. Paulus Corinthios, nuper a se conversos, duris et ignominiosis verbis contristavit, contristatos emendavit (I et II Cor.); Galatas fascinosos pleno ore pronuntiavit (Galat. iii, 1) : quos si mitius appellasset, non emendasset, etc.

2. Frater autem Herbertus, si tamen frater, non ut eum decuit, in litteris suis me post se fluvium misisse, qui eum absorberet, descripsit : ut taceam quod me despective, suppresso nomine abbatis,

hominem vocavit. Sagittarium etiam me in eodem scripto appellavit, et arcu extento manum meam armavit: quod equidem juxta metaphoram tolerabile esset, si sagittas toxicatas me mittere non adunxisset. Par pari retulit, injuriam suam injuria nostra vindicavit. Certum autem sit Charitati vestrae, pater bone, me paterno affectu defectum fratris nostri plangere, resurrectionemque ejus expanso sinu, manibus expansis expectare. Exspecto enim si quo modo resipiscat, si quo modo ad cor redeat. Sicut in initio chartulae meae praedicavi, ita dictante in fratrem Herbertum aspera verba effudi, et tam fratrem, quam vos in fratre exasperavi. Sed quia ira viri justitiam Dei non operatur, non accendi omnem iram meam, sed temperavi, imo extinxi eam, etc.

### 382 EPISTOLA CDLXXXII.

HAIMONIS ARCHIDIACONI CATALAUNENSIS AD BERNARDUM (1134).

Reverendo patri ac Domino B. venerabili Dei gratia Clarae-Vallensi abbati, H. eadem gratia Catalaunensis Ecclesiae humilis archidiaconus, ante Deum et homines incedere sine querela.

Domine, ecce quem amas, graviter infirmatur. Quartanarius enim est. Rogo ergo te, pater, ut quia magnis aestuo febribus, magnis me sanctorum, qui tecum sunt, juvare digneris orationibus. Scio enim, scienter scio, quia si pronus adoraveris in terram, et tetigeris Dominum Jesum eo quo soles valido orationis tactu, exhibit virtus de eo ad sanandum, et flabit spiritus ejus, et liquefaciet omnem aegritudinem meam. Bene valeat Sanctitas vestra in Domino, domine mi, et amantissime pater. Utinam merear consolationem et rescriptum de manibus vestris, et de pane refectionis vestrae cum benedictione Dei et vestra accipere.

### EPISTOLA CDLXXXIII.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Domino patri ac digne venerando B. Dei gratia Clarae-Vallensi abbati, H. eadem gratia id quod est, optimam partem in sorte sanctorum.

Accepta occasione de postulandis Sermonibus vestris in Cantico canticorum, scribere ad vos, reverende pater, compulsus sum: quod quidem sine causa facere non praesumpsissem. Quae enim licentia juveni et indocto mihi, ut aures doctissimi senis sollicitem, quem erudit Dominus Jesus in doctrina sua, sicut erudit homo filium suum? Et quis sum

(1134) Guido, ex decano Laudunensi electus anno 1142 Catalaunensis episcopus, sed anno tantum 1144 consecratus (de cujus electione vide Bernardi epistolas 221 et 224), ad eam sedem suam veniens, quemdam Laudunensis Ecclesiae juvenem clericum, nomine Haimonem, qui secum abierat, mox in ipso primo consecrationis suae anno, sedis ejusdem archidiaconum fecit. Quae verba Hermanni Laudunensis in libro tertio de Miraculis B. Mariae, cap. 25, intelligenda sunt de isto Haimone, cujus epistolas duas hic editas a venerabili vero N. a Sancto-Remigio, itidem Catalaunensi archidiacono, accepimus. Porro idem Haimo post Bartholomaeum Guidonis successorem creatus est et ipse episcopus

A ego, ut videntem interrogem, cujus oculi in capite ejus? maxime cum puer sim, et nesciam loqui, pusillus inter fratres meos, et novella plantatio in juventute mea. Absit, domine mi, absit a moribus et disciplina adolescentiae meae, ut audeam vobis sine causa loqui, nedum quod habeam ad vos litterata colloquia. Verum, ut praedixi, postulandi Sermones vestros nunc se ingessit occasio, quos saepe per nuntios requirens, opportune institi et importune; nunc quoque litteris improbiorebus insto. Certe si essem aliquis, nonne merito indigne tulissem, quod liber iste vester volvitur per ora sinusque omnium, me vero solum elabatur? Quare hoc, domine mi? Forsitan indignum me judicastis. Ad quod ego: Si indignum me esse sciebatis et insufficientem ad intelligendum, quare promittebatis? si autem probum ac studiosum, quare differtis? Obsecro, domine, ne differatis ultra promissum. Nuntiate et mihi rumores optimos, quos aliis sparsistis de eis spiritualibus nuptiis, quibus saepe vos paronymus interfuistis. Frangite panem verbi, apponite favum mellis, quem distillaverunt manus vestrae: ut habeam in his diebus jejunii, unde reficiar. Bene valeat Sanctitas vestra, domine mi pater, divinarum et humanarum rerum maxime arbiter, magister chisticolarum, cyrrus Ecclesiae et auriga ejus.

### EPISTOLA CDLXXXIV (1135).

G. AD S. BERNARDUM.

C Ad excusandum Ambianensem episcopum ab expeditione transmarina.

Dulcissimo patri et domino B. Dei gratia Clarae-Vallensium abbati, frater G. quod patri filius.

Quaedam perlata sunt ad aures domini nostri Ambianensis 383 episcopi (1136), quae admodum teruerunt eum. Homo humilis est, et de se minima sentit: sed quod non credit humilitas, crebri rumores adduxerunt in dubium. Rex, ut dictum est ei, vult eum habere socium peregrinationis suae, et super hoc habere dicitur assensum domini Papae. Magna dignitas satque jucunda, si non impossibilitas reclamaret. Pauper et infirmus est, ita ut nec corpus labori, nec pecunia sufficiat necessitati. Quantum etiam necessarius sit ad reprimendos raptos et protegendos pauperes Christi, qui in diocesi sua sunt, norunt ipsi, novimus ipsi, qui rem didicimus. Cogimur itaque charitatis affectu vestram

Catalaunensis anno 1132.

(1135) Scripta anno Christi 1143.

(1136) Theodorici scilicet, qui primo fuit monachus coenobii Sancti-Nicolai, in diocesi Laudunensi, postea vero abbas Sancti-Eligii Noviomensis, ac demum pontifex Ambianensis a Samsone Remorum archiepiscopo consecratus uno anno post consecrationem Guidonis Catalaunensis, id est anno 1145, ex libro tertio Hermanni de Miraculis S. Mariae Laudunensis, cap. 26. Huic epistolae respondet ejusdem Theodorici epistola, inter Sugerianas 24 ad Sugerium: in qua contestatur, se ad expeditionem regiam nullatenus sufficere. Ejusdem est etiam epistola ibidem 34.

humiliter interpellare pietatem, ut eum, si fieri potest, super hoc faciatis excusatum, consulens communi ecclesiarum utilitati, gravique combatiens qua vexatur infirmitati. Valet.

EPISTOLA CDLXXXV (1137).

SAMSONIS ARCHIEPISCOPI REMENSIS AD SANCTUM BERNARDUM.

*De conditione monasterii Morensis, diœcesis Lingonensis.*

SAMSON Dei gratia Remorum archiepiscopus, charissimo ac præcordiali amico suo BERNARDO, Claræ-Vallensis monasterii venerabili abbati, salutem, et in sanctæ religionis proposito beatam perseverantiam.

Sanctitatis vestræ petitionibus debita sollicitudine annuentes apud abbatem et canonicos Beati Dionysii multum diuque laboravimus, ut ecclesiam, quæ est apud Moras, nobis donarent cum omnibus appendiciis suis, ad faciendam ibidem abbatiam Ordinis Claræ-Vallensis: quod quidem vix impetrare potuimus. Cæterum Domino propitiante tandem ipsam ecclesiam cum omnibus appendiciis suis nobis donaverunt, ea conditione videlicet, ubi ibidem abbatia Claræ-Vallensis Ordinis fieret. Nos itaque ecclesiam illam cum omnibus appendiciis, vobis, et sanctæ congregationi Claræ-Vallensi concedimus et donamus, ita videlicet, ut ibidem abbatiam Claræ-Vallensis Ordinis absque longioris moræ obstaculo faciatis. Valeat Sanctitas vestra in Domino, et pro nobis, et pro ecclesiis nobis commissis jugiter Dominum oret.

EPISTOLA CDLXXXVI (1138).

HENRICI EPISCOPI TRECENSIS AD S. BERNARDUM DE BULENCURIÆ ABBATIA.

Venerabili et reverendissimo patri BERNARDO Claræ-Vallensi abbati, ejusque successoribus regulariter substituendis, ego HENRICUS Trecensis episcopus, in perpetuum salutem.

1. Si monasteriis et ecclesiis in episcopatu nostro constitutis curam et vigilantiam ut in melius proficiant adhibemus, ab illo cui cura est de omnibus, speramus auxilium, et præmium expectamus. In episcopatu nostro quædam ecclesia canonicorum erat, Bulencuria nomine, abbatem habens, canonicos, et conversos, et mulieres; qui omnes voverant propositum sanctitatis: ubi cum penitus disciplina defecisset, regnaret insolentia, honestas deperisset; vocatus ab illius loci habitatoribus, qui jam se ipsos per semetipsos sustinere non poterant, adveni. Ibi ab illius loci abbate, et ab omnibus tam canonicis, quam conversis et mulieribus, cum multis precibus rogatus sum, ut ecclesiam ipsam et omnes possessiones ejus, quæ jam per se stare non poterant, Deo et Ordini Cisterciensi, specialiter autem venerabili patri et domui Claræ-Vallis emendendam et possidendam juxta consuetudinem Cisterciensis Ordinis in sempiternum concederem. Abbas autem prædicti

loci in manu nostra abbatiam dimisit, et ad opus Claræ-Vallense reddidit.

2. Videns ergo quia omnipotens Deus tua sollicitudine, sapientia, et religione pene totum illuminaverat et correxerat mundum, ipsam ecclesiam Cisterciensi Ordini, tuæ Paternitati, et Claræ-Vallensi domui cum omnibus possessionibus suis in perpetuum dono: in 384 quibus hæc sunt quæ nominibus propriis duximus adnotanda: Terram abbatiae adjacentem, grangiam de Frigido-Fonte, Pertam in Rosteria, Pertam-Haymonis, Pertam-Siccam, Domni-Peruclum, Bruliam cum omnibus appendiciis et pertinentiis ipsarum grangiarum, et omnia quæ prædicta ecclesia in dominio possidebat. Ne autem hoc aliqua temporum vetustate, vel alicujus hominis perversitate aut mutaretur, aut penitus deperiret; sigilli nostri munimine confirmavimus. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini 1152, regnante Ludovico Juniore rege Francorum.

EPISTOLA CDLXXXVII (1139).

GAUFRIDI EPISCOPI CARNOTENSIS AD STEPHANUM EPISCOPUM PARISIENSEM.

*De pace inter ipsum et Stephanum de Garlanda.*

De reformanda pace inter vos et Stephanum de Garlanda, dudum vobis, ipso petente, locuti fuimus. Nunc autem, quoniam audivimus quod, omissis quibusdam quæ adversum vos videlatur habere, pacem vestram desiderat, sanctitatis vestræ discretionem consulimus (quem ex cordis affectu diligimus, et cui consulere nisi quod honori vestro serviet non possumus), consulimus, inquam, et petimus, ut diem ei competentem et terminum constituatis, in quo, juxta considerationem rationis, pacem cum eo reformetis, quam offert vobis ad cognitionem et examinationem amicorum vestrorum, videlicet abbatibus de Clara-Valle. Non enim decet paternitatem vestram oblatam pacem respuere, quam etiam non oblatam modis omnibus provocare debetis. Nam juxta Domini Salvatoris exemplum, ovem errantem debetis requirere, et ad pacis ovile vestris etiam humeris reportare. Si cum omnibus hominibus, sicut dicit Apostolus, pacem debemus habere, quanto magis cum his, de quibus nos oportet Domino respondere? Unde, quod absit, si prædicti viri satisfactionem ex amicorum sententia non recipitis, certum est quod et apud Deum offensam incurritis, et amicis vestris ruborem incutitis. Valet.

EPISTOLA CDLXXXVIII (1140).

HUGONIS EPISCOPI OSTIENSIS (1141) AD CAPITULUM CISTERCIENSE.

*De morte Eugenii III papæ.*

Amantissimis in Christo patribus, GOSVINO Cistercienci, BERNARDO Claræ-Vallis abbatibus, totique capitulo Cisterciensi ad honorem Dei congregato,

(1137) Scripta circa annum 1152.

(1138) Scripta anno Christi 1152.

(1139) Scripta annum 1126. Antea epistola 465.

(1140) Scripta anno Christi 1153.

(1141) Is olim monachus Claræ-Vallensis, ad quem Bernardi epistolæ 287, 290, etc.

Hugo Dei gratia Ostiensis episcopus, unitatem spiritus in vinculo pacis.

Sicut sacra docet auctoritas, omnis caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos feni (*Isa. XL, 6*). Breves dies hominis sunt: transit homo velut umbra, nunquam permanet in eodem statu. Deficit ut fumus, cadit ut folium quod a vento rapitur (*Job XIV, 5, 2; VIII, 9; XIII, 25*). Decus Ecclesiae, pater justitiae, amator religionis et patronus, qui superbiorum et sublimium colla propria virtute calcaverat, qui super solium David et super regnum ejus sedebat, ut Ecclesiam sibi commissam, quam ad sublimem statum reducerat, confirmaret et corroboraret; pater, inquam, noster ac defensor, felicitatis memoriae papa Eugenius, trabea carnis exutus, octavo Idus Julii carne immaculatus migravit ad Christum. Exivit Christo obviam in aera, et sic semper cum Domino erit; Agnum secuturus quocumque ierit. Cujus exsequiae, praeter spem omnium, jam fere enim senatum ad nihilaverat, praeter morem consuetum, ita per biduum sunt a clero et populo celebratae, ut jam crederetis regnantem in caelis, qui mortuus ita colebatur in terris. O quantus erat luctus omnium! quanta praecipue lamenta pupillorum et viduarum! jam diceretis esse cum Deo, qui ita lamentabatur a populo. Procul dubio ereptus est de laqueo venantium: contritus est laqueus, et ipse liberatus est, raptus, ut credimus nos qui ejus conscientiam novimus, usque ad tertium caelum, non relinquens nos orphanos, ut quidam autumant. Rogabit enim Deum Patrem et Unigenitum cum Spiritu sancto qui est Deus benedictus in saecula, cum quo est, pro nobis. Vos autem, de quorum collegio ipse est electus, ut sederet super principes, et solium gloriae teneret, orate pro eo, constituite perpetua beneficia, ut Deus sibi indulgeat, et corona gloriae sibi augeat. Pro bonae memoriae fratre nostro similiter orate: pro nobis vero qui in hac valle miseriae, in hac regione dissimilitudinis, et in medio pravae nationis remansimus, et pro Ecclesia Romana, quae ex tam alto gradu tam brevi spatio usque in profundum abyssi inferni cecidit, nihilominus rogamus oretis, ne demergatur in profundum hujus magni maris, in quo sunt reptilia, quorum non est numerus. Praeterea rogamus obnixè, quatenus, si parvitas nostra quidquam in oculis vestris potest, petitiones quas latores praesentium pro domo Sancti-Anastasio, et pro domo Fossae-Novae, et pro domo de Casa-Marii

(1142) Scripta circa annum 1154.

(1143) Nempe Sancti-Vincentii ad urbem, Sancti-Michaelis in Terascia, Sancti-Nicolai in Bosco, Sanctae-Mariae de Novigento, Sancti-Nicolai in Prato, virorum; praeter parthenones Sancti-Joannis in ipsa urbe, et Auriniacensem in eadem dioecesi.

(1144) Haec enumerat Hermannus Laudunensis in libro tertio de Miraculis: scilicet Praemonstratense, Sancti-Martini in urbe, Tenoliense, Clara-Fontanense, et Cuissiacense Ordinis Praemonstratensis, Fusciniacense, Spinetense, et Val-larense, Ord. Cisterciensis, virorum: quibus nonum ad

vobis facient, benigne et efficaciter exaudiat. Alioquin sciatis quod inde magnum sentitur scandalum.

### 385 EPISTOLA CDLXXXIX (1142).

BARTHOLOMÆI, EX EPISCOPO MONACHI, AD SAMSONEM ARCHIEPISCOPUM REMENSEM.

*Reddit rationem suae administrationis.*

Venerabili, semperque amabili domino SAMSONI Remorum archiepiscopo, et sub ejus praesentia congregato sancto conventui, frater BARTHOLOMÆUS in Fusciniaco pauper monachus, misericordiam et veritatem diligentibus.

1. Verecundiae meae silentium imperat hujus sancti conventus solemnitas: sed frontem aperit, et stimulat ad loquendum in palam imminens famae meae periculum. Neque enim dissimulare possum quod multorum vulgavit opinio, quod etiam ad aures domini Papae volavit. Episcopales redditus me detraxisse rumor est, cui rumori plus justo credit Laudunensis episcopus. Meum ergo est super eis fateri quod verum est; intueri autem quod justum est, et tueri, vestrum erit.

2. Laudunensis sedes tristis et mœrens erat, cum illuc primum ingressus sum; utpote attrita seditio- nibus, et ignibus concremata ipsae quoque res majoris ecclesiae afflictae erant, et tenues redditus. Si illi porrexerim manum ut resurgeret, novit Deus, noverunt et Ecclesiae filii. Verumtamen nihil eis contuli, quod ad redditus pertinet episcopi, praeter porcos, quos vulgo nostrates verres vocant, quos mensae episcopali personae solvebant ecclesiae. Hos, inquam, ad praebendam canonicorum concessi, quoniam illos nec sine pudore exigere, nec habere sine molestia poteram. Praeterea quinque duntaxat abbatias in nostra dioecesi reperi (1143), rebus pariter ac religione dilapsas. In his, Domino Deo multiplicante misericordiam suam, et numero, et merito crevit sanctorum numerus, et possessio est dilatata. Novem insuper novae religionis monasteria passim in eadem dioecesi sunt fundata (1144). Horum in personis numerus numerum pene excedit; horum religio religionis est specimen: horum tam multa possessio est, tam multis abunde sufficiens.

3. Si manum beneficii me porrexisse negavero antiquis ecclesiis ut resurgerent, novellis ut consurgerent, mentiar. Profui sane fere ecclesiis omnibus: sed nec quantum volui, nec quantum debui. Sane Calixtus papa dominum Norbertum, cujus memoria in benedictione est, fidei nostrae commisit,

radices montis Laudunensis adjecit Monasterium pro sanctimonialibus ejusdem instituti: quo uno monasterio censet Hermannus Laudunensem ecclesiam caeteris debere praeferrì, quod ante illud nulla hujuscemodi religionis abbatia feminarum existerit. « Hæc, depositis omnibus lineis indumentis, » inquit idem auctor, « atque pelliciis, solis tunicis laneis utebantur, et non solum nendo vel texendo, sed etiam in agris fodiendis, silvis extirpandis, evel- lendisque spinis et vepribus, manibus assidue labo- rantes cum silentio, sibi victum quaerebant exemplo Clare-Valleusium monachorum. »

ut ei locum traderem, ejusque votis assisterem. Terram igitur ad episcopum pertinentem illi contuli, quæ vix tamen sufficeret duobus aratris. Hujus pars Versiniaco est posita; pars apud Cuisy, quæ tamen multis jam ab annis inculta et sterilis jacebat. De his itaque quæ ad episcopales pertinebant redditus, nihil amplius me recolo detraxisse. Vestro tamen favore ac consensu quidam ecclesiis contulerunt terras, quas a nobis habebant in beneficio: census tamen terrarum et vinagia nulli penitus condonavi.

4. De cætero quid illi sedi accessit commodi aut honoris, nolo humanum procedat judicium. Si quid vero ut homo deliqui, in conspectu hominum confundi non refugio. Causam itaque nostram vobis, tanquam judicibus allegare, tanquam testibus intimare volui: in quibus calumniatorem non timeo, verum dicens. Liceat **386** tamen mihi aliud audere apud vos, liceat aliquid humanum loqui. Nihilne sedi nostræ titulum accessit et gloriæ, cum tot et tantas parturivit ecclesias, cum tot multiplicaverit regulares personas? Cur ergo, ut audio, dominus Laudunensis sine testibus bellum parat (1145)? cur tentat quod forte ei promovere non liceat? Si filios Dei congregavi, si suscepi justum in nomine justum; nemo mihi succenseat: videat alius ne congregata disperdat. Conservet vos omnipotens Pater ad honorem sui nominis, et per vos Ecclesiæ suæ religionem et sanctitatem corroboraret.

#### EPISTOLA CDXC (1146).

TURSTINI ARCHIEPISCOPI EBORACENSIS AD WILLELMUM CANTUARIENSEM PONTIFICEM (1147).

Reverendissimo, et in christiana charitate domino WILLELMO, Dei gratia Cantuariensi archiepiscopo, apostolicæ Sedis legato, TURSTINUS eadem gratia archiepiscopus Eboracensis, in Christo proficere, et nunquam deficere exoptat.

1. Ecclesiasticæ dignitatis summus honor est cum filiis et optimatibus Ecclesiarum inter difficillimos eventus summa communicare consilia. Unde Paternitati vestræ rem insolitam, quæ inter nos [Eboraci nuper contigit, indicare decrevimus, domine venerabilis et egregie pater. Siquidem notum satis ac certum est multis, quanta bonitate ac fama enituit virtutis in auribus omnium insigne cœnobium Sanctæ Mariæ Eboracensis. Infra paucos namque annos et rebus plurimum excrevit, et numero et religione fratrum laudabiliter abundavit. Verum quia cum opibus virtutes minus vigere, minus consistere haud dubium est; aliqui ex fratribus ejusdem cœnobii ante dimidium ferme annum, divino, ni fallor, in-

(1145) Bartholomæo post annos regiminis triginta octo successit anno 1151 Gualterus, ex primo abbate Sancti-Martini in urbe: Gualtero post annos tres Gualterus alter, de Mauritania dictus, ex decano ecclesiæ Laudunensis, qui hanc litem Bartholomæo tum monacho facessivit. Quousque vero lis et controversia hæc, præsertim adversus Præmonstratenses, qui Bartholomæi beneficia in prius

A stinctu permoti, cœperunt de modo ac statu conversationis suæ vehementer agitari, et remordentē conscientia, sicut ipsi testantur, multis angoribus æstuarē. Nempe falli se pene metuebant, si tantum votum exsecutio digna minime sequeretur. Unde inæstimabili horrore dicti fratres Eboracenses percussi sunt, eo quod professionis suæ votum in nullis, vel saltem minimis in rebus, adimplere viderentur; metuentes sane ne in vacuum current aut cucurrissent, si voti reos tantæ inobedientiæ pœnalis ultio non reprobarēt. Facinus namque, vel potius insaniam videri credebant, se portare Regulam beati Benedicti, non ad profectum salutis, sed ad judicium mortis. His igitur permoti prædicti fratres, Priori suo, Richardo nomine, mentis suæ difficiles æstus innotescere studuerunt, prætendentesque de transgressione formidinem, ex voti correctione patrocinium supplicabant: ac ne prosperitatis alicujus respectu vel adversitatis timeret auxiliari, per Spiritum Dei, et Christi nomen adjurabant. Expavit ipse de novitate rei: ac licet inter suos dulcis fortunæ summa facultate vigeret, audito tamen rumore melioris vitæ, perpendit velut intentione censoria dubios casus labentis fortunæ. Interimque brevi, ut res erat, internæ virtutis usus consilio, inter hoc et illud illico discrevit decrevitque. Pollicetur non modo auxilium, verum etiam ejusdem voti fore se socium. Quid multa? paulo post numerus eorum ad tredecim pene convaluit, qui de corrigendo statu vitæ suæ juxta Regulam beati Benedicti, imo **387** veritatem Evangelii, contendere proponebant.

2. In vigiliis igitur apostolorum Petri et Pauli dilectus frater noster Richardus Prior, in quo tota pene monasterii cura pendebat, sumpto secum Subpriori suo Gervasio, inter suos concœnobiales nominato ac religioso, rem, uti agitabatur, domino abbati suo familiariter exponere curavit. Itaque dominus abbas, vir utique pro sensu et ingenio suo honestus ac bonus, nimis autem simplex et illiteratus, novi rumoris miraculum exhorruit: antiquos ritus et solitas consuetudines, quas pene toto orbe generalis multitudo obtinuit, posse se in locello suo mutare negavit. At vero dominus Prior utpote bene litteratus: « Nil rude, inquit, o pater, aut novum inducere contendimus. Veram et antiquam religionem beati patris nostri Benedicti, imo etiam antiquissimum Evangelium Christi, quod omnes religiones et regulas antecedit, assumere et totis viribus cum gratia observare debemus. Cæterorum monachorum nullos detrahimus, institutionibus eorum non invidemus. Scimus quod in omni loco uni

experti fuerant, perducta sit, intelligitur ex Adriani IV papæ litteris ad Ludovicum Juniorem scriptis, quæ in Bibliotheca Præmonstratensi referuntur.

(1146) Scripta anno Christo 1132.

(1147) De hujus epistolæ argumento vide Bernardi epistolæ 94 et 313. Ad Turstinum scriptæ sunt epistolæ 95 et 319; in quarum priore Bernardus eidem ob hoc factum gratulatur.

Domino servitur, uni regi militatur (*Reg. S. Benedicti*, cap. 61); et in foro, et in claustro gratia Dei eadem valet. Job etiam fortior existit in sterquilino, quam Adam in paradiso. Denique quidquid beatus Benedictus instituit, ita totum Spiritus sancti providentia destinatum est, ut nihil utilius, nihil sanctius, nihil felicius excogitari posset. Cumque sciret ac prædicaret, quod socordia inimica sit animæ, certa quidem tempora ordinavit lectionis et orationis instantiæ, certa quoque tempora labori et industriæ: quatenus in altero salubriter exerceat animam, in altero carnem, in utroque vero tolleret fastidium. Hæc quoque super adducit: Scurrilitates, aut verba otiosa, et risum moventia, æterna clausura in omnibus locis damnamus, et ad tale eloquium discipulum aperire os non permittimus (*Ibid.* cap. 6). Et alibi quoque ait: Omni tempore silentio debent studere monachi, maxime tamen nocturnis horis (*Ibid.* cap. 42). Hoc decretum quam diligenter observatum, neminem latet qui nostras consuetudines nosse potuit. Euntibus namque aliis ad ecclesiam post collationem, alii recedunt vicissim ad nugas et inutiles garrulasque confabulationes. Quasi non sufficiat diei malitia sua, nisi et superaddatur nocti et sua.

3. Multa addidit præterea de ciborum insolentia, de dulci et solemnè vicissitudine potationum, de pretiosa subtilitate pannorum. Non ita sapuit, non ita docuit beatus pater noster Benedictus. Ab eo quippe non color vestium, sed calor attenditur: non sapor pulmentariorum exquiritur, sed parcitate ciborum necessitas fallitur. Non agnoscit suos beatus Benedictus, nisi sub Regula et abbate in cœnobiis degentes. Porro si libet, o pater venerabilis, recurramus ad evangelicam puritatem, ad evangelicam perfectionem et pacem; et intueamur, quam nihil vel parum reluceat in moribus vel actibus nostris quod docuit Christus. Concupiscimus omnia, irascimur, rixamur: rapimus aliena, repetimus vestra cum lite, fraudes et mendacia defensamus, carnem et affectus ejus sequimur. Nobis vivimus, nobis placemus; vinci formidamus, vicisse gloriamur; cæteros opprimimus, opprimi devitamus; cæteris invidemus, de nostris profectibus gloriamur, et jocamur, et ex alienis sudoribus impinguamur, et totus mundus non sufficit malitiæ nostræ. Etsi videatur Evangelium emortuum et impossibile in nobis, intueamur monachos Saviniacenses et Clare-Vallenses qui nuper venerunt ad nos, quam clare reluxit Evangelium in illis, ut, si dici fas est, utilius sit eos imitari, quam Evangelium recitare: cum vero videtur sancta conversatio eorum, quasi reviviscere judicatur Evangelium in illis. Soli sua non repetunt, soli nihil possident, unde se proximis anteferre contendunt. Soli sunt qui proximorum damnum non appetunt. Modica cultura terræ et usu pecorum contenti sunt: ea vero non habere appetunt, nisi quandiu Deus vult; quia cum vult Deus ea auferri, non licita appetent. Eis, ni fallor, com-

A petit 388 dicere: Nobis mundus crucifixus est, et nos mundo (*Galat. vi, 14*). Eis competit dicere, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth. vi, 12*): qui debitorem neminem habent, in quo quidquam exigere velint. Felix hominum genus, quorum habitus, victus, totusque modus conversationis eorumdem sapit Evangelium. Illorum portio solus est Deus. Illi plene, quantum humanæ facultatis est, charitatem Dei et proximi implere dignoscuntur: quia soli Deo cohærentes, temporalia cuncta præter modicum et contemptibilem habitum ita plene deseruerunt, ut nihil concupiscant, unde proximus sibi dignetur irasci. Non igitur, o pater, unquam impossibile videatur tenere Regulam beati Benedicti: quandoquidem talia Deus nobis ministravit exemplaria, qui sanctis virtutibus præcesserunt nos, ut sequamur illos. Si vero propter viciniam et strepitum populorum non omnino valeamus sequi eorum puritatem, saltem modum vitæ et professionis juxta regulam nostram advertamus, propterea quod non monachi, sed mortui sumus.

4. In hunc modum locutus est dominus Prior Richardus cum domino Galfrido abbate suo de correctione monasterii sui: quæ verba dominus abbas non satis jucunde accepit; quia difficile est diuturnos usus amovere. Verumtamen cum se fateretur minus perspicacem et illitteratum, rogavit uti scripto plenius innotesceret, qualiter in loco suo talia actitari potuissent: quod libenter amplectens, non segniore studio susceptum implevit imperium. Scripsit igitur ut non aliis colloctionibus, nec pannis, nec cibariis uterentur, quam Regula permittere videretur: situmque et ordinem monasterii tam diligenter expressit, ut vix melius in eremo, quam in urbe Regula teneri putaretur. Possessiones vero, sicut in rebus sæcularibus edoctus, ita fideliter ordinavit, quatenus ut in illis evangelicam justitiam vix in ullo excessisse crederetur. De redditibus siquidem ecclesiarum vel decimarum, de quarum investitura monachi magis reprehensibiles haberi solent, omnia suscipi et fieri legitima et canonica consideratione episcoporum, et non nisi in usus pauperum, peregrinorum, hospitumve debere expendi: at vero ex legitima cultura terræ et usu pecorum monachos victitare decrevit. Quæ cum omnia cœpissent inter alios rumore notari, furor subitus multitudinis cæterorum in tantam prorupit invidiam, ut tali homini familiaribusque suis nil præter exsilium deputarent, vel districtam custodiam.

5. Tamen post multas et amicas altercationes hinc inde habitas, dominus abbas difficiliter se posse mutare referebat, quod antecessores sui tenuisse videbantur: et volens super hac re bonis uti consiliis, plenam responsionem usque post Nativitatem beatæ Mariæ protelavit.

6. Interea cæteri fratres frustra metuentes se plus solito regulari districtione coarctari, cœperunt in invidiam Prioris cæterorumque Pharisaico pene

more grassari : et, nisi quorundam benignitate, intercessisset dilatio, intestinæ persecutionis modum impetus excessisset. Interea rumor seditionis internæ inter exteriores turbas volitabat. Audiebamus sane strepitum vulgi ; rei tamen ipsa veritas latebat : cum ecce Richardus Prior, conjunctis secum Subpriori et secretario monasterii sui, totam rem, uti erat, nobis indicare curavit. Postulabant quidem clementiam beati Petri ac nostram, quatenus ad observandum quod voverant, benignam opem non negarem deferre : jamjamque necessitatem imminere proclamabant, præsertim quia jam conspiraverant fratres, ut si quis eorum de professione sua quidquam mussitaret, extra communionem fieret. De sociis etiã Prioris, vel timore, vel amore, vel vanitate conterritis, jam ibant retro, non aliter pace restituta, nisi culpam fatendo, quod de servanda professione sua quidquam murmurassent.

7. Ego igitur Turstinus, Dei gratia Eboracensis archiepiscopus, audiens Christi servos juxta præceptum beati Benedicti nil amoris Christi velle præponere, verebar in iis Christi gratiam offendere, si justæ **389** petitioni eorum non curarem episcopali pietate subvenire : quippe cujus officii summa est, et de monachorum religiosa quiete providere, et oppressis in necessitate condolare. Ac proinde religiosarum personarum usus consilio, dominum Galfridum abbatem et Richardum Priorem cum Subpriori suo ad opportuniorem locum evocavi, quatenus religiosi personis et fratrum petitionem, et abbatis responsionem in bona pace consummarem. Cui ipsi nihil aliud quam, ut prius, cum multis lacrymis expetebant, uti pauperem Christum in voluntaria paupertate sequerentur, et Christi crucem in corpore suo portarent, itemque evangelicam pacem Regulamque beati patris Benedicti plene observare non impedirentur. Ad hæc sane domini abbatis licentiam opemque paternam flagitabant. At vero dominus abbas eorum operam longe fore necessariam sibi lacrymose fatebatur, promittens, quod eorum votum, quia sanctum erat, non impediret ; opem vero quam expetebant, nesciente capitulo suo, promittere nullam auderet.

8. Itaque dominus abbas cum monachis suis revertitur domum, data interim pace ac die constituta qua in capitulum eorum advenirem, ac religiosi adventantibus personis rem cum abbate pertractarem. Interea reliqui fratres in eorum invidiam insurgere tanto crudelius enitebantur, quanto ipsi votum suum explere manifestius appetebant. Advocantur interim fratres Majoris-Monasterii et Cluniacenses monachi, qui in vicinia nostra demorantur, quatenus, eis præsentibus et acclamantibus, eos, velut communis Ordinis desertores et violatores, ab omni dignitate et cura monasterii sui reprobarent. Post abbatem namque in eorum manus summa monasterii cura fuerat delegata. Sed hæc interim. Ego autem die statuta summo mane ad capitulum monachorum venire parabam : et jam ostii limen

A pene calcaveram, venientibus una viris sapientibus ac religiosis, quorum nomina sunt hæc : Hugo decanus, Willelmus Prior clericorum regularium de Cisbarne, Willelmus thesaurarius, Hugo archidiaconus, Serlo canonicus, Aufredus capellanus meus et canonicus, Robertus sacerdos de hospitali. Foris intra portam remanserunt equi nostri cum paucis hominibus.

9. Denique introeuntibus nobis, ut dictum est, ostium capituli, occurrit nobis dominus abbas in ipso ostio cum monachis, quibus capitulum plenissimum erat : et nisi partem clericorum, qui mecum veniebant, amoverem, intrare prohibuit. Vix ergo respondere potui, quod cum clericis meis, qui viri boni et sapientes, et eorum amici erant, ad tantum negotium intrare non deberem, cum ecce totum capitulum tanto strepitu, tanto horrore personuit, ut magis seditiosus ebriorum et debacchantium hominum fremitus, quam monachorum humilitas, quæ ibi nulla erat, videretur. Insurgunt plurimi, et exsertis brachiis velut ad luctandum advolabant : clamabant se exituros, si ego intrarem. Tum ego : « Testis, » inquam, « mihi sit Deus, quod sicut pater adveniebam, nec quidquam mali vobis inferre putaram ; pacem tantum inter vos cupiens et christianam fraternitatem. Jam vero quia mihi quod episcopalis auctoritatis et officii est auferre conamini, et ego quod vestræ necessitatis est itidem vobis tollo. Cesset igitur ecclesia vestra. » Tum unus eorum, nomine Simeon : « Malumus, » inquit, « centum annis ecclesiam nostram cessare. » Cui omnes assentientes, voce phrenetica : « Capite ! » inquirunt, « capite ! » Apprehendentesque Priorem sociosque ejus, jam trahere incipiebant, volentes eos, sicut inter se consilium fuerat, aut in carcerem impingere, aut in exsilium agere. Ipsi vero, aliam, qua manus eorum evaderent, spem non habentes, me totis ulnis complectuntur, pacem beati Petri et nostram expetentes. Et ita vix in ecclesiam reversi sumus, illis usque in ecclesiam frementibus et proclamantibus : « Capite rebelles ! apprehendite proditores ! » Assedimus itaque in ecclesia, et abbas cum reliquis monachis **390** suis revertitur in capitulum suum.

D 10. Interea homines abbatiae, foribus clausis et ostiis aditus, adstare, velut in insidiis excubare. Tum nos (ut vera fatear) monachorum impetus metuentes, ostium ecclesiae, per quod itur in claustrum, intus obserandum curavimus. Interea rumor evolat, occurrit populus. Nil tamen foris aut dictum aut actum est mali. Cum ergo inter monachos nulla concordia fieri potuisset, domum revertimus, adducentes nobiscum prædictos numero duodecim presbyteros, et subdiaconum unum : e quibus plures bene litterati, omnes plenam observationem Regulæ ac professionis suæ, et Evangelii pariter expetentes. Itaque in domo beati Petri et nostra hospitantur, nulla violentiæ adversitate a proposito deterrendi. Fratres autem abbatiae nihilominus in eorum ordine



debacchantur : abbas nescio quid acturus iter arripuit.

11. Quocirca Paternitatem vestram per Christum obsecramus, eorum partem, qui ad severiora et arctiora transire cupiunt, auctoritate vestra defendere velitis. Si vero abbas eorum ad vos venerit, pro vestra a Deo data auctoritate et sapientia, in pacem illum reducat, et ne filiorum sanctum propositum impediatur, admoneatis. Quod si prævenerit, et recessit, rogamus, ut per præsentem nuntium litteras illi exhortatorias dirigatis, ne pertinaciter adversetur illis, imò potius opem conferat et opportunitatem, qui Christi Evangelio et Regulæ beati Benedicti in veritate cupiunt obedire. Debet saltem abbas et monachi sui in hac re Ægyptios et Babylo-nios imitari, qui filios Israel in terram promissionis permiserunt utiliter repedare. Laban quoque Jacob, ob ejus obstinationem clanculum fugientem, post crudelem persecutionem ad patrem redire permisit. Neque vero desertores, sed provisores censendi sunt, qui locum, ubi peccandi libertas major est, relinquentes, tutius Deo famulari desiderant. Nempe Christus ipse deterrere eos debet, qui Pharisæos redarguit, eo quod nec ipsi intrent, nec alios intrare sinant. Notum siquidem omnibus est, quod Regula beati Benedicti, toto pene et communi, ut ita dicam, orbe monachorum, modum suum in omnibus prorsus amiserit et statum. Adeo ut nemo satis mirari potest, quod quis audet coram Deo et Sanctis ejus promittere cum tanta solemnitate, quod ipse vel quotidie negligit, sive, ut verius dicam, compellitur non observare. Cadit profecto in eos quod ait propheta, *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me (Isa. xxix, 13)*: ut Apostolus ait, *Voce confitentur se noscere Deum, factis autem negant (Tit. 1, 16)*.

12. Verum fortassis quia multi ita faciunt, frequens usus confert audaciam. Verum, quod dolens enuntio, fallitur, plane fallitur audacia monachorum: quia multitudo peccantium non facit impunitatem scelerum. Unde non impediendi, sed protegendi sunt qui regulam professionis suæ cupiunt observare: neque reprehendendi qui idcirco festinant locum mutare. Neque enim Deus ex loco, sed locus eligitur ex Deo. Beatus quoque Benedictus liquido contestatur, quod in omni loco uni Domino Deo servitur, uni Regi militatur (*Reg. cap. 61*). In Collationibus Patrum Josephi eremita sufficienter edisserit, quod ille fidem suæ professionis rectius servat, qui se ad eum locum contulerit, quo dominica fidei præcepta plenius adimplere potuerit (*CASSIANUS, collat. 17*). Et quidam: « Juvat nos sanctam opportunitatem appetere, qui adjutor est in importunitatibus, in tribulatione. » Illi vero, ni fallor, Pharisæi vel hæretici judicandi sunt, qui nec timent, nec alios timere sinunt quod Veritas ait: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum aut Pharisæorum, non intrabilis in regnum cælorum*. Si enim angelus de celo evangelizaverit aliter quam evangelizatum est,

anathema sit. Aliter enim evangelizat quam Christus evangelizavit, qui angelicam pacem et regulam suæ professionis observare cupientes, impedire festinat. Quicumque vero ille sit, refellendus summopere est, cum Veritas dicat: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te (Matth. v, 20, 29)*. Nil **391** quippe molestius læditur, vel cautius observatur in corpore, quam oculus: attamen cum impedit, spiritualiter est eruendus. Hoc est enim prudentem esse sicut serpentem, caput totum, id est mentem, subducere ab omni fallacia, quæ lædit animam.

13. Verumtamen propter scandalum infirmorum, qui minus sapiunt veritatem, rogamus Sanctitatem vestram, et omnes qui audire voluerint hanc petitionem nostram, quatenus inter abbatem Eboracensem et sæpe dictos fratres studeatis restituere pacem. Postremo meminisse debemus, quod Molismensium monachorum similis egressus Cisterciensium vitæ perfectissimam normam, quam tota pene miratur Ecclesia, in primis instituit ac fundavit, quorum puritatis ingenium venerabilis memoriæ dominus Hugo Lugdunensis archiepiscopus christiana pietate laudavit, sanctæ Regulæ renovationem et probatissimam integritatem fideliter adoptavit. Atque demum cum ad apostolicam notitiam æmulorum querimonia perveniret, domino Urbano papa secundo præidente, mandatum decretale porrigitur, quatenus solo abbate reportato ad regimen abbatiæ suæ qui pariter exierat, nemo cæterorum, qui in plena observatione Regulæ perseverare voluisset, impedimentum aut molestiam aliquam pateretur. Luce vero clarius est, quantum in eorum excellentissima conversatione totius Evangelii veritas elucescit. Prolixo et pene fastidioso sermone usi sumus: quia status monachorum cæterorum, qui fortassis haud placebit, iudicio sane designandus esse videbatur, ne, secus quam contigit, æmulorum divulgaretur iudicio. Valeat in Christo Sanctitas vestra.

#### EPISTOLA CDXCI.

FASTREDI ABBATIS CLARÆ-VALLENSIS TERTII AD QUEM-DAM ORDINIS SUI ABBATEM.

FASTREDUS indignus servus et abbas monachorum Claræ-Vallensium, N. abbati salutem in Jesu Christo, et spiritum majoris evangelicæ paupertatis.

1. Relatu ejus, qui tam animæ vestræ compatitur, quam vos corporis appetitibus, notum nobis est, quod vos tam Regulæ vestræ, quam exempli in monachorum vestrorum oculis exhibendi obliti, in hospitum domo mensam instruitis, desideriis vestris indulgentes, hospitibus deficientibus: et in vestitu et lectis magis divitem epulonem, quam pauperem Lazarum imitamini, non recordantes pœnam, quam Deus hujus vitæ felicitatibus innixis minatur. Profecto, fili et frater, parum refert hoc habitu vestiri, ut inferno quis demergatur. Alio enim quocumque liberior patet via, et latior, qua ambulare potes. Quandoquidem vero Deus ad hunc te vocavit, in hoc incumbere, ne meritum perdas. Nunquam enim intra

claustrum aut monasterium decuit is habitus; quosque soles eo vestire, ea non sunt qualitate, quam nobis statuta nostra præscribunt. Cum enim monachi etymon sit solitudo et tristitia, quomodo solitario convenire possunt vestimenta sumptuosa, et mundi pompam redolentia? Et quomodo tristi quadrant lætitiæ et exultationis vestigia? Sufficit, fili mi, monacho, quod sancto apostolo Paulo supererat, scilicet comedere quod naturam et vitam sustentare poterat, et vestimentum, quod corpus tegeret. Qui enim plus petit, potius Pharisæus hypocrita nobis dicetur, qui vestitu honorem venatur, quam paupertatis evangelicæ discipulus et imitator.

2 Non hæc vita est, quam me et te docuit pater et prædecessor noster Bernardus felicis recordationis; nec modus, quem nostri sacri Ordinis abbates et monachi sequuntur, qui nos pane ex avena confecto, et herbis sine oleo et abdomine coctis enutrient, et fabis pisisque, ipso etiam Paschatis festo die: quæ austeritas, vel similis in omnibus Ordinis domibus observatur. Et tu, quasi hujus Ordinis non fores, **392** cibos tibi procuras delicatos et lautos, ut gulæ facias satis? Si abbas, et tuorum regula et exemplum es, qui audes carnes lautas, pisces recentes, diversimode paratos, et panem extra monasterium a mulieribus coctum comedere? Non sine pudore dico, quod tamen dicendum, quod multi sunt in via Dei, subditi suo abbate, navigantes naucleræ, milites duce perfectiores: quodque tuo in monasterio multi reperiantur, qui eo tempore, quo tu horas noctis cœnis opiparis et superfluis transigis, ipsi orationi vacant, et ad expiandas culpas et earum remissionem disciplinas sumunt. Quam procul abes, pater et frater mi, a socii nostri perfectione, qui ipso novitiatus anno obiit, quemque abstinentiæ rigor ad finem usque comitatus est! Magna enim nausea captus, et ovi cocti desiderio affectus, indicare noluit (ne voluntatis et appetitus negati merito excideret) nisi ultimo vitæ puncto, dumque jam animam ageret, abbate prius promittente, illum ad hoc desiderium explendum non adactum iri.

3. Abbas ergo in religione, homo ad ejus exemplum statute, ubi est tuum meritum tali novitio comparandum? Si Christus prædicaturus jejunit; si Elias, ut curru igneo levaretur, jejunit; si Nini vitæ excidium suum jejunitio redimunt; si Esther jejunitio populum servat, et Assueri indignationem sedat; si sanctus Joannes Baptista totam vitam jejunitio transigit ad viam Evangelio sternendam, et si hac via sancti incesserunt: quam tu tibi viam ad cœlum sternis, tam diversam viam ingrediens? Gula primorum parentum nostrorum periit innocentia. Ebrius Noe pudenda detexit, et Loth incestum commisit. Postquam comedit, surrexit populus, et adoravit vitulum. Amon in convivio occisus est, ibique Holofernes se neglexit. Comedens Balthasar mortis suæ prænuntiam vidit scripturam. Et in convivio

A denique, præternaturalis illius Miraculi, quo majus inter mulierum natos non surrexit, caput ostentatum est.

4. Quandoquidem ergo tot male perierunt, quomodo bene tibi potest succedere? In tui excusationem affers stomachi et capitis dolores, quodque communes cibi tibi officiant. Tota erras via, si credas monachum sæcularium medicinas sequi posse (1148). Ad monasterium enim venimus, ut corpori incommoditates, et non commoda et voluptates quæramus. Si sancto Paulo fortitudinem addebat infirmitas, quare domo medium tantorum bonorum et causam exturbare niteris? Crede mihi, pater mi, sæpius sanctum Bernardum pultes ex farina confectas, addito oleo et melle, cum scrupulo edentem vidi ad stomachum calefaciendum. Dumque eum de hac austeritate accusarem, mihi respondit: « Fili mi, si monachi obligationem nosses, omnis bucella, quam edis, lacrymis irriganda foret. In hoc enim monasterium intramus, ut peccata nostra et populi deploremus; et panem, quem suis laboribus parant, comedentes, horum peccata comedimus, ut ea tanquam propria lugeamus. » Addebatque præterea: « Nec sufficit monacho infirmitatem allegare. Sancti enim patres, majores nostri, valles humidas et declives monasteriis exstruendis indagabant, ut sæpe infirmi monachi, et mortem ante oculos habentes, securi non viverent. » Si ergo sancti ægritudinis media inquirunt, quare tu illa indagas, ut laute habearis? et si ipsi medium hoc tantorum bonorum causa nobis accersunt, qua dispensatione tu monasterii bona, infirmitatis excusatione in corporis tui commoditates insumis et prodigis? Major est, frater mi, animæ, quam corporis tui infirmitas. Si enim illa esset in Dei gratia, non tam debile esset corpus, nec adeo terrenis deliciis amicum. Emenda ergo et curiosos habitus, et exquisitas epulas devita. Quamvis enim venam non explorem, novi quo remedio tibi medendum sit: sique hæc fraterna et a socio profecta admonitio non suffecerit, necesse erit, ut tanquam prælatus medicinam adhibeam.

### 393 EPISTOLA CDXCII.

PETRI DE ROYA NOVITII CLARÆ-VALLENSIS AD C. PRÆPOSITUM NOVIOMENSEM.

*Transactæ vitæ errores enumerat, et Claræ-Vallis optimam laudat institutionem.*

Dilecto suo C. sanctæ matris ecclesiæ Noviomensis præposito, forsitan annuali, si velit autem cœlorum regi futuro in perpetuum, frater PETRUS, per misericordiam Dei Claræ-Vallis novitius, salutem in idipsum.

1. Moris est amicorum, quos jungit amor Christi, sed locorum separant intervalla, ut cum se videre non habeant, nec loqui sibi facie ad faciem, frequenter tamen pia in Christo memoria se respiciant, sibique mutuis loquantur affectibus; secreta et amica voce cordis super alterutro inquirentes, et profundis apud Deum gemitibus orantes pro invi-

(1148) Vide epistolam 345 et ibi notas.

cem. Secundum hanc amoris legem, ni fallor, inquiris et tu aliquando intra te ipsum in secreto cordis, quid agatur apud me dilectum tuum; quæ mihi sit voluntas, quis status et habitus, quod desiderium. Et forsitan times amica pietate humeris meis, quos exiguos agnovisti, et debiles arbitraris ad hujus vitæ, quam elegi, portandum onus, et jugum sustinendum. Dilecte mi, trepidaverunt multi timore, ubi non erat timor. Quia igitur in bono Jesu me diligis, non te oportet in hujuscemodi timere. Hæc enim Domini sunt, cujus jugum suave et onus leve. Ego autem cum sufficiens non sim ad expendendam multitudinem honorum, quæ nuntiant animæ meæ per singulos dies corporis mei aures et oculi, tamen ad certificandum cor tuum de statu et desiderio meo, tuæ satagam signare. Dilectioni pauca de Clara-  
Valle, de pauperibus Christi habitantibus in ea, de ordine et modo vitæ ipsorum, ad quos imitandos fidelibus anhelat suspiriis anima mea.

2. Primo siquidem omnium, describam tibi partem aliquam et modum veteris vitæ meæ: modum dico, si, ubi raro aut nunquam modus fuit, modum possim appellare. Volo autem ut id ad profectum tuum in hac descriptione diligenter attendas, de quot set quantis mortibus me jam eripuit Salvatoris benignitas, ipsumque glorifices, qui vere quemcunque peccatorem venientem ad se non eiecit foras. Si quid vero in me legeris, quod et in te fortuito deprehendas notabile, tuæ fideliter consulo fraternitati et saluti, ut id sine mora corrigere festines, dum licet, et nescis quid superventura pariat dies. Ego igitur, dilecte mi, dum essem Noviomii, et in fenestris domus episcopalis solus mihi sederem, frequenter etiam tecum, et cum aliis, considerata sæpius domus illius ordinatione, et notata, quæ se oculis ingerebat, ejusdem pulchritudine, heri nova, hodie veterascente: memoriam mentis et intuitum secreto deferebam ad ordinatissimam illam domum supercælestem, cujus gloriosa, indeterminabilis, et semper nova pulchritudo omnem transcendit hominis cogitationem. Ab hujus autem semita longe positus, miser ego miserrimum me videbam; qui scienter in latitudinem viæ pessimæ ambulabam. Per quam, nisi cura vigili fugiatur, cito et irregressibiliter curritur ad domum longè aliam, domum scilicet doloris, domum extremæ et infinitæ turpitudinis, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, et cum verme qui non moritur, sempiternus ignis. O quam jure igitur sollicitus cogitabam, ne, sicut incoeperat, me huc pertraheret amor mundi, per cujus ampla et stulta desideria lubricus et insatiabilis evagabar, adeo ebrius, ut pro viribus et licentia, in nullo meæ carnis reluctarer voluptati: hoc excepto, quod me sæpe recordabar et morituum, et ex hujus sæculi labilibus gaudiis obstupescens pensabam æternorum mirabilia sæculorum.

3. Dum enim ad mensam domini nostri episcopi, civem nostrum, imo et hostem meum, in argenteis

A vasis, de more, suaviter nutrirer, nec insalubriter quidem, quantum in vasis erat; dumque mihi manu corporis delectabiles legerem delicias: sæpe in eisdem vasis silenter legebam, manu scilicet cordis, longe alium cibum. Sed tu, dilecte mi, licet tibi satis affiniter recumberem, hunc me legere nesciebas. Quid igitur? nunquid dapes quotidie festivas, aut inculpabiles scutellas redarguo? Nunquid liquorem illum, cujus et color blande arridebat oculis, et sapor dulce in palato respondebat, aut scyphos accuso argenteos? Absit. Non enim cibus erat in vitio, neque potus, neque etiam argentea vasa: sed in meo vase fictili latebant semina, unde spinarum surgentium graves introrsum sentiebam aculeos, ad auram quidem rerum exterius auditarum vel visarum excitatos. Sæpe itaque et in mensa, et extra mensam, silenter legebam in auro et argento, in tam pretiosa quam speciosa domus episcopalis supellectile.

4. Legebam etiam in plerisque aliis rebus mundi, quas ad concupiscendum intuebantur prædones oculi mei, mandatorum Dei transgressores. Legebam autem sic: Petre, quæ intueris, in quibus gaudes, vel gaudere appetis, de mundo, sunt. Erit igitur quando non erunt: tu autem eris. Ubi eris, Petre? siquidem tu injurios crucis Christi, in qua sola gloriam non ambigis, in mundanis gloriari concupiscis, certus tamen quod cum sua concupiscentia quotidie pereundo transit mundus; et homo, cum interierit, non sumet omnia, neque cum eo descendet gloria ejus. Petre, illam carnis tunicam vilissimam, quam tanti facis, ut pro ejus cura et desideriis, non solum tui, sed (quod majus et execrabilius est) obliviscaris etiam Dei, multo adhuc viliozem in brevi relinques vermibus, et putredini. In hoc ergo tui exitu, cujus horam nescis, nudatus carnis tunica, quo migrabis? cui occurreris? quid respondebis? ubi etiam reponeris, donec redeas ad tunicam? redibis enim, et ipsam eandem vere iterum indueris: et resurges quidem, aut in vitam et gaudium, aut in mortem et luctum; et horum non erit finis.

5. O dilecte mi, hæc erat lectio, quam silenter et frequenter relegeram in cordis cubiculo: et præfatæ inquisitiones multoties spiritum meum pene ab omni disjungebant lætitia. Nec mirum. Me etenim arguebat conscientia, quod in omnibus viis meis de nostro Salvatore meum fieri damnatorem promererer, cum etiam in his, quæ ad cultum ejus pertinerent, ipsum offendere non vererer. O quam mira, o quam audax et insana præsumptio! Certus eram Dominum justum esse, et potentem in inferno me perdere: et hoc timens, non cessabam tamen ipsum offendere. Ego quidem, ut pars mea esset Dominus, clericatus receperam sacramentum; sed enormitas vitæ meæ ab ipsa re sacramenti me fecerat alienum. O quam mira ergo, o quam stulta et impudens elatio! Eloquia Domini, eloquia casta: et ego hæc de pectore incesto proferre et enarrare præsumebam per os pollutum et dolosum, sciens Dominum dixisse pec-

eatori : *Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?* (Psal. XLIX, 16.) Hæc eadem eloquia divina, si quandoque quacunquē alia de causa, præter solum Dei amorem et honorem, legendo vel cantando, pronuntiarem in ecclesia, me sciebam certissime sacrilegio alligari, qui cultum Deo debitum offerebam vanitati. Non eram igitur servus Christi, cum hinc dicat Apostolus : *Si hominibus placerem, Christi servus non essem* (Galat. I, 10); hinc propheta : *Deus ossa eorum dissipabit, qui hominibus placent* (Psal. LII, 6). Sæpe vero ut placerem hominibus, sive mihi, non Deo, mea erat præcordialis, et, ut verius dicam, vecordialis intentio.

6. Ego itaque servus nequam, utquid, vel qua fronte in agro Dei terram occupabam, qui revera radix amara, utilis nulli, quam pluribus inutilis, sed inutilior mihi, nullum nisi amaritudinis fructum germinabam? Quod enim viventibus exemplum, vel quod pro defunctis solvebam sacrificium, de quorum victimis comedebam adipem, et bibebam vinum libaminum? Rerum siquidem ecclesiæ, quocunque me velamine palliarem, detractor et prædator eram, et expensor earum in rebus pravis. O quam prava Deoque odibilis hæc **395** mea perversitas! Audieram enim beatum scripsisse Hieronymum : « Quicunque rebus Ecclesiæ abutuntur in aliis rebus, peccatum incurrunt redimentium mendacium, et reorum sanguinis Salvatoris. » Quia igitur tam in his, quam in aliis multis, reus eram abusiois et rapinæ, sæpe cum ad aures meas insonaret Apostoli illa vera et timenda propositio : *Raptores regnum Dei non possidebunt* (I Cor. VI, 9, 10); in corde meo quasi respondendo, murmurabat illa plena timoris, plena doloris, et pudoris festinata conclusio : Ergo ipsi rapti et conclusi cum immundis spiritibus, sine fine gehennali cremabuntur incendio! Festinatam dixi conclusionem, tum pro lege argumenti, et illationis cito factæ, tum maxime quia dies Domini, in qua hoc futurum est velociter appropinquat; unde scriptum est : *Adhuc modicum, et movebo cælum et terram* (Agg. II, 22); et alibi : *Dies magna et amara valde, et velox nimis : tribulabitur ibi fortis* (Sophon. I, 14). Quocirca mirum non erat, si hoc et alia multa similia me reddebant sollicitum et pensantem; qui etiam recordari non poteram ab infantia me vixisse vel per momentum temporis, in quo non essem operatus vel rapinam, vel aliud opus mortis. Valde etenim diligebam congressus et conventus vanitatis, spectacula, jocos, otia, verba apta risui, non fructui : raro verum dicere, plurimum mentiri; jurare; perjurare, favere, adulari, et similia : quæ cuncta ex quodam communi et assiduo usu, facie tenus non peccata reputabam, sed quasi quasdam societatis affectatæ et mundanæ probitatis facetias. Sciebam tamen hæc eadem, cum inter Deum separent et hominem, vanitates esse et insanias falsas. Majora taceo, cordis videlicet elationes, æmulationes, odia, dissen-

siones, detractiones, turpiloquia. Taceo pessima cogitationum et operum luti et lateris, in quibus occulte et pessime occupabar, totus lutum, qui per singula momenta, quantum in me erat, ex operibus meis ad æternæ mortis properabam supplicium. Sed misertus mei Pater misericordiarum, me tandem visitavit, et traxit ad Filium.

7. Vides ergo, quanta jam fecerit animæ Pater bonus, qui misericorditer ereptum de fluminibus Babylonis, misericordius locavit in Clara-Valle apud fontes Salvatoris. Clara-Vallis enim, etsi secundum speciem loci sita sit in valle, tamen fundamenta ejus in montibus sanctis, cujus portas diligit Dominus super multa tabernacula Jacob. Gloriosa dicta sunt de ea : quia in ea gloriosus et mirabilis Deus gloriosa operatur mirabilia. Ibi enim veteres insani redeunt ad cor; et licet homo eorum exterior corrumpatur, interior tamen renascitur, et, ut verbis utar Apostoli, *renovatur de die in diem* (II Cor. IV, 16), in eum qui secundum Deum creatus est hominem (Ephes. IV, 24). Ibi superbi humiliantur, ibi paupertantur divites, ibi pauperes evangelizantur, et peccatorum tenebræ transmutantur in lucem. Ad hanc igitur domum a finibus terræ ingens licet beatorum pauperum convenerit multitudo, de regionibus congregata et nationibus, horum tamen cor unum et anima una est, ut de hac domo specialiter dici possit : *Ecce alienigenæ et Tyrus, et populus Æthiopum, hi fuerunt illic* (Psal. LXXXVI, 4). Jure igitur habitatio est in ea lætantium omnium, non inani lætitia. Perennis enim lætitia, et suæ ad cælos ascensionis jam cœptæ certam spem habent, quam in Clara-Valle invenerunt. Scalam Jacob, et angelos in ea, alios quidem descendentes, qui sic provident illorum corporibus, ut non deficient in via : alios vero ascendentes, qui sic regunt eorumdem animos, ut postmodum cum ipsis gloriantur et corpora.

8. Ego autem, quanto diligentius de die in diem intueor tam beatæ vitæ pauperes, tanto credo eos perfectius per omnia Christum sequi et sapere, et certis conjicio indiciis, in omnibus quæ agunt, veros ministros Dei apparere. Nam dum vacant orationi, in spiritu et veritate Deo loqui, et tum ex secreta et amica apud eum locutione, tum ex humili modo se habendi, plane apparent Dei esse familiares et amici. Dum vero manifestius laudantes Deum psalmodiæ sunt intenti, quam purus sit et quam fervens in idipsum **396** affectus mentis, ostendit eorum omnis corporis status, in omni timore et reverentia sanctitatis; ostendit et ipsorum distinctio morosa; et in psalmis modulatio, quam dulcia faucibus suis eloquia Dei, super mel ori suo. Dum eos itaque attendo, diurnis horis nocturnisque vigiliis ab ante medium noctis, usque ad primam diei, facto breviter intervallo, tam sancte, tam infatigabiliter psallentes : mihi quidem paulo minus ab angelis, sed plus multo videntur quam homines. Quod autem sunt hujus tam continuæ, tam alacris, et tam semper recentis tolerantia,

quod tanti sunt fervoris et meriti, non humanæ potentiae, sed muneris est divini. Dum vero sunt in lectione, leniter haurire videntur et affluenter quidem aquas Siloe cum silentio fluentes, et in vitam salientes æternam. Illorum vero dispositio et habitus demonstrant, omnes eos esse unius magistri discipulos, docentis in eorum cordibus, et dicentis: *Audi, Israel, et tace (Prov. 1, 5)*. Tacent enim et audiunt, et sapientiores sunt: quoniam audiens sapiens sapientior erit.

9. Dilecte mi, quid hos tam beatæ vitæ pauperes credis videri vel dici posse, quando manuum suarum inhaerent laboribus, quando eunt ad opera, vel redeunt? in quibus omnibus constat, eos non suo duci spiritu, sed divino. Certe tam patienti animo, tam placido et immobili vultu, tam sancto et suavi ordine cuncta peragunt, ut etsi sese plurimum exerceant ad opera, vix tamen vel moveri perpenduntur, vel gravari in aliquo, quancumque sint labores. Unde manifestum est, in ipsis illum sanctum operari Spiritum, qui disponit omnia suaviter: in quo et ipsi recreantur, et quiescunt etiam laborantes. Horum siquidem pauperum alios episcopales, alios consulares, aliarumque dignitatum et multæ scientiæ viros illustres, et juvenes egregios audio existisse: sed nunc, per Dei gratiam, omni apud eos acceptione personarum emortua, quanto quisque se putavit in sæculo altiore, tanto se in hoc grege miuorem minoribus, et abiectionem reputat per omnia. Eos itaque dum intueor in hortis cum sarculo, in pratis cum furca vel rastro, in agris cum falcula, in silva cum securi, in aliis laborum locis cum aliis operum instrumentis; dum et ego respiciens quid fuerint, considero præsentem eorum statum, opera, instrumenta, personas abjectas, vestimenta incomposita et vilia: iudicio quidem exterioris oculi videntur mihi non homines, sed gens stulta, muta siquidem et elinguis, opprobrium hominum, et abjectio plebis: sanus autem et fidelis intellectus in corde asserit mihi, horum vitam in Christo esse absconditam in coelis. Inter quos gaudeo equidem me videre Gaufridum Peronensem, Raynaldum Morinensem, G. de Sancto-Audomaro, Walterum de Insula, quos ego cunctis veterior in veteri agnovi homine: sed nunc in ipsis, Dei gratia, illius vetustatis nec vestigium perpendo remansisse. In veteri homine novi eos exaltato corde, elatis oculis ambulare in magnis et mirabilibus super se: nunc autem video ipsos sub misericordii manu Dei humiliatos incedere in parvis et in mirabilibus infra se. In veteri homine novi eos sua secum sepulcra deferentes exterius dealbata, sed intus plena ossibus mortuorum: nunc autem credo eos ferre vasa Domini, quæ etsi exterius appareant despicabilia, intus tamen plena sunt speciebus coelestium odoramentorum. Quando igitur hæc omnis societas ad solitum laborem et progreditur, et redit, gradatim quidem et simpliciter, unus post alium, quasi acie directa, et armis pacis humiliter armata; nonne Angeli Dei

hanc videntes taliter incedentem, et ad Christum noviter conversam de tenebris, præ admiratione et gaudio jure concinunt: *Quæ est ista quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna? (Cantic. vi, 9.)* etc. Terretur autem exclusus diabolus, et supra modum dolet, videns (quod utinam semper videat et doleat) horum resurrectionem, regni sui ruinam esse non modicam. Ergo armatur et ipse quanto potest acutiori malitia; ut quos ultra tenere non potuit mundi hujus blandimentis, eos acrius persequendo, subtilioribus impugnet et implicet argumentis. Non tamen prævalebit inimicus. Ipsi enim altissimum posuerunt refugium suum, crucem Christi, dilectam suam, quam fidei desiderio amplectantur et bajulant, salvandorum spem unicam.

10. Item, dilecte mi, quid credendum putas super eisdem pauperibus in tempore mensæ, in continentia et habitu? Tunc temporis nec Deum videre credo quod displiceat, nec hominem quod debeat accusare. Ibi siquidem adeo modeste, adeo sancte se habent, ut, quod sunt, appareant homines justi et timentes Deum. Hinc attente suscipientes spirituale et præcipuum ferculum, verbum vitæ, quod semper esuriunt: hinc reverenter edentes et bibentes alia dona Dei, quæ sibi sunt apposita; non exquisitas delicias, sed labores manuum suarum, legumina scilicet et pulmenta. Potus est eis cerevisia: si hanc non habent, gaudent aqua simplici. Raro autem utuntur vino, et hoc mixto cum aqua plurima. Reddentes itaque debitum corpori, non gulæ, non ventri, comedunt et bibunt; sed tantum indigentiae naturali, et Deo, scientes scriptum, *Esca ventri, et venter escis. Deus autem hunc et has destruet (I Cor. vi, 13)*: quoniam regnum Dei non est esca et potus, sed justitia et pax et gaudium (*Rom. xiv, 17*), in quibus versatur tota eorum voluntas et studium. Magistræ enim et totius vitæ suæ dictatricem habent obedientiam: quam adeo fideliter sequuntur ad omnia, ut nec unam quidem diei sive noctis prætermittant particulam, quæ non sit apud eos obedientiæ et divino cultui mancipata. Unde et ego fideliter credo, eos (ut taceam quæ majoris sunt meriti et mercedis) non solum in singulis passibus quos faciunt, sed etiam in singulis manuum suarum motibus circa injuncta opera peccati remissionem consequi, vel augmentum coronæ in vita æterna. Qui si forte cadant aliquando, quod omnino vitare non possunt, dum portant carnem fragilem, non tamen colliduntur, quia Dominus supponit manum suam.

11. Ecce habes pauca illa, dilecte mi, quæ de pauperibus Claræ-Vallis in hujus epistolæ proœmiis tuæ promissa sunt dilectioni. Plura restant meliora et optima, ad quæ describenda cum sufficere non valeam, quæ dicta sunt in præsentiarum sufficient. Meum vero desiderium est, quatenus præfatis pauperibus in Christo merear adjungi corpore et spiritu, ut adjutus eorum suffragio, et fructuosius penitentiam agere, et fiducialius habeam clamare ad

Dominum : *Domine, ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam. Eripe me de inimicis meis, Deus meus (Psal. cXLII, 9, 10). Ad te, Domine, levavi animam meam; Deus meus, in te confido, non erubescam (Psal. xxiv, 1, 2) : et his similia. Ego autem probor adhuc, et per gratiam Dei ad horum pauperum regulam institutor et vitam; ut dum eis adjunctus fuero, una cum ipsis noverim vigilare, et solummodo somniare in spiritu. Vigilanti enim promittitur regnum, et qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. In qua ego particeps ipsius, et te, et totam Noviomensem ecclesiam, dominam scilicet et matrem meam, per misericordiam Dei feliciter æternare videam cum Christo, et regnare. Amen. Valet. Domino volente, proxima Dominica post Ascensionem Domini, suscepturi sumus nostræ professionis armaturam, per gratiam et benedictionem Jesu Christi, quam meritis Matris suæ, vestrisque precibus nobis dignetur concedere idem ipse Jesus Christus. Amen. Iterum valet, et memento novissima tua, et miserere animæ tuæ.*

### 398 EPISTOLA CDXCIII. (1149).

CAPITULI GENERALIS NIGRORUM MONACHORUM  
AD ADRIANUM IV.

*De amovendo abbate Latiniacensi.*

Amantissimo patri et domino Adriano sanctæ Romanæ Sedis summo pontifici, humilis conventus abbatum sub Remensi archiepiscopatu, in uno spiritu ad Dei honorem coadunatus, sinceræ charitatis obsequia, et pia orationum suffragia.

Quoniam vestra Sanctitas adest in ecclesia plebis, et in cathedra seniorum sublimari meruit, ut clavibus beati Petri vobis speciali gratia collatis, quæ liganda sunt ligare, et quæ solvenda solvere debeatis : deliberationes nostras, secundum quod zelus domus Dei urget nos, ante Sedem justitiæ humiliter effundimus, et lamentabiles ærumnas sive ruinam Latiniacensis monasterii vestro moderamini notificamus. Homo ille qui sub nomine pastoris præfato monasterio præesse videtur, non solum non prodesse, imo plurimum obesse probatur : quoniam subditos ad normam religionis minime dirigit; et ignominiose vivens, plures ex illis exemplo pravæ vitæ commaculat et inficit. Quod satis constat non solum ex eo quod per urbes Franciæ infamis habetur, sed etiam ex eo quod quidam ex fratribus consortium ejus tanquam lethale contagium perhorrescunt, et in aliis monasteriis sub legibus monasticis professionis religiosæ conversantur. Proinde illa Latiniacensis ecclesia, quondam celebris et famosa, eas videtur derelinquere, sicut umbraculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario. Quoniam igitur super his non possumus non dolere, et tamen non est nobis licitum in alienam messem falcem immittere; vestrum est autem infructuosam arborem, ne terram

(1149) Hæc epistola scripta est circa annum 1155 adversus Godefridum se Galfridum abbatem, de quo in notis ad epistolam 231.

(1150) Hinc patet, capitulorum generalium ordinis S. Benedicti originem ad Innocentium referan-

PATROL. CLXXXII.

occupet, succidere, et eam, quæ fructum ferat, inserere : precamur exhortantes vigilantiam vestram, quatenus auctoritate qua præeminetis, et sapientia qua polletis, adversus pestem, quæ ut cancer serpit, talem sententiam proferatis, cui nequaquam resistere prævalcant portæ inferi, et per quam ora blasphemantium obstruantur, et in portis filiæ Sion laudationes Domini annuntientur. Valet, et collectionem nostram, quam beatæ memoriæ Innocentius papa privilegio apostolicæ auctoritatis confirmavit (1150), et vos per apostolicam benedictionem corroborate.

### EPISTOLA CDXCIV.

EORUMDEM AD ALEXANDRUM III.

Amantissimo patri et domino ALEXANDRO, sanctæ Romanæ Sedis summo pontifici, humilis conventus abbatum sub Remensi archiepiscopatu in uno spiritu ad honorem Dei congregatus, sinceræ charitatis obsequium, et debitam cum omni subjectione reverentiam.

1. Constateant Domino misericordiæ ejus, quoniam cum in initio vestræ electionis sive consecrationis, navis sanctæ Ecclesiæ universalis, quæ soli beato Petro specialiter commissa est, certam non habens stationem, hinc inde adversis fluctibus concuteretur, et adeo periclitaretur, ut præ magnitudine periculi Salvatorem quasi dormientem suscitarem, clamantes cum beatis discipuli, *Domine, salva nos, perimus (Matth. viii, 25)*; clamor noster introivit in aures ejus, qui salvat a pusillanimitate spiritus et tempestate, et statuit procellam in auram, et deduxit nos in portum quem volebamus. Volebamus autem, et ad hoc anxii suspirabamus, ut jam non esset discidium : sed extincto errore perniciosissimo, ad serviendum Domino, et ad solam vestram beatitudinem honorandam, sedentem utique in cathedra Principis Apostolorum, reges et populi congregarentur, et convenirent **399** in unum. Quoniam igitur jam nequaquam omni vento doctrinæ circumferimur, nec audimus seductores dicentes, Ecce hic, aut ecce illic; sed illi firmissimæ Petræ, super quam Pontifex pontificum suam fundavit ecclesiam, immobiliter adhæremus : in nostris necessitatibus, sub tutela vestri apostolatus confidenter confugimus, postulantes humiliter, ut si qua sunt in domo Dei salubria, clavibus beati Petri confirmetis; si qua noxia, repellatis.

2. Et, ut de multis taceamus, unum est quod nos præcipue discipulos beati Benedicti in illa quiete, quam sub vestra Sublimitate habemus, non parum perturbat, videlicet quod Latiniacensem ecclesiam, olim in sanctitate et religione florentem et copia rerum affluentem, modo non sine lacrymabili mœrore aspiciamus ab illo statu dejici et in pomorum custodiam redigi. Homo enim qui sub nomine pa-

dam : quorum primum fuisse videtur Suessionense, ad cujus abbates Bernardus scripsit epistolam 91. Magnos Conventus vocat Petrus Venerabilis, supra in epistola 229, n. 30.

storis ecclesiæ prænominae præesse videtur, non solum non prodesse, imo plurimum obesse probatur: quoniam subditos ad normam religionis non informat, verum etiam ignominiosam et infamem gerens vitam, miserabiliter scandalizat, et secum in perditionem præcipitat. Et quia non est qui reclamet, in tantam impudentiam jam erupit, ut quemdam ex fratribus, sui sceleris complicem et conscium, aliis præferat, et Priorem domus constituerit. Exinde quam immanis lues gregem Domini corrumpat et interimat, nos scribere supersedimus. Id enim vestra prudentia melius novit. Denique super his malis dudum scribentes apud prædecessorem vestrum, felicis memoriæ papam Adrianum, lacrymabilem querimoniam exposuimus: et ut lamentabili ruinæ prædicti monasterii finem imponeret, devote suggestimus. Qui prudenter intelligens quia ita oportet fieri, missis litteris ad venerabiles episcopos, Alanum Autissiodorensem, et Theobaldum Parisiensem, præceptum fecit, ut in præsentia religiosorum abbatum rem diligenter discuterent, et secundum quod dignum esset, apostolica auctoritate determinarent. Cumque die præfixo Latiniaci jussioni domini Papæ parati essent obtemperare; ille non abbas dicendus, non satis conscientiæ fidens et iudicium subterfugiens, protulit in medium litteras, nescimus qua calliditate aut subreptione emendicatas, in quibus auctoritate domini papæ prædicti Adriani videbatur interminari, ne ipse abbas, utpote filius Ecclesiæ Romanæ, a prædictis episcopis aliqua ratione sive iudicio fatigaretur, sive gravaretur. Ita negotium ex tunc indiscussum remansit.

**400** 3. Propterea, venerabilis Pater, adhuc vi-  
perea pestis, adhuc ut cancer serpit; et fama mali, veloci mobilitate vigens, per urbes Franciæ crebrescit. Quoniam igitur videntes legum Ordinis prævaricantes mœrore tabescimus, et tamen in alienam messem falcem mittere prohibemur; vestrum est autem arborem infructuosam, imo malos fructus

(1151) Incertum quis ille A. scriptor hujus epistolæ, quæ inter Bernardinas Coloniae nuper edita est ante eam, quæ in hac editione est epistola 328. De Reatinensi monasterio supra ad epistolam 201.

A facientem succidere, et eam quæ fructum bonum ferat inserere: precamur exhortantes, quatenus secundum potentiam qua præeminetis, et secundum sapientiam qua polletis, adversus imminentem perniciem sententiam proferatis, adversus quam non prævaleant portæ inferi, et per quam repressis blasphemantium linguis, ora laudantium nomen Domini in hoc opere vestro aperiantur. Valete, et in benedictionibus dulcedinis dexteram apostolicæ majestatis super nos extendite.

#### EPISTOLA CDXCV.

AD ABBATEM REATINENSIS MONASTERII SS.

Dilectissimo ac venerabili domino, Dei gratia SS. Reatinensis monasterii abbati, A. (1151) suus, consolationem Spiritus paraeleti.

B Litteras dilectionis tuæ, nimium breves et succinctas, debita veneratione suscepi, et a verbis tuis formidavit cor meum. Cum enim legerem in capite, « Patri domino venerabili abbati, » quia nihil mihi conscius sum, fateor, aliquantulum erubui, et cogitabam, qualis esset illa salutatio. Quis enim ego sum, aut quæ domus patris mei? Ego sum puer parvulus, ignorans introitum et egressum meum. Infelix ego sum, qui cum nihil sim in conspectu Dei, magnus tamen sum in oculis vestris, cui de opinione aliquantulum, de veritate nihil constat. Utinam litteræ vestræ tantum habuissent veritatis, quantum habuerunt falsitatis. Quamvis nemo mentiendus est, qui dicit falsum quod putat verum: quoniam quantum in ipso est, non fallit ipse, sed fallitur. De cætero, si quid valent apud fontem misericordiæ preces pauperum, confidimus in Domino, quod prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum. Precamur et nos ardorem fidei vestræ ut in sinu memoriæ vestræ nos habeatis, quando in tabernaculum ejus introibitis, quando adorabitis in loco ubi steterunt pedes ejus. Angelus Domini custodiat introitum tuum, et exitum tuum, domine venerabilis ac charissime pater.

## S. BERNARDI CHARTÆ.

(Edit. Mabill., passim.)

### I.

#### PRO ABBATIA DE TRUNCO-BERENGARII.

Bernardus abbas Claræ-Vallis, omnibus præsentem paginam inspecturis.

Contigit abbatem Trunchiniensem (1152) et Balduinum de Wasia pro determinanda controversia eorum Romam ituros, per nos transitum facere. Quorum causam eum audivimus, eorum labori et

(1152) Erat tum Gosvinus abbas Trunchiniensis hæc schedula eruta est.

D sumptui compatibles, Deo auxiliante eos in pace et dilectione composuimus in hunc modum. Ecclesia Trunchiniensis, secundum privilegia sua, Werebroech et Saleghem cum integro jure parochiali possidebit in perpetuum. Statuimus quoque, ut ecclesia Trunchiniensis Balduino annuatim viginti solidos daret in festo sancti Remigii. Balduinus etiam oblationes, quas in ecclesia Trunchiniacensi juxta Gandavum monasterii, ex cujus autographo

habeat, rogatu nostro eidem ecclesiæ concessit. A  
Idem sic sensit Simon episcopus Tornacensis.

## II.

PRO LUXOVIENSI ET SANCTI-APRI MONASTERIIS (1153).  
*Hæc est compositio inter Luxoviensem et Sancti-Apri  
abbates, de ecclesiâ Galdonis-Curtis.*

Ego BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, cui dominus papa (1154) causam Luxoviensis et Sancti-Apri abbatum commisit decidendam (1155) eidem causæ per concordiam hoc modo finem imposui. Statutum est ut illi de Sancto-Apro universam decimam Galdonis-Curtis habeant; ipsam vero ecclesiam et omnia, præter decimas, ad eam pertinentia Luxovienses possideant, remittentes si quid juris habuerunt in ecclesia Bolonis-Villæ, quam tenebant illi de Sancto-Apro. Omnes autem annuales census, B quos ecclesia Galdonis-Curtis debet tam episcopo quam ministris ejus, illi de Sancto-Apro singulis annis ex integro persolvant. Hoc autem factum est consilio venerabilium Godefridi Lingonensis et Hattonis Trecensis episcoporum, et aliorum religiosorum virorum, qui ad hoc ipsum acciti sunt a nobis, quorum nomina sunt hæc: Guillelmus abbas Sancti-Martini Trecensis, Balduinus abbas Castellionis, Stephanus abbas Trium-Fontium, Balduinus abbas Cristæ, Guido abbas Chari-Loci (1156).

## III.

COMPOSITIO FACTA INTER HUGONEM EPISCOPUM ET WILLELMUM COMITEM ANTISSIODORENSEM (1157).

400<sup>1</sup> 1. In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis ego BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas.

Cognita, quæ inter Hugonem episcopum Antissiodorensis et Willelmum comitem Nivernensem emergerat discordia pro quibusdam querelis, quæ inter eos agebantur, Antissiodorum veni, et pari amborum consensu et voluntate querelas illas ad concordiam redactas feci terminari hoc modo. In bosco, qui dicitur Brueria (*La Bruière*) Episcopi, facient communiter episcopus et comes haia, factamque communiter custodient: ita quod singuli singulos ministros ejus custodiæ deputabunt, et uterque ab ambobus fidelitatem excipiet; eritque in sacramento eorum, quod nullus homo sive animal in haia per occasionem capiatur. Forifacta haia communiter percipientur: quæ etiam forifacta hac ratione determinantur. Porcus, ovis, vaccæ, cum lascivientes fugiunt tauros, si in ea deprehensæ fuerint, nihil emendabunt. Boves, vaccæ, equi, asini, capræ et similia animalia, si sine custode in ea inventa fuerint, pro singulis singuli denarii persolventur. Si custos adfuerit, tres solidos pro se emendabit. Pro pecudibus nihil exigetur. Si homo ligna cædens in ea inventus fuerit, quindecim solidis emendabit; incendium faciens sexaginta. Itaque prædicta fori-

facta haia nunquam excedent prænominatas summas. Haia non extendetur in latum ultra quadraginta perticas arpennales. Si autem eandem haia contigerit aliquando, seu vetustate, seu aliqua occasione, ad id devenire ut non sit; si eam simul ibidem reparare voluerint, licebit; quod si noluerint, terra remanens, sive culta sit, sive inculta, ad dominium episcopi revertetur. Omnia alia forifacta, quæ extra haia fient sine parte comitis, episcopi sunt.

2. Statutum est de clericis, ut omnino a potestate comitis liberi et immunes existant: ita quod nec aliquid juris vel dominationis in eos ex aliqua occasione comes exercebit, nec rebus eorum, ubicunque sint, manum aliquo modo mittere sibi, vel alicui ministrorum suorum licebit. Quod si in aperto latrocinii forifacto clericus fuerit deprehensus, absque omni clericalis ordinis injuria seu indignitate episcopo, vel ejus ministris reddetur: ac deinceps, siquidem contra ipsum a comite vel ejus ministris aut hominibus exostulabitur; episcopus eis, quantum jus et ratio dictaverit, de eodem faciet satis.

3. Teloneum civitatis et suburbiorum ejus, quia episcopo et comiti commune esse constat, si aliquod forifactum inde commissum fuerit, episcopus capitale suum per se recipiet, cum ea lege qua quisque vivit: et comes pro forifacto sexaginta solidos. Si telonearius comitis, seu aliquis clientum, primus ceperit eum, qui capitale episcopi abstulit, capitale suum cum ea lege episcopo reddere faciet; et si per ejus incuriam cum eodem capitali evaserit, ipse pro illo episcopo de capitali et lege respondebit.

4. Servientes episcopi, et quotquot erunt de familia ejus, nunquam justitiabunt se per comitem. Omnia forifacta claustrorum, videlicet claustrum Sancti Stephani, et claustrum Sanctæ Mariæ, et claustrum Sancti Eusebii; et Sancti Petri, et Sancti Amatoris, et ea quæ claustris continentur, juris episcopalis sunt, nec aliquam in eis exercere poterit comes potestatem, nec pro aliquo forifacto cujuslibet hominis res, quæ in claustris sunt, in suam transferet potestatem. Si aliquis laicus deprehensus fuerit in claustris in latrocinio, cum una quacunque veste sua pro justitia faciendâ comiti reddetur. Extra claustra autem quicumque laici latrones deprehensi fuerint, et ipsi et res eorum comitis sunt, exceptis illis rebus, quæ in claustris nominatis continentur, quæ propriæ ad episcopum pertinent.

5. De terris censualibus manifestum est, quod nunquam licet comiti vel homini suo eas, quæ de fundo sunt episcopi, acquirere, nisi per episcopum, nec etiam aliquam decimam. Bannum comitis observabunt tribus diebus omnes, tam clerici, quam laici, qui in claustris morantur: quibus transactis, libere

(1153) Ex authent. Sancti-Apri. Scripta anno Christi 1140.

(1154) Scilicet Innocentius II.

(1155) Luxovio tunc præfuisse videtur Joceranus; monasterio autem Sancti-Apri Petrus, an Durandus?

(1156) Huic chartæ appensum erat sigillum, sed contritum est.

(1157) Epist. 426 edit. 1690, 429 edit. 1729, 464 in novissima Parisiensi curis Gaume fratrum. Edit.



vendent. Si episcopus vinum aut annonam comparaverit, nihil gellagii, vel alterius consuetudinis ab eo exigetur. Episcopus servientes et homines comitis, tam per se, quam ecclesiasticos ministros, pro Christianitate submonebit, et justificabunt se per eum.

6. Domus comitis et munitiones castrorum, quæ ipse dignoscitur tenere ab episcopo, scilicet Castri-Novi, Sancti Salvatoris, Conadæ, Mailliaci, tradentur episcopo ad ejus beneplacitum: ita tamen quod eo discedente, comiti vel ministerialibus ejus cum integritate restituentur. In boscis comitis episcopus accipiet necessaria sibi et ecclesiæ Sancti Stephani.

7. Dictum est et concessum de canonicis Sancti Stephani, quod in bosco de *Thul* usuarium suum plenarie habebunt. Cognitum est et a comite concessum, quod non licet ei Antissiodori aliquam mutationem vel innovationem facere absque licentia episcopi, de cujus feodo recognoscit se tenere quidquid habet Antissiodori et in circuitu ejus, præter hoc quod continetur infra muros urbis extra claustrum, quod tenet de domino rege, et præter feodum ducis ultra pontem.

8. Comes res episcopi custodire debet ut suas proprias. Si aliquis de potestate ejus aliquid de rebus episcopi aut hominum suorum ceperit, comes reddi faciet, aut de suo recompensabit. Ad molendinos episcopi de Regioanne (*Regenne*) tale debet esse Lochellum, quod quidem navibus ascendentibus et descendentibus pervium sit. De illis qui pisces vendunt, comes habet quatuor creditorios, in quibus episcopus nihil accipit. Si ad alios telonearius episcopi primus advenerit et primus barguinaverit, tantum accipiet, quantum curia episcopi necesse habebit. Et idem telonearius comitis faciet: si pariter venerint, pariter accipient quod invenerint. Similiter in aliis victualibus facient. Creditariam habet episcopus in omnibus victualibus quadraginta diebus exinde: donec reddiderit, ab eis, quibus debetur, nihil ei credetur.

400<sup>o</sup>. 9. Statutum est de mercatoribus qui vendunt in domibus suis, quod a quindecim ut quindecim dies, vel a mense in mensem, teloneario episcopi ventas reddent, si quæsitæ ab eis fuerint. In nundinis libertatis Kalendarum Maiarum, telonei et ventarum duæ sunt partes episcopi, tertia comitis. Illique qui hos redditus recipiunt, fidelitatem episcopo et comiti facient.

10. Episcopus in vineis suis propriis, et in censualibus, si illi voluerint quorum sunt vineæ, custodiam ponet: si noluerint, non cogentur. Comes faciet similiter in Brueria tota, cujuscunque fundus sit aut possessio, episcopi et comitis venatio communis est, et forifacata ad venationem pertinentia.

(1158) Eadem controversiam inter Alanum episcopum et Willelmum comitem denuo recrudescentem composuit Godefridus episcopus quondam Lingonensis, tum privatus degens apud Claram-Vallem, id est anno 1164, statuitque ut quidquid inter Hugonem episcopum et Guillelmum de Carthusia comi-

A 11. Actum Antissiodori anno ab Incarnatione Domini 1145, episcopatus Eugenii papæ III primo. Huic rei interfuerunt abbates Stephanus Regniacensis, Guido de Caro-loco, Balduinus de Castellione, Gaufridus de Rupibus, Raynaudus archidiaconus, Gaufridus cantor, Hugo decanus Meldensis, Andreas de Baldement, Landricus, Bernardus, Hugo de Castro-censurii (*Châteaucensois*), Hugo de Tociaco (*Toucy*) presbyteri. Gaufridus cellarius, magister Anselmus, Guido de Bichiaco, Stephanus de Sancto Germano, canonici. Milites: Guillelmus filius suprascripti comitis, Hugo de Tilio, Humbertus de Sancto Germano, Siguinus de Tornella, Odo de Tociaco, Humbaudus Tortus. Servientes, Robertus præpositus comitis, Humbaudus pistor, Erveus præpositus episcopi, Olanus cellarius, et alii quamplures, hinc et inde (1158).

## IV.

## PRO MONASTERIO S. VICTORIS PARISIENSI (1159).

Ego BERNARDUS, Claræ-Vallis vocatus abbas, omnibus Dei fidelibus, tam posteris, quam præsentibus, notum fieri volo, me quadam vice, cum Parisius venissem, rogasse dominum Odonem abbatem S. Genovesæ, omnesque fratres in communi capitulo, ut fraternæ dilectionis intuitu Gelduino abbati fratribusque ecclesiæ S. Victoris concederent aquam Benevim, de submolendino quod Cupels appellatur, acceptam usque ad suam ecclesiam deducere, et inde versus Parisius in Sequanam, dato idoneo pretio hominibus posteris S. Genovesæ. . . aquam ducerent. Et ut præfatæ ecclesiæ B. Victoris liceret in eadem aqua infra muros suos molendinum facere ad suos usus, ut quantulumeunque utilitatis aquæ ductu illo infra eosdem muros et extra propriis expensis extruere valeant. Quæ Odo abbas omnia communi fratrum suorum assensu nostro interventu benigne concessit, ita tamen ut molendinum S. Genovesæ, quod superius est nominatum, nulla operis S. Victoris machinatione aut aquæ elevatione impediatur. Quæ concessio ut ecclesiæ B. Victoris rata firmaque in perpetuum perseveret, sigillo eam commendamus, et sigilli nostri impressione testificandam duximus. Placuit et eorum nomina subjungere, qui precibus nostris tum interfuere: Dominus Godefridus Lingonensis episcopus, D. Joannes S. Maclovii episcopus, D magister Bernardus Parisiensis archidiaconus, monachi quoque nostri Gerardus et Gaufridus.

## V.

## PRO MONASTERIO SANCTI-AMANTII (1160).

In nomine Domini, ego BERNARDUS, Claræ-Vallis vocatus abbas, notum volo esse, quod locum de Buxia (1161) et quidquid in eo habebamus ex dono Comitis Engolismæ, et ecclesiæ Engolismensis, et Petri Austensii, ecclesiæ Sancti-Amantii concessi-

tem sanctæ memoriæ Bernardus Claræ-Vallis abbas composuit, inviolabiliter observaretur.

(1159) Hæc concessio facta est circa annum 1150.

(1160) Ex chartario Buxensi. Scripta anno 1155.  
(1161) Vide notas ad epist. 299.

sum. Testes fuerunt Ugo Engolismensis episcopus, A Gaufridus monachi domus nostræ.  
 dominus Junius abbas de Corona, frater quoque Actum apud Claram-Vallem anno ab incarnatione  
 Philippus Prior noster, et frater Girardus et frater Domini 1153.

# SANCTI BERNARDI

ABBATIS CLARÆ-VALLENSIS

## OPERUM TOMUS SECUNDUS,

COMPLECTENS

TRACTATUS MORALES, DOCTRINALES

ET POLEMICOS.

(Collati sunt ad codices Colbertinum, Dionysianum, Cistercienses, S. Germani, Majoris-Monasterii, Gemeticensem S. Theodorici Remensis et Compendiensem.)

### IN TOMUM II PRÆFATIO

Maxime ad libros *De consideratione*.

**401-403** I. In superioribus editionibus Horstianis ac nostra, post sancti Bernardi epistolas collocati erant in tomo secundo *Sermones de Tempore ac de Sanctis*, tum *Sermones de Diversis*: in tertio *Sermones in Cantica*: quibus varii *Tractatus Bernardini* quarto loco succedebant. Verum re attentius considerata, hos *Tractatus* epistolis proxime subijcere visum est: idque nobis naturalis ordo facile persuasit. Cum enim ejusmodi *Tractatus* epistolari modo scripti sint, imo nonnulli ex epistolis in tractatus relati, consequens erat ut non longo post epistolas intervallo collocarentur. Accedit ex hoc ordine illud commodi, quod cum *Sermones de Tempore, de Sanctis, ac de Diversis* in tertium tomum, *Sermones vero super Cantica* in quartum rejiciantur; his quasi continenter adjungatur tomi quinti initio *Expositio a Gilleberto continuata in Cantica*: quæ Bernardi *Sermones* in eadem *Cantica*, quasi ejus consecraria appendix, quam proxime subsequi debebat. Ob has itaque similesque rationes non incongruum duximus, vulgatum Horstii ordinem tantisper immutare, ut *Lectorum* commodo et naturali rerum ordini consuleremus. Hæc de ordine rerum, quæ subsequentes tomos constituunt, hoc loco repetenda et præmittenda fuere: nunc de ordine *Tractatum*, quos tomus secundus continet, pauca dicenda sunt.

II. In disponendis objectis opusculis Horstius dignitatis potius, quam temporis rationem habuit. Nam si ordinem temporum sequimur, primus est *tractatus de Humilitate*; deinde, *tractatus de Diligendo Deo*; tum, *Apologia ad Guillelmum*: quo ordine enumerantur a Gaufrido in libri tertii de Bernardi Vita, capite octavo; Bernardo ipso primum et tertium pariter suggerente in epistola decima octava, ad Petrum cardinalem, quæ sub annum 1127 scripta fuit: ubi et « paucas ad diversos epistolas » memorat; quo nomine haud scio an *tractatum de Diligendo Deo* comprehendit. Postea recensenda est epistola quadragesima secunda, ad Henricum Senonensem archiepiscopum, eodem circiter anno 1127 dictata: mox *tractatus de Libero Arbitrio* circa annum 1128, ut colligitur ex epistola quinquagesima secunda, ad Haimericum. Ne longo post intervallo habitus est. *Sermo de Conversione, ad Clericos*. Successit ante annum 1136 liber ad *Milites Templi*: quo tempore exarata est epistola septuagesima septima, ad Hugonem de Sancto-Victore. Anno 1140 epistolam centesimam nonagesimam de *Erroribus Abælardi* Innocentio directam fuisse constat. Eodem fere anno prodit *tractatus de Præcepto et Dispensatione*, quem Petrus Venerabilis, anno 1143 ex Hispania reversus, postulavit libri quarti epistola vigesima septima. Ineunte anno 1149 absolutus est liber de *Vita sancti Malachie*: eodemque anno inchoati sunt libri de *Consideratione*, ut mox dicturi sumus. Hæc sunt Opuscula, quibus

constat tomus quartus : exceptis *Declamationibus*, quas in superiorum classem rejecimus, utpote a Bernardo alienas; et libro de Cantu, quem præmissis subjungemus.

III. Hic, inquam, est ordo temporis, quo singuli tractatus conscripti sunt. Verum ordinem et dignitatem argumenti servare præstat, prima loca tribuendo, primo libris de *Consideratione*; secundo, *Epistolæ de Moribus Prælatorum*, ad Henricum Senonensem, tertio, *Sermoni de Conversione*, ad Clericos; quarto, tractatui de *Præcepto et Dispensatione*; quinto, *Apologiæ ad Guillelmum*, qui duo tractatus monachos spectant; sexto, libro de *Laude* **404** *novæ Militiæ*, ad Milites templi. Et hæc prima classis pro dignitate personarum. Altera classis de virtutibus; nempe, septimo, libellus de *Humilitate*; octavo, de *Diligendo Deo*. Tertia classis erit de dogmatibus, scilicet, nono, opusculum de *Gratia et Libero Arbitrio*; decimo, epistola de *Baptismo*, ad Hugonem de Sancto Victore; undecimo, epistola de *Erroribus Abælardi*, ad Innocentium. Postremo duodecimo, historicus liber de *Vita sancti Malachiæ*. His omnibus tertio decimo loco succedet liber de Cantu. Opusculorum ordinem supra, pag. 995-996 repræsentavimus pro commodiori usu hominum studiosorum.

IV. In his omnibus nullum Bernardo dignius videtur, quam libri quinque de *Consideratione*, ad Eugenium papam. Si enim argumenti et personæ dignitatem spectes, nihil generosius; si modum tractandi, nihil sublimius; si styli majestatem, et sententiarum gravitatem, nihil eloquentius ac fortius; si denique dictorum puritatem, et inhærentem sacris canonibus disciplinam, nihil catholico Doctore et sanctissimo Patri convenientius. Qui vero magis arduum erat homini in solitudine educato, a mundi rebus et negotiis alieno, quam vivendi leges summo Pontifici, nedum toti Ecclesiæ tradere, et quasi præscribere? Quid homini privato difficilius, quam de totius Ecclesiæ statu, de moribus sacrorum ministrorum, de omnium officiis, virtutibus, ac vitiis apte et accurate breviterque disserere, imo et justam ferre sententiam? Quid sapientius, quam ita sublimium quorumcunque hominum vitia, errata, abusus notare, persequi, castigare; ut non modo invidiam et criminandi suspicionem evites, sed etiam amorem reportes et admirationem? Et hæc sane fuit Bernardi seu dexteritas, seu felicitas, seu divinitus concessa auctoritas, ut quam primum ejus libri de *Consideratione* in publicum prodire, eos certatim exquisierint, lectitent, amaverint universi, etiam summi, quos maxime tangebant, Pontifices.

V. Merito itaque Ernardus Bonæ-Vallis abbas in libri secundi de Bernardi Vita, capite octavo, hoc opus vocat « *Librum multæ utilitatis : in quo Vir sanctus acutissima indagine, tam ea quæ circa Pontificem, quam quæ infra sunt prosequens, etiam ad ea quæ supra ipsum sunt ascendens, tanta de natura divina disseruit, ut videatur in tertium cælum assumptus, audisse quædam verba quæ non licet homini loqui, et Regem in decore suo vidisse. In his quæ infra, et quæ circa ipsum sunt, morum societas, naturæ æqualitas, officiorum distantia, consideratio meritorum, adjudicatio proventuum subtilissime distinguitur, et singulis in suo genere sui cognitio intimatur. In his quæ supra hominem sunt, speculatur cælestia; non eo modo quo Angeli, qui semper adhærent Deo, considerant, sed eo modo quo potest homo puri animi et mentis sincere divina contingere, » etc. Et hæc est divisio quinque librorum de *Consideratione* : quorum in primo demonstratur *Considerationis* necessitas et utilitas : in secundo considerantur quæ in Pontifice, id est Pontifex ipse quis, qualisque sit : in tertio, quæ sub ipso, id est orbis universus : in quarto quæ circa ipsum, domestici, cardinales, episcopi : in quinto quæ supra ipsum, Deus et Angeli. In his « quam liber in voce, quam disertus, et in rerum superiorum inferiorumque scientia locuples, diligens considerator agnosceret, » inquit Gaufridus in libro tertio de ejus Vita, capite octavo.*

VI. Restat observare tempus, quo libri isti scripti sunt. Hos anno 1149 parturire cœpit sanctus Pater, nec uno tenore (ut Baronio visum est) absolvit, sed diversis intervallis scriptos ad Eugenium transmisit. Et primum quidem ipso anno 1149, de quo Nicolaus, ejusdem Bernardi notarius, ante suam discessionem scribens Petro Venerabili : « Mitto vobis, » ait, « librum domni Abbatis Claræ-Vallis ad dominum Papam. » Exstat hæc epistola apud ipsum Petrum in libri sexti epistola septima. Neque hoc loco libri nomine integrum opus (ut auctores isti loquuntur passim, teste Ernaldus, qui « librum multæ utilitatis » hos quinque libros vocat) intelligi potest. Nam secundum Bernardus Eugenio direxit anno 1150, post infelicem expeditionis Jerosolymitanæ exitum, de quo ab ipso libri exordio apologiam præmittit. Tertium, anno 1152, post obitum scilicet Hugonis Antissiodorensis, ut constat ex capite secundo, numero undecimo; et quarto quidem anno post concilium Remense, ex numero vigesimo, anno 1148 celebratum. Quartum denique et quintum paulo post, si non cum tertio, absolvit.

**405** VII. Cæterum prædicti libri Rothomagi primum, cum *Apologia ad Guillelmum*, atque tractatu de *Præcepto et Dispensatione*, absque anni indicio; tum Spiræ anno 1550 typis vulgati sunt sine ulla capitulorum, ut fit in vetustis codicibus, divisione. Eidem anno 1520 ac deinceps, cum cæteris Bernardi operibus recusati : postea per Antonium Carasam, magni nominis cardinalem, Pio V pontifice recogniti, atque Antwerpianæ formis Plantinianis seorsim impressi fuerunt. Eisdem demum Gerardus Vossius, præpositus Tungrensium, rogatu Joannis Vendevi ii, episcopi Tornacensis piissimi, denuo recensere aggressus, eos cum octo manuscriptis codicibus contulit; ac Romæ anno 1594 seorsim editos Clementi VIII nuncupavit, adhibita capitulum divisione, qualis in exemplari Nicolai papæ V, anno 1450 exarato, appositum erat. De hac editione Nicolaus Faber in epistola ad eundem Vossium, ubi laudatis cæteris ejus operibus : « Omitto, » inquit, « libros de

Consideratione beati Bernardi, in quibus licet fortasse minus olei, quam in cæteris impenderis; non tamen minus zeli domus Dei, nutantisque disciplinæ in ea reprimendæ ostendisti. Ibi enim libros huic rei aptissimos, quosque non malus auctor, et beato Bernardo fere æqualis, non ἀπροσδιόριστον Deuteronomium summorum Pontificum appellat, edendos curasti, quo primum ab auctore religiosissimo destinati sunt, ubi tamen forsitan minus terebantur. »

VIII. Secundum tot tantosque viros denuo ad censuram prædictos libros revocavimus, eosque in priori nostra recensione ad quatuor exemplaria contulimus; in hæc vero ad alios duos ex bibliotheca Colbertina per virum clarissimum Stephanum Baluzium nobis commodatos: quorum unus notatus 3541, capitulorum distinctionem habet, sed a Vossiana plane diversam. Cum autem sectiones istæ non sint ex auctoris instituto, vulgatas retinere visum est ad cavendam citationum confusionem.

IX. Porro hujus operis inscriptio variat in vetustis libris. Probabilior est Colbertini codicis, notati 3964: « Beati Bernardi abbatis Clara-Vallis in libro de Consideratione ad dominum Eugenium papam prologus incipit feliciter. » Sed non tanti sunt momenti ejusmodi inscriptiones, quæ plerumque ex notariorum arbitrio profectæ sunt. His subjicere juvat, quod Horstius præfationis huic tomo præmisit.

## 406 J. MERLONIS HORSTII MONITUM AD LECTORES.

Sancti Bernardi tractatus varios quatuor hic tomus exhibet, genuinos, inquam, et indubios, nam aliis alibi locus erit. Hos inter primas ordine et excellentia tenet de Consideratione ad Eugenium III pontificem liber, si quisquam alius, Ecclesiæ præsulibus et prælatis utilis prorsus ac necessarius. In Vita sancti Bernardi; lib. 2, c. 8, item libro 3, cap. 8, habes, quæ lectioni horum librorum omnino præmitti suadeo. His adde sequentia. Gerardus Vossius præpositus Tungrensium libros hosce e bibliotheca Vaticana separatim edidit Romæ anno 1594, et summo pontifici Clementi VIII dicavit. In eorum vero commendationem inter cætera hæc præfatur. « Quantum inter alios, pontifices Nicolaus V hisce libris tribuerit, re ipsa ostendit, dum libros eosdem, ante usum typographiæ inventum, adeo magifico et insigni caractere separatim pro suo aliorumque usu describendos curavit. Quorum etiam amore ac studio flagrans Pius V, re et nomine pius, eorumdem lectionem mensæ suæ lubens adhibebat, ponderabat, et magni faciebat: sicut et ab ejus in pontificatu successore Gregorio XIII factum intelligo. Quos et Urbanus VII in episcopatu, ac post in cardinalatu multum sibi familiares habuisse dicitur, secumque ad comclave tulisse, in quo et summus pontifex renuntiatus est. Quem brevi in pontificatu secutus Gregorius XIV, plurimum quoque iisdem Bernardi libris tribuere, eosque frequenter in ore habere solebat: et seorsim (ut ab omnibus ecclesiasticis, maxime autem prælatis, commodius circumferri legique possent) exstare peroptabat: sicut a fide dignissimis de eo adhuc cardinale accepi: ipseque ex ejusmet ore non semel audivi. » Hæc Vossius in Dedicacione ad Clementem VIII.

Porro inter Tractatus invenies duos ex epistolis huc translatos, idque non sine causa, ut arbitror. Prolixitas quippe, et ipsa argumenti ratio, necnon tractandi modus nomen Tractatus exposcere videbantur. Frequens autem esse, ut pii Patrum labores ac tractatus nomen Epistolæ sortiantur, observat Ephræmius apud Photium, codice 229, et variis exemplis ostendit Baronius ad annum Christi 584, agens de epistola a S. Gregorio nomine Pelagii II scripta adversus tria Capitula. Inter Epistolas sancti Hieronymi et sancti Augustini complures occurrent, quos ipsimet auctores Libri nomine donant. Qui deinde edendorum Patrum curam susceperunt, multorum judicio hujusmodi lucubrationes aptius in tractatum sive librorum, quam epistolarum censum syllabarumque retulissent. Quamvis et hi auctoritate non omnino videantur destitui; præsertim cum hoc exemplum ab Apostolis venerit, ut argumenta, quamvis seria, committerentur epistolis. Sed tales epistolæ vere tractatus sunt de rebus haudquaquam familiaribus. Unde et nobis visum, duas illas epistolas, quadragessimam secundam et centesimam nonagesimam, utpote prolizas admodum, e numero cæterarum eximere, et in gratiam lectoris distinctas in capita, tractatibus adjungere. Nec obstat, quod ad unam singularem personam directæ, eam peculiariter subinde compellent. Sæpe si justi de argumento aliquo tractatus, idcirco quod ad unum aliquem dirigantur, Epistolæ nomine prænotandi veniunt, nullus prope liber erit, cui non debeatur nomen Epistolæ, cum fere hoc omnibus solemne sit, lucubrationes suas alicui inscribere. Adeoque ipsa etiam Bernardi Apologia ad Guillelmum abbatem, aliaque plura ejus opuscula inter epistolas referantur. Retinuimus tamen receptum Epistolarum numerum et ordinem, ne cui forte industria nostra fraudi esset, si priorum editionum citationes a nostra discrepant. Si quæ præterea de quibus forte monendus sit lector suis locis inveniet, et proluxe quidem in Præfatione totius operis.

# SANCTI BERNARDI

ABBATIS CLARÆ-VALLENSIS

## DE CONSIDERATIONE

LIBRI QUINQUE

AD EUGENIUM TERTIUM.

### 407 PROLOGUS.

Subit animum dictare aliquid, quod te, papa beatissime Eugeni, vel ædificet, vel delectet, vel consoletur. Sed nescio quomodo vult, et non vult exire læta quidem, sed lenta oratio: dum certatim illi contraria imperare contendunt majestas, atque amor. Nempe urget ille, inhibet illa. Sed intervenit tua dignatio, qua hoc ipsum non præcipis, sed petis (1), cum præcipere magis te deceat. Majestate igitur tam dignanter cedente, quidni cedat pudor? Quid enim si cathedram ascendisti? Nec si ambules super pennas ventorum, subduceris affectui. Amor dominum nescit, agnoscit filium et in infulis (2). Per se satis subjectus est, obsequitur sponte, gratis obtemperat, libere reveretur. Non sic aliqui, non sic: sed aut timore ad ista impelluntur, aut cupiditate. Hi sunt qui in facie benedicunt, mala autem

A in cordibus eorum; blandiuntur coram, in necessitate deficiunt. At charitas nunquam excidit (I Cor. xiii, 8). Ego, ut verum fatear, matris sum liberatus officio, sed non deprædatus affectu. Olim mihi in-visceratus es, non tam facile erueris (3). Ascende in cœlos, descende in abyssos: non recedes a me, sequar te quocumque ieris (Luc. ix, 57). Amavi pauperem (4), amabo pauperum et divitum patrem. Non enim, si bene te novi, quia pater pauperum factus, ideo non pauper spiritu es. In te hanc mutationem factam esse confido, non de te; nec priori statui tuo successisse promotionem, sed accessisse. Monebo te proinde, non ut magister, sed ut mater: plane ut amans. Amens magis videar, sed ei qui non amat, ei qui vim non sentit amoris.

(1) Alias, *Sed intervenit dignatio, qua hoc ipsum non saltem præcipis, sed petis.*

(2) Infularum nomine non tantum mitram, sed universim pontificalia insignia intelligit. De his interius ad librum quartum, cap. 3, n. 6.

(3) Aliis, *[non mihi ex medullis tam facile abstraheris.*

(4) Editi addunt *spiritu*. At deest *spiritu* in priorisque manuscriptis. Et vero sententia concinnior est absque hoc vocabulo, tametsi additur infra.

## LIBER PRIMUS.

### 408 CAPUT PRIMUM.

*Pontifici; tam variis occupationibus presso, condolet.*

1. Unde ergo jam incipiam? Libet ab occupationibus tuis, quia in his maxime condoleo tibi. Condoleo dixerim, si tamen doles et tu: alioquin doleo magis dixisse debueram; quia non est condolere, ubi nemo qui doleat. Itaque si doles, condoleo: si non, doleo tamen, et maxime, sciens longius a salute absistere membrum quod obstupuit; et ægrum

C sese non sentientem periculosius laborare. Absit autem ut de te id suspicer. Novi quibus deliciis dulcis quietis tuæ non longe antehac fruebare. Non potes his dissuevisse tam cito, ita subito non dolore nuper subtractas. Plaga recens dolore non caret. Neque enim jam occalluit vulnus, nec in tam brevi versum in insensibile est. Quanquam si non dissimules, non deest tibi jugis materia justis doloris a quotidianis [*al. add. damnis et*] jacturis. Invitus, ni

fallor, avelleris a tuæ Rachelis amplexibus (5); et quoties id pati contigerit, toties dolor tuus renovetur necesse est. At quando non contingit? Quoties vis, et incassum? quoties moves, nec promoves? quoties conaris, et non datur ultra; eniteris, et non paris (6); tentas, et abriperis; et ubi incipis, ibi deficis; et dum adhuc ordiris, succidunt te? *Venerunt filii usque ad partum*, ait propheta; *et vires non habet parturiens* (IV Reg. xix, 5). Nosti hoc? nemo te melius. Attritæ frontis es, et instar vitulæ Ephraim doctus diligero trituram (*Osee x, 11*), si pace tua [al. quod pace tua loquar], sic se habent res tuæ. Absit: hæc est pars illius, qui datus est in reprobum sensum. Ab his sane cupio tibi pacem, non cum his. Nihil plus metuo tibi pace ista. Miraris si unquam possit accidere? Etiam, dico tibi, si res, ut assolet, per consuetudinem in incuriam venerit.

## CAPUT II.

*Vis consuetudinis ad inducendos pravae mores, et duritiam cordis.*

2. Noli nimis credere affectui tuo qui nunc est. Nil tam fixum animo, quod neglectu et tempore non obsolescat. Vulneri vetusto et neglecto callus obducitur, et eo insanabile, quo insensibile fit. Denique dolor continuus, et acerbus, diuturnus esse non patitur. Nam si non aliunde extunditur, necesse est cedat vel sibi. Enimvero cito aut de remedio consolationem recipiet, aut de assiduitate stuporem. Quid non invertat consuetudo? quid non assiduitate du-

(5) Usitatum Patribus et theologiæ mysticæ scriptoribus, nomine Rachelis et Liæ, contemplativam et activam vitam designare. Ambæ quidem uxores Jacob, sed alteram fecunditas, alteram venustas commendabat: quæ duæ dotes disparibus utriusque vitæ officiis applicari solent. Eodem sensu Marthæ et Mariæ nomina non raro usurpari videas. Itaque insinuat Eugenium hactenus vitæ contemplativæ studiis deditum, ægre ad activæ vitæ negotia descendere, utpote quæ varie distrahant mentem, et pene obruant, ut vix subinde ad superna ac divina valeat assurgere.

Sane, quam molestum sit viris piis et religiosis, avelli a sanctæ contemplationis otio ad negotia sæculi, ad dignitates et honores tot tantisque occupationibus obnoxios pertrahi, ex sanctorum Patrum scriptis rebusque gestis constat. Unum libet adducere e summo illo culmine, uti probe conscium doloris et molestiæ, quam afferre solet istud quietis et tranquillitatis religiosæ dispendium. Gregorius M. sanctiss. Pontifex, evectus ad illud summi in Ecclesia honoris fastigium, mirum quam deploret sortem et conditionem suam, pristinam cum præsentem conferens. Verba ejus perquam elegantia sunt, et perutilia, meritoque inculcanda his quibus adeo non horret animus ad tot curas, et contemplationis remoras, ut potius instar Ephraim, quasi vitula docta diligere trituram, avidi ad ista ferantur, et esse sub sentibus delicias computent. Sed audiant isti Gregorium gementem et querentem se sub colore pontificatus, ad sæculum reductum, et jam tantis terræ curis inservire, quantis se in vita laica nequaquam deservisse meminerit. « Alta enim, inquit, quietis meæ gaudia perdidit, et intus corruens, ascendisse exterius videor. Unde me a Conditoris mei facie longe expulsum deploro, » etc. Et paulo post: « Undique causarum fluctibus quatior, ac tempestatibus deprimor, ita ut recte dicam: *Veni in altitudinem maris, et tempestas*

retur? quid non usui cedat? quantis quod præ amaritudine 409 prius exhorrebant, usu ipso male in dulce conversum est? Audi justum quid lamentetur super hujuscemodi: *Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt.* (Job vi, 7). Primum tibi importabile videbitur aliquid: processu temporis, si assuescas, judicabis non adeo grave; paulo post et leve senties, paulo post nec senties; paulo post etiam delectabit. Ita paulatim in cordis duritiam itur, et ex illa in aversionem. Sic gravis et continuus dolor citum, ut dixi, habiturus est exitum, aut sanitatem profecto, aut insensibilitatem.

3. Hinc prorsus, hinc tibi timui semper, et timeo, ne dilato remedio, dolorem non sustinens (7), periculo te irrevocabiliter desperatus immergas. Vereor, inquam, ne in mediis occupationibus, quoniam multæ sunt, dum diffidis finem, frontem dures, et ita sensim te ipsum quodammodo sensu privas justis utilisque doloris. Multo prudentius te illis subtrahas vel ad tempus, quam potiare trahi ab ipsis, et duci certe paulatim quo tu non vis. Quæris quo? Ad cor durum. Nec pergas quærere, quid illud sit: si non expavisti, tuum hoc est. Solum est cor durum, quod semetipsum non exhorret, quia nec sentit. Quid me interrogas? Interroga Pharaonem. Nemo duri cordis salutem unquam adeptus est, nisi quem forte miserans Deus, abstulit ab eo, juxta prophetam, cor lapideum, et dedit cor carneum (*Ezech. xxxvi, 26*). Quid ergo cor durum? Ipsum est quod

*demersit me.* Redire post causas ad cor desidero, sed vanis ab eo cogitationum tumultibus exclusus redire non possum. Ex hoc ergo mihi longe factum est, quod intra me est, ita ut obedire nequeam propheticæ voci, qua dicitur: *Redite, prævaricatores, ad cor:* sed stultis pressus cogitationibus, solummodo exclamare compellor: *Cor meum dereliquit me.* Contemplativæ vitæ pulchritudinem velut Rachelem dilexi sterilem, sed videntem ac pulchram, quæ etsi per quietem suam minus generat, lucem tamen subtilius videt. Sed quo judicio, nescio, lux mihi in nocte conjuncta est, activa videlicet vita, secunda, sed lippa, minus videns, quamvis amplius pariens. Sedere ad pedes Domini cum Maria festinavi, verba oris ejus percipere: et ecce cum Martha compellor in exterioribus ministrare, atque erga multa satagere. Ita pontifex vere sanctissimus, in Regist. lib. 1, epist. 5. Similia habet ibid. epist. 6, 7, et præsertim 24, item 25 et 26.

D Sed placet et alium ejusdem nominis et culminis pontificem, eadem quoque mente, et simili animi æstu loquentem audire. Gregorius enim IX, ubi, scribens ad Camaldulenses monachos, angorem animi sui in pontificatu exponit, et orationum ab eis suffragia postulat; ita loquitur: « Quia vero importuna lippientis Liæ instantia nos frequenter a suavibus perspicacis Rachelis amplexibus avellente, ipsi Deo precibus insistere non possumus; ut oportet; vos qui ad pedes ejus sedetis, jugiter cum Maria, et quibus ab olim nos junximus bitumine charitatis sollicitandos duximus, » etc.

(6) Horstius, *eniteris et non obtines, parturis et non paris.* Editi veteres et scripti plerique præferunt lectionem nostram. In nonnullis tamen, *eniteris et non parturis.* Sed *paris* rectius ad sensum.

(7) Ita scripti cum vetustis editis: Horstio, *dolorem vel non sentiens, vel non sustinens.*

nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus: minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad judicia sævum [al. surdum], inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium in [al. ad] divina, præteritorum obliviscens, præsentia negligens, futura non providens. Ipsum est cui præteritorum, præter solas injurias, nihil omnino non præterit; præsentium nihil non perit; futurorum nulla, nisi forte ad ulciscendum, prospectio seu præparatio est. Et ut brevi cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est quod nec Deum timet, nec hominem reveretur. En quo trahere te habent hæ occupationes maledictæ: si tamen pergis, ut cœpisti, ita dare te totum illis, nil tui tibi relinquens. Perdis tempus: si licet nunc alterum me tibi exhibere Jethro, tu quoque in his stulto labore consumeris (*Exod. xviii, 18*), quæ non sunt nisi afflictio spiritus, evisceratio mentis, evacuatio gratiæ. Nam fructus horum quid, nisi aranearum telæ?

## CAPUT III.

*Indignum proceribus Ecclesiæ continue causis litigantium audiendis et decidendis incumbere.*

4. Quæso te, quale est istud, de mane usque ad vesperam litigare, aut litigantes audire? Et utinam sufficeret diei malitia sua! non sunt liberæ noctes. Vix relinquitur necessitati naturæ, quod corpusculi pausationi sufficiat; et rursum ad jurgia surgitur. Dies diei eructat lites, et nox nocti indicat malitiam: usque adeo non est respirare in bonis, non est alternam capessere requiem, non vel rara interseri otia. Non ambigo te quoque ista deplorare: at frustra istud, si non et emendare studueris. Interim tamen sic semper facias hortor, nec te unquam ad ista duraveris quolibet usu vel assiduitate. *Percussi eos, et non doluerunt*, ait Deus [al. propheta] (*Jerem. v, 3*). Nihil tibi, et illis. Justi potius tibi aptare curato et affectionem, et vocem, qui ait: *Quæ est enim fortitudo mea ut sustineam? aut quis finis [al. aut quæ fiducia] meus, ut patienter agam? Nec fortitudo lapidum [al. laterum] fortitudo mea, nec caro mea ænea est* (*Job vi, 11, 12*). Magna virtus patientiæ: sed non hanc tibi ad ista optaverim. Interdum impatientem esse, probabilius. Tune approbes illorum patientiam, quibus Paulus dicebat: *Libenter sufferitis insipientes, cum sitis ipsi sapientes?* Ni fallor, ironia erat, et non laus, sed suggillatio quorundam mansuetudinis, qui quasi datis manibus pseudoapostolis, a quibus et seducti erant, **410** ad quæque

(8) Id est, inveniunt. Glossema hoc in quibusdam scriptis invecum in textum.

(9) Legum abusus fecit, ut sancti viri et zelo justitiæ ferventes acriorem subinde in leges censuram ferant. Verum non tam leges ipsas, quam abusum, et ipsos abutentes feriunt. Horum sane vitio fit, ut leges sæpe non nisi lites sint, aut serant. Nempe et vinum abit in vitium, non sua, sed abutentium culpa: nec eapropter vinum recte culpaveris. Quid enim abusu non possit depravari? Legum

ipsorum peregrina et prava dogmata trahi se patientissime ferrent. Unde et subdens, *Sustinetis enim*, inquit, *si quis vos in servitutem redigit* (*II Cor. xi, 19, 20*). Non bona patientia, cum possis esse liber, servam te permittere fieri. Nolo dissimules servitutem, in quam certe in dies, dum nescis, redigeris. Hebetati cordis indicium est, propriam non sentire continuam vexationem. *Vexatio dat intellectum auditui*, ait quidam (*Isai. xxviii, 19*). Verum est; sed si nimia non fuerit. Nam si sit, non plane intellectum dat, sed contemptum. Denique impius cum in profundum malorum venerit, contemnit (*Prov. xviii, 3*). Expergiscere ergo, et pessimæ servitutis jugum jam jamque imminens, imo jam non modice premsens, non tantum cave, sed horre. An ideo non servus, quia non uni servis, sed omnibus? Nulla turpior servitus graviorve, quam servitus Judæorum, quam quocumque ierint post se trahunt, et ubique dominos offendunt (8) suos. Tu quoque dic, quæso ubi unquam sis liber, ubi tutus, ubi tuus? Ubique strepitus, ubique tumultus, ubique jugum tuæ servitutis te premit:

## CAPUT IV.

*Quæ servitus digna, quæ indigna servo servorum Dei.*

5. Nec mihi reponas [al. apponas] nunc Apostoli vocem, qua ait: *Cum essem liber ex omnibus, omnium servum me feci*. Longe est istud a te. Numquid hæc ille servitute hominibus inserviebat in acquisitione turpes quæstus? Numquid ad eum de toto orbe confluebant ambitiosi, avari, simoniaci, sacrilegi, concubinarij, incestuosi, et quæque istiusmodi monstra hominum, ut ipsius apostolica auctoritate vel obtinerent honores ecclesiasticos, vel retinerent? Ergo servum se [al. te] fecit homo, cui vivere Christus erat, et mori lucrum, ut plures lucrificeret Christo, non ut lucra augetet avaritiæ. Non est igitur quod de solertissima Pauli industria, et charitate tam libera quam liberali, servili conversationi [al. conditioni] tuæ patrocinium sumas. Quam tuo dignius apostolatu, quam salubrius tuæ conscientiæ, quam fructuosius Ecclesiæ Dei audias potius ipsum alibi dicentem: *Pretio empti estis, nolite effici servi hominum* (*I Cor. vii, 23*)! Quid servilius indigniusque, præsertim summo Pontifici, quam, non dico omni die, sed pene omni hora, insudare talibus rebus, et pro talibus? Denique quando oramus? quando docemus populos? quando ædificamus Ecclesiam? quando meditamur in lege? Et quidem quotidie perstrepunt in palatio leges, sed Justiniani, non Domini (9).

porro usum maxime corrumpunt ambitio, et lucri cupiditas. Hinc nulli fere causæ, qualiscumque ea sit, patrocinium deest: hinc illæ litium ambages, antequam ad causæ metam, id est sententiam, pervenias. Sed hac de re cap. x, redibit sermo.

Hoc loco Bern. evocat pontificem ab immodica legum Justiniani et litium occupatione. Quid autem velat, idem ad cæteros quoque Ecclesiæ prælatos, imo et omnes ecclesiasticos extendere? quorum plures videmus ad legum et jurium studia ferri propen-

Justene etiam istud? Tu videris. Nam certe lex A Domini immaculata, convertens animas (*Psal.* xviii, 8). Hæ autem non tam leges, quam lites sunt et cavillationes, subvertentes judicium. Tu ergo pastor et episcopus animarum, qua mente, obsecro, sustines coram te semper silere illam, garrere istas? Fallor, si non movet tibi scrupulum perversitas hæc. Puto quod et interdum compellat clamare ad Dominum cum propheta: *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua* (*Psal.* cxviii, 85). I ergo, et aude liberum profiteri sub tam gravi mole inconvenientiæ hujus, et cui fas non sit cervicem subducere. Nam si potes et non vis, multo magis servus es hujus ipsius tam perversæ voluntatis tuæ. An non servus, cui dominatur iniquitas! Et maxime. Nisi tu forte indignius judices hominem tibi, quam vitium dominari. Quid interest, volens servias, an invitus! Nam etsi coacta servitus miserabilior, sed affectata miserior est. Et quid vis me facere, inquis! Ut tibi ab his occupationibus parcas. Impossibile fortasse respondebis, facilius cathedræ valèdicere posse. Recte hoc, si rumpere, et non magis interrumpere ista hortarer.

suis, eo quod magis ad splendorem, quæstumque et vitæ comoda spectare putentur.

At quæ ista præpostera vitæ et studiorum ratio, ut toti hodie sint in legibus Justiniani, quorum tota voluntas et voluptas esse debebat in lege Domini? Nonne hoc ipso vitæ genere et instituto (utpote clerici, id est, in sortem Domini cooptati) profitentur? Nonne hujusce rei seipsos quotidie commonefaciunt, cum præeunte Propheta beatos illos pronuntiant, quorum *voluntas est in lege Domini, et in lege ejus meditantur die ac nocte?* Jam vero illi in Scripturis divinis hospites ac peregrini, a libris piis et spiritualibus alieni, ac fastidiosi, in Codice et Digestis, Novellis ac Libellis, legibus ac litibus majori gustu et voluptate versantur. Cum codice Evangeliorum, ac gestis sanctorum nihil illis commercii, nisi quod verba Psalmorum raptim cursimque demurmurant, et Chori pensum festinanter absolvunt. Hinc ad profana, nedum vana studia sese convertunt. Quæ hic meditatio divinæ legis? quæ sacrarum rerum et statui ecclesiastico congruentium tractatio? Et tamen clamant quotidie: *Quomodo dilexi legem tuam, Domine! tota die meditatio mea est!* etc. Mirum si non verentur testem cordis sui Deum, aut certe propriam conscientiam, ne forte arguatur mendacii, qui utriusque testimonio convincuntur, nihil minus diligere, quam quod ore profitentur. Quorsum enim quotidie recitamus Psalmos? nonne ut congruentes verbis sensibusque Psalmorum affectus induamus, et mores monitis divinis conformemus? Quis autem credat eos sentire quod asserunt, aut certe per os divini Vatis assertum repetunt quotidie, beatum dicentes illum, qui in lege Domini scrutatur et meditatatur die ac nocte? Quid mirum, si tales videamus succo veræ pietatis paulatim destitui, nullo divinarum rerum vegetari influxu, sensim sine sensu exarescere, tandemque penitus emori.

Hinc Petrus Blesensis, vir doctissimus, et ipse legum peritissimus: « Res, inquit, plena discriminis est in clericis usus legum. Totum enim hominem adeo sibi vindicat, ut eum suspendat a spiritualibus, a divinis avellat, epist. 26. Et alibi: Hæc (legum tractatio) vix umquam pacifica est, quia semper litigat de contrariis, vel quasi de maleficiis, vel quasi de variis figuris causarum, de actionibus et obligationibus, de judiciis, de sententiis et appellationibus, et aliis quæ cum

## 411 CAPUT V.

*Non gerendam aliorum curam cum sui ipsius incuria et neglectu.*

6. Audi ergo quid redarguam, quid suadeam. Si quod vivis et sapis, totum das actioni, considerationi nihil; laudo te? In hoc non laudo. Puto quod et nemo, qui a Salomone audierit: *Qui minoratur actu, percipiet sapientiam* (*Eccli.* xxxviii, 25). Certe nec ipsi actioni expedit consideratione non præveniri. Si item totus vis esse omnium, instar illius qui omnibus omnia factus est (*I Cor.* ix, 22); laudo humilitatem, sed si plena sit. Quomodo autem plena, te excluso? Et tu homo es. Ergo ut integra sit et plena humanitas, colligat et te intra se sinus qui omnes recipit. Alioquin quid tibi prodest, juxta verbum Domini, si universos lucreris, te unum perdens (*Matth.* xvi, 26)? Quam ob rem cum omnes te habeant, esto etiam tu ex habentibus unus. Quid solus fraudaris munere tui! Usquequo spiritus vādens, et non rediens (*Psal.* lxvii, 39)! Usquequo non recipis te et ipse inter alios vice tua? Sapientibus et insipientibus debitor es; et soli negas te tibi? Stultus et sapiens, servus et liber, dives et pauper,

sopire lites debeant, semper cineres litium excitant jam sopitos. » Ita ille epistola qua clericum regis Angliæ a studio Jurisprudentiæ, ad sacrarum litterarum studia, veluti statui ecclesiastico magis congrua, provocat, in Tubis nostris *Discipl. eccl. tub.* 6, pag. 553. Sic et apud Baron. tom. XII, an 1165, n. 2, Joan. Sarisberien. Thomam archiepiscopum Cantuariensem, qui demum pro Ecclesia gloriosus martyr occubuit, a studio legum dehortatur, utpote quæ magis curiositati quam utilitati serviant. « Mallem, inquit, vos ruminare Psalmos, et B. Gregorii Morales libros evolvere. Quis a lectione legum et canonum compunctus surgit? »

Similem Carolo Borromæo sanctissimo præsuli mentem fuisse lego. « Usitam enim, inquit scriptor Vitæ, jurisconsultorum scientiam, qua fuerat occupatus adolescens, minime jam in pastoralis cura ad se pertinere arbitratus est. Theologica et canonica tantum novit, quantum cardinali magnam ecclesiam regenti efficere posse concessum est. Ex theologiâ Scripturas divinas potissimum sequebatur, tum veteres Patres, interpretesque illos, qui solidiorem sensum amplectuntur. Canonum ea scientia perjuvanda erat, quæ Patrum mores et acta repræsentans, Ecclesiæ componendæ atque ordinandæ rationem continet. Dolens autem eos communi consuetudine tantummodo canones ad interpretandum seligi; qui ad lites judiciorumque valent, constituit ipse qui iis declarandis præesset, unde sacra majorum instituta, et ritus, optimumque Ecclesiæ administrandæ genus hauriretur. » Lib. vii, cap. 11.

Porro superiora omnia cum grano salis accipe. Sobriam enim legum scientiam et usum, non quæstui, sed justitiæ et veritatis patrocinio utilem, nemo sapiens damnat. Id solum monentur sacri ordinis homines, ut noverint præcipuas sui status partes, et officia, ament digna et debita vocationi suæ studia: et præpostere occupari caveant: ne negligent scire in primis, quæ perfectionem sui status magis magisque promoveant: ne minorem præcipuis, majorem vilioribus, et alienis curam ac industriam impendant. V. Lindanum episc. Ruremund. lib. De impoenit. fug., ubi quærit cur multi clericorum hodie plures faciant jurisprudentiæ studia quam theologiæ.



vir et femina, senex et juvenis, clericus et laicus, **A** justus et impius. omnes pariter participant te, omnes de fonte publico hibunt pectore tuo; et tu seorsum sitiens stabis? Si maledictus qui partem suam facit deteriorem, quid ille qui se penitus reddit expertem! Sane deriventur aquæ tuæ in plateas; homines et jumenta et pecora bibant ex eis, quin et camelis pueri Abrahæ potum tribuas: sed inter cæteros bibe et tu de fonte putei tui. *A alienus*, inquit, *non bibat ex eo* (*Prov. v, 17*). Nunquid tu alienus? Cui non alienus, si tibi es? Denique qui sibi nequam, cui bonus? (*Eccli. xiv, 5*.) Memento proinde, non dico semper, non dico sæpe, sed vel interdum reddere te ipsum tibi. Utere tu quoque te inter multos, aut certe post multos. Quid indulgentius? Hoc enim dico secundum indulgentiam, non secundum iudicium **B** [*al. imperium*]. Puto et ipso Apostolo indulgentiorem me in hac parte. Ergo plus quam oportet, inquis. Non inficior. Quid, si ita oportet? Nam tu, ut confido, nostra non eris meticulosa informatione contentus, sed abundabis magis. Sane sic decet, te scilicet abundantior, quam me audacior esse. Ego quoque mihi tutius iudico apud majestatem timiditate, quam temeritate periclitari. Et fortassis non secus moneri sapientem oportuit, ut sit quod scriptum est: *Da occasionem sapienti, et sapientior erit* (*Prov. ix, 9*).

## CAPUT VI.

*Non tam episcopis, quam principibus iudicariam potestatem competere.*

7. Audi tamen Apostolum, quid de huiusmodi sentiat. *Sic non est inter vos sapiens*, ait ille, *qui iudicet inter fratrem et fratrem?* Et infert: *Ad ignominiam vobis dico: contemptibiliores qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum* (*I Cor. vi, 5, 4*). Itaque secundum Apostolum, indigne tibi usurpas tu apostolicum officium [*al. iudicium*] [vile, gradum] contemptibilem. Unde et dicebat episcopus, episcopum instruens: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus* (*II Tim. ii, 4*). Ego autem parco tibi. Non enim fortia loquor sed possibilia. Putasne hæc tempora sustinerent, si hominibus ligantibus pro terrena hæreditate, et flagitantibus abs te iudicium, voce Domini tui responderes: *O homines, quis me constituit iudicem super vos* (*Luc. xii, 14*)? In quale **D** tu iudicium mox venires? Quid dicit homo rusticanus et imperitus, ignorans primatum (10) suum, inhonorans summam et præcelsam sedem, derogans apostolicæ dignitati? Et tamen non monstrabunt, puto, qui hoc dicerent, ubi aliquando quispiam Apostolorum iudex sederit hominum, aut divisor terminorum, aut distributor terrarum. Stetisse denique **412** lego Apostolos iudicandos (*Act. v, 27*), sedisse iudicantes non lego. Erit illud (11), non fuit. Itane imminutor est dignitatis servus, si non vult esse major domino suo: aut discipulus, si non vult esse

major eo qui se misit: aut filius, si non transgreditur terminos, quos posuerunt patres sui? *Quis me constituit iudicem?* ait ille Dominus et magister: **et** erit injuria servo discipuloque, nisi iudicet universos? Mihi tamen non videtur bonus æstimator rerum, qui indignum putat Apostolis seu apostolicis viris non iudicare de talibus, quibus datum est iudicium in majora. Quidni contemnant iudicare de terrenis possessiunculis hominum, qui in cœlestibus et angelos iudicabunt? Ergo in criminibus, non in possessionibus potestas vestra: quoniam propter illa, et non propter has, accepistis claves regni cœlorum, prævaricatores utique exclusuri, non possessores. *Ut sciatis*, ait, *quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata* (*Matth. ix, 6*), etc. Quænam tibi major videtur et dignitas, et potestas, dimittendi peccata, an prædia dividendi? Sed non est comparatio. Habent hæc infirma et terrena iudices suos, reges et principes terræ. Quid fines alienos invaditis? Quid falcem vestram in alienam messem extenditis? Non quia indigni vos, sed quia indignum vobis talibus insistere, quippe potioribus occupatis. Denique ubi necessitas exigit, audi quid censeat Apostolus: *Si enim in vobis iudicabitur hic mundus indigni estis qui de minimis iudicetis* (*I Cor. vi, 2*).

## CAPUT VII.

*Pietati et rerum æternarum considerationi in primis vacandum esse.*

**C** 8. Sed aliud est incidenter excurrere in ista, causa quidem urgente, aliud ultro incumbere istis, tanquam magnis dignisque tali et talium intentione rebus. Itaque hæc et innumera talia dicerem, si fortia dicerem, si recta, si sincera. Nunc autem quoniam dies mali sunt (*Ephes. v, 16*), sufficit interim admonitum esse, non totum te, nec semper dare actioni: sed considerationi aliquid tui et cordis, et temporis sequestrare. Hoc autem dico necessitatem intuens, non æquitatem: quanquam non sit præter æquum, necessitati cedere. Nam si liceret quod deceret, absolute per omnia et in omnibus præferendam, et vel solam, vel maxime colendam eam, quæ ad omnia valet, id est pietatem, prorsus irrefragabilis ratio monstrat. Quid sit pietas quæris? Vacare **D** considerationi. Dicis forsitan in hoc dissentire me ab illo, qui pietatem definit cultum Dei (*Job xviii, 28, juxta LXX*). Non est ita. Si bene consideras, illius sensum meis expressi verbis, etsi tamen ex parte [*al. etsi licet ex parte*]. Quid tam pertinens ad cultum Dei, quam quod ipse hortatur in Psalmo. *Vacate, et videte quoniam ego sum Deus?* (*Psal. xlii, 11*) quod sane in partibus considerationis præcipuum est. Quid denique [*al. deinde*] tam valens ad omnia, quam quæ ipsius quoque actionis partes benigna quadam præsumptione suas facit, præagendo quodammodo, et præordinando quæ agenda sunt?

terorum manuscriptorum et editorum.

(11) Nempe ut sedeant iudicantes, juxta illud Matthæi xix, 28, *Sedebitis et vos*, etc.

(10) In quodam codice Vaticano apud Vossium, *personatum*, et in consequentibus ubique pro *primatus*, ibidem legitur *personatus*, contra fidem cæ-

Necessario sane; ne forte quæ et prævisa et præmeditata poterant esse proficuo, præcipitata magis periculo fiant: quod tibi met, si recordaris in ipsis actionibus causarum, et in magnis quibusque negotiis, magnarumve consiliis rerum frequenter accidisse non ambigo. Et primum quidem ipsum fontem suum, id est mentem, de qua oritur, purificat consideratio. Deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat et ordinat, postremo divinarum pariter et humanarum rerum scientiam confert. Hæc est quæ confusa determinat, hiantia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, verisimilia examinat, ficta et fucata explorat. Hæc est quæ agenda præordinat, acta recogitat, ut nihil in mente resideat aut incorrectum, aut correctione [*al. incorreptum... correptione*] egens. Hæc est quæ in prosperis adversa præsentit, in adversis quasi non sentit: quorum alterum fortitudinis; alterum prudentiæ est.

#### 413 CAPUT VIII.

*Ex pietate et contemplatione pulcherrimam quatuor primarum virtutum harmoniam et connexionem oriri.*

9. Ibi etiam advertere tibi est suavissimum quemdam concentum complexumque virtutum, atque alteram pendere ex altera; sicut hoc loco vides, fortitudinis matrem esse prudentiam: nec fortitudinem, sed temeritatem esse quemlibet ausum, quem non parturivit prudentia. Hæc item est, quæ inter voluptates et necessitates media, quasi quædam arbitra sedens, utrimque certis limitibus determinat fines, istis assignans et præbens quod sat est; illis quod nimis est demens; et sic ex alterutro tertiam formans virtutem, quam dicunt temperantiam: Nempe intemperantem ipsa consideratio censet, tam eum qui necessariis pertinaciter demit, quam qui indulget superfluis. Non est ergo temperantia in solis resecandis superfluis: est et in admittendis necessariis. Hujus sententiæ Apostolus non fautor tantum, sed auctor esse videtur, qui curam carnis nostræ docet non perfici in desiderio. Dicens siquidem *curam carnis non perfici*, superflua cohibet: addens, *in desiderio* (Rom. XIII, 14), necessaria non excludit. Unde mihi videtur non omnino absurde definire temperantiam, qui hanc nec præcidere necessitatem, nec excedere dicat, iuxta illud philosophi, « Ne quid nimis. »

10. Jam de justitia, quæ una ex quatuor est, nonne constat consideratione mentem præveniri, ut se formet in ea? Se enim necesse est prius cogitet, ut ex se normam ducat justitiæ, nec factura utique alteri, quod sibi fieri nolit; nec quod sibi velit fieri negatura. In his nempe duobus liquet integrum esse justitiæ statum. Sed nec ipsa solitaria est. Intuere etenim nunc mecum etiam hujus pulchram connexionem et cohærentiam cum temperantia, et item ambarum cum duabus superioribus, id est prudentia et fortitudine. Nam cum justitiæ dicatur portio, quod sibi non vult fieri quis, alii non facere; porro per-

fectio, quod ait Dominus, *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines et vos facite illis* (Matth. VII, 12): neutrum horum erit, nisi ipsa voluntas, de qua tota ducitur forma, sic ordinata fuerit, ut nec velit aliquid superfluum, nec necessarium quid superstitiose nolit, quod quidem temperantiæ est. Denique et ipsi justitiæ, ut justa sit, temperantia modum imponit. *Noli nimium esse justus*, ait Sapiens (Eccl. VII, 17), ostendens per hoc minime approbandam justitiam, quæ temperantiæ moderamine non frenetur. Quid quod et ipsa sapientia hoc temperantiæ frenum non respuit; dicente Paulo secundum sapientiam a Deo sibi datam, *non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem?* (Rom. XII, 3.) Sed et e converso, quod temperantiæ necessaria justitia sit, ostendit Dominus, arguens in Evangelio illorum temperantiam, qui abstinebant ut viderentur hominibus jejunantes (Matth. VI, 16). Erat in cibo temperantia, sed non justitia in animo: quia non Deo placere, sed hominibus intendebant. Quomodo rursus vel ista, vel illa sine fortitudine? cum constet fortitudinis esse, et non mediocris, cohibere velle et nolle suum inter augustias, parum et nimis; ut sit contenta voluntas modo illo medio, nudo, puro, solo, constante sibi, æquali undique sui, utpote ex omni parte pariter circumciso, quem solum constat esse virtutis.

11. Dico mihi, quæso, si potes, cuinam potissimum trium harum virtutum medullium hocandum censeas, quod ita cunctis conterminum est, ut videatur esse proprium singularum? An ipsum virtus est, et nihil aliud? Sed sic virtus non esset multiplex, sed essent omnes una. An potius, quia sine eo virtus non est, omnium quodammodo intima vis una est et medulla virtutum, in qua sic uniuntur, ut proinde [*al. perinde*] una videantur omnes? præsertim quod non illud participando communicant, sed totum a singulis atque integrum possidentur. Verbi causa, quid tam justitiæ, quam modus? Alioquin si quid extra modum relinquit, non plane cuique 414 tribuit quod suum est: quod tamen suum ipsius est facere. Quid tam rursus temperantiæ, quæ non aliunde profecto temperantia est, nisi quod nil immoderatum admittit? Sed, puto, fatebere etiam non minus esse fortitudinis, cum vel maxime ipsa sit, quæ ab irruentibus vitiis, et quasi hinc inde suffocare conantibus, purum illud potenter eruit et vindicat in quoddam stabile fundamentum boni, sedemque virtutis. Ergo modum tenere justitia est, temperantia est, fortitudo est. Sed vide ne in hoc differant, ut justitiæ quidem in affectu res sit; a fortitudine autem efficacia ejus; porro possessio atque usus apud temperantiam. Restat ut doceamus ab hac communione prudentiam non excludi. Nonne ipsa est, quæ modum, diu animi neglectu posthabitu, et vitiorum invidia quasi in abditis reclusum, et coopertum quadam vetustatis caligine, prior reperit et advertit? Propterea dico tibi: a paucis advertitur, quia [paucorum prudentia est. Itaque

justitia quærit, prudentia invenit, vindicat fortitudo, A temperantia possidet. Non mihi hoc loco propositum est de virtutibus disputare : sed hæc dixerim hortans ad vacandum considerationi, cujus beneficio hæc et similia advertuntur. Cui tam pio, tamque utili otio nullam in vita operam dare, nonne vitam perdere est?

## CAPUT IX.

*Recentia Pontificum exempla paulatim corrigenda, vetera imitanda.*

12. Quid tamen, si te philosophiæ huic totum repente devoveris? Prædecessores tui non ita consueverunt (12) : eris molestus quam pluribus, quasi qui a patrum vestigiis subito deviaris : nempe id videberis agere in suggillationem illorum. Sed et notabere vulgari proverbio : Qui hoc facit quod nullus, mirantur omnes : veluti qui cupias admirationi fore. Nec potes eorum omnia simul et subito vel errata corrigere, vel excessus redigere in modum. Erit cum acceperis tempus, ut secundum sapientiam tibi a Deo datam paulatim et opportune id studeas. Interim sane malo alterius utere in bonum quod potes. Quatquam si de bonis, et non de novis sumamus exempla, non defuere Romani pontifices, qui sibi otia inter maxima negotia invenirent. Obsidio urbi, et barbaricus ensis civium cervicibus imminebat : nunquid tamen istud terruit beatum papam Gregorium (13), quominus sapientiam scriberet in otio? Eo nempe temporis (quod ex ejus præfatione [al. ex verbis] liquet) obscurissimam et C extremam partem Ezechielis tam diligenter, quam eleganter exposuit.

(12) Aliis alia est interpunctio : *Quid tamen? Si te philosophiæ huic totum repente devoveris, prædecessores tui non ita consueverunt. Quidam habent, Quid tum?*

(13) Gregorius inter ipsos armorum strepitus sacris studiis intentus, velut alter Archimedes. Et quidem præfat. lib. II, Homil. in Ezech. testatur duobus se incommodis turbari in proposito, nimia obscuritate visionum, et terrore imminentium malorum. Nam Agilulfum, inquit, Longobardorum regem ad obsidionem nostram summopere festinantem Padum transisse cognovimus. Unde pensate, fratres, in caliginosis ac mysticis sensibus penetrare quid valeat mens misera, timoris sui perturbationibus occupata, etc. Tamen obscurissimam et extremam partem Ezechielis eo temporis tam diligenter quam eleganter exposuit, uti inquit S. Bernardus. Videant nunc prælati Ecclesiæ, cæterique viri ecclesiastici, quomodo in pace et tranquillitate viventes, utantur otio concesso : an ad sacra studia, an ad vana et sæcularia negotia. Quam multos heu! videre est alienis, otiosis, et indignis occupari! Quid autem interest, an otiosus sis, an malè occupatus? Olim certe sancti præsules, etiam in gravissimis negotiis, invenerunt otium vacandi Deo : et nunc invenient, quibus cura et parcomonia temporis erit.

(14) Perstringit artes fraudesque advocatorum, quibus adeo curæ non est, controversiis sopiendis admoveere manum, ut potius oleum affundant. Nimirum seruntur lites ex litibus, controversiæ controversias excipiunt, nullaque remora sisti vel inhiberi rixarum ille cursus potest. Sed et sumptibus alteruntur litigantium facultates, cautiusque plerisque esset de jure suo decedere, quam juri experiendo, sortis

## CAPUT X.

*Abusus advocatorum, judicum, procuratorum, eorumque fraudes graviter perstringit.*

13. Sed esto : alius inolevit mos, dies alii sunt, et alii hominum mores et tempora periculosa non instant jam, sed exstant. Fraus, et circumventio, et violentia invaluere super terram. Calumniatores multi, defensor rarus, ubique potentiores pauperiores opprimunt : non possumus deesse oppressis, non negare injuriam patientibus judicium. Nisi agitentur causæ, audiantur partes, inter partes judicari quid potest [al. inter partes judicare quis potest]? Agitentur causæ, sed sicut oportet. Nam is modus, qui frequentatur, execrabilis plane ; et qui, non dico Ecclesiam, sed nec forum deceat [al. deceret]. Miror namque quemadmodum religiosæ aures tuæ audire sustinent hujusmodi disputationes advocatorum, et pugnas verborum, quæ magis ad subversionem, quam ad inventionem proficiunt veritatis. Corrige pravum morem, et præcide linguas vaniloquas [al. inalloquas], et nubia dolosa claude. Hi sunt qui docuerunt linguas suas loqui mendacium, disertis adversus justitiam, eruditis pro falsitate. Sapientes sunt ut faciant malum, eloquentes ut impugnent verum. Hi sunt qui instruunt a quibus fuerant instruendi ; adstruunt non comperta, 415 sed sua ; struunt de proprio calumnias innocentiae ; destrunt simplicitatem veritatis, obstruunt judicii vias. Nihil ita absque labore manifestam facit veritatem, ut brevis et pura narratio. Ergo illas quas ad te necesse erit intrare causas (neque enim omnes necesse erit), diligenter velim, sed breviter decidere (14) assuescas, frustratorias-

nonnunquam minus idoneæ damnum, impendiorum jactura cumulare. Causas itaque Bernardus vult breviter decidi, omnes litium ambages recidi : cura nihil ita absque labore manifestum faciat veritatem, ut brevis et pura narratio.

In quam sententiam multa variis conciliorum decretis statuta legitur, sed utram praxim in curiis et tribunalibus videremus! Concil. Trident., sess. 24, cap. 20, *De reform.*, et sess., 25, cap. 10, *De reform.*, ubi inter alia sic habet : « Admonet sancta synodus tam ordinarios, quam alios quoscunque judices, ut terminandis causis, quanta fieri poterit brevitate studeant : ac litigatorum artibus, seu in litis contestatione, seu alia parte judicii differenda, modis omnibus, aut termini præfixione, aut competentia alia ratione occurrant, » etc. Vide concil. Lateran., ult. sess., 10, et in Clem. *Sæpe de verb. sig. c. Finem litibus*, etc., fin. de do. et cont. cap. 2. de re jud., etc., constitutus, de procur. cap. *Nonnulli*, de rescr. Clem. *Dispendiosam*, de judiciis, et alibi sæpius.

Horum canonum observantiam magnus ecclesiasticæ disciplinæ zelator card. Borromæus studiose promovit, de quo memorabile est, « notariis scribisque fori ejus tempore accidisse, ut peritiam earum litium, quæ de beneficiis alibi tam frequenter inter clericos esse solent, pene dedicerent, lib. VII *Vitæ*, cap. 36. Thomam quoque Morum Angliæ martyrem a protrahendis in foro causis alienissimum fuisse Stapletonus in *Vita* ejus testatur. Nam causis omnibus et litibus « adeo expedit et liberavit tribunal suum, ut quadam vice expedita causa, dum sequentem proferri juberet, responsum acciperet, nullam illic amplius superesse. » Ita in *Vita* ejus, mihi, pag. 39.

que et venatorias præcidere dilationes. Causa viduæ intret ad te, causa pauperis, et ejus qui non habet quod det. Aliis alias multas poteris committere terminandas, quam plures nec dignas audientia judicare. Quid enim opus est admittere illos, quorum peccata manifesta sunt præcedentia ad iudicium? Tanta est impudentia nonnullorum, ut cum manifestæ ambitionis prurigne scateat tota facies causæ eorum, non erubescant audientiam flagitare, publicantes semetipsos ad multorum conscientias, in quo vel suæ solius satis poterant confundi iudicio. Non fuit qui retunderet attritas frontes; et ideo plures facti sunt, et magis induruerunt. Sed et nescio quomodo vitiosus conscientias vitiosorum non refugit: et ubi omnes sordent, unius fetor minime sentitur. Quis enim unquam, verbi causa, avarum avarus, immundum immundus, luxuriosum luxuriosus erubuit? Plena est ambitiosis Ecclesia: non est jam quod horreat in studiis et molitionibus ambitionis, non plus quam spelunca latronis in spoliis viatorum.

#### CAPUT XI.

*In advocatos et procuratores, qui ex iniquitate questum faciunt, severe animadvertendum.*

14. Si Christi discipulus es, ignescat zelus tuus, exurgat auctoritas adversus impudentiam hanc et

A generalem pestem. Intuere Magistrum sic facientem, et audi dicentem: *Qui mihi ministrat, me sequatur* (Joan. XII, 26). Non parat aures ut audiat, sed flagellum quo feriat. Verba nec facit, nec recipit. Nec enim sedet iudicans, sed insequitur puniens. Causam tamen non tacet, quod videlicet domum orationis, negotiationis fecissent. Ergo et tu fac similiter. Erubescant vultum tuum istiusmodi negotiatores, si fieri potest: si non, timeant. Et tu flagellum tenes. Timeant nummularii, nec fidant in nummis, sed diffidant; abscondant æs suum a te, scientes effundere, quam accipere paratiorem. Hoc studiose et constanter agendo, multos lucrifacies, turpium sectatores lucrorum honestioribus officiis vindicando: multos, ne vel audeant hujusmodi attentare, servabis. Ad-  
B jice illud, quod non parum proficiet et ad ferias quas tibi suadeo. Ita nempe non pauca tibi momenta temporum redimes ad vacandum considerationi, quædam, ut dixi, negotia nec audiendo, quædam aliis committendo: quæ tua digna putaveris audientia, fideli quodam et accommodo ipsi causæ compendio terminando. De qua consideratione his addere aliqua cogito, sed sub alterius sane principio libri: atque hic sit finis istius, ne duplo te oneret minus suavis oratio, si longa fuerit.

## LIBER SECUNDUS.

### 416 CAPUT PRIMUM.

*Apologiam instituit, ob infelicem successum expeditionis in Terram-Sanctam susceptæ.*

1. Memor promissi mei, quo ecce jam aliquamdiu teneor apud te, vir optime, papa Eugeni, volo absolvere me vel sero. Puderet dilationis, si mihi conscius forem incuriæ, aut contemptus. Non ita est: sed incidimus, ut ipse nosti, in tempus grave (15), quod

(15) Expeditio in Orientem, hortatore S. Bernardo suscepta, infeliciter cessit. Hinc nata contra Virum sanctum murmura et calumniæ. His hoc capite antidoton sive apologeticon opponit. Idem quoque faciunt alii Scriptores, ne putes ipsum Bernardum solum suæ causæ et innocentiae assertorem. Vide Gaufrid. lib. III. Vitæ, cap. 4. Otho Frising. de gest. Frid. lib. I, cap. 60, ubi multis hæc de re philosophatus tandem concludit: « Expeditionem illam, etsi cum tanta Christianorum strage conjunctam, fuisse bonam et salutarem, si non pro dilatatione terminorum, vel pro commoditate corporum, attamen ad multarum salutem animarum. Additque. Quamvis si dicamus sanctum illum Abbatem (Bernardum) spiritu Dei ad excitandos nos afflatum fuisse, sed nos ob superbiam lasciviamque nostram salubria monita non observantes, merito rerum personarumque dispendium deportasse, non sit a rationibus vel antiquis exemplis dissonum. » Ita Otho, qui præsens interfuit, et quæ oculis suis vidit, sincerius enarrare potuit. Vide epist. Joan. Abb. Casæ-Marii inter epist. Bern. 352 (nunc 386). Et Will. Tyrium apud Baron. ann. 1148, ubi de causis frustratæ expeditionis. Sed libet unum præ cæteris istius ætatis audire, bonæ notæ

C et ipsi pene vivendi usui videbatur indicere cessationem, nedum studiis; cum scilicet Dominus provocatus peccatis nostris, ante tempus quodammodo visus sit iudicasse orbem terræ, in æquitate quidem, sed misericordiae suæ oblitus. Non pepercit populò suo, non suo nomini. Nonne dicunt in gentibus, *Ubi est Deus eorum?* (Psal. CXIII, 2.) Nec mirum. Ecclesie filii, et qui christiano censentur nomine, pro et fidei scriptorem, causas infelicis belli diligentius edisserentem. Is est Guillelmus Neubrigensis lib. I. De reb. Angl., cap. 20. « Legimus, inquit, olim numerosissimum Domini exercitum unius hominis etiam occulte peccantis scelere ita inquinatum, et favore divino nudatum, ut enervus et languidus appareret. Consultus Dominus, respondit populum anathemate pollutum esse, et adjecit: *Anathema in medio tui est, Israel; non poteris stare adversus hostes tuos, donec deleatur ex te, qui hoc contaminatus est scelere.* Porro in nostro illo exercitu tanta tam contra Christianam, quam contra castrensem etiam disciplinam, mala increverant, ut mirum non sit, quod eis tanquam pollutis et immundis favor nequaquam divinus arriserit. Castra enim a castratione dicuntur luxuriæ. At castra illa nostra, casta non erant: in quibus utique infelici quadam licentia multorum spirabant libidines. Præsumentes quoque de multitudine et instructu copiarum, atque ita carnem brachium suum superbe ponentes, in Domini, pro quo æmulari videbantur, misericordia atque potentia minus confidebant, declaratumque in eis est, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Præterea in terra Christiani Imperatoris,

strati sunt in deserto, aut interfecti gladio, aut fame consumpti. Effusa est contentio (16) super principes, et Dominus errare fecit eos in invio, et non in via (*Psal.* cvi, 40). Contritio et infelicitas in viis eorum (*Psal.* xiii, 3); pavor, et mœror, et confusio in penetralibus regum ipsorum. Quam confusi pedes annuntiantium pacem, annuntiantium bona (*Isai.* lii, 7)! Diximus, Pax, et non est pax: promisimus bona, et ecce turbatio. Quasi vero temeritate in opere isto, aut levitate usi simus. Cucurrimus plane in eo, non quasi in incertum, sed jubente te, imo per te Deo. Quare ergo jejunavimus, et non aspexit? humiliavimus animas nostras, et nescivit? Nam in his omnibus non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta. Quam patienter interim adhuc audit voces sacrilegas, et Ægyptios blasphemantes, quia callide eduxit eos, ut occideret in deserto? (*Exod.* xxxii, 12.) Et quidem judicia Domini vera (*Psal.* xviii, 10); quis nesciat? At iudicium hoc abyssus tanta, ut videar mihi non immerito pronuntiare beatum, qui non fuerit scandalizatus in eo.

2 Et quomodo tamen humana temeritas audeat reprehendere, quod minime comprehendere valet? Recordemur supernorum iudiciorum, quæ a sæculo sunt, si forte sit consolatio. Nam quidam ita dixit: *Memor fui iudiciorum tuorum a sæculo, Domine, et consolatus sum* (*Psal.* cxviii, 52). Remi dico ignotam nemini, et nunc nemini notam. Nempe sic se habent mortalium corda: quod scimus cum necesse non est, in necessitate nescimus. Moyses educturus populum de terra Ægypti, meliorem illis pollicitus est terram (*Exod.* iii, 17). Nam quando ipsum aliter sequeretur populus, solam sapiens terram? Eduxit; eductos tamen in terram, quam promiserat, non introduxit. Nec est quod ducis temeritati imputari queat tristis et inopinatus eventus. Omnia faciebat Domino imperante, Domino cooperante, et opus confirmante sequentibus signis. Sed populus ille, inquis, duræ cervicis fuit, semper contentiose agens contra Dominum, et Moysen servum ejus. Bene, illi increduli et rebelles; hi autem quod? Ipsos interroga. Quid me dicere opus est, quod fatentur ipsi? Dico ego unum. Quid poterant proficere, qui semper revertebantur, cum ambularent? Quando et isti per totam viam non redierunt corde in Ægyptum? Quod

cum quo foedus percusserant, et quo jubente, venalia vel afferebantur, vel abundabant, minus a rapinis temperabant. Immisit ergo eis infensus Imperator, hinc famem, inde hostem: tanti sanguinis Christiani periculum Christianus minime perhorrescens. Denique venalibus prohibitis, cum pro victualibus congerendis propter hostium insidias nostri non valerent excurrere, primo exercitus fame contabuit: deinde hostium exceptus insidiis, vel Turcarum gladios inebriavit, vel Christianæ statum libertatis ignominiosissimæ atque infelicissimæ servitutis sorte mutavit. Nec superbis atque immundis castigandis iræ defuere cœlestes, et plerumque (ut dicitur) effusa desuper intempestivarum nubium inundatio de exercitu nostro plus minuit, quam hostilis gladius. Itaque duorum exercituum maximorum parte longe majore diversis casibus et cladibus profligata, cum parte

A si illi ceciderunt et perierunt propter iniquitatem suam, miramur istos eadem facientes, eadem passos? Sed nunquid illorum casus adversus promissa Dei? Ergo nec istorum. Neque enim aliquando promissiones Dei justitiæ Dei præjudicant. Et audi aliud.

3. Peccavit Benjamin: accinguntur reliquæ tribus ad ultionem, nec sine nutu Dei. Designavit denique ipse ducem præliaturis. Itaque præliantur, freti et manu validiori, et causa potiori, et, quod his majus est, favore divino. At quam terribilis Deus in consiliis super filios hominum! (*Psal.* lxxv, 5.) Terga dedere sceleratis ultores sceleris, et paucioribus plures. Sed recurrunt ad Dominum. Et Dominus ad eos: *Ascendite*, inquit. Ascendunt denuo, denuoque fusi et confusi sunt. Ita Deo primum quidem favente, secundo et jubente, justii justum certamen ineunt, et succumbunt. Sed quo inferiores certamine, eo fide superiores inventi sunt. Quid putas de 417 me facerent isti, si meo hortatu (17) iterato ascenderent, iterato succumberent? quando me audirent monentem tertio repetere iter, repetere opus, in quo semel jam, et secundo frustrati forent? Et tamen Israelitæ unam et alteram non reputantes frustrationem, tertio parent, et superant (*Judic.* xx). Sed dicunt forsitan isti: Unde scimus quod a Domino sermo egressus sit? Quæ signa tu facis, ut credamus tibi? Non est quod ad ista ipse respondeam: parcendum verecundiæ meæ (18). Responde tu pro me et pro te ipso, secundum ea quæ audisti, et vidisti; aut certe secundum quod tibi inspiraverit Deus.

C 4. Sed forte miraris me prosequi ista, qui aliud proposueram. Facio non oblitus propositi, sed quod a proposito non iudicem aliena. Nempe de consideratione, ut memini, sermo mihi ad tuam Dignationem. Et sane magna ista res, et egens consideratione non minima. Quod si res magnas a magnis considerari oportet, cui æque, ut tibi, id studii competit, qui parem super terram non habes? Sed tu secundum sapientiam et potestatem datam tibi desuper, facies de hoc. Non est meæ humilitatis dictare tibi sic vel sic fieri quidquam. Sufficit intimasse oportere aliquid fieri, unde et Ecclesia consoletur, et obstruatur os loquentium iniqua. Hæc pauca vice apologiæ dicta sint, ut ipsa qualiacumque habeat conscientia tua ex me, unde habeat me excusatum, et te pari-

residua duo illi magni Principes, ægre exitium evadentes, Jerosolimam venerunt: et nulla re memorabili facta, in glorie recesserunt. Ita Neubrigensis.

(16) Locus sumptus ex psalmi cvi vers. 40, ubi quondam Bernardi tempore legebatur *contentio*, ut apud Willelmum Tyrensem in lib. xvi, cap. 21, pro eo quod modo habemus, *contemptio*, rectius a Græco ἐξουδέωσις.

(17) Quid ad suscipiendam expeditionem contulerit Bernardus docent ejus epistolæ 256, 288, 386, atque liber iii de ejus Vita, cap. 4.

(18) Miracula subintelligit quibus Deus Bernardi prædicationem et hortationes ad bellum sacrum probavit, in lib. iv de ejus Vita, cap. et seq. Vide epistolam 242, ad Tolosanum et ibidem notas.

ter, etsi non apud eos qui facta ex eventibus aestimant, certe apud te ipsum. Perfecta et absoluta cuique excusatio, testimonium conscientiae suae. Mihi pro minimo est ut ab illis iudicer, qui dicunt bonum malum, et malum bonum, ponentes lucem tenebras, et tenebras lucem (*Isai. v, 20*). Etsi necesse sit unum fieri e duobus, malo in nos murmur hominum, quam in Deum esse. Bonum mihi, si dignetur me uti pro clypeo. Libens excipio in me detrahentium linguas maledicas, et venenata spicula blasphemorum, ut non ad ipsum perveniant. Non recuso inglorius fieri, ut non irruatur in Dei gloriam. Quis mihi det gloriari in voce illa: *Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam?* Gloria mihi est, consortem fieri Christi, cujus illa vox est: *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me (Psal. lxxviii, 8, 10)*. Nunc jam recurrat stilus ad suam materiam, et in ea quae proposueramus, suo tramite gradiatur oratio.

## CAPUT II.

*Considerationis a contemplatione distinctio.*

5. Et primo quidem ipsam considerationem quid dicam, considera. Non enim idem per omnia quod contemplationem intelligi volo; quod haec ad rerum certitudinem, illa ad inquisitionem magis se habeat. Juxta quem sensum potest contemplatio quidem definiri, verus certusque intuitus animi de quacunque re, sive apprehensio veri non dubia. Consideratio autem, intensa ad investigandum cogitatio, vel intentio animi vestigantis verum. Quanquam solebant ambae pro invicem indifferenter usurpari.

## CAPUT III.

*Considerationis quatuor puncta designat.*

6. Jam quod ad considerationis attinet fructum, quatuor, ut occurrunt, tibi considerata reor: te, quae sub te, quae circa te, quae supra te sunt. A te tua consideratio inchoet, ne frustra extendaris in alia, te neglecto. Quid tibi prodest si universum mundum lucreris, te unum perdens? (*Matth. xvi, 26*.) Etsi sapiens sis, deest tibi ad sapientiam, si tibi non fueris. Quantum vero? Ut quidem senserim ego, totum. Noveris licet omnia mysteria, noveris lata terrae, alta caeli, profunda maris; si te nescieris, eris similis aedificanti sine fundamento, ruinam, non structuram faciens. Quidquid extruxeris extra te, erit instar congesti pulveris, ventis obnoxium. Non ergo sapiens, qui sibi non est. Sapiens sibi sapiens erit: et bibet de fonte putei sui primus ipse. A te proinde incipiat tua consideratio; non solum autem, sed et in te finiatur. Quocumque evagetur, ad te revocaveris eam cum salutis fructu.

(19) Monet ut veteris fortunae memoria contineat se intra limites modestiae. Idoneum sane frenum ad arrogantiam et tumorem animi comprimendum ac sistendum. Exemplum hujus rei praecclarum ac celebre dedit Agathocles Siculus, qui figulo patre natus et ignobili, tandem regno Siciliae potitus est. At ne honoris species abriperet extra metas honestatis, immemorem unde esset, et quam in lubrico eum fortuna collocasset, ortus sui memoriam conservavit, utens vasis fictilibus, quorum intuitu figuli se

A Tu primus tibi, tu ultimus. Sume exemplum de summo omnium Patre, Verbum suum et emittente [*al. ex se emittente*], et retinente. Verbum tuum, consideratio tua: quae si procedit, non recedat. Sic progrediatur, ut non egrediatur; sic exeat, ut non deserat. In acquisitione salutis nemo tibi germanior amico matris tuae. Contra salutem propriam cogites nihil. Minus dixi, Contra: Praeter, dixisse debueram. Quidquid se considerationi offerat, quod non quoquo modo ad tuam ipsius salutem pertineat, respuendum.

## CAPUT IV.

*Notitiam sui ipsius triplici consideratione sui complectitur; et primum quidem considerationis membrum hic exsequitur.*

7. Et haec tui consideratio in tria quaedam dividitur, si consideres quid, quis, et qualis sis. Quid in natura, quis in persona, qualis in moribus. Quid, verbi gratia, homo. Quis, Papa, vel summus Pontifex. Qualis, benignus, mansuetus, vel quidquid tale. Quanquam primum illud, philosophicum sit magis quam apostolicum vestigare; attamen est in definitione hominis, quem dicunt animal rationale, mortale: quod diligentius intueri si libet, licet. Non est quod tuae in eo aut professioni obviet, aut dignitati: est vero quod saluti afferre queat. Nam consideranti duo haec simul, rationale, mortaleque; is tibi exinde occurrit fructus, ut et mortale, quod in te est rationale humiliet; et rursus rationale, mortale confortet: quod neutrum neglectui erit homini circumspecto. Si qua adhuc praesens considerata requirit locus, tractabuntur infra, et forte utilius ex partium collatione.

## CAPUT V.

*Alterum membrum considerationis sui proponit: nempe, Quis sit, et unde.*

8. Nunc quis sis, et de quo sis factus, advertendum. Quanquam quod dixi, de quo, id mihi praeterendum putem, tuae potius relinquendum agnitioni. Illud dico indignum tibi, citra perfectum agere de tanta assumpta perfectione. Quidni erubescas minimus inveniri in magnis, qui te recordaris magnum in minimis exstitisse? Non es oblitus primae [*al. add. tuae*] professionis: non excidit menti quae subducta est manui, sed ne affectui quidem. Ipsam ad singula tua imperia, judicia, instituta, habere praec oculis non erit inutile. Haec te consideratio facit honoris contemptorem in honore ipso. Atque id magnum. Non recedat a pectore: clypeus est tibi vel a sagitta illa, *Homo cum in honore esset, non intellexit (Psal. xlviii, 13)*. Loquere ergo tibi: Abjectus eram in domo Dei mei. Quale est hoc, de paupere et abjecto levare super gentes et regna (19)? Quis ego, aut quae

filium esse recordaretur. Id quod Ausonius elegantius expressit epigrammate. Quod praeter alios etiam adfert Nicolaus Serarius in Hist. Moguntina, ubi agit de Willegiso archiepiscopo ejusdem ecclesiae, qui etiam obscuro loco natus, sed demum factus archiepiscopus, quanto major fuit, tanto se submissus gessit: ideoque studebat identidem pristinae conditionis suae recolere memoriam. Et quia patre carpentario natus erat, passim in aedificiis et parietibus rotas, fabrile scilicet parentis opus, pinxit,

domus patris mei, ut sedeam excelsis sublimior? Sane qui dixit mihi: *Amice, ascende superius* (*Luc. xiv, 10*), amicum fore fudit. Si minus inveniar, non expedit quidem. Qui elevavit, et dejicere potest. Sera querela: *Quoniam elevans allisisti me* (*Psal. cx, 11*). Non est quod blandiatur celsitudo, ubi sollicitudo major. Illa discrimen intendit, hæc amicum probat. Huic accingamur, si nolumus tandem cum rubore novissimum locum tenere.

## CAPUT VI.

*Quale debeat esse procerum Ecclesiæ studium.*

9. Factum superiorem dissimulare nequimus; sed enim ad quid omnimodis attendendum. Non enim ad dominandum opinor. Nam et propheta, cum similiter levaretur, audivit: *Ut evellas et destruas, et disperdas et dissipés, et ædifices et plantes* (*Jerem. i, 10*). Quid horum fastum sonat? Rusticani magis sudoris schemate quodam labor spiritualis expressus est. Et nos igitur **419**, ut multum [*al. ut non multum*] sentiamus de nobis, impositum senserimus ministerium, non dominium datum. Non sum ego major propheta; et si forte par potestate, sed meritorum non est comparatio. Hæc loquere tibi, et doce te ipsum, qui alios doces. Puta te velut unum aliquem ex prophetis. An non satis ad te? Et nimium. Sed gratia Dei es id quod es. Quid? Esto quod propheta: nunquid plus quam propheta? Si sapis, eris contentus mensura quam tibi mensus est Deus. Nam quod amplius est, a malo est. Disce exemplo prophetico præsidere non tam ad imperitandum, quam ad factitandum quod tempus requirit. Disce sarculo tibi opus esse, non sceptro, ut opus facias prophetæ. Et quidem ille non regnaturus ascendit, sed extirpaturus. Putasne et tu [*al. add. non*] invenias aliquid elaborandum in agro Domini tui? Et plurimum. Non plane totum quivere emundare [*al. emendare*] Prophetæ: aliquid filiis suis Apostolis quod agerent reliquerunt; aliquid ipsi parentes tui tibi. Sed nec tu ad omne sufficies. Aliquid profecto tuo relicturus es successoribus, et ille aliis, et alii aliis usque in finem. Circa undecimam denique horam operarii otii arguuntur, et mittuntur in vineam. Antecessores tui Apostoli audierunt, quia *messis quidem multa, operarii vero pauci* (*Matth. ix, 37*). Paternam tibi vindicato hæreditatem. Nam si filius, et hæres (*Galat. iv, 7*). Ut probes hæredem, evigila ad curam; et non otio torpeas, ne et tibi dicatur: *Quid hic stas tota die otiosus?* (*Matth. xx, 6*.)

10. Multo minus inveniri oportet aut deliciis resolutum, aut resupinum pompis. Nihil horum tibi tabulæ testatoris assignant. Sed quid? Si illarum tenore contentus sis, curam potius hæreditabis et operam, quam gloriam et divitias. Blanditur cathedra? Specula est. Inde denique superintendis, sonans tibi episcopi nomine non dominium, sed officium.

addito hoc elogio: *Willegise, Willegise, quis fueris ne obliviscere*. Et hæc velut insigne sibi perpetuum sumpsit, cujus intuitu semper originis suæ memoriam aleret, idque in hodiernam usque diem civitas

**A** Quidni loceris in eminenti, unde prospectes omnia, qui speculator super omnia constitueris? Enimvero prospectus iste procinctum parit, non otium. Quomodo [*al. quando*] libet gloriari, ubi otium non licet? Nec locus est otio, ubi sedula urget sollicitudo omnium Ecclesiarum. Nam quid tibi aliud dimisit sanctus Apostolus? *Quod habeo, inquit, hoc tibi do*. Quid illud? Unum scio: non est aurum neque argentum, cum ipse dicat: *Argentum et aurum non est mihi* (*Act. iii, 6*). Si habere contingat, utere non pro libitu, sed pro tempore. Sic eris utens illis, quasi non utens. Ipsa quidem, quod ad animi bonum spectat, nec bona sunt, nec mala: usus tamen horum bonus, abusio mala, sollicitudo pejor, quæstus turpior. Esto, ut alia quacunque ratione hæc tibi vindices: sed non apostolico jure. Nec enim tibi ille dare quod non habuit potuit. Quod habuit, hoc dedit, sollicitudinem, ut dixi, super Ecclesias. Nunquid dominationem? Audi ipsum. *Non dominantes, ait, in clero, sed forma facti gregis* (*I Petr. v, 3*). Et ne dictum sola humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini est in Evangelio: *Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur: et infert: Vos autem non sic* (*Luc. xxii, 25*). Planum est: Apostolis interdicitur dominatus.

**11.** I ergo tu, et tibi usurpare aude aut dominans apostolatam, aut apostolicum dominatum. Plane ab alterutro prohiberis. Si utrumque simul habere voles, perdes utrumque. Alioquin non te exceptum [*al. exemptum*] illorum numero putes, de quibus queritur Deus sic: *Ipsi regnaverunt, et non ex me; principes exstiterunt, et ego non cognovi* (*Ose. viii, 4*). Jam si regnare sine Deo juvat, habes gloriam, sed non apud Deum. At si interdictum tenemus, audiamus edictum. *Qui major est vestrum, fiat sicut junior; et qui præcessor est, sicut qui ministrat*. Forma apostolica hæc est: dominatio interdicitur, indicitur ministratio, quæ et commendatur ipsius exemplo Legislatoris, qui secutus adjungit: *Ego autem in medio vestrum sum, tanquam qui ministrat* (*Luc. xxi, 26, 27*). Quis se jam titulo hoc inglorium putet, quo se prior Dominus gloriæ præsignavit? Merito Paulus gloriatur in eo, dicens: *Ministri Christi sunt, et ego*. Et addit: *Ut minus sapiens dico, plus ego. In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter* (*II Cor. xi, 23*). O præclarum **420** ministerium! Quo non id gloriosius principatu? Si gloriari oportet, forma tibi sanctorum præfigitur, Apostolorum proponitur gloria. Parvane tibi illa videtur? Quis mihi tribuat similem fieri in gloria sanctorum? Clamat propheta: *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus; nimis confortatus est principatus eorum* (*Psal. cxxxviii, 17*). Clamat Apostolus: *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi!* (*Galat. vi, 14*.)

Moguntina reservat. Vide Serarium loco citato, mihi pag. 723, ubi alia quædam symbolica de rota adfert, et de vitæ brevitate ac fortunæ volubilitate non abs re philosophatur.

12. Hoc gloriaris opto semper optimo genere gloriæ, quod Apostoli, quod Prophetæ delegere sibi, transmisere [al. reliquere] tibi. Agnosce hæreditatem tuam in Christi cruce, in laboribus plurimis. Felix qui dicere potuit : *Plus omnibus laboravi* (I Cor. xv, 40). Gloria est, sed nil in eâ inane, nil molle, nil resupinum. Si labor terret, merces invitet. Unusquisque enim secundum suum laborem mercedem accipiet. Et si ille plus omnibus laboravit, non tamen totum elaboravit, et adhuc locus est. Exi in agrum Domini tui, et considera diligenter, quantis hodieque de veteri maledicto silvescat spinis ac tribulis. Exi, inquam, in mundum : ager est enim mundus, isque creditus tibi. Exi in illum, non tanquam dominus, sed tanquam villicus, videre et procurare unde exigendus es rationem. Exi [al. add. autem], dixerim, quibusdam tuæ passibus intentæ sollicitudinis, et sollicitæ intentionis. Neque enim ipsi qui jussi sunt ire in orbem universum, orbem circumierunt præsentia corporis, sed mentis providentiâ. Et tu leva oculos quosdam considerationis tuæ, et vide regiones, si non sunt magis siccæ ad ignem, quam albæ ad messem. Quam multæ, quas putaveras fruges, diligenter inspectæ, vepres potius apparebunt? Imo ne vepres quidem : annosæ et veterinosæ arbores sunt, sed non profecto fructiferæ ; nisi forte glandium aut siliquarum, quas porci manducant. Quousque occupant terram? Nonne, si exis et cernis ista, pudebit otiosam jacere securim ; pudebit sine causa falcem apostolicam accepisse?

13. In hunc quondam agrum Isaac patriarcha exierat, cum primum Rebecca occurrit ei : et, ut Scriptura habet, *Exierat ad meditandum* (Gen. xxiv, 62). Ille ad meditandum, tu ad extirpandum egrediari necesse est. Tibi jam præcessisse meditatio debet : tempus faciendi præ manibus. Si nunc hæsitare [al. cogitare] incipias, id quidem sero. Ante, juxta consilium Salvatoris, sedisse debueras, ante æstimasse opus, metiri vires, ponderasse sapientiam, merita comparasse, sumptus computasse virtutum. Age ergo, puta tempus putationis [adesse, si tamen meditationis prævit]. Si cor movisti, movenda jam lingua, movenda est et manus. Accingere gladio tuo, gladio spiritus, quod est verbum Dei (Ephes. vi, 17). Glorifica manum et brachium dextrum in faciendo vindictam in nationibus, increpationes in populis, in alligando reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis. Si hæc facis, honorificas ministerium tuum, et ministerium te. Non mediocris iste principatus. Exturbare est hoc malas bestias a terminis tuis, quo greges tui securi in pascua educantur. Domabis lupos, sed ovibus non dominaberis. Pascendas utique, non premendas sucepsisti. Si bene considerasti quis sis, hæc te oportere facere non ignoras. Porro scienti et non facienti, peccatum est tibi (Jacobi iv, 17). Non es oblitus ubi legeris : *Servus sciens voluntatem domini sui, et non faciens* [al. add. digna], *plagis vapulabit multis* (Luc. xii, 47). Sic Prophetæ, sic Apostoli facitabant. Fortes

A fuere in bello, non molles in sericis. Si filius es Apostolorum et Prophetarum, et tu fac similiter. Vindica tibi nobile genus similibus moribus ; quod non aliunde nobile, quam morum ingenuitate, et fidei fortitudine sit. Per hanc vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt reprimissiones (Hebr. xi, 35). Hoc chirographum paternæ tuæ hæreditatis, quod tibi evolvimus, ubi inspicias portionem [al. add. substantia] quæ te contingit. Induere fortitudinem, et hæreditasti. Posside fidem, posside pietatem, posside sapientiam, sed sapientiam sanctorum (ipsa est timor Domini), et habes quod tuum est. Habes sine defraudatione integrum paternum fundum. Pretiosissimus fundus virtus est. Bonus fundus humilitas in quo **421** omne ædificium spirituale constructum crescit in templum sanctum in Domino. Per hanc nonnulli possedere etiam portas inimicorum. Quæ enim virtutum æque potest dæmonum omnem debellare superbiam, tyrannidem hominum? Cæterum cum omni indifferenter personæ hæc sit quædam turris fortitudinis a facie inimici ; nescio quo pacto tamen vis ejus major in majoribus, et in clarioribus clarior comprobatur. Nulla splendidior gemma, in omni præcipue ornatu summi Pontificis. Quo enim celsior cæteris, eo humilitate apparet illustrior et se ipso.

#### CAPUT .VII.

*Resumens priorem quæstionem, quis sit, diligentius expendit.*

15. Arguar forsitan, quod non satis primis explicitis partibus, in secundas nescio quomodo stilus excurrerit, describere inchoans qualem te oporteat esse, cum necdum, quis sis, plenius expressisset. Credo erubescens in summo positum apice videri hominem nudum, festinavit induere insignibus suis. Absque his nempe eo deformior, quo illustrior pares. Nunquid potest abscondi civitatis supra montem positæ desolatio, aut latere fumus lucernæ extinctæ super candelabrum? Simia in tecto, rex fatuus in solio sedens. Et nunc audi canticum meum, et quidem minus suave, sed salutare. Monstruosa res gradus summus, et animus infimus : sedes prima, et vita ima ; lingua magniloqua, et manus otiosa ; sermo multus, et fructus nullus ; vultus gravis, et actus levis ; ingens auctoritas, et nutans stabilitas. Admovi speculum : foedus se in eo vultus agnoscat : tu tuum gaude dissimilem inveniri. Inspice tamen et tu, ne forte, etsi sit unde merito placeas tibi, etiam in quo debeas displicere, non desit. Volo gloriaris testimonio conscientie tuæ, sed non minus ut eodem ipso humilieris. Rara vox, *Nihil mihi conscius sum* (I Cor. iv, 4). Cautior in bonis ambulas, si et mala non lateant. Quamobrem, ut dixi, noveris te, ut inter angustias quæ non desunt, fruaris conscientie bono ; magis autem ut scias quid desit tibi. Nam cui non desit? Omnia illi desunt, qui nihil sibi desse putat. Quid si summus Pontifex sis? Numquid quia summus Pontifex, ideo summus? Infimum noris esse, si summum putas. Quis summus? Cui addi non possit.



Graviter erras, si te illum existimes. Absit. Non tu de illis es qui dignitates virtutes putant. Tibi ante experta virtus, quam dignitas fuit. Augustis relicto illam sententiam, aliisque, qui divinis [al. divis] coli honoribus non timuerunt: verbi gratia, Nabuchodonosor, Alexandro, Antiocho, Herodi. Tu vero considera non consummatione summum te dici, sed comparatione. Nec me putes comparationem dicere meritorum, sed ministeriorum. Sic te existimet homo, ut ministrum Christi, et (quod absque præiudicio sanctitatis cuiuspiam dixerim) summum plane inter ministros. Alias niti te ad summam velim, non putare summum, aut velle putari antequam sis. Nam quomodo proficis, si jam sufficis tibi? Non sit proinde tibi aut pigrum vestigare quid desit, aut fateri quod desit verecundum. Loquere et tu voce antecessoris tui, *Non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim*: et rursus, *Ego me non arbitror comprehendisse* (Philip. III, 12, 13). Hæc scientia sanctorum: hæc longe ab illa quæ inflat. Hanc qui apponit, apponit et dolorem (Eccle. I, 18): sed dolorem hunc nemo unquam sapiens subterfugit. Est quippe medicinalis dolor, per quem stupor ille lethalis animi duri et pœnitentis extunditur. Et ideo sapiens, qui dicere potuit: *Et dolor meus in conspectu meo semper* (Psal. XXXVII, 18). Nunc jam repetendæ reliquiæ, si quæ sunt, loci illius, a quo paulo ante divertimus.

#### 422 CAPUT VIII.

*De pontificiæ dignitatis et potestatis excellentia disserit.*

15. Age, indagemus adhuc diligentius qui [al. quis] sis, quam geras videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, summus Pontifex. Tu princeps episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Tu es cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem et alii cœli janitores, et gregum pastores: sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius utrumque præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos: tibi universi crediti, uni unus (20). Nec modo ovium, sed et pastorum tu unus omnium pastor. Unde id probem quæris? Ex verbo Domini. Cui enim, non dico episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolute et indiscrete totæ commissæ sunt oves? *Si me amas, Petre, pasce oves meas* (Joan. XXI, 15). Quas? illius vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certi [al. certe] regni? *Oves meas*, inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur

(20) Magis arridet hæc lectio quam alia apud Vossium: *Tibi universos crediti uni unus.*

(21) Nec placet ista lectio, ex codice Nicolai V, in *partem sollicitudinis vel potestatis, subditæ tamen tibi; tu in plenitudinem potestatis vocatus es*; quæ verba,

nihil. Et forte præsentibus cæteri condiscipuli erant, cum committens uni, unitatem omnibus commendaret in uno grege et uno pastore, secundum illud: *Una est columba mea, formosa mea, perfecta mea* (Cantic. VI, 8). Ubi unitas, ibi perfectio. Reliqui numeri perfectionem non habent, sed divisionem, recedentes ab unitate. Inde est quod alii singuli singulas sortiti sunt plebes, scientes sacramentum. Denique Jacobus, qui videbatur columna Ecclesiæ, una contentus est Hierosolyma, Petro universitatem cedens. Pulchre vero ibi positus est suscitare semen defuncti fratris, ubi occisus est ille: nam dictus est frater Domini (Galat. I, 19). Porro cedente Domini fratre, quis se alter ingerat Petri prærogativæ?

16. Ergo, juxta canones tuos, alii in partem sollicitudinis (21), tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus: tua extenditur et in ipsos, qui potestatem super alios acceperunt. Nonne, si causa exstiterit, tu episcopo cœlum claudere, tu ipsum ab episcopatu deponere etiam et tradere satanæ potes? Stat ergo inconcussum privilegium tuum tibi tam in datis clavibus, quam in ovibus commendatis. Accipe aliud, quod nihilominus prærogativam [al., ipsum] confirmat tibi. Discipuli navigabant, et Dominus apparebat in littore; quodque jucundius erat, in corpore redivivo. Sciens Petrus quia Dominus est, in mare se misit, et sic venit ad ipsum, aliis navigio pervenientibus (Joan. XXI). Quid istud? Nempe signum singularis pontificii Petri, per quod non navem unam, ut cæteri quique suam, sed sæculum ipsum susceperit gubernandum. Mare enim sæculum est; naves, Ecclesiæ. Inde est quod altera vice instar Domini gradiens super aquas, unicum se Christi vicarium designavit (22), qui non uni populo, sed cunctis præesse deberet: siquidem *aquæ multæ, populi multi* (Apoc. XVII, 15). Ita cum quisque cæterorum habeat suam, tibi una commissa est grandissima navis; facta ex omnibus ipsa universalis Ecclesia, toto orbe diffusa.

#### CAPUT IX.

*Propriæ naturæ considerationem commendat.*

17. En quis es. Sed noli oblivisci etiam quid? Nam et ego non sum oblitus, id me promississe repetiturum in opportunitate. Quam opportune cum eo qui es, etiam quod ante eras, consideras! Quid dico, eras? Et nunc es. Quid desinas intueri, quod non desisti esse? Una sane consideratio est, quid fueris, et quid sis: nam quis sis factus, altera. Non oportet ut ista extundat 423 illam in scrutinio tui. Es enim, ut dixi, adhuc quod eras: et non minus hoc es, quam quod factus es post, forte et magis. Denique illud natus es, mutuatus hoc, non in hoc mutatus. Non rejectum illud, sed istud adjectum. Tra-

*vel potestatis, subditæ tamen tibi, aliis omnibus desunt.*

(22) Et tamen Bernardus episcopus etiam Christi vicarios appellat in opusculo sequenti, num 56. Vide notas ibi ad num. 51 et ad epist. 183.

ctemus utrumque simul : nam, ut præfatum me memini, collatæ ex invicem ambæ res utiliores fient. Dixi supra consideranti quid sis, naturam occurrere, qua es homo : nam homo natus es. Porro percunctanti quis, personæ respondebitur nomen, quod es episcopus : quod quidem factus, non natus es. Quid tibi horum videtur ad purum esse tui, et ad te principalius pertinere? quod factus, an quod natus? Nonne quod natus? Hoc ergo consulo consideres[al., considera] maxime, quod maxime es, hominem videlicet, quod et natus es.

18. Nec modo quid natus, sed et qualis natus, oportet attendas, si non vis tuæ considerationis fructu et utilitate fraudari. Tolle proinde nunc hæreditaria hæc perizomata ab initio maledicta. Dirumpe velamen foliorum celantium ignominiam, non plagam curantium. Dele fucum fugacis honoris hujus, et male coloratæ nitorem gloriæ, ut nude nudum consideres, quia nudus egressus es de utero matris tuæ (Job. 1, 21). Nunquid infulatus? numquid micans gemmis, aut floridus sericis, aut coronatus pennis, aut suffarcinatus metallis? Si cuncta hæc, veluti nubes quasdam matutinas, velociter transeuntes et cito pertransituras, dissipas et exsuffles a facie considerationis tuæ, occurret tibi homo nudus, et pauper, et miser, et miserabilis; homo dolens quod homo sit, erubescens quod nudus sit, plorans quod natus sit, murmurans quod sit; homo natus ad laborem (Ibid. v, 7), non ad honorem; homo natus de muliere, et ob hoc cum reatu; brevi vivenstempore, ideoque cum metu; repletus multis miseriis (Ibid. xiv, 4), et propterea cum fletu. Et vere multis, quia corporis et animæ simul. Quid enim calamitate vacat nascenti in peccato, fragili corpore, et mente sterili? Vere ergo repletus, cui infirmitas corporis, et fatuitas cordis cumulatur traduce sordis, mortis addictione. Salubris copula, ut cogitans te summum Pontificem, attendas pariter vilissimum cinerem non fuisse, sed esse. Imitetur cogitatio naturam; imitetur et, quod dignius est, Auctorem naturæ, summa imaque consocians. Nonne natura in persona hominis vili limo vitæ spiraculum colligavit? Nonne Auctor naturæ in sui persona Verbum limumque contempavit? Ita tibi sume formam tam de nostræ concretionis originis, quam de sacramento redemptionis: D ut altus sedens, non alta sapiens sis, sed humilla de te sentiens, humilibusque consentiens.

#### CAPUT X.

*Tertium membrum considerationis sui, nempe Qualis sit, exponit.*

19. Proinde si consideras quantus es, cogita etiam qualis et maxime. Hæc te sane consideratio tenet in te; nec a te avolare sinit, non ambulare in magnis, neque in mirabilibus super te. In te consistito. Non infra dejici, non attolli supra, non evadere in longius, non extendi in latius. Tene medium, si non vis perdere modum. Locus medius tutus est. Medium sedes modi, et modus virtus. Omnem extra modum mansionem [al., habitationem], sapiens exsilium re-

putat. Propterea non est illi habitare in longo, quod ultra modum sit : sed ne in lato quidem quod extra sit : porro nec in alto vel imo, quod alterum supra, alterum infra sit. Denique et longitudo exterminium habere solet, et dilatatio scissuram, et altitudo ruinam, et profundum absorptionem. Dico hæc planius, ne me putes ea loqui quæ Apostolus comprehendere hortatur cum omnibus sanctis, longitudinem, latitudinem, sublimitatem, et profundum, (Ephes. III, 18) : quod alterius erit et disputationis, et temporis (Infra lib. v, capp. 13, 14). Nunc autem longum dico, cum sibi homo longiorem promittit vitam; latum, cum in superfluas animus distenditur curas; altum, cum de se plus præsumit; profundum, cum se plus dejicit. Qui ergo longa sibi metitur **B 424** tempora, nonne vere ingreditur iter exterminii, transiens vitæ terminos productiori sollicitudine? Inde est, quod homines in præsentia a sese exsules per oblivionem, in alia per inanem sollicitudinem migrant sæcula, non profutura, imo nec futura. Similiter animus distentus in multa, multis laceretur curis necesse est. Nempe immoderata extensio extenuationem, et extenuatio nimia scissionem facit. Jam vero alta præsumptio, quid nisi ruinosam præcipitatio est? Legisti namque, *Ante ruinam exaltatur cor* (Prov. xviii, 12). Quid e regione nimie pusillanimitatis dejectio, nisi desperata quædam absorptio est? In hanc fortis non dejicietur. Prudens longioris vitæ non abducetur incerto. Modestus moderabitur curas, temperabit a superfluis, non deerit necessariis. Porro justus altiora se non præsumet, sed loquetur cum justo : *Si justus fuero, non levabo caput* (Job. x, 15).

#### CAPUT XI.

*Serium examen sui Pontifici serio commendat.*

20. Tu ergo in hac consideratione tui caute ambules, et tota æquitate verseris, ut nec plus vero tibi tribuas, nec plus justo parcas. Porro plus vero tribuis, non modo arrogando tibi quod non habes bonum, sed et quod habes adscribendo. Vigilanter discerne, qualis ex te, et qualis sis dono Dei; et non sit in spiritu tuo dolus. Erit autem, nisi fideliter partiens, tua tibi, et quæ sunt Dei, Deo sine fraude resignes. Ex te mala, bona a Domino esse, persuasum tibi non ambigo. Sane inter considerandum qualis sis, etiam qualis fueris ad memoriam revocandum. Conferenda posteriora prioribus. Profece- risne in virtute, in sapientia, in intellectu, in suavitate morum; an ab his forte (quod absit!) defeceris. Patientior sis, an impatientior solito, iracundior leniorne, insolentior an humilior, affabilior an austerior, exorabilior an difficilior, pusillior animo an magnanimior, serius magis an plusculum dissolutus, timorator an forte fidentior quam oportet. Quam latus tibi patet campus in hoc genere considerandi! Memoro ego pauca, veluti quædam seminaria proferens; non tamen ipse serens, sed dans semen serenti. Oportet innotescat tibi zelus tuus, clementia tua, discretio quoque moderatrix earumdem virtu-

tum, qualis videlicet in donandis injuriis, qualis sis in ulciscendis, quam in utroque providus modi, loci, temporis observator. Prorsus consideranda tria hæc in usu virtutum harum; ne non sint virtutes, si præter hæc reperiantur: nempe ejusmodi, non natura virtutes, sed usus facit. Nam ex se indifferentes esse noscuntur. Tuum est, aut abutendo et confundendo facere vitia; aut bene ordinateque utendo, virtutes. [Solent discretionis oculo caligante alterutrum sibi præripere loca, terminos occupare. Porro caliginis duæ sunt causæ, ira et mollior affectus. Is iudicii censuram enervat, illa præcipitat. Quomodo ab altero non periclitetur, aut pietas clementiæ, aut zeli rectitudo? Turbatus præ ira oculus clementer nil intuetur; suffusus fluxa quadam et muliebri mollitie animi rectum non videt. Non eris innocens, si aut punias eum cui forte parcendum esset, aut parcas ei qui fuerat puniendus.]

## CAPUT XII.

*Neque in prosperis animum nimis laxandum, neque in adversis deficientum.*

21. In tribulationibus quoque qualem te inveneris nolo dissimules. Si constantem in tuis, condolentem in alienis gaude. Recti cordis hoc; e regione perversissimi, si cum in propriis deprehendaris fortasse impatiens, minime tamen in alienis compatiens sentiaris. Quid in prosperis? nihilne est quod considerationem sollicitet? Est utique si diligenter attendas, quam rarus semper exstiterit, qui non vel modice in prosperitate animum relaxaverit a sui custodia et disciplina. **425** Quando hæc incautis non fuit ad disciplinam, quod ignis ad ceram, quod

(25) Nugas et otiosas fabulas facessere jubet ab ore sacerdotis, quidni Pontificis? Seriis tantum et utilibus id patere vult, nempe Evangelio consecratum, nec vano sermone (quamvis alio eum urbani nomine colorent) profanandum. Simile prorsus priscae et rigidae virtutis exemplum reliquit B. Petrus Damiani, qui tedium vitæ publicæ, et desiderium quietis ac solitudinis, vel hinc accepisse, vel certe acuisse videtur, quod illi cum moribus, facetiis, jocis, vel (ut verbo Bernardi utar) *nugis* curialium minus conveniret. Audiamus ipsum in epistola qua se apud pontificem et cardinales ob demissum episcopatum Ostiensem excusat, « Fuit, fuit olim, inquit, sed jam elapsum est tempus, ut modestiæ pudor, mortificationis insigne, digna severitas et sacerdotalis genii valeat censura servari. Nam ut me solum digne coarguam, videtis ipsi, quia protinus ut ad vos venio, ecce sales, ecce faceliæ, ecce lepores, urbanitates, dicacitates, volumina quæstionum, omnesque verborum inanium pestes insolenter erumpunt, quæ nos non jam sacerdotes, sed potius oratores ac rhetores, sive, quod inhonestum est, scurras ostendunt. Mox enim, ut verba conserimus, paulatim quædam lenocinia confabulationis alternæ surrepunt, quæ omnem animi rigorem indecenter emolliant, et severitatis robur in excussum risum, et turpia joca dissolvant. Hinc est, quod mens extra se sparsa confunditur, acies cordis obtunditur, lux divini amoris extinguatur, terror in alios et reverentia sacerdotalis amittitur, et, quod periculosius est, recte vivendi linea, quæ aliis ad exemplum proponenda fuerat, non tenetur. Quod si nos, vel pudore, vel metu, in hæc declinare contemnimus, mox inhumani, rigidi, et

solis radius ad nivem vel glaciem? Sapienter David, sapientior Salomon fuit: sed blandientibus nimis secundis rebus alter ex parte, alter ex toto desipuit. Magnus qui incidens in adversa, non excidit vel parum a sapientia: nec minor cui præsens felicitas si arrisit, non irrisit. Quanquam facilius inveneris qui sapientiam retinuerunt, contraria sibi fortuna, quam qui propitia non perdidit. Præferendus ille et magnus [al., magnis] est, cui inter prospera saltem risus indecentior, aut [sermo insolentior, aut immoderatio] cura vestis vel corporis non irrepsit.

## CAPUT XIII.

*Ab otio et nugis vanisque sermonibus Pontificem dehortatur.*

22. Etsi recte Sapiens hortatur sapientiam scribi in otio (*Eccl. xxxviii, 25*), cavendum et in otio otium est. Fugienda proinde otiositas, mater nugarum, noverca virtutum. Inter sæculares nugæ, nugæ sunt; in ore sacerdotis, blasphemiarum (23). Interdum tamen si incidant ferendæ fortassis; referendæ nunquam. Magis interveniendum caute et prudenter nugacitati. Prorumpendum sane in serium quid, quod non modo utiliter, sed libenter audiant et supersedeant otiosis. Consecrasti os tuum Evangelio: talibus jam aperire illicitum, assuescere sacrilegium est. *Labia sacerdotis, ait, custodiunt scientiam et legem requirunt de ore ejus (Malach. ii, 7)*: non nugas profecto vel fabulas. Verbum scurrile quod faceti urbanive nomine colorant, non sufficit peregrinari ab ore: procul et ab aure relegandum. Fœde ad cachinnos moveris, fœdius moves. Porro detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixerim.

quos Hyrcanæ genuerint tigres, saxei judicamur. Reprimo calamum, nam ut turpiores atroxantur incipiæ, pudore suffundor. Videlicet venatus, aucupium, alearum insuper furia, vel scæcorum, etc. Ita ille: ubi vides quam belle Bernardo consentiat, et quales in sacerdotibus nugas detestetur: quas hodie multi ecclesiasticorum, nedum prælatorum, adeo, non censent cum Bernardo blasphemias, ut ne quidem veniales culpas existiment.

Quam hic Bernardus Eugenio cavendam monet vaniloquii culpam, eam alius olim sanctissimus Pontifex Gregorius, proposito sui exemplo, velut ipse reus, graviter et pathetice reprehendit. Nam dum expendens verba Ezech., *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel*, onus vocationis suæ ponderat, in hæc verba prorumpit, quæ merito etiam corda nostra percellant. Pauca nos excerpemus, tu integra suo loco lege homil. ii in Ezech. « O quam dura mihi sunt ista quæ loquor! quia memetipsum loquendo ferio... qui otiosis verbis sæpe implicor, et ab [exhortatione] atque ædificatione proximorum torpens et negligens cesso! Qui in conspectu Dei factus sum mutus et verbosus: mutus in necessariis, verbosus in otiosis, etc..... Et quidem in monasterio positus, valebam et ab otiosis linguam restringere, et in intentione orationis pene continue mentem tenere. At postquam cordis humerum sarcinæ pastoralis supposui, colligere se ad semetipsum assidue non potest animus, quia ad multa partitur.... quia autem necessitate loci sæpe viris sæcularibus jungor; nonnunquam mihi linguæ disciplinam relaxo. Nam si in assiduo censurae meæ rigore me teneo, scio quia ab infirmioribus fugior,

## CAPUT XIV.

*Personarum acceptionem in judiciis summopere vitandam.*

25. De avaritia non est quod tuum fatigem intuitum (24), cum pecuniam tanquam paleam dicaris habere. Non prorsus, non est quod pro illa timeatur a judiciis tuis. Sed est quod non minus sæpe, nec noxie minus insidiari judicantibus solet : de quò maxime, quid in tua lateat conscientia, latere te nolim. Quid illud sit quæris? Acceptio personarum. Non parvi te reum peccati existimes, si facies peccatorum sumis et non potius causas dijudicas meritum. Est item vitium, cujus si te immunem sentis, inter omnes quos novi ex his qui cathedras

A ascenderunt, sedebis me iudice solitarius : quia veraciter singulariterque levasti te supra te, juxta prophetam. (*Thren. III, 28*). Facilitas credulitatis hæc est, cujus callidissimæ vulpeculæ magnorum neminem comperi satis cavisse versutias. Inde eis ipsis pro nihilo iræ multæ, inde innocentium frequens addictio, inde præjudicia in absentes. Gratulor autem tibi : nec enim assentationis apud te vereor incurrere notam : gratulor, inquam, præsidere te usque adhuc absque horum omnium querela multa : an et sine culpa, tu videris. Nunc ad ea quæ sub te sunt, consideratio intendenda. At alterius principii hoc : siquidem tuis occupationibus sermo brevior competentior est.

## LIBER TERTIUS.

## 426 CAPUT PRIMUM.

*Pontificis esse, non tam ut omnes suo dominio subji-  
ciat, sed ut omnes, quantum fieri potest, ad Eccle-  
siae gremium perducatur.*

1. Finis superioris libri huic principium ponit. Itaque juxta promissum illius consideranda quæ sub te sunt. Quænam sint illa, non est quod a me quærendum putes, sacerdotum optime Eugeni ; rectius fortasse quæ non sint quæras. Orbe exeundum ei qui forte volet explorare quæ non ad tuam pertinent curam. Parentes tui destinati sunt non aliquas regiones, sed ipsum debellaturi orbem : *Ite in orbem universum* (*Marc. XVI, 15*), dictum est illis. Ipsi vero vendentes tunicas, emere gladios, ignitum eloquium et spiritum vehementem, arma potentia Deo. Quo non pervenerunt victores inclyti, filii excussorum? Quo non sagittæ potentium acutæ cum carbonibus desolatoriis? (*Psal. CXIX, 4*.) Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal. XVIII, 5*) (25). Pene-

B trabant et incendebant verba illa incensa igni, quem Dominus misit in terram (*Luc XII, 49*). Occumbebant strenuissimi bellatores, sed non succumbebant : triumphabant et mortui. Nimis confortatus est principatus eorum (*Psal. CXXXVIII, 17*) : constituti sunt principes super omnem terram (*Psal. XLIV, 17*). Eis tu successisti in hæreditatem. Ita tu hæres et orbis hæreditas. At quatenus hæc portio te contingit, aut contigerit illos, id sobria consideratione pensandum. Non enim per omnem reor modum, sed sane quodam tenus (ut mihi videtur) dispensatio tibi super illum credita est, non data possessio. Si pergis usurpare et hanc, contradicit tibi qui dicit : *Meus est orbis terræ et plenitudo ejus* (*Psal. XLIX, 12*). Non tu ille de quo propheta : *Et erit omnis terra possessio ejus* (*Psal. CIII, 24*). Christus hic est, qui possessionem sibi vindicat, et jure creationis, et merito redemptionis, et dono Patris. Cui enim alteri dictum est, *Postula a me, et dabo tibi gentes hæredi-*

eosque ad hoc quod appeto, nunquam traho. Unde sit, ut eorum sæpe et otiosa patienter audiam. Sed quia ipse quoque infirmus sum, in otiosis sermonibus paulisper tractus, libenter ea loqui incipio, quæ audire cœperam invitus. Et ubi lædebat cadere, libet jacere, etc. S. Ambrosius ubi de officiis agit, jocandi disciplinam a sæcularibus viris tradi solitam, sibi prætereundam arbitratur. *Nam licet interdum, inquit, honesta joca ac suavia sint, tamen ab ecclesiastica abhorrent regula.* Lib. I, cap. 23.

Sacros sane oratores, qui, ut verbis Bernardi utar, consecrarunt os suum Evangelio, hic cautos esse par est, ne ad nugas et ludicra, tum privatum, tum publice defluant. Irascor concionatoribus, qui pro suggestu jocos subinde seu facetias et lepidas fabellas proferunt, quales etiam in quibusdam recens editis cujusdam Religiosi concionibus exstare video. Legant illi Chrysostomum in cap. 5 Epist. ad Ephes., ubi ostendit, quam sit Christianæ gravitati conveniens, ridiculis abstinere, quæ qui legerit, inquit Carolus Regius soc. Jesu in Oratore Christiano, non poterit non mirari, quantum plerique Christiani populi oratores ab ea gravitate distent, quam ille vir sapientissimus jure ab ipso populo exigebat, ubi deinde

præsentem Bernardi locum iis inculcat. Qui proinde prudenter monet, concionatori fugiendum modum agendi, magis aulicis, quam religiosi viris convenientem, et eorum, qui magis spiritu hujus mundi, quam spiritu Dei vivunt, proprium : magisque sapit mores quosdam, quos hodie politicos vocamus, quam simplicitatem evangelicam. Ex hoc genere est, inquit, levis et juvenilis in familiari usu libertas, sub prætextu hilaris et lætioris cujusdam conversationis, ridicula dicta et facta, et lepidas historias intermiscendi, ut hoc modo amicos et viros nobiles familiaribus colloquiis detineant. Ita scriptor ille, ad formandum sacrum oratorem perquam idoneus, dignusque qui versetur in omnium Concionatorum manibus. Lib. II, cap. 16.

(24) Vossius notat in quibusdam legi *animam*. Sed explicatio est cujusdam scioli. *Intuitum* scripsit Bernardus pro consideratione de qua totus liber. Nec id notare esset operæ pretium, nisi ob similes locos, ut libro III, n. 16, pro *sanguinem*, quidam codices apud Vossium habent *animam*, quod glossema est.

(25) Non tam præsentia corporis, quam mentis providentia, supra in lib. II, n. 12.

tatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ (Psal. II, 8). Possessionem et dominium cede huic : tu curam illius habere. Pars tua hæc : ultra ne extendas manum.

2. Quid, inquis? non negas præesse et dominari vetas? Plane sic. Quasi non bene præsit, qui præest in sollicitudine. Numquid non et villa villico et parvus dominus subjectus est pædago? Nec tamen villæ illæ, nec is sui domini dominus est. Ita et tu præsis ut provideas, ut cõsulas, ut procures, ut serves. Præsis ut prosis; præsis ut fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. Ad quid? Ut des illis escam in tempore (Matth. xxiv, 45); hoc est, ut dispenses, non imperes. Hoc fac et dominari ne affectes hominum homo, ut non domineatur tui omnis injustitia. At satis superque id intimatum supra, cum, quis sis, disputaretur. Adde tamen et hoc : nam nullum tibi venenum, nullum gladium plus formido, quam libidinem dominandi. Certe ut multum tibi tribuas, si multum deceptus non es, nil te existimas plus accepisse a magnis Apostolis. Recordare nunc vocis illius : *Sapientibus et insipientibus debitor sum* (Rom. I, 14). Et si non indebitam tibi ipsam censes, hoc quoque simul memento, debitoris molestum nomen servienti potius, quam dominantis congruere. Servus in Evangelio audit : *Quantum debes domino meo?* (Luc. xvi, 5.) Ergo si te agnoscis sapientibus et insipientibus non dominatorem, sed debitorem, curandum summopere tibi et tota vigilantia considerandum, quomodo et qui non sapiunt sapiant et qui desipere resipiscant. At nullum genus insipientiæ infidelitate, ut sic loquar, insipientius. Ergo **427** et infidelibus debitor es, Judæis, Græcis [al. omit. Græcis] et Gentibus.

3. Interest proinde tua, dare operam quam possis, ut increduli convertantur ad fidem, conversi non avertantur, aversi revertantur: porro perversi ordinentur ad rectitudinem, subversi ad veritatem revocentur: subversores invictis rationibus convincantur, ut vel emendentur ipsi, si fieri potest; vel si non, perdant auctoritatem facultatemque alios subvertendi. Non omnino et ab hoc insipientium genere pessimo tibi dissimulandum. Dico autem hæreticos schismaticosque : nam hi sunt subversi, et subversores; canes ad scissionem, vulpes ad fraudem. Erunt, inquam, hujusmodi maxime tuo studio aut corrigendi, ne pereant; aut ne perimant, coercendi. Estio, de Judæis excusat te tempus: habent terminum suum qui præveniri [al., præteriri] non poterit. Plenitudinem gentium præire oportet. Sed de ipsis gentibus quid respondes? Imo quid tua consideratio respondet tibi percunctanti sic? Quid visum est patribus ponere metam Evangelio, verbum suspendere fidei, donec infidelitas durat? Qua ratione, putamus, substitit velociter currens sermo? (Psal. cxlvi, 15.) quis primus inhibuit hunc salutarem cursum? Et

(26) Henriciani et Colonienses hæretici parvulos a baptismo exclusos volebant, de quibus in epistola 241, et in sermonibus 65 et 66 super Cantica. An

illis causa forte quam nescimus, aut necessitas potuit obstitisse.

4. Nobis quæ dissimulandi ratio est? Qua fiducia, qua conscientia Christum non vel offerimus eis qui non habent? An veritatem Dei in injustitia detinemus? Et quidem quandoque perveniat gentium plenitudo necesse est. Exspectamus ut in eas incidat fides? Cui credere casu contigit? Quomodo credent sine prædicante? (Rom. x, 14.) Petrus ad Cornelium, Philippus ad eunuchum missi sunt (Act. x, 20, et viii, 26), et, si exemplum recentius quæremus, Augustinus a beato Gregorio destinatus, formam fidei tradidit Anglis. Et de his tu ita tecum. Ego addo et de pertinacia Græcorum, qui nobiscum sunt, et nobiscum non sunt, juncti fide, pace divisi, quanquam et in fide ipsa claudicaverint a semitis rectis. Et item de hæresi, quæ clam pene ubique serpit; apud aliquos sævit palam. Nam parvulos Ecclesiæ passim et publice deglutire festinat (26). Quæris ubi sit hoc? Vestri [al., viri], qui terram Austri tam sæpe visitant, ecce hi sciunt et possunt dicere tibi. Eunt et redeunt per medium illorum, aut transeunt secus: sed quid boni adhuc cum illis egerint, necdum audivimus. Et forsitan audissemus, nisi præ auro Hispaniæ salus populi viluisset. Tuum est et plagæ huic remedium providere.

5. Sed est insipientia, quæ ipsam quoque jam propemodum stultam fecit sapientiam fidei. Quomodo et ipsam Catholicam pene totam hoc virus infecit? Nam dum et in ipsa quique quæ nostra sunt quærimus, fit ut invicem invidentes, invicem provocantes, exerceamur ad odia, animemur ad injurias, armemur ad lites, cavillemur ad dolos, feramur ad detractiones, prorumpamus ad maledicta, opprimamur a fortioribus, opprimamus infirmiores. Quam digne et laudabiliter occupatur meditatio cordis tui adversus tam pestilens insipientiæ genus, quod corpus ipsum Christi, quæ est multitudo credentium, occupasse consideras? O ambitio ambientium crux! quomodo omnes torquens, omnibus places? Nil acerbius cruciat, nil molestius inquietat; nil tamen apud miseros mortales celebrius negotiis ejus. An non limina Apostolorum plus jam ambitio, quam devotio terit? At non vocibus ejus vestrum tota die resultat palatium? An non quæstibus ejus tota legum canonumque disciplina insudat? An non spoliis ejus omnis Italica inhiat inexplibili aviditate rapacitas? Quid ita, imo quid aliud tua ipsius spiritalia studia non saltem intercidit, sed abscidit. Quoties sancta ac fecunda tua abortiri otia fecit inquietum et inquietans malum? Aliud est quod ab oppressis **428** appellatur ad te, aliud autem quod ambitio in Ecclesia per te regnare molitur. Nec deesse illis, nec huic aliquatenus assentire oportet. Quam vero inique fovetur illa, spernuntur illi! utrisque tamen debitor es, illis ut erigas, istis ut reprimas.

illi ex Aquitania in Hispaniam etiam effusi, quæ terra Austri dicitur infra, quod nobis Gallis australis sit.

## CAPUT II.

*Quis modus in appellationibus ad Sedem apostolicam adhibendus sit.*

6. Et quoniam incidit de appellationibus, prosequi aliquatenus non erit ab re. Magno in his et pio opus intuitu est; ne quod magna fuit necessitate [al. utilitate] provisum, male utendo reddatur inutile. Mihi videtur et in multam posse eas devenire perniciem, si non summo moderamine actentur (27). Appellatur de toto mundo ad te. Id quidem in testimonium singularis primatus tui. At tu, si sapis, non primatu gaudebis, sed fructu. Apostolis dictum est: *In hoc nolite gaudere, quod spiritus subjiciuntur vobis (Luc. x, 20)*. Appellatur ad te, ut dixi: et utinam tam fructuose, quam necessarie. Utinam cum oppressus clamat, sentiat oppressor, et non superbiat impius unde incenditur pauper. Quid tam decorum, ut ad invocationem tui nominis oppressi effugiant, versuti non refugiant (28)? Quid e regione tam perversum, tam recti alienum, ut lætetur qui malum fecit; et qui tulit, inaniter fatigetur? Inhumanissime non moveris erga hominem, cui illatæ injuriæ cumulavere dolorem et labor itineris, et damna expensarum: sed nihilominus ignavissime in illum non moveris, qui huic tot calamitatum partim auctor, partim exstitit causa. Evigila, homo Dei, cum hæc contingunt: moveatur miseratio, moveatur et indignatio tua. Alteram læso, alteram lædenti debes. Consoletur ille damnorum resarcitæ suorum, satisfactione injuriarum, sine calumniarum: cum isto ita agatur, ut pœniteat fecisse quod non timuit facere, et non de pœnis innocentis rideat.

7. Arbitror idem debere pati illum, qui sine causa forte appellavit. Formulam hanc justitiæ præfigit tibi et divinæ incommutabilis ratio æquitatis, et, ni fallor, ipsa appellationum lex, ut illicite usurpata appellatio nec prosit appellanti, nec appellato obsit. Ut quid enim frustra fatigatus sit homo? Quam plenum justitiæ, ut sese potius læserit, qui voluit proximum (29)? Appellasse inique, iniquum est: inique et impune, iniquarum appellationum fomes. Iniqua autem omnis appellatio, ad quam justitiæ inopia non coegit. Appellare, non ut graves, sed si graveris, licet. Appellandum a sententia. Ante sententiam improbe omnino, nisi ob manifestum gravamen, præsumitur appellatio. Qui igitur non gravatus appellat, liquet quia aut gravare intendit, aut tempus redimere. Non est autem suffugium appellatio, sed refugium. Quantos novimus appel-

A lasse pulsatos, quo interim liceret, quod nunquam licet? Nonnullis etiam, quoad vixerunt, licuisse appellationis suffragio nefaria scimus, verbi gratia, incestum, adulterium. Quale est hoc, turpitudini patrocinari, quod vel maxime formidari a turpibus oportebat? Quousque murmur universæ terræ aut dissimulas, aut non advertis? Quousque dormitas? quousque non evigilat consideratio tua ad tantam appellationum confusionem atque abusionem? Præter jus et fas, præter morem et ordinem fiunt. Non locus, non modus, non tempus, non causa discernitur, aut persona. Præsumuntur leviter passim, plerumque et nequiter. Volentes malignari, nonne his potissimum terreri solebant? Nunc terrore ipsi ex his magis fiunt, atque id bonis. Antidotum versum in venenum. Non mutatio dexteræ Excelsi hæc.

8. Appellantur boni a malis, ut non faciant bona: et supersedent a voce tonitruum tui formidantes. Denique appellantur **429** episcopi, ne illicita audeant matrimonia solvere vel prohibere. Appellantur ne rapinas, ne furtâ, ne sacrilegia, et quæ ejusmodi sunt, punire ullatenus vel cohibere præsumant. Appellantur, ne indignas et infames personas a sacris officiis beneficiisve repellere seu amovere queant. Quod tu invenis remedium morbo huic, ne quod repertum ad remedium fuit, reperitur ad mortem? Zelatus est Dominus domum orationis factam speluncam latronum (*Matth. xxi, 13*): tu ejus minister diissimulas miserorum refugium datum arma iniquitati? Videas præripi passim partes oppressorum, et prorumpere ad appellandum non tam gravatos, quam gravare volentes. Quid hoc mysterii? Tuum est considerare, non meum commentari istud. Et cur, inquis, male appellati non veniunt, ostensuri suam innocentiam, malitiam convicturi? Dico quod dicere ad hæc solent: Nolumus vexari frustra. In curia esse, qui proclivius faveant appellantibus, foveant appellationes. Cessuris Romæ, domi cedere satius.

9. Fateor me non omnino decedere (30) his. Quem das mihi in tam crebris appellationibus quæ hodie fiunt, qui pro expensis itineris vel nummum restituerit illi, quem forte appellavit? Mirum vero si ita omnes et appellantes justî, et appellati rei vestro examine inventi sint. *Diligite, inquit, justitiam, qui judicatis terram (Sap. i, 1)*. Parum est justitiam tenere, nisi et diligas. Qui tenent, tenent; qui diligunt, zelantur. Amator justitiæ inquirat justitiam, et prosequitur eam: porro omnem injustitiam

(27) De appellationum usu conferenda epistola 178 et notæ ad eam, item Hildeberti epistola 82.

(28) Id est non confugiant, ut tomo V, in sermone 1 Guerrici de Assumptione, n. 1, et alibi apud probos auctores. Inde refugium.

(29) Alii addunt lædere explicandi causa. Tum, *appellasse inique iniquum est; inique appellantem impune transire, iniquarum appellationum fomes*. Quæ lectio Vossio in textum inserenda videtur. Sed nostra constans est in mss. nostris et meo judicio melior. De appellatione prudentissime concil. Trident. Sess.

13, c. 1, *De refor.* « Cum igitur rei criminum plerumque ad evitandas pœnas, et episcoporum subterfugienda judicia, querelas et gravamina simulent, et appellationis diffugio, judicis processum impediunt, ne remedio, ad innocentiae præsidium instituto, ad iniquitatis defensionem abutantur, atque ut hujusmodi eorum calliditati et tergiversationi occurratur; ita statuit, etc. »

(30) *Discredere* habent alii, ut in epist. 158, ad Innocentium.

persequitur. Nil tibi et illis, qui appellationes venationes putant. Pudet elogii, quod apud Ethnicos jam vertitur in parabolam: Duos movimus [*al. novimus*] cervos pingues. Ut mitius loquar, plus facetiæ quam justitiæ hic. Tu si amas justitiam, appellationes non affectas, sed sustines. Verumtamen quid emolumenti affert ecclesiis Dei tua unius hominis justitia, ubi sententia prævalet aliter affectorum? At istud loci illius erit, cum cœperint versari quæ circa te sunt (*Infra*, iv, 5).

10. Nunc vero non te existimes otiose vacare considerationi huic, qua appellationes ad legitimum, si fieri potest, revoces usum. Et si hinc mea quærat vel potius curetur sententia, dico appellationes ut non contemnendas, sic nec usurpandas omnino. Porro horum quid insolentius censeam, hæud facile dixerim: nisi quod usurpatio quamdam videtur inducere contemptus necessitatem, ac per hoc forte acrius insectanda, quæ amplius nocet. Aut non vere nocentior est, mala in se, in partu pejor? Nonne ipsa est quæ ipsum jus quoque naturæ aut extenuat, aut exterminat? Nam sæpe rebus etiam pretiosissimis prelii gratiam non modo demit, sed adimit. Quid Sacramentis acceptius? Usurpata tamen ab indignis, indigne tractata, minime acceptantur. Magis habent damnationem, quia debitam venerationem non habent. Fateor grande et generale mundo bonum esse appellationes: idque tam necessarium, quam solem ipsum mortalibus. Revera quidam sol justitiæ est, prodens ac redarguens opera tenebrarum. Prorsus fovendæ et manu tenendæ sunt: sed quas extorsit necessitas, non calliditas adinvenit. Usurpatoriæ sunt hujusmodi omnes, non subvenientes in necessitate, sed opitulantes iniquitati. Quidni veniant in contemptum? Quanti ut talibus quoque deferrent, etiam de proprio cessere jure, ne longo et casso itinere fatigarentur? (31) Plures tamen sua amittere non ferentes, appellationes minus opportunas, et celsa nomina importunius contempserunt.

11. Dico aliquid, quod ad rem pertinet, exempli causa. Quidam sibi publice desponsaverat uxorem. Adest dies celebris nuptiarum, parata omnia, invitati multi. Et ecce homo concupiscens uxorem proximi sui, in vocem appellationis inopinatæ prorumpit, affirmans sibi traditam prius, suam potius esse debere [*al. add. Quid plura?*]. Stupet sponsus, hærent omnes, sacerdos non audet progredi, **430** frustratur omnis ille apparatus; descendit quisque in domum suam, suam cœnam manducaturus, sponsa a mensa et thalamo sponsi suspenditur, quousque Roma reditum est. Parisius contigit hoc, nobili Galliarum civitate, sede regia. Rursum in civitate eadem quidam sibi desponsata uxore diem constituit nuptiarum. Interim emergit calumnia, dicentibus quibusdam non debere conjungi. Ad iudicium Ec-

(31) Huc pertinent quæ dicta sunt supra num. 8: *Cessuris Romæ domi cedere satius*. In simili causa Juvenalis, satyra 8:

*Furor est post omnia perdere naulum.*

clesiæ causa delata est. sed non expectata sententia, appellatum est sine causa, sine gravamine, solo frustratoriæ dilationis intuitu. At ille, sive perdere quæ pararat, sive dilectæ tandiu frustrari consortio nolens, nihilominus quod proposuerat, contempta sive dissimulata appellatione peregit. Quid illud quod in Autissiodorensi ecclesia nuper a quodam adolescente præsumptum est? Nempe defuncto sancto episcopo (32), volentibus clericis alium, ut moris est, eligere sibi, intervenit ille appellans, et vetans ne fieret, quousque isset et redisset ab urbe: cui tamen appellationi nec ipse detulit. Nam cum videret se contemni, tanquam qui irrationabiliter appellasset; accitis quos potuit sibi, tertia die post factam ab aliis electionem, fecit suam (33).

12. Cum itaque ex his et innumeris talibus liqueat, non ex contemptu gigni usurpationem, sed ex usurpatione contemptum: videris tu, quid sibi velit, quod zelus vester assidue pene vindicat illum, istam dissimulat. Vis perfectius coercere contemptum? Cura in ipso utero pessimæ matris præfocari germen nequam. Quod ita fiet, si usurpatio digna animadversione mulctetur. Tolle usurpationem, et contemptus excusationem non habet. Porro inexcusabilitas ausum explodet. Non sit proinde usurpator, et contemptor nullus erit, aut admodum rarus. Bene facis tu, quod appellationum negato suffragio, imo suffugio, multa remittis negotia ad cognoscentes, vel qui noscere citius possunt. Ubi enim certior ac facilior notio, ibi decisio tutior expeditiorque esse potest. Quam plenum gratiæ, quam multorum perinde per hoc et laboribus parcis, et sumptibus! At quibus sic credas, id tibi omnimodis attendendum. Poteram multa de eodem utiliter addere his: sed memor propositi mei, contentus interim occasionem dedisse, ad alia transeo.

### CAPUT III.

*Præsules Ecclesiæ non tam ut præsent, ac semetipsos pascant, quam ut aliis prosint, constitutos esse.*

13. Et primum quod occurrit, minime transeundum reor. Præes, et singulariter. Ad quid? eget, tibi dico, consideratione. Numquid ut de subditis crescas? Nequaquam, sed ut ipsi de te. Principem te constituerunt, sed sibi, non tibi. Alioquin quo pacto te reputas superiorem his, a quibus beneficium mendicis? Audi Dominum: *Qui potestatem habent super eos, benefici vocantur* (*Luc. xxii, 25*). At istud de his qui foris sunt. Quid ad nos? Tu id mendaciter diceris, si non tam beneficis esse, quam beneficiis præesse intendas. Parvi dejectique animi est, de subditis non profectum quærere subditorum, sed quæstum proprium. In summo præsertim omnium nihil turpius. Tum pulchre Magister Gentium parentes filiis, non filios debere censuit thesaurizare parentibus (*II Cor. xii, 14*). Non mediocris gloriæ vox illa iden-

(32) Hugone scilicet, quem itidem sanctum suppresso nomine, vocat Bernardus, ep. 276.

(33) De toto hoc negotio fuse agit Bernardus in epistolis 275, 276 et 280.

idem ipsius : *Non requiro datum, sed fructum* (*Philip. iv, 17*). At jam transeamus et hinc, ne quis moram in his meam, avaritiæ in te notam interpretetur : quæ quam longe a te sit, libro superiori testatus sum (*cap. 4*), sciens quanta, et in quanta tua necessitate respueris. Ad te proinde scripserim ista, non propter te. Nempe quod tibi scribitur, soli prodesse non decet. Hic locus avaritiam carpit, a quo vitio immunis satis tua opinio est; an et opus, tu videris. Vidimus tamen (ut oblata a pauperibus [*al. pauperioribus*] taceam, quæ tangere non acquiescis) Germanicos detumuisse [*al. delinuisse*] saccos, **431** sed pretio, non massa. Argentum reputatum est fenum : summarii (34) non levatis sarcinis, onusti nihilominus repatriant vel inviti. Nova res. Quando hactenus aurum Roma refudit [*al. refugit*]? Et nunc Romanorum consilio id usurpatum non credimus. Duo venerunt, ambo locupletes, et ambo rei. Siquidem unus Moguntinus, Coloniensis alter (35) : alteri gratia gratis reddita est; alter, indignus credo cui gratia redderetur, audivit : Cum quali veste intrasti, cum tali egredieris. O vocem magnificam! vocem prorsus apostolicæ libertatis! Quid minus ab illa hæc habuit, *Pecunia tua tecum sit in perditionem?* (*Act. viii, 20*.) Nisi quod in illa plus zeli, in ista plus modestiæ sonuit. Quid ille de transmarinis partibus pene a finibus terræ, terra et mari currens pro episcopatu, suis et alienis facultatibus rursus emendo (36)? Jam enim emerat prius. Tulit multa, sed retulit, non omnia tamen. Incidit miser in manus alias, accipere quam dare potentiores [*al. promptiores*]. Bene fecisti, tuas in utroque servans innoxias, nec imponere scilicet ambizioso, nec supponere iniquo mammonæ acquiescens. Non sic a paupere episcopo continuisti, dans quod daret, ne immunificus notaretur : accepit clam, quod palam dedit. Sic de tuo sacco consultum est verecundiæ viri, sic quoque curiæ morem gerens, tuo beneficio invidiam declinavit eorum qui diligunt munera. Non potes abscondere : et factum novimus, et personam. Audire gravat? Et ego eo libentius prædico, quo tu id molestius audis : si tibi sic expedit, et mihi sic. Tam non oportet Christi gloriam me silere, quam nec te querere tuam. Et si pergis murmurare adhuc, respondebitur tibi ex Evangelio : *Quanto eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, dicentes : Bene omnia fecit* (*Marc. vii, 36, 37*).

(34) Summarii, equi oneriferi, vulgo *sommiers*, a summa, seu *σάγμα*, onus.

(35) Henricus I, archiepiscopus Moguntinus, gravatus suorum canonicorum calumniis, et implorans sedem apostolicam absolutus est. Scribit pro eo Bernardus epistolam 502, ad quam vide notas. Coloniensis alter, id est, Arnaldus, qui ex præposito S. Andreæ in Archiepiscopum electus anno 1138, post annos aliquot de simonia accusatus est. De hoc Arnaldo auctor Magni Chronici Belgici Canonicus reg. S. August. prope Nussiam, testatur, eum in concilio Remensi præsentem Eugenio de simonia accusatum, una cum Archiepiscopo Moguntino sententiam depositionis accepisse. Dictis vero archiepiscopis pro sua reconciliatione Romam accedenti-

## CAPUT IV.

*Gradus ordinum ac dignitatum, quæ in Ecclesia sunt, non temere confundendos ac perturbandos. Hinc abusum quærendi privilegia ac exemptiones perstringit.*

14. Audi aliud, si tamen aliud. Ad idem enim fortassis pertinere quis dicat. Tua consideratio viderit hoc. Mihi videtur non longe a vero dissentire, qui id forte inter avaritiæ species locandum putaverit. Ego vero illius aut speciem esse, aut speciem habere non negaverim. Sane inter est tuæ perfectionis, et malas res, et malas pariter species devitare. In altero conscientiæ, in altero famæ consulis. Puta tibi non licere (etsi alias fortasse liceat) quidquid male fuerit coloratum. Denique interroga majores tuos, et dicent tibi : *Ab omni specie mala abstinete vos* (*I Thess. v, 22*). Sane minister Domini Dominum imitetur, quia ipse ait : *Qui mihi ministrat, me sequatur* (*Joan. xii, 26*). Et habes de illo : *Dominus regnavit, decorem induit, induit Dominus fortitudinem* (*Psal. xcii, 1*). Tu quoque esto fortis in fide, decorus in gloria; et probasti te imitatore Dei. Fortitudo tua, fiducia fidelis conscientiæ : decor tuus, splendor bonæ opinionis. Ita, quæso, induere fortitudinem; etenim gaudium Domini fortitudo tua. Porro specie tua et pulchritudine tua nihilominus tanquam propria similitudine delectatur. Induere vestimentis gloriæ tuæ, vestire duplicibus, quibus domesticos suos fortis illa mulier induere consuevit (*Prov. xxxi, 24*). Non sit in conscientia nutans infirmitas modicæ fidei, non sit in fama nævus malæ speciei; et vestieris duplicibus, et gaudebit sponsus super sponsam animam tuam, et gaudebit super te Deus tuus. Miraris quorsum hæc, ignarus usque adhuc quid dicere velim. Non te tollo diutius. Murmur loquor et querimoniam ecclesiarum. Truncari se clamitant ac demembrari (37). Vel nullæ, vel pauçæ admodum sunt, quæ plagam istam aut non doleant, aut non timeant. Quæris quam? Subtrahuntur abbates episcopis, **432** episcopi archiepiscopis, archiepiscopi patriarchis sive primatibus. Bonane species hæc? Mirum si excusari queat vel opus. Sic factitando probatis vos habere plenitudinem potestatis, sed justitiæ forte non ita. Facitis hoc, quia potestis : sed utrum et debeatis, quæstio est. Honorum ac dignitatum gradus et ordines quibusque suos servare positi estis, non invidere,

bus, et Henrico Moguntino gratiam obtinente, Arnoldum Coloniensem reconciliationem impetrare non potuisse, cum tamen pro ea obtinenda plurima obtulisset.

(36) Hic videtur agere de Wilhelmo in Eboracensem cathedram intruso, de quo epistolæ 235, 238, et sequentes. Adde quæ de Eugenio refert Joannes Saresberiensis in Polycratici libro v, cap. 15, ubi Eugenio laudatur, quod « nullum omnino munus hominis litigantis recipiebat aut cui credebatur litem imminere. »

(37) Quales probet improbetque Bernardus exemptiones, vide hic n. 18, et confer epistolam seu opusculum II ad Henricum Senonensem, cap. 9, infra



ut quidam vestrorum ait : *Cui honorem, honorem* A  
(Rom. xiii, 7).

15. Spiritualis homo ille qui omne dijudicat, ut ipse a nemine judicetur (I Cor. ii, 15), omne opus suum trina quadam consideratione præveniet. Primum quidem, an liceat; deinde, an deceat; postremo, an et expediat. Nam etsi constet in christiana utique philosophia non decere nisi quod licet, non expedire nisi quod decet et licet : non continuo tamen omne quod licet, decere aut expedire consequens erit. Age, aptemus, si possumus, tria ipsa operi huic. At quomodo non indecens tibi voluntate pro lege uti; et quia non est ad quem appelleris, potestatem exercere, negligere rationem? Tunc major Domino tuo, qui ait : *Non veni facere voluntatem meam!* (Joan. vi. 38.) Quanquam non minus dejecti, quam elati animi est, veluti rationis expertem, non pro ratione, sed pro libitu agere; nec iudicio agi, sed appetitu. Quid tam bestiale? Et si indignum enivis utenti ratione vivere ut pecus, quis in te rectore omnium tantam contumeliam naturæ, honoris injuriam ferat? Sic degenerando, quod absit! generale opprobrium fecisti proprium tibi : *Homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, similis factus est illis* (Psal. xlviii, 13). Quid item tam indignum tibi, quam ut totum tenens, non sis contentus toto, nisi minutias quasdam, atque exiguas portiones ipsius tibi creditæ universitatis, tanquam non sint tuæ, satagas nescio quomodo adhuc facere tuas? Ubi etiam meminisse te volo parabolæ Nathan de homine, qui multas oves habens (38), unam quæ erat pauperis concupivit (II Reg. xii). Huc quoque veniat factum, imo facinus regis Achab, qui rerum summam tenebat, et unam vineam affectavit. Avertat Deus a te quod ille audivit : *Occidisti, et possedisti* (III Reg. xxi).

16. Nolo autem præendas mihi fructum emancipationis ipsius. Nullus est enim, nisi quod inde episcopi insolentiores, monachi etiam dissolutiores sunt. Quid quod et pauperiores? Inspice diligentius talium ubique libertorum et facultates, et vitas, si non pudenda admodum et tenuitas in his, et in illis sæcularitas invenitur. Matris noxiæ libertatis gemina soboles hæc. Quidni peccet licentius vagum et male liberum vulgus, cum non sit qui arguat? Quidni licentius quoque spoliatur ac deprædetur inermis religio, cum non sit qui defendat? Quo enim refugium illis? Numquid ad episcopos dolentes injuriam? Ridentibus profecto aspiciunt oculis, sive quæ faciunt mala, sive quæ patiuntur. Quæ demum utilitas in sanguine isto? Vereor ne illa, quam in propheta comminatus est Deus : *Ille, iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus æ manu tua requiram* (Ezech. iii, 18). Si enim et extollitur qui subtrahitur, et qui subtrahitur uritur [al.; murmurat]; qui subtrahit, quomodo innocens? Parum est : involvimus ignem : audi apertius. Si is qui murmu-

(38) Alias, qui centum oves habens. At parabola; II Regum xii, habet, plurimas oves. Centum a quo-

rat, secundum animam mortuus est; qui instigat, quomodo vivit? Quomodo vero non reus mortis amborum, et suæ pariter, qui gladium dedit, unde ambo morerentur? Hoc est quod dixeram : *Occidisti, et possedisti*. Adde quod qui audiunt, scandalizantur, indignantur, detrahunt, et blasphemant; hoc est, vulnerantur ad mortem. Non est bona arbor faciens fructus tales, insolentias, dissolutiones, dilapidationes, simultates, scandala, odia : quodque magis dolendum, inter ecclesias inimicitias graves, perpetueque discordias. Vides quam verus sit sermo ille : *Omnia 433 mihi licent, sed non omnia expediunt* (I Cor. x, 22). Quid si forte nec licet? Ignosce mihi : non facile adducor licitum consentire quod tot illicita parturit.

B 17. Tunc denique tibi licitum censeas, suis ecclesias mutilare membris, confundere ordinem, perturbare terminos, quos posuerunt patres tui? Si justitiæ est jus cuique servare suum; auferre cuiquam sua, justo quomodo poterit convenire? Erras, si ut summam, ita et solam institutam a Deo vestram apostolicam potestatem existimas. Si hoc sentis, dissentis ab eo qui ait : *Non est potestas nisi a Deo*. Proinde quod sequitur, *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*; etsi principaliter pro te facit, non tamen singulariter. Denique idem ait : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* (Rom. xiii, 1, 2). Non ait, Sublimiori, tanquam in uno, sed *sublimioribus*, tanquam in multis. Non ergo tua sola potestas a Domino; sunt et mediocres, sunt et inferiores. Et quomodo quos Deus conjunxit, non sunt separandi (Matth. xix, 6) : sic nec quos subjunxit, comparandi. Monstrum facis, si manui submovens, digitum facis pendere de capite, superiorem manui, brachio collateralem. Tale est si in Christi corpore membra aliter locas quam disposuit ipse. Nisi tu putas alium esse, qui posuit in Ecclesia quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios doctores et pastores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi. Atque hoc corpus, quod tibi ipse Paulus suo vere apostolico figurans eloquio, et capiti convenientissime aptans, *totum ex eo compactum* perhibet, et *connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis faciens in ædificationem sui, in charitate* (Ephes. iv, 11, 12, 16). Nec vilem reputes formam hanc, quia in terris est : exemplar habet e cælo. Neque enim Filius potest facere quidquam, nisi quæ viderit Patrem facientem (Joan. v, 19), præsertim cum ei sub Moysi nomine dictum sit : *Vide omnia facias secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est* (Exod. xxv, 40).

18. Viderat hoc qui dicebat : *Vidi civitatem sanctam, Jerusalem novam, descendentem de cælo, a Deo paratam* (Apoc. xxi, 2). Ego enim propter similitudinem imperito invectum ex parabola Evangelii de centum ovibus, Lucæ xv.

tudinem dictum reor, quod sicut illic Seraphim et Cherubim, ac cæteri quique usque ad Angelos et Archangelos, ordinantur sub uno capite Deo; ita hic quoque sub uno summo Pontifice primates vel patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, presbyteri, vel abbates, et reliqui in hunc modum. Non est parvi pendendum quod et Deum habet auctorem; et de cælo ducit originem. Quod si dicat episcopus, Nolo esse sub archiepiscopo; aut abbas, Nolo obedire episcopo: hoc de cælo non est. Nisi tu forte Angelorum quempiam dicentem audisti, Nolo sub Archangelis esse: aut ex alio quolibet inferiorum ordinum aliquem non ferentem subesse cuiquam, nisi Deo. Quid, inquis? prohibes dispensare? Non, sed dissipare. Non sum tam rudis, ut ignorem positos vos dispensatores, sed in ædificationem, non in destructionem (II Cor. XIII, 10). Denique quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur (I Cor. IV, 2). Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est: ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est (39). Utilitas, dico, communis, non propria (40). Nam cum nil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est. Nonnulla tamen monasteria, sita in diversis episcopatibus, quod specialius pertinuerint ab ipsa sui fundatione ad Sedem apostolicam pro voluntate fundatorum, quis nesciat? Sed aliud est quod largitur devotio, aliud quod molitur ambitio impatiens subjectionis. Et hæc dicta de his.

#### 434 CAPUT V.

*Summo Pontifici incumbere curam de apostolicis decretis, et majorum institutis per totum orbem servandis.*

19. Superest ut generaliter super universum Ecclesiæ statum intendat consideratio tua: si plebes clericis, si clerici sacerdotibus, si sacerdotes Deo in ea, qua oportet, humilitate subjecti sint; si in monasteriis et religiosis locis servetur ordo, vigilet disciplina; si super prava opera et dogmata censura ecclesiastica vigeat; si floreat vineæ honestate et sanctimonia sacerdotum? si flores fructus parturiant, obedientiam [al., obedientia] fidelium

(39) Notanda Bernardi in materia dispensationum sententia: nempe ut non nisi necessitate urgente, et communi utilitate suadente dispensetur. Jam vereor sæpius dispensari, ubi necessitas et utilitas vel non est, vel tantum privata est. Quid autem hic est dispensare sensu Bernardi, nisi dissipare? Et his merito illa ejusdem S. Patris verba ingerimur: « Quid tibi frustra quispiam blanditur de absolutione apostolica, cujus conscientiam divina ligatam tenet sententia? » epistola 1, ad Robertum. Item illa: « Quod et vos quoque non immerito timentes, nec satis de propria causa confidentes, remorsas ac remordentes conscientias apostolica conati estis delinire sententia. O frivolum satis remedium! quod non est aliud, nisi more Protoplastorum cauteriatis conscientias texere perizomata; videlicet ad velamentum, non medicamentum. Apostolicam, inquiunt, licentiam quæsimus, impetravimus. Utinam non licentiam quæsissetis, sed concilium, id est, non ut liceret, sed an liceret, etc. » Ita Bernardus epist. 7, ubi notatu dignissima circa dispensationes, a n. 7, usque ad n. 10.

populorum; si demum vestra ipsorum apostolica mandata et instituta ea, qua dignum est, sollicitudine observentur, ne quid in agro Domini tui aut neglectu incultum, aut fraude subreptum inveniatur. Posse inveniri ne dubites. Mihi in promptu est (ut multa et innumera prætermittam, quæ passim neglecta jacent) nonnulla etiam ex his quæ plantavit dextera tua, convulsa monstrare. Nonne os tuum in Remensi concilio subjecta capitula promulgavit? Quis ea tenet? quis tenuit. Falleris si teneri putas. Si non putas, ipse peccasti, aut statuens quæ non tenerentur, aut quod non tenentur dissimulans. « Præcipimus, » aisti, ut tam episcopi quam clerici, neque in superfluitate, seu inhonesta varietate colorum, aut fissura vestium, neque in tonsura, intuentium (quorum forma et exemplum esse debent) offendant aspectum; sed potius ita in suis actibus errata condemnent, et amorem innocentiae conversatione demonstrent, sicut dignitas exigit ordinis clericorum. Quod si moniti ab episcopis suis intra quadraginta dies non obtemperaverint, ecclesiasticis beneficiis eorundem pontificum auctoritate priventur. Episcopi vero, si præfixam [al. præfatam] pœnam irrogare neglexerint, quia inferiorum culpæ ad nullos magis referendæ sunt quam ad desides negligentisque rectores; tandiu ab officio pontificali abstineant, donec pœnam a nobis constitutam clericis sibi subjectis imponant (Can. 2). Illud etiam duximus annectendum, ut nullus in archidiaconum vel decanum, nisi diaconus et presbyter ordinetur. Archidiaconi vero, decani et præpositi, qui infra Ordines prænominatos sunt, si inobedientes ordinari contempserint, honore suscepto priventur. Prohibemus autem ne adolescentibus, vel infra sacros Ordines constitutis, sed qui prudentia et vitæ merito clarescunt, prædicti concedantur honores (Can. 9).

20. Verba tua hæc: tu sanxisti. Quid effectui mancipatum? Adhuc adolescentes, adhuc qui infra sacros Ordines sunt, in Ecclesia promoventur. Quod ad primum capitulum pertinet; luxus vestium interdictus (41), sed non restrictus; pœna dictata, sed minime secuta est. Jam quartus annus est, ex quo

Joannes Saresberiensis, in Polycratici libro 4, cap. 7: « Nec tamen dispensationem legis subtraham manibus potestatum: sed perpetuam præceptionem, aut prohibitionem habentia, libito eorum nequaquam arbitror supponenda. In his itaque duntaxat quæ mobilia sunt, dispensatio verborum admittitur: ita tamen ut compensatione honestatis aut utilitatis mens legis integra conservetur. » Legesis apud eundem libri 7 caput 17.

(40) Vossius in margine notat, non tua; quasi propria referendum sit ad Pontificem, non ad eum cui conceditur dispensatio.

(41) Ævo Bernardi luxum et mollitiem vestium inter clericos eo magis, et pene impune grassatam censent plerique; quod e prima nobilitate tunc plures in clerum adlecti, et jam pridem elegantiae assueti, agre se ad modestiam et frugalitatem sacro statu dignam componerent: quin et hoc modo pristinum splendorem et stemmatis excellentiam peculiari vestium cultu tueri vellent, ne forte e plebe instar cæterorum viderentur assumpti. Sed quis

datum mandatum audivimus, et et neminem adhuc clericorum privatam beneficio, neminem episcoporum suspensum ab officio luximus. At luctu amarissimo dignum quod secutum est. Quod hoc? Impunitas incuriæ soboles, insolentiæ mater, radix impudentiæ, transgressionum nutrix. Et beatus, si omni satagas cura malorum omnium primam parentem cavere incuriam. Sed ad hoc tu operam dabis. Et tunc leva oculos tuos, et vide si non æque, ut prius, pellicula discolor sacrum Ordinem decolorat; si non æque, ut prius, fissura enormis pene inguina nudat (42). Solent dicere: Num de vestibus cura est Deo et non magis de moribus? At forma hæc vestium, deformitatis mentium et morum indicium est. Quid sibi vult quod clerici aliud esse, aliud videri volunt? Id quidem minus castum, minusque sincerum. Nempe habitu milites, quæstu clericos, actu

neutrum exhibent. Nam neque pugnant ut milites, neque ut clerici evangelizant. Cujus ordinis sunt? Cum utriusque esse cupiunt, utrumque deserunt, utrumque confundunt. *Unusquisque*, inquit, *in suo ordine resurget* (I Cor. xv, 23). Isti in quo? An qui sine ordine peccaverunt, sine ordine peribunt? Aut si summe sapiens Deus veraciter creditur, a summo usque deorsum nihil inordinatum relinquere; vereor istos non alibi ordinandos, quam ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. O miserandam sponsam, talibus creditam paranympis! qui assignata cultui ejus, proprio retinere quæstui non verentur. Non amici profecto sponsi, sed æmuli sunt. Et de his satis quæ sub te sunt, etsi non ad materiæ copiam, quæ est multa nimis; certe ad id quod proposui ego. Visenda jam quæ circa te sunt, sed ad ea ostium nobis quartus liber aperiet.

## LIBER QUARTUS.

### 435 CAPUT PRIMUM.

*Tractat de iis quæ circa ipsum sunt.*

1. Si mihi plenius innotuisset, amantissime Eugeni, priora qualiter acceptaris, secundum hoc vel fidentius in reliquum processissem, vel cautius, aut certe substitissem omnino. Nunc vero quia ob locorum distantiam id minime datur, non mireris si prodit exilior sermo anceps, verecunde, fateor, ad medium veniens. Primis itaque considerationis partibus libris prioribus pertractatis, in manibus est de his addere, quæ circa te sunt. Et ipsa quidem sub te, sed quod propiora, eo importuniora tibi. Nempe coram posita incuriam non admittunt, non dissimulationem, non oblivionem. Vehementius urgent, turbulentius irruunt: verendum ne obruant. Circa ejusmodi quam sobria et intenta consideratione opus sit, proprio te experimento edoctum satis non ambigo. Alioquin si non cauta opportunaque inter-

veniat consideratio, occupatio continuabitur, et vexationis non erit modus, et sollicitudinis non erit finis. Non tempus vacuum, non liberum cor: plus laboris, et minus utilitatis. Dico autem, instantia illa tua quotidiana, ab urbe, a curia, a domestica ecclesia tua. Hæc, inquam, circa te sunt, clerus et populus tuus, cui specialiter episcoparis, ac per hoc specialis curæ teneris debitor. Hi quoque qui tibi quotidie assistunt seniores populi, orbis iudices; et qui item de domo et mensa tua sunt, capellani, cubicularii, ministri quique diversis deputati officiis in obsequium tui. Hi te familiariter visitant, frequentius pulsant, molestiusque sollicitant. Hi sunt qui non verentur suscitare dilectam, et antequam ipsa velit.

### CAPUT II.

*De cleri et populi Romani moribus agit (43), et de veterum Pastorum cura ac vigilantia.*

2. Et primo quidem clerum illum ordinatissimum

prudens hoc in iis studium probet? Nam una cum statu et vitæ genere mores habitumque mutari par erat; vel certe ita statuere secum, præcipuum hominis Deo sacrati decus et ornamentum esse virtutem, modestiam, pietatem. Sed quia hic fere depravata plurimorum errabat opinio, sanctis et religiosis viris semper curæ fuit, vomitum illam in communem perniciem in dies magis magisque tumescentem acriori stilo pungere. Accesserunt et diversorum Ecclesiæ præsulum, nec non conciliorum decreta, ad reprimendum luxum vestium edita, quæ tamen S. Bernardus non observari dolet ac queritur. Vide infra Tract. de morib. et off. episc. contra luxum vestium in cler., etc., cap. 2.

(42) Sacris decretis severe cavetur, ne clerici vestes ferant virgatas, partitas, scacatas. Majores nostri vocabant *fractilatas* vestes et pomposas. Vide Chron. Vuindesheimense lib. II, cap. 47, quæ videntur concisæ fuisse vestes, latissimis rimis et hiantibus, quales videmus in Gallorum thoracibus æstivo tempore: quibus fiebat, ut seminudi esse viderentur: et, ut cum Petro Chrysologo loquar, *artificiosa nuditate vestiti*, Serm. 122. Id S. Bernardus

*fissuram enormem* appellat, quæ pene inguina nudet, eo quod olim non thoraces modo haberent ea ratione fenestratos et hiantes, verum et femoralia late fissa, ut ex antiquis picturis constat. Quare cum clerici extra chorum longiorem vestem posuissent, in omnium oculos incurrebat illa amictus turpitudine, quæ modestorum oculos animosque offenderet. Ita fere Cresoll. in Mystag. lib. IV, cap. 13, sect. 5. Ubi etiam addit morbum illum dire in Germania grassatum, sed et a præsulibus magna vigilantia laboratum, ne licentius latiusque serperet. Et quidem deinceps diversos Colonienses Præsules adducit: qui pastoralis cura et censura invalescentem abusum reprimere studuerunt. Tales fuerunt Conradus anno 1260, Walramus anno 1337, Willelmus anno 1353 et 1360, qui inter alia sic ait: *Monemus universos et singulos clericos, ne de cætero vestes partitas, virgatas, taliatas, scacatas, etc., aut omnino rubeas, aut omnino virides, aut glaucas, aut botonatas, vel nodatas, etc. deferant.* Omitto cæteros.

(43) Vide Baron. ad an. 1144, n. 3, et 1145, n. 3 et 7, et an. 1152, n. 1, 2.

esse decet, ex quo præcipue in omnem Ecclesiam A cleri forma processit. Deinde omne quod perperam agitur te præsentem, id tibi turpius. Interest gloriæ Sanctitatis tuæ, ut quos præ oculis habes, ita ordinati, ita sint informati, quatenus totius honestatis et ordinis ipsi speculum, ipsi sint forma. Inveniantur præ cæteris oportet expediti ad officia, idonei ad Sacramenta, ad plebes erudiendas solliciti; circumspecti ad sese custodiendos in omni castitate. Quid de populo loquar? Populus Romanus est. Nec brevius potui, nec expressius tamen aperire de tuis parochianis quod sentio. Quid tam notum sæculis, quam protervia et fastus [al. cervicositas] Romanorum? Gens insueta paci, tumultui assueta; gens immitis et intractabilis usque adhuc, subdi nescia, B nisi cum non valet resistere. En plaga: tibi incumbit cura hæc, dissimulare non licet. Rides me forsitan, fore incurabilem persuasus. Noli diffidere; curam exegeris, non curationem. Denique audisti: *Curam illius habet* (Luc. x, 35); et non, Cura, vel, Sana illud. Verum dixit quidam:

*Non est in medico semper relevetur ut æger*

(Ovid. 1 de Ponto, eleg. 10.)

At melius propono de tuis tibi. Paulus loquitur: *Plus omnibus laboravi* (I Cor. xv, 10). Non ait, Plus omnibus profui, aut, Plus omnibus fructificavi, verbum insolens religiosissime vitans. Alias autem noverat homo 436 quem docuit Deus, quia unusquisque secundum suum laborem accipiet (I Cor. iii, 8), non secundum proventum. Et ob hoc in laboribus C potius quam in profectibus gloriandum putavit, sicut alibi quoque habes ipsum dicentem: *In laboribus plurimis* (II Cor. xi, 23). Ita, quæso, fac tu quod tuum est: nam Deus quod suum est satis absque tua sollicitudine et anxietate curabit. Planta, riga, fer curam; et tuas explicuisti [al., explevisti] partes. Sane incrementum, ubi voluerit, dabit Deus, non tu. Ubi forte noluerit, tibi deperit nihil, dicente Scriptura: *Reddet Deus mercedem laborum sanctorum suorum* (Sap. x, 17). Securus labor, quem nullus valet evacuare defectus. Et hoc dixerim absque præiudicio divinæ potentiae et bonitatis. Scio induratum cor populi hujus: sed potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham. Quis scit si D revertatur et ignoscat, convertat et sanet eos? Sed non est propositi mei dictare Deo quid facere debeat: tibi utinam possim, quæ oportet et prout oportet, suadere.

3. At locus dubius, et scrupulosa incidit disputatio. Nam ubi adoriar dicere quod sentio? Video satis quid imminet. Clamabitur insuetum; nam justum negari non poterit. Ego vero ne insuetum quidem assenserim. Nempe assuetum fuisse scio, ac per hoc in dissuetum potuisse venire: sed non redire in insuetum. An vero assuetum quis neget,

(44) Id est, terræ et cælo, quod mox explicat. Hi motus contingere incertore Arnaldo, qui Romanis auctor fuit, ut Romæ antiquum Reip. statum restituere molirentur, unica Sacrorum cura Pontifici

quod constat non modo aliquando factum, sed aliquandiu factitatum? Quid illud sit dicam, et non proderit. Cur? Quia non placebit satrapis, plus majestati quam veritati faventibus. Fuerunt ante te qui se totos ovibus pascendis exponerent, pastoris opere et nomine gloriantes, nihil sibi reputantes indignum, nisi quod salutem ovium obviare putarent, non quærentes quæ sua sunt, sed impendentes. Impendere curam, impendere substantiam, impendere et se ipsos. Unde unus illorum: *Et ego*, ait, *superimpendar pro animabus vestris* (II Cor. xii, 15). Et, tanquam dicerent, Non venimus ministrari, sed ministrare; ponebant, quoties oportuisset, sine sumptu Evangelium. Unus erat de subditis quæstus, una pompa, unaque voluptas, si quo modo eos possent parare Domino plebem perfectam. Id omnimodis satagebant, etiam in multa contritione cordis et corporis, in labore et ærumna, in fame et siti, in frigore et nuditate.

4. Ubi nunc, quæso, consuetudo hæc? Subiit dissimilis valde; longe in aliud mutata sunt studia, et utinam non in pejus. Cura tamen et anxietas, et æmulatio, et sollicitudo, fateor, perseverant. Translata hæc, non imminuta. Testimonium vobis perhibeo, quod nec substantiæ parcitis, non magis quam ante. Diversa autem locatio dissimilitudinem facit. Magna abusio! pauci ad os legislatoris, ad manus omnes respiciunt. Non immerito tamen. Omne papale negotium illæ [al. illi] agunt. Quem dabis mihi de tota maxima urbe, qui te in Papam receperit, pretio seu spe pretii non interveniente? et tunc potissimum volunt dominari, cum professi fuerint servitutem. Fideles se spondent, ut opportunius fidentibus noceant. Ex hoc non erit consilium tibi a quo se arcendos putent, non secretum quo se non ingerant. Si stante pro foribus quoquam illorum, moram vel modicam fecerit ostiarius; ego tunc pro illo esse nolo [al. noluerim]. Et nunc experire paucis, noverimne et ego vel aliquatenus mores gentis. Ante omnia sapientes sunt ut faciant mala, bonum autem facere nesciunt. Hi invisi terræ et cælo: 437 utrique (44) injecere manus, impii in Deum, temerarii in sancta, seditiosi in invicem, æmuli in vicinos, inhumani in extraneos: quos neminem amantes amat nemo; et cum timeri affectant ab omnibus, omnes timeant necesse est. Hi sunt qui subesse non sustinent, præesse non norunt; superioribus infideles, inferioribus importabiles. Hi inverecondi ad petendum, ad negandum frontosi (45). Hi importuni ut accipiant, inquieti donec accipiant, ingrati ubi acceperint. Docuerunt linguam suam grandia loqui, cum operentur exigua. Largissimi promissores, et parcissimi exhibitores: blandissimi adulescentes, et mordacissimi detractores: simplicissimi dissimulatores, et malignissimi prodi-

relicta. Hæc fuse in epistola 243, et apud Baronium anno 1152.

(45) Sic in epistola 198, *fronto sus ad verecundiam*, n. 1.

iores. Excurrimus usque huc, plenius te atque expressius admonendum putantes horum quæ circa te sunt in hac parte.

5. Jam ad ordinem recurramus. Quale est, quod de spoliis ecclesiarum emuntur [al. emunt], qui dicunt tibi, Euge, euge? Pauperum vita in plateis divitum seminatur. Argentum micat in luto: accurritur undique, tollit illud non pauperior, sed fortior, aut qui forte citius præcucurrit. A te tamen mos iste, vel potius mors ista non cœpit; in te utinam desinat. Sed reliqua prosequamur. Inter hæc tu pastor procedis deauratus, tam multa circumdatus varietate. Oves quid capiunt? Si auderem dicere; dæmonum magis, quam ovium pascua hæc. Scilicet sic factitabat Petrus, sic Paulus ludebat? Vides omnem ecclesiasticum zelum fervere sola pro dignitate tuenda. **B** Honori totum datur, sanctitati nihil, aut parum. Si causa requirente paulo submissius agere, ac socialius te habere tentaveris; Absit? inquit, non decet (46), tempori non congruit, majestati non convenit; quam geras personam attendito. De placito Dei ultima mentio est; pro jactura salutis nulla cunctatio: nisi quod sublime est, hoc salutare ducamus; et quod gloriam redolet, id justum. Ita omne humile probro ducitur inter palatinos, ut facilius qui esse, quam qui apparere humilis velit, invenias. Timor Domini simplicitas reputatur, ne dicam fatuitas. Virum circumspectum et amicum propriæ conscientie calumniantur hypocritam. Porro amatorem quietis, et sibi interdum vacantem, inutilem dicunt. **C**

### CAPUT III.

*De vestium pompa resecanda, et zelo Pontifici necessario.*

6. Quid ergo tu? evigilansne adhuc ad istos, qui circumdederunt te laqueis mortis? Quæso, sustine paulisper, et supporta me. Imo da veniam, non tam temere, quam timide hæc loquenti. Æmulor te æmulatione bona, et utinam quam vehementi, tam utili. Scio ubi habitas; increduli et subversores sunt tecum. Lupi, non oves sunt: talium tamen tu pastor. Utilis

(46) Vide unde corruptela Principum ac Prælatorum: nempe a malis consiliariis et familiaribus. Utpote qui tantum norunt blanda suggerere, ac non nisi placentia loqui. Hinc eleganter Seneca: *Monstrabo tibi, inquit, cujus rei inopia laborent magna fastigia, quid omnia possidentibus desit, scilicet ille qui verum dicat.... Non vides quemadmodum illos in præceptis agat extincta libertas, et fides in obsequium servile submissa, dum nemo ex animi sui sententia suadet, dissuadetque, sed adulandi certamen est, et unum amicorum omnium officium, una contentio, quis blandissime fallat?* (Lib. vi De benef., cap. 30.)

Hinc S. Ambrosius, quamvis Theodosii imperatoris acre ingenium, et vehementem impetum nosset, minus tamen hinc quam a familiarium suorum consiliis metuebat. Ideo imperatori scribens epistolam 28, id ab ipso enixius postulat, ut animi sui motus, quamvis acres et vividos, sibimet potius, quam aliis regendos committat. *Utinam, inquit, si nemo mitigat, nullus accendat! Libenter cum natura impetum committo tibi: ipse te revocas, et pietatis studio vincis impetum naturæ.* Et recte quidem: quod quamvis a vehementi Principis ingenio non posset non timeri, plus tamen ab improbis familiaribus metuendum

consideratio, qua forte inveneris, quomodo, si fieri possit, convertas eos, ne ipsi subvertant te. Quid diffidimus posse reverti in oves, e quibus verti in lupos potuerunt? Hic, hic, non parco tibi, ut parcat Deus. Pastorem te populo huic certe aut nega, aut exhibe. Non negabis: ne cujus sedem tenes, te neget hæredem. Petrus hic est, qui nescitur processisse aliquando vel gemmis ornatus, vel sericis; non tectus auro, non vectus equo albo (47), nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus ministris. Absque his tamen credidit satis posse impleri salutare mandatum: *Si amas me, pasce oves meas* (Joan. xxi, 15). In his successisti, non Petro, **438** sed Constantino. Consulo toleranda pro tempore, non affectanda pro debito. Ad ea te potius incito, quorum te scio debitorem. Etsi purpuratus (48), etsi deauratus incedens, non est tamen quod horreas operam curamve pastorem, Pastoris hæres: non est quod erubescas Evangelium. Quanquam si volens evangelizes, inter Apostolos quidem etiam gloria est tibi. Evangelizare pascere est. Fac opus evangelistæ, et pastoris opus implesti.

7. Dracones, inquis, me mones pascere, et scorpiones, non oves. Propter hoc, inquam, magis aggredere eos, sed verbo, non ferro. Quid tu denuo usurpare gladium tentes, quem semel jussus es reponere in vaginam? Quem tamen qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis sic: *Converte gladium tuum in vaginam* (Joan. xviii, 11). Tuus ergo et ipse, tuo forsitan nutu, etsi non tua manu evaginandus. Alioquin si nullo modo ad te pertineret et is, dicentibus Apostolis, *Ecce gladii duo hic; non respondisset Dominus, Satis est* (Luc. xxii, 38); sed, *Nimis est.* Uterque ergo Ecclesie et spiritualis scilicet gladius, et materialis; sed is quidem pro Ecclesia, ille vero et ab Ecclesia exserendus: ille sacerdotis, is militis manu, sed sane ad nutum sacerdotis, et jussum imperatoris (49). Et de hoc alias. Nunc vero arripe, qui tibi ad feriendum creditus est: et vulnera ad salutem, si

esset. Ambrosii voto fidem faciunt, quæ de Theodosii imperio olim florentissimo, leguntur apud Baronium, tom. vi. An. Christi 446. *Ita plane Theodosii imperium pro arbitrio aulicorum, non pro ratione consilii administratum interit, tanta moles corrui.* Hoc ergo restat, ut Principes accurate dispiciant, quos in numerum familiarium adlegant. Audiant, imo spectent et sequantur Davidis exemplum. *Ecce, dictum et factum ejus egregium et vere regium: Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum* (Psal. c).

(47) Observa morem tunc fuisse, ut Pontifex equo albo veheretur, quod etiam probat Sugerius in libro de Vita Ludovici Grossi, pag. 318.

(48) Petrus Damiani Pontifici « rubram cappam » tribuit in lib. 1, epistola 20. Adrianus IV, apud Joannem Saresberiensem in Polycratici lib. viii, cap. 23, ait, « coronam et phrygium » (quod alio nomine « regnum » vocatur) « clara merito videri, quia ignea sunt. » Vide infra n. 5, et lib. ii, n. 18.

(49) Idem verbis paulo immutatis de duplici gladio habet in epistola 256. Joannes Saresberienensis in Polycratici lib. iv, cap. 3: « *Hunc ergo gladium de*

non omnes, si non vel multos, certe quos possis. A

8. Non sum, inquis, melior quam patres mei. Quem illorum domus exasperans, non dico, audivit, sed non irrisit? Ideo tu insiste magis, si forte audiant, et quiescant: insiste et resistentibus. Dicendo hæc, forte nimius dicar. Num nostra illa vox: *Insta opportune, importune?* (II Tim. iv, 2.) Hunc, si audes, nimium appellato. Prophetæ præcipitur: *Clama, ne cesses.* Ad quos, nisi ad sceleratos et peccatores? *Annuntia, inquit, populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum* (Isai. LVIII, 1). Prudenter adverte et sceleratos perhiberi, et populum Domini. Puta de his idem. Etsi scelerati, etsi iniqui, vide ne audias: *Quod uni ex minimis meis non fecisti, nec mihi fecisti* (Matth. xxv, 45). Fateor B popululum istum exstitisse usque adhuc dura fronte, et indomito corde; sed utrumne etiam indomabili, nescio unde liquido scire possis. Potest fore, quod necdum fuit. Si diffidis tu; sed apud Deum non erit impossibile omne verbum (Luc. i, 37). Si dura fronte sunt, durato et tu e contra tuam. Nil tam durum, quod duriori non cedat. Dominus ad prophetam: *Dedi frontem tuam duriorum frontibus eorum* (Ezech. III, 8). Unum est quod te absolvit, si egisti cum populo illo, ut possis dicere: *Popule meus, quid tibi debui facere, et non feci? Si sic fecisti, nec profecisti; est demum quod facias, et quod dicas: exi de Hur Chaldæorum, et dicito, Quia oportet me et aliis civitatibus evangelizare* (Luc. iv, 43). Puto nec C pœnitebit exilii, orbe pro urbe commutato.

*manu Ecclesiæ accipit princeps, cum ipsa tamen gladium sanguinis non habeat. Habet tamen et istum: sed eo utitur per principis manum.* Confer caput 2 libri ad Milites Templi.

Docet. S. Bernardus utrumque gladium competere Ecclesiæ, et spiritualem scilicet et materialem. Sed illum ab Ecclesia, hunc pro Ecclesia exserendum; illum sacerdotis manu, hunc ejus nutu, sed manu militis, et ad jussum imperatoris. His verbis utuntur longa serie Politici (ut Sectarios sileam) immo Theologi plures et Canonistæ, qui olim (forte etiam hodie), Imperatoribus et principibus contra Pontificem armatis navarunt operam: et cum alibi ferro decertaretur, illi non minus calamo rem egerunt. Contendunt illi non competere Pontifici gladium materialem, sed ut supremum caput Ecclesiæ, posse Imperatorem, utpote dignius et potentius Ecclesiæ membrum, simili ratione alios Principes, ad hoc requirere, ut arma commodet Ecclesiæ, eamque contra hostes defendat, non vero propria auctoritate posse movere bellum. Et ad hoc nituntur præseni loco Bernardi, ut qui velit non manu, sed nutu tantum pontificis, jussuque Imperatoris temporalem gladium exseri. Similia proferunt ejusdem verba ex epistola, 256. ad eundem Eugenium: *Exserendus, inquit, nunc uterque gladius, Christo denuo patiente, ubi et altera vice passus est. Per quem autem nisi per vos? Petri uterque est, alter suo nutu, alter sua manu, quoties necesse est evaginandus. De quo enim minus videbatur, ad Petrum dictum est: RECONDE GLADIUM TUUM. Suus ergo erat, sed non sua utique manu educendus, etc.* Sed vide Gloss. in cap. Unam sanctam, ubi præseni Bernardi locus commode explicatur. Vide etiam epistolam Gregorii IX ex editione Vossii de duplici gladio pontificis, et usu utriusque ex professo tractantem. Item Petrum Damiani lib. iv, epist. 6, ubi gladium materialem non

## CAPUT IV.

*Quales collaterales et coadjutores a Pontifice adhibendi: ubi de virtutibus prælatorum.*

9. Veniamus ad collaterales (50) et coadjutores tuos. Hi seduli tibi, hi intimi sunt. Quamobrem si boni sunt, tibi potissimum sunt: si mali, æque plus tibi. Ne te dixeris sanum, dolentem latera: hoc est, ne te dixeris bonum, malis innitentem. Aut si bonus sis, bonitas tui solius quem fructum afferre potest? sicut in superiore libro dixisse me memini (Lib. 3, n. 9). Quid, inquam, emolumentum affert Ecclesiis Dei tua unius hominis 439 justitia, ubi sententia prævalet aliter affectorum? Sed nec tuta tibi tua obsessa malis, non magis quam sanitas vicino serpente. Non est quo te subducas malo intestino. Et e regione, bonum domesticum eo amplius, quo sæpius juvat. Sed sive levent, sive gravent, cui rectius imputandum quam tibi, qui tales aut elegisti, aut admisisti? Non de omnibus dico: nam sunt quos non elegisti, sed ipsi te. At potestatem non habent, nisi quam tu eis aut tribueris, aut permiseris. Ad idem ergo revertimur. Tibi imputa quidquid patieris ab eo qui sine te potest facere nihil. His exceptis, de cætero non inconsiderate, ut vides, eligendi quique seu colligendi sunt in opus ministerii hujus. Tuum est undecumque evocare et adsciscere tibi, exemplo Moysi, senes (Num. xi, 16), non juvenes; sed senes non tam ætate quam moribus, quos tu nosti, quia senes populi sunt. An non eligendi de toto orbe, orbem judicaturi? (51) Sane huic negotio non se ingerat rogans.

videtur permittere Ecclesiæ: sed adnotatione sat proluxa, antidoton auctor nescio quis (forte ipse qui edidit, Constantinus Cajetanus) adhibet. Item lege Baron. an. 1053. Sed videat omnino lector Sixtum Senens. virum doctiss. ex ord. Prædic. lib. vi Bibliot. sanctæ, adnot. 72, ubi proluxè Bernardi verba explicat; eaque a sinistris interpretationibus Calvinii Ferialiorumque vindicat. Sufficiet lectori hæc indicasse nec enim vacat ista nunc proluxius discutere, cum has notas videam præter mentem excrescere.

(50) Joannes Saresberiensis in lib. v, cap. 10, agit de lateribus potestatum, his scilicet qui principibus debent assistere.

(51) De electione cardinalium utilissime hic monet et instruit pontificem, et vult illos, non ex una gente vel natione, sed de toto mundo eligi. Idem statuit concil. Basil., sess. 23, et postremo iisdem verbis Trident. sess. 24, cap. 2, *De reform. Quos* (cardinales) inquit, *sanctiss. Romanus pontifex ex omnibus Christianitatis nationibus, quantum commode fieri poterit, prout idoneos repererit assumet.* Ratio in primis est, quia in cognoscendis causis, et rebus per omnem Ecclesiam emergentibus, statuque omnium gentium explorando necessarium est. Neque enim graviores in gubernatione committuntur errores quam ignoratione status reip. At vix fieri potest, ut exteri omnia perspecta habeant, aut ita, ut par est, cordi illis sint, quæ ad alias gentes instruendas, conciliandas, regendasque pertinent. Deinde, quia cum omnium gentium principibus, rebuspub. regibus agendum est, expedit in consilio esse omnium gentium optimates, quorum opera res et negotia feliciter tractentur. Denique, ne in consistorio et judicio Ecclesiæ, quod par est omnium esse sincerissimum, studia et æmulationes nationum sentiantur, dum natio aliqua se contemptam arbitratur adeoque sibi deesse fautores et patronos queritur

Consilio, non prece agendum est. Sunt quæ necessario a nobis rogantium aut extorquet importunitas, aut necessitas meretur. At istud in his quæ nostra sunt. Ubi autem non licet quod volo facere, quis locus roganti? Nisi forte qui me rogat, hoc rogat, ut quod vult, velle liceat mihi, et non magis ut velim (52). Alius pro alio, alius forte et pro se rogat. Pro quo rogaris, sit suspectus; qui ipse rogat pro se, jam judicatus est. Nec interest, per se, an per alium quis roget. Clericum curiam frequentantem (53), qui non sit de curia, ad idem noris pertinere ambientium genus. Adulantem, et ad placitum cujusque loquentem, unum de rogantibus puta, etiamsi nihil rogaverit. Scorpioni non est in facie quod formides: sed pungit a cauda.

10. Si ad talium blanditias cor tuum, ut assolet, molliori senseris, memineris scriptum: *Omnia homo primum bonum vinum ponit; cum autem inebriati fuerint, tunc id quod deterius est* (Joan. II, 10). Pari pondere æstimaveris ejus humilitatem qui timet, et ejus qui sperat. Viri callidi et dolosi proprium esse solet tunc prætere humilitatem, cum aliquid obtinere voluerit: de qualibus dicit Scriptura: *Est qui se humiliat nequiter, et interiora ejus plena sunt dolo* (Eccli. XIX, 23). De vobis ipsis sume sententiæ hujus evidens ac familiare exemplum. Quantos quos supplices admisisti, postmodum sustinuisti graves, insolentes, contumaces, rebelles? Quod quidem interius malum tegunt principia, posteriora produnt. Verbosulum adolescentem, et studentem eloquentiæ cum sapientiæ sit inanis,

(52) Horstio, *ut non magis velim, sed mendose; et paulo aute, ut quod vult, hoc liceat mihi, apud Vossium.*

(53) Clericos in curiis frequenter merito de ambitu suspectos, adeoque honoribus, quos ambiunt indignos, alii quoque Principes censuerunt. Ita Philippus II, rex Hisp. Clericum quemdam designarat episcopum; sed mox ut intellexit eum adesse in curia, revocavit collationem, laceratis quæ jam desuper confectæ erant litteris. Vide Petrum Damiani et Petrum Blesens. adversus clericos curiales. Item et. Espencæum digress. in Epist. ad Tim. lib II, cap. 10. Sed hoc magis indignum, et minus ferendum, si qui præsules et prælati neglecta residentia, et posthabitis ovibus, hæreant in curiis, præbeant se assecras regum ac procerum: et qui tales delinunt sine causa, vel non remittunt ad suos, forte non erunt minus culpabiles. Hujus rei indignitatem considerans Gentianus Hervetus, scribens in Canon. concil. Chalcedon. ita loquitur: *Miserabile certe, miserabile boni omnes illud Romæ judicant spectaculum, cum catervæ cernantur episcoporum, qui malunt assectando Cardinales, se eorum servitio mancipare, quam in sua paræcia suum obeundo munus Christo servire. Quos certe (durior sententiâ) si summus pontifex flagellis, non ex Ecclesia, sed ab urbe Roma ad Ecclesiam suam expelleret, is mihi vicarii Christi officio rite fungi videretur.* Ita ille.

(54) Non nisi dignos assumi jubet: at digni solum qui fugiunt. Nam cur plurimi tam avide honores desiderant? nempe quia onera non considerant. Meditantibus quidem honores blandiuntur: at pensantibus onera, honori sunt atque formidini. Jam quis credat illos rite functuros obtentis honoribus, qui ne quidem eorum onera vel officia norunt, aut curant? At in sanctis viris semper observatum,

A non aliud quam justitiæ hostem reputes. Pro hujusmodi falsis fratribus dicit tibi Magister: *Manus cito nemini imposueris* (I Tim. v, 22).

11. Excluse itaque universo hoc pestilenti genere hominum, curæ tibi maxime sit introducere tales, quos postmodum introduxisse non pœniteat. Turpe est tibi sæpius retractare quod feceris, et judicium tuum frequenter periclitari non decet. Diligenter proinde omne quod faciendum erit, tracta apud te, et cum his qui te diligunt. Tracta ante factum, quia post factum sera retractatio est. Sapientis consilium est: *Omnia fac cum consilio, et post factum non pœnitebis* (Eccli. xxxii, 24). Et hoc tibi persuade, qui admittendi sunt, difficile in curia posse probari: et ideo, si fieri potest, viros probatos oportere deligi, non probandos. Nos in monasteriis omnes recipimus spe meliorandi: at curia bonos facilius recipere, quam facere consuevit. Quod si plures in ea defecisse bonos, quam malos profecisse probavimus; quærendi sane quibus nec defectus timeatur, nec profectus optetur, utpote jam perfectis.

12. Itaque non volentes, neque currentes assumito (54), sed eunctantes, sed renuentes: etiam coge illos, et **440** compelle intrare. In talibus, ut opinor, requiescet spiritus tuus, qui non sint attritæ frontis, sed verecundi, sed timorati: qui præter Deum tantum timeant nihil, nihil sperent nisi a Deo. Qui adventantium non manus attendant, sed necessitates. C Qui stent viriliter pro afflictis, et judicent in æquitate pro mansuetis terræ. Qui sint compositi ad

invitos et coactos ad honores et dignitates pervenisse. Et tamen quo ægrius susceperunt impositas dignitates, eo dignius fideliusque gesserunt. Nimirum qui honorem fugiunt, non blandientem foris speciem, sed latentem intus aculeum respiciunt, hunc territi abstinent, et fugiunt. Cum vero, etsi reluctantes, fugere nequeunt, quin se divinæ providentiæ et superiorum obedientiæ subjiciant, et humeros sarcinæ submittant; necessitas illis virtutis, laboris que fit calcar et stimulus: dum hoc sibi incumbere sentiunt, ut omnibus modis contentur se suscepto muneri præstare pares. Ita mox mittunt manum ad fortia, ad laborem se vocatos agnoscunt: ideoque non libet otiosi aut deliciarum, sed curant sic præesse ut prosint, et de commisso sibi talento quandoque respondere possint. Talis erat Heliodorus, quem Hieronymus sacerdotium recusantem commendat, *Merebatur, inquit, negando, quod esse volebat; eo quæ dignior erat, quo se clamabat indignum.* Talis quoque Papa Cornelius, quem laudat Cyprianus, *non, ut quidam, vim fecisse, ut episcopus fieret; sed vim passum, ut episcopatum acceptaret.* Epist. 52. Saluberrime ergo sanxit Leo imperator sub annum Dom. 469, l. 31. c. *De episc. et cler. Non pretio, sed precibus ordinetur antistes. Tantum ab ambitu debet esse repositus, ut quærat cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat: sola illi suffragetur necessitas excusandi. Profecto enim indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus.* De cæteris qualitatibus eligendorum cardinalium vide concil. Lateran. sub Leone X, sess. 9, *De reform. cur...* Item c. *Bonæ*, de postulat. Præla. c. *Exsecrabilis*, ext. de præb. Anton. Flor. 3, p. summ. Tit. 21, cap. 2, § 2. Hieron. Platam lib. singulari de statu cardin., cujus doctrina cæteris quoque prælatibus et ecclesiasticis viris facile accommodari potest.

mores, probati ad sanctimoniam, parati ad obedientiam, mansueti ad patientiam, subjecti ad disciplinam, rigidi ad censuram, catholici ad fidem, fideles ad dispensationem, concordēs ad pacem, conformes ad unitatem. Qui sint in iudicio recti, in consilio providi, in iubendo discreti, in disponendo industrii, in agendo strenui, in loquendo modesti, in adversitate securi, in prosperitate devoti, in zelo sobrii, in misericordia non remissi, in otio non otiosi, in hospitio non dissoluti, in convivio non effusi, in cura rei familiaris non anxii, alienæ non cupidi, suæ non prodigi, ubique et in omnibus circumspecti. Qui legatione pro Christo fungi, quoties opus erit, nec jussi renuant, nec non jussi affectent. Qui quod verecunde excusant, obstinatius non recusent. Qui missi, post aurum non eant, sed Christum sequantur: qui quæstum legationem non æstiment, nec requirant datum, sed fructum. Qui regibus Joannem exhibeant, Ægyptiis Moysen, fornicantibus Phinees, Eliam idololatris, Elisæum avaris, Petrum mentientibus, Paulum blasphemantibus, negotiantibus Christum. Qui vulgus non spernant, sed doceant: divites non palpent, sed terreant: pauperes non gravent, sed foveant: minas principum non paveant, sed contempnant. Qui non cum turba intrent, nec cum ira exeant: qui ecclesias non spolient, sed emendent. Qui marsupia non exhauriant, sed corda reficiant et crimina corrigant; famæ provideant suæ, nec invideant alienæ. Qui orandi studium gerant, et usum habeant, ac de omni re orationi plus fidant, quam suæ industriæ vel labori. Quorum ingressus pacificus, molestus (55) exitus sit: quorum sermo ædificatio, quorum vita

(55) Sic mss. plerique. Quidam habent cum editis, non molestus. Sed alteram lectionem præferimus, id est quorum exitus tristitiam affert. Apud Vossium una lectio, modestus.

(56) Videnotas ad epist. 271., concil. Trident. sess. 25, cap. 1, De Reformat., ubi verba Bernardi pulehre confirmat. Canones Apost. can. 39 et can. 75. Concil. Antioch. c. 25. et Carthag. iv, cap. 15 et 31; Matiscon. cap. 13; Hisp. i, cap. 1. Videat, si cui libeat, Cornel. in Ezech. XLIV, ubi occasione præcepti divini quo pontifex prohibetur lugere super mortuo, ne quidem patre et matre, hæc habet: *Hæc sacerdotes Veteris Testamenti, conjugis, filiis familiæ illigati: quid jam faciant sacerdotes et episcopi Novi Testamenti, quos Deus cælibes et illiberos esse voluit, ut a curis terrenis ad cælestia mentem transferrent, eantque totam in Deo, bonisque æternis defigerent? Quare sapienter monet S. Basil. in Constit. monast. cap. 25: Scientes itaque intolerabile detrimentum hujus erga cognatos affectus, fugiamus illorum curam, tanquam diabolicam ad nos impugnandum armaturam. Sed ecce, inquit doctor sapiens, hisce Satan invidens insidias ex latere ponit, dum cognatos pro filiis substituit, eosque curandos, et ex imo sensim ad summos opum et dignatum gradus provehendos esse suggerit; in illis extollendam et perpetuandam esse familiam, in illis conservandam et celebrandum apud posteros nomen; ita nimirum.*

*Cum Factor rerum privaret semine clerum,*

*Ad Satanæ votum successit turba nepotum.*

*Hæc est fraus, hic laqueus diaboli, hæc petra scandalin quam non pauci alias boni impingunt, ut ab*

A justitia, quorum præsentia grata, quorum memoria in benedictione. Qui se amabiles præbeant, non verbo, sed opere: reverendos exhibeant, sed actu, non fastu. Qui humiles cum humilibus, et cum innocentibus innocentes; duros dure redarguant, malignantes coerceant, reddant retributionem superbis. Qui non de dote viduæ, (56) et patrimonio Crucifixi se vel suos ditare festinent, gratis dantes quod gratis acceperunt, gratis facientes iudicium injuriam patientibus, vindictam in nationibus, increpationes in populis. Qui de tuo denique spiritu, illorum instar septuaginta Moysi, accepisse cernantur (Num. xi, 16, 17), per quem sive absentes, sive præsentēs contendant placere tibi, placere Deo. Qui ad te redeant fatigati quidem, sed non suffarcinati: simul et gloriantes, non quod curiosa seu pretiosa quæque terrarum attulerint, sed quod reliquerint pacem regnis, legem barbaris, quietem monasteriis, ecclesiis ordinem, clericis disciplinam, Deo populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.

#### CAPUT V.

*Exemplis commendatur abstinentia munerum; et arrogantia ministrorum Papæ perstringitur.*

13. Dignum reor ad medium venire factum dulcis memoriæ Martini nostri (57). Nosti hoc; sed an memineras, ignoro. Is cardinalis presbyter, functus 441 aliquando legatione in Dacia (58), tam pauper remeavit, ut pene expensis et equis deficientibus, vix perveniret Florentiam. Ibi episcopus loci donavit ei equum, quo Pisas usque, ubi eramus tunc, pervectus est. Postridie, credo, secutus episcopus (erat enim illi causa cum adversario, et agendi aderat dies) cœpit requirere suffragia amicorum. Cumque

*hoc cognatorum affectu se vinci et vinciri sinant, iisque opes et status jugi cura et studio sine fine accumulunt, etiam e bonis Ecclesiæ, cum animæ et salutis suæ suorumque gravi periculo. Gliscit enim, serpit, et crescit hæc cupiditas instar ignis latentis, quo magis illi indulgetur, tandemque fit insaturabilis, et in immane evadit incendium. Ita sacerdotes, qui cælestes esse debebant, fiunt terreni, et summi fiunt imi: ita quos animo excelso omnia humana despiciere, illisque altiores esse, aliosque idipsum docere oportebat, ad ea conversi prolabantur, mentemque sublimem ad infima hæc deprimunt.*

*O curvæ in terras animæ, et cælestium inanes!*  
Quam hi a Christi et priscorum Patrum virtute degenerant! Vide hæc, et in similem sententiam plura apud Cornel. a Lapide in cap. 44. Ezech. v, 25.

(57) Is presbyter cardinalis ab Innocentio creatus anno 1130. Nostrum vocat Bernardus, non quod Claræ-Vallensis fuerit, (neque enim inter prælatos inde assumptos ab Ernaldo numeratur in lib. ii Vitæ, num. 8), sed sive quod peculiaris Bernardi amicus fuerit, sive quod Gallus, seu quod ejusdem, id est Cisterciensis, instituti. Quod tamen Manricus asserere non audet. Anno 1132. Hæc Martini in Daciam legatio ponitur. Hoc factum ex Bernardo Johannes Saresberiensis laudat in Polycratice lib. v, cap. 15 uti et sequens Gaufridi Carnotensis. Alia exempla ibidem cap. 16.

(58) Ita constanter editi et scripti; *Dania legit Manricus.*



per singulos sollicitarentur, ventum est ad Martinum. Fiducia erat major in illo, qui non posset immemor esse recentis beneficii. Tum Martinus: « Decepisti me, » inquit: « nesciebam tibi imminere negotium: Tolle equum tuum, ecce in stabulo est. » Et hora eadem resignavit illi. Quid dicis, mi Eugeni? Nonne alterius sæculi res est, redisse legatum de terra auri sine auro? transiisse per terram argenti, et argentum nescisse? donum insuper, quod poterat esse suspectum, illico rejecisse?

14. Sed o mihi locum suavem, ubi incidit occasio memorandi et nominandi suavissimi odoris viram, episcopum loquor Carnotensem Gaufridum, qui legationem in partibus Aquitanie (59) propriis sumptibus strenue administravit, idque annos plures. Rem loquor quam vidi ipse. Eram cum eo in terra illa, cum a quodam presbytero presentatus illi est piscis, quem vulgo vocant sturgionem. Percunctatus legatus quanti venierit, « Non accipio, » inquit, « nisi receperis pretium. » Et resignavit solidos quinque invito et verecundo. Item cum essemus in quodam oppido, domina illius oppidi obtulit ei pro devotione cum manutergio duas vel tres paropsides pulchras, ligneas tamen: quas aliquandiu intuens homo scrupulosæ conscientie, laudavit eas, sed non acquievit accipere. Quando [al. quomodo] argenteas recepisset, qui ligneas refutavit? Non fuerunt qui possent legato dicere: *Ditavimus Abraham* (Gen. xiv, 23). Ipse vero cum Samuele libere concionabatur ad omnes: *Loquimini de me coram Domino et coram Christo ejus, utrum bovem cujuspiam tulerim aut asinum; si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam munus accepi; et contempnam illud hodie, vobisque restituum* (I Reg. xii, 3). O si talium daretur virorum copia, quales perstrinximus nunc! Quid te felicius, quid illo juvenius sæculo? Nonne secunda ab æternitate illorum tibi temporum beatitudo videretur, cum te quaquaversum procedens, stipatum videres tam inclyto agmine beatorum?

15. Si te novi, hæres, et altum trahens suspirium [al. spiritum], tecum loqueris: Putas fore posse quod dicitur? Putas hic sumus, quousque hæc fiant? Quis det vivere, ut videre contingat? O si viderem in vita mea Ecclesiam Dei talibus innixam columnis! O si Domini mei sponsam cernerem tantæ commissam fidei, tantæ creditam puritati! Quid me beatius, quidve securius, cum ejusmodi circa me vitæ meæ et custodes spectarem simul et testes? Quibus omnia mea secreta secure committerem, communicarem consilia; quibus me totum refunderem, tanquam alteri mihi. Qui, si vellem aliquatenus deviare, non sinerent, frenarent præcipitem, dormitantem excita-

(59) De hac legatione in Aquitaniam contra Henricianos lege lib. ii de Vita Bernardi, cap. 6 et lib. iii, cap. 6. Bernardi varias ad Gaufridum istam epistolas habes in tomo primo.

(60) Proverbialis locutio, petita ex Ezechiele viii; quasi diceret: Ego leviter tantum et obiter et summis quasi digitis rem tetigi; tuum est altius rimari.

rent. Quorum me reverentia et libertas extollentem reprimeret, excedentem corrigeret: quorum me constantia et fortitudo nutantem firmaret, erigeret dissidentem: quorum me fides et sanctitas ad quæque sancta, ad quæque honesta, ad quæque pudica, ad quæque amabilia et bonæ famæ provocaret. Et nunc reduc oculos, mi Eugeni, ad eum qui nunc est curiæ sive Ecclesiæ statum et studia prælatorum, eorum præsertim, qui sunt in circuitu tuo.

16. Sed de his hactenus. Ego palpavi, non Todi parietem (60). Tibi licet fodere et videre, utpote prophetæ filio. Mihi progredi non est fas. Unum dico quod in facie est. Ridicule ministri vestri vestris se compresbyteris **442** anteferre conantur. Non hæc ratio habet, non antiquitas habuit, non consentit auctoritas. Et si de sua consuetudine calumnia struitur, melius profecto illa, quam summus Ordo contemnitur. Frivolum tamen satis, unde maximo obtinere id volunt. Nos sumus, inquit, qui in omni celebritate domino Papæ conjunctiores assistimus, sedenti propiores assidemus, procedentem posteriores præcedimus (61). Hoc totum non dignitatis privilegium, sed sedulitatis debitum est, diaconi nomen solemni ipsa administratione interpretans. Denique presbyteris ordinata consensione ambientibus majestatem, vos a pedes sedetis. Propiores assistitis, ut habeat paratiores. In evangeliiis legimus, quia facta est contentio inter discipulos, quis eorum videretur esse major (Luc. xxii, 24). Beatus esses, si sic circa te cætera tenerentur.

#### CAPUT VI.

*Pontifici non convenire, utpote gravioribus intento, rei domesticæ curam; proindeque alteri potius œconomus committendam*

17. Tædet jam curiæ: exeundum palatio; domi exspectant nos. Hi non modo circa, sed quodammodo intra te sunt. Non est supervacua consideratio, qua intendis disponere domui tuæ, providere his qui in sinu tuo et in gremio tuo sunt. Ego dico et necessariam. Paulum audi: *Si quis domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* (I Tim. iii, 5) item: *Si quis suorum et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior* (Id. v, 8). Et hæc dicens, non te moneo summis occupatum intendere infimis et quasi minutum fieri; minimis impendere quod maximis debes. Quid te intrices, unde te eripuit Deus? *Hæc, inquit, omnia adjicientur vobis* (Matth. vi, 33). Veruntamen et hæc oportet facere et illa non omittere. At illa per te agens, per te etiam oportet provideas, qui pro te de his provideant. Nam si unus e servis per se non sufficit simul et custodiæ jumentorum, et curæ mensarum: tu per te quomodo in-

omnia et perscrutari quæ vitia deformant Ecclesiam.

(61) Ita scripti nunc locum restituunt et recte: cum Romano more servi dominum præcedant, digniores posteriori ordine. In editis legebatur, *priores sequimur procedentem*.

tendere valeas et tuæ domui; et Domini pariter? **A** Quid episcopo turpius, quam incumbere suppellectili et substantiæ suæ: scrutari omnia, sciscitari de singulis, morderi suspicionibus, moveri ad quæque perdita vel neglecta? Ad verecundiam dico quorundam ejusmodi, scrutantium quotidie omnem substantiam suam, numerantium singula, de minutis et quadrantibus exigentium rationem. Non ita ille Ægyptius, qui Joseph omnibus traditis, ignorabat quid haberet in domo sua (*Gen. xxxix, 4, 6*). Eru- bescat christianus, christiano sua non credens. Homo sine fide, fidem tamen habuit servo, super omnia bona sua constituens eum: et hic erat alienigena.

tendere valeas et tuæ domui; et Domini pariter? **A** Quid episcopo turpius, quam incumbere suppellectili et substantiæ suæ: scrutari omnia, sciscitari de singulis, morderi suspicionibus, moveri ad quæque perdita vel neglecta? Ad verecundiam dico quorundam ejusmodi, scrutantium quotidie omnem substantiam suam, numerantium singula, de minutis et quadrantibus exigentium rationem. Non ita ille Ægyptius, qui Joseph omnibus traditis, ignorabat quid haberet in domo sua (*Gen. xxxix, 4, 6*). Eru- bescat christianus, christiano sua non credens. Homo sine fide, fidem tamen habuit servo, super omnia bona sua constituens eum: et hic erat alienigena.

18. His te non dubites et bonis privandum, et **B** ferendum malis, si animum dividens, et Dei rebus, et tuis pariter reculis volueris impertiri. Procurandus quem implices, qui pro te molat. Pro te dico non tecum. Quædam per te facies; quædam per te et alios simul; quædam per alios ac absque te. Quis sapiens, et intelliget hæc? Non est quod inter ista dormitet consideratio tua. Ego verò agenda domus tuæ sub eo genere, quod novissimum posui, locanda censuerim. Per alium, ut dixi, illa facies. At is, si fidelis non fuerit, fraudabit: si non fuerit prudens, fraudabitur. Quærendus proinde fidelis et prudens, quem constituas super familiam tuam. Adhuc inutilis est, si tertium desit. Quæris quid hoc? Auctoritas. Quid enim prodest ei velle et scire quæque disponere, **443** prout necesse est, si quod scit et vult, non potest? Danda ergo facultas agendi pro libitu. Si in præjudicium rationis putas hoc fieri, memento fidelem, qui agere nihilominus pro ratione volet: attende prudentem, qui agere nihilominus pro ratione sciet. Sed fidei solersque voluntas tuæ proderit, cum ei affatim suppetet, unde tota facilitate mancipetur effectui, cunctis sine cunctatione parentibus. Subdendi igitur omnes. Nullum patiatur contradictorem. Nemo qui dicat, Cur fecisti sic? Potestatem habeat excludere et admittere quos voluerit; mutare ministros, transferre ministeria ad quos et quando voluerit. Ita timori sit omnibus, ut sit et utilitati. Præsit omnibus, ut omnibus prosit, et de omnibus. Clandestinas et susurratas delationes non recipias adversus eum: magis detractiones censueris. Et hanc velim generalem tibi constituas regulam, ut omnem, qui palam veretur dicere quod in aure locutus est, suspectum habeas. Quod si te judicante dicendum coram ille renuerit, delatorem judices, non accusatorem.

19. Itaque unus omnibus facienda injungat, et **uni** omnes respondeant. Tu illi habeas fidem, vacans tibi et Ecclesiæ Dei. Si quominus aut fidelis invenitur, aut prudens, fideli potius committendum. Sane e duobus tutius hoc. Quanquam si idoneus non reperitur, etsi minus fidelem sustinere potius consulo, quam te immergere labyrintho huic. Memento Salvatorem Judam œconomum habuisse (*Joh. xii, 6*).

20. Mira res! Satis superque episcopi ad manum habent, quibus animas credant: et cui suas committant facultatas, non inveniunt. Optimi videlicet æstimatores rerum, qui magnam de minimis, parvam aut nullam de maximis curam gerant. Sed, ut liquido datur intelligi, patientius serimus Christi jacturam, quam nostram. Quotidianas expensas quotidiano recipimus scrutinio, et continua dominici gregis detrimenta nescimus. De pretio escarum et numero panum cum ministris quotidiana discussio est: rara admodum cum presbyteris celebratur collatio de peccatis populorum. Cadit asina, et est qui sublevet eam: perit anima, et nemo est qui reputet. Nec mirum, cum nec nostros quidem assiduos sentiamus defectus. Nonne ad singulas supputationes istas irascimur, urimur, anxiamur? Quam tolerabilius rerum, quam mentium sustineremus jacturam! *Quare, inquit, non magis fraudem patimini? (I Cor. vi, 7.)* Quæso, tu qui alios doces, doce te ipsum: si tamen jam non docuisti, pluris te habere, quam tua. Transitoria ista, quæ stare tibi nullo pacto queunt, fac ut a te transeant, non per te. Rivus qua fluit, cavat terram: sic discursus temporalium conscientiam rodit. Si potest torrens in agros excurrere sine læsione satorum; et tu te ista sine vulnere mentis posse tractare confidito. Omnimodis consulo studeas avertere a te concursum horum. Multa nescias, plurima dissimules, nonnulla obliviscaris.

21. Sunt tamen quæ ignorare te nolim, mores quorumque et studia. Non oportet ut vitia domus tuæ ultimus **444** scias: quod quamplurimis novimus contigisse. Quapropter, ut dixi, alius alia dispenset; de disciplina tu provide, illud nemini credas. Si insolentior coram te vel sermo sonuerit, vel habitus apparuerit: manus tua super ejusmodi; tu ulciscere injuriam tuam. Impunitas ausum parit, ausus excessum. Domum episcopi decet sanctitudo, decet modestia, decet honestas: horum disciplina custos. Sacerdotes domestici, aut cæteris honestiores, aut fabula omnibus sunt. In vultu, in habitu, in incessu illorum qui circa te sunt, nihil residere impudicum, nihil indecens patiaris. Discant a te coepiscopi tui comatulos pueros et comptos adolescentes secum non habere. Certe inter mitratos discurrere calamistratos non decet. Et memento quod Sapiens

21. Sunt tamen quæ ignorare te nolim, mores quorumque et studia. Non oportet ut vitia domus tuæ ultimus **444** scias: quod quamplurimis novimus contigisse. Quapropter, ut dixi, alius alia dispenset; de disciplina tu provide, illud nemini credas. Si insolentior coram te vel sermo sonuerit, vel habitus apparuerit: manus tua super ejusmodi; tu ulciscere injuriam tuam. Impunitas ausum parit, ausus excessum. Domum episcopi decet sanctitudo, decet modestia, decet honestas: horum disciplina custos. Sacerdotes domestici, aut cæteris honestiores, aut fabula omnibus sunt. In vultu, in habitu, in incessu illorum qui circa te sunt, nihil residere impudicum, nihil indecens patiaris. Discant a te coepiscopi tui comatulos pueros et comptos adolescentes secum non habere. Certe inter mitratos discurrere calamistratos non decet. Et memento quod Sapiens

admonet : *Fiat tibi sunt? noli faciem tuam hilarem ad eas ostendere (Eccli. vii, 26).*

22. Nec austeritatem tamen suadeo tibi, sed gravitatem. Illa infirmiores fugat, hæc reprimit leviores. Illa, si adsit, odibilem; hæc, si desit, contemptibilem reddit : in omnibus tamen modus melior. Ego nec severius velim, nec dissolutius. Quid hac mediocritate gratius, ut nec de severitate sis oneri, nec de familiaritate contemptui? In palatio papam, domi te patremfamilias exhibe. Ament te domestici tui : si non, facito ut timeant. Utilis semper custodia oris, quæ tamen affabilitatis gratiam non excludat. Ergo ubique frenanda lingua præceptus, maxime autem in convivio. Ille convenientior habitus, si tu actu quidem severus sis, vultu serenus, verbo serius. Capellani, et qui tecum jugiter divinis intersunt officiis, non sint sine honore. Tuum est tales tibi providere, qui digni sint. Serviatur eis ab omnibus tanquam tibi. Necessaria de manu tua accipiant. His contenti sint quæ tu provideris illis : tu vide ne egeant. Super hoc quem forte ab adventantibus petere deprehendes, judica Giezitam (*IV Reg. v, 20-27*) : id de ostiariis, id de cæteris officialibus decernendum. Verum hoc ex abundanti : nam formam istam jam olim a te positam recordamur. Quid tuo dignius apostolatu? quid salubrius ad conscientiam, honestius ad famam, utilius ad exemplum? Optimus canon, qui projicit avaritiam ex calumnia, et non a conscientia tantum.

#### CAPUT VII.

*Epilogus seu summa eorum quæ in pontifice requiruntur.*

23. Libet jam et hunc claudere librum : sed in

calce aliqua velim vel ante dicta quasi epilogo repeterere, vel addere prætermissa. Consideres ante omnia sanctam Romanam Ecclesiam, cui Deo auctore præes, Ecclesiam matrem esse, non dominam : te vero non dominum episcoporum, sed unum ex ipsis; porro fratrem diligentium Deum, et participem timentium eum. De cætero oportere te esse considera formam justitiæ, sanctimoniæ speculum, pietatis exemplar, assertorem veritatis, fidei defensorem, doctorem gentium, Christianorum ducem, amicum Sponsi, Sponsæ paranymphum, cleri ordinatorem, pastorem plebium, magistrum insipientium, refugium oppressorum, pauperum advocatum, miserorum spem, tutorem pupillorum, judicem viduarum, oculum cæcorum, linguam mutorum, baculum senum, ultorem scelerum, malorum metum, honorum gloriam, virgam potentium, malleum tyrannorum, regum patrem, legum moderatorem, canonum dispensatorem, sal terræ, orbis lumen, sacerdotem Altissimi, vicarium Christi, christum Domini : postremo deum Pharaonis. Intellige quæ dico : dabit tibi Dominus intellectum. Ubi malitiæ juncta potentia est, aliquid tibi supra hominem præsumendum. Vultus tuus super facientes mala. Timeat spiritum iræ tuæ, qui hominem non veretur, gladium non formidat. Timeat orationem, qui admonitionem contempsit. Cui irascaris tu, Deum sibi iratum, non hominem putet. Qui te non audierit, auditurum Deum; et contra se paveat. Quod reliquum est, de his quæ supra te sunt, incumbit jam disputatio : quam uno libro, Deo adjuvante, solvere spero, et me pariter absolvere promissione mea.

## LIBER QUINTUS.

### 445 CAPUT PRIMUM.

*De his quæ supra nos sunt, id est de Deo rebusque divinis, considerationem instituit, ad quas modo per creaturas erigimur.*

1. Libri superiores, etsi de consideratione inscribantur, plurimum tamen habent actionis admistum dum res aliquas non considerandas tantum, sed agendas docent vel monent. At qui in manibus modo est, sola in consideratione versabitur. Quæ enim supra sunt (id quidem instat [62]) actu non indigent, sed inspectu. Non est quod in eis actites, quæ uno modo semper sunt, et in æternum; porro aliqua et ab æterno. Et hoc velim solerter advertas, vir sagacissime Eugeni, quia toties peregrinatur consideratio tua, quoties ab illis rebus ad ista deflectitur inferiora et visibilia, sive intuenda ad notitiam, sive appetenda ad usum, sive pro officio disponenda vel

actitanda. Si tamen ita versatur in his, ut per hæc illa requirat, haud procul exulat. Sic considerare, repatriare est (63). Sublimior iste præsentium ac dignior usus rerum, cum juxta sapientiam Pauli, *invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Sane hæc scala cives non egent, sed exsules. Quod vidit ipse hujus sententiæ auctor, qui cum diceret invisibilia per visibilia conspici, signanter posuit, *a creatura mundi (Rom. 1, 20)*. Et vere quid opus scalis tenenti jam solium? Creatura cæli illa est, præsto habens per quod potius ista intueatur. Videt Verbum, et in Verbo facta per Verbum. Nec opus habet ex his quæ facta sunt, Factoris notitiam mendicare. Neque enim ut vel ipsa noverit, ad ipsa descendit, quæ ibi illa videt, ubi longe melius sunt quam in se ipsis. Unde nec medium requirit ad ea

(62) Aliis, ut quidem constat; sed legendum instat, id est, id modo exsequendum restat.

(63) Varia hic lectio, quidam scripti: *appropiare*

est, alii *repatriare est*. Horstius cum paucis utrumque habet. *Repatriare* rectius ad sensum, ut opponatur exsilio, ut infra num. 2, *Repatriasse erit hoc*, etc.

corporis sensum : sensus ipsa sibi, se ipsa sentiens. Optimum videndi genus, si nullius egeris, ad omne quod libuerit [al. add. nosse], te contentus. Alioquin juvari aliunde, obnoxium fieri est minusque a perfecto istud, et minus liberum.

2. Quid, quod et inferioribus eges? nonne praeposterum hoc et indignum? Plane superiorum quaedam injuria est, inferiorum operam desiderare : a qua injuria nemo hominum perfecte vindicabitur, nisi cum quisque evaserit in libertatem filiorum Dei. Nempe erunt hi omnes docibiles Dei (Joan. vi, 45), et nulla interveniente creatura, solo beati Deo. Repatriasse erit hoc, exisse de patria corporum in regionem spirituum. Ipsa est Deus noster, maximus spiritus, maxima mansio spirituum beatorum : et ne quid hic sibi usurpet sensus [al. add. carnis] seu imaginatio, veritas est, sapientia est, virtus, aeternitas, summum bonum. Unde [al. add. a quo] interim absumus : et ubi sumus, vallis est lacrymarum, in qua sensualitas regnat, et consideratio exsulat : in qua libere quidem et potestative se exserit sensus corporeus, sed intricatus caligat oculus spiritualis. Quid igitur mirum, si ope indigenae advena indiget? Et felix secundum tempus viator, qui civium beneficium, sine quo transire non potest, in obsequium convertere potuit, utens, non fruens; urgens, non petens; exactor, non supplex.

#### CAPUT II.

*Assignat varios considerationis gradus.*

3. Magnus ille, qui usum sensuum, quasdam veluti civium opes, expendere satagit, dispensando **446** in suam et multorum salutem. Nec ille minor qui hunc sibi gradum ad illa invisibilia philosophando constituit : nisi quod hoc dulcius, illud utilius; hoc felicius, illud fortius esse constat. At omnium maximus, qui spreto ipso usu rerum et sensuum, quantum quidem humanae fragilitati fas est, non ascensoriis gradibus, sed inopinatis excessibus, avolare interdum contemplanando ad illa sublimia consuevit. Ad hoc ultimum genus illos pertinere reor excessus Pauli. Excessus, non ascensus : nam raptum potius fuisse, quam ascendisse ipse se perhibet (II Cor. xii, 1-4). Inde est quod dicebat : *Sive mente excedimus, Deo* (Id. v, 13). Porro haec tria ita contingunt, cum consideratio, etsi in loco peregrinationis suae, virtutis studio, et adjutorio gratiae facta superior, sensualitatem aut premit ne insolenscat, aut cogit ne evagetur, aut fugit ne inquinet, in primo potentior, in secundo liberior, in tertio purior. Puritatis siquidem et alacritatis pariter alis fit ille volatus.

4. Vis tibi has considerationis species propriis distingui nominibus? Dicamus, si placet, primam dispensativam, secundam aestimativam, tertiam speculativam. Horum nominum rationes definitiones declarabunt. Dispensativa est consideratio sensibus sensibilibusque rebus ordinate et socialiter utens ad promerendum Deum. Aestimativa est consideratio prudenter ac diligenter quaeque scrutans

et ponderans ad vestigandum Deum. Speculativa est consideratio se in se colligens, et, quantum divinitus adjuvatur, rebus humanis eximens ad contemplanandum Deum. Puto vigilanter advertis aliarum hanc esse fructum : caeteras, si non referantur ad istam, quod dicuntur videri posse, sed non esse. Et prior quidem absque intuitu hujus multa serit, et nihil metit : sequens vero nisi ad istam se dirigat, vadit, sed non evadit. Ergo quod prima aptat, secunda odorat, tertia gustat. Ad quem tamen gustum perducunt et caeterae, etsi tardius : nisi quod prima laboriosius, secunda quietius pervenitur.

#### CAPUT III.

*Ea quae supra nos sunt, Deum scilicet et Angelos, investigari opinione, fide, et intellectu.*

5. Dixisti, inquis, satis qua ascendatur : etiam quo ascendendum, dicere habes. Falleris, si id speras : ineffabile est. Tu me existimas loqui quod oculus non vidit, nec auris audivit, et in cor hominis non ascendit? *Nobis, inquit, revelavit, Deus per Spiritum suum* (I Cor. ii, 9, 10). Ergo quae supra sunt non videbo docentur, sed spiritu revelantur. Verum quod sermo non explicat, consideratio quaerit, oratio expelat, mereatur vita, puritas assequatur. Sane eorum admonitus quae supra sunt, non te existimes mitti a me suspicere solem, lunam, stellas, non ipsum firmamentum, non aquas quae super caelos sunt. Ista siquidem omnia, etsi supra loco, pretio infra sunt, et dignitate naturae : sunt enim corpora. Tui portio spiritus est, quo superius quidpiam frustra quaeris, quod non sit spiritus. Porro spiritus est Deus, sunt et Angeli sancti, et hi supra te. Sed Deus natura, Angeli gratia superiores sunt. Unum siquidem tui et Angeli optimum, ratio est : Deus vero non sui aliquid optimum habet, unum optimum totus. Is, et qui cum eo sunt beati spiritus, tribus modis, veluti viis totidem, nostra sunt consideratione **447** vestigandi, opinione, fide, intellectu. Quorum intellectus rationi innititur, fides auctoritati, opinio sola veri similitudine se tuetur. Habent illa duo certam veritatem : sed fides clausam et involutam, intelligentia nudam et manifestam : caeterum opinio certi nihil habens, verum per verisimilia quaerit potius, quam apprehendit.

6. Omnino in his cavenda confusio, ne aut incertum opinionis fides figat, aut quod firmum fixumque est fidei, opinio revocet in quaestionem. Et hoc sciendum, quia opinio, si habet assertionem, temeraria est : fides, si habet haesitationem, infirma est : item intellectus, si signata fidei tentet irrumperere, reputatur effractor, scrutator majestatis. Multi suam opinionem intellectum putaverunt, et erraverunt. Et quidem opinio potest putari intellectus ; intellectus opinio non potest. Unde hoc accidit? Profecto quia haec falli potest, ille non potest : aut si falli potuit, intellectus non fuit, sed opinio. Verus nempe intellectus certam habet non modo veritatem, sed notitiam veritatis. Possumus singula haec ita definire,

Fides est voluntaria quædam et certa prælibatio necdum propalatae veritatis. Intellectus est rei cujuscunque invisibilis certa et manifesta notitia. Opinio est quasi pro vero habere aliquid, quod falsum esse nescias. Ergo, ut dixi, fides ambiguum non habet; aut si habet, fides non est, sed opinio. Quid igitur distat ab intellectu? Nempe quod etsi non habet incertum non magis quam intellectus, habet tamen involucrum, quod non intellectus. Denique quod intellexisti, non est de eo quod ultra quæras: aut si est, non intellexisti. Nil autem malum scire, quam quæ fide jam scimus. Nil supererit ad beatitudinem, cum quæ jam certa sunt nobis fide, erunt æque et nuda.

#### CAPUT IV.

##### *Angeli quomodo considerandi.*

7. His ita expeditis, age jam dirigatur consideratio in eam quæ sursum est Jerusalem mater nostra, ac totis tribus memoratis viis caute et vigilanter vestigemus investigabilia: quatenus tamen licet, vel magis quatenus nobis donabitur. Et primo quidem cives spiritus esse illic potentes, gloriosos, beatos, distinctos in personas, dispositos in dignitates, ab initio stantes in ordine suo, perfectos in genere suo, corpore æthereos (64-65), immortalitate perpetuos, impassibiles non creatos, sed factos, id est gratia, non natura; mente puros, affectu benignos, religione pios, castimonia integros, unanimitate individuos, pace securos, a Deo conditos, divinis laudibus et obsequiis deditos. Hæc omnia legendo comperimus, fide tenemus. Quanquam de corporibus horum non modo unde sint, sed an aliquatenus sint, hæret sententia aliquorum. Unde si quis inter opinabilia magis id ponendum censuerit, non contendo. Porro intellectu præditos, non fide, non opinione, sed intellectu capimus; quia non possunt hujus expertes, et Dei simul participes esse. Sunt et nomina quædam nota nobis similiter ex auditu, per quæ harum beatitudinum, etiam quæ non liquido mortalium percepit auditus, officia, merita, gradus, ordines, utcumque a nobis conjici et discerni queunt. Sed enim quod ex auditu non est, jam non ex fide; nam fides ex auditu (*Rom. x, 17*). Itaque opinando

(64-65) Confer sermonem 5 in Cantica, ubi de corporibus angelorum, et ibi notas.

(66) Novem esse angelorum ordines, nec plures, nec pauciores; gradu ac dignitate inter se distinctos, sententia est multorum Patrum consensu tradita. Nam ita sentit Ignatius epist. ad Trallian.; Dionysius, De cœlest. hierarch. cap. 6, ubi ex instituto eam rem tractans, tres constituit angelorum hierarchias, et singulas in tres ordines subdividit. Hos sequuntur Gregor. hom. 34 super Evang., Hieron. lib. 11, Apolog. advers. Ruff., Chrys. hom. 4 super gen., Rupert. lib. 111, de process. Sp. S. cap. 6, et Bernard. noster, præter locum præsentem, serm. de S. Martino, et hom. 8 in Cantic. In ordine tamen horum ordinum constituendo Patres variant, nec certæ collocationis rationem habuisse videntur. Qua de re v. S. Thom. 1. p., q. 108, a. 6.

Porro observa Bernardum de hac materia sobrie admodum et opinando potius, quam affirmando locutum. Nam quot sint angelorum ordines, et quibus

A ista dixerimus. Ad quid enim cœlestium nomina innotuerunt, si ne opinari quidem salva fide aliquid licet de rebus, quarum nomina sunt? Angeli, Archangeli, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Throni, Cherubin, et Seraphin, hæc nomina. Quæ significata eorum? Nullane inter illos spiritus qui simpliciter Angeli, et eos qui Archangeli nuncupantur, distantia?

8. Quid ergo sibi vult gradualis distinctio hæc (66)? Putemus 448 Angelos dici (nisi ut convenientius aliquid considerasti) qui singuli singulis hominibus dati creduntur; *missi in ministerium*, secundum Pauli doctrinam, *propter eos qui hæreditatem capiunt salutis* (*Hebr. 1, 14*): de quibus Salvator, *Angeli eorum semper vident faciem Patris* (*Matth. xviii, 10*). Putemus his præesse Archangelos, qui conscii mysteriorum divinorum, non nisi ob præcipuas et maximas causas mittuntur: E quibus magnus ille archangelus Gabriel missus legitur ad Mariam (*Luc. 1, 26*), ob causam utique, qua major esse non potuit. Putemus esse super istos Virtutes esse, quorum nutu vel opere signa et prodigia in elementis, sive ex elementis facta apparent ad commotionem mortalium. Inde est fortassis, quod cum in Evangeliiis legas: *Erunt signa in sole et luna et stellis*, paulo post habes, *Nam virtutes cœlorum movebuntur* (*Luc. xxi, 25, 26*); hi nimirum spiritus, per quos signa fiunt. Putemus Potestates superiores istis, quarum virtute potestas tenebrarum comprimitur, et coercetur malignitas aeris hujus, ne quantum vult noceat; ne malignari, nisi ut prosit, possit. Putemus Principatus his quoque prælatos, quorum moderamine et sapientia omnis in terris principatus constituitur, regitur, limitatur, transfertur, mutilatur, mutatur. Putemus Dominationes adeo cunctis supereminere præfatis ordinibus, ut respectu horum cæteri videantur omnes administratorii spiritus, et ad istos, tanquam ad dominos, referri regimina Principatum, tutamina Potestatum, operationes Virtutum, revelationes Archangelorum, curam et providentiam Angelorum. Putemus Thronos alto etiam ab his evolasse recessu, qui ex eo quod sedent, Throni dicuntur; et ex eo sedent, quod sedit in eis Deus.

D inter se proprietatibus discreti, res est a sensibus, atque experientia mortalium longe remotissima. Proindeque in loco obscuro et caliginoso non temere figendus gressus, namque ex humanis rationibus deliniendum, sed procedendum caute, quousque Scripturæ sacræ et Ecclesiæ nobis auctoritas præluserit. Unde et sancti Patres hanc rem parce et sobrie sibi tractandam putarunt, uti videre est apud Hilarium Enarr. psal. cxxxix; Aug. in Ench. cap. 58, ubi fatetur ingenue, se ignorare quomodo se habeat beatissima illa et suprema societas; et quæ ibi sint differentiae personarum. Idem lib. ad Orosium cont. Priscill. et Orig. profitetur, sed nec in ea ignorantia ullum esse periculum ait. Quin et ipse Dionys., De cœlest. hierarch., cap. 6, ubi tractationem de angelorum ordinibus aggreditur, præfatur solum Deum et angelos scire, quot sint, et qui cœlestium naturarum ordines. Sed vide S. Thom. loc. cit., art. 5 et 6, et ibid. Comment.

Neque enim sedere in eis qui non sederent A posset. Quæris quid [ *al. quam* ] illam sentiam sessionem? Summam tranquillitatem, placidissimam serenitatem, pacem quæ exsuperat omnem intellectum. Talis est qui sedet in Thronis Dominus sabaôth, judicans omnia cum tranquillitate, placidissimus, serenissimus, pacatissimus. Et tales sibi constituit Thronos, simillimos sibi. Putemus Cherubin ex ipso sapientiæ fonte, ore Altissimi haurientes, et refundentes fluentia scientiæ universis civibus suis. Et vide ne is sit, quem propheta loquebatur, fluminis impetus lætificans civitatem Dei (*Psal. XLV, 5*). Putemus Seraphin, spiritus totos divino igne succensos, succendere universa, ut singuli cives singulæ sint lucernæ ardentes et lucentes; ardentes charitate, lucentes cognitione.

9. O Eugeni, quam bonum est nos hic esse! quam fore melius, si quando tamen toti sequamur quo ex parte præcessimus! Præcedimus animo, et ne ipso quidem toto, sed parte modica nimis. Affectus jacent mole corporea prægravati et luto hærentibus desideriis, sola interim arida et tenuis consideratio prævolat. Et tamen ex tantillo quod jam datur, libet exclamare: *Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ (Psal. xxv, 8)*. Quid si totam se colligat anima, et reductis affectibus, e cunctis locis, quibus captivi tenentur, timendo quæ non oportet, amando quæ non decet, dolendo vane, gaudendo vanius, cum his ineat tota libertate volatum, pulset impetu spiritus, et in pinguedine gratiæ illabatur? C Nonne cum cœperit circuire lucidas mansiones, et sinum illum etiam Abrahæ curiosius perscrutari, et sub altari, quodcumque illud est (67), martyrum revisere animas, in prima stola secundam patientissime exspectantes, multo magis tunc instabit loquens cum propheta: *Unam petii a Domino: hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluntatem Domini, ac visitem templum ejus? (Psal. xxvi, 4)* Quidni ibi videatur cor Dei? quidni ibi probetur quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta? Bona in se, placens in effectibus, beneplacens fruentibus, perfecta perfectis, et nihil ultra quærentibus. Patent viscera misericordiæ, patent cogitationes pacis, divitiæ salutis 449, mysteria bonæ voluntatis; benignitatis D arcana, quæ clausa mortalibus, etiam ipsis electis suspecta sunt. Id quidem salubriter, ne desinant timere, dum necdum digne amare idonei inveniuntur.

10. Cernere est in his qui Seraphin appellantur, quomodo amet qui unde amet non habet, sed est et qui nihil horum quæ fecerit odit: quos salvandos fecit, quomodo foveat, quomodo provehat, quomodo amplexetur, quomodo delicta electæ juventutis (68), et paleas ignorantiarum ejus ignis ille

(67) Ex his verbis patet, Bernardum sermone 2 in festo Omnium Sanctorum non ita sensisse de altari illo, quasi intellectu aut fide id sibi constaret: sed tantum opinative sententiam suam dixisse

consumens, ipsam purgatissimam et suo amore dignissimam reddat. Cernere est in Cherubin, qui plenitudo scientiæ dicuntur, Deum scientiarum dominum esse, qui solus solam nesciat ignorantiam, qui totus sit lux, et tenebræ in eo non sint ullæ; totus sit oculus, et qui minime aliquando fallitur, quia minime clauditur; qui extra se non quærat lumen, cui admoveatur ut videat, ipse qui videt, ipse unde videt. Cernere est in Thronis, quam non suspectus omni innocentæ judex sedeat in his, qui circumvenire nolit, circumveniri non possit; quippe sic amans, et sic videns. Nec vacat sessio: tranquillitatis insigne est. De vultu tali iudicium meum prodeat opto, cui insit amor, error absit, absit et perturbatio. Cernere est in Dominationibus, quantæ sit Dominus majestatis, cujus nutu imperium constat, et imperio universitas atque æternitas termini sunt. Cernere est in Principatibus principium ex quo omnia; et quomodo a cardine ostium, sic ab ipso regi universitatem. Cernere est in Potestatibus, quam potestative idem princeps quos regit, protegit, contrarias potestates arcens et propulsans. Cernere est in Virtutibus unam ubique æqualiter præsto esse virtutem, per quam omnia, vivificam, efficacem, invisibilem, immobilemque, omnia tamen moventem utiliter, tenentem fortiter: quæ cum in minus usitata effecta apud mortales eruperit, miracula sive prodigia vocant. Cernere postremo et mirari est in Angelis et Archangelis veritatem atque experientiam vocis illius, *Quoniam ipsi cura est de nobis (I Petr. 5, 7)*; qui talium nos et tantorum non desinit jucundare visitationibus, instruere revelationibus, suggestionibus commone, sedulitate solatiari.

#### CAPUT V.

*Gratias ac dotes Angelorum a Deo in ipsos derivari.*

11. Hæc omnia contulit illis spiritibus ipse qui condidit illos, unus atque idem summus Spiritus, dividens singulis prout voluit. Hæc operatur in illis, hæc dedit operari et illis, sed aliter. Ardent Seraphin, sed igne Dei, vel potius igne Deo. Quod præcipuum est in eis, amant, sed non quantum Deus, nec quomodo. Lucent Cherubin, et scientia eminent, sed participio veritatis; ac per hoc non ut Veritas, nec quantum. Sedent Throni, sed insidentis beneficio. Judicant et ipsi cum tranquillitate, sed non ad mensuram modumve pacis pacantis, pacis quæ exsuperat omnem sensum. Dominantur Dominationes, sed sub Domino dominantur, serviunt pariter. Quid hoc ad summum, sempiternum, singulareque dominium? Præsunt Principatus et regunt: sed reguntur et ipsi, ita ut regere jam non norint, si regi desierint. Præcellit in Potestatibus fortitudo: sed qui debent quod fortes sunt, et aliter est fortis, et plus; nec tam fortis quam ipsa fortitudo est. Virtutes

Hæc fusius in prefatione ad tomum III.

(68) In quibusdam, *neglectæ juventutis*, sed mendose; hic enim agitur de electis.

pro suo ministerio et potentatu satagunt excitare A corda terpentia hominum innovatione signorum : virtus vero in eis manens, ipsa facit opera. Faciunt et illæ, sed in comparatione ejus non faciunt. Denique tantum interest, ut quasi singulariter propheta dicat ad eum, *Tu es Deus qui facis mirabilia* (Psal. LXXV, 15) : et idem de eo, *Qui facit mirabilia magna solus* (Psal. CXXXVI, 4). Adsunt Angeli et Archangeli : sed ille germanior nobis, qui non modo adest, sed inest.

12. Quod si dicas posse inesse et angelum, non inficior. Memini scriptum : *Et angelus qui loquebatur in 450 me* (Zach. I, 14). Atqui differentia et in hoc. Inest angelus suggerens bona, non ingerens : inest hortans ad bonum, non bonum creans. Deus sic inest ut afficiat, ut infundat, vel potius ut infundatur et participetur, ita ut unum perinde cum nostro spiritum esse dicere quis non timuerit, etsi non unam personam, unamve substantiam (69). Habes enim : *Qui adhæret Deo, unus spiritus est* (I Cor. VI, 17). Angelus ergo cum anima, Deus in anima. Ille ut contubernalis animæ inest, Deus ut vita. Itaque sicut anima videt in oculis, audit in auribus, odorat in naribus, in faucibus gustat, tangit in toto reliquo corpore : sic Deus diversa in diversis spiritibus operatur ; verbi gratia, in aliis amantem se exhibens, in aliis agnoscentem, in aliis alia facientem, sicut unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem (Id. XII, 7). Quis est iste tam communis in vocibus, tam longe in rebus ? quomodo quem nostris loquimur verbis, in sua reconditus majestate, nostros penitus et aspectus effugit, et affectus ? Audi ipsum quid loquatur hominibus. *Sicut exaltantur cæli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris* (Isai. LV, 9). Dicimur amare, et Deus : dicimur nosse, et Deus ; et multa in hunc modum. Sed Deus amat ut charitas, novit ut veritas, sedet ut æquitas, dominatur ut majestas, regit ut principium, tuetur ut salus, operatur ut virtus, revelat ut lux, assisit ut pietas. Quæ omnia faciunt et Angeli, facimus et nos : sed longe inferiori modo, non utique bono quod sumus, sed quod participamus.

#### CAPUT VI.

*Principii et essentiæ rationem proprie soli Deo convenire.*

13. Nunc jam transi spiritus istos, si forte cum sponsa dicere possis et tu : *Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea* (Cantic. III, 4). Quis est ? Non sane occurrit melius, quam *Qui est*. Hoc ipse de se voluit responderi, hoc docuit, dicente Moyse ad populum, ipso quidem injungente : *Qui est, misit me ad vos* (Exod. III, 14). Merito quidem. Nil competentius æternitati, quæ Deus est. Si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris ; in hoc verbo instaura-

tur, quod est, *Est*. Nempe hoc est ei esse, quod hæc omnia esse. Si et centum talia addas, non recessisti ab esse. Si ea dixeris, nihil addidisti : si non dixeris, nihil minuísti. Jam si vidisti hoc tam singulare, tam summum esse ; nonne in comparatione hujus quidquid hoc non est, judicas potius non esse, quam esse ? Quid item Deus ? Sine quo nihil est. Tam nihil esse sine ipso, quam nec ipse sine se potest. Ipse sibi, ipse omnibus est. Ac per hoc quodammodo ipse solus est, qui suum ipsius est, et omnium esse. Quid est Deus ? Principium : et hoc ipse de se responsum dedit (Joan. VIII, 25). Multa in rebus dicuntur principia, sed respectu posteriorum. Alioquin si ad aliquid præcedens respicias, ipsum potius principium dabis. Quamobrem si quæras verum simplexque principium, invenias oportet, quod principium non habuerit. Ex quo universum cœpit, ipsum profecto minime cœpit. Nam si cœpit, aliunde cœperit necesse est. A se enim cœpit nihil. Nisi forte quis putaverit, quod non erat, dare sibi potuisse, ut esse inciperet ; aut fuisse aliquid, antequam esset. Quod utrumque quia ratio non consentit, constat nihil sibi met extitisse principium. Quod vero aliud principium habuit, primum [al. principium] non fuit. Verum ergo principium nequaquam cœpit, sed totum ab ipso cœpit.

14. Quid est Deus ? Cui sæcula nec accesserunt, nec decesserunt ; nec coæterna tamen. Quid est Deus ? Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia (Rom. XI, 36). Ex quo omnia, creabiliter, non seminabiliter. Per quem omnia, ne alium auctorem atque alium opificem arbitraris. In quo omnia, non quasi in loco, sed quasi in virtute. Ex quo omnia, tanquam uno principio, auctore omnium. Per quem omnia, ne alterum inducatur principium 451 artifex. In quo omnia, ne tertium inducatur, locus. Ex quo omnia, non de quo, quia non est materia Deus : efficiens causa est, non materialis. Frustra philosophi materiam quærent : non eguit materia Deus. Non enim officinam quæsit, non artificem. Ipse per se omnia fecit. Unde ? De nihilo : nam si ex aliquo fecit, illud non fecit, ac per hoc nec omnia. Absit ut de sua incorrupta incorruptibilique substantia tam multa fecerit ; etsi bona, corruptibilia tamen. Quæris si in ipso omnia, ipse ubi ? Nihil minus invenio. Quis capiat locus ? Quæris ubi non sit ? Nec hoc quidem dixerim. Quis sine Deo locus ? Incomprehensibilis est Deus : sed non parum apprehendisti, si hoc tibi de eo compertum est, quod nusquam sit, qui non clauditur loco ; et nusquam non sit, qui non excluditur loco. Suo autem illo sublimi atque incomprehensibili modo, sicut omnia in ipso, sic ipse in omnibus est. Denique sicut ait evangelista, *in mundo erat* (Joan. I, 10). Alias vero, ubi erat antequam mundus fieret, ibi est. Non est quod quæras ultra ubi erat ; præter ipsum nihil erat. Ergo in se ipso erat.

(69) Vide Sermonem 5 in Cantica, n. 8 et ibi notam.

## CAPUT VII

*Deum et simplicem et trinum esse.*

15. Quid est Deus? Quo nihil melius cogitari potest. Si approbas, non oportet assentiaris esse aliquid, quo Deus sit (70), et quod Deus non sit. Hoc enim sine dubio melius. Quomodo non melius Deo, si Deus non est, quod dat Deo ut sit? At melius illam divinitatem, qua dicunt Deum esse (71), non aliud quam Deum esse fatemur. Non est ergo in Deo nisi Deus. Quid? inquit: negas Deum habere divinitatem? Non, sed quod habet, hoc est. Negas divinitatem (72) Deum esse? Non, sed non alia, quam quæ ipse est. Aut si tu aliam invenisti, adjuvet me Trinitas Deus, adversus illam (73) tota me contumacia erigo. Quaternitas orbem disternat, non signat deitatem. Deus Trinitas est, Deus trium singula personarum. Si quartam divinitatem adjicere placet; interim ego hanc, quæ Deus non est, persuasi mihi minime adorandam. Puto quod et tu. Nempe *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (Luc. iv, 8). Gloriosa vero divinitas, quæ sibi honorem non audeat arrogare divinum. At melius quartum hoc omnino respuimus, quam sine honore recipimus. Multa dicuntur esse in Deo, et quidem sane catholiceque, sed multa unum. Alioquin si diversa putemus, non quaternitatem habemus, sed centenitatem. Verbi causa, dicimus magnum, bonum, justum, et innumera talia: sed nisi omnia unum in Deo, et cum Deo consideres, habebis multiplicem Deum.

16. Mihi vero non deest quot cogitem melius ejusmodi Deo tuo. Quæris quid? Mera simplicitas. Vero iudicio, natura simplex multiplici antefertur. Scio quod ad hæc respondere solent. Non multa, inquit, sed unam tantum divinitatem, quæ omnia illa sunt, Deo ut sit conferre asserimus. Asseritis ergo, etsi non multiplicem, duplicem Deum; et non ad merum simplex pervenistis, nequè ad id, quo melius cogitari non potest. Tam non est simplex, quod vel uni fuerit obnoxium formæ, quam nec virgo vel uni cognita viro. Securus loquor, ne is quidem qui vel duplex est, erit meus. Habeo enim meliorem. Esto quod hunc numero et multiplici anteponam: sed plane præ simplici sperno. Meus Deus ipse catholice est. Tam non habet hoc et illud, quam non hæc et illa. Est qui est, non quæ est. Purus, simplex, integer, perfectus, constans sibi, nihil de temporibus, nihil de locis, nihil de rebus trahens in se, nihil ex se deponens in eis; non habens quod ad numerum 452 dividat, non quæ colligat ad unum. Unum quippe est, sed non unitum. Non partibus constat, ut corpus; non affecti-

A bus distat, ut anima: non formis substat, ut omne quod factum est; sed neque formæ, ut istis visum est. Magna laus videlicet Deo, ut se ab informitate vindicet, forma una esse contentum. Hoc est dicere, cætera pluribus, Deum non nisi unum debere quod est. Quid? Cujus beneficio sunt quæ sunt, ipse pro suo esse alteri beneficio (74) inclinabit? Laus ista, ut vulgo dicitur, blasphemiam valet. An non pluris est nullo indigere quam uno? Habe reverentiam Deo, ut quod pluris est, illi tribuas. Si cor tuum usque huc ascendere potuit, Deum tuum infra quomodo collocabis? Ipse sibi forma, ipse sibi essentia est. In hoc interim gradu suspicio illum: et si alter potior appareret, illum potius darem. Nunquid verendum, ne cogitatio transvolet illum? Quantumcumque in altum proficiat, ultra est. Infra quod homo cogitare possit, altissimum quærere, ridiculum est; statuere, impium. Ultra, non citra quærendus est.

17. Ascende adhuc, si potes, ad cor altius, et exaltabitur Deus. Non est formatus Deus: forma est. Non est affectus Deus: affectio est. Non est compositus Deus: merum simplex est. Et ut liquido noveris, quid simplex dicam: idem quod unum. Tam simplex Deus, quam unus est. Est autem unus, et quo modo aliud nihil. Si dici possit, unissimus est. Unus est sol, quod non sit alter: una luna, quod æque altera non sit. Atque id quidem Deus, sed plus. Quid plus? Unus est etiam sibi. Et hoc vis tibi declarari? Idem est semper, et uno modo, Non sic unus sol, non sic una luna. Clamat uterque non esse unum sibi; ille motibus, illa et defectibus suis. Deus autem non modo unus sibi: et in se unus est. Nihil in se nisi se habet. Non ex tempore alterationem habet, non in substantia alteritatem hinc de eo Boetius: « Hoc vere unum, in quo nullus est numerus, nullum in eo aliud præter id quod est: Neque enim subjectum fieri potest: forma enim est. » Compara huic uni omne quod unum dici potest; et unum non erit. Trinitas est tamen Deus. Quid ergo? Destruimus quod dictum est de unitate, quia inducimus trinitatem? Non; sed statuimus unitatem. Dicimus Patrem, dicimus Filium, dicimus Spiritum sanctum; non tamen tres Deos, sed unum. Quid sibi vult iste (ut sic loquar) absque numero numerus? Si tria, quomodo non numerus? si unum, ubi numerus? Sed habeo, inquis, quid numerem, et quid non numerem. Substantia una est: personæ tres sunt. Quid mirum? quid vel obscurum in hoc? Nihil, si personæ seorsum a substantia cogitentur. Nunc vero cum tres illæ personæ illa substantia sint, et illa una substantia tres

(70) Necessaria prorsus correctio ex duobus manuscriptis Colbertinis; ubi in antehac editis, quod *Deus sit*. Ratio ex consequentibus perspicua.

(71) Nempe Gilbertus Porretanus Pictavensis episcopus, ejusque sequaces, damnati in concilio Remensi anno 1148, de quo Gaufridus, libro iii de Vita S. Bernardi, n. 15. Idem Gaufridus libellum edidit de rebus gestis in concilio Remensi contra Gilber-

tum, de quo ad sermonem 80 in Cantica.

(72) Alii male, *divinitatem*. Eadem correctio adhibita in sermone 80 super Cantica, n. 15.

(73) Editi addunt, *vel quaternitatem*, sed deest in manuscriptis.

(74) Quidam cum Horstio habent *alterius beneficio*. Sed planior sensus, *alteri benefico*, ut in prioribus manuscriptis.



illæ personæ; quis numerum neget? Nam vere tres sunt. Quis numeret tamen? Nam vere unum sunt. Aut si tu facile explicatu id putas, dicendo tres, dicito quid numerasti? Naturas? Una est. Essentias? Una est. Substantias? Una est. Deitates? Una est. Non hæc, sed personas numero, inquis. Quæ non sint illa una natura, illa una essentia, illa una substantia, illa una divinitas? Catholicus es; minime hoc dabis.

## CAPUT VIII.

*Personarum pluralitatem in Deo consurgere ex proprietatibus; essentiam tamen unam et simplicem esse.*

18. Personarum proprietates non aliud quam personas; ipsasque non aliud quam unum Deum, unam divinam substantiam, unam divinam naturam, unam divinam et summam majestatem, fides catholica confitetur. Numera ergo, si potes, aut sine substantia personas, quæ ipsa sunt: aut sine personis proprietates, quæ ipsæ sunt. Aut si dividere quis conetur vel **453** personas a substantia, vel proprietates a personis, nescio quomodo Trinitatis se profiteri cultorem possit; qui in tantam rerum numerositatem excesserit. Dicamus itaque tres, sed non ad præjudicium Unitatis: dicamus unum, sed non ad confusionem Trinitatis. Neque enim nomina vacua sunt, nec absque significantia cassæ voces. Quærit quis quomodo illud quod catholicum esse dicimus, possit esse [*al. add. quomodo hoc*]? Sufficiat ei tenere sic esse. Atque hoc non rationi perspicuum, nec tamen opinioni ambiguum, sed fidei persuasum. Sacramentum hoc magnum est, et quidem venerandum, non scrutandum. Quomodo pluralitas in unitate, et hac unitate, aut ipsa in pluralitate? Scrutari hoc temeritas est, credere pietas est; nosse vita, et vita æterna est. Unde si operæ pretium censes, o Eugeni, percurrat nunc consideratio multa Una, quo eminentia hujus singularis Unius fiat evidentior. Est unitas, quæ collectiva potest dici, cum, verbi causa, multi lapides faciunt acervum unum. Est et unitas constitutiva, cum multa membra unum corpus, vel multæ partes unumquodcumque totum constituunt. Est et conjugativa, qua fit ut duo jam non duo sint, sed una caro. Et est nativa, qua anima et caro unus nascitur homo. Est unitas potestativa, qua homo virtutis non instabilis, non dissimilis, sed unus sibi semper nititur inveniri. Est consentanea, cum per charitatem multorum hominum est cor unum, et anima una. Est et votiva, cum anima votis omnibus adhærens Deo, unus spiritus est. Et est dignativa unitas, qua limus noster a Dei Verbo in unam assumptus est personam.

19. Verum hæc omnia quid ad illud summum, atque, ut ita dicam, unice Unum, ubi unitatem consubstantialitas facit? Huic Uni quodvis illorum si assimilēs, erit quoquo modo unum: si compares, nullo. Igitur inter omnia quæ recte unum dicuntur, arcem tenet Unitas Trinitatis, qua tres personæ

A una substantia sunt. Secundo loco illa præcellit, qua e converso tres substantiæ una in Christo persona sunt. Porro hæc et quæcumque alia dici una possunt, summæ illius unitatis imitatione, non comparatione, Una appellari vera sobriaque probat consideratio. Nec abducimur ab hac unitatis professione assertionem Trium: cum in hac Trinitate non recipiamus multiplicitem, sicut nec solitudinem in unitate. Quamobrem cum dico Unum, non me Trinitatis turbat numerus, qui essentiam non multiplicat, non variat, nec partitur. Rursum cum dico Tria, non me arguit intuitus unitatis, quæ illa quæcumque tria, seu illos tres, nec in confusionem cogit (75), nec in singularitatem redigit.

## CAPUT IX.

B *Uti in Deo simplex natura est in tribus personis, sic contra in Christo plures naturas in unam personam coalescere.*

20. Idem me sentire fateor et de illa unitate cui secundum ab ista inter cætera Una honorem dedi. Dico in Christo Verbum, animam, et carnem, sine confusione essentialium unam esse personam, et item absque præjudicio personalis unitatis in sua numerositate manere. Nec negaverim hanc ad illud quoque genus unitatis pertinere, qua anima, et caro unus est homo. Decuit quippe familiarius similisque cum hominis convenire constitutione, quod pro homine constitutum est sacramentum. Decuit et cum summa, quæ in Deo est et Deus est, unitate congruere, ut quomodo ibi tres personæ una essentia; ita hic convenientissima quadam contrarietate tres essentiæ sint una persona. Videsne pulchre inter utramque unitatem hanc collocari; in eo utique qui constitutus est mediator Dei hominisque homo Christus Jesus? Pulcherrima, inquam, convenientia, ut salutare sacramentum congrua quadam similitudine ambobus respondeat, et salvanti videlicet et salvato. Ita hæc unitas duarum consistens media unitatum, alteri succumbere, alteri **454** præeminere cognoscitur; quantum superiore inferior, tantum inferiore superior.

21. Tantam denique, tamque expressam unionis vim in se præfert ea persona, in qua Deus et homo unus est Christus; ut si duo illa de se invicem prædices, non erraveris, Deum videlicet hominem, et hominem Deum vere catholiceque pronuntians. Non autem similiter vel carnem de anima, vel animam de carne, nisi absurdissime, prædicas, etsi similiter anima et caro unus sit homo. Nec mirum, si non æque potis anima sit sua illa vitali, etsi non parum valida, intentione connectere, atque suis affectibus astringere sibi carnem, ut sibi divinitas hominem illum, qui prædestinatus est filius Dei in virtute, Longa catena et fortis ad stringendum, divina prædestinatio: ab æterno est enim. Quid longius æternitate? Quid divinitate potentius? Inde est quod nec morte incidente ullatenus intercidi hæc unitas potuit, etsi carne et anima ab invicem sepa-

(75) Horstius addit naturæ. Sed deest in aliis editis et manuscriptis.

ratis. Et fortassis hoc sensit ille, qui se indignum professus est solvere corrigiam calceamenti hujus [al. ejus] (*Marc. 1, 7*).

## CAPUT X.

*Parabola, quæ est apud Matthæum de tribus satis, Christi personæ accommodatur.*

22. Sed et illa tria sata de Evangelio (*Matth. XIII, 33.*), mista et fermentata in panem unum, si quis ad hæc tria dixerit pertinere, non incongrue id mihi facere videbitur. Quam bene ea mulier fermentavit, ut nec divisione quidem facta carnis et animæ, a carne vel anima Verbum divideretur! Mansit et in separatione inseparabilis unitas. Nec enim quæ ex parte contigit separatio, potuit unitati præscribere, permanenti in totis tribus. Sive conjunctis, sive disjunctis duobus, nihilominus perseveravit in tribus unitas personalis: Æque unus Christus unaque persona, Verbum, anima, et caro, etiam mortuo homine perduravit. In utero Virginis, ut sentio ego, commistio hæc et fermentatio facta est: et ipsa mulier quæ miscuit, et fermentavit. Nam fermentum non immerito fortasse dixerim fidem Mariæ. Plane beata, quæ credidit, quoniam perfecta sunt in ea, quæ dicta sunt ei a Domino (*Luc. 1, 45*). Perfecta autem non essent, si quominus juxta verbum Domini esset fermentatum totum, et perpetuo fermentatum, servans nobis tam in morte, quam in vita pariter unum atque integrum mediatores Dei ei hominum cum sua deitate, hominem Christum Jesum.

25. Advertere est in hoc admirabili sacramento juxta numerum satorum, miræ et decentissimæ distinctionis gradus, novum, antiquum, æternum. Novum, animam, quæ de nihilo tunc creata creditur, cum infusa: antiquum, carnem, quæ a primo usque hominum, id est ex Adam, traducta cognoscitur: æternum, verbum, quod ab æterno Patre coæternum illi genitum indubitata veritate asseritur. Et in his triplex, si diligenter advertas, divinæ potentiæ genus, quod factum sit de nihilo aliquid, de vetusto novum, æternum beatumque de damnato et mortuo. Quid hoc ad nostram salutem? Multum per omnem modum. Primum quidem, quod peccato redacti in nihilum, per hoc quodammodo iterato creati sumus, ut simus initium aliquod creaturæ ejus. Deinde quod ex vetusta servitute in libertatem filiorum Dei translati, in novitate spiritus ambulantes. Postremo, quod de potestate tenebrarum vocati ad regnum claritatis æternæ, in quo jam et condescendere nos fecit in Christo. Alieni sint a nobis (76), qui Christi a nobis carnem alienare conantur, novam creatam in Virgine, et non de Virgine sumptam, impie asserentes. Pulchre propheticus spiritus longe ante occurrit huic sententiæ, imò blasphemie impiorum: *Egredietur, inquit, virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet (Isai XI, 1)*. Dixisse poterat, Et flos de virga; sed **455** maluit, de radice: ut unde virgam, inde florem duxisse ori-

ginem demonstraret. Inde igitur sumpta caro, unde orta Virgo: nec nova in Virgine, quæ prodiit ex radice.

## CAPUT XI.

*Continuatio considerationis de Deo.*

24. Forte substomacharis, si adhuc pergimus quærere, quid est Deus? tum quia toties jam quæsitum est, tum quia diffidit inventum iri. Dico tibi, Pater Eugeni, solus est Deus, qui frustra nunquam quæri potest, nec cum inveniri non potest. Doceat te de hoc experimentum tuum; aut si non, experto credito, non mihi sed sancto, qui ait: *Bonus est, Domine, sperantibus in te, animæ quærenti te (Thren. III, 25)*. Quid ergo est Deus? Quod ad universum spectat, finis? quod ad electionem, salus: quod ad se, ipse novit. Quid est Deus? Voluntas omnipotens, benevolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, summa beatitudo, creans mentes ad se participandum, vivificans ad sentiendum afficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, justificans ad promerendum, accendens ad zelum, fecundans ad fructum, dirigens ad æquitatem, formans ad benevolentiam, moderans ad sapientiam, roborans ad virtutem, visitans ad consolationem, illuminans ad cognitionem, perpetuans ad immortalitatem, implens ad felicitatem, circumdans ad securitatem.

## CAPUT XII.

*Deum et bonorum operum pium remuneratorem, et scelerum æquissimum vindicem esse.*

25. Quid est Deus? Non minus pœna perversorum, quam humilium gloria. Est enim rationabilis quædam æquitatis directio inconvertibilis atque indeclinabilis, quippe attingens ubique: cui illisa omnis pravitas conturbetur necesse est. Quidni in hanc omne tumidum, vel distortum impingat, et conquassetur? Væ universo, quod obvium forte offenderit cedere nescia rectitudo: nam et fortitudo est. Quid iniquis voluntatibus tam contrarium et adversum, quam semper conari, impingere semper, et frustra [al. frustrari]? Væ oppositis voluntatibus, solam suæ profecto aversionis referentibus pœnam. Quid tam pœnale, quam semper velle quod nunquam erit? Quid tam damnatum, quam voluntas addicta huic necessitati volendi nolendique, ut ad utrumlibet jam, sicut non nisi perverse, ita non nisi misere moveatur? In æternum non obtinebit quod vult; et quod non vult, in æternum nihilominus sustinebit. Digne omnino, ut quid ad nihil afficitur unquam quod deceat, ad nil unquam quod libeat, evadat. Quis hoc facit? Rectus Dominus Deus noster, qui et cum perverso pervertitur. Nunquam recto pravoque conveniet. Hæc enim sibi invicem adversantur, etsi non invicem lædant. Læsiō alterius est: absit ut Dei. *Durum tibi est, inquit, contra stimulum calcitrare (Act. IX, 5)*; hoc est, non stimulo durum, sed calcitranti. Et est turpius pœna Deus: lux est enim. Et quid tam invisum obscenis flagitiosisque menti-

(76) Horstius addit *Novatiani*, quod marginis lemma est.

bis? Profecto omnis qui male agit, odit lucem (Joan. iii, 20). Sed dico: nunquid non poterunt declinare? Minime omnino. Lucet ubique, etsi non omnibus. Denique in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehendunt (*Id.* 1, 5). Videt tenebras Lux, cui hoc est videre, quod lucere: sed non vicissim a tenebris ipsa videtur, quia tenebræ eam non comprehendunt (77). Et videntur ergo, ut confundantur: et non vident, ne consolentur. Nec modo a luce: et in luce videntur. A quo, vel quibus? Ab omni vidente, ut pro multitudine intuentium sit confusio multa. At nullus de tanta numerositate spectantium molestior oculus suo cujusque. Non est aspectus, sive in cœlo, sive in terra, quem tenebrosa conscientia suffugere magis velit, minus possit. Non latent tenebræ vel se ipsas. **456** Se vident quæ aliud non vident. Opera tenebrarum sequuntur illas, nec est quo se abscondant ab illis, ne in tenebris quidem. Hic est vermis qui non moritur, memoria præteritorum. Semel injectus, vel potius innatus per peccatum, hæsit firmiter, nequaquam deinceps avellendus. Nec cessat rodere conscientiam, eaque pastus, esca utique inconsumptibili, perpetuat vitam. Horreo vermem mordacem, et mortem vivacem. Horreo incidere in manus mortis viventis, et vitæ morientis.

26. Hæc secunda mors, quæ nunquam peroccidit, sed semper occidit. Quis det illis semel mori, ut non moriantur in æternum? Qui dicunt *montibus, Cadite super nos; et collibus, Operite nos* (*Luc.* xxiii, 30), qui nisi mortem mortis beneficio aut finire, aut evadere volunt? Denique *invocabunt mortem, ait, et non veniet* (*Apoc.* ix, 6). Intuere id clarius. Constat immortalem animam esse, nec aliquando absque sua memoria vivere, ne non animam aliquando esse contingat. Itaque durante anima, durat et memoria. Sed qualis? Fœda flagitiis, horrida facinoribus, vanitate tumida, contemptu hispida et neglecta. Quæ priora, transierunt, et non transierunt. Transierunt a manu, sed non a mente. Quod factum est, factum non esse non potest. Proinde etsi facere in tempore fuit, sed fecisse in sempiternum manet. Non transit cum tempore, quod tempora transit. In æternum ergo necesse est cruciet, quod perperam te egisse in æternum memineras. Experiri erit hoc veritatem vocis illius: *Arguam te, et statuam contra faciem tuam* (*Psal.* xlix, 21). Dominus locutus est, cui omne adversum et sibi adversari necesse est, ut sit sera querela: *O custos hominum, quare posuisti me contrarium tibi, et factus sum mihi met ipsi gravis?* (*Job* vii, 29.) Ita est, o Eugeni. Non potest Deo esse contrarium quid, et sibi met coherere, sed qui arguetur a Deo, arguetur et a se ipso. Non est sane jam tunc quod aut veritatem dissimulet ratio, aut rationis intuitum anima declinet, membris avulsa corporeis, et in sese collecta. Quo enim id valeat, sopitis conclusisque in

A morte sensibus, per quos utique curiosius exire, et a se ire solebat in eam, quæ præterit, mundi istius liguram? Vides turpibus nihil deesse ad confusionem, cum producentur spectaculum fieri Deo, Angelis, hominibus, sibi ipsis? O quam male mali omnes locati sunt, utique oppositi torrenti huic directæ æquitatis, et huic lumini propalatae veritatis expositi [*al.* oppositi]. Nonne hoc est perpetuo tundi, perpetuoque confundi? *Duplici contritione, ait ille, contere eos, Domine Deus noster* (*Jerem.* xvii, 18).

### CAPUT XIII.

*De longitudine, latitudine, profunditate, et sublimitate Dei profunde et eleganter discurret.*

27. Quid est Deus? Longitudo, latitudo, sublimitas, et profundum. Quid, inquis? tenemus te quaternitatis, quam abominatus es, professorem. Minime. Abominatus sum, et abominor. Visus sum protulisse plura, sed unum est. Unus Deus signatus est pro captu nostro, non pro suo statu. Divisus est hic, non ille. Voces diversæ, semitæ multæ: sed unum per eas significatur, unus quæritur. Non divisiones substantiæ in quaternario iato expressæ sunt; non dimensiones, quales in corporibus intuemur; non distinctio personalis, qualem in Trinitate adoramus; non numerus proprietatum; qualem personis ipsis inesse fatemur, etsi non aliud a personis. Alioquin hoc singulum horum in Deo, quod quatuor simul; hoc quatuor ipsa, quod singulum est. Nobis autem, quia non possumus cum Deo simplicitate contendere, dum contendimus apprehendere unum, occurrit veluti quadruplicatum. Facit hoc speculum et ænigma, per quod solum interim videri datur. Cum autem videbimus faciem ad faciem, videbimus sicuti est. Nec enim jam tunc fragilis acies mentis nostræ, quantumlibet vehementer intendens, aliquatenus resiliet, dissilietve **457** in suam pluralitatem. Colliget sese magis, adunabit, conformabitque unitati illius, vel potius unitati illi, ut una uni facies respondeat faciei. Nempe similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est (*I Joan.* iii, 2). Beata visio! ad quam merito suspirabat, qui ait: *Exquisivit te facies mea; faciem tuam, Domine, requiram* (*Psal.* xxvi, 8). Et quia adhuc in quærendo res est, interim ascendamus quadrigam istam, utpote infirmi et imbecilles, indigentes tali vehiculo, si forte vel sic apprehendemus, in quo apprehensi somus, id est, hujus ipsius vehiculi rationem. Nam hoc monitum habemus ab ipso auriga et primo currus hujus exhibitore, ut studeamus *comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, et profundum* (*Ephes.* iii, 18). *Comprehendere* dixit, non, *Cognoscere*: ut non curiositate contenti scientiæ, tota cura fructui inhiemus. Non in cognitione est fructus, sed in comprenensione. Alioquin *scienti bonum, et non facienti, ut ait quidam, peccatum est*

et (Jacobi iv, 17) : et ipse Paulus alio loco, *Sic currite, inquit, ut comprehendatis (I Cor. ix, 24)*. Quid sit comprehendere, inferius declarabo.

28. Quid igitur est Deus? Longitudo, inquam. Quid ipsa? Æternitas. Hæc tam longa, ut non habeat terminum, non magis loci, quam temporis. Est et latitudo. Et ipsa quid? Charitas. Quibus et ista terminis angustetur in Deo, qui nihil odit eorum quæ fecerit? Denique solem suum oriri facit super bonos et malos, pluit super justos et injustos (Matth. v, 45). Ergo et inimicos concludit sinus ille. Nec hoc quoque contentus, evadit in infinitum. Omnem non modo affectionem, sed et cognitionem excedit, adjiciente Apostolo et dicente: *Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi (Ephes. iii, 19)*. Quid plus dicam? Æterna est. Nisi quod hoc plus forsitan est, quia æternitas est. Vides tantam esse latitudinem, quantam et longitudinem? Utinam sic videas non tantam esse, sed ipsam: id esse unam quod alteram; non minus unam quam duas, nec plus duas quam unam. Deus æternitas, Deus charitas est; longitudo sine protensione, latitudo sine distensione. In utroque pariter locales quidem excedit temporalesque angustias, sed libertate naturæ, non enormitate substantiæ. Tali modo immensus est qui omnia fecit in mensura; et quamvis immensus, hic tamen modus et ipsius immensitatis.

29. Quid item Deus? Sublimitas et profundum. In altero supra omnia, in altero infra omnia. Liquet in deitate nusquam claudicare æqualitatem, stare eam undique firmiter, constare immobiliter sibi. Sublime, potentiam; profundum, sapientiam ejus [al. esse] considera. Ex æquo et ista respondent sibi, dum et sublimitas inattingibilis, et profunditas æque inscrutabilis cognoscatur, Paulo admirante et exclamante: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ illius! (Rom. xi, 33)*. Libet et nos exclamare cum Paulo, horum utcumque intuentes in Deo, et cum Deo simplicissimam unitatem: *O sapientia potens, attingens ubique fortiter! o potentia sapiens, disponens omnia suaviter! (Sap. viii, 1)*. Res una, effectus multiplex, operationesque diversæ. Et illa una res est longitudo propter æternitatem, latitudo propter charitatem, sublimitas propter majestatem, profunditas propter sapientiam.

#### CAPUT XIV.

*Modum, quo prædicta secundum Apostolum comprehendere possimus, ostendit.*

30. Novimus hæc. Num ideo et arbitramur nos comprehendisse? Non ea disputatio comprehendit, sed sanctitas: si quo modo tamen comprehendere potest quod incomprehensibile est. At nisi posset, non dixisset Apostolus: *Ut comprehendamus cum omnibus sanctis (Ephes. iii, 18)*. Sancti igitur comprehendunt. Quæris quomodo? Si sanctus es, comprehendisti, et nosti: si non; esto, et tuo experimento scies. Sanctum facit affectio sancta, et

A ipsa gemina: timor Domini sanctus, et sanctus amor. His perfecte affecta anima, veluti quibusdam duobus brachiis suis comprehendit, amplectitur, stringit tenet, et ait: *Tenui eum, nec dimittam (Cantic. iii, 4)*. Et timor quidem sublimi et profundo, amor lato et longo respondet. Quid tam timendum quam potestas, cui non potes resistere; quam sapientia, cui abscondi non potes? Poterat minus timeri Deus, alterutro carens. Nunc autem perfecte oportet timeas illum, cui nec oculus deest omnia videns, nec manus potens omnia. Quid item tam amabile, quam amor ipse, quo amas, et quo amaris? Amabiliorem tamen juncta æternitas facit: quæ dum non excidit, foras mittit suspicionem. Amabilem igitur perseveranter et longanimitate, et habes longitudinem: dilata amorem tuum usque ad inimicos, et latitudinem tenes. Esto etiam in omni sollicitudine timoratus, et sublime profundumque apprehendisti.

31. Aut si mavis quatuor æque tuis, divinis quatuor respondere; facis hoc, si stupes, si paves, si ferves, si sustines. Stupenda plane sublimitas majestatis: pavenda abyssus judiciorum. Fervorem exigit charitas, æternitas perseverantiam sustinendi. Quis stupet, nisi qui contemplatur gloriam Dei? Quis pavet, nisi qui scrutatur profundum sapientiæ? Quis fervet, nisi qui meditatur charitatem Dei? Quis sustinet et perseverat in amore, nisi qui æmulari æternitatem charitatis? Nempe æternitatis quamdam imaginem perseverantia præfert. Denique sola est cui æternitas redditur, vel potius quæ æternitati hominem reddit, dicente Domino: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (Matth. x, 22)*.

32. Et nunc adverte in quatuor istis contemplationis species quatuor. Prima et maxima contemplatio est admiratio majestatis. Hæc requirit cor purgatum, ut a vitiis liberum, atque exoneratum peccatis, facile ad superna levet: interdum quoque vel per aliquas morulas stupore et ecstasi suspensum teneat admirantem. Secunda autem necessaria est huic; est enim intuens judicia Dei. Quo sane pavido aspectu, dum vehementius concutit intuentem, fugat vitia, fundat virtutes, initiat ad sapientiam, humilitatem servat. Virtutum siquidem bonum quoddam ac stabile fundamentum, humilitas. Nempe si nutet illa, virtutum aggregatio non nisi ruina est. Tertia contemplatio occupatur, vel potius otatur circa memoriam beneficiorum; et ne dimittat ingratum, sollicitat memorantem ad amorem benefactoris. De talibus dicit propheta loquens ad Dominum: *Memoriam abundantiae suavitatis suæ eructabunt (Psal. cxliv, 7)*. Quarta quæ retro sunt obliviscens, in sola requiescit exspectatione promissorum: quæ cum sit meditatio æternitatis (siquidem quæ promittuntur, æterna sunt), longanimitatem alit, et perseverantiæ dat vigorem. Puto jam facile est quatuor nostra hæc, quatuor ilis Apostoli assignare, dum longitudinem comprehendit meditatio promis-

sorum, latitudinem recordatio beneficiorum, sublimitatem contemplatio majestatis, profundum inspectio judiciorum. Quærendus adhuc fuerat, qui nec satis adhuc inventus est, nec quæri nimis

A potest : at orando forte quam disputando dignius quæritur, et invenitur facilius. Proinde is sit finis libri, sed non finis quærendi.

## 459-460 ADMONITIO

### IN SEQUENTEM EPISTOLAM SEU OPUSCULUM II.

1. Libros de Consideratione, ad summum Pontificem directos, opportune subsequitur tractatus De componendis Moribus Episcoporum, quæ prima est ex quinque Bernardi epistolis ad Henricum archiepiscopum Senonensem, ordine quadragesima secunda. Is cognomento Aper, testante Hugone Autissiodorensi chronographo, aliis (si vulgati non fallunt indices) Gilbertus, ex canonico electus est post Daimbertum pontifex Senonensis anno 1122. Hac in dignitate cum remissius ageret, ad diligentiorum muneris sui curam animatus est, agente polissimum Gaufrido Carnotensi episcopo cum Burchardo Meldensi, confirmante in primis sancto Bernardo : quem et patronum habuit adversus Ludovici VII infestationes, ut testatum facit epistola quadragesima nona, ad Honorium papam.

2. Has autem procellas tum Henrico, tum Stephano Parisiensi episcopo excitavit eorum secessus ab aula, et vitæ melioris institutio. Adeo ut qui ante, sicut in prædicta legitur epistola, in habitu actuque sæculari honorati fuerant sublimes, judicati fideles, habitus familiares ; postea inimici facti sint digne suo sacerdotio conversantes, et per omnia honorificantes ministerium suum. Hinc domini Senonensis constantiam labefactare conatus est Ludovicus rex : quod amplius illustratur in Notis ad epistolas vigesimam secundam et quadragesimam quintam.

3. Non tamen ita mores suos composuit Henricus, ut non in ecclesiasticam censuram incurreret ob iniquam vexationem cujusdam archidiaconi Ecclesiæ suæ, quem non modo iudicio non convictum, sed nec verbo conventum dignitate privavit, teste Bernardo in epistola centesima octogesima secunda, ad eundem Henricum. Hunc suspensum fuisse tradit Hugo chronographus Autissiodorensis ad annum 1136 : idque attestantur Acta Episcoporum Autissiodorensium capite quinquagesimo quinto, ubi de Hugone episcopo, qui cum in Senonensi ecclesia, propter suspensionem domini Henrici metropolitani, locum consecrationis non haberet ; apud Ferrarias a domino Gaufrido Carnotensi episcopo circa festum beati Vincentii consecratus est. Hanc autem suspensionem Henrico ex iniqua depositione archidiaconi sui accidisse proximum vero est. Sed tandem hac censura solutus antistes, anno 1140, apud Senonas synodum habuit, in qua Petri Abælardi errores damnati fuerunt. Exstant ea de re communes Patrum synodice litteræ ad Innocentium papam, inter Bernardinas epistola centesima nonagesima prima ; quibus litteris significant, se paucis totum negotium exposuisse, pro eo maxime, quia idipsum diffusius ac plenius contineretur in litteris domini Senonensis : quæ litteræ non aliæ videntur, quam Bernardi epistola centesima nonagesima, ad Innocentium, quæ inter hosce tractatus relata est. Porro Henricus vivere desiit anno 1144 et quidem quarto Idus Junii : cui successit Hugo præcentor.

4. Cæterum hanc epistolam statim ab Henrici conversione scriptam fuisse probant in primis hæc ejus verba n. 2 : « Nuper autem nobis a vestris partibus flare cœpit aura secundior. Rumoribus siquidem recentioribus nuntiata sunt de vobis solito lætiora, et non ex incerto famæ, sed ore veridico venerabilis Meldensis episcopi : quod scilicet vitam in melius instituisset Henricus Gaufridi Carnotensis episcopi consiliis, ut mox declarat Bernardus. Atqui hanc Henrici mutationem Honorii secundi pontificatu, ac proinde ante annum 1130 contigisse constat, tum ex Bernardi epistola quadragesima nona, ad eundem Honorium, cui ipsum Henricum commendat ; tum ex ipsa infestationum causa, quæ non alia fuit, quam Henrici discessio ab aula et aulico vivendi genere, atque adeo vitæ rectoris institutio, ut patet ex præmissis.

5. Itaque sub annum 1126 scripta fuit hæc epistola : quotempore Meldensi præsidebat Ecclesiæ Burchardus, cujus relatu solito lætiora de Henrici conversatione nuntiata Bernardus ait se accepisse. Meldensi, inquam, Ecclesiæ tunc præerat Burchardus, non, uti hactenus vulgo persuasum fuit, Manasses II, quem non ante annum 1133 Burchardo successisse probant authenticæ ejus litteræ de Choisiaco pro monasterio Sancti-Martini de Campis, ubi hæc clausula habetur : « Acta sunt hæc anno incarnationis Domini 1135, indict. xiiii, anno autem ordinationis domini Innocentii II papæ sexto, ordinationis nostræ secundo, et alia ejusdem charta de Mauregarto, data anno incarnationis Domini 1140, anno autem ordinationis nostræ septimo. » Huic calculo favet Ordericus in libro sexto, pag. 627, ubi « Stephanus Parisiensis episcopus, et Burchardus Meldensis » Resbacenses monachos admonuisse memorantur de concedendis Uticensibus reliquiis sancti Ebrulfi, qua de re Bernardus epistolam ad Resbacenses scripserat. Id factum refert Ordericus anno 1130, ad quem proinde annum Burchardus Meldensem Ecclesiam, non Manasses, administrabat. Hinc corrigendi numeri apud Chesnium in notis ad Abælardum, ubi Manasses dicitur Meldensem Ecclesiam regere cœpisse anno 1125 : idque probatur ex ejus litteris de Choisiaco, quas decennio serius, et quidem anno Manassæ episcopi secundo, datas fuisse superius observavimus. Quanta vero morum et consiliorum gravitate præditus fuerit Burchardus, illud argumento est, quod ipsum cum Gaufrido consiliarium Bernardus Henrico gratulatur hac in epistola, quæ in codice Vaticano notato 663 dividitur in septem capita. Verum satius visum est Horstianas sectiones jam receptas retinere.

# S. BERNARDI ABBATIS

## DE MORIBUS ET OFFICIO EPISCOPORUM TRACTATUS

### SEU EPISTOLA XLII

AD HENRICUM ARCHIEPISCOPUM SENONENSEM.

#### 461 PROLOGUS.

Domino venerabili HENRICO, Senonensium archiepiscopo, frater BERNARDUS, si quid postest peccatoris oratio.

Placuit Præstantiæ vestræ novum aliquid a nobis dictatum requirere. Gravamur pondere dignitatis, sed dignationis munere gratulamur. Et blanditur petentis favor, et petitionis terret exactio. Qui enim nos sumus, ut scribamus episcopis? Sed rursus qui sumus, qui non obediamus episcopis? Unde dare, inde et negare compellor quod postulor. Scribere tantæ altitudini, supra me est: et eidem non obedire, contra me. Utrobique periculum; sed in ea parte majus imminere videtur, si non obediero. Hac itaque exiens qua minus apparet, facio quod jubetis. Dat quippe ausum ipsius dignitatis dignanter indulta familiaritas, et excusat præsumptionem auctoritas imperantis.

#### CAPUT PRIMUM.

*Arduum ac periculosum esse munus episcopi; ideoque ei bonis consiliariis opus.*

1. Igitur ex quo regni cælorum claves Deo auctore vobis traditas suscepistis, ac juxta ritum fortis illius mulieris, manum mittere cœpistis ad fortia (*Prov. xxxi, 19*), si qua vos aut egisse quæ non deberetis, aut pertulisse quæ nolletis audivimus, et illa agentem doluimus, et condoluimus hæc patienti. Inter hæc autem ego recordabar illorum versiculorum: *Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis, ascendunt usque ad cælos, et descendunt usque ad abyssos. Anima eorum in malis tabescebat; turbati sunt; et moti sunt sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est (Psal. cvi, 23, 26, 27)*. Et ideo non judicabam, ut assolet; magis quippe ad compassionem me provocabat hujuscemodi cogitatio: Si, inquam, tentatio est cujuscunque hominis vita super terram (*Job vii, 1*), quantis putatis periculis patet vita pontificis, cui omnium necesse est ferre tentationes? Si ergo latens in caverna, et quasi sub modio, non quidem lucens, sed fumigans, ventorum tamen impetus nec sic declinare sufficio, sed continuis tentationum variisque fatigatus impulsibus, instar vento agitatae arundinis, hac illacque circumferor: quid positus supra montem,

A positus supra candelabrum? Solus mihi servandus, solus tamen ipse mihi sum scandalo, solus tædio, solus oneri atque periculo, ita ut propriæ gulæ et ventri, et oculo scandalizanti frequenter irasci oporteat. Quibus ergo molestiis angitur, quibus lassatur injuriis, cui etiam, etsi propria cessent, nunquam tamen de alienis desunt foris pugnae, intus timores?

2. Nuper autem nobis a vestris partibus flare cœpit aura secundior. Rumoribus siquidem recentioribus nuntiata sunt de vobis solito lætiora, et non ex incerto famæ, sed ore veridico venerabilis Meldensis episcopi (77-78). Interrogatus enim de esse vestro, vultu alacri, et tanquam bene fidens unde requirebatur: Puto inquit, hominem ex hoc jam consiliis se subacturum Carnotensis episcopi. Hoc ab eo responsum tam lætus accepi, quam certus fui consilia viri fidelissima fore. In nullo melius poterat nobis cordis vestri propositum commendare, in nullo spem dare certiore vestri profectus in Domino. Secure, ni fallor, præfatis ambobus viris et vos, et vestra credetis. Talibus utendo 462 consiliariis, bonam vobis servabitis et famam, et conscientiam. Sic Dei sacerdotem, sic tantæ civitatis decet episcopum, puerilibus non agi sæcularibusve consiliis. Omnes, juxta Domini præceptum, etiam inimici, diligantur (*Luc. vi, 27*); sed ad consilium soli eligantur, qui et prudentes esse videantur, et benevoli (79). Propterea Dominus, et imprudens discipuli, et fratrum infidele consilium refutabat, respondens improvido, *Non sapis quæ Dei sunt (Marc. viii, 33)*; et malevolis, *Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendam (Joan. vii, 8)*. Nec istorum malitiæ, nec illius imprudentiæ se credendum putavit. Quærens denique cui se credere debeat, cui tuto sua committat dispensanda mysteria, et quasi difficile inveniens, sub admiratione interrogat: *Quis putas est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? (Matth. xxiv, 45)*. Quamobrem et Petro curam ovium crediturus, prius ejus studuit probare benevolentiam, ter sciscitans si se diligeret (*Joan. xxi, 15-17*). Probavit et prudentiam, quando errantibus hominibus, et putantibus ipsum esse quempiam ex Prophetis, ille pru-

(77-78) Haud dubie Burchardi, non Manassæ II, ex Admonitione, n. 5.

(79) In editis, etiam anni 1494, hic interseruntur hæc verba, *absque prudentia et benevolentia non esse*

*perfecta consilia: quod lemma est ex margine invec-tum in textum, deestque emendationibus manuscrip-tis Colbertinis 1038 et 1410.*

denter veritatem advertens, Deum potius Prophetarum confessus est: *Tu es*, inquit, *Christus Filius Dei* (Matth. xvi, 16). Væ nostro generi ab imperfectione sua! Vix in multitudine hominum unum reperias in utraque gratia consummatum. Haud facile siquidem vel prudenti benevolentiam, vel fideli inesse sapientiam deprehendas. Sine numero autem sunt, quos utriusque muneris expertes esse constiterit.

3. Prudenter igitur cogitastis sacerdotale onus, episcopale opus, curamque pastorem digne non posse administrari sine consilio. Hinc ipsa castorum consiliorum mater Sapientia de se ipsa loquens: *Ego Sapientia*, inquit, *habito in consilio*. Sed quali consilio? nunquid in qualicumque? *Et eruditus*, ait, *intersum cogitationibus* (Prov. viii, 12). Sed et quod infida consilia declinanda sint, per os Salomonis taliter monet: *Causam tuam tracta cum amico tuo, et secretum extraneo ne reveles* (Prov. xxv, 9). Pulchre quoque per alium quemdam Sapientem, cum sine consilio nil agendum consulat, virorum tamen consilii intuens paucitatem, ita loquitur: *Multi sint tibi amici, unus autem sit tibi consiliarius de mille* (Eccli. vi, 6). *Unus*, inquit, *de mille*, Benignam ergo non dubitaverim vobis esse divinitatem, cui de

(80) Ita concil. Carthagin. iv, cui S. Augustinus interfuit, cap. 15: *Episcopus*, inquit, *vilem suppellectilem, mensam ac victum pauperem habeat, et dignitatis suæ auctoritatem fide ac vitæ meritis quærat*. Quæ verba concilium Tridentinum repetit, et novæ auctoritatis pondere corroborat, hortaturque episcopos, ut in primis mores suos ita componant, ut reliqui ab iis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, et sanctæ humilitatis exempla petere possint. Et post adducta verba concilii Carthag. vult, *ut etiam in reliquo vitæ genere, ac tota sua domo caveant, ne quid appareat, quod a sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ se ferat*, sess. 25, cap. 1, *De reform.*

Perversa multorum animos occupavit opinio, externum illum splendorem, fastum, et magnificum apparatus, proceribus quoque ecclesiasticis competere, imo necessarium esse, ut status sui dignitatem tueri possint. Sed hanc persuasionem canonum ac Conciliorum auctoritas, unanimis Patrum doctrina, sanctorum Præsulum exempla, et ratio ipsa convellunt. Ostendere id facile esset per singula, si ferret præsentis instituti ratio. Fiet alias prolixè, cum edetur in lucem *Zelus domus Dei*, liber hoc titulo de ecclesiasticæ vitæ disciplina jam affectus. Interim hos auctores lege, Bartholom. De Martyrib. ex ord. Dominicanorum archiepisc. Bracarensem lib. utilissimo, qui *Stimulus pastorum* inscribitur, parte 2, cap. 6. Ibidem adjunctum habes tractatum elegantiss. De morib. prælat. P. Ludov. Granat. ex eodem ord. concionatoris celeberrimi, ubi idem argumentum docte ac eleganter prosequitur cap. xi. Antonium Molinam in Instruct. sacerdot., tract. 2, cap. 13, qui liber utinam omnium ecclesiasticorum manibus teratur! Lindanum episc. Ruremund. Tract. ad omnes ecclesiast. De fugienda impœnit. lib. ii, pag. 115. Henricum Cuickium itidem Ruremund. episcopum epist. 2, parænet. ad cler. suæ diœces. Gersonem. cancell. Paris. tom. II, tract. De temperant. prælat., mihi pag. 543 et seq., et tom. I, pag. 202, de signis ruinæ Eccles. Quibus merito addendi Bellarm. De officio princip. Christ., lib. I, cap. 5. Platus de cardin., cap. 16. Rodriguez. ii, p. Exerc., tract. iii, cap. 29, ubi testimonio S. Francisci Xaverii docet

A tanta raritate inter mortales, non unum, sed ipsosque idoneos satis indulgit, providos, benevolos; et, ut facile adsint, comprovinciales; ut gratis, debitores jure subjectionis. Horum acquiescendo consiliis, nec præceps eritis in sententia, nec vehemens in vindicta; non in corrigendis remissior, non severior in parcendis, non pusillanimis in expectandis; nec superfluous in victu, nec notabilis in vestitu; non citus ad promittendum, non ad reddendum tardus, nec prodigus dator. Istorum consilium longe semper faciet a vobis malum tempori vetus, sed cupiditati novum, simoniam; et matrem ejus avaritiam, quæ est idolorum servitus. Et ut brevi omnia sermone concludam, si his credideritis, in omnibus, exemplo Apostoli, honorificabitur ministerium vestrum (Rom. xi, 15): ministerium, inquam, non dominium. Ipsum itaque honorificabitur; non vos: nam qui quærit quæ sua sunt, se cupit honorari, non ministerium.

#### 463 CAPUT II.

*Honorem et decus dignitatis ecclesiasticæ non consistere in externo splendore, sed in morum et virtutum decore.*

4. Honorificabitur autem non cultu vestium (80),

quomodo paretur et conservetur auctoritas, et cur ea in prælatis hodie adeo evilerit.

Hi omnes una voce docent, idque gravissimis rationibus et exemplis convincunt, veris solidisque virtutibus potius, quam externo splendore honorem et reverentiam acquiri: nimis infirma esse honoris fulera, quibus plerique nituntur: potius illa auctoritati officere, et tandem in contemptum vergere. Et hoc maxime in prælato ecclesiastico locum habere: sanctorum Præsulum exemplis facile id comprobari. Quanta enim, ut alios infinitos præteream, sanctorum Basilii, Martini, Augustini, Chrysostomi fuit auctoritas, quæ dignitas et gloria? at quibus illa rebus constitit? Certe si illa tuendæ auctoritatis adminicula quæsisissent, quæ sola nunc multis curæ sunt, jam dudum periisset memoria eorum cum sonitu, et nomina eorum tenebris et oblivione perpetua sepulta laterent, qui nunc honorificati sunt nimis per omnem Ecclesiam, eruntque semper in benedictione: quia nimirum ipsi honorificarunt ministerium suum in diebus carnis suæ, non argento vel auro, non pretiosis vestibus, bonisque hujus sæculi; sed talium rerum contemptu, sedula officii ac vocationis cura, serioque humilitatis, modestiæ, charitatis, cæterarumque virtutum studio. Sed hæc uberius elegantiusque tractata leges apud citatos auctores, quorum verbis in hujusmodi materia libenter utimur, ut veritas, tantis nixa auctoribus, plus habeat ponderis, et minus timeat invidiam.

Sed quia diversitatem temporum obtendere solent, qui in imo jacentes, et languidi circa sublimioris vitæ studia, virtutibus honorem et auctoritatem se consequi ac tueri posse desperant, adeoque ad infima isthæc et infirma præsidia conversi, alia tempora, alios mores requirere dictitant: his libet sanctissimum nostræ ætatis Præsulem proponere, cujus quo rarior vitæ modestia, majorque frugalitas, et omnis splendoris abdicatio, eo major fuit auctoritas et reverentia. De quo ita Hieron. Platus lib. De offic. cardin., cap. 16. « Hæc est via certissima et optima venerationis acquirendæ inter homines, si virtus emicet, si integritas, si gravitas, religio ac pietas emineat, ut ab hominibus conspiciatur. » Confirmat exemplo S. Nicolai Myrens. episcopi, deinde subdit:

non equorum fastu, non amplis ædificiis, sed ornatis moribus, studiis spiritualibus, operibus bonis. Quam multi aliter! Cernitur in nonnullis sacerdotibus vestium cultus plurimus; virtutum aut nullus, aut exiguus. Quibus ego si rememorem illud apostolicum, *Non in veste pretiosa* (I Tim. II, 9), vereor ne indignentur, dum nimirum indignum ducant in se assumptam sententiam, quam prius in viliores sexum et ordinem prolatam fuisse recognoverint. Quasi vero non eodem utantur medici ferro secandis regibus, quo et popularibus hominibus: aut capiti fiat injuria, si ipsis forcipibus capilli excrecentes detondeantur, quibus et unguium fuerint resecata superflua. Attamen si dedignantur pari cum mulierculis, non quidem a me, sed ab Apostolo ferri sententia, dedignantur et cum ipsis eadem involvi culpa. Despiciant jam textricum sive pellicum, et non propriis operibus gloriari. Horreant et murium rubricatas pelliculas, quas gulas vocant (81), manibus circumdare sacratis, et sacramentibus tremenda mysteria. Respuant et apponere pectori, quod decentius ornat gemma sapientiæ. Pudeat et collo

A circumtexere, quod honestius atque suavius Christi jugo submittitur. Non Christi stigmata sunt hæc, quæ isti martyrum exemplo circumferant in corpore suo. Muliebria potius esse noscuntur insignia, quæ utique curiosius et sumptuosius illæ sibi præparare consueverunt, cogitantes nimirum quæ sunt mundi, quomodo placeant viris.

5. Verum tu, sacerdos Dei altissimi, cui ex his placere gestis, mundo, an Deo? Si mundo, cur sacerdos? Si Deo, cur qualis populus, talis et sacerdos? Nam si placere vis mundo, quid tibi prodest sacerdotium? Nec enim potes duobus dominis servire. *Qui autem vult amicus esse hujus mundi, inimicus Dei constituitur*: (Jac. IV, 4) et propheta, *Deus, inquit, dissipabit ossa eorum qui hominibus placent; confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos* (Psal. LII, 6): et Apostolus: *Si hominibus placerem, Christi servus non essem* (Galat. I, 10). Volens itaque placere hominibus, Deo non places: si non places, non placas. Cur ergo, ut dixi, sacerdos? Si vero, quod addidi, placere intendis, non mundo, sed Deo, cur qualis populus, talis et sacerdos? Enimvero, si sacerdos

Sed quid antiqua repetimus? Cardinalis Borromæus, ne quis tempora cassetur, notum est, quam omnem suppellectilem alienius pretii, conopæa, aulæa, aliæque ejus generis abs se removerit. Vestibus utebatur, externis quidem, ut cardinalis; interioribus vero ex simplici panno et tela: quin etiam cubicularis amictus ex panno erat cinerico, rudi et crasso, quam ipsam vestem quatuordecim totis annis nunquam mutavit, multaque alia ejusmodi, quæ non est necesse referri, quoniam nota sunt et recentia, constanter usque ad mortem servavit. Quid horum igitur de ejus celebritate imminuit? Potius multum addidit. Nam, qui hæc speciosa habeant, multi sunt: neque id virtutis est, sed opulentiæ, quæ etiam in insipientem cadere potest, et sæpe cadit. At vero illa spernere sapientiæ est, ideoque admirationem potius et commendationem parit. Ita Platus, Cui suffragatur Carolus a Basilica Petri episcopus Novariensis (disertissimus Vitæ S. Caroli Borromæi scriptor, lib. VII, cap. 6, ubi ait fuisse, qui exiguum comitatum et alia quædam in Carolo ad Christianæ humilitatis virtutem pertinentia reprehenderent, et summam dignitatem aliquo modo ita imminui quererentur. Res etiam ad ipsum Pontif. Pium V. aliquando relata est. Cui Carolus ita facti sui rationem reddidit, ut nihil haberet optimus Pater, quod improbaret. Eorum qui Dei ministri essent, dignitatem ac existimationem dicebat, non in humanis ornamentis, sed in religiosis virtutibus consistere. Res ipsa declaravit, et superius narrata demonstrant. Caroli abjectionem, morum gravitate, sanctitateque conjunctam, summis atque infimis tanto semper in honore fuisse, quantum nulla terreni splendoris ornamenta consequi potuissent.

(81) Hujus vocis duplicem possumus reddere rationem. Primo enim non incongrue littera immutata videatur usurpari pro gula, a Græco γούρα quod vestem villosam significat ex pellibus confectam. Unde illud Guiberti in epistola ad Lullum episcopum: *Gunam de pellibus lutrarum factam tuæ fraternitati misi*. Nec enim novum litteram N in L demutari. Sic apud Varronem vallis pro vannus; evallere pro evannere apud Plinium lib. XVIII, cap. 10, ut notavit Dausquius in Orthographia. Secundo pro pellibus animalium sanguineo colore tinctis, eo loquendi modo, quo nomen Gallicum, *gueule*, ad rubeum colorem designandum in artem symbolicam invectum

esse quidam opinantur, sumpta videlicet metaphora a cruentis pellibus seu gulis eorum animalium, quæ in amphitheatris mutuis morsibus digladiando sese strangulabant. Fuerint igitur pelles istæ, de quibus hic agit Bernardus, vel murium Ponticorum, vel aliorum similium, quibus color rubricatus sive pilus villosus *Gularum* nomen indiderit. Quod spectat ad earum usum hic ab ipso assignatum, non parum illustratur ex mutila quadam parabola in quibusdam editionibus Bernardi Operibus inserta, sed stili ejus et genii gravitatem non assequente, ex qua huic loco exponendo pauca delibare sufficiat. Sed nunquid talis ac tantus sponsus ad sponsam suam vacua manu venit? Nequaquam sed donativa detulit, delata erogavit. Et quia hiemis tempore venit, hiemales vestes primum sponsæ dedit, *agninam* videlicet *pelliceam*, et *cappam*, quod utrumque fit de agno: sed alterum sine dolore agni, scilicet lana, de qua fit cappa, sumitur: alterum, videlicet pellis, unde pellicea, absque dolore gravi ab agno non accipitur. Sponsus iste agnus est. De lana sua sponsæ suæ *cappam* fecit, cum humilitatem verbis docuit. *Pelliceam* dedit, cum vigiliis, jejunis, et abis carnis suæ afflictionibus, ultimum passionem crucis, mortificationem carnis sponsæ ostendit. *Pellicea*, quæ de mortuis animalibus fit, mortificationem insinuat. Hæc autem hiemis tempore. Paschali vero tempore *arminiam* (d'hermine) pelliceam dedit *circa collum*, et *circa manum rubeis gulis* præparatam. Igitur *pellicia* sponsæ de *arminio* fit, quod candidum est, in significationem lætitiæ spiritualis ob spem future resurrectionis: *circa collum* et usque *supra pectus* et *circa manum rubeis gulis* ornata est, quia passionem Christi, quam ore prædicat, corde sentit, et operibus attestatur. Dedit etiam Christus Paschali tempore sponsæ suæ *cordubanos* duos, etc. Vide Declamationes n. 10 epist. 2, n. 11. Porro quam fuerit familiaris Bernardi sæculo pellicearum usus, tam clericis quam monachis, imò etiam laicis, ipsisque feminis, vide Chesnium in notis ad Petri Venerabilis epist. 28. lib. I. De Gulis loqui videtur Benedictus XII, in Bulla *Ad decorem*, his verbis: *Prohibemus etiam ne dicti Canonici de cætero ferant forcaturas de ventribus variorum aut squiolorum cum dorsis permistis, sed sint de civilibus simplicibus vel albis, vel nigris, vel griseis, etc.*



pastor est, et populus oves, dignum est ut in nullo appareat ovibus pastor dissimilis? Si instar mei, qui ovis sum, pastor meus et ipse incurvus graditur, vultum gerens deorsum, et terram semper respiciens, et soli ventri mente jejunos pabula quæritans, in quo discernimur? Væ, si venerit lupus! non erit qui prævideat, qui occurrat, qui eripiat. Decetne pastorem more pecorum sensibus incubare corporeis, hærare infimis, inhiare terrenis: et non potius erectum stare ut hominem, cælum mente suspicere, quæ sursum sunt et quærere et sapere, non quæ super terram?

6. Cæterum mihi indignatur, si vel nutum facere audeam, jubetque ori manum apponere, dicens monachum, qui non habeam judicare de episcopis. Utinam et oculos mihi claudas, ut nec cernere possim, quæ contradicere prohibes! Magna vero præsumptio, si ovis cum sim, in ipsum pastorem meum lupas sævissimas, vanitatem et curiositatem, irruere cernens, infremuero, quo ad meum forte balatum cruentis bestiis a quopiam occurratur, et succurratur perituro. Quid facient de me, qui ovicula sum, quæ et in ipsum pastorem tanta feritate insiliunt? Et quidem si non vult ut clamem pro se, nunquid non et pro me balare licebit? **464** Sed, etsi ego sileo, ne ponere videar in cælum os meum, clamatur tamen in Ecclesia: *Non in veste pretiosa*. Clamatur autem specialiter ad feminas: ut erubescat in se deprehendi episcopus, quod in fragiliori quoque sexu audierit reprehendi. An forte nulla timetur confusio, si ego solus submussitare desiero? Nunquid etsi ego non loquor, sua cuique non loquitur conscientia? Quid si alius audacior me, non quidem de Apostolo, ut ego; non de Evangelio, non de propheta, non denique quidpiam ecclesiasticum, sed illud tantum gentilicum ingerat: « Dicite, pontifices, » non quidem « in sancto, » sed in freno, « quid facit aurum? » Quam tolerabilius cernitur in sancto, quam in freno! Hoc me etiam tacente, etsi non curia regum, tamen penuria pauperum clamat. Sileat licet fama, sed non fames. Fama quidem silet, quia non potest mundus odisse vos. Nam quomodo arguet mundus peccatum, a quo potius laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur!

7. Clamant vero nudi, clamant famelici, conqueruntur, et dicunt:

*Dicite, pontifices, in freno quid facit aurum?*  
(PERSIUS, Sat. 8, vers 69.)

Nunquid aurum a freno repellit frigus sive esuriem! Nobis frigore et fame miserabiliter laborantibus; quid conferunt tot mutatoria, vel extensa in perticis, vel plicata in manticis! Nostrum est quod effunditis; nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis. Et nos enim Dei plasmatio, et nos sanguine Christi redempti sumus. Nos ergo fratres vestri. Videte quale sit de fraterna portione pascere oculos vestros. Vita nostra cedit vobis in superfluas

A copias. Nostris necessitatibus detrahitur, quidquid accedit vanitatibus vestris. Duo denique mala de una prodeunt radice cupiditatis, dum et vos vanitando peritis, et nos spoliando perimitis. Jumenta gradiuntur onusta gemmis, et nostra non curatis crura nuda caligulis. Annuli, catenulæ, tintinnabula, et clavatæ quædam corrigiæ (82), multaquetalia, tam speciosa coloribus, quam ponderibus pretiosa, mulorum dependent cervicibus: fratrum autem lateribus nec semicinctia miserantes apponitis. Huc accedit, quod hæc omnia nec negotiationis studio, nec proprio manuum exercitio vobis elaborastis, sed nec jure hæreditario possidetis: nisi forte et vos in corde vestro dixeritis: *Hæreditate possideamus sanctuarium Dei* (Psal. LXXXII, 13). Et hæc pauperes modo quidem coram Deo tantum, cui corda loquuntur. Nec enim audent aperte causari adversum vos, quibus interim pro sua vita necesse habent potius supplicare. Cæterum in futuro stabunt in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt, stante quippe pro eis patre orphanorum, et iudice viduarum. Ipsius enim tunc vox erit: *Quaridiu non fecistis unis de his minimis meis, nec mihi fecistis* (Matth. xxv, 45).

### CAPUT III.

*Præsulum potissima et dignissima ornamenta, castitas, charitas, humilitas.*

8. Vos autem, reverendissime pater, vos, inquam, absit ut in talibus honorificandum putetis ministerium vestrum. Videntur quidem honorifica, sed oculo qui videt in facie, non qui videt in abscondito. Nam, quæ videntur in abscondito, nullis apparent fucata coloribus, spectabilia sunt tamen; nullis condita saporibus, prædulcia tamen; nullis elevata culminibus, excelsa tamen. Castitas, charitas, humilitas, nullius quidem coloris sunt, sed non nullius decoris; nec mediocris decoris, qui divinos quoque delectare possit aspectus. Quid castitate decorius, quæ mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, angelum denique de homine facit? Differunt quidem inter se homo pudicus et angelus, sed felicitate, **465** non virtute. Sed, etsi illius castitas felicior, hujus tamen fortior esse cognoscitur. Sola est castitas, quæ in hoc mortalitatis et loco, et tempore statum quemdam immortalis gloriæ repræsentat. Sola inter nuptiarum solemnium morem beatæ illius vindicat regionis, in qua neque nubunt, neque nubuntur: præbens quodammodo terris cœlestis jam illius conversationis experientiam. Vas interim fragile quod portamus, in quo et crebro periclitamur, tenet castitas (ut monet Apostolus) in sanctificationem (I Thess. iv, 4), et instar odoriferi balsami, quo condita cadavera incorrupta servantur. Sensus ipsa et artus continet et contingit [constringit], ne dissolvantur otjis, ne corrumpantur desideriis, ne carnis voluptatibus computrescant: quemadmodum legitur de quibusdam, quia *computruerunt ut jumenta in stercore suo* (Joel. i, 17). Hoc itaque tantæ pulchritu-

(82) Clavatæ corrigiæ, lora clavis ex auro, purpura, aliisque coloribus intexta.

dinis ornamentum digne dixerim sacerdotium honorare, quod dilectum Deo et hominibus faciat sacerdotem, cujus quippe memoria, non in carnis successione, sed in spirituali benedictione sit, reddatque similem in gloria sanctorum, in hac licet adhuc regione dissimilitudinis constitutum.

9. Verum quantalibet venustate sui castitas eminare appareat, sine charitate tamen nec pretium habet, nec meritum. Nec mirum. Quod enim absque illa bonum suscipitur? Fides? Sed nec si montes transferat. Scientia? Sed ne illa quidem quæ lingua loquitur angelorum. Martyrium? *Nec si tradidero, inquit, corpus meum ita ut ardeam (1 Cor. XIII, 1-3).* Nec absque illa quodlibet bonum suscipitur, nec cum illa quamlibet exiguum respuitur. Castitas sine charitate, lampas est sine oleo. Subtrahere oleum, lampas non lucet. Tolle charitatem, castitas non placet. Sed *o quam pulchra est, ut Sapiens clamat, casta generatio cum charitate! (Sap. IV, 1.)* Cum illa, inquam, charitate, quam describit Apostolus, *de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta (1 Tim. I, 5).*

10. Porro puritas cordis in duobus consistit: in quærenda gloria Dei, et utilitate proximi; ut in omnibus videlicet actis vel dictis suis nihil suum quærat episcopus, sed tantum aut Dei honorem, aut salutem proximorum, aut utrumque. Hoc enim agens implebit non solum pontificis officium, sed et etymologiam nominis, pontem utique se ipsum faciens inter Deum et proximum. Pertingit pons iste usque ad Deum ea fiducia, qua non suam, sed illius gloriam quærit. Pertingit usque ad proximum illa pietate, qua et ipsi, non sibi prodesse desiderat. Offert Deo bonus mediator preces et vota populorum: reportans illis a Deo benedictionem et gratiam. Supplicat majestati pro excessibus delinquentium, vindicat in peccantes injuriam Dei. Ingratis improperat beneficia pietatis, contemnentibus potentiae severitatem insinuat, utrisque tamen nihilominus placare studet indignantis furorem: nunc quidem hominum obtendens infirmitatem, nunc divinæ magnitudinem pietatis. Denique sive excedat Deo, sive sobrius sit nobis, aut Deo semper, quantum in ipso est, præstare [*al. placere*] gestit, aut [*al. add. præstare*] nobis, non quod sibi omnino utile est quærens, sed quod multis.

11. Fidelis pontifex, qui bona quælibet per manus suas transeuntia, sive divina beneficia ad homines, sive hominum vota ad Deum, columbino intuens oculo, nihil sibi retentat ex omnibus. Nec populi requirit datum, sed lucrum, nec Dei gloriam usurpat sibi. Acceptum talentum non ligat in sudario, sed partitur nummulariis, a quibus et usuras recipit, non sibi, sed Domino. Non habet foveam ut vulpes, non tanquam volucres nidum, non loculos quomodo Judas; non denique, sicut nec Maria, locum in diversorio. Imitatur profecto illum qui non habebat ubi recinaret caput; factus in præsentiarum tanquam vas perditum: quandoque procul dubio futurum vas in honorem, et non in contumeliam. De-

nique perdit animam suam in hoc mundo, ut in vitam æternam custodiat eam. Hoc tanto puritatis intimæ bono gloriari non potest veraciter, nisi qui extrinsecas **466** gloriolas perfecte respuerit. Nec enim pure valet Dei vel proximi quærere lucra, qui propria non contempserit. Is tantum puritatis interioris gloria non fraudatur, qui dicere potest cum Domino: *Si ego quæro gloriam meam, gloria mea nihil est (Joan. VIII, 54);* et cum Apostolo: *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum (Philipp. I, 21);* et cum propheta: *Oblivioni datus sum, tanquam mortuus a corde (Psal. XXX, 13);* id est a propria voluntate. Bona oblivio, si te ipsum nescias, ut proximo prosis. Bene autem mortuus a corde, si jam non tibi vivere studeas, sed ei qui pro te mortuus est. Bene mortuus est a corde, qui dicit: *Vivo autem jam non ego.* Sed, si mortuus a se, non tamen a Christo: sequitur enim *Vivit vero in me Christus (Galat. II, 20).* Mortem hanc, quæ sit a corde, infert charitas, de qua loquitur sponsa in Canticis: *Vulnerata charitate ego sum (Cantic. IV, 9).* Fortis quippe est ut mors dilectio (Cantic. VIII, 6), et mortem in nobis, non vitam occidit. Unde et audacter minatur: *O mors, ero mors tua (Ose. XIII, 14).* Peccatum exstinguit, quod animæ vitam expulerat; animamque restituit innocentiae.

11. Verum, si prævalet morti charitas, ita ut illam in congressu perimere possit, cur dicitur *fortis ut mors*, et non potius, morte fortior? An forte quia et ipsa est mors, et se ipsa fortior esse non potest? Bona mors, non vitæ, sed mortis. Bona mors, et nequaquam abhorrenda, quæ vitam etsi adimit, non perimit. Adimit quidem, sed ad tempus, restituendam in tempore, duraturam sine tempore. Denique *mortui estis, inquit, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria (Coloss. III, 3, 4).* Libenter igitur carebo ad tempus, ut in æternum possideam. Et ista sufficiant pro eo quod scriptum est: *Charitas de corde puro (1 Tim. I, 5).* Sane in tanta oblivione sui necesse est cor bene esse conscius sibi, quo se in lucra securius foris extendat, cum securam intra se reliquerit conscientiam. Quid enim prodest homini si universum mundum D lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiat? (*Matth. XVI, 26.*)

#### CAPUT IV.

*Cura sinceræ fidei, et charitatis non fictæ, præsulibus maxime necessaria.*

13. Sed et ordinis exigit ratio, ut qui ad sui mensuram proximum jubetur diligere, prius se ipsum diligere norit. Itaque duo sunt præcipue quæ bonam reddunt conscientiam, poenitere de malis, et abstinere a malis: hoc est, ut verbis loquar beati Gregorii, et commissa flere, et flenda non committere (*Hom. 34, in Evang. post med.*). Horum neutrum solum sufficit. Nam si primum absque secundo sufficeret, frustra et David hortaretur dicens, *Declina a malo (Psal. XXXVI, 27):* et Isaias: *Quiescite agere perverse*

(*Isa. i, 16*) et Deus ipse ad Cain : *Peccasti, quiesce* A (*Gen. iv, 7, juxta LXX*). Rursum si secundum per se post peccatum bonam sufficit restaurare conscientiam, sine causa clamat poenitens in Psalmo : *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata* (*Psal. xxxi, 1*); et illud : *Vide humilitatem meam et laborem meum, et dimitte universa delicta mea* (*Psal. xxiv, 18*); et in oratione Dominica : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth. vi, 12*). Utriusque virtutis bene conscius animus secure jam se ipsum deserat, et quodammodo perdat, ut alios lucrifaciat. Cum infirmantibus infirmetur, uratur cum scandalizatis : fiat etiam, si oporteat, Judæis Judæus, nihilque formidet cum tali conscientia, exemplo Jeremiæ et Ezechielis, in Ægyptum vel in Chaldæam cum transgressoribus captivari (*Jerem. xliii, 6, et IV Reg. xxiv*); sed et cum sancto Job frater fieri draconum, et socius struthionum (*Job. xxx, 29*); cum Moyse quoque (quod gravius est) deleri de libro Dei (*Exod. xxxii, 32*); et cum Paulo anathema esse à Christo pro fratribus non timeat cum hujusmodi conscientia (*Rom. ix, 5*); ipsam denique, si necesse est, intrare gehennam, securus medias penetrans flammam, læta decantet conscientia, *Etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es* (*Psal. xxii, 4*). Comparemus, si placet, thesauros regum et fastigia regnorum cum hujusmodi fiducia : nonne cuncta horum felicitas, **467** præ tanti boni [*al. tantis bonis*] divitiis, miseria reputabitur? Et hanc fiduciam operatur *charitas de corde puro, et conscientia bona.*

14. Jam vero quod restat, *de fide non ficta* (*I Tim. i, 5*); et item quod ex alio loco in mentem venit, *fides sine operibus mortua est* (*Jac. ii, 20*), duo ista mittunt nos ad quamdam fidei trifariam divisionem, ut dicatur fides mortua, ficta, probata. Et mortuam quidem Apostolus definit eam esse, quæ sine operibus est, id est quæ non operatur ex dilectione, quasi non habens animam, ipsam dilectionem, quæ vegetetur [*al. add. anima*], et moveatur ad opera. Fictam autem ego arbitror illam vocari fidem, quæ suscepta quidem ex charitate vita, moveri inchoat ad bene operandum; sed non perseverans deficit, et moritur tanquam abortiva. Eo utique sensu fictam hujusmodi dixerim nominatam, quo vasa figuli vocamus fictilia : non quia videlicet utilia non sunt quamdiu durant, sed quia fragilia cum sint, diu minime durant. De hac fidei fictione puto illos notari in Evangelio : *Qui ad tempus credunt et in tempore tentationis recedunt*. Interrogo eos qui dicunt charitatem a quo semel accipiunt, nequaquam ultra recedere. Ait Veritas de quibusdam : *Et hi radices non habent, quia ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt* (*Luc. viii, 13*). Unde, et quo recedunt? Utique a fide ad infidelitatem. Item quæro : Poterantne in illa fide salvari, an non poterant? Si non poterant, quæ injuria Salvatori, quæve tentatori lætitia, quod hinc recedant, ubi salus non sit? siquidem nec Salvator zelatur nisi

salutem, nec malignus invidet nisi salutem. Si autem poterant, quomodo aut sine charitate sunt, quamdiu in illa fide sunt, cum sine charitate salus esse non possit; aut deserentes fidem, non etiam deserunt charitatem, cum charitas et infidelitas simul esse non possint? Recedunt ergo quidam a fide, quia Veritas assèrit; consequenter et a salute, quia Salvator redarguit : inde nos colligimus, quod et a charitate, sine qua salus esse non potuit [*al. poterit*]. *Et hi, inquit, radicem non habent*. Non negat eos habere bonum, sed in bono potius radicos non esse causatur.

15. Denique sequitur, et ait : *Quia ad tempus credunt*. Bonum est, sed utinam duraturam. Non enim qui cœperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth. x, 22*). Non autem durant, quoniam in tempore tentationis recedunt. Beati si interim rapti fuissent, antequam malitia mutaret corda eorum. Nunc vero vae prægnantibus et lactantibus in illis diebus, teneros utique fetus gestantibus, et de vita recenti facile in periculis exturbandos. Tales sunt animæ parvam adhuc et teneram habentes charitatem : et ob hoc earum fidem vivam, sed fictam, necesse est in tentatione deficere. *Vasa figuli, ait, probat fornax, et homines justos tentatio* (*Eccli. xxvii, 6*), illos videlicet, qui ex fide vivunt. Justus nempe ex fide vivit (*Rom. i, 17*), sed ex fide quæ vivat. Neque enim quæ mortua est, vitam dare potest. Demonum fides non adducitur in examinationem : vacua quippe charitate, mortua est. **C** Credunt quidem et contremiscunt, sed timor non est in charitate. Proinde in labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellantur : quod extinctæ fidei nulla jam debeatur probatio, sed reprobatio. Solam itaque justorum fidem, id est vivorum vivam, fornax tentationum suscipit examinandam. Sed non omnium justitia manet in sæculum sæculi : quoniam sunt qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Qualis sit cujuscunque fides, tribulatio probat. Si cujus deficit (deficit enim, cum in charitate non perseverat), ficta esse dignoscitur, si cujus perseverat, probata et perfecta censetur.

16. Liqueat ex his satis, ut arbitror, non omnes qui habuerint charitatem, habere et perseverantiam in charitate. Alioquin frustra commoneret discipulos Dominus : *Manete, inquit, in dilectione mea* (*Joan. xv, 9*). Aut enim, si necdum diligebant, non debuerat dicere, *manete, sed, Estote in dilectione mea* : aut, si jam diligebant, necesse non erat moneri de perseverantia, qua secundum istos privari non poterant. Curet igitur servus bonus et fidelis **468** fide servare non ficta charitatem de corde puro et conscientia bona : pluri æstimans animæ vitam quam corporis, minus horrens carnis mortem quam fidei.

#### CAPUT V.

*De virtute humilitatis omnibus quidem, sed prælatis in primis necessaria.*

17. Jam de tribus quæ superius proposuimus, sola, ni fallor, tractanda restat humilitas. Hæc duabus præmissis virtutibus in tantum est necessaria,

ut absque ista illæ nec esse virtutes videantur. Nempe ut castitas seu charitas detur, humilitas meretur: quoniam humilibus Deus dat gratiam (*Jac. iv, 6*). Humilitas ergo virtutes alias accipit. Servat acceptas, quia non requiescit Spiritus Domini, nisi super quietum et humilem (*Isa. lxvi, 2*). Servatas consummat; nam virtus in infirmitate, hoc est in humilitate, perficitur (*II Cor. xii, 9*). Inimicam omnis gratiæ, omnisque initium peccati debellat superbiam, et tam a se quam a cæteris virtutibus superbiam illius propulsat tyrannidem. Siquidem cum ex aliis quibusque bonis virium magis suarum capere soleat incrementum superbia, sola hæc omnium propugnaculum quoddam turrisque virtutum, ejus fortiter resistit malitiæ, obviat præsumptioni. Sola denique est, de qua omnium plena virtutum Maria gloriandum esse putavit. Audito quippe ab angelo, *Ave, gratia plena*, quasi solam ex illa plenitudine humilitatem in se cognosceret, solam rependisse ac respondisse memoratur in gratiam: *Respexit, inquit, Deus humilitatem ancillæ suæ* (*Luc. i, 28-48*).

18. Quid deinde auctor et dator virtutum Christus, in quo omnes thesauri sapientiæ et scientiæ sunt absconditi, in quo omnis quoque plenitudo divinitatis habitat corporaliter? nonne tamen et ipse de humilitate, tanquam summa suæ doctrinæ suarumque virtutum, gloriatus est? *Discite, ait, a me*, non quod sobrius, aut castus, aut prudens, aut aliquid ejusmodi: sed, *quia mitis sum et humilis corde* (*Matth. xi, 29*). *A me, inquit, discite*. Non ad doctrinam patriarcharum, non ad prophetarum libros ego vos mitto; sed me vobis exemplum, me formam humilitatis exhibeo. Inviderunt mihi altitudinem quam habeo apud Patrem, angelus et femina: ille potentiæ, illa scientiæ. Vos autem æmulamini charismata meliora, discentes a me quia mitis sum et humilis corde.

19. Commodum reor indagare aliquid et de superbia, quatenus ex opposito sibi vitio virtutis hujus decor manifestior appareat. Superbia est appetitus propriæ excellentiæ. Hæc in species duas dividitur, in cæcam et vanam superbiam. Quæ quidem et aliis nominibus appellari possunt, contumacia et vanitas: quarum prior intelligentiæ, posterior voluntatis vitium est. Nam ex illa rationis fallitur oculus, et ex ista voluntatis appetitus male afficitur. Quod melius ex singularum definitionibus demonstrabimus. Cæca superbia seu contumacia est vitium, quo se existimans aliquis vel esse bonum quod non est, vel a se esse quod est, in se, non in Domino gloriatur. Vana superbia seu vanitas est vitium, quo quis tam de eo quod est, quam de eo quod non est, suis magis quam Dei laudibus delectatur. His ita præmissis, aptemus jam contraria humilitati, singula singulis opposites. Humilitas est contemptus propriæ excellentiæ. Contemptus opponitur appetitui. Duabus quoque superbiæ speciebus, duæ nihilominus humilitatis opponuntur: contra cæcam, ut quis de se noverit sentire humiliter; contra vanam, nec consentire aliter sentientibus. Nempe qui de se ipso sentire humiliter novit, in neutro ipsius de se judi-

cium falli potest, videlicet ut aut majus aliquid putet se esse quam sit, aut a se esse quod sit. Et ideo patienter carens quod sibi novit deesse, humiliter de eo quod certus est adesse, non in se, sed in Domino gloriatur.

20. Porro adversus hoc, ut de se alius se aliquid sentiat, solet, ne insolescat, verus humilis illud sibi jugi meditatione revolvere: *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes* (*Rom. xii, 16*): et illud, *Non ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me. Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam* (*Psal. cxxx, 1, 2*): et item: *Qui se putat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit* (*Galat. vi, 3*). Contra hoc autem ut a se sentiat esse, quod se sentit esse, sollicitè se ipsum interrogat: *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* (*I Cor. iv, 7*.) Item, qui humanas laudes consuevit perfecte contemnere, cum se laudari percipit de eo quod in se novit non esse, nullatenus acquiescens, illud sibi commemorat: *Qui te beatificant, in errorem te mittunt* (*Isa. xlii, 12*). Sed et illius nihilominus versiculi recordatur. *Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum* (*Psal. lxi, 10*). Proinde sollicitè studet imitari Apostolum, ita de se loquentem: *Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me* (*II Cor. xii, 6*). Cum vero laudari se comperit de bono quod se forte habere cognoscit, nihilominus, quantum in se est, scuto veritatis curat a se jaculum favoris repellere: dans gloriam Deo, et dicens: *Gratia Dei sum id quod sum* (*I Cor. xv, 10*). Et propulsans a se omnem suspicionem, ait Domino: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (*Psal. cxiii, 9*). Metuit nimirum, si aliter egerit, ne forte audiat ab ipso, *Recepisti mercedem tuam* (*Matth. vi, 5*); et iterum, *Gloriam ab invicem quæritis, et gloriam quæ a solo Deo est, non vultis* (*Joan. v, 44*). Refugiens ergo et de hoc ad consilium Apostoli, probat ipse opus suum, ut sic habeat *in semetipso gloriam, et non in altero* (*Galat. vi, 4*). Fidelis suimet custos, qui sibi oleum favoris sine fraude reservet; ne in adventu sponsi lampas conscientiæ vacua exstinguatur. *Non in altero, inquam. Nec enim tutum arbitratur labiis hominum committere gloriam suam, arcæ utique sine clave, et sine sera, nullique omnino clausæ nocere volenti. Non tutum planè, sed stultum, ibi thesaurum tuum recondere, unde non valeas resumere cum volueris. Si ponis in os meum, jam non in tua, sed in mea potestate est, cum utique pro meo libitu vel laudare te possim, vel derogare tibi.*

#### CAPUT VI

*Laus et vera gloria in conscientia cujusque reponenda; attamen non sine formidine, quia Deus est scrutator et judex cordium.*

21. Sanum vas et inconcussum conscientia, et secretis servandis idoneum, nullis patens insidiis, nulli violentiæ cedens; nulli quippe oculo vel manui accessibilis, excepto duntaxat Spiritui, qui scrutatur

e iam alta Dei. Quidquid in ea reposuero, securus sum A quia non perdam : servabit vivo, defuncto restituet. Nam quocumque vado ego, ipsa it mecum, secum ferens depositum quod servandum acceperit. Adest vivo, mortuum sequitur; ubique mihi vel gloria, vel confusio inseparabilis pro qualitate depositi. Beati qui in veritate dicere possunt: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiae nostrae* (II Cor. 1, 12). Non potest dicere nisi humilis, qui juxta vulgare proverbium, et oculos campi metuere, et silvarum aures soleat semper habere suspectas. Beatus nempe homo qui semper est pavidus (Prov. xxviii, 14). Non potest dicere arrogans et præsumptor, qui se ipsum impudenter ostentans, passim et ubique, tanquam per campum incedens, totus fertur in gloriam: gloriatur etiam cum male fecerit, et exultat in rebus pessimis. Æstimat se non videri, dum plures habeat imitatores quam reprehensores, cæcus dux cæcorum. Sed habet hic campus oculos sanctorum procul dubio angelorum, quos semper offendere solet indisciplinata conversatio. Non dicet hypocrita: Gloria mea est testimonium conscientiae meae: quia etsi judicantium secundum faciem, verbo, vultu habituve simulatorio illudat opinioni; sed non ejus qui scrutatur renes et corda, fallit vel evadit judicium, siquidem Deus non irridetur.

22. Timeat ergo et iste nemoris aurem. Lingua licet manumque cessantibus, auri tamen ubique præsentem **470** de quacumque silva latebrosæ duplicitatis et spinosæ calliditatis tacentis et quiescentis cor loquitur, cogitatio constitetur. Præsumptum est cor hominis et imperscrutabile (Jerem. xvii, 9), ita ut nemo sciat, quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis qui in eo est; sed nec ipse plene. Nam cum Apostolus diceret. *Mihi pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die; adjecit: Sed nec ego me ipsum judico.* Quare? Quoniam non possum, ait, ratam vel ipse de me proferre sententiam. *Ego enim nihil mihi conscius sum, non tamen in hoc justificatus sum.* Non ex toto credo me vel ipsi conscientiae meae, quippe cum ne ipsa quidem queat me comprehendere totum; nec potest judicare de toto, qui totum non audit. *Qui autem judicat me, Dominus est.* (I Cor. iv, 3, 4). Dominus, inquit, cujus utique scientiam non effugit, sententiam non subterfugit, etiam quod propriam latet conscientiam. Audit Deus in corde cogitantis, quod non audit vel ipse qui cogitat. Aderat auris Prophetæ absentis ori furtive poscentis pecuniam (IV Reg. v, 22): et ego quantumlibet in occulto lædere cogitans aut proximum nequiter, aut turpiter me ipsum, non verear aurem nusquam absentem? Tremenda prorsus auris et reverenda, cui non cessat quies, non tacet silentium. Denique ait: *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* (Isa. 1, 16.) Sed quid est quod dicit, *ab oculis meis?* an et nostra Deus non solum audit, sed et videt arcana? Quales oculi, qui contemplantur cogitationes! Non sunt coloratæ, ut videantur, sicut nec sonant ut audiantur. Solent

sentiri a cogitante, non audiri ab auscultante, non a contemplante videri. Merito tamen Dominus scit cogitationes hominum quoniam vanæ sunt. Cur enim nesciret, quas et audit, et videt? His præcipue duobus sensibus, id est visui et auditui, nemo fidem putat esse negandam. Hoc nos scire constanter adstruimus, quod vidimus et audivimus. Merito itaque non erat opus Domino Jesu, ut quis testimonium perhiberet de homine; ipse nimirum sciebat quæ essent in homine. *Quid cogitatis, ait, mala in cordibus vestris?* (Matth. ix, 4.) Respondebat non sermonibus, sed cogitationibus. Audiebat non loquentes, videbat non apparentes.

23. Contremisco totus, tuam, Domine Jesu, quantillo possum intuitu considerans majestatem, præsertim cum recordor, in quantis ipsius aliquando contemptor exstiterim. Sed et nunc cum jam a facie majestatis fugi ad genua pietatis, quid amplius facio? Vereor ne qui aliquando contrarius exstiti majestati, et nunc ingratus pietati inveniar. Quid enim si cessant manus, et non cessat pectus? Quid si os jam silet, et necdum cor quiescit? Si singuli illiciti motus animi mei singula sunt quædam in te, Deus, convicia, utputa iracundiæ motus in mansuetudinem, invidiæ in charitatem, in frugalitatem luxuriæ, turpitudinis in castitatem, et innumera his similia, quæ de cœnoso lacu prurientis pectoris mei etiam nunc incessanter ebulliunt, inundantes et impingentes in serenitatem præfulgentis vultus tui: quid magnum feci solos cohibere artus, actus corrigere? Si has atque hujusmodi, quas, foris licet vacans, intus actitare non cesso, iniquitates observaveris, o Domine, quis sustinebit? An forte jam non ago illa, sed patior? Aguntur quidem in me, sed a me non aguntur, si non consentio. Sane si mei non fuerint dominata, tunc immaculatus ero, et immaculatus coram eo, non solum si caruero, sed et si observavero me ab iniquitate mea. Mea dixerim, non quia facio, sed quia sustineo. Corpus gesto mortis, carnemque peccati: sufficit interim mihi, si non regnet peccatum in meo mortali corpore. Sic corpus crimini non reputatur, nec quod habitat in eo peccatum: si tamen non delector, si tamen non exhibeo membra mea, arma iniquitati. Pro hac orabit ad te, o misericors, qui vis etiam sanctus in tempore opportuno: (Psal. xxvi, 6.) supplex nimirum, quod malum sentiat; et nihilominus sanctus, dum non consentiat: supplex pro periculo, sanctus pro virtute: sanctus plane atque beatus, qui condelectatus legi Dei secundum interiorem hominem, de malo, quod ita inesse corpori **471** sentit, ut nisi pariter cum corpore carere non possit, merito sese consolatur, et ait: *Jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* (Rom. vii, 17).

24. Veruntamen delicta quis intelligit? Nam si possem dicere cum Paulo, quod quidem longe est a me, *Nihil mihi conscius sum* (I Cor. iv, 4): non tamen in hoc esse justificatum oporteret me gloriari:

*Non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. (II Cor. x, 18).* Si applauserit mihi justitiam humanus dies, pro minimo habeo, quia ille lucet tantum in facie. Homo enim videt in facie; Deus autem intuetur cor. (*I Reg. xvi, 7.*) Propter hoc Jeremias non satis popularibus sentiis, velut quibusdam humani diei radiis, movebatur, sed fidenter loquebatur Deo: *Diem hominis non concupivi tu scis. (Jerem. xvii, 16.)* Si meus mihi arriserit dies, *neque me ipsum, inquit, judico (I Cor. iv, 3):* quia nec ipse me satis intelligo. Solus merito constitutus est iudex vivorum et mortuorum, qui finxit singillatim corda universorum, et intelligit omnia opera eorum. Solum attendo iudicem, quem et solum justificatorem agnosco. Pater dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est (*Joan. v, 27*). Non usurpo mihi vel super me servus Filii potestatem, nec me annuero illis, de quibus ita conqueri solet: *Tulerunt homines a me iudicium.* Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio (*ibid., 22*): et ego mihi præsumam quod nec ipse Pater sibi assumit? Velim, nolim, ipsi me adstare necesse est: ipsi horum quæ gesserim in corpore, reddere rationem, cui nec verbum prætervolat, nec subterfugit cogitatio. Sub tam æquo libratore meritorum, sub tam intimo secretorum inspectore, quis gloriabitur castum se habere cor? Sola profecto, quæ non solet gloriari, non novit præsumere, contendere non consuevit, gratiam inventura est in oculis pietatis humilitas. Deus namque superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (*Jac. iv, 6*). Non contendit iudicio, nec præterdit justitiam qui vere humilis est, sed dicit: *Non intres in iudicium cum servo tuo, Domine (Psal. cxlii, 2).* Recusat iudicium, et postulat misericordiam, facilius sibi veniam impetrare posse, quam justitiam vindicare confidens. Novit naturam divinam naturaliter piam, quæ in nostra [al. nostram] nequaquam humilitatem abhorreat. Non despicit illa majestas cor contritum et humiliatum in nostro genere, quæ corpus ex eo humilitatis assumere non dedignata est. Nescio quo pacto familiarius semper humilitati propinquare solet divinitas. Denique illa se induit, ut appareret hominibus. Substantiam, formam, habitumque gestavit humilem, ipsius nobis commendans virtutis excellentiam, quam speciali sui voluerit honorare præsentia.

#### CAPUT VII.

*Ambitionem ecclesiasticorum, promotionem juniorum, et pluralitatem beneficiorum perstringit.*

25. Vobis autem, dilectissime, vobis præcipue tanto magis arbitror hanc esse necessariam, quan-

(83) Primatum metropolitani Senonensis repetunt a Joanne VIII, qui Ansegiso archiepiscopo vices suas in Gallia et Germania demandavit. Exstat liber hac de re singularis Joannis Baptistæ Drioti canonici Senonensis. Ad epistolam Ludovici VI, ad Calixtum II, in tomo 3 Spicilegii, pag. 147.

(84) Confer epistolam 271, ad Theobaldum Campaniæ comitem, quem filio suo Willelmo impuberi

A to major noscitur materia suppetere superbiendi. Genus, ætas, scientia, cathedra, et, quod majus est, primatus prærogativa (83), cui non essent insolentiae fomes, elationis occasio? Quamquam esse possint et humilitatis. Meditantibus quidem honores blandiuntur, sed onera pensantibus lædio sunt atque formidini. Non autem omnes capiunt hoc verbum. Multi enim non tanta fiducia et alacritate currerent ad honores, si esse sentirent et onera. Gravari profecto metuerent, nec cum tanto labore et periculo quarumlibet affectarent infulas dignitatum. Nunc vero quia sola attenditur gloria, et non pœna, purum esse clericum erubescitur in Ecclesia; seque viles æstimant, et inglorios, qui quocumque eminentiori in loco non fuerint **472** sublimati.

B Scholares pueri et impuberes adolescentuli ob sanguinis dignitatem promoventur ad ecclesiasticas dignitates (84), et de sub terula transferuntur ad principandum presbyteris; lætiores interim quod virgas evaserint, quam quod meruerint principatum; nec tam illis blanditur adeptum, quam ademptum magisterium. Et hoc quidem in initio. Processu vero temporis paulatim insolescentes, docti sunt in brevi vindicare (85) altaria, subditorum marsupia vacuare, magistris nimirum in hac disciplina utentes idoneis, ambitione, et avaritia. Verum quantavis industria tua tibi lucra conquirere cautulus videaris, quantalibet vigilantia rem possis servare tuam, quantocumque studio regum tibi ac principum gratiam captare cures, dicimus tamen: *Væ terræ, cui rex puer est, et cujus principes mane comedunt (Eccle. x, 16).*

26. Nec dicimus quamcumque ætatem Dei gratiæ præmaturam, sicut nec seram: cum multos videamus juniorum super senes intelligere, moribus antiquare dies, prævenire tempora meritis, et quod ætati deest, compensare virtutibus. Boni pueri, qui quod ætate videntur, esse student et malitia. Malitia, inquam, sed non sensu: quorum, juxta admonitionem Apostoli, nemo contemnat adolescentiam (*I Tim. iv, 12*). Meliores bonæ indolis adolescentes inveteratis dierum malorum. Puer centum annorum maledictus est: et est e regione senectus venerabilis, non diuturna, neque numero annorum computata (*Sap. iv, 8*). Bonus puer Samuel, qui loquenti Deo promptus aderat auditor, dicens: *Loquere, Domine, quia audit servus tuus (I Reg. iii, 9)*; ac si diceret: *Paratus sum et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua (Psal. cxviii, 60).* Bonus et Jeremias, qui ante sanctificatus quam natus, cum se excusaret de pueritia, nihilominus constitutus est super gentes et super regna (*Jerem. i, 6*). Bonus

dignitates ecclesiasticas procurare volentem graviter et amice reprimit Bernardus.

(85) *Vindicare* scribebant illius ævi librarii, pro quo nonnulli codices habent *vendicare*. Sed præterenda lectio prior, ut verbum respondeat ambitioni, de qua mox: avaritiæ aliud membrum de evacuan- dis subditorum marsupiis.

quoque Daniel, cujus spiritum suscitavit Deus, ut A convinceret iniqua judicia, et sanguinem innoxium liberaret (*Dan. xiii*, 45-64). Denique cani sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata (*Sap. iv*, 8, 9). Sicubi hujusmodi puer senex promotus invenitur, opus Dei est, his qui tales non sunt, mirandum non imitandum.

27. Cæterum curritur in clero passim ab omni ætate et ordine, a doctis pariter et indoctis ad ecclesiasticas curas, tanquam sine curis jam quisque victurus sit, cum ad curas pervenerit (86). Nec mirum de his qui necdum in semetipsis experti sunt. Videntes quippe illos qui jam proprios humeros cupitæ sarcinæ submiserint, non solum non gemere tanquam sub onere, sed insuper appetere plus onerari, non deterrentur periculis, quæ cupiditate cæcati non vident; sed favoribus amplius, quos illis invident, provocantur. O infinita semper ambitio, et insatiabilis avaritia! Cum primos honorum gradus meruerint in Ecclesia, meruerint autem vel vitæ merito, vel pecuniæ, sive etiam carnis et sanguinis, quæ regnum Dei non possidebunt, prærogativa, non ideo corda quiescunt, duplici semper æstuantia desiderio, quo utique magis ac magis et dilatentur in plura, et ad celsiora sublimentur. Verbi gratia, cum factus quis fuerit in quacunque Ecclesia decanus, vel præpositus, archidiaconus, aut aliquid hujusmodi, non contentus uno in una, plures sibi, imo quotquot valet, conquirere honores satagit, tam in una, quam in pluribus. Quibus tamen omnibus, si locus evenerit, libenter unius C præferet episcopi dignitatem. Sed nunquid sic satiabitur? Factus episcopus, archiepiscopus esse desiderat. Quo forte adepto, rursus nescio quid alius somnians, laboriosis itineribus et sumptuosis familiaritatibus Romanum statuit frequentare palatium, quæstuosas sibi quasdam exinde comparans amicitias. Si lucri spiritualis gratia hæc faciunt, laudandus est zelus; **473** sed præsumptio corrigenda.

28. Nonnulli cum ista non possunt, vertunt se ad aliud ambiendi genus, in quo nihilominus aperiunt eam, quam habent, dominandi libidinem. Nam cum præsideant urbibus valde populosis, et totas, ut ita dicam, patrias propriæ diocesis ambitu circumcludant; occasione inventa ex quocunque veteri privilegio, satagunt ut vicinas sibi subjiciant civitates: quatenus duæ, quibus duo vix præsules sufficiebant, sub uno redigantur antistite (87). Rogo, quæ hæc tam odiosa præsumptio? quis hic tantus ardor dominandi super terram? quæ principandi tam effrenis cupiditas? Certe cum primum tractus es ad cathedram, flebas, refugiebas, vim querebaris, multum ad te et omnino supra te

esse dicens; miserum clamitans et indignum, qui non esses idoneus tam sancto ministerio, tantis non sufficeres curis. Quid igitur nunc verecunda depulsa formidine, sponte ambis ad ampliora; imo irreverenti audacia, propriis non contentus, invadis aliena? Cur hoc? Forte ut plures populos salves? Sed in alienam messem, tuam mittere falcem, injuriosum est. Ut tuæ præstes Ecclesiæ? Sed Ecclesiarum Sponso non placet tale unius incrementum, quod sit detrimentum alterius. Crudelis ambitio, et incredibilis, si fidem oculi non adstruerent! Vix tenent manus, quin illud ad litteram impleant quod legitur in propheta: *Secuerunt prægnantes Galaad ad dilatandum terminos suos* (*Amos i*, 13).

29. Ubi est illa terrificæ comminatio, *Væ qui B conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis?* (*Isai. v*, 8.) Nunquid in his duntaxat exiguis *Væ* istud metuendum est, non autem cum urbes urbibus, aut provinciæ provinciis continuantur? Imo etiam respondeant, si volunt, se imitari Dominum Christum, facientes et ipsi utraque unum, adducentes et ipsi ex diversis pascuis greges, ut fiat unus pastor, et unum ovile. Hujus rei gratia non pigritantur crebro terere limina apostolorum, inventuri et ibi (quod magis dolehdum est) qui suæ saveant improbæ voluntati: non quod valde Romancurent, quo sine res terminentur; sed, quia valde diligunt munera, sequuntur retributiones. Nude nuda loquor, nec retego verenda, sed inverecunda confuto. Utinam privatim et in cameris hæc fierint! C utinam soli videremus et audiremus! utinam nec [al. vel] loquentibus crederetur! utinam nobis reliquerint moderni Noe, unde a nobis possent aliquatenus operiri! Nunc vero cernente orbe mundi fabulam, soli tacebimus? Caput meum undique conquassatum est, et ego sanguine circumquaque ebulliente putaverim esse tegendum? Quidquid apposuero, cruentabitur; et major erit confusio voluisse celare, eum celari nequiverit.

#### CAPUT VIII.

*Humilitatem et modestiam episcopo commendat.*

30. Bona humilitas, quæ et in præsentiarum ab hujusmodi mordacibus curis mentem facit esse quietam, et a minacibus pœnis in futuro securam reddit conscientiam. Hæc vestros, pater, animos ab horum omnium pestifera æmulatione compescat. Audite potius Prophetam, taliter a talibus dehortantem: *Noli, inquit, æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem* (*Psal. xxxvi*, 1). *Æmulari magis oportet Apostolum non gloriantem in immensum, nec se ultra se extendentem: nec audentem se, ut ipse fatetur, comparare quibusdam qui se ipsos commendant, sed se sibi comparantem, et melientem secundum mensuram regulæ, quam*

(86) Hinc vulgatum Curarum nomen ad significanda beneficia eorum quos vocant Curatores.

(87) Id forte intelligendum de Norvioniensi episcopo, qui Tornacensem ecclesiam, jamdudum suæ sedi unitam, vix tandem passus est proprio gaudere

episcopo, scilicet Anselmo ex abbate Sancti-Vincentii Laudunensis, quem Eugenius III, Bernardi rogato, Tornacensibus concessit. Confer lib. iii de Consider. num. 14 et 16.

mensus est ei Deus (*II Cor. x, 12, 13*). Audiendo etiam ex ore ejus, *Nolite fraudare invicem (I Cor. vii, 5)*, propriis placebit esse contentum. Qui et provocans ad humilitatem, suum illud archiepiscopo non cunctabitur salubriter **474** intimare: *Noli altum sapere, sed time (Rom. xi, 20)*. In alto posito non altum sapere difficile est et omnino inusitatum: sed, quanto inusitatus, tanto gloriosius. Timor de adepta jam altitudine tædere magis quam placere faciet altiora. Non vos ergo felicem, quia præestis: sed si non prodestis, infelicem putate.

31. Ut autem secure præesse possitis, subesse et vos, si cui debetis, non dedignemini. Dedignatio quippe subjectionis, prælationis reddit indignum. Sapientis est consilium: *Quanto major es, tanto humilia te in omnibus (Eccli. iii, 20)*. Sapientiæ vero præceptum: *Qui major est vestrum, fiat sicut minor (Luc. xxii, 26)*. Quod si expedit etiam minoribus esse subjectum, majorum jugum quomodo licebit contemnere? Videant in vobis potius subditi quod vobis redhibeant. Intelligitis quæ dico: cui honorem, honorem. *Omnis anima, inquit, potestatibus sublimioribus subdita sit (Rom. xiii, 1)*. Si omnis, et vestra. Quis vos excipit ab universitate? Si quis tentat excipere, conatur decipere. Nolite illorum acquiescere consiliis, qui, cum sint christiani, Christi tamen vel sequi facta, vel obsequi dictis opprobrio ducunt. Ipsi sunt qui vobis dicere solent: « Servate vestræ sedis honorem. Decebat quidem ex vobis, vobis commissam Ecclesiam crescere: nunc vero saltem in illa qua suscepistis maneat dignitate. Et vos enim vestro prædecessore impotentior? Si non crescit per vos, non decreseat per vos. » Hæc isti. Christus aliter et jussit, et gessit. *Reddite, ait, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo (Marc. xii, 17)*. Quod ore locutus est, mox opere implere curavit. Conditor Cæsaris, Cæsari non cunctatus est reddere census: exemplum enim dedit vobis, ut et vos ita faciatis. Quando vero Dei sacerdotibus debitam negaret reverentiam, qui hanc secularibus quoque potestatibus exhibere curavit? Porro vos, si Cæsaris successor, id est regi, sedulus in suis curiis, consiliis, negotiis, exercitibusque adestis; indignum erit vobis cuiusquam Christi vicario (88) taliter exhiberi, qualiter ab antiquo inter Ecclesias ordinatum est? *Sed quæ sunt, inquit Apostolus, a Deo ordinata sunt (Rom. xiii, 1)*. Viderint ergo hujus ignominie dissuasores, quale sit Dei ordinationi resistere. Valde ignominiosum servo, si sit sicut dominus ejus; aut discipulo, si sit sicut magister ejus. Plurimum se vobis deferre putant, cum vos Christo præferre conantur, ipso reclamante ac dicente: *Non est servus major domino suo, neque apostolus eo qui misit*

(88) Id est, papæ seu pontifici Romano, quem Bernardus inter primos « Vicarium Christi » proprio nomine appellavit hic et in epistola 231, num. 1. Confer notationem ad epistol. 183. Quanquam etiam episcopum « Christi vicarium » veteri more appellat infra, num. 36; Papam vero singulariter lib. II de consid. num. 16, et lib. iv. num. 25.

*eum (Joan. xiii, 16)*. Quod non dedignatus est magister et Dominus, talisque et magister et dominus, indignum sibi judicabit servus bonus, devotusque discipulus?

32. Quam pulchre locutus est beatus ille Centurio, cujus fidei nulla par inventa est in Israel! *Et ego, inquit, homo sum sub potestate, habens sub me milites (Luc. vii, 8)*. Non jaclabat potestatem, quam nec solam protulit, nec priorem. Dicturus quippe, *habens sub me milites*, præmisit: *Homo sum sub potestate*. Prius se agnovit hominem, quam potentem. Agnovit, inquam, se hominem homo gentilis, ut in se jam impleri ostenderet, quod longe ante dixerat David: *Sciant gentes quoniam homines sunt (Psal. ix, 21)*. *Homo, inquit, sum, et sub potestate*. Jam quidquid subinferas, suspectam non habemus jaclantiam. Præmissa siquidem est humilitas, ne altitudo præcipitet. Nec enim locum invenit arrogantia, ubi tam clarum humilitatis insigne præcesserit. Agnoscis infirmitatem [al. humilitatem], confiteris subjectionem: jam et te sub te habere milites profiteri securus. Revera quia non confusus est de subjectione, jure ex prælatione meruit honorari. Non erubuit super se potestatem, et ideo dignus qui haberet et sub se milites. Ex abundantia cordis os loquebatur: et juxta quod intus ordinatas habuit affectiones, foris quoque verba decenter composuit. Dedit prius honorem præpositis, ut jam a subditis juste reciperet: sciens se a superioribus accipere, quod impenderet inferioribus, et quia melius propriæ subjectionis disceret experimento sua ipse moderari imperia. Forte non ignorabat, quod subiecto sibi homini Deus omnia subjecerit sub pedibus ejus; offendenti se infensam reddiderit; et is, quem humilem constituerat super opera manuum suarum, superbix merito comparatus jumentis insipientibus, et similis factus sit illis. Noverat et fortassis, quod humanus spiritus, subditus conditori subjectam sibi possederit carnem: rebellis rebellem invenerit: factusque transgressor legis superioris, sentire cœperit aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ, et captivantem se in lege peccati.

#### CAPUT IX.

D *Abbates exemptionibus præpostere studentes arguuntur*

33. Miror quosdam in nostro Ordine monasteriorum abbates hanc humilitatis regulam odiosa contentione infringere, et sub humili (quod pejus est) habitu et tonsura tam superbe sapere, ut cum ne unum quidem verbulum de suis imperiis subditos prætergredi patientur, ipsi propriis obedire contemnant episcopis. Spoliant ecclesias, ut emancipentur (89); redimunt se, ne obediant. Non ita Christus.

(89) Alibi non improbat Bernardus hujusmodi exemptiones monasteriorum, quæ specialius ab ipsa sui fundatione ad Sedem apostolicam pertinuerunt ex voluntate fundatorum. *Sed aliud est, inquit, quod largitur devotio, aliud quod molitur ambitio impatientis subjectionis*. Lib. III de Consid., n. 18.



Ille siquidem dedit vitam, ne perderet obedientiam : A qua isti ut careant, totum fere suum suorumque victum expendunt. Quid hoc est præsumptionis, o monachi ? Neque enim quia prælati monachis, ideo non monachi. Nempe monachum facit professio, prælatum necessitas. Ut autem non præjudicet necessitas professioni, accedat, non succedat prælatio monachatu. Alioquin quomodo illud implebitur : *Principem te constituerunt ? esto inter illos tanquam unus ex illis ? (Eccli. xxxii, 1)*. Quomodo tanquam unus ex illis, manens inter humiles superbus, inter subditos rebellis, immitis inter mansuetos ? Ut te putemus tanquam unum ex illis, videamus tam exhibere paratum, quam exigere obedientiam ; videamus tam libenter præpositis obtemperare subjectum, quam imperare subjectis. Quod B si semper vis obedientes habere, et nunquam esse, probas te non esse tanquam unum ex illis, dum unus esse renuis ex obedientibus : a quibus dum te superbiendo segregas, quorum aggregeris consortio patenter advertimus : et si tu vel impudenter contemnis, vel imprudenter dissimulas, reputari profecto inter illos te noveris, de quibus scriptum est : *Alligant onera gravia et importabilia, et imponunt humeris hominum, digito autem suo nolunt ea movere (Matth. xxiii, 4)*. Quorum ergo tibi indignius consortium iudicas, delicatiorum magistrorum, quos Veritas increpat, an obedientium monachorum, quos amicos suos commemorat ? Ait siquidem : *Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis (Joan. xv, 14)*. Vides igitur quale est C jubere quod ipse non feceris ; aut nolle facere, quod docueris.

34. Deinde ut taceam illud de Regula, ubi a sancto Benedicto tibi præcipitur, ut quæ doces discipulis esse contraria, in tuis factis indices non agenda ; ut item prætermittam, quod aperte definit tertium humilitatis esse gradum, ut quis pro Dei amore omni obedientia se subdat majori (Capp. 2, 7) ; in regula Veritatis attende quod legitur : *Qui solverit, inquit, unum de his minimis meis mandatis et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum (Matth. v, 19)*. Proinde tu docens et renuens obedire, non minimum, sed maximum Christi mandatum et docere, et solvere convinceris. Itaque doctor D et solutor mandati, minimus tu vocandus es in regno cælorum. Si ergo tui putas injuriam prioratus, minorem summis videri sacerdotibus, non magis indignum æstimandum est, minimum vocari in 476 regno cælorum ? Si multum superbus es, plus minimus, quam minor vocari confundere. Minor quippe vilitas est minorem videri, quam minimum : longe autem præstantius, solis subdi episcopis, quam universitati.

35. Sed non propter me, inquit, facio, sed quæro

(90) Ejusmodi ornamenta abbatibus primum concessi cœpta sæculo X. Paulus Langius noster in Chronico ad annum 1398 itidem Abbates arguit, qui hæc insignia captabant. Lucius III ea Lantelmo Casæ-Dei abbati ex obedientia imposuit. Sacerdoti,

ecclesiæ libertatem. O libertas omni, ut ita loquar, servitute servilior ! Patienter ab hujusmodi libertate abstineam, quæ me pessimæ addicat superbæ servituti. Plus timeo dentes lupi, quam virgam pastoris. Certus sum enim ego monachus, et monachorum qualiscunque abbas, si mei quandoque pontificis a propriis cervicibus excutere jugum tentavero, quod Satanæ mox tyrannidi me ipsum subjicio. Advertens nimirum cruenta illa bestia, quæ circuit quærens quem devoret, elongatam custodiam ; heu ! statim insilit in præsumptorem. Merito enim non cunctatur præsidere superbo, qui se jure regem gloriatur super omnes filios superbæ. Quis dabit mihi centum in mei custodiam deputari pastores ? Quanto plures sentio mei curam gerere, tanto securior ex eo in pascua. Stupenda insania ! Animarum non cunctor turbas mihi custodiendas colligere, et unum super propriam gravor habere custodem ! Et quidem subjecti me de reddenda pro se ratione sollicitant : qui autem præsumunt mihi, ipsi potius, Paulo dicente, *pervigilant, tanquam rationem pro me reddituri (Hebr. xiii, 17)*. Illi etsi honorant, onerant : hi non tam premunt, quam protegunt. Scio me legisse : *Judicium durissimum his qui præsumunt ; exiguo autem conceditur misericordia (Sap. vi, 6, 7)*. Quid igitur vos, o monachi, sacerdotum gravat auctoritas ? Metuitis infestationem ? Sed si quid patimini propter justitiam, beati. Sæcularitatem contemnitis ? Sed sæcularior nemo Pilato, cui Dominus æstitit judicandus. *Non haberes, inquit, in me potestatem, nisi tibi data esset desuper (Joan. xix, 11)*. Jam tunc per se loquebatur et in se experiebatur quod post per apostolos clamavit in Ecclesiis, *Non est potestas nisi a Deo et, Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. (Rom. xiii, 1, 2)*.

36. Ite nunc ergo, resistite Christi Vicario, cum nec suo adversario Christus restiterit : aut dicite, si audetis, sui Præsulis Deum ordinationem nescire, cum Romani Præsidis potestatem Christus super se quoque fateatur fuisse cœlitus ordinatam. Verum aperte indicant quidam horum quid cogitent, dum multo labore ac pretio apostolicis adeptis privilegiis, per ipsa sibi vincant insignia pontificalia, utentes et ipsi more pontificum, mitra, annulo, atque sandaliis (90). Sane si attenditur rerum dignitas, hanc monachi abhorret professio : si ministerium, solis liquet congruere pontificibus. Profecto esse desiderant, quod videri gestiunt ; meritoque nequeunt esse subjecti, quibus jam ipso se comparant desiderio. Quid si et nomen eis conferre privilegiorum posset auctoritas ? quanto putas auro redimerent, ut appellarentur pontifices ? Quo ista, o monachi ? Ubi timor mentis ? ubi rubor frontis ? Quis unquam probatorum monachorum tale aliquid aut verbo docuit, aut reliquit exemplo ? Duodecim humilitatis

diacono, et subdiacono, usus mitræ, annuli, et sandaliorum concessus est a Leone IX in ecclesia Vesontionensi ad quædam festa, ut legitur in Probationibus historiæ Tornutiensis pag. 358 et 362.

gradus Magister vester edisserit, propriisque distinctis descriptionibus (*S. Benedictus, Regulæ cap. 7*): in quo, quæso, illorum docetur aut continetur, ut hoc fastu delectari monachus, has quærere debeat dignitates?

37. Labor, et latebræ, et voluntaria paupertas, hæc sunt monachorum insignia; hæc vitam solent nobilitare monasticam. Vestri autem oculi omne sublime vident, vestri pedes omne forum circumeunt, vestræ linguæ in omnibus audiuntur conciliis, vestræ manus omne alienum diripiunt patrimonium. Tamen, si ita oportet, ut emancipati a subjectione pontificum, pari cum successoribus apostolorum gloria, pari cathedra, iisdemque solemnium indumentorum

A insignibus attollamini, cur non et sacros Ordines celebratis, et benedictiones datis in populis (91)? Quam multa moveor dicere adversus impudentissimam præsumptionem? sed frenat impetum, quod auribus occupatis scribere me recolens, longiori lectione vereor fieri onerosus archiepiscopo: et quia res tam manifesta est, ut multitudo reprehendentium videatur **477** impudentiam obdurasse. Quod si et hæc ipsa cernuntur gratas excedere compendii metas, vobis, o domine, donate, qui me et in hoc propriam prodere coegistis imperitiam, dum morem modumque solemnem in scribendo servare nescierim.

(91) Et id utrumque postea in usum venit quoad benedictiones et collationem minorum Ordinum.

Imo etiam subdiaconatum aliquando conferunt quinque primi abbates ordinis Cisterciensis.

## ADMONITIO.

*Varia est sequentis opusculi inscriptio. In prima ejus editione, scilicet Spirensi anni 1501, inscribitur. « De conversione, ad Scholares libellus, » absque divisione capitum. In editis anni 1520, « De conversione, ad Clericos sermo: » quem genuinum titulum existimamus. Sermonem vocat Bernardus ipse, n. 31: « Fatigarimus vos prolixitate sermonis, » etc. Quidam codices præferunt, ad Clericos Parisienses. » Exordium Cisterciense faveat in libro septimo de Vita Bernardi, cap. 13. « Quadam præterea vice, cum vir Domini Bernardus causa exigente Parisius adesset, rogatu clericorum ingressus est de more scholas eorum: quibus ostendens formam veræ philosophiæ, monebat eos attentius de mundi contemptu, » etc. Gaufridus factum narrat in libro quinto de eadem Vita, n. 10: « Patrem sanctum, fines Parisiorum aliquando peragrantem, ut ad ipsam diverteret civitatem episcopus Stephanus et cæteri omnes qui pariter aderant, obnixè rogantes non poterant obtinere. Magno siquidem zelo, nisi causa gravis urgeret, conventus publicos declinabat. Cumque vespere iter suum alias ordinasset, mane, ubi primum locutus est fratribus, dicere jubet episcopo, quia Parisius ibimus, ut rogasti. Conveniente igitur clero admodum copioso, sicut semper ab eo solebant expetere verbum Dei, continuo tres ex illis compuncti sunt, et conversi ab inanibus studiis ad veræ sapientiæ cultum, abremuntiantes sæculo, et Dei famulo inhærentes, » etc. Gravis et patheticus est hic sermo contra clericos, qui Ecclesiæ dignitates ambiunt, et temere ad sacros Ordines accedunt. Capitulum distinctionem, qualis in editis ab anno 1520 adhibita est, retinimus.*

## S. BERNARDI ABBATIS

### DE CONVERSIONE

### AD CLERICOS

### SERMO SEU LIBER.

#### 478 CAPUT PRIMUM.

*Quod nemo converti ad Dominum, nisi Dei voluntate præventus et ejus voce interior clamante, possit.*

1. Ad audiendum, ut credimus, verbum Dei convenistis. Neque enim causa nobis alia vestræ hujus tam avidæ concursio occurrit. Approbamus utique desiderium hoc, et laudabili studio congaudemus. Beati enim qui audiunt verbum Dei, sed si custodiunt illud (*Luc. xi, 28*). Beati qui memores sunt

B mandatorum ejus, sed ut faciant ea (*Psal. cii, 18*).

Nimirum verba vitæ æternæ habet, et venit hora (utinam et nunc sic) quando mortui audient vocem ejus; et qui audierint, vivent (*Joan. v. 25*): siquidem vita in voluntate ejus. Et si vultis scire, voluntas ejus conversio nostra. Denique ipsum audite. *Nunquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus, et non magis ut convertatur et vivat* (*Ezech. xviii, 23*). Ex quibus verbis evidenter agnoscimus,

quoniam vera nobis vita non nisi in conversione est, nec aliter ad eam patet ingressus, dicente item Domino: *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum* (Matth. xviii, 3). Merito sane parvuli soli intrant; nam puer parvulus minat eos, qui in hoc ipsum natus et datus est nobis. Quæro igitur vocem quam audiant mortui, et cum audierint vivant: forte enim et mortuis evangelizare necesse est. Et occurrit interim verbum breve, sed plenum, quod os Domini locutum est, ut propheta testatur: *Dixisti, ait loquens sine dubio ad Dominum Deum suum, Convertimini, filii hominum* (Psal. lxxxix, 3). Nec immerito sane a filiis hominum videtur exigenda conversio, peccatoribus utique necessaria. Nam supernis spiritibus ea magis quæ rectos decet indicta laudatio est, eodem propheta psallente: *Lauda Deum tuum, Sion* (Psal. cxlvii, 12).

2. Cæterum quod ait, *dixisti*, meo quidem iudicio non negligenter prætereundum est, nec simpliciter audiendum. Quis enim humanis comparare audeat dictis quod dixisse dicitur Deus? Vivus profecto est sermo Dei et efficax (Hebr. iv, 12); et vox ejus in magnificentia et virtute (Psal. xxviii, 4). Denique ipse dixit, et facta sunt (Psal. cxlviii, 5). *Dixit: Fiat lux, et facta est lux* (Gen. i, 3). *Dixit: Convertimini filii hominum, et conversi sunt*. Ita plane conversio animarum opus divinæ vocis est, non humanæ. Simon Joannis, piscator hominum in hoc ipsum vocatus et constitutus a Domino, incassum tamen et ipse laborans tota nocte nil capiet, donec in verbo Domini rete jactans, concludere possit multitudinem copiosam. Utinam jactemus et nos hodie in hoc verbo rete verbi, et experiamur quod scriptum est: *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis* (Psal. lxvii, 34). Si mendacium loquimur, id plane de proprio est. Sed et tunc forsitan nostra judicabitur vox esse, et non Domini, si quæramus quæ nostra sunt, non quæ Jesu Christi. Cæterum etsi loquimur justitiam Dei, et gloriam Dei quærimus, effectum tamen ab eo solo sperare, ab eo postulare necesse est, ut voci suæ vocem virtutis accommodet. Ad hanc ergo interiorrem vocem aures cordis erigi admonemur, ut loquentem Deum intus audire, quam foris hominem studeatis. Illa enim vox magnificentiae et virtutis, deserta concutiens secreta discutiens, torporem excutiens animarum.

#### 479 CAPUT II.

*Quod ipsa vox Domini omnibus se offerat, et animam sibi ipsi nolentem representet.*

3. Nec sane laborandum est, ut ad vocis hujus perveniatur auditum: labor est potius aures obturare ne audias. Nimirum vox ipsa se offert, ipsa se ingerit, nec pulsare interim cessat ad ostia singulorum. Denique *quadraginta annis, inquit, proximus fui generationi huic, et dixi: Semper hi errant corde* (Psal. xciv, 10). Adhuc nobis proximus est, adhuc loquitur, et non est forte qui audiat. Adhuc dicit: *hi errant corde*; adhuc Sapientia clamat in plateis: *Redite, præparatores, ad cor* (Isa. xlvi, 8). Hoc

nempe initium loquendi Domino: et hoc verbum ad omnes qui convertuntur ad cor, præcessisse videtur, et non modo rovocans eos, sed reducens et statuens contra faciem suam. Est enim non tantum vox virtutis, sed et radius lucis, annuntians pariter hominibus peccata eorum, et illuminans abscondita tenebrarum. Nec vero ulla internæ hujus vocis ac lucis differentia est, cum unus idemque sit Dei Filius et Verbum Patris, et splendor gloriæ; sed et animæ quoque substantia, in suo quidem genere etiam ipsa spiritualis et simplex, sine ulla distinctione sensuum, sed tota, si tamen tota dicenda est, et videns pariter et audiens videatur. Quid enim illo agitur sive radio, sive verbo, nisi ut noverit semetipsam? Aperitur siquidem conscientiae liber, revolvitur misera vitæ series, tristes quædam historia replicatur, illuminatur ratio, et evoluta memoria velut quibusdam ejus oculis exhibetur. Utraque vero non tam ipsius est animæ, quam anima ipsa: ut eadem sit et inspiciens et inspecta, contra suam statuta faciem, et a violentis quibusdam apparitoribus immissarum utique cogitationum coacta, proprio interim judicanda assistere tribunali. Quis sane iudicium hoc sine tribulatione sustineat? *Ad me ipsum anima mea turbata est, ait propheta Domini* (Psal. xli, 7): et tu, contra faciem tuam sine argutione, sine tribulatione, sine confusione, statui non posse miraris?

#### CAPUT III.

*Quod per vocem Dei, animæ ratio, quasi in libro, omnia mala deprehendere, reprehendere, dijudicare et discernere valeat.*

4. Nec a me speres audire quid in memoria tua ratio deprehendat, quid reprehendat, quid dijudicet, quid decernat. Applicæ intus auditum, reflecte oculos cordis; et proprio disces experimento quid agatur. Nemo enim scit quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis qui in ipso est (I Cor. ii, 11). Si superbia, si invidia, si avaritia, si ambitio, aut similis aliqua pestis abscondita est, vix effugere poterit hoc examen. Si fornicatio, si rapina, si crudelitas, si frans ulla, aut quælibet culpa admissa est, internum hunc iudicem non latebit reus ipse, nec inficiabitur coram eo. Transiit enim velociter totus ille pruritus delectationis iniquæ, et voluptatis illecebra tota brevi finita est; sed amara quædam impressit signa memoriæ, sed vestigia foeda reliquit. In illud siquidem repositorium, velut in sentinam aliquam, tota decurrit abominatio, et immunditia tota defluxit. Volumen grande, cui universa inscripta sunt, stilo utique veritatis. Amarum jam venter tolerat, etsi fauces miseras brevi transitu dulcedine quadam frivola visum est oblectasse. Ventrem meum doleo, miser, ventrem meum doleo. Quidni doleam ventrem memoriæ, ubi tanta congesta est putredo? Quis nostrum, fratres, exteriorrem hanc vestem, qua tegitur, si repente obscenis undique sputis illitam, et foedissimis quibusque sordibus inquinatam consideret, non vehementer exhorreat, non velociter exuat, non indignanter abjiciat? Itaque qui non vestem, sed semetipsum intus sub veste talem repe-

rit, eo amplius doleat, et animo consternetur oportet, quo propius tolerat quod exhorret. Neque enim ut **480** tunicam abjicit suam, sic abjicere contaminata anima poterit et se ipsam. Denique quis in nobis tantæ patientiæ est et virtutis, ut si forte (quemadmodum de Maria sorore Moysi legitur (*Num. xii, 10*) carnem suam subitanea [*al. subcutanea*] quædam lepra male candentem viderit, æquo animo stare possit, et gratias agere Creatori! Quid vero est caro ista, nisi corruptibilis quædam tunica, qua vestimur? aut quid lepra hæc corporea electis omnibus æstimanda, nisi paternæ virgæ correptionis, et purgatio cordis? Ibi, ibi tribulatio vehemens, et justissima causa doloris est, cum excitatus a sommo miseræ voluptatis, interiorem cœperit quis deprehendere lepram, quam sibi ipse multo studio et labore quæsivit. Licet enim nemo oderit carnem suam, sed multo minus odisse poterit anima semetipsam.

#### CAPUT IV.

*Quod diligens iniquitatem, odit animam, et carnem suam: et de pœnitentia infructuosa post mortem.*

5. At forte aliquem moveat illud de Psalmo: *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam* (*Psal. x, 6*). Ego autem dico, odit et carnem. An non odit, cui gehennæ cumulos mercatur in dies, et cui secundum duritiam suam et cor impœnitens thesaurizat iram, in die iræ? Cæterum hoc odium tam carnis, quam animæ, non in affectu sed in effectu potius invenitur. Sic nimirum odit et phreneticus carnem suam, cum sibi ipsi manus inferre laborat, rationis deliberatione sopita. An vero gravior ulla phrenesis iudicatur, quam impœnitentia cordis, et peccandi obstinata voluntas? Siquidem manus nefarias injicit sibi ipsi, nec carnem, sed mentem lacerat et corrodit. Si vidisti hominem scalpere manus, et usque ad sanguinem confricare, evidentem habes in eo similitudinem animæ peccantis expressam. Cedit siquidem voluptas illa dolori, et succedit pruritu cruciatus. Neque id ignorabat, sed dissimulabat ille dum scalperet. Sic laceramus, sic exulceramus propriis manibus animas infelices: nisi quod tanto gravius, quanto excellentior est spiritualis creatura; et cui difficilius medeatur. Neque id quidem inimicitarum studio gerimus, sed stupore quodam insensibilitatis internæ. Effusus siquidem animus damna interiora non sentit; quia nec intus est, sed in ventre forsitan, aut sub ventre. Denique et animus quorundam in patinis, quorundam in oculis invenitur. *Ubi est thesaurus tuus, inquit, ibi est et cor tuum* (*Matth. vi, 21*). Quid vero mirum, si propriam minime sentiat anima læsionem, quæ sui ipsius oblita, et penitus absens sibi, in longinquam profecta est regionem? Erit autem cum in semetipsam reversa cognoscet, quam crudeliter miseræ venationis obtentu evisceraverit semetipsam. Neque enim id sentire poterat, dum vilem muscarum prædam desiderio captans insatiabili, araneorum instar, ex visceribus propriis intexere retia videretur.

6. Erit autem hic reditus sine dubio vel post mor-

tem: cum universa, quibus, ad vagandum foras et inutiliter sese occupandum, in eam quæ præterit hujus mundi figuram, egredi consueverat, ostia corporis clausa erunt, ut necessario maneat in se ipsa, cui nullus jam pateat exitus a se ipsa. Verum is quidem perniciosissimus erit reditus, et miseria sempiterna, quando jam pœnitentia haberi poterit, agi non poterit. Ubi enim deerit corpus, actus non erit. Sane ubi nulla fuerit actio, nec satisfactio quidem ulla poterit inveniri. Quocirca pœnitentiam quidem habere, dolere est: nam pœnitentiam agere, remedium doloris est. Neque enim carenti manibus erit ultra levare cor in cœlum cum manibus; sed quisquis ante obitum carnis non redierit ad se ipsum, in se ipso maneat necesse est in æternum. Sed in quali se ipso? Qualem sese fecerit in hac vita, qualem invenerit exiens ab hac vita: nisi quod fortasse erit nonnunquam deterior: nam melior nunquam erit. Habet enim hoc ipsum, quod nunc ponit, **481** quandoque recipere corpus, non tamen ad pœnitentiam, sed ad pœnam: ubi nimirum peccati ipsius et carnis quodammodo similis videbitur esse conditio: ut quemadmodum culpa semper puniri poterit, nec unquam poterit expiari; sic nec in corpore aliquando tormenta finire, nec corpus ipsum exinaniri valeat in tormentis. Merito quidem ultio sempiternæ desæviet, quod nunquam possit culpa deleri; nec substantia carnis deficiet, ne simul cogatur etiam afflictio carnis terminari. Hæc, fratres mei, qui pavet, cavet; qui negligit, incidit.

#### CAPUT V.

*Quod vermis conscientie in præsentem sentiri ac suffocari debet, non in immortalitatem foveri ac nutriri.*

7. Ut ergo redeamus ad vocem unde processimus, expedit nobis profecto redire ad cor, dum illic iter, quo ostendat nobis salutare suum, qui tanto studio pietatis illuc revocat prævaricatores. Nec sentire interim pigeat morsus vermis interni; aut periculosa quædam animi teneritudo [*al. amaritudo*], et perniciose mollities persuadere queat, ut præsentem velimus dissimulare molestiam. Optimum est tunc sentire vermem, cum possit etiam suffocari. Itaque mordeat nunc ut moriatur, et paulatim desinat mordere moriendo. Rodat interim putredinem, ut rodendo consumat, et ipse quoque pariter consumatur, ne foveri incipiat in immortalitatem. *Vermis, inquit, eorum non morietur, et ignis non exstinguetur* (*Isa. lxvi, 24*). A facie illorum morsuum quis sustinebit? Multiplex enim nunc consolatio arguentis conscientie relevat cruciatum. Benignus est Deus, qui non patitur nos tentari supra quam possumus, nec vermem hunc supra modum patitur malignari. Maximeque inter initia conversionis oleo misericordiæ linit ulcera: ut nec morbi quantitas, nec difficultas curationis ultra quam expedit innotescat; magis autem arridere videtur facilitas quædam, quæ postmodum evanescit, quando jam exercitatos habenti sensus certamen forte datur, ut vincat, et discat quoniam omnium potentior est sapientia. Interim sane au-

aliens quis vocem Domini: *Redite, prævaricatores, ad cor*, (*Isa. XLVI, 8*), et tantis in interiore cubiculo obscenitatibus deprehensis, singula quæque rimari sagittat, et quonam hæc influxerint aditu, curiosus vestigator explorat; nec difficile patet foramen, imo et foramina contuenti. Sed nec parum illi ex hac consideratione doloris accedit, cum per fenestras proprias mors ista deprehenditur introiisse. Multa siquidem admisisse videtur petulantia oculorum, multa pruritus aurium, multa quoque olfaciendi, gustandi, tangendique voluptas. Nam spiritualia quidem vitia, quorum supra meminimus, difficile adhuc, prout sunt, carnalis examinat. Unde fit, ut quæ sunt graviora, aut minus, aut minime sentiat, nec tam superbiam aut invidiam, quam flagitiosorum aut facinorosorum recordatione actuum mordeatur.

#### CAPUT VI.

*Difficultatem conversionis, et luctam resipiscere parantibus, graphice representat.*

8. Et ecce iterum vox de nubibus dicens: *Peccasti, quiesce. Et quod dicitur, tale est. Jam sentina redundans domum omnem intolerabili fetore contaminat: vanum tibi est, dum adhuc sordes influant, exhaurire; dum peccare non destiteris, pœnitere. Quis enim eorum jejunia probet, qui ad lites et contentiones jejunant, et percutiunt pugno impie, sed et voluntates, et voluptates propriæ inveniuntur in eis? Non tale est jejunium quod elegi, dicit Dominus (*Isa. LVIII, 5*). Claude fenestras, obsera aditus, foramina obstrue diligenter; et sic demum non subeuntibus novis, sordes poteris expurgare vetustas. Æstimat homo facile quod jubetur implendum, tanquam ignarus exercitii spiritualis. Quis enim prohibeat, **482** inquit, quominus imperem membris meis? Indicit igitur gulæ jejunia, crapulam interdicit, obturari præcipit aures ne audiant sanguinem, avertit oculos ne videant vanitatem; manus non ad avaritiam, sed ad eleemosynam magis extendit, quibus forte laborem imponere velit, prohibens latrocinia, sicut scriptum est: *Qui furabatur jam non furetur, magis autem laboret manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti* (*Ephes. IV, 28*).*

9. Cæterum, dum suas quibusque membris in hunc modum leges promulgat, et decreta proponit, interrumpunt subito vocem jubentis, et uno impetu clamant: Unde hæc nova religio? Facere jubes ut libet. Sed inveniatur qui novis decretis obviet, qui novis legibus contradicat. Quis enim ille est, inquit? Et illa: Nimirum ipsa, quæ paralytica jacet in domo, et male torquetur. Ipsa est enim, in cuius nos pridem deputasti obsequium, si ignoras, ad obediendum utique concupiscentiis ejus. Expalluit miser ad hanc vocem, et confusus obmutuit. Anxiabatur enim in eo spiritus ejus. Ac membra quidem ad suam illam infelicissimam dominam incunctanter accedunt, ut adversus Dominum crudeliter interpellent, et imperia duriora causentur. Plangit gula parcimoniam sibi modum adhibitum, prohibitam crapulam

A voluptatem. Oculus queritur indictas lacrymas, petulantiam interdictam. Quibus hæc et similia prosequentibus excitata et vehementer exacerbata voluntas: Somniumne est, inquit, an fabula quod narratis? Tum vero opportunum suæ tempus nacta quærimonia lingua: Omnino, ait, sic est ut audistis. Nam et ego a fabulis et mendaciis jussa sum reticere, et nihil deinceps nisi serium, imo et penitus necessarium loqui.

10. Exsilit igitur vetula furens, et totius oblita languoris, procedit horrentibus comis, vestem lacera, pectore nudo, scalpens ulcera, frendens dentibus et arecens, atque ipsum inficiens aerem flatibus virulentis. Quidni confundatur, si quid adhuc superest rationis, ad talem miseræ voluntatis occursum et incursum? Hæc, inquit, est tota tui conjugii fides, sic compateris male patienti? Usque adeo super dolorem vulnerum meorum addere pepercisti? Subtrahendum forsitan ex immoderata dote aliquid videbatur; sed quid relinquitur hoc sublato? Solum hunc languenti miseræ præstitisti, et omnia ejus obsequia, quemadmodum sint distributa, aliquando cognovisti. Nunc autem si tibi forsitan morbi hujus pessimi, quo laboro, triplex malignitas excidisse potuit, sed non mihi. Siquidem voluptuosa sum, curiosa sum, ambitiosa sum; et ab hoc triplici ulcere non est in me sanitas a planta pedis usque ad verticem. Itaque fauces, et quæ obscena sunt corporis, assignata sunt voluptati, quandoquidem velut de novo necesse est singula recenseri. Nam curiositati pes vagus, et indisciplinatus oculus famulantur. At vanitati quidem auris et lingua serviunt, dum per illam impingnat caput meum oleum peccatoris, per hanc ipsa suppleo quod in laudibus meis alii minus fecisse videntur. Valde enim delector et recipere ab aliis, et, cum opportune possum, etiam tradere aliis laudes meas, et meo et alieno ore semper cupiens prædicari. Cui potissimum morbo tuum quoque ingenium plurima solet adhibere fomenta. Porro manus ipsas, quibus est undique liber motus, non uni specialiter alicui operi deputamus, sed modo vanitati, modo curiositati, modo voluptati sedulum satis exhibent famulatum. Quibus ita dispositis, non mihi hæc omnia vel in uno satisfacere aliquando poterunt, quod non satietur oculus visu, nec auris impleatur auditu. Atque utinam inter spectandum totum aliquando corpus fieret oculus, aut inter prandendum in fauces membra omnia verterentur. Tunc mihi id modicum consolationis, quod utcumque mendico, tantas surripere? Dixit, et cum indignatione et furore recedens: Teneo, inquit, longumque tenebo.

11. Jam vero rationi ipsa vexatio dat intellectum **483** jam innotescit aliquatenus hujus negotii difficultas, jam præsumpta facilitas evanescit. Videt enim memoriam plenam spurcitiarum; videt abundantius alias atque alias influere sordes; videt ipsas fenestras morti patulas claudi omnino non posse; et quod adhuc præsidens voluntas languida dominetur,

ex cujus ulceribus sanies universa profluxit. Videt denique anima sese contaminatam, nec per alium, sed per proprium corpus, nec aliunde quam a se ipsa. Est enim quiddam animæ, sicut memoria quæ inficitur, sic voluntas ipsa quæ inficit. Denique tota ipsa nihil est aliud quam ratio, memoria, et voluntas. Nunc autem et ratio minus habens, cæca quodammodo, quod hactenus ista non viderit; infirma omnino, quod ne agnita quidem prævaleat reparare [al., temperare]: et memoria fœdissima pariter et fetidissima; et voluntas languida, et horrendis ulceribus undique scaturiens invenitur. At ne quid ex omnibus quæ sunt hominis relinquatur, ipsum etiam corpus rebelle est: et singula membra fenestrate singulæ, quibus mors intrat ad animam, et incessanter exuberat ipsa confusio.

#### CAPUT VII.

*Respiratio consolationis pauperibus spiritu seu animæ miseriam agnoscenti.*

12. Audiat ergo anima, quæcunque ejusmodi est, vocem divinam, et audiat cum stupore et admiratione dicentem: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum* (Matth. v, 3). Quis spiritu pauperior eo, qui in toto spiritu suo non invenit requiem, non invenit ubi caput reclinet? Hoc quoque consilium pietatis, ut qui sibi displicet, placeat Deo, et qui propriam domum odit, domum utique plenam spurcitæ et infelicitatis, invitetur ad domum gloriæ, domum non manu factam, æternam in cælis. Nec mirum si ad hujus dignationis magnitudinem expavescit, si difficile credit huic auditui, si vehementi stupore admiratur, et ait: Ergone beatum hominem miseria facit? Cæterum quisquis ejusmodi es, non diffidas. Non miseria, sed misericordia facit beatum: sed hujus propria sedes miseria est. Aut certe beatum faciat ipsa miseria, ut humiliatio in humilitatem transeat, necessitas in virtutem. *Pluviam voluntariam, inquit, segregabis, Deus, hæreditati tuæ; et infirmata est, tu vero perfecisti eam* (Psal. LXVII, 10). Utilis prorsus infirmitas, quæ medici manum requirit: et salubriter a se deficit, quem perficit Deus. Sed quia non est via ad regnum Dei sine primitiis regni, nec sperare potest cœleste regnum, cui nec super propria membra adhuc regnare donatur; sequitur vox dicens, *Beati mites, quoniam ipsi hæreditabunt terram* (Matth. v, 4); ac si evidentius dicat: Mitiga efferos voluntatis motus, et crudelem bestiam mansuescere cura. Ligatus es: solvere studeas quod rumpere omnino non possis. *Eva tua est* [al. add. vita]. Vinum facere, aut eatenus mea offendere nullo modo prævalebis.

#### CAPUT VIII.

*Garnales voluptates, et divitias esse omnino vanas, fallaces, et momentaneas.*

13. Nec mora, respirans homo inter hæc verba, atque id quoque facilius reputans, licet verecundus, accedit et delinire satagit viperam inflammatam. Arguit vitæ carnalis illecebras, et consolationes sæculares nugacitatis accusat, tanquam exiguas et in-

PATROL. CLXXXII.

dignas, sed et brevissimas quoque et perniciosissimas omnibus amatoribus suis. Super hoc, ait, nequam et inutiles servo tuo et ipsa fatere. Nec enim inficiari potes, ne in modico quidem tibi universa ejus obsequia satisfacere aliquando potuisse. Voluptas gutturis, quæ tanti hodie æstimatur, vix duorum obtinet latitudinem digitorum: et ejus tam modicæ partis tam exigua delectatio quanta paratur sollicitudine, quantam deinde molestiam parit? Hinc monstruosius dilatantur renes et humeri, hinc tumentes uteri non tam impinguantur, 484 quam imprægnantur a ruina: et dum carnis onus ossa non susinent, etiam morbi varii generantur. Sic libidinis illecebrosa vorago quantis laboribus et dispendiis, interdum et famæ vel honoris, aut etiam vitæ ipsius periculo comparatur? ut ad modicum flagrans sulphureus vapor furentes stimulis agat, et apum parvolantium, ubi male grata mella fuderit, nimis tenaci feriat icta corda morsu: cujus appetitus anxietatis et vecordie, actus abominationis et ignominie, exitus poenitudinis et verecundie plenus esse dignoscitur.

14. Cæterum spectacula vana, rogo, quid corpori præstant, quidve animæ conferre videntur? At certe nihil in homine cui curiositas prosit invenies. Frivola prorsus et inanis ac nugatoria consolatio: et nescio quid illi durius imprecer, quam ut semper habeat quod requirat, qui jucundæ quietis pacem [al. otia] fugitans, curiosa inquietudine delectatur. Liqueat sane vel ex hoc ipso nihil his omnibus delectationis inesse, quorum solus transitus juvat. Cæterum vanitas vanitatum quam nihil sit, vel ex ipso nomine manifestius judicatur. Vanus utique labor, qui studio vanitatis assumitur [al. absumitur]. « O doxa, doxa, » ait sapiens, « in millibus mortalium nihil aliud, quam aurium inflatio vana! (BOETIUS, *De consolatione*, lib. III, prosa 6.) » Et tamen quantam putas infelicitatem hæc ipsa non tam felix vanitas, quam vana felicitas parit? Hinc namque cæcitas cordis, sicut scriptum est: *Popule meus, qui te beatificans, in errorem te inducunt* (Isai. III, 12). Hinc cervicosus furor animositatis, hinc suspicionis labor anxius, hinc livoris crudele tormentum, et cremantis invidiæ miserior, quam miserabilior cruciatus: hinc divitiarum amor insatiabilis longe amplius desiderio torquet animam, quam refrigerat usu suo; utpote quarum acquisitio quidem laboris, possessio timoris, amissio plena doloris invenitur. Postremo ubi multæ opes, multi etiam qui comedunt eas (Eccle. v, 10): et usus quidem divitiarum apud alios, divitibus solum nomen cedit et sollicitudo. Et in his omnibus pro tam exiguis, aut magis ne exiguis quidem, sed nullis, eam parvipendere gloriam, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se, non tam insipientiæ quam infidelitatis esse videtur [al. dignoscitur].

15. Nec immerito sane mundus hic positus in maligno, vana promissione deludit animas propriæ

conditionis et nobilitatis oblitus, quas non pudeat A tant homines iniquitatis mysteria, dum vanitatis consilia celant, dum perambulant in tenebris negotia tenebrarum.

condonis et nobilitatis oblitus, quas non pudeat A tant homines iniquitatis mysteria, dum vanitatis consilia celant, dum perambulant in tenebris negotia tenebrarum.

porcis in ministerio subjugari, in desiderio sociari, nec sic tamen infelici edulio satiari. Unde enim hæc tanta pusillanimitas et abjectio tam miserabilis, ut egregia creatura, capax æternæ beatitudinis et gloriæ magni Dei, utpote cujus sit inspiratione condita, similitudine insignita, cruore redempta, fide dotata, spiritu adoptata, miseram non erubescat sub putredine hæc corporeorum sensuum gerere servitute? Merito plane ne eos quidem apprehendere potest, quæ talem deserens sponsum, tales sequitur amatores. Merito siliquas esuriit, et non accepit qui porcos pascere maluit, quam paternis epulis satiari (*Luc. xv, 16*). Insanus siquidem labor pascere sterilem quæ non parit, et viduæ benefacere nolle: omittere curam cordis, et curam carnis agere in desiderio: impinguare et fovere cadaver putridum, quod paulo post vermium esca futurum nullatenus dubitatur. Nam et servire mammonæ, et avaritiam colere, quod est servitus idolorum, aut vanitatem sectari, prorsus degeneris animæ indicium esse quis nesciat?

16. Esto tamen, magna sint et honesta quæ mundus interim amatoribus suis erogare videtur: sed infida esse quis nesciat? Certa nimirum eorum brevitatis, et ipsius quoque brevitatis finis incertus. Sæpe viventem deserunt: nam morientem nec raro sequuntur. Quid vero in rebus humanis certius morte, quid hora mortis incertius invenitur? Non miseratur inopiam, non divitias reveretur, non generi cuiuslibet, non moribus, non ipsi denique parcat ætati: nisi quod senibus quidem in januis, adolescentibus autem in insidiis est. Infelix proinde, qui in hujus vitæ tenebris et lubrico **485** fidens, perituram insumit operam; nec advertit quoniam vapor est ad modicum parens, et vanitas vanitatum. Obtinuisti tandem, ambitiose, quam ex longo tempore concupieras dignitatem? serva quod habes. Implesti, pecuniose, oculos tuos? sollicitus esto ne perdas. Uberes fructus attulit ager tuus? dirue horrea tua, ut majora ædifices; muta quadrata rotundis, dic animæ tuæ: *Habes multa bona reposita in annos plurimos. Erit enim qui dicat: Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te: quæ autem parasti, cujus erunt?* (*Luc. xii, 19, 20.*)

17. Atque utinam tantum congregata perirent, et non deterius ipse quoque periret congregator eorum. Esset utique tolerabilius perituro, quam peremptorio insudare labori. Nunc vero stipendia peccati mors: et qui in carne seminat, de carne metet corruptionem. Nec enim opera nostra transeunt, ut videntur: sed temporalia quæque velut æternitatis semina jaciuntur. Stupebit [*al. mal. superbit*] insipiens, cum ex hoc modico semine copiosam viderit exurgere messem, seu bonam, seu malam, pro diversa qualitate sementis. Hoc qui cogitat, nullum omnino parvum reputat esse peccatum, quod futuram messem potius æstimet, quam sementem. Seminant ergo dum nesciunt, et seminant dum occul-

tant homines iniquitatis mysteria, dum vanitatis consilia celant, dum perambulant in tenebris negotia tenebrarum.

### CAPUT IX.

*Quod impossibile sit peccantem latere.*

18. Parietes, inquit, sunt undique: quis me videt? Esto, nemo te videat: non tamen nullus. Videt te angelus malus, videt te angelus bonus, videt et bonis et malis major angelis Deus; videt accusator, videt testium multitudo, videt et ipse Judex, cujus te oportet assistere tribunali: sub cujus sane oculis velle delinquere tam insanum, quam horrendum incidere in manus Dei viventis. Noli esse securus: latent insidiæ, quas latere non possis. Latent, inquam, B insidiæ, quas ut deprehendere ipse non potes, sic non potes ipse non deprehendi. Audit plane qui plantavit aurem; et qui finxit oculos, ipse considerat (*Psal. xciii, 9*). Non illius Solis arcet radios materia lapidum, quos ipse creavit; non vel ipse corporis hujus paries veritatis excludit aspectum. Nuda sunt ejus oculis omnia, penetrabilior est ancipiti gladio. Ipsas quoque non modo cernit, sed et discernit cogitationum vias et medullas affectionum. Denique, si non totam humani cordis abyssum, et quidquid in ipso latet inspiceret præ ipso, non ille jam nil sibi conscius judicantis sese Domini sententiam tantopere formidaret. *Mihi, inquit, pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die, sed neque me ipsum judico. Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. Qui autem judicat me, Dominus est* (*1 Cor. iv, 3, 4*).

19. Si tu objectu parietis, aut cuiuslibet simulationis prætextu, humana frustrari posse judicia gloriaris; certus esto, non illum vera crimina præterire, qui de falsis etiam accusare criminibus consuevit. Si tantopere ejus, qui nihilominus forte tuam vereatur, proximi conscientiam reformidas; multo minus eos contempnas, quibus odiosa magis iniquitas, et longe amplius execrabilis corruptio est. Si denique Deum non times, et solos hominum revereris aspectus, memor esto hominem Christum hominum facta ignorare non posse: ut quod coram me attentare minime prorsus audeas, multo minus audeas coram D ipso; quodque non dico non liceret, sed nec liberet quidem præsumere vidente conservo, inspiciente Domino vel cogitare penitus exhorrescas. Alioquin: si carnis oculos magis, quam gladium, qui carnes habet devorare, formidas; et is quoque timor quem times, eveniet tibi et accidet quod vereris. Nihil opertum quod non reveletur, vel occultum quod non sciatur (*Luc. xii, 2*). Arguentur a luce in lucem prolata opera tenebrarum; nec modo obscenitatum abominanda secreta, sed iniqua commercia **486** vendentium sacramenta, et fraudulenta susurria [*al. suspiria*] adinventium dolos, et judicia subvertentium, qui novit omnia, nota faciet universis; cum cœperit scrutator ille cordis et renum scrutari Jerusalem in lucernis.

## CAPUT X.

*Non solum declinando a malo, sed et faciendo bonum salutem obtineri.*

20. Quid ergo facturi sunt, imò potius quid passuri qui crimina commiserunt, ubi audituri sunt, *Ite in ignem æternum (Matth. xxv, 41)*, qui pietatis opera non fecerunt? Quando vero admittetur ad nuptias, qui nec lumbos præcinxit ut abstineret a malo, nec lucernam tenuit ut faceret bonum: quando nec virginitatis integritas, nec lampadum claritas solius olei poterit excusare defectum? aut quis illos manere credendus est cruciatus, qui in hac vita non solum mala, sed forte pessima perpetrant; si sic sunt cruciandi qui hic bona receperunt, ut in medio flammæ æstuantibus linguis, ne minimæ quidem stillæ obtinere refrigerium queant? Caveamus ergo mala opera, nec includentis sagenæ fiducia, libere intra Ecclesiam delinquamus: hoc scientes, quia non omnes quos sagena trahit, piscatorum vasa recipient; sederit cum ad litus venerint, eligent bonos in vasa, malos autem foras mittent (*Matth. xiii, 48*). Neque hoc contenti lumborum cingulo, accendamus etiam lucernas nostras, et instanter operemur bonum, cogitantes, quod omnis arbor, non modo quæ malum fecerit fructum, sed etiam quæ bonum non fecerit, excidetur et in ignem mittetur, illum utique ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.

21. Cæterum sic declinemus a malo et faciamus bonum, ut inquiramus pacem, non gloriam prosequamur. Illa enim Dei est, et eam alteri non dabit. *Gloriam, inquit, meam alteri non dabo (Isai. xlii, 8)*. Et dicebat homo secundum cor Dei: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam (Psal. cxiii, 1)*. Recordemur etiam Scripturæ dicentis: *Si recte offeras et non recte divides, peccasti (Gen. iv, juxta LXX)*. Recta est, fratres, illa nostra divisio, nemo detrectet. Alioquin, si cui forsitan minus placeat, sciat non nostram esse, sed angelorum. Priores enim Angeli cecinerunt: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis (Luc. ii, 14)*. Servemus ergo in vasis oleum, ne forte (quod absit) clausas jam nuptiarum januas frustra pulsantes, verbum audiamus amarum et deintus nobis sponsus respondeat: *Nescio vos (Matth. xxv, 12)*. Adhuc iam Camen mors posita est, non modo secus iniquitatem, sterilitatem, vanitatem, sed et secus introitum ipsius etiam voluptatis. Quocirca opus est fortitudine adversus tentamenta peccati, ut rugienti leoni resistamus fortes in fide, et ignita ipsius jacula hoc ipso clypeo viriliter repellamus. Opus est justitia, ut operemur bonum. Opus prudentia, ne cum fatuis virginibus reprobemur. Opus denique temperantia, ne voluptatibus indulgentes, audiamus aliquando quod miser ille, epularum pariter et vestium splendore finito, dum misericordiam precaretur, audivit: *Memento fili, quod recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciarius (Luc. xvi, 25)*. Plane terribilis Deus in consi-

A liis super filios hominum! sed, si terribilis est, etiam misericors invenitur, dum futuri formam judicii non occultat. Anima enim quæ peccaverit, ipsa morietur (*Ezech. xviii, 4*): palme qui fructum non fecerit, excidetur (*Joan. xv, 2*): virgo cui defuerit oleum, a nuptiis excludetur (*Matth. xxv, 12*), et qui bona receperit in hac vitæ, cruciabitur in futura. Quod si forte contingat in uno quolibet simul hæc quatuor inveniri, ea plane extrema desperatio est.

## 487 CAPUT XI.

*Converti molientes acrius a solitis vitiis tentari, ipsis vero luctum esse necessarium.*

22. Hæc igitur et his similia intus suggerit ratio voluntati, eo copiosius, quo perfectius illustratione spiritus edocetur. Felix sane, cujus voluntas sic cesserit et acquieverit consilio rationis, ut a timore concipiens, promissionibus deinceps cœlestibus foveatur, et parturiat spiritum salutis. At forte invenietur rebellis et obstinata voluntas, nec impatiens solum, sed et monitis pejor, et minis durior, et adhibitis acerbior blandimentis. Invenietur forsitan, quæ nihil mota suggestionibus rationis, imo et gravi furore commota respondeat, dicens: Quousque vos patior? prædicatio vestra in me non capit. Scio quod astuti estis: sed astutia vestra in me locum non habet. Forte et advocans membra singula, solito amplius solitis jubet obedire concupiscentiis, nequitiis deservire. Hinc nimirum est illud quod quotidianis discimus experimentis, eos qui Bconverti deliberant, tentari acrius a concupiscentia carnis, et urgeri gravius in operibus luti et lateris, qui Ægyptum egredi, et Pharaonis imperium effugere moluntur.

23. Utinam autem qui ejusmodi est, declinet impietatem, et terribile illud profundum caveat, de quo scriptum est: *Impius cum venerit in profundum malorum, contemnit (Prov. xviii, 3)*. Fortissima siquidem potione curatur, et periclitatur facile, nisi multa sollicitudine studeat medici obtemperare consiliis, observare præcepta. Vehemens est tentatio, et proxima desperationi, nisi totum colligat et ad miserandum animæ suæ, quam adeo miseram et miserabilem videt, convertat affectum, et audiat vocem dicentem: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur (Matth. v, 5)*. Lugeat abundanter, quia lugendi tempus advenit: et ad sorbendas juges lacrymas ista sufficiunt. Lugeat, sed non sine pietatis affectu, et obtentu consolationis. Consideret nullam sibi inveniri requiem in seipso, sed omnia plena miseræ et desolationis. Consideret non esse bonum in carne suâ; sed et in sæculo nequam nihil nisi vanitatem et afflictionem spiritus contineri. Consideret, inquam, nec intus, nec subter, nec circa se sibi occurrere consolationem; ut vel tandem aliquando discat quærendam sursum et desursum esse sperandam. Lugeat sane interim plangens dolorem suum, exitus aquarum deducat oculus ejus, et palpebra non requiescat. Nimirum purgatur lacrymis oculus ante caligans et acuitur visus, ut



intendere possit in serenissimi luminis claritate.

### CAPUT XII.

*Quomodo voluntas suaviter inducenda ad amandum et desiderandum cœlestia.*

24. Ex hoc sane suspiciat per foramen, prospiciat per cancellos, prædulcem radium prosequatur obtutu, et Magorum sedulus imitator, lumen lumine quærat. Inveniet enim locum tabernaculi admirabilis, ubi panem Angelorum manducet homo; inveniet paradisum voluptatis plantatum a Domino; inveniet hortum floridum et amœnissimum; inveniet refrigerii sedem, et dicet: O si audiat vocem meam misera illa voluntas, ut ingrediens videat bona, et visitet locum istum! hic nimirum inveniet requiem amplio-rem, et me quoque eo minus inquietabit, quo minus inquietabitur ipsa. Neque enim mentitur qui dixit: *Tollite jugum meum super vos, et invenietis requiem animabus vestris* (Matth. xi, 29). In hujus fide promissionis exacerbata blandius alloquatur, et simulata quadam hilaritate, spiritu mansuetudinis eam conveniens dicat: Cesset penitus indignatio tua. Non ego sum qui te offendere possim. Tuum est corpus, tuus et ego ipse: non est quod timeas, non est quod verearis. Nec mirum, si forte amarius adhuc reddiderit illa responsum, ut dicat, **488** quia multæ cogitationes ad insaniam te adduxerunt. Sustineat interim æquanimiter, ac dissimulet omnino quod agitur, donec inter loquendum inducens alia pro aliis, opportune aliquando inferat, dicens: Inveni [al. intravi] hodie hortum pulcherrimum, et amœnissimum locum. Bonum esset illic nos esse: nam et tibi nocet in hoc lecto ægritudinis, in hoc doloris strato versari in hoc cubili tuo gravi corde compungi. Aderit Dominus quærenti se, animæ speranti in se: aderit votis supplicibus, et verbis ejus efficaciam ministrabit. Excitabitur desiderium voluntatis, ut non modo videre locum, sed et introire paulatim, et mansionem inibi facere concupiscat.

### CAPUT XIII.

*Conversos mira suavitate ac deliciis vitæ piæ ac spiritualis refici.*

25. Nec vero locum reputes corporalem paradisum hunc voluptatis internæ. Non pedibus in hunc hortum, sed affectibus introitur. Nec terrenarum tibi commendatur arborum copia, sed virtutum utique spiritualium jucunda decoraque plantatio. Hortus conclusus, ubi fons signatus in quatuor capita derivatur, et ex una sapientiæ vena virtus quadripartita procedit. Splendidissima quoque inibi lilia vernant: et cum flores apparent, etiam vox turturis auditur. Illic nardus sponsæ fragrantissimum præstat odorem, et cætera quoque aromata fluunt; austro spirante, aquilone fugato. Ibi media est arbor vitæ, malus illa de Cantico, cunctis pretiosior lignis silvarum, cujus et umbra sponsam refrigerat, et fructus dulcis gutturi ejus (Cantic. ii, 3). Ibi continentia nitor, et sinceræ veritatis intuitus oculos cordis irradiat: auditui quoque dat gaudium et

lætitiam dulcissima vox consolatoris interni. Ibi quibusdam spei naribus influit jucundissimus odor agri pleni, cui Dominus benedixit. Ibi avidissime prælibantur incomparabiles deliciæ charitatis; et succisis spinis ac vepribus, quibus antea pungebatur, unctione misericordiæ perfusus animus in conscientia bona feliciter requiescit. Quæ quidem non inter vitæ æternæ præmia, sed inter temporalis militiæ stipendia deputantur; nec ad futuram pertinent, sed ad eam magis quæ nunc est Ecclesiæ promissionem. Hoc enim centuplum est, quod in hoc sæculo sæculi contemptoribus exhibetur (Matth. xix, 29). Nec tibi illud nostro speraveris eloquio commendandum. Solus spiritus est qui revelat: sine causa paginam consulis; experientiam magis require. Sapientia est, cujus pretium nescit homo. De occultis trahitur, nec in terra suaviter viventium invenitur ista suavitas. Nimirum suavitas Domini est: nisi gustaveris, non videbis. *Gustate, inquit, et videte, quoniam suavis est Dominus* (Psal. xxxiii, 9). Manna absconditum est, nomen novum est, quod nemo scit nisi qui accipit. Non illud eruditio, sed unctio docet: nec scientia, sed conscientia comprehendit. Sanctum est, margaritæ sunt, nec faciet ipse quod prohibet (Matth. vii, 6), qui cœpit facere et docere. Neque enim canes aut porcos jam reputat, quos prioribus abrenuntiantes facinoribus atque flagitiis etiam consolatur per Apostolum, dicens: *Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis* (I Cor. vi, 11). Tantum caveat, ne revertatur canis ad vomitum, nec [al. vel] sus lota ad volutabrum luti.

### CAPUT XIV.

*In terrenis non esse ullam solietatem, nisi fastidio conjunctam: at cœlestium desideria experiendo semper crescere.*

26. In hujus ergo ostio paradisi divini susurri vox auditur, sacratissimum secretissimumque consilium, quod absconditum est a sapientibus et prudentibus, parvulis revelatur. Cujus sane vocis auditum non sola jam ratio capit, sed gratanter eum communicat et voluntati. *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (Matth. v, 6). Altissimum plane consilium, et **489** inestimabile sacramentum. Fidelis sermo et omni acceptione dignus, qui de cœlo nobis a regalibus sedibus venit. Facta est enim valida fames in terra, et omnes jam non egere cœpimus, sed ad extremam devenimus egestatem. Denique et comparati sumus jumentis insipientibus et similes facti sumus illis: etiam porcorum siliquas insatiabiliter esurimus. Qui pecuniam diligit, non satiatur; qui luxuriam, non satiatur; qui gloriam quærit, non satiatur; denique qui mundum amat, nunquam satiatur. Novi ego homines satiatos hoc mundo et ad ejus omnem memoriam nauseantes. Novi satiatos pecunia et satiatos honoribus, satiatos voluptatibus et curiositatibus hujus mundi, nec mediocriter, sed usque ad fastidium satiatos. Et facile est cuique nostrum hanc satietatem

per Deigratiam obtinere. Neque enim parit hanc copia, A sed contemptus. Sic fatui filii Adam, porcorum vorando siliquas, non esurientes animas, sed esuriem ipsam pascitis animarum. Sola nimirum hoc edulio inedia vestra nutritur, sola fames alitur cibo innaturali. Et dico planius exempli gratia, unum sumens e multis quæ humana vanitas concupiscit, non prius satiabuntur corda hominum auro, quam auro corpora satientur. Nec indignetur avarus: et de ambitionis et luxuriosis, etiam et de facinorosis eadem sententia est. Si quis mihi forte non credit, experientia credat, vel propria, vel multorum.

27. Quis in vobis est, fratres, qui satiari cupiat, et desiderium suum optet impleri? Incipiat esurire justitiam, et non poterit non satiari. Panes illos desideret, qui in domo patris abundant; et inveniet sese continuo siliquas fastidire porcorum. Gustum justitiæ vel exiguum studeat experiri, ut eo ipso desideret amplius, et amplius mereatur, sicut scriptum est: *Qui edit me, adhuc esuriet; qui bibit me, adhuc sitiet* (Eccli. xxiv, 29). Hoc enim cognatum magis spiritui, et naturalius desiderium vehementius occupat cor humanum, cæteraque viriliter desideria pelit. Sic nimirum fortem armatum fortior superat, sic clavus clavo solet extundi. *Beati ergo qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Nondum quidem ipsa, qua non satiabitur homo, et vivet; sed cæteris universis, quæ prius insatiabiliter fuerunt concupita: ut ex hoc sibi voluntas ad servendum prioribus concupiscentiis corpus vindicare desistens, rationi prorsus exponat, magis autem urgeat ipsa servire justitiæ in sanctificationem, non minore zelo, quam prius exhibuisset servire iniquitati ad iniquitatem.

#### CAPUT XV.

*Purganda memoria a peccatorum sordibus fiducia divinæ misericordiæ.*

28. Cæterum jam et voluntate mutata, in servitute redacto corpore, velut siccatum jam aliquatenus fonte, et oppilato foramine, tertium adhuc, idque gravissimum restat, de purganda scilicet memoria et exhaurienda sentina. Quomodo enim a memoria mea excidet vita mea? Membrana vilis et tenuis atramentum forte prorsus imbibit: qua deinceps arte delebitur? Non enim superficie tenuis tinxit; sed prorsus totam intinxit. Frustra conar eradere: ante scinditur charta, quam inserti characteres deleantur. Ipsam enim forte memoriam delere posset oblivio, ut videlicet mente captus eorum non meminerim, quæ commisi. Cæterum ut memoria integra maneat, et ipsius maculæ deleantur, quæ novacula posset efficere? Solus utique sermo vivus et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti. *Dimittuntur tibi peccata tua.* Murmuret Phariseus, et dicat: *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* (Marc. ii, 5, 7.) Mihi enim qui id loquitur Deus est, et non æstimabitur alius ad illum, qui adinvenit omnem viam disciplinæ, et dedit illam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo (Baruc.

iii, 37): post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est. Hujus indulgentia delet peccatum, non quidem ut a memoria excidat, sed ut quod prius inesse pariter et inficere consuevisset, sic de cætero insit memoriæ, ut eam nullatenus decoloret. Multorum enim nunc peccatorum, quæ vel a nobis, vel ab aliis commissa novimus recordamur: sed propria quidem inquinant, aliena non nocent. Ut quid hoc, nisi quod in his erubescimus singulariter, hæc nobis singulariter imputanda veremur? Tolle damnationem, tolle timorem, tolle confusionem; quæ quidem omnia plena remissio tollit: et non modo non oberunt, sed etiam cooperabuntur in bonum, ut devotas ei referamus gratias qui remisit.

#### CAPUT XVI.

*Misericordiam divinam obtineri, miserendo sibi ipsi primum; deinde proximo.*

29. Jam vero supplicanti pro ea, congrue respondetur: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (Matth. v, 7). Miserere ergo animæ tuæ, qui Deum tibi vis misereri. Lava per singulas noctes lectum tuum, lacrymis tuis stratum tuum rigare memento. Si compateris tibi ipsi, si laboras in gemitu pœnitentiæ (primus hic gradus misericordiæ est) misericordiam utique consequeris. Quod si forte magnus et multus peccator es, et magnam quæris misericordiam ac multitudinem miserationum; tu quoque misericordiam tuam magnificare et multiplicare labora, reconciliatus esto tibi ipsi: nam et tibi gravis factus eras, quod positus esses contrarius Deo. Ex hoc sane in domo propria reformata pace, eandem necesse est prius erga proximos dilatari, ut novissime osculetur te et ipse osculo oris sui, et, quemadmodum scriptum est, reconciliatus pacem habeas ad Deum (Rom. v, 1). Dimitte his qui in te peccaverunt, et dimittetur tibi quod ipse peccasti, dum secreta conscientia oraveris Patrem, et dixeris: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (Matth. vi, 12). Si forte quempiam defraudaveris, redde vel simplum: quod superest da pauperibus, et misericordiam præstans misericordiam consequeris. Si fuerint peccata tua sicut coccinum, quasi nix dealbabuntur: et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt (Isa. i, 18). Ut non confundaris super cunctis adinventionibus tuis quibus prævaricatus es, in quibus nunc erubescis; fac eleemosynam, si non potes de terrena substantia, de voluntate bona: et omnia munda erunt; non modo illuminata ratio, et correctæ voluntas, sed ipsa quoque memoria munda erit: ut ex hoc jam voceris ad Dominum, et audias vocem dicentis: *Beati mundo corde* (Matth. v, 8).

#### CAPUT XVII.

*Oculos cordis continuo mundandos, ut Deus videri possit.*

30. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (Ibid.). Magna promissio, fratres mei, et

tōtis desideriis affectanda. Hæc enim visio confirmatio est, sicut Joannes apostolus ait: *Nunc filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus. Scimus quia, cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est* (1 Joan. iii, 2). Hæc visio vita æterna est, sicut ipsa in Evangelio Veritas ait: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (Joan. xvii, 3). Odibilis macula, quæ beatam hanc nobis adimit visionem, et execrabilis negligentia, qua dissimulamur interim illius oculi mundationem. Ut enim corporeus nobis visus aut humore interiori, aut exterioris injectione pulveris impeditur: sic et intuitus spiritualis interdum quidem propriæ carnis illecebris, interdum curiositate sæculari et ambitione turbatur. Quod quidem non minus nos experientia propria, quam divina pagina docet, ubi legitur scriptum: *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrenam inhabitatio sensum multa cogitantem* (Sap. ix, 15). In utroque tamen solum quod hebetat et confundit obtutum, peccatum est: nec aliud inter oculum et lucem, inter Deum et hominem separare **491** videtur. Quandiu enim in hoc corpore sumus, peregrinamur a Domino. Non utique corporis est culpa, hujus scilicet, quod gerimus corpus mortis: magis autem quod corpus peccati sit caro, in qua bonum non est, sed potius lex peccati. Interdum tamen corporeus oculus, non adhuc festuca manente, sed jam sublata vel exsufflata, aliquandiu caligare videtur: quod quidem et ipsum in interiori oculo qui in spiritu ambulat, sæpius experitur. Neque enim ubi ferrum extraxeris, continuo vulnus redditum est sanitati: sed tunc primum necesse est adhibere fomenta et operam dare curationi. Nemo ergo sentinam ejiciens, mundatum sese protinus arbitretur: quinimo noverit se multis interim purificationibus egere. Nec modo lavandum aqua, sed et purgandum et examinandum igni, ut dicat: *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium* (Psal. lxxv, 12). *Beati ergo mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*: nunc quidem per speculum in ænigmate; in futuro autem facie ad faciem, ubi nimirum faciei nostræ fuerit consummata mundities, ut sibi eam exhibeat gloriosam, non habentem maculam neque rugam.

## CAPUT XVIII.

*Pacificos merito beatificari nomine filiorum Dei.*

**31.** Ubi opportune illico subinfertur: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (Matth. v, 9). Est enim homo pacatus, qui bona pro bonis reddens, quantum in se est, nemini vult nocere. Est alius paciens, qui non reddens mala pro malis, etiam potens est sustinere nocentem. Est et pacificus, qui bona pro malis reddens, in promptu habet et prodesse amanti. Primus quidem parvulus est, et facile scandalizatur: nec facile qui hujusmodi est, in hoc sæculo nequam et pleno scandalis poterit obtinere salutem. Secundus, ut scriptum est, in patientia sua possidet animam suam (Luc. xxi, 19). Nani tertius quidem non

A modo suam possidet, sed et multorum animas lucrifacit. Primus, quantum in ipso est, pacem habet; secundus pacem tenet, tertius pacem facit. Merito proinde beatificatur nomine filii, quod opus filii impleverit, ut post suam non ingratus reconciliationem, etiam alios reconciliet Patri suo: siquidem qui bene ministraverit, bonum gradum sibi acquirit (1 Tim. iii, 13); nec in domo patris gradus melior credendus est, quam filii. Si enim filii, et hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi (Rom. viii, 17), ut quemadmodum ipse dicit, ubi ipse est, ibi sit et minister suus (Joan. xii, 26). Fatigavimus vos prolixitate sermonis, et detinuimus ultra quam oporteret. Ex hoc jam finem loquacitati nostræ, quem non imperat verecundia, videtur imperare vel hora. Mementote tamen Apostoli, quem aliquando verbum prædicationis usque in mediam noctem legitis protraxisse. *Utinam adhuc, ut ipsius verbis utar, sustineatis modicum quid insipientiæ meæ. Æmulor enim vos Dei æmulatione* (11 Cor. xi, 1, 2).

## CAPUT XIX.

*Graviter perstringit ambitiosos, qui temere et indigne sacras Ecclesiæ functiones usurpant.*

**32.** Filioli, quis demonstrabit vobis fugere a ventura ira? Nemo enim magis iram meretur, quam amicum simulans inimicus. Juda, osculo tradis Filium hominis, homo unanimes, qui simul mecum dulces capiebas cibos, qui in paropside manum pariter intinxisti! Non est tibi pars in oratione, qua orat ad Patrem et dicit: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (Luc. xxiii, 34). Væ vobis qui clavem tollitis non scientiæ solum, sed et auctoritatis! nec ipsi introitis, et multipliciter impeditis quos introducere debuistis. Tollitis enim et non accipitis claves. De quibus Dominus queritur per prophetam: *Ipsi regnaverunt, et non ex me: principes 492 exstiterunt, et ego non vocavi eos* (Osee viii, 4). Unde tantus prædicationis ardor, unde ambitionis impudentia tanta, unde vesania tanta præsumptionis humanæ? Audetne aliquis vestrum terreni cujuslibet reguli, non præcipiente aut etiam prohibente eo, occupare ministeria, præripere beneficia, negotia dispensare? Nec tu Deum putes, quæ in magna domo sua a vasis iræ aptis in interitum sustinet, approbare. Multi quidem veniunt, sed considera quis vocetur. Ordinem ipsum dominici sermonis attende. *Beati, inquit, mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*: ac deinde, *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (Matth. v, 8, 9). Mundicordes utique vocat Pater cœlestis, qui non quærunt quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi: nec quod sibi utile, sed quod multis. *Petre, inquit, amas me? Domine, tu scis quia amo te. Patce, ait, oves meas* (Joan. xxi, 17). Quando enim sic amatas oves committeret non amanti? Nimirum hoc quæratur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Væ ministris infidelibus, qui necdum reconciliati, reconciliationis alienæ negotia, quasi homines qui justitiam fecerint, apprehendunt. Væ illis iræ, qui se ministros gratiæ profitentur. Væ

filiis iræ, qui pacificorum sibi usurpare gradus et nomina non verentur. Væ filiis iræ, qui fideles sese mediatores pacis, ut peccata populi comedant, mentiuntur. Væ qui ambulantes in carne, Deo placere non possunt, et placare velle præsumunt.

53. Non miramur, fratres, quicumque præsentem statum Ecclesiæ miseramur; non miramur de rad ce colubri regulum orientem. Non miramur, si vindemiat vineam Domini, qui institutam a Domino prætergreditur viam. Impudenter enim pacifici gradum et filii Dei vices occupat homo, qui nec primam quidem adhuc vocem Domini ad cor revocantis audivit: aut si quando forsitan cœperit audire, resiliens fugit ad folia, ut absconderetur in eis. Propterea necdum peccare quievit, sed longam adhuc trahit restem: necdum factus est vir videns paupertatem suam, sed dicit, quia dives sum, et nullius egeo, cum sit pauper, et nudus, et miser, et miserabilis. Nihil illi de spiritu mansuetudinis, quo præoccupatos in delicto possit intruere, considerans seipsum, ne et ipse tectetur. Compunctionis lacrymas nesciens, lætatur magis cum male fecerit, et in rebus pessimis exultat. Nimirum unus eorum est, quibus Dominus ait: *Væ vobis qui rictis nunc, quoniam flebitis* (Luc. vi, 25). Pecuniam, non justitiam concupiscit; oculi ejus omne sublime vident. Insatiabiliter esurit dignitates, gloriam sitit humanam. Procu? ab eo misericordiæ viscera: sævire potius et tyrannum exhibere lætatur; quæstum æstimat pietatem. Quid de munditia cordis loquar? Utinam non illud oblivioni dedisset tanquam mortuus a corde! utinam non esset columba seducta non habens cor! utinam non esset quod vel deforis est mundum, nec ea quæ corporalis est maculata tunica inveniretur, ut obediret vel in hac parte dicenti: *Mundamini, qui fertis vasa Domini* (Isa. lii, 11).

#### CAPUT XX.

*Arguit incontinentes, qui sacros Ordines impudenter temerare non verentur.*

34. Non accusamus universitatem, sed nec universitatem possumus excusare. Reliquit sibi Dominus multa millia. Alioquin nisi eorum nos excusaret justitia, et illud nobis semen sanctum Dominus sabaoth reliquisset, olim jam sicut Sodoma subversi essemus, et sicut Gomorrha similiter periissemus. Dilatata siquidem videtur Ecclesia; ipse etiam cleri sacratissimus Ordo: fratrum numerus super numerum multiplicatus est (92). Verum etsi multiplicasti gentem, Domine, non magnificasti lætitiā, dum nihil minus apparet decessisse meriti, quam numeri **493** accessisse. Curritur passim ad sacros Ordines, et reverenda ipsis quoque spiritibus angelicis ministeria homines apprehendunt sine reverentia, sine consideratione. Neque enim signum regni occupare cœlestis, aut illius timent imperii gestare coronam, in quibus avaritia regnat, ambitio imperat,

(92) Varia est hujus loci lectio in editis et scriptis. Editio Spirensis anni 1501 habet, *sacratissimus ordo super numerum multiplicatus est*. Editio anni 1520

dominatur superbia, sed et iniquitas, luxuria etiam principatur: in quibus et pessima forte appareat intra parietes abominatio, si juxta Ezechielis prophetiam parietem fodiamus (Ezech. viii, 8), ut in domo Dei videamus horrendum. Siquidem post fornicationes, post adulteria, post incestus, nec ipsæ quidem apud aliquos ignominia passionis et turpitudinis opera desunt. Utinam non fierent quæ usque adeo non conveniunt; ut [*al. utinam*] nec Apostolum scribere hæc (Rom. i, et Ephes. v), nec nos dicere oporteret! utinam nec dicentibus crederetur, quod humanum aliquando occupaverit animum tam abominanda cupido!

55. Nunquid non olim civitates illæ, spurcitia hujus matres, divino prædamnatæ judicio, et incendio sunt deletæ? (Gen. xix.) Nunquid non gehennalis flamma moram non sustinens, execrabilem illam prævenit tollere nationem, quod ipsius specialiter essent peccata manifesta præcedentia ad judicium? Nunquid non et ipsam, utpote consciam tantæ confusionis, tellurem absumpsit ignis, sulphur, et spiritus procellarum? Nunquid non in lacum horribilem solum omne redactum est? Amputata sunt hydræ capita quinque, sed heu innumera surrexerunt. Quis reædificavit urbes flagitii? quis turpitudinis mœnia dilatavit? quis extendit propagines virulentas? Væ, væ, inimicus hominum sulfurei illius incendii reliquias infelices circumquaque dispersit, execrabili illo cinere Ecclesiæ corpus aspersit, et ipsorum quoque ministrorum ejus nonnullos sanie fetidissima spurcissimaque respersit. Heu! genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, quis inter tua illa primordia tam divina, et spiritualibus affluentem charismatibus christianæ religionis ortum, credere posset, posse talia in te aliquando reperiri?

36. Ingrediuntur cum hac macula tabernaculum Dei viventis; inhabitant cum hac macula templum, sanctum Domini polluentes, judicium multiplex accepturi, quod et tam gravissimas conscientias gerunt, et nihilominus sese ingerunt in sanctuarium Dei. Tales enim non modo non placant Deum, sed et magis irritant, dum videntur in cordibus suis dicere: Non requiret. Irritant plane et infensum reddunt sibi, vereor ne in his quibus eum propitiare debuerant. Utinam magis turrim inchoaturi, sedentes computarent, ne forte sumptus non habeant ad perficiendum. Utinam qui continere non valent, perfectionem temerarie profiteri, aut cælibatui dare nomina vererentur. Sumptuosa siquidem turris est, et verbum grande, quod non omnes capere possunt. Esset autem sine dubio melius nubere, quam uri; et salvari in humili gradu fidelis populi, quam in cleri sublimitate et deterius vivere, et districtius judicari. Multi enim, non quidem omnes, sed tamen multi, certum est, nec latere queunt præ multitudine,

nostram habet: ubi fratrum nomine forsitan intelliguntur cardinales, ut in epistola 48.

nec præ impudentia quærunt : multi utique libertatem, in qua vocati sunt, in occasionem carnis dedisse videntur, abstinentes remedio nuptiali, et in omne deinceps flagitium effluentes.

## CAPUT XXI.

*Serio cohortatur ad pœnitentiam.*

37. Parcite, obsecro, fratres, parcite animabus vestris, parcite sanguini qui pro vobis effusus est. Horrendum cavete periculum, ignem qui paratus est declinate. Inveniatur tandem non irrisoria perfectionis professio; exhibeatur etiam virtus in specie pietatis. Non sit inanis cœlibis vitæ forma, et vacua veritatis. Quidni periclitetur castitas in deliciis, humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas **494** in multiloquio, charitas in hoc sæculo nequam? Fugite de medio Babylonis, fûgite, et salvate animas vestras. Convolate ad urbes refugii, ubi possitis et de præteritis agere pœnitentiam, et in præsentem obtinere gratiam, et futuram gloriam fiducialiter præstolari. Non vos retardet conscientia peccatorum : quia ubi illa abundaverunt, superabundare gratia consuevit. Non pœnitentiæ austeritas ipsa deterreat. Neque enim condignæ sunt passiones hujus temporis ad præteritam culpam, quæ remittitur; non ad præsentem consolationis gratiam, quæ immittitur; non ad futuram gloriam quæ promittitur nobis. Denique nulla est tanta amaritudo, quam non prophetica farina dulcoret (*IV Reg. iv, 41*), quam non sapidam reddat sapientia, lignam vitæ (*Exod. xv, 25*).

38. Si verbis non creditis, operibus credite, **495** exemplis acquiescite plurimorum. Currunt undique peccatores ad pœnitentiam, et natura pariter et consuetudine delicati exteriorem omnino asperitatem non reputant, ut exasperatæ conscientia leniantur. Nihil credentibus impossibile, nil amantibus difficile, nil asperum mitibus, nil humilibus arduum reperitur, quibus et gratia fert auxilium, et obediendi devotio lenit imperium. Quandiu ambulatis in magnis et mirabilibus super vos? Magnum prorsus et mirabile est ministrum esse Christi, et mysteriorum Dei dispensatorem. Longe super vos est ordo pacificorum, nisi forte, omissis gradibus præostensis, saltare magis, quam ascendere libet. Utinam tamen quisquis sic intrat, si fieri posset, tam fideliter ministraret, quam fiducialiter se ingressit. At difficile, fortassis et impossibile est, ut ex amara radice ambitionis, suavis fructus prodeat charitatis. Dico ego, si vultis audire, imo non ego, sed Dominus : *Cum vocatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco : quia omnis qui se exaltat, humiliabitur ; et qui se humiliat, exaltabitur* (*Luc. xiv, 10, 11*).

## CAPUT XXII.

*Bonorum pastorum est, docere ; nec fugere persecutiones propter justitiam.*

39. *Beati*, inquit, *pacifici, quoniam filii Dei vocantur* (*Matth. v, 9*). Considera diligenter non pacificos, sed pacificos commendari. Sunt enim qui dicunt, et non faciunt. Sane, quemadmodum non auditores legis justii sunt, sed factores : sic non an-

nuntiatores pacis sunt beati, sed actores. Utinam tamen nostri quicumque videntur hodie Pharisæi (forte enim aliqui sunt), etsi non facerent, saltem dicerent quod oportet. Utinam qui sine sumptu Evangelium ponere nolunt, ponerent vel pro sumptu : utinam vel evangelizarent ut manducarent. *Mercenarius, inquit, videt lupum venientem, et fugit* (*Joan. x, 12*). Utinam hodie quicumque pastores non sunt, mercenarios gregi vellent se exhibere, non lupos : utinam ipsi non læderent, utinam non fugerent, nemine persequente, utinam non exponerent gregem, donec lupus veniens videretur. Nimirum sustinendi fuerant, si invenirentur, præsertim tempore pacis, recipientes mercedem suam, et pro mercede sua saltem in custodia gregis laborantes : dummodo non ipsi turbarent gregem, et gratis averterent a pascuis justitiæ et veritatis. Nam persecutio quidem indubitanter mercenarios a pastoribus segregat et discernit. Quando enim transitoria damna non timeat, qui temporalia lucra sectatur? Quando terrenam sustineat persecutionem propter justitiam, qui terrenam mercedem plus quam justitiam quærit? *Beati, inquit, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Pastorum hæc beatitudo, non mercenariorum, multo minus latronum est, vel luporum. Usque adeo siquidem persecutionem non sustinent propter justitiam, ut persecutionem malint, quam justitiam sustinere. Nempe contraria est operibus eorum, gravis est etiam eis ad audiendum.

**495** 40. Cæterum propter avaritiam, propter ambitionem paratos eos videas universa pericula subire, suscitare scandala, sustinere odia, dissimulare opprobria, negligere maledicta : ut non minus pernicioosa sit animositas talium, quam pusillanimitas mercenariorum. Veris ergo pastoribus dicit Pastor eorum, pastor bonus, qui pro ovibus suis animam suam ponere non pepercit : *Beati eritis, cum vos oderint homines, et cum separaverint vos, et ejecerint nomen vestrum tanquam malum propter Filium hominis : gaudete in illa die et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis* (*Matth. v, 10-12*). Siquidem non est quod fures timeant, qui sibi in cœlo thesaurizant. Non est quod causentur de multiplici tribulatione, ubi multiplicationem mercedis attendunt. Quinimo gaudeant magis, ut dignum est, quod non tam persecutio, quam remuneratio augetur : et exsultent eo abundantius, quo plura sustinent propter Christum, ut eos proinde copiosior merces maneat apud ipsum. Quid timidi estis, modicæ fidei? Fidelis exstat sententia irrefragabili veritate subnixâ, quia nulla nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas (*In orat. seu collecta Ecclesiæ*). Sed parum est nocere : etiam proderit, et copiosius proderit, dummodo sit justitia in intentione, Christus in causa, apud quem patientia pauperum non peribit in finem. Ipsi gloria nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

## 946 ADMONITIO IN OPUSCULUM IV.

1. Inter eos qui monasticæ vitæ instituta sectantur, illud fere usu venit, ut quo quisque religiosior est, eo minus Regulæ suæ obligationem meditetur quam sensum, nec tam casuistarum placita requirat, quam legislatoris sui voluntatem. Cum enim regulæ sibi præscriptæ ex animo addictus, subjectusque sit, nihil in votis potius habet, quam eam in omnibus sequi ducem, etiamsi nulla esset parendi necessitas. Religiosis eo modo comparatis non est lex posita, nec ita necessaria est sequentis libri lectio, quam aliis, quos magis afficiunt ac sollicitant quæstiones de Regulæ obligatione, quam de vera et germana ejus sententia et praxi; neque alio animo doctores consulunt, quam ut Regulæ onus minuere, et, quoad citra crimen fieri possit, ab ejus accurata seu, ut ipsis videtur, scrupulosa observatione impune recedere sibi liceat. Ejusmodi hominibus nihil magis formidandum, quam ut incidant in doctores male sanæ voluntati obsequentes: ex quorum consiliis laxiorem viam sectentur, atque inde in Regulæ suæ neglectum, tum in ejus contemptum, ac demum in status sui odium (quæ certæ damnationis conditio est) sensim delabantur.

2. Atqui ex omnibus, meo quidem judicio, consulere possunt neminem, qui eos et salubrius, et securius instruat, quam Bernardum: cum iis præditus fuerit dotibus quæ doctorem integerrimum efficiunt, pietate scilicet haud vulgari, doctrina cœlitus infusa, et monasticarum rerum insigni peritia. Ex quo fit, ut ejus his de rebus sententia minime suspecta esse possit, sed omnino pia, certa, et omnibus ejusdem instituti sectatoribus amplectenda: adeo ut si optio nobis daretur, ut aliquis e cœlo delapsus id confirmaret, nullum potius auctorem, quam istum auscultare velle deberemus. Nunc vero eam debemus gratiam Carnotensibus Sancti-Petri monachis, qui sanctissimi Patris de proposita materia sententiam et doctrinam obtinuerunt: quod qua occasione, quove tempore acciderit, operæ pretium est investigare.

3. Quo tempore Udo abbas isti monasterio præerat, ejus loci monachi scripta epistola Bernardum consulerunt, quænam esset Regula sancti Benedicti, ejusque statutorum obligatio. Bernardum cunctabundum iteratis litteris interpellant (nam binas Bernardus memorat, infra, nn. 57, 60) et quidem inconsulto, ut videtur, abbate: quæ causa fuit, ut Vir sanctus, qui eorum tandem obsecutus est voluntati, librum suum, non Gaufrido, quem huc perperam intrudunt vulgati indices, sed Rogerio ab anno 1131 ad annum 1158 abbati, monachisque Columbensibus ejusdem diœcesis et instituti, dirigeret; ut responsum suum in manus Carnotensium monachorum, citra conscientiam ipsorum abbatis, sicuti Regula cavet, ne perveniret. Epistolam epistolis duabus reddere Bernardus animo destinaverat: sed crescente materia, ex epistola factus est liber. « Proinde vos, » inquit n. 60, « si placet Librum, si placet Epistolam nominatè: » et in epistola prævia ad Columbenses, « Liber, si judicatis, non Epistola censeatur. Et quia inter multas quæstiones, quæ ibi a me solvuntur, id præcipue subtilius utiliusque pertractatur, quænam liceat præcepta, et per quos, et quatenus dispensari; detur ei titulus, De Præcepto et Dispensatione, nisi vobis aliud forte congruentius videatur. » Ex his verbis, imo ex toto libro intelligimus, hunc maxime monasteriorum præpositis necessarium esse, non solum ut sibi subditos instruant, sed ut ipsi etiam agnoscant, qualis sit penes se dispensandi auctoritas.

4. Quæ occasio Carnotenses monachos ad Bernardum consulendum impulerit, nobis incompertum. Nam toto Udonis abbatis regimine, quod ab anno 1128 ad annum fere 1150 productum est, nullas turbas apud eos excitatas invenimus. Quinimo Udonem abbatem cum suis monachis bene consensisse ex ipsius actis colligere licet. Ejus electionem (ut id obiter observemus) non solum magnus ille Gaufridus Carnotensium episcopus, sed etiam Matthæus Albanensis cardinalis et legatus, solemni edicto comprobavit, anno 1128; et ipse Gaufridus episcopus, cognomento de Leugis, census ex ecclesia S. Martini de Valle suburbana, S. Petri monasterio, abbatiæ S. Joannis in Valleia, et leprosis debitos definivit, approbante Innocentio II et Theobaldo comite, præsentate Udone S. Petri, abbate, item, Andrea de Baldamento « de quo in Bernardi epistolis non semel » et Hugone S. Joannis de Valleia abbate, domno Bernardo Claræ-Vallensi, Gualterio Priore S. Martini de Valle, Gosleno de Leugis, fratre episcopi Gaufridi, et Gosleno de Leugis ejusdem nepote. Anno 1141, indict. IX, epacta XX, concurrente III, decimo quinto kalendas februarii. » Erat et alius Hugo de Leugis præpositus ecclesiæ Carnotensis. Cæterum abbas Udo S. Petri armarii seu bibliothecæ libros vetustate pene deletos, et plures a tineis corrosos animadvertens, ratus « inhonestum et indecorum » esse, « quod monasterium magnæ nobilitatis haberet armarium tantæ paupertatis, » assensu capituli illud renovare aggressus est, assignando redditus ex singulis monasterii Obedientiis, ut armarius (sic bibliothecæ præfectum vocabant) singulis annis haberet, unde libros renovare vetustos, aut vetustis novos superaddere valeret. Id factum confirmatumque anno 1145, quo tempore Bernardus sequentem librum jam composuerat.

5. Hunc quippe Petrus Venerabilis, nuper de Hispaniis reversus, a Bernardo postulavit libri quarti epistola vigesima secunda, quæ Bernardi epistolæ ducentesimæ vigesimæ septimæ respondet, scriptæ sub annum 1143, ut suo loco probatum est. Petri verba huc ascribo ex fine prædictæ epistolæ: « Mittite, si placet, per præsentium latorem, vel per alium, epistolam illam vestram, quibusdam Carnotensibus monachis, ut mihi videtur, missam, respondentem de Regulæ præceptis, et de diversis monastici Ordinis usibus: quam Cluniaci semel legi, sed nunquam postea ad relegendum habere potui. » Hoc in opusculo Gaufridus libro tertio de Vita Bernardi, capite octavo, « vigilem » sancti Doctoris « et circumspectam discretionem » merito laudat; et id sane quivis sibi facile persuadeat, quisquis æquo animo hunc librum legerit, et cum sancti Thomæ Aquinatis sententia contulerit.

6. Neque enim (ut quibusdam videri possit) severior est Bernardi doctrina, sed sincera et maxime accurata: quam facile aliunde probare liceret, si non eam solidius fulciret dicentis auctoritas. Quatuor vero præcipua de corporalibus (quas vocat) sancti Benedicti Regulæ observantiis tradit piissimus Pater. Primum est, corporales istas observantias, non graves quidem illas (quales sunt abstinentia a carnibus, silentium nocturnum, tam severe a sanctissimo Legislatore præscripta), sed, exempli causa, « silentium indictum, » accedente præpositi mandato, si quominus observantur, « in peccatum reputari, non tamen in crimen, ita sane si per subreptionem aut oblivionem, non per contemptum, horum transgressio contigerit, » n. 17; ita ut « nec sine offensa negligi, nec contemni sine crimine vel ipsa queant: » et, « obnoxium faciant peccato, non magno tamen, si contemptus defuerit, » ibidem: denique « vix peccatum reputantur, » n. 18 præsertim cum « remedio pœnitentiæ » sanantur. Nimirum quod hoc pacto monachus se contineat intra

*Regulæ limites, quæ dividitur in « Præcepta et Remedia, » n. 32. Secundum est, ejusmodi transgressiones contemptu evadere peccata mortalia. Elatio quippe contemnentis, atque impenitentis obstinatio, in minimis quoque mandatis, culpam facit non minimam, et convertit in crimen grave rebellionis navum satis levem simplicis transgressionis, » n. 26. Tertium denique est, in eo differre contemptum a neglectu, « quod neglectus quidam languor inertię est: contemptus vero superbicæ tumor, » n. 18, « voluntatis superba contentio, » nolentis mandato acquiescere, n. 26. Denique « si possumus et nolumus, superbi sumus, » n. 31, ac per hoc contemptus rei. « non ergo, » inquit n. 26, « qualiscunque mandati præteritio criminalem facit inobedientiam; sed repugnare, sed nolle obedire, » præsertim ubi et præceptum, et pœnæ remedium respuitur.*

**498** 7. *Et hæc omnino est sancti Thomæ doctrina 2, 2, quæst. 86, art. 9, tum in corpore, tum in responsione ad primum, in qua tres sunt partes: quarum prima est de observantiis Regulæ S. Benedicti; altera de observantiis, quarum transgressio ex condito obligat ad veniale; tertia de statutis Ordinis fratrum Prædicatorum, quæ ex speciu quodam constituto ad pœnam tantum obligant. Prima pars sic habet: « Ad primum ergo dicendum quod ille qui profitetur Regulam, non vovet servare omnia quæ sunt in Regula; sed vovet regularem vitam, quæ e iam consistit in tribus prædictis principalibus votis. Unde et in quibusdam Religionibus cautius aliqui profitentur, non quod dem Regulam, sed vivere secundum Regulam, id est tendere ad hoc, ut aliquis mores suos informet secundum Regulam, sicut secundum quoddam exemplar. Et hoc tollitur per contemptum. » Et hæc est propria species Regulæ sancti Benedicti, teste etiam Bernardo n. 10. Secunda species ita exprimitur: « In quibusdam autem Religionibus adhuc cautius profitentur obedientiam secundum Regulam, ita quod professioni non contrariatur, nisi id quod est contra præceptum Regulæ, » id est præceptum proprie dictum, obligationem inducens: « transgressio vero vel omissio aliorum obligat solum ad peccatum veniale: quia, sicut dictum est, hujusmodi dispositiones sunt ad principalia vota: peccatum autem veniale est dispositio ad mortale. » Itaque in sententiâ sancti Thomæ transgressiones minorum observantiarum sunt dispositiones ad transgressiones principalium votorum; ac proinde culpæ veniales.*

8. *At demus etiam Regulam sancti Benedicti in minoribus observantiis obligare solum ad pœnam: videamus qua ratione sanctus Thomas hac de re sententiam suam explicet: « In aliqua tamen religione, fratrum scilicet Prædicatorum, transgressio talis, vel omissio ex suo genere non obligat ad culpam, neque mortalem, neque venialem, sed solum ad pœnam taxatam sustinendam; quia per hunc modum ad talia observanda obligantur, qui tamen possent venialiter, vel mortaliter peccare ex negligentia, vel libidine, vel contemptu. » Ergo ex sancto Thoma etiam, in iis statutis quæ obligant ad solam pœnam, incurri potest venialis culpa « ex negligentia vel libidine, » imo et mortalis « ex contemptu. » Uno verbo, ejusmodi erratorum quæ itas pendet ex affectione animi, cujus negligentia vel prava dispositio nulla constitutione excusari potest, maxime ubi non fertur in unam quamdam observantiam, sed in totum corpus observantiæ regularis.*

9. *Ad hanc doctrinam illustrandam necessaria est responsio ad tertium, in qua contemptum ita explicat, « quod tunc committit aliquis vel transgreditur ex contemptu, quando voluntas ejus renuit subjici ordinationi legis vel regulæ » (quæ ipsissima est Bernardi doctrina), et ex hoc procedit ad faciendum contra legem vel regulam. Quando autem e converso propter aliquam particularem causam, puta concupiscentiam vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contra statuta legis vel regulæ, non peccat ex contemptu, sed ex aliqua alia causa, etiamsi frequenter ex eadem causa, vel alia, simile peccatum iteret. Sicut etiam Augustinus dicit in libro de Natura et Gratia, quod non omnia peccata committuntur ex contemptu superbicæ. Frequentia tamen peccati dispositive inducit ad contemptum.*

**499** 10. *Itaque secundum mentem beati Thomæ, ex habitu seu consuetudine ejusmodi culparum fit progressus in contemptum: quia in re omnino consentire videtur cum Bernardo, qui ait n. 26, ejusmodi lapsus « per contemptum verti in usum et consuetudinem; quasi contemptus gradus sit ad consuetudinem, non consuetudo ad contemptum. » Et tunc, » inquit, non peccati species, » nempe levior graviorne sit, « sed peccantis intentio pensatur. » Eandem sententiam fusius explicat in libro de Humilitate, capitibus 20 et 21. Verum alter cum altero recte conciliari potest, si dixerimus, Bernardum esse intelligendum de consuetudine obfirmata, a qua quis recedere nolit, neque se revocando ad mandatum, neque pœnam culpæ subire volendo, quo non nisi contemptu perveniri potest: Thomam vero explicandum de consuetudine, quæ oritur ex fragilitate et commotione passionis, quam quis ex animo abjicere vellet, sed per infirmitatem non valet; quæ nihilominus consuetudo ad contemptum (nisi generose tandem ei resistatur) sensim pertrahit. Verum longius progredior: sed tamen (ut quidem existimo) non otiose, nec intempestive. Finio cum effato Joannis Saresberiensis in epistola ducentesima octogesima secunda: « Minima servata vitam acquirunt, et plerumque martyrii gloriam promerentur: neglecta vero ex crimine inobedientiæ et contemptus æternam ingerunt mortem. » Cæterum sequentis opusculi editio Rotomagi primum facta est ante annum quingentesimum absque temporis nota, adjunctis libris de Consideratione, et Apologia ad Guillelmum, uti alias monuimus.*

## SANCTI BERNARDI ABBATIS

### DE PRÆCEPTO ET DISPENSATIONE

#### LIBER.

**500** EPISTOLA AD ABBATEM COLUMBENSEM. *De* rumdam monachorum, vobis primum, ut promise-

DE OPERE SEQUENTI.

Domno Abbati Columbensi, frater BERNARDUS abbas dictus de Clara-Valle, valere in Domino semper.

Rescriptum meum ad epistolas Carnotensium quo-

ram, destinare curavi: ubi et aliud quoque impletum est quod jussistis. Nam cum breviter rescribere decrevissem, et epistolis epistolam tantum reddere velle coepissem; hortatu vestro in libri, ut cernitis,

longitudinem protraxi stilum, ut et in pluribus plures possint ædificari. Quod opus cum a vobis perceptum fuerit, tunc non ipsis, ad quos factum est, sed eorum prius reddatur abbati: et sic demum ad ipsos, si jusserit abbas, perveniat. Monachi enim sunt; et ex lege suæ Regulæ sine nutu sui abbatis sicut dare, ita et accipere datas prohibentur epistolæ (*Reg. S. Benedicti*, cap. 54). Nam et ob hoc maxime diu, sicut scitis, multum licet rogatus ab eis, respondere tardavi, quod (ut mihi videbatur) ignorante abbate scribere illas epistolas et mittere præsumpsissent. Nec falso id suspicatus sum, uti postmodum liquido comperi. Ego cœpto operi (quod quidem legentibus apparebit) Epistolæ nomen indideram: sed quoniam pro nomine modum, vestro obviantem mandato, ut promiseram, non servavi; Liber, si iudicatis, non Epistola censeatur. Et quia inter multas quæstiones, quæ ibi a me solvuntur, id præcipue subtilius utiliusque pertractatur, quænam liceat præcepta, et per quos, et quatenus dispensari; detur ei titulus, De Præcepto et Dispensatione: nisi vobis aliud forte congruentius videatur.

#### PRÆFATIO AD MONACHOS CARNOTENSES

##### IN TRACTATUM SEQUENTEM.

Qua mente jam tacebo? qua fronte tamen loquar? Crebris epistolis et nuntiis cogitis me aut propriam prodere imperitiam, aut officium renuere charitatis. At ego malens sine illa quæ inflat, quam absque illa quæ ædificat, inveniri; victus tandem precibus vestris, duris injicio nodis ungues teneros, et, ut vereor ego, non aliud quam terendos. Sed hoc incassum. Nam mea me, ut scribitis et præscribitis, tam absentis scripta quam verba præsentis arguunt excusantem. Quis enim jam relinquitur mihi vel de impossibilitate causandi locus, præsertim apud vos, qui ex ore et ex corde meo satis certum tenere vos creditis, quantum possim in talibus? Fidei proinde vestræ, non meo fidens ingenio, abyssum ingredior quæstionum; nesciens (Deus scit) qua emersurus. Præsto charitas erit, utinam ita et veritas. Si quominus, excuset effectum defectus potius ingenii: voluntatem certe non culpabitis. Tentabo autem easdem, si potero, quæstiunculas sub epistolari cunctas brevitate redigere, etsi non epistola brevi. Mirum siquidem non est, si fuero ego longior in exponendo: cum vos tantum eas ponendo, duas et ipsas satis longas epistolas texueritis

#### CAPUT PRIMUM.

*An monasticæ Regulæ instituta præcepta sint, an consilia duntaxat.*

I. Prima igitur quæstio circa Regulam nostram versatur, de qua (ni fallor) et reliquæ omnes, aut pene omnes oriuntur. Quæritis nempe, Regularis illa institutio quomodo et quatenus sit pensanda profitentibus eam; utrum videlicet cuncta quæ continent, putanda sint esse præcepta, consequenter et damnosa transgredienti: an consilia tantum vel

(93) *Corporales observantias* vocat n. 3 et sqq.

monita, et ob hoc nullius, aut non magni ponderis sit ipsorum professio; nullius, aut non gravis culpæ ipsorum prævaricatio: an certe quædam sint deputanda imperiis, quædam pro consiliis reputanda, quo partim ea liceat, partim non liceat omnino prætergredi. Et si hoc ultimum detur, distingui a me tunc demum certos ac propriæ cuiusque partis limites flagitatis: ne cui forte per varias sui sensus opiniones licentius vagandi detur occasio; sicque liquare culicem et camelum glutire contingat, si nesciat quantum curæ vel operæ suæ quibusque debeat observantiis. Hic est, quantum recolo, totus vestræ illius partitionis sensus, etsi non verba. Quæd autem subjungitis et pergitis inquirere de obedientia, quibus gradibus distinguatur, quibus claudatur limitibus; ad eandem arbitror pertinere divisionem, quippe quæ in decretis regularibus præcipua habetur: et puto, cum ad illam satis responsum fuerit, de ista jam nil supererit quod ambigatur.

2. Itaque, ut sentio ego, Regula sancti Benedicti omni homini proponitur, imponitur nulli. Prodest, si devote suscipitur et tenetur; non tamen, si non suscipitur obest. Quod autem in voluntate est suscipientis, non in potestate proponentis; voluntarium merito dixerim, non necessarium. Attamen hoc ipsum quod dico voluntarium, si quis ex propria voluntate semel admiserit et promiserit deinceps tenendum, profecto in necessarium sibi ipse convertit, nec jam liberum habet dimittere, quod ante tamen non suscipere liberum habuit. Ideoque quod ex voluntate suscepit, ex necessitate [at. add. jam] tenebit: quia omnino necesse est eum reddere vota sua quæ distinxerunt labia sua, et ex ore suo aut condemnari jam; aut justificari. Cæterum felix, ut quidam sanctorum ait, necessitas, quæ cogit in melius (S. AUGUSTINUS, epist. 127). Omnia proinde sancti Benedicti instituta, exceptis sane nonnullis de spiritualibus, verbi causa, charitate, humilitate, mansuetudine, quæ non tam ipsum constat instituisse quam Deum, et ob hoc penitus non esse mutanda; de cætero reliqua universa (93) non profitentibus quidem monita tantum, seu consilia censenda sunt, nec gravant non observata: cum tamen profitentibus in præcepta, prævaricantibus in crimina fiant, sive (ut vestra vobis reddam) illis voluntaria vel factitia, istis necessaria, et tanquam naturalia non immerito reputantur. Ita sane necessaria dixerim, ut ex eis minime præjudicetur necessariis rationabilibusque dispensationibus.

#### CAPUT II.

*In constitutionibus majorum quando et a quibus dispensandum.*

3. Sed non omnibus in hujusmodi credita est dispensatio, nisi his duntaxat qui cum apostolis dicere possunt: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei (I Cor. iv, 7)*. Novit autem fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ibi tantum usurpare



dispensationem, unde bonam possit habere recom-  
pensationem. Hoc quippe quæritur inter dispensato-  
res, ut fidelis quis inveniatur. Et eadem fortasse  
fidelitas a subditis nihilominus exigitur in obtempe-  
rando, quæ a præpositis in dispensando. Constat  
igitur ex his quæ dicta sunt, vestram illam divisio-  
nem integram esse ac sufficientem, si modo personæ  
distinguantur et tempora, dum subjectis quidem sit  
omnis regularis institutio (quantum duntaxat ad  
corporales observantias pertinet) ante professionem  
voluntaria, post professionem necessaria: prælatis  
vero partim voluntaria, ut quæ inventa ab homine;  
partim necessaria, ut quæ fuerint divinitus instituta.

4. Quam ob rem fortassis tunc potissimum con-  
grua et luculenta magis eadem divisio apparebit, si  
ejus membrum quod dictum est necessarium, rur-  
sus in tria hæc subdividatur: Stabile, Inviolabile,  
Incommutabile. Et quidem Stabile dixerim, quod ita  
est necessarium, ut non cuilibet hominum illud mu-  
tare fas sit, nisi solis dispensatoribus mysteriorum  
Dei, id est præpositis, **502** ut, verbi gratia, Re-  
gulæ sanctorum Basili, Augustini, Benedicti, nec-  
non et authentici canones, et si quæ sunt alia eccle-  
siastica instituta dignæ auctoritatis. Quæ quoniam  
a sanctis tradita sunt, sancita stabiliter perseverant,  
nec omnino cuivis subjectorum ea aliquo modo va-  
riare vel mutare conceditur. Quia tamen ab homi-  
nibus, etiam per homines, loco et officio illis cano-  
nica electione succedentes, licite interdum innoxieque  
pro causis, personis, locis et temporibus dispensan-  
tur. Ubi sane qui hæc legit, attendat me caute non  
dicere, ea posse vel ab istis leviter pro voluntate  
mutari, sed ex ratione fideliter dispensari. Ideo au-  
tem hanc ipsam mutationem taliter et a talibus re-  
cipere possunt, quoniam non naturaliter nec per se  
bona sunt.

5. Porro inventa atque instituta fuerunt, non quia  
aliter vivere non liceret, sed quod ita magis expe-  
diret; nec plane ad aliud, quam ad lucrum vel cu-  
stodiam charitatis. Quandiu ergo charitati militant,  
immobilitate fixa sunt, mutarique omnino, ne ab  
ipsis quidem præpositis, sine offensa possunt. At si  
e contrario contraria forte aliquando charitati visa  
fuerint, his duntaxat quibus hoc posse videre datum  
est, et providere creditum est: nonne justissimum  
esse liquet, ut quæ pro charitate inventa fuerint,  
pro charitate quoque, ubi expedire videbitur, vel

(94) Nempe si qua alia sunt, quorum actus inter-  
nus ab inordinata animi dispositione separari potest,  
ut in furto et homicidio, ubi factum ipsum divinam  
dispensationem admittit, non prava animi affectio.  
Alias Bernardus a seipso dissentiret, a quo inter  
immutabilia censetur num. seq. *omnis illa sermonis  
Dominici in monte habita traditio*: quo in sermone  
interdicta est mulieris cujusvis prava concupiscentia.  
Eodem spectat falsum testimonium.

(95) Quod S. doctor ait non haberi ex Scriptura  
Samsonis factum divino consilio fuisse patratum;  
verum quidem est nullo in loco diserte haberi, tam-  
etsi ex cap. II Epistolæ ad Hebr., v. 32 non obscure  
colligitur. Qua de re sic agit Estius in comment.  
« Ad Samsonem venio, pro quo respondet Augusti-

omittantur, vel intermittantur, vel in aliud forte  
commodius demutentur? Sicut e regione iniquum  
procul dubio foret, si statuta pro sola charitate,  
contra charitatem tenerentur. Tenent ergo fixam  
firmamque immobilitatem, etiam apud prælatos,  
quæ ex stabili necessario sunt: sed quatenus cha-  
ritati deserviunt. Nunquid autem hoc ego vel solus  
sentio, vel primus dico? An non hoc ipsum et papa  
Gelasius sensit? Ait siquidem: « Ubi necessitas  
non est, inconvertibilia maneant sanctorum Patrum  
decreta. » Leo quoque papa: « Ubi, » inquit, « ne-  
cessitas non est, nullo modo sanctorum Patrum  
constituta violentur: » et infert, « Ubi ergo necessi-  
tas fuerit, ad utilitatem Ecclesiæ, qui potestatem  
habet, ea dispenset. Ex necessitate enim fit mutatio  
legis. »

### CAPUT III.

*Dispensationem in lege divina soli Deo reservatam  
esse. At quæ sunt legis æternæ, omnino etiam Deo  
esse immutabilia.*

6. Necessarium deinde, quod inviolabile nominavi,  
illud intelligo, quod non ab homine traditum, sed  
divinitus promulgatum, nisi a Deo qui tradidit,  
mutari omnino non patitur: ut, exempli causa,  
*Non occides, Non mæchaberis, Non furtum facies*  
(Exod. xx, 13-15), et reliqua illius tabulæ legi-  
scita (94): quæ, etsi nullam prorsus humanam di-  
spensationem admittunt, nec cuiquam hominum ex  
his aliquid aliquo modo solvere, aut licuit, aut  
licebit; Dominus tamen horum quod voluit, quando  
voluit solvit, sive cum ab Hebræis Ægypticæ spoliari  
(Exod. III, 22), sive quando prophetam cum muliere  
fornicaria misceri præcepit (Ose. I, 2). Quorum  
utique alterum quid nisi grave furti facinus, alterum  
quid nisi flagitii turpitudine reputaretur, si non excu-  
sasset utrumque factum auctoritas imperantis? Sane  
ubi simile aliquid aliquando a sanctis hominibus  
fuisse legitur usurpatum, Scriptura non indicante  
quod Deus ita præceperit; aut eos peccasse faten-  
dum est, sicut homines; aut certe, sicut prophetas,  
familiare Dei consilium accepisse. Unde et unum  
exemplum pono quod occurrit de Samsone, qui se  
ipsum una cum hostibus opprimens interfecit (Judic.  
xvi, 30). Quod utique factum si defenditur non fuisse  
peccatum, privatum habuisse consilium indubitanter  
credendus est, etsi de Scriptura hoc non habemus  
(95).

nus lib. I De civitate Dei, cap. 21 et 26, dicens quod  
seipsum cum hostibus ruina domus oppressit, id eum  
fecisse Spiritu latenter hoc jubente, qui per eum  
miracula faciebat. Nec fas est nobis aliter credere:  
nam ad id faciendum divinitus ei reddita fuit amissa  
fortitudo. Sic enim ait: *Domine Deus, memento mei,  
et redde mihi fortitudinem pristinam, ut ulciscar me  
de hostibus meis.* Hanc responsionem plerique alii  
sequuntur, et recte. Nec obstat quod dicit, *ut ulciscar  
me de hostibus meis.*, quasi privatam injuriam ulci-  
scendi cupidus. Nam injuria Samsonis injuria pu-  
blica erat, ut qui Judex esset populi, et pro ejus  
salute pugnaret. Irrisio quoque ejus, irrisio Dei  
Israel erat, in cujus contumeliam Philistæi pro capto  
Samsone diis suis solemnes in templo gratias age-

7. Jam vero necessarium Incommutabile quid accipi **503** velim? Equidem nil congruentius, quam quod divina ita constat et æterna ratione firmatum, ut nulla ex causa possit, vel ab ipso Deo, aliquatenus immutari. Sub hoc genere est omnis illa Sermōnis dominici in monte habiti spiritualis traditio, et quidquid de dilectione, humilitate, mansuetudine, cæterisque virtutibus, tam in Novo, quam in Veteri Testamento spiritualiter observandum contraditur. Hæc quippe talia sunt, quæ nec liceat, nec expediat aliquando non haberi. Eo siquidem immobiliter, quo et naturaliter bona, nunquam nisi innocenter, nunquam nisi salubriter aut imperantur, aut observantur. Omni tempore, omni personæ, mortem contempta, custodita salutem operantur. Primam ergo necessitatem sua cuique facit in promittendo voluntas; secundam, præcipientis auctoritas; tertiam, præcepti dignitas.

8. Differunt autem, ut jam dictum est, quibusdam a se invicem gradibus tres istæ necessitates, nec una omnes sequitur immutabilitatis firmitas. Nam ex prima quidem quod efficitur, etsi non penitus immutabile, tamen vix mutabile esse constat: dum solis illud liceat mutare prælatis, et hoc non nisi fideli et provida dispensatione. Quod vero fit ex sequenti, quæ et major ista, est pene jam incommutabile. Soli quippe Deo esse mutabile superius demonstratum est. Porro quod de novissima fit, tanquam omnium maxima, omnino incommutabile est, utpote quod ne ipsi quidem Deo mutare liberum est. Quod igitur nulli hominum fas est, nisi solis mutare prælatis, dici vix mutabile congrue potest: quod soli constat licere Deo, dicatur pene immutabile: quod ne ipsi quidem, penitus immutabile nominetur.

#### CAPUT IV.

*Quid prælatis circa dispensationem Regulæ liceat.*

9. Quæ cum ita sint, ut ad ea redeam, de quibus potissimum quæritur patet quod magna ex parte regularis traditio subest ejus qui præest, etsi non voluntati, certe discretioni. Sed dicitis: Quid ergo relinquatur necessitati? Audite: quamplurimum. Primo quidem quidquid de spiritualibus in ipsa Regula traditum est, in manu abbatis (ut supra taxatum est) nequaquam relinquatur. Deinde reliqua pars, quæ in corporalibus constat observantiis, ne ipsa quidem in ejus ita voluntate posita est, ut ejusdem deserviat voluntati, sed magis charitati. Neque enim abbas supra Regulam est, cui semel et ipse spontanea se professione submitit, etsi (quod negan-

bant. Sed quamvis citra Dei consilium factum Samsonis perpetratum concedatur, non tamen propterea peccatum fuisse (uti S. Bernardus hic sentit) Franciscus a Victoria contendit in Relectione de homicidio sub linem. « Non enim, inquit, interfecit se Samson ex intentione; sed voluit hostes opprimere et interficere, ad quod secuta est mors ipsius, cum alioquin optasset illos perdere se salvo, si fieri potuisset. Hoc autem sine nova revelatione habetur licitum. » Quod quidem confirmat Eleazari exemplo, quod legitur I Macchab. vi, ubi Scriptura eum laudare videtur, magnifice vero Ambrosius lib. I Offic.,

dum non est) Dei regula charitas Regulæ sancti Benedicti jure præponitur. Esto proinde ut interdum Regulæ littera cedat pro tempore charitati; cum ratio necessitatis (96) exegerit: absit tamen ut hominis cujuscumque subdatur voluntati. Super fratrum sane transgressiones, non super Patrum traditiones constituitur qui abbas eligitur, mandatorum cultor, et ultor vitiorum. Arbitror namque sanctas illas observantias prælatorum prudentiæ et fidei creditas, non subditas voluntati. Hinc est quod idem legislator in his quæ abbati dispensanda reliquit, caute nusquam (ut memini) voluntatem, sed aut considerationem, aut dispositionem, aut providentiam, **504** aut certe arbitrium, seu aliquid hujusmodi ponit: volens nimirum providum fidumque dispensatorem, rationis, ubi forte dispensat, sequi judicium, non suæ placitum voluntatis. Unde et intimat ei non semel, quod de omnibus judiciis suis Deo redditurus sit rationem.

10. Lego profecto in Regula: « Hæc consideratio penes abbatem sit; » et hoc vel illud esse in providentia, vel arbitrio, seu dispositione abbatis (*S. Benedicti Reg. cap. 5*). Ut autem pro sua voluntate aliquid mutet, me ibi legisse non recolo: quinimo, « In omnibus, » inquit, « omnes magistrum sequantur Regulam, nec ab ea tenere devietur a quoquam. » Ergo nec ab ipso abbate. « Omnes, » inquit, « magistrum sequantur Regulam. » Nemo ergo suam voluntatem: ubi sane nec abbatem excipi puto. Videtis quantum necessitati tribuitur, subtrahitur voluntati? Quid etiam? Nonne regularis ipsa professio, qua se junior subdit sponte Priori, æque alligat et Priorem (97)? Communis equidem pacti pari reor utrumque necessitate teneri, fierique duos per unius sponsionem ad alterutrum, debitores: fidelis curæ unum, alterum humilis obedientiæ. Quidnam igitur jam voluntati relinquatur, ubi et prælatus debiti necessitate tenetur? Sed et de hoc item non parum prælati præscribitur voluntati, quod is qui profitetur, spondet quidem obedientiam, non tamen omnimodam, sed determinate secundum Regulam; nec aliam, quam sancti Benedicti: ut oporteat eum qui præest, non frena suæ laxare voluntati super subditos, sed præfixam ex Regula sibi scire mensuram; et sic sua demum imperia moderari circa id solum, quod rectum esse constiterit; nec quodlibet rectum, sed hoc tantum quod prædictus Pater instituit, aut certe quod sit secundum quod instituit. Sic se quippe habet professio: « Promitto, » non quidem Regulam, sed, « obedientiam secundum Regulam sancti Bene-

cap. 46. Denique eundem Samsonem inter sanctos referendum censet Estius citato loco.

(96) Editi addunt *vel charitatis*: quod abest a scriptis, et vero superfluum videtur; siquidem ratio necessitatis ipsa ex charitate est. Unde infra, num. 11: *Necessitas non habet legem, et ob hoc excusat dispensationem, etc.*

(97) Sensus est, una eademque monachi professione et ligari præfectum seu abbatem, et monachum ipsum profitentem: et quidem alterum *fidelis curæ* suæ, ut scilicet subditum ad Regulæ observationem flectat; alterum *humilis obedientiæ*, esse debitorem,

dicti. « Non ergo secundum voluntatem præpositi. A Proinde si professo secundum illam Regulam abbas meus mihi aliud forte imponere tentaverit quod non sit secundum Regulam, aut etiam quod non sit secundum ista instituta, verbi causa, Basilii, Augustini, Pachonii : quænam mihi, quæso, in hac re necessitas imminet obsequendi? Solum quippe id a me posse exigi arbitror, quod promisi (98).

## CAPUT V.

*Legem obedientiæ non esse extendendam a prælati ultra limites professionis, neque citra contrahendam.*

11. Videtis ergo jam obedientiæ limites, quos requiritis. Si modus est obediendi tenor professionis? nec se valeat extendere potestas imperantis, nisi quatenus alligerit votum profitentis : profecto circa, et ultra, nec non etiam contra, quid aliud quam obedientiæ limites quosdam censuerim, et his suis terminis virtutem eandem circumcludi? Quamobrem quisque professus in quovis genere salutiferæ vitæ, nec ultra obedientiæ legem (99) cogendus, nec citra est inhibendus, quam sua ipsius videtur complecti professio. Quanto minus contra? Is ergo qui medius est vitæ modus, præfixus voto, professione firmatus, tanquam lignum quod erat in medio paradisi, solus **505** sine dubio legi erit subjectus; obnoxius jussioni. Ergo prælati jussio vel prohibitio non prætereat terminos professionis. Nec ultra extendi potest, nec contrahi citra. Nil me prælatus prohibeat horum quæ promisi, nec plus exigit quam promisi. Vota mea nec augeat sine mea voluntate, nec minuatur sine certa necessitate. Necessitas quippe non habet legem, et ob hoc excusat dispensationem. Voluntas vero, quia sola meretur retributionem, etiam sola non immerito gradum altiore usurpat. Alioquin et absque necessitate remissio voti, non dispensatio, sed prævaricatio est : et restrictio contra voluntatem, murmur est, non profectus. Ponant ergo præpositi metam obedientiæ subjectorum ex votis laborum ipsorum, non suorum desideriorum : monentes eos, non cogentes ad celsiora; condescendentes eis, cum necesse fuerit, ad remissiora; non cadentes cum eis.

(98) Difficilis hic locus, ex quo quis inferat, prælati mandatum non excedere modum, si sit secundum Regulam sancti Benedicti, vel etiam secundum instituta Basilii, etc., adeoque Professum Regulæ S. Benedicti his teneri, si quidem a præposito præcipiantur. At nequaquam ea Bernardi sententia est, qui paulo ante dixit, Professum hunc spondisse obedientiam secundum Regulam, nec aliam quam S. Benedicti ac proinde præpositi mandata esse moderanda secundum rectum, quod prædictus pater instituit aut certe quod sit secundum quod instituit. Unde hunc locum ita restituendum puto, quod non sit in Regula, aut etiam quod sit secundum ipsam; instituta verbi causa Basilii, etc. Sane duo codices bonæ notæ, Compendienses et Sancti Theoderici, imo etiam Vaticanus et prima editio Rotomagensis, habent secundum istam, non ista, ut in aliis, tametsi in priori membro cum aliis scriptis et editis prætorunt secundum Regulam, pro quo in Regula legendum esse non dubito. Si quis tamen pro vulgata lectione

## CAPUT VI.

*Religiosum perfectionis cupidum non debere obedientiam intra certos professionis limites constringere.*

12. Cæterum subjectus hujuscemodi obedientiam, quæ voti finibus cohibetur, noverit imperfectam. Nam perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur : neque contenta angustiis professionis, largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis, et ad omne quod injungitur spontanea, vigore liberalis alacrisque animi, modum non considerans, in infinitam libertatem extenditur. Hæc est illa de qua signanter apostolus Petrus : *Castificantes, inquit, corda vestra in obedientia charitatis (I Petr. 1, 22)* : pulchre ipsam per hoc sequestrans ab illa inerti et servili quodammodo obedientia, nec charitati prompta, sed obnoxia necessitati. Hæc justus illius, cui lex posita non est (I Tim. 1, 9), propria est : non quod vel ille perfectus vivere debeat sine lege, sed quia non sit sub lege; minime quippe contentus voto suæ cujuscunque professionis, quam superat animi devotione. Quanquam nec ista (100) Regula ipsa tacuerit, ubi monet, si fratri impossibilia injunguntur, « ut confidens de adjutorio Dei, obediat ex charitate (Reg. S. Benedicti, cap. 68). » In eadem denique Regula tertius humilitatis describitur gradus, « ut omni obedientia monachus se subdat majori! » (Ibid. cap. 7.) Dicens quippe « omni, » non vult nos in obediendo mensura esse contentos professionis, non attendere promissi debitum, non de pacto sumere modum; sed transire alacriter etiam votum, et obedire in omnibus. Est sane quidam obedientiæ limes, secundum tempus, ipsa temporis extremitas, ut is sit terminus obedientiæ, qui et vitæ. Hunc nobis maxime Unigeniti Dei commendat exemplum, qui factus est Patri obediens usque ad mortem. Hæc ergo quoties interrumpitur, inobediencia dicitur, et peccatum, et transgressio seu prævaricatio.

## CAPUT VII.

*Obedientiæ gradus, et inobedienciæ gravitas quomodo noscenda, juxta distinctiones præmissas.*

13. Sed interest sane qua causa, quo affectu, qua

contendit, non repugno, modo assentiat, argumentum esse a majori ad minus : quasi diceret, S. Benedicti alumnus non obligari illis præpositi sui mandatis, quæ non sunt secundum Regulam; multo minus institutis Basilii, etc., in quibus quidem honesta est præcipiendi ratio, sed nulla subito parendi necessitas. Sicuti christianus dici potest non obligari ad illa facienda quæ non sunt secundum Dei præcepta, multo minus ad ea quæ non sunt secundum consilia, quibus non tenetur.

(99) Codex S. Theoderici recte habet *lege*, non *legem*, ut in aliis editis. Recte ad hunc locum Petrus Cellensis in lib. II, epistola 7, ad abbatem Molismensem : *Extra Deum nihil agas, extra Benedictum nihil præcipias.*

(100) Minutulum est quod ex eodem codice hic reddimus *ista*, pro *istam*. Gemeticensis addit *obediencia*. Sed legendum *ista* numero plurali, id est mox dicta.

intentione, quo præcipiente, in quove præcepto malum hoc committatur. Et quidem nullam prorsus inobedientiam dico parvi ducendam, non tamen omnem pari æstimandam periculo. Enimvero mandatum Dei est: *Non occides* (*Exod. xx, 13*). Fac ergo duos homicidas, et unum quidem spoliandi cupiditate, alterum vero necessitate sese defendendi facinus perpetrasse (101). An non hic satis evidenter inter lepram et lepram causa separat, faciens utique disparem valde culpam unius ejusdemque transgressionis? Quid vero si hunc subita ira, illum studiosa malitia, aut vetus odium forte ad idem scelus impulerit? numquidnam simili pensandum erit iudicio, quod tam dissimili factum **506** constabit affectu? Nil deinde incestius obsceniusve, quam illas filias Lot paternum usurpasse concubitum (*Gen. xix, 52-56*): et tamen quis non videat, quantum evacuarit aut attenuaverit turpis nefandique reatum flagitii pietas intentionis, et intentio pietatis? Jam vero de illo qui præcipit, et item de eo quod præcipitur, hujusmodi avertenda erit secundum rationem distinctio, ut cujus inter præceptores reverentior nobis imminet auctoritas, ejus gravior formidetur offensio, ac majoris cujusque mandati transgressio, damnabilior æstimetur. Melius siquidem est obedire Deo, quam hominibus; et in ipsis melius magistris, quam condiscipulis; porro in magistris, melius nostris, quam extraneis. Quibus autem melius constat obedire, ipsis procul dubio et non obedire detestabilius est.

14. Et de mandatis similiter. Majoribus quippe major, minoribus minor opera nostra et cura debetur: de quorum etiam contemptu, juxta eandem considerationem, gravior leviorve offensa contrahitur. Porro majora minoraque mandata dixerim, secundum quod magis minusve velle constiterit ipsum qui præcipit, sive hominem, sive Deum. Est, verbi gratia, mandatum, *Non furaberis* (*Exod. xx, 15*); et est mandatum, *Omni petenti te da* (*Luc. vi, 30*). Utrumque quidem magnum, quoniam utrumque divinum: sed de non furando, majus. Quis enim nesciat æquissimo Deo non æque displicere tenaces, atque fures; et quia de duobus malis plus velit nos tenere nostra, quam tollere aliena; et ita minus peccare qui non tribuit sua, quam qui non sua furatur?

15. Sed et in mandatis hominum rara æqualitas invenitur, cum, pro variis necessitatibus vel utilitatibus agendorum, injungentium affectio varietur; quodque putaverint rectius vel commodius, hoc amplius cupiant et exigant observari. Tam ergo qualitas præceptorum, quam auctoritas præcipientium, et obedientiæ præfigit metam, et inobedientiæ terminat culpam: quando (ut dictum est) in praelatis quibusve gravioris auctoritatis, et eorum mandatis quibusque majoris utilitatis, quò diligentior debetur

A obsequendi cura, eo et culpa gravior incurritur de contemptu.

16. His itaque distinctionibus animadversis, et obedientiæ modus, et pondus inobedientiæ facile reperitur. His gradibus non solum inter diem et noctem, hoc est obedientiæ bonum et inobedientiæ malum, discernitur; sed etiam inter diem et diem; itemque inter noctem et noctem: inter bonum videlicet et melius, inter malum et pejus. Bonus quidem obedientiæ gradus est, si juxta magistri nostri sententiam, propter metum gehennæ, seu propter professionem sanctam, quam professus est, quispiam obedierit (*S. Benedicti Reg. cap. 5*): melior tamen cum ex Dei amore obeditur. Illa quippe obedientia necessitatis est, ista charitatis. **B** Illum autem optimum dixerim obedientiæ gradum, cum eo animo injunctum opus recipitur, quo et præcipitur. Cum enim ex voluntate jubentis pendet intentio exsequentis, sit ut nec majus minoribus, nec minus majoribus confuse (ut assolet) ad implendum quod injungitur, subjecti studium impendatur; sed moderante animo quæque pro sua dignitate imperia, modum sciat utrobique servare, tam in observando videlicet jussa, quam in cavendo prohibita: non quod vel minimum horum quæ jubentur, contemnendum putet, etsi tamen minimum quod minimum est, reputet; sed minimum ex comparatione majorum. Novit verus humilisque obediens et minima non contemnere, et maxime curare quæ maxima sunt, intimo quodam devoti sincerique animi sapore discernens, quibus de mandatis ei qui præest, suis quodammodo factis respondeat cum propheta: *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis* (*Psal. cxviii, 4*). Ubi, quia non dicit universaliter omnia, illa tantum oportet intelligi, **507** quæ quoniam non sine grandi culpa quacunque occasione violantur, ideo non sine grandi poena quomodocunque violata donantur; ut puta, *Non occides*, et si quæ hujusmodi sunt: quorum nunquam potest esse observatio injusta vel mala; nunquam bona licite transgressio dispensatione duntaxat humana.

#### CAPUT VIII.

*Gravius peccari legum contemptu, quam neglectu*

17. Cætera, quæ vel a præpositis dispensationem admittunt, quia leviori censura neglecta puniuntur, leviora dicuntur. Ex his, verbi gratia, dico esse vel risum interdictum, vel indictum silentium. Hæc siquidem si contra mandatum non veniunt, nec peccata sunt. Accedente mandato, si quominus jam observantur, in peccatum reputantur, non tamen in crimen; ita sanè, si per subreptionem aut oblivionem, non autem per contemptum horum transgressio contigerit. Media quippe sunt, e quibus illa videlicet præcepta constituuntur, quæ vos factitia nominatis, longè utique disparem a naturalibus, quantum in ipsis est, gerentia necessitatem: cum tamen

(101) Quid de hujusmodi homicida sentiat Bernardus, ipse explicat infra in opusculo 6, Ad Milites Templi, n. 2.

nec sine offensa negligi, nec contemni sine crimine vel ipsa queant, injuncta ab his duntaxat quibus proprie dicitur: *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit* (Luc. x, 16). Licet namque ipsa per se injuncti operis qualitas innoxia sit; adjunctæ tamen auctoritatis pondus obnoxium mandato, mandatumque peccato obnoxium facit, non magno tamen, si contemptus defuerit.

18. Hæc ergo generalis regula sit universorum, quæ per se, aut propter se nec bona, nec mala sunt, aut divina institutione, aut propria cujusque professione fixa non sunt; ut non jussa quidem, licite utrumlibet vel admittantur, vel omittantur: jussa vero, sine culpa non negligentur, sine crimine non contemnantur. Ubique enim et culpabilis neglectus, et contemptus damnabilis est. Differunt autem, quod neglectus quidem [fort. quidam] languor inertiae est, contemptus vero superbiae tumor. Porro contemptus in omni specie mandatorum pari pondere gravis, et communiter damnabilis est: neglectus autem in fixis gravior, tolerabilior in mobilibus mandatis. Siquidem adulterium quocunque modo, quocunque perpetres animo, turpe flagitium est ac criminale peccatum: cum tamen leve verbum, in tempore vel loco silentii forte per oblivionem subreptum, risusve per impetum magis excussus, quam præsumptus contra præceptum (quod utique animi negligentis, aut dissoluti spiritus indicium est), eo facillime veniam promereatur, quo vix vel peccatum reputatur. Quid, quod scienter et ex deliberatione in verba otiosa, silentio licet non indicto, lingua laxatur? nunquid hoc tamen neget quispiam usurpari contra regulam Veritatis? unde nimirum et ratio exigenda est: in futuro judicio, Judice ipso terrifico admodum comminante, quia de omni verbo otioso reddent homines rationem in die judicii (Matth. xii, 36). Heu nobis! quænam poterit reddi ratio de otio? Alioquin otium non est, si non omnino ratione vacuum est. Et tamen quis nesciat unum detractionis verbum, quantum etiam innumeris talibus, id est otiosis, præponderet ad delictum meritumque damnationis? Quid ita? Videlicet quia discretio est in mandatis, consequenter et in culpis: ut (sicut dixeram) majorum gravior, leviorque minorum censeatur transgressio mandatorum.

#### CAPUT IX.

*Prælato tanquam Deo obediendum esse.*

19. Sed mandantium non ita. Sive enim Deus, siue homo vicarius Dei, mandatum quodcunque tradiderit; pari profecto obsequendum est cura, pari reverentia deferendum (102), ubi tamen Deo contraria non **508** præcipit homo. Quod si contigerit, pergendum indubitanter consulo in Petri apostoli sententiam: quia *obedire oportet Deo magis quam hominibus* (Act. v, 29). Aut enim hoc respondendum cum apostolis, aut cum Pharisæis certe audendum: *Quare et vos transgredimini mandatum Dei*

*propter traditiones vestras?* (Matth. xv, 3.) Si autem dolet se contemni magister homo præ illo, qui docet hominem scientiam; consoletur illa, quam et vos posuistis, Samuelis sententia, qua inter lepram et lepram videtur discernere sic: *Si peccaverit vir in virum, propitius ei poterit esse Deus; si autem in Deum peccaverit, quis orabit pro eo?* (I Reg. ii, 25.) Ego igitur si me hoc angit articulo sentiam, ut aut Deum, aut hominem offendere necesse sit; Deum potius libenter eligo non offendere, et quidem tutius justiusque. Habeo nempe ex præsentis prophetae capitulo de hominis læsione meam consolationem, Dei scilicet propitiationem. Cæterum Deo offenso, quis orabit pro me? si ad hominem confugero, id quidem Scriptura non consulit; quinimo: *Maledictus, ait, qui spem ponit in homine* (Jerem. xvii, 5). Merito proinde. Si autem in Deum peccaverit, etiamsi subintelligatur Propter hominem, *quis, inquit, orabit, pro eo?* Neuter equidem. Nam et a quo offenditur, et ob quem offenditur, æque utriusque oratio execranda decernitur apud ipsum qui offenditur, hoc est apud Deum. Talis ergo requirendus est ad orandum, qui sit idoneus ad placandum. Porro culpam, si qua est, quod homo offenditur cum ei non obeditur, aut multum extenuat, aut penitus annullat causa melior. Quapropter, cum dicitur: *Si peccaverit vir in virum*, subaudiendum est, propter Deum: quod nullatenus læsio cujuscunque proximi, nedum prælati, excusetur a culpa, si solus defuerit in causa Deus. Alioquin Paulo contradicit, qui ait: *Sic enim in fratrem peccantes, in Christum peccatis* (I Cor. viii, 12). Nam de præpositis certum tenemus ipsius Veritatis testimonium, sic loquentis ad ipsos: *Qui vos spernit, me spernit* (Luc. x, 16). Sed et de quolibet fratre: *Nolite, ait, contemnere unum ex his pusillis; et: Qui scandalizaverit unum ex his pusillis* (Matth. xviii, 10, 6), quod sequitur, avertat Deus a nobis.

20. Sed non omnium scandala æqua sunt lance pensanda. Aliter namque accipienda sunt scandala pusillorum, aliter Pharisæorum, de quibus apostolis timentibus et intimantibus quod scandalizati essent in sermone veritatis responsum est: *Sinite illos; cæci sunt, et duces cæcorum* (Matth. xv, 14). Illorum quippe scandalum de ignorantia, istorum de malitia descendit. Illi scandalizantur, quia veritatem nesciunt; isti, quia oderunt. Unde et pusillos illos arbitrator appellari, quod voluntatis quidem bonæ, sed non magnæ scientiæ existentes, zelum Dei habeant, sed non secundum scientiam. Talium scandala curam, non iram provocare solent spiritualium duntaxat virorum, Paulo ita docente: *Vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis* (Galat. vi, 1). Indignum siquidem est valde, humanam eos mereri indignationem, qui divinam tam facile consequuntur miserationem. Nam hi quoque qui Dominum crucifixerunt, magni quidem peccatores, sed

(102) Vide et confer nn. 21, 22, et 29, atque sermonem 42 in Cantica, n. 2.

pusilli aestimatores, etsi ex uno iram, nunquid non tamen ex altero veniam meruerunt? Beati quidem fuissent, si juxta verbum Domini in ipso scandalizati non essent (*Matth.* xi, 6). Nunc vero quid nisi miseri? Sed tamen et miserandi. Probat hoc pia illa in cruce patientis, sed nihilominus compatientis supplicatio: *Pater*, inquit, *ignosce illis*. Et quasi quæreretur indulgentiæ ratio in tam horrendo facinore, sequitur: *Quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* xxiii, 34). Ac si diceret: Eo digni venia, quo et pusilli scientia sunt. Ideo ignosco illis, quia non agnoscor ab illis. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (*I Cor.* ii, 8). Sunt quibus non ita ignosco, quos utique non ignoro et vidisse, et odisse et me, et Patrem meum. Pro hujusmodi pusillo in scientia terrenis Paulus eam, qui cum habeat scientiam, nescit tamen condescendere infirmioribus: *Et peribit*, inquit, *in tua scientia frater, pro quo Christus mortuus est* (*I Cor.* viii, 11).

**509** 21. Quod si tantopere cavenda sunt scandala parvulorum, quanto amplius prælatorum? quos sibi Deus æquare quodammodo in utraque parte dignatus, sibimet imputat illorum et reverentiam, et contemptum, specialiter contestans eis: *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit*. Annon denique hoc ipsum et Regula nostra perhibet, ubi ait: « Obedientia quæ majoribus præbetur, Deo exhibetur? » (*S. Benedicti. Reg. cap. 5.*) Quamobrem quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo; haud secus omnino accipiendum est, quam si præcipiat Deus. Quid enim interest, utrum per se, an per suos ministros, sive homines, sive Angelos, hominibus innotescat suum placitum Deus? Sed homines, inquis, facile falli in Dei voluntate de rebus dubiis percipienda, et in præcipienda fallere possunt. Sed enim quid hoc refert tua, cui conscius non es? præsertim cum teneas de Scripturis, quia *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem ex ore ejus requirunt: quia angelus Domini exercituum est* (*Malach.* ii, 7). Requirit, dixerim, legem, non quam vel authentica ulla Scriptura tradiderit, vel ratio manifesta probaverit (de hujusmodi quippe nec præceptor expectandus, nec prohibitor auscultandus est); sed quod ita latere aut obscurum esse cognoscitur, ut in dubium venire possit, utrumnam Deus sic, an aliter forte velit, si non de labiis custodientibus scientiam, et ex ore angeli Domini exercituum certum reddatur. A quo denique divina potius consilia requirentur, quam ab illo cui credita est dispensatio mysteriorum Dei? Ipsum proinde quem pro Deo habemus, tanquam Deum in his quæ aperte non sunt contra Deum, audire debemus.

22. Nec sane contraria loquimur sancto prophætæ Samueli, quasi nos in hac parte divinam hominibus tribuentes auctoritatem: cum ille in supra memorato capitulo plane discernere inter utrumque vi-

deatur. Siquidem quod nos asserimus de dubiis, hoc ille negat de manifestis: ut cum ait, *si peccaverit vir in virum*, subaudiatur, Propter Deum; cui aperte contraria homines hominibus frequenter mandare præsumunt. Sed hinc vos sumentes materiam sive occasionem argumentandi, asseritis, si hoc constiterit, ut jussa hominum qualibet, vel instituta, divinæ auctoritatis pondere aestimanda sint; hominem sub homine, aut vix, aut nequaquam posse salvari, cum in tanto populo (105) mandatorum, quæ prælati etiam per incuriam sæpe præcipiunt, interdum non prævaricari, aut difficile admodum, aut omnino impossibile videatur.

#### CAPUT X.

*Obedientiam non esse gravem et molestam, nisi imperfectis, invitis, et carnalibus; cæteris suavem et facilem.*

23. Et quidem non nego difficultatem tantæ inesse perfectioni: sed cum ipsa corde imperfecto præsumitur. Porro imperfecti cordis, et infirmæ prorsus voluntatis indicium est, statuta seniorum studiosius discutere, hæere ad singula quæ injunguntur, exigere de quibusque rationem, et male suspicari de omni præcepto, cujus causa latuerit; nec unquam libenter obedire, nisi cum audire contigerit quod forte libuerit, aut quod non aliter licere seu expedire monstraverit vel aperta ratio, vel indubitata auctoritas. Delicata satis, imo nimis molesta est hujusmodi obedientia. Non plane hæc illa est quæ ex Regula traditur, « Obedientia sine mora. » (*Reg. S. Benedicti, cap. 5.*) Disputare profecto hoc est in astu cordis, non in auditu auris obedire. Istiusmodi ergo carnalem animam non modo premi, sed etiam opprimi pondere præsumptæ perfectionis necesse est: quia non potest portare caro infirma, quod solus spiritus promptus experitur jugum esse suave et onus leve. Christi quippe jugum et onus est, et omnino importabile, nisi Christi æque spiritui. Huic itaque si dicitis legem Regulæ subintrasse, **510** ut abundaret delictum, verum dicitis. Cæterum hoc culpa non est datæ legis, aut dantis legem, sed improvide profitentis, et impie prævaricantis. Mandatum quidem sanctum et justum: sed tu te noris esse carnalem, venundatum sub peccato (*Rom.* vii, 12, 14). Verum hoc ante prævidisse debueras, quo turris hujus evangelicæ non prius jaceres fundamentum, quam sedens computares, si haberes sumptus ad perficiendum. Nunc autem quid restat, nisi ut aut correctus obedias senioribus, aut confusus audias ab illusoribus: *Hic homo cepit ædificare, et non potuit consummare* (*Luc.* xiv, 28-30).

24. Sed forsitan dicitis: Ergone ita perfectus quispiam invenitur, cui non vel minimum aliquid interdum subripiatur de tam multis ac minutis, quæ passim vel a negligentibus præpositis imperantur! Minime quidem cuiquam hoc ego dedorim, cum ipsi

(105) Cum in hac voce *populo* conveniant codices nostri, visum est reponere pro *cumulo*, ut in antehac excusis.

quoque de se fateantur Apostoli, *In multis offendimus omnes (Jacobi III, 2)*; et, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus (I Joan. I, 8)*. Sed non continuo ut aliquid præterimus, perimus: præsertim cum nos Scriptura consoletur, *Si quis peccaverit, inquit, advocatum habemus Jesum Christum justum; et ipse est propitiatio pro peccatis nostris (I Joan. II, 1, 2)*. Denique propheta de ipso testatur, quod pro transgressoribus rogaverit, ut non perirent (*Isa. LIII, 12*). Ubi sane notandum, quia etsi pro transgressoribus, non tamen pro contemptoribus legitur supplicasse. Verum illi quomodo perire possunt, pro quibus Salvator rogat, ne pereant? Quamobrem non video, cur ita omnem inobedientiam et transgressionem vel minimorum quorumlibet mandatorum exaggerandam putaveritis, ut exclamaretis: Quod ergo jam monacho poterit veniale peccatum esse vel leve, cujus universæ actioni crimen insidiatur inobedientiæ? Sed hoc inde videlicet constare creditis, quod prælatorum jussionibus tantum tribuendum asseritur, quantum si divinitas traderentur. Quasi vero et ipsa evangelica præcepta non multum inter se discrepent, et merito observationis, et transgressionis periculo.

#### CAPUT XI.

*Præcepta esse imparia, adeoque transgressionem.*

25. Cæterum sicut non omnia unius esse constat vel necessitatis, vel utilitatis, vel dignitatis: sic non una de omnium transgressionem fertur sententia, nec paria manent discrimina dispares culpas. Porro nec pari culpa negliguntur, quæ non pari cura præcipiuntur; nec pari proinde poena puniuntur. Ecce enim Evangelium tam flagitium crapulæ, quam fornicationis turpitudinem damnat. Verum quis magis non horreat e duobus malis, turpitudine foedari, quam cibo exsaturari? Nonne denique Veritas in Evangelio sub nominibus trahis et festucæ (*Matth. VII, 4*), graves levesque discernit inobedientiæ culpas? Nonne ipsa disputante, ino definiente, gradatim nobis distinguitur, quæ cuique reatui poena debeatur, dum alium iudicio, alium consilio, alium et gehenna reum esse protestatur? (*Matth. V, 22*.) Quenam ergo consequendi necessitas cogit, ut si magistris divina detur in suis præceptis auctoritas, nullum ideo jam monacho leve aut veniale peccatum inveniri posse putetur; et quod ejus universæ actioni crimen insidiatur inobedientiæ? Esto, sit crimen, cui poenalis illa gehenna vel gehennalis poena assignatur: quale, quæso, illud definiemus esse crimen, quod, Veritate iudice, reum tantum facit iudicio? Nee tamen distitebimus esse reatum, quod vel hactenus reum statuit. Quod si reatum, et peccatum? porro omne peccatum contra Dei mandatum præsumitur. Quod autem contra mandatum præsumitur, inobedientia dicitur.

26. Hinc colligitur, quod irasci fratri, et inobedientia sit, et crimen non sit. En unum inventum

(104) Ita tres scripti nostri: editi, contemptio, Et omnino legendum contentio, unde infra dicitur, recalcitrans et contentiosa voluntas.

A est monacho leve ac veniale peccatum, quodque non humani, sed divini mandati statuat transgressorem. In hoc genere transgressionis sunt nonnulla stultiloquia seu vaniloquia, et quæque otiose dicta, facta, et cogitata. Hujusmodi enim nunquam nisi contra mandatum, et Dei mandatum usurpantur. Peccata quippe sunt, et Deus prohibet omne peccatum: et tamen venialia, non criminalia reputantur, excepto cum per contemptum vertuntur in usum et consuetudinem: et tunc non peccati species, sed peccantis intentio pensatur. Elatio quippe contemptis, atque impœnitentis obstinatio, in minimis quoque mandatis culpam facit non minimam, et convertit in crimen gravis rebellionis nævum satis levem simplicis transgressionis. Denique in quo inobedientiæ crimen et absque dubio sit, apud Samuelem advertite. *Quasi, inquit, peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere (I Reg. xv, 25)*. Non ait, Non acquiescere; sed, *nolle acquiescere*: ut non jussionis simplex ipsa transgressio, sed voluntatis superba contentio (104), scelus idololatriæ reputetur. Non est enim id ipsum nolle obedire, et non obedire. Hoc quippe interdum erroris est, nonnunquam et infirmitatis: illud vero aut odiosæ pertinaciæ, aut contumaciæ non ferendæ. Quod et ipsum repugnare est et resistere Spiritui sancto; et si ad mortem usque perduraverit, blasphemia est, non remittenda, sive in hoc sæculo, sive in futuro. Non ergo qualiscumque mandati præteritio criminalem facit inobedientiam: sed repugnare, sed nolle obedire. Cæterum quanti absque illa pessima et rebeli voluntate non obediunt? Quomodo itaque monacho crimen insidiatur inobedientiæ, si toties sine crimine transgreditur, quoties in transgressionem defuerit hujusmodi recalcitrans et contentiosa voluntas?

27. Frustra autem comparant quidam, ut dicitis, quaslibet inobedientias antiquæ illi, quæ facta est in paradiso; quæ nimirum valuit, non solum obligare personam, sed et vitare naturam. Arbitror tamen et ipsam primam gravissimamque prævaricationem, aut non aliunde, aut inde maxime judicatam gravissimam, hoc est ex rebellionem defensionis, quæ secuta est: quando Deo causam requirente peccati, ut peccatores ad poenitentiam provocaret (nolebat quippe mortem eorum, sed magis ut converterentur et viverent), ipsi maluerunt declinare cor suum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. Et quidem gemina malitia peccatoris. Primum quod nec sui misertus est, ut culpam propriam fateretur, et sanaretur: deinde quod et uxorem, ut se fallaciter excusaret, crudeliter accusavit (*Gen. III, 1-13*).

28. Quid est quod denique dicitis, in omni actione monacho crimen insidiari inobedientiæ, quasi aut furtim subrepat nescienti, aut casu accidat infelici; aut non valenti implere quod præcipitur, cri-

minis calumnia struatur de impossibili? Itane, inquam, monacho crimen insidiatur inobedientiæ? cum et antiqua illa tam nota, et tam noxia prævaricatio, facile, ut creditur, indulgentiam consequeretur, dummodo confessio, et non defensio sequeretur. Neque enim tantum, ut dictum est, nocuit simplicis actionis, quamvis ex deliberatione, transgressio, quantum adjunctæ excusationis cum præmeditatione obstinatio.

### CAPUT XII.

*In Regula æque ac lege divina disparitatem esse inobedientiæ.*

29. Sed nunquid forte in lege quidem divina habenda est hæc consideratio gravioris, leviorisque inobedientiæ, non autem ita et in Regula nostrâ? Sed quis sane dicat plus tribuendum humanis, quam divinis traditionibus; plurisque quod per suos Deus, quam quod per se ipsum imperat, æstimandum? Annon denique et apud sanctum Benedictum propriæ et distinctæ ab invicem sententiæ inveniuntur, alia de levioribus, **512** alia de gravioribus inscripta culpis? (*Reg. S. Benedicti*, capp. 24, 25.) Quid est autem levior culpa, nisi levior inobedientia? Traduntur igitur a prælatiis interdum minora mandata, quorum transgressio leviora secundum Regulam parit et peccata; et tamen in Deum nihilominus prævaricatio fit, quoties abbatis jussio præteritur: siquidem et ex ore ipso Dei non æqualia sunt promulgata, et ideo non æquali cuncta vigilantia observanda; sed alia cura exhibenda est ei procul dubio, quod ipse **C** perhibet *primum et maximum mandatum* (*Matth.* xii, 38); alia his quæ alibi discernens, *Qui solverit*, inquit, *unum de his minimis mandatis* (*Matth.* v, 19). Quid ergo? Audivimus ex Regula graviores et leviores culpas; legimus et in Evangelio maxima, minimaque mandata: et mandatorum transgressiones universas dicemus æqualiter maximas? Non est igitur necesse ut concedam quod dicitis, aut Deo scilicet non tribui omne quod ab homine magistro accipitur, quod non sit contra Deum; aut monacho nullum posse inveniri leve seu veniale peccatum: quia etsi toties Deo (quod fatendum est) inobediens esse convincitur, quoties ejus, qui pro Deo sibi præst, hominis mandatum, quod quidem justitiæ non repugnet, prætergreditur; sicut tamen non par **D** cura in executione exigitur, sic nec par culpa contrahitur ex transgressione. Etsi quippe unus est qui offenditur; non tamen unius ponderis quæ jubentur, nec unius subinde discriminis jussorum est omnium censenda transgressio. Unde pater Benedictus, « Secundum, » inquit, « mensuram culpæ, excommunicationis extendatur mensura. » (*Reg. cap. 24.*)

30. Frustra proinde (ut videtis) aut terremini, aut terrere conamini de obedientiæ promissione, quæ fit ex regulari professione, quasi non oporteat promittere, quam constat nec integre posse teneri, nec sine crimine præteriri: siquidem Deo, quidquid Dei minister homo non perperam jusserit, imputandum constiterit. Frustra, inquam, ex hac oc-

casione malum ita inobedientiæ exaggeratis, ut a tam necessario bono promittendæ obedientiæ terreatis; quia etsi difficile cavetur ubique subrepens [*ms. subripiens*] vel insidians, ut vos dicitis, inobedientia in tam variis et innumeris, quæ a senioribus indicuntur; non semper tamen damnabiliter seu criminaliter quod præcipitur, non impletur. Etsi enim omnis inobedientia inexcusabiliter sit culpabilis, nulla tamen æternaliter damnabilis, nisi quam remedium poenitentiae non sanat: nulla est lethaliter criminalis, nisi quæ contemptum superbiæ non evitat. Magna igitur securitas filiis obedientiæ, et revera pax hominibus bonæ voluntatis; quoniam in omni obedientia sola damnatur impoenitentia, quam nescit qui diligit Deum; sola incriminatur superbia, quam facile cavet qui timet gehennam. Sed exemplis clarius elucescet quod dicimus. Si jubens seniore ut sileam, verbum mihi forte per oblivionem elabatur; reum me fateor inobedientiæ, sed venialiter. Si ex contemptu sciens et deliberans sponte in verba prorupero, et rupero silentii legem; prævaricatorem me constituo, et criminaliter; et si impoenitens persevero usque ad mortem, peccavi, et damnabiliter.

### CAPUT XIII.

*Refellit monachos, difficultatem, vel etiam impossibilitatem obedientiæ religiosæ nimium exaggerantes.*

31. An et hoc durum fortasse videatur? Hæc quippe sunt vestra, si bene recolo, verba, cum difficultatem seu impossibilitatem, ut vobis videtur, tenendæ obedientiæ, vel cavendæ inobedientiæ, considerantes, in vitam ita monachicam exclamatis: « Hæcine est illa eo securior, quo arctior; eo certior, quo magis ardua veniendi ad Deum via, ut monacho naturaliter bona vix cavere, naturaliter bona vix pro communi infirmitate valenti implere, non minor tamen **513** necessaria sit cautela ad cavenda, vel observanda quæ sibi prælatus suus vel prohibere voluerit, vel jubere? » Et subditis: « Quod enim a multis credatur, licet a paucis, vel etiam a nullis ad integrum observetur; quid aliud operatur talis sententiæ credulitas, quam quod illa ab Apostolo tantum culpata manducandi idolothyta libertas? » (*I Cor.* xiii, 7.) Nil plane aliud, si ita esset, ut dicitis. Bene prorsus non potest conscius esse sibi, qui se non implere confidit quod debere se credit. Creditis itaque (ut verborum vestrorum sensum breviter colligam) quod ad integrum mandata Dei observari vix valeant, abbatis non valeant: cum Veritas ipsa testetur, ne unum quidem iota præteritum iri (*Matth.* v, 18). Cæterum qui ita sentit, videtur mihi (ut pace vestra dixerim) necdum gustasse quam suavis est Dominus; sub jugo legis gemere adhuc, nondum respirare sub gratia; suave Christi jugum nequaquam esse expertus; ideoque certissime adhuc infirmari per carnem, quia spiritus non adjuvat ejus infirmitatem.

32. Quid vero sibi vult illa distinctio, quod Dei quidem vel vix prælati vero hominis nequaquam



omnino a quolibet jussa posse teneri prohibitive conceditis? quasi vero illa queant absque istis integre custodiri. Sed si attenditis, de male quoque viventibus prælatis Dei præceptum est, *Quæ dicunt facite* (*Matth. xxiii, 3*). Igitur qui non facit, aperte non in hominem tantum, sed et in Deum prævaricator existit. Itane ergo nullus mandata perfecte exsequitur sui magistri? Quamobrem putatis? quia nolumus, aut quia non possumus? Sed si volumus et non possumus, securi sumus. Si possumus et nolumus, superbi sumus. Porro ad cavendam superbiam, illam vere annuerim necessariam esse cautelam quam dicitis, ne forte incurratur inobedientiæ crimen. Quod si impossibile vos putatis, ut non videlicet imperiis prælatorum per contemptum interdum superbiam resistatur; scitote non paucos, sed innumeros aliter omnino sentire, nec aliud quam quod proprio didicerint experimento. Si autem non impossibile quidem, sed tamen difficile esse sentitis magistros non contemnere; et dum ideo consentitis, quoniam gravamini, non superbe sapere, murmuratis adversus obedientiam legem, affirmantes periculosum promittere, quod tam laboriosum est observare; ad hoc ego respondeo, imo non ego, sed Dominus: *Qui potest, inquit, capere capiat.* (*Matth. xix, 12.*) Hoc quippe est quod paulo superius dixi, quia antequam ædificium inchoares, providisse debueras unde perficeres. Nunc autem, ut ait quidam, aut non tentasses [*sic mss., al. non tenta*], aut perface, Verumtamen nemo, si caute profitemur, pollicetur se ultra in nullo transgressurum; hoc est, jam non peccaturum. Alioquin aut perjurat qui ita jurat, aut sanctior est illo qui ait: *In multis offendimus omnes* (*Jacobi iii, 2*). Quod si consequens falsum esse videtur; videndum est et de eo quod antecedit, ne forte lex quæ data est propter transgressiones cohibendas, non solum non eas coerceat, sed et augeat insuper crimine perjurii: siquidem id promittere nos in nostra professione credamus, quod certum est non posse teneri.

33. Partienda est proinde nobis in duo universa hæc observatio regularis, in Precepta videlicet, et Remedia. Præceptis instituitur vita contra peccatum; Remediis restituitur post peccatum innocentia. Sic ergo utraque ista complectitur nostra professio, ut professus quisque cum in aliquo forte regularium mandatorum deliquerit, si ad remedium æque regulare confugerit, etsi convincitur transgressor mandati, non tamen pacti prævaricator. Solum itaque censuerim fregisse votum, violasse propositum, pactum prævaricasse; qui et præceptum contempserit, et remedium. Nam illum sane dico securum, qui etiamsi interdum obedientiam limitem præterit, consilium non respuit penitentiam. Regulares namque terminos, etsi sæpe deliquerit, non evadit, qui censuræ, quæ ex Regula est, disciplinam non subterfugit. Pars siquidem Regule est regularis correctio, et in ea reperitur non solum bonæ vitæ instructio, sed etiam emendatio pravæ. Inveniuntur **514** in ea et

A præcepta obedientiam, et inobedientiam remedia, ut ne peccando quidem a Regula recedatur. Fateor sane impossibile cuivis mortalium vel venialiter interdum non delinquere in præceptis obedientiam: sed nulla jam de impossibilitate querela, quandoquidem et ex Regula licet id quoque, quod criminaliter delinqui contigerit, emendare. Quod ergo dicitis a nullis posse observari ad integrum quidquid a magistris præcipitur, verum est: sed levis culpa inobedientiam est, et facilis cura ejus invenitur in Regula, si quidem sit transgressio absque contemptu. Si autem et ipsum deesse aliquando non posse contenditis, id quidem falsum est: sed nec talem tamen inobedientiam sine cura relinquit diligentia regularis. Et licet fortiori egeat curationis medicamento, caret tamen morbo prævaricationis, nisi cum et ipsum forte medicamentum contemnitur.

34. Quæ cum ita sint, frustra de impossibilitate causamur qui Regulam profitemur: frustra nobis de peccandi necessitate blandimur, ut ideo justa imperia prælatorum Deo non imputanda, sed tanquam hominum contemnenda putemus: ne rem videlicet impossibilem continere nostra professio videatur, si tantum ex ea hominibus, quantum Deo obedientiam deberi asserimus. Cui enim jam vel ita professo impossibile, imo per Dei gratiam non per facile sit cavere prævaricationem, ubi non inobedientia, sed impenitentia facit prævaricatorem? Hoc quippe, ut jam dixi, profitentium nemo spondet, ut jam non peccet: et ob hoc non continuo, ut quispiam aliquo modo non obedit, prævaricatorem se constituit nisi qui se forte sic professum falso existimat, quales vos utique asseritis esse non paucos. De quibus etiam (si qui tamen sunt, ut dicitis) verum est et quod subditis, quod nil utique aliud illa talis eorum credulitas, vel potius crudelitas in suis ipsorum operatur conscientiam, quam noxia illa recumbentium in idolio libertas in alienis. Necesse est enim qui hujusmodi est, ex propria perire sententia, quemadmodum in illius scientia clamat Apostolus infirmum perire fratrem (*I. Cor. viii, 11*). Et quomodo nihil esse commune item ipse perhibet, quod cum gratiarum actione percipitur, nisi ei qui putat aliquid esse commune (*Rom. xiv, 14*; *I Tim. iv, 4*): ita et regularis professio, quantum in se est, damnabilis non est, nisi ei qui damnabilem putat. Quod quatenus putari oporteat, puto satis superius demonstratum.

#### CAPUT XIV

*Cur conscientia errans non æque convertat malum in bonum, uti bonum in malum.*

35. Nunc jam respondendum est quæstiunculæ, quæ incidit vobis ex occasione apostolici præsentis capituli. Quæritis nempe, utrumnam ista de idolothytis Pauli sententia, *Puto quia nihil commune est in Christo nisi ei qui putat quid commune esse, illi commune est; et rursus, Si comederit, damnatus est, quia non ex fide* (*Rom. xiv, 14, 23*); in generalem regulam trahi possit, quatenus malum cuilibet sit bonum quo-

que quod agit, si malum esse crediderit; ac tantum malum, quantum crediderit. Quod si annuero, rursum pergitis inquirere, cur non e contrario tantum cuique bonum sit quod operatur, quantum vel falso opinatur. Mirum quippe vobis, imo et injustum videtur, ut plus in malo, quam in bono humanæ valeat intentionis opinio. Si respondero, de malis quidem merito ita credi propter oculum nequam: respondebitis et mihi non immerito quoque propter simplicem oculum idem æque putandum et de bonis. Nam qui dixit ex oculo nequam corporis tenebras æstimari, indicavit et de simplici lucem æque corporis approbati (*Matth. vi, 23*). Sed videte, ne forte non sit vere oculus simplex, qui fallitur. Fallitur enim tam qui bonum malum, quam qui malum bonum putaverit. Scitis autem neutrum horum Væ illud evitare propheticum, *Væ qui dicitis bonum malum, et malum bonum* (*Isa. v, 20*): cum tamen nemo, qui hoc **515** velit cavere maledictum (105), de quo Veritas pronuntiat, quod sit lucis (106) totius corporis, id est operis, argumentum. Sed absit ut præco Veritatis clamet contra Veritatem; maledicat is quod illa probaverit!

36. Ego vero ut interior oculus vere simplex sit, duo illi esse arbitror necessaria, charitatem in intentione, et in electione veritatem. Nam si bonum quidem diligit, sed verum non eligit; habet quidem zelum Dei, sed non secundum scientiam: et nescio quemadmodum iudicio Veritatis vera esse possit cum falsitate simplicitas. Volens denique ad veram discipulos instruere simplicitatem magistra Veritas, *Estote, inquit, prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ* (*Matth. x, 16*). Præmisit ergo prudentiam, sine qua neminem satis esse posse simplicem sciret. Quomodo denique vere simplex erit oculus cum ignorantia veritatis? aut vero vera potest dici simplicitas, quam simplex ignorat veritas? Scriptum est enim: *Ignorans ignorabitur* (*I Cor. xiv, 38*). Patet ergo laudabilem illam et a Domino laudatam simplicitatem absque his duobus non esse bonis, benevolentia atque prudentia: ut oculus videlicet cordis, non solum pius qui fallere nolit, sed et cautus sit qui falli non possit.

37. Cæterum sicut oculum simplicem duo ista faciunt bona, amor boni, et cognitio veri: sic nequam oculus duo e regione mala constituunt, cæcitas, qua fit ut veritatem non agnoscat; et perversitas, qua fit ut diligit iniquitatem. Porro inter duo hæc bona, quæ nec fallere, nec falli sinunt; et duo illa mala, quæ tam falli, quam fallere faciunt, duo sunt media: unum quidem bonum per quod oculus interior, etsi falli queat ignorantia veri, zelo tamen boni

A fallere penitus non consentit: alterum vero malum, quod licet veri notitiam non impediatur, amorem tamen boni præ malitia minime sentit.

38. Et quoniam omnis res melius divisione innotescit: secundum hoc duplex malum, et illud item geminum bonum, quadrifariam dividamus oculum cordis, in bonum et meliorem, in malum et pejorem. Et subdamus exempla. Est qui bonum diligit, et malum nescius agit. Hujus quidem bonus est oculus, quia pius: non tamen simplex, quia cæcus. Et est qui bonum et libenter agit, et prudenter intelligit: Istius revera oculum non immerito simplicem dixerim, utpote cui neutrum bonum desit, nec zelus scilicet bonus, nec scientia. Hunc profecto requirit oculum Deus, cum respicit super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum (*Psal. xiii, 2*). Est e contrario qui bonum minime diligens, ex malitia quidem perversus est: sed sapiens ut faciat malum, per ignorantiam cæcus non est. Quem quidem ideo nondum appellaverim nequam, quod unum ei, licet ad suum malum, non desit bonum, id est scientia.

39. Sed est qui bonum forte nescius quod non diligit, agit: cui profecto non incongrue id quod dicitur nequam assignaverim, eo quod neutro careat malo, nec cæcitate scilicet, nec perversitate. Dicitur siquidem nequam, quasi nequaquam, ut is solummodo nequam appelletur, qui nequaquam, hoc est, in nullo penitus appareat bonus; sed sit utroque bono vacuus, tam videlicet veri notitia, quam et benevolentia. Alius est itaque pius oculus, non quidem fallere promptus, sed tamen, ut dictum est, falli pronus, de quo propheta: *Ephraim, inquit, quasi columba seducta, non habens cor* (*Ose. vii, 11*). Alius is quem Dominus simplicem dicit, tam nec fallere facilis, quam nec falli, de quo et Apostoli docentur cum eis dicitur: *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ*.

40. Et item alius est oculus simpliciter malus, fallens utique libenter, sed non facile falsus: qualem **516** profecto habent illi qui ore dominico astruuntur prudentiores esse filiis lucis in generatione sua. Et alius quem nequam esse definivimus, quia sit dupliciter malus, cui quippe et malitia parit ignorantiam, et ignorantia malitiam operit, ita ut sæpe nesciens et malum quod vult non faciat, et bonum faciat quod non vult. Obscuratum nempe est insipiens cor eorum qui istius modi sunt, et quasi jam traditi in reprobum sensum, bonum omnino nec diligere, nec dignoscere queunt. De talibus scriptum est: *Impius cum venerit in profundum malorum, contemnit* (*Prov. xviii, 3*). Nam qui hujusmodi est, ca-

(105) Locus obscurus, sed constans in editis et scriptis, tametsi Horstius putat legendum, *quin hoc velit*. Sed retinenda alia lectio, quæ dilemmatis altera pars est. Bernardus quippe hoc in loco probat, bonam intentionem, quæ lux est operis, non æque valere in malum, quam in bonum. Sic autem fere ratiocinatur. Intentio illa circa malum vel est oculus simplex, vel non. Tum, si est, inquit, nihilominus

incurrit Væ propheticum, prolatum in eos qui dicunt malum bonum: et aliunde nemo vitare volet istud maledictum, cum ea intentio sit oculus simplex, quem Veritas laudat.

(106) Omnino sic legendum, ut in duobus scriptis, non lux, sicut in antehac vulgatis; ut sit sensus, quod oculus simplex sit argumentum, id est origo et causa, lucis totius corporis, id est operis.

vere profecto malum nec vult, etiam si possit; nec si velit, scit. Quamobrem hunc oculum in superiori divisione illo altero censui non immerito pejorem, non quia malignior sit, sed quia periculosior. Ignorantia quippe securiorem, securitas segniores facit, non nequiores. Est tamen ex hoc procul dubio deterior, quod ille solum habet malum, malam intentionem; iste et falsam considerationem. Ille uno caret e duobus bonis, bono zelo; iste et vero iudicio. Ex hoc itaque pessimo oculo, qui neutrum bonum habet, et item ex illo optimo qui neutro caret, sentiendum est Veritatem disseruisse, aut tenebris obvolvi totum corpus, aut luce perfundi. Nam reliqui duo, quorum neuter utrumque aut bonum habet, aut malum; etsi ex parte possunt, non tamen soli sufficiunt vel lucem dare, vel tenebras corpori.

41. Si igitur (ut jam ad propositam quaestiuiculam revertamur) is vere oculus nequam est, qui perversus pariter et caecus bonum agit, et malum credit; utique recte operando, sed opinando inique, bonum sibi in malum vertit; et tantum malum, quantum crediderit: quandoquidem juxta sententiam Domini, totum corpus tenebrosum reddit oculus nequam. Quid enim luci relinquitur, ubi nec pia intentio, nec vera opinio invenitur? At non ideo sequitur, ut qui e contrario malum facit, et bonum putat, juxta suam fidem similiter et ipse inveniat. Quare? Non est quippe simplex oculus ille, qui ex iudicio Veritatis totum corpus lucidum reddat, qualem profecto superius definiimus. Neque enim ex toto adhuc tenebrae desunt, ubi ignorantia veritatis lucem obscurat bonae [al. deest bona] voluntatis. Cum itaque ille oculus utrumque malum, is vero minime utrumque habeat bonum; nonne ratio videtur exigere, ut plus ille noceat, quam prosit iste? Neque enim consequens est, ut tantum valeat in bonum bonum unum, quantum duo mala in malum. Et quidem laude dignam dixerim vel solam intentionem piam: nec plane condigna remuneratione fraudabitur in opere quoque non bono ipsa bona voluntas. Attamen sine malo quocumque non erit decepta simplicitas. Cur inquis? nunquid non ex fide? Prorsus ex fide, sed falsa; vel certe potius non ex fide, quia fides falsa, fides non est. Denique de fide vera, non falsa puto dixisse Apostolum: *Omne quod non est ex fide, peccatum est* (Rom. xiv, 23). Non autem ex fide vera bonum creditur quod malum est: est enim falsum. Peccatum igitur est. Utrumque proinde complectitur praesens capitulum, *Omne quod non est ex fide peccatum est*, et caecam videlicet malitiam, et deceptam innocentiam: quia quod a nesciente fit, et bonum prorsus condemnat intentio prava, et malum non penitus excusat recta. Sive itaque malum putes bonum quod forte agis, sive bonum malum quod operaris, utrumque peccatum est, quia neutrum ex fide: licet sane levius admodum peccetur, ubi sana intentione sola reprehensibilis actio foris apparet, quam ubi maligna latet etiam in non mala

[al. mendose in mala] actione intentio. Verum quod absque vel minimo peccato non est, purum bonum minime est. Quod pacto ergo bonum non purum puro malo comparabitur 517 in efficientia, hoc est ut tam efficax ad bonum illud sit, quam ad malum istud? Et haec super hac quaestione sufficiant. Nam ad superiores quoque satis reor esse responsum superius. Et quidem vos easdem saepius dubitationes iteratis atque revolvitis: sed mea non interest ipsarum toties repetere solutiones. Sufficit enim semel solvisse etiam quod crebrius in quaestione versatum fuerit.

## CAPUT XV.

*An quantum obedientia valet ad meritum, tantum inobedientia valeat ad demeritum.*

42. Quarentibus item de obedientiae pondere, seu discrimine inobedientiae, a latere incidit vobis et de merito utriusque quaerendum, utrum videlicet in quibusque praecipis quantum obedientia valet, tantum gravet inobedientia: ut verbi gratia, vel Abraham de immolando filio (Gen. xxi), vel ille nescio quis de filio itidem furni incendiis exponendo (Doctr. SS. PP. lib. de Obed. n. 6), tantum divinae indignationis et ultionis merito incurrisset, si non obedissent, quantum laudis et gratiae receperunt pro eo quod obedierunt. Quod vobis quidem et durum videtur, et necessarium: sed non est ita. Enimvero constat nonnulla nec fieri sine gloria, et posse non fieri sine culpa; ideoque si fiant, digna esse praemiis, non tamen suppliciis si non fiant. Nam et non tangere mulierem, meriti est non mediocris; et nullius tamen delicti propriam amplecti conjugem. Istiusmodi sunt quaecumque evangelico illi capitulo congruere possunt: *Qui potest capere, capiat* (Matth. xix, 12.).

43. Et rursum quaedam per contrarium, neglecta quidem offensam contrahunt, sed impleta gloriam [al. gratiam] non merentur; et damnant contemptorem, et auctorem non glorificant. Tali sunt quaecumque divinitus lege publica imponuntur hominibus, sine quibus nec salvari queunt. Hinc illud apud gentilem:

*Non feci furtum. Non pasces in cruce corvos.*  
(HORAT. lib. I, ep. 16, 46.)

Et in Evangelico: *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis?* (Matth. v, 46, 47.) Denique et universaliter, *Cum feceritis omnia quae mandata sunt vobis, dicite quia servi inutiles sumus, quae facere debuimus, fecimus.* (Luc. xvii, 10.) Ac si dicat: Si solis contenti estis praecipis et traditionibus impositae legis, et non sponte etiam perfectionis vos consiliis et suasionibus mancipatis; liberi quidem estis a debito, non tamen pro merito gloriosi: evasisitis poenam, sed non acquisistis coronam. Quanam ergo nos necessitas cogit parem in singulis, quae injuncta fuerint, et formidare ultionem de transgressione, et de observatione parare remunerationem? Eapropter in talibus generalis haec regula teneatur, ut in difficilioribus quidem

agendis obedientia gratior, quam gravior prævaricatio **A** *Benedicti*, cap. 61). Et accipite manifestius in exemplis hujus sententiæ rationem.

judicetur: et in facilioribus minusque onerosis contemptus damnabilior, quam actus laudabilior æstimetur.

### CAPUT XVI.

#### *Transitus et mutatio monasterii quatenus probanda.*

44. Jam et si de hoc satis est, videamus quatenus etiam tenenda sit ipsa, quæ in professione firmari solet, loci stabilitas, et quibus (si quibus tamen) ex causis rumpere illam vel liceat cuiquam, vel expediat. Et hinc siquidem dubitare vos dicitis: Ad quod interim nunc securus responderim, a bono quod semel quis voverit, descendere non licere: et ad hoc mutare locum, quem sibi quisque delegerit, et cui se sua voluntate et voce firmaverit, omnino non consulo, sed nec sanctus papa Gregorius. Ait enim: « Perfecti quique magna se discretionis subtilitate conspiciunt, ne ad deteriora unquam vel in opere, vel in cogitatione dilabantur. » Sed quod hinc sensit vir apostolicus, hoc se Apostolus implere gloriatur: Quæ, inquit, **518** *retro oblitus, et ad ea quæ ante sunt extentus* (*Philipp. iii, 15*). An et propheta Ezechiel idem non significavit, cum de sanctis animalibus diceret: *Non revertentur cum incederent, sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur?* (*Ezech. i, 12*.) Et hi omnes id sentiendo, non aliud quam Magistri sui sententiam secuti sunt, dicentis in Evangelio: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei* (*Luc. ix, 62*). Præscribat proinde stabilitatis pactum omni deinceps remisso descensui, contentioso discessui, vago et curioso discursui, totius denique inconstantia levitati; non tamen his quæ in professionis serie sequuntur, morum videlicet conversioni, et obedientia quæ secundum Regulam fit. Nam si hæc ibidem, pro improbitate nimirum atque irreligiositate cohabitantium, obtineri forte nequiverint; duce spiritu libertatis transire indubitanter suadeo ad locum alium, ubi non impediat homo reddere Deo vota sua, quæ distinxerunt labia sua. Et quidem cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris.

45. Sane de religiosis ac bene ordinatis monasteriis nullus professorum meo consilio, ne arctioris quidem vitæ desiderio, sine licentia sui senioris egrediatur (107). Egressus tamen, si melius invenerit et elegerit, meo nihilominus jam consilio non regrediat ad inferius bonum, quod reliquerat et contempserat præ meliori: præsertim si illud melius tale fuerit, quod ejus primæ professioni congruere videatur. Ipse nempe viderit, qua ratione, quæ intentione altiora seu arctiora præsumpserit: nam ad inferiora jam vel remissiora, me consulente, nequaquam apostatabit: si non tamen loci prioris vicinia revocetur, quia de noto monasterio nec reverti quis regulariter potest, nec recipi sine consensu abbatis sui (*Reg. S.*

46. Forte vult aliquis de Cluniacensibus institutis ad Cisterciensium sese stringere paupertatem, eligens præ illis nimirum consuetudinibus magis Regulæ puritatem. Si me consulit, non consulo, si non sane id abbatis sui usurparit assensu. Quamobrem? Primo propter scandalum ipsorum quos deserit. Deinde quia certa pro dubiis relinquere tutum non est; forsitan enim hæc tenere potest, illud non poterit. Tertio suspectam habeo levitatem, qua id sæpe quod facile volumus antequam probemus, experti jam nolumus, uno prope momento id ipsum et cupientes, et respicientes, tam leviter quam et irrationabiliter. Quales utique non paucos frequenter experimur, quia una vix hora in una voluntate durantes, aura levitatis impulsivi, vagi et instabiles hæc et illac velut ebrii nutant; mutantque pro experimento iudicium, imo sine iudicio fluctuantes et tumultuantes, tot de se consilia præsumunt, quot loca revisunt: semper quod non habent cupientes, et quod habent fastidientes.

47. Et quomodo ego, ait aliquis, professus Regulam, non secundum Regulam cum bona queam degere conscientia? siquidem vovens, et non solvens, quid nisi pejero? Quasi non multo magis habeas inde conqueri alibi quoque, cum cœperis pure juxta Regulam conversari. Profecto etiam tunc: Et quam, inquit, conscientia habitare sustineam extra domum meam priorem, quæ me de sæculo fugientem excepit, initiavit ad bonum, signavit in salutem; molestus fratribus, inobediens seniori, stabilitatis insuper prævaricans pactum, et primam irritam faciens fidem? Verumtamen neutra justa querimonia est. Nam qui se ideo perjurum putat, quod ad purum [*al. punctum*] Regulam non observat; videtur mihi non satis attendere quid juraverit. Nemo quippe cum profitetur, spondet Regulam, sed determinate secundum Regulam sui quisque conversionem, suamque deinceps conversationem sese pollicetur dirigere. Hæc profecto hujus temporis omnibus ferme monachis communis professio est. Et licet in diversis monasteriis, diversis et observantiis **519** Deo serviatur; quandiu tamen sui quisque loci bonos usus sollicite servat, haud dubium quin secundum Regulam vivat, quoniam quidem boni usus a Regula non discordant. Quisquis itaque tenet quod teneri invenerit bonum, ubi profitetur; profecto vivit sicut promittit: quia non aliud procul dubio quisque promittit, quam quod habere eorum pia videtur vita, cum quibus deinceps vivere disponit et eligit.

48. Quid enim? nunquid verbi gratia, aut in Majori Monasterio usus Cluniacensium, aut isti forte illorum ritus, aut vero utriusque Cisterciensium, distinctionem litteratoriam profitentur? Attamen omnes secundum Regulam profiteamur. Una quidem

(107) Vide Bernardi epistolam 395, n. 2, ubi de monasterio Sancti-Bertini idem asserit.

oris ubique promissio : sed quia non una est omnibus cordis intentio, potest indubitanter sine detrimento salutis, et sine damno professionis, operis quoque non una ubique observatio celebrari. Sicut enim non omnes omnia tenent, etiam boni Christiani, quæ in Evangelio sunt, omnes tamen secundum Evangelium vivunt (nam qui concessis alligari conjugii contenti sunt, non ideo tamen credunt se recessisse ab Evangelio, quia evangelici sublimitatem consilii de cælibe ducenda vita non elegerunt, ita sane si in gradu illo inferiori legitime ac fideliter conversentur) : sic quoque qui secundum Regulam vivere statuunt, etsi non ad unguem, ut dicitur, totam custodiunt, etsi qua pro sui claustrum ritu vel mutant, vel prætermittunt; a regulari tamen omnino professione non discedunt, donec tamen sobrie, et juste, et pie, pro suorum moribus vivere non desistant. Denique Regula ipsa tradit octavum humilitatis gradum, « ut nihil agat monachus, nisi quod communis monasterii regula, vel majorum cohortantur exempla (*Reg. S. Benedicti*, cap. 7). »

49. Exceptis proinde Cisterciensibus, et qui illorum forte ritu non tam vivere secundum Regulam, quam ipsam ex integro pure ad litteram (uti se sane professos esse putant) tenere curant : de cætero neminem obedienter degentem regularis moveat solemnique professio, in qua non sit de tota Regula promissio, in his duntaxat monasteriis, in quibus ordo et disciplina servatur cum bonis consuetudinibus. Salva igitur cuique sua manet in cœnobiis bene ordinatis professio, tantum si sana fuerit et intentio. Cæterum qui inquietus est, et ita credere non potest; sed magis credens et cedens stimulantibus conscientie exit, et quærit ubi solvat quod suo in loco [*al. solvat vota sua quæ*], suo utique iudicio voverat quidem, sed non solverat : sicut non laudo quod egreditur, ita ut regrediatur non consulo, si tamen ad remotum ignotumque monasterium migraverit. Cur ita? Tum propter Pauli sententiam, qua beatum manifeste pronuntiat, qui se ipsum non iudicat in eo quod probat (*Rom. xiv. 22*) : tum ex nostri auctoritate magistri, qui talem et suscipi jubet, et retineri; inventum quoque bonum et utilem suasionem allici, professione ligari. « Denique suadeatur, » inquit, « ut stet (*Reg. S. Benedicti*, cap. 61). » Et ne forte prioris sui monasterii memor, remordente, ut assolet, conscientia, incipiat denuo de rupta stabilitate causari (108); generalem super huiusmodi scrupulo consolatoriam profert sententiam, dicens : *Ubiq̄ enim uni Deo servitur, uni Regi militatur.*

(108) Tales fuerunt illi monachi ad Pontiniacenses translati, ad quos insignem scribit epistolam Petrus Cellensis, in tomo II Spicilegii, pag. 447, ubi vide et duas sequentes.

(109) Quantas Bernardo rixas facerent ejusmodi susceptiones, variæ probant ejus epistolæ, nempe 3, 32, 33, 65 cum tribus sqq. item 253, 293, 313, 395 et 396. Confer epistolam 94 et 371, et maxime Cassianum, Collat. 14, cap. 5 et sqq.

(110) Quæstionem hanc Bernardi ævo fuisse ventilatam patet tum ex Abælardo, qui quemdam

A Porro de vicino prohibet, quod jubet de peregrino : ne vicinitas inter monasteria fomes scandali, rixæ materia sit, si alterutrum recipere monachos acieverint absque mutuo duntaxat assensu. Quod toties equidem experimur (109), quoties talis uspiam monachorum susceptio plane non nisi contra decretum regulare præsumitur.

520 50. Quod si etiam post hæc fratris ita regulariter suscepti inquietiorem forte animum pulsaverit recordatio scandali, quod discedens fratribus, quos deseruit, fecit; et quia oporteat emendari suo reditu quod ex discessu deliquerit : prudenter advertat qui hoc cogitat, scandalum scandalo non bene emendari. Qualis denique emendatio erit, si ut aliis scandalum tollas, alios scandalizas? Quamquam profecto et tolerabilius scandalum illud sit, et venialius, quod factum est intentione proficiendi in melius, quam quod facere cogitas ad deterius apostatando. Sed et ante quoque, licet non sine scandalo, tutius tuam sine dubio ad id quod putasti melius, secutus es conscientiam, quam si in priori bono et loco contra conscientiam permaneres, quamquam secure id posses : si sane hinc eandem tuam ipsius conscientiam reddere securam posses.

51. Quapropter quod de manducante, et non manducante decernit Apostolus (*Rom. xiv, 5*), usurpamus et nos in nostræ hujus disputatiunculæ conclusione, ut et qui propria impellente conscientia suum deserit locum, ne suum (quod putat) deserat volum; non deserentem non spernat : et qui secunda conscientia fratrum scandalum timens, fratres non deserit; deserentem non iudicat. Et de his me accipite sane quod sentio respondisse, sine præiudicio sanius sentientis.

## CAPUT XVII.

*Ad dubia quædam ex Patribus proposita respondet.*

52. Item postulatis absolvi vobis, cur vel beatus Gregorius nescio quem Venantium, habitum monachalem, quem pie susceperat, impieque rejecerat, non solum resumere non coegit, sed etiam omnem legitur indulsisse communionem apostatæ perduranti (*Lib. i, epist. 33; lib. ix, epist. 25, 31*), vel sanctus Augustinus conjugii legi votum quodammodo subjiciat continentie; ita ut in libro de Virginitate asserere videatur, nec cælibis quidem vitæ propositum copulæ posse præscribere conjugali, quominus indissolubile maneat, etiam quod a continentibus, fallente diabolo, fracto sanctitatis voto, initum fuerit matrimonium (110). Et ad hæc nihil ad præsens certius breviusque respondendum occur-

Burgundiæ magistrum arguit, pag. 1067, quod *monachos atque moniales, post publicum etiam suæ professionis votum, et benedictionis vel consecrationis vinculum, posse matrimonium contrahere* assereret : tum ex concilio Remensi sub Eugenio III, ubi ejusmodi matrimonia irrita ac nulla esse definit canon 7, etiam in Conversis professis. Longe ante Gregorius Magnus monachos, qui uxores duxissent, in monasterium revocari jubet in lib. i, epistola 40 : eosdem vero excommunicat concilium Chalcedonense, can. 16. Paulo dissimilis est argumenti. B r-

rit, nisi quod ita sancti antistites sapuerunt: rectene? A ipsi viderint. Nam ego in sensibus actibusque illustrium Patrum cautus profecto sum omnino non aliud aestimare, quam quod beato Apostolo teste quaeritur jam inter dispensatores, ut videlicet fidelis quis inveniatur (*I Cor. iv, 2*). Certus sum enim, sive in suo abundaverint sensu, sive in Dei spiritu; sicut et in cæteris, ita et in his ambos exstitisse fideles, illum in dispensando quod præ manibus erat, istum in scribendo quod sensorat.

55. Quod denique quaeritis de quibusdam episcopis, quos sanctus idem papa Gregorius ad tempus in monasteriis pro eorum excessibus legitur reclusisse, utrumnam in suo, an in monastico interim habitu habitarent cum monachis: ego nescio, nisi quod credibilis videtur, nequaquam illos insignem religionis habitum suscepisse, quem non erant perpetuo habituri; sed tantum quaesisse quietem in secretis monasteriorum, et opportunitatem poenitentiae.

54. Audire et hoc vultis a me, unde inter cætera poenitentiae instituta monasterialis disciplina meruerit hanc prærogativam, ut secundum baptismam nuncupetur (111). Arbitror ob perfectam mundi abrenuntiationem, ac singularem excellentiam vitae spiritualis, qua præeminens **521** universis vitae humanae generibus hujusmodi conversatio, professores et amatores suos Angelis similes, dissimiles hominibus facit; imo divinam in homine reformat imaginem, configurans nos Christo instar Baptismi. Et quasi denique secundo baptizamur, dum per hoc quod mortificamus membra nostra quæ sunt super terram, rursum Christum induimus, complantati denuo similitudini mortis ejus. Sed et quomodo in Baptismo eruimur de potestate tenebrarum, et in regnum transferimur claritatis æternæ: ita et in sancti hujus secunda quadam regeneratione propositi, de tenebris æque, non unius originalis, sed multorum actualium delictorum, in lumen virtutum eva-

narana epistola 76 de quodam homine, qui post diatinam in domo et habitu religionis conversationem, nondum tamen confirmato proposito, ad secundas nuptias convolarat.

(111) Idem in sermone 11 de Diversis et in epistola 111, num. 2. B. Petrus Damiani, Opusc. 16, in episcopum monachos ad sæculum revocantem, *Dic*, inquit, *obsecro, legisti aliquando vitæ monasticæ propositum secundum esse Baptisma? Sed quia hoc inveniri in dictis Patrum perspicuum est, negare licitum jam non est*, etc. Vide loco citato, cap. 8. Vide et Hieronymum, epistola 25, ubi Paulam de Blæsillæ obitu consolatur. *Revera*, inquit, *si sæculare desiderium, et (quod Deus a suis avertat!) delicias hujus vitæ cogitantem mors immatura rapuisset, plangenda erat. Nunc vero cum propitio Christo, ante quatuor ferme menses, secundo quodam modo propositi se baptismo laverit, et ita deinceps vixerit, ut calcato mundo semper monasterium cogitarit*, etc. Idem ad Demetriadem. *Nunc*, inquit, *quia sæculum, reliquisti, et secundo post Baptismum gradu inisti pactum cum adversario tuo, dicens ei, Renuntio tibi, diabole, et sæculo tuo, et pompæ tuæ, et operibus tuis, serva fædus quod pepigisti*. Quibus adde Odonis abbatis Cluniacensis Collationum lib. II, cap. 7, et Theodori Studitæ testamentum apud Baronium, tomo IX. Ratio ergo, cur vitæ religiosæ professio, quasi quidam

dimus, reaptales nobis illud Apostoli: *Nox præcessit, dies autem appropinquavit* (*Rom. XIII, 12*).

### CAPUT XVIII.

*Morte abbatis non licere professis mutare locum.*

55. Id quoque vobis insinuari precamini, an abbatis mutatio monasterium suum mutare volentibus monachis in aliquo patrocinetur; hoc est, si in morte vel depositione prælati plus aliquid libertatis subditis relaxetur, quo utique licentius possint eo articulo temporis migrare quo voluerint, altero necdum videlicet substituto. Ad quod respondeo: Nequaquam. Etenim sponsio professionis quando ex more sit in oratorio, de abbatis vita non sumit terminum, sed de præsentia testimonium. Profitenti itaque modus sit sua vita, non aliena. Attendat denique quid inde Legislator ipse non solum senserit, sed et tradiderit, ut « si quando, » inquit, « aliter fecerit, » videlicet quam promittit, « a Deo se sciat damnandum quem irridet (*Reg. S. Benedicti*, cap. 58). » Item dicit, quod nec sui jam corporis Nevitius habiturus sit potestatem; et item, « Perseverantes, » ait, « in monasterio usque ad mortem (*Ibid. in Prologo*). » Salvis igitur exceptionibus, quas superior disputatio perstrinxit, de cætero nulla liceat occasione monacho locum, cui professus est, citra suam mortem deserere; suo duntaxat arbitrio. Alioquin prævaricator est, damnationem habens quia primam fidem irritam facit.

56. Sed vos pergitis amplius sciscitari, et dicitis: C Quid si non potest nisi cum rancore perpetuo animi, ibidem manere, ob minus videlicet regularem, minusve amabilem abbatis electionem? Subit animo nunc illud de Evangelio, quod de conjugii lege docenti discipuli Domino responderunt: *Si ita est inquit, non expedit nubere* (*Matth. XIX, 10*). Magnæ revera angustiae. Si tenuerit exosam, nihil onerosius: si dimiserit invitam, nihil inchristianius. Annon

Baptismus censeatur, ista est. Nam sicut in Baptismo hoc agitur, ut omnino moriamur vitæ veteri, et renascamur novæ (vide *Rom. VI, Coloss. III, Ephes. II* et alibi, unde non idem homo e Baptismo emergit, qui in eum ingressus erat, sed plane alius); sequitur etiam, ut prioris illius hominis peccata, non magis huic homini recens nato tribuenda sint, quam mea alteri, vel alterius mihi. Ita prorsus in professione Religionis sese res habet. Moritur enim Religiosus mundo, ejusque operibus, ac sibi insuper ipsi voluntatique suæ: et ita moritur, ut non magis liceat ei mundo, ejusque deliciis vel voluntate sua uti, quam si plane mortuus ac sepultus esset. Cum ergo Religiosi quoque, sicut in Baptismo, desinant esse quod antea fuerunt, et novi quidam homines esse incipiant, novis studiis, novæ vitæ, aliisque omnino delectationibus et cogitationibus dediti; nil mirum si culpa et poenæ, quas vetus ille homo debebat, una cum ipso homine moriantur, nec jam ad secundum hunc hominem pertineant. Ita sere Hieronymus Platus, de Bono status relig. libro I, cap. 13. Hinc, ut etiam observavit Renatus Choppinus Monastici libro I, tit. 2, h. 17, sicut in Baptismo renatis, sic professis in Religione cen novis hominibus nova induuntur nomina: Italis præsertim ac Belgis, ut ait ille, Franciscis etiam Fuliensibus et Capuccinis.

Mihi necessitate constringitur qui nec deserere valet locum, ne frangat votum; nec manere in loco, ne cum rancore vivat, et vitam perdat? Quid consulam huic? Ut discedat? Non licet propter professionem. Ut stet? Propter rancorem non expedit. Duo mihi æque inconvenientia, æque periculosa proponitis, ut quidquid respondero, vobis minime prosit. Queritis nempe qui de duobus monacho tutius sit, residere in proprio monasterio sub irregulariter electo cum rancore, an ad quietius vivendum alio migrare. Quod quidem haud secus accipio, quam si requiratis, quam morte perire consulam eum qui se ipsum forte perimere vult, incendio, an præcipitio. Revera namque et uritur qui in odio manet; et qui frangit propositum, in præceps ruit. Sed vos me in hac difficultate consilii facile expeditis, cum deinde sequimini; et quatenus accipi hoc ipsum velitis quod appellatis irregulare, aperiendo subjungitis: præsertim si electionis irregularitas adeo involuta sit et intorta, ut licet de ea coram Deo non dubitetur, coram hominibus tamen, aut vix, aut nullatenus convincatur. Venit nunc quoque in mentem Sapientis elogium: *Occasionem querit, qui vult recedere ab amico* (Prov. xviii, 1). Quoniam modo vos irregularem dicitis electionem, quæ cassari regulariter non valet aut reprobari? Et quidem legitur: Quod probari non potest, mihi in lectum est. Sed dicitis: Et quis obediat scienter indigno, etsi non manifesto? Fratres, nonne legistis et in vestra, et in Veritatis regula: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisei: quæ dicunt, facite; secundum opera vero illorum nolite facere* (Matth. xxiii, 2, 3; S. Benedicti Reg. cap. 4).

## CAPUT XIX

*Ad alia quædam dubia pacis respondet.*

57. Jam de mutandis vestibus, vel lavandis ob nocturnam illusionem, accipite breve consilium. Juxta ritum sui loci quemque facere consulo de hujusmodi, quæ diversis modis diversis in monasteriis certum est observari. De his qui in pluribus monasteriis profitentur (quod penè oblitus fueram) putò satis esse responsum superius, cum de loci stabilitate disputatum est; et non est necesse ut repetam. Prætermittit et aliqua de canonibus quæ vos requiritis; tum quoniam talium nostra non refert qui monachi sumus; tum quia in libris eadem ipsi facite reperire potestis, si querere non gravemini.

58. Venio ad tria illa, quæ in altera vestra ritusum epistola continentur: ubi primum interrogatis, quidnam consulam homini, qui adversus quempiam commotus fuerit; sed non adeo ut eum lædere ipse velit, adeo tamen ut libenter accipiat, si quo modo aliunde lædi contigerit: sicut videlicet tutum ita commoto accedere ad altare, an se subtrahere interrim debeat, donec compescatur commotio. Nun-

quam mihi contingat turbatum ad pacis accedere sacrificium; cum ira et disceptatione contingere Sacramentum, in quo Deus indubitanter est mundum reconcilians sibi. Certe non recipitur munus quodcumque meum, quod defero ad altare, nisi ante placato fratre, quem me forte læsisse meminerò: quanto minus si me ipsum non pacaverò prius?

## CAPUT XX.

*Binas Pauli sententias in speciem pugnantes conciliat.*

59. Quod deinde queritis de contrarietate quæ inesse videtur duabus illis Pauli sententiis, *Conversatio nostra in cælis est* (Philipp. iii, 20); et, *Quandiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino* (II Cor. v, 6): quomodo videlicet anima eodem tempore possit, et in corpore peregrinari a Domino, et in cælis simul esse cum Domino; ipse solvit Apostolus, cum alibi dicit, *Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus*. In quantum quippe cognoscimus, tanquam præsentia contemplantes, jam cum Domino sumus. In quantum adhuc tanquam de futuris prophetamus, credentes quæ non intelligimus, sperantes quæ non videmus; a Deo peregrinamur, et in corpore. *Cum autem venerit quod perfectum est*, hoc est gloriæ plenitudo, quæ in resurrectione futura est, *tunc evacuabitur quod ex parte est* (I Cor. xiii, 9, 10), corporis videlicet omnis corruptio, ex qua sine dubio contingit hæc, quæ adhuc ex parte manet, nostra in corpore peregrinatio. Hoc est quod in se miserabiliter ingemiscens plangit, et alii: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (Rom. vii, 24.) Non queritur de corpore tantum, sed corpore mortis hujus, hoc est ejus quæ adhuc durat corruptionis: monstrans non corpus, sed corporis molestias esse causam peregrinationis. *Corpus quippe quod corrumpitur, aggravat animam* (112) (Sap. ix, 15). Non corpus simpliciter, sed *corpus quod corrumpitur*; ut corruptio corporis vneri sit, non natura. Unde et qui intra semetipsos ingemiscunt, redemptionem expectant corporis sui (Rom. viii, 23), non amissionem. Merito proinde gravati corporis necessitate, non societate, cupimus dissolvi, et esse cum Christo (Philipp. i, 24): **523** ut id quod manet ex parte adhuc, exsilium finiatur; et quæ ex parte jam cepit, cælestis habitatio perficiatur.

60. Aut certe *conversatio nostra in cælis est*, quomodo dicit apostolus: *spe enim salvi facti sumus* (Rom. viii, 24). Spe itaque jam in cælestibus habitamus, cum adhuc re ipsa in terris peregrinemur et in corpore. Vel aliter: Habemus et unde corpori, et unde Domino inhæreamus; illud vivificando et sensitivando, illum credendo et diligendo. Neque enim præsentior spiritus noster est ubi animat, quam ubi amat: nisi forte putetur esse magis ubi invitis et ex necessitate teneatur, quam quo sponte et alacri, consequentiam. Forte ut cuivis nota resecurit notarius.

(112) In tribus nostris manuscriptis deest, *aggravat animam*, quæ tamen verba necessaria sunt ad

fertur voluntate. Denique ubi est thesaurus tuus A ubi est et cor tuum (Matth. vi, 21). Item si Deum amans anima ex ipso vivit, uti corpus ex ipsa; quo pacto, quæso, præsentior esse contenditur ubi dat, quam unde accipit vitam? Fons siquidem vitæ charitas est: nec vivere animam dixerim, quæ de illo non hauserit. Haurire porro quomodo potest, nisi fuerit præsens ipsi fonti, qui charitas est, quæ Deus est? Præsens igitur Deo est qui Deum amat, in quantum amat. In quo enim minus amat, absens profecto est. In eo autem minus Deum amare convincitur, quod carnis adhuc necessitatibus occupatur. Illa vero circa corpus occupatio quid est, nisi a Deo quædam absentatio? et absentatio quid, nisi peregrinatio? Et peregrinamur ergo a Domino, et in corpore peregrinamur: cujus nostra nimirum et intentio præpeditur æruminis, et curis charitas fatigatur.

61. In fine secundæ epistolæ interrogatis, quid sentiendum arbitrer de eo, quod in Evangelio nobis promittitur, *Ecce enim merces vestra multa est in cælis*: (Luc. vi, 23) mirantes maxime sanctum Augustinum dixisse super hoc, non cælos istos visibiles et corporeos oportere intelligi, ne merces nostra in rebus mobilibus volubilibusque videatur collocari; ideoque spiritualia quædam firmamenta esse intelligenda, de quibus nescitis, ut dicitis, quid vel suspicari debeatis. Sed si attenditis quod legistis, *Regnum Dei intra vos est* (Luc. xvii, 21); et, *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris* (Ephes. iii, 17)

tanquam utique regem in regno suo; et, *Non sunt condignæ passionibus hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* (Rom. viii, 18), non quidem quæ revelabitur nobis, velut aliquid exterius; sed in nobis, quasi intus jam manens, sed nonlum apparens: et item, *Omnis gloria ejus filie regis non intus* (Psal. xlii, 14); et, *Ascendet homo ad cor altum* (Psal. lxxiii, 8); sed et ascensiones in corde suo disposuit (Psal. lxxxiii, 6); rursusque, *Anima justi sedes est sapientiæ* (Sap. vii, sec. LXX), cujus sine dubio illa vox est, *Cælum mihi sedes est* (Isa. lvi, 1): si hæc, inquam, hisque similia non pauca in Scripturis advertitis, profecto studebitis ad requirendum regnum Dei et justitiam ejus, intrare potius ad vos, quam vel extra exire, vel ascendere supra.

B Sed supra sane, vel extra dixerim loci positionem, sicut cælum a terra locum tenet exteriorum; sol, luna, et sidera superiorum. Nam eadem ipsa, quæ intra nos sunt subtiliori suæ naturæ invisibilitate, etiam supra nos sunt sublimiori excellentiæ dignitate, et extra quoque immensitate majestatis. Sed altissima sunt hæc, egentia utique et diligentiori disputatione, et doctiori disputatore, et opere prolixiori. Ego enim præstaveram modum in his tractandis epistolarum nequaquam excessum iri: sed sermo, ut video, processit in longius quam speravi. Proinde vos, si placet, Librum: si placet, Epistolam nominatè; nam ego sive in paucis, sive in multis, vestræ debui C (quod et studii) satisfacere voluntati:

## ADMONITIO IN OPUSCULUM V.

524 1. Nihil est quod majorem Bernardo invidiam conflaverit, quam liber iste, editus in monachos Cluniacenses. Ea enim erat per id tempus ipsorum existimatio, ut orbis quasi censuram aggredi videretur, qui illos arguere tentaret; ea propagatio et multitudo, ut is nomen adversariorum in se conitaret. Et sunt etiam nunc nonnulli, qui Bernardi hac in parte zelum quasi nimium accusent: non satis attendentes, Doctorem sanctum a Deo ita comparatum et institutum fuisse, ut Ecclesiæ maculas abstergeret, et monastici ordinis integritatem splendoremque restitueret, bellum indicendo vitiis, quæ ejus puritatem suo tempore deformabant. Nunc ergo scire interest, quo titulo, quove anno Bernardus hoc opus ediderit: an quæ in Cluniacensibus carpit, re ipsa vitia sint, an tolerabiles ritus: et siquidem vitia sunt, vera an supposita.

2. Quod ad titulum pertinet, Epistolam vocat Bernardus in sequenti libro, n. 15: « Jam vero Epistola, ut epistola remaneat, finienda erat, » etc. At vero in fine libri Opusculum vocat, ubi de Ogerio, qui a Bernardo discedere volebat, ubique recentis Opusculo. » *Guillelmus in libro tertio de Bernardi Vita, capite octavo, Apologeticum appellat: « Si fervens contra suorum, vel aliorum vitia zelus, legatur is, quem Apologeticum vocat. »* Certe apologiæ nomine utitur Vir sanctus in epistola decima octava ubi scripta sua Petro cardinali recensens, « Necnon et Apologiam, » inquit, « ad quemdam amicum nostrum, ubi aliqua disserui de Cluniacensibus et nostris id est Cisterciensibus observantiis. » Vulgatum proinde Apologiæ titulum retinebimus ab ipso etiam auctore consecratum.

3. Ex eadem epistola decima octava, quæ sub annum 1127 scripta est, condita Apologiæ tempus intelligitur. Et sane librum hunc unum ex primis Bernardi opusculis, et quidem tertium fuisse constat ex enumeratione Petro cardinali facta, in qua duo tantum ante Apologiam memorat, nempe librum de Humilitate, et Homilius in laudibus Virginis matris in Missus est, quibus apologiam continenter subjicit cum paucis epistolis. Itaque Apologia composita est sub annum 1125, id est sub initia regiminis Petri Venerabilis, qui Hugoni secundo successit anno 1122, anno dimidio post Pontium, sub quo magnopere laxata fuerat Cluniacensis Ordinis disciplina regularis. Non mirum itaque, si Bernardus aliqua reprehensione digna notavit, eaque in scripta redegit rogatu Guillelmi Sancti-Theoderici abbatis, qui ex Ordine Cluniacensi censebatur. Nam cum Nigrorum monachorum cænobia fere omnia ritus Cluniacenses sectarentur: exorta semel Cisterciensium congregatione, quæ alios mores habebat, ea Cluniacensis Ordinis (tametsi ei aggregata non erant) dicebantur, ut vel ex sequente Apologia patet, in qua Guillelmum alloquens, « Ordinem vestrum » dicit nn. 1 et 30, et in eodem n. 30 monasterium Sancti Nicolai diocesis Laudunensis eidem Ordini attribuit. Hanc ergo Apologiam



Bernardus scribit rogatus a Gvillielmo Cluniacensi homine; scribit, inquam, eo tempore, quo solutior erat Cluniacensium religio: sed ita libellum componit, ut primum, et quidem durius, arguat suos, id est Cistercienses, qui severioris vitæ specie Cluniacensium institutis detrahebant, sicque sanctiores religionis leges violabant. Ut ergo alteros alteris conciliaret sanctissimus Doctor, quid in utrisque reprehendendum sibi videbatur in hoc libro sincere exponit; ratus, « se non adversus Ordinem, sed pro Ordine disputare, si non Ordinem in hominibus, sed hominum vitia reprehenderet, » ex n. 15.

**525** 4. Neque dubitandum est ea vera esse quæ in Cluniacensibus notavit Bernardus, quem de his accurate edoctum fuisse, atque adeo ab omni falsi criminis suspicione immunem esse nemo non concedere debet. Verum dictorum ejus veritatem probant Statuta Petri Venerabilis abbatis Cluniacensis, qui coacto apud Cluniacum capitulo generali, pleraque ejusmodi vitia emendare conatus est, ut manifeste probant ejus Statuta, quæ suis locis in notulas referemus. De hoc capitulo agit ad annum 1132 Ordericus Vitalis, qui et ipse præsens interfuit: ita enim habet in libro decimo tertio, pag. 896: « Petrus Cluniacensis abbas veredarios et epistolas per omnes Cellas suas tunc direxit, et omnes Cellarum Priores de Anglia et Italia, regnisque aliis accersit, jubens ut dominico Quadragesimæ tertio Cluniaci adessent, ut præcepta monasticæ conversationis austeriora, quam hactenus tenuerant, audirent. Illi nimirum archimandritæ suis jussis obsecundaverunt, ac ad statutum terminum ducenti Priores Cluniacum convenerunt. In illa die mille ducenti et duodecim fratres ibi adfuerunt... Ille vero » Petrus « auxit jejunia, abstulit colloquia, et infirmi corporis quædam subsidia, quæ ilis moderata patrum hactenus permiserat reverendorum clementia. Fratres autem assueti magistro semper obedire, contra religiosum morem nolentes ei resistere, aspera quidem imperia susceperunt: rationabiliter tamen ostenderunt, quod venerabilis Hugo, et illius antecessores Maiolus et Odilo, arctam vitæ viam tenuerunt.... Austerus autem præceptor.... Cistercienses, aliosque novorum sectatores æmulatus, rudibus ausis instilit, et ab inceptis desistere ad præsens erubuit. Postmodum tamen emollitus, subditorum arbitrio consensit, » etc. Confer ejusdem Petri Venerabilis libri primi epistolam vigesimam octavam, et aliam quæ inter Bernardinas relata est, ordine ducentesima vigesima nona.

5. Ex his apparet, ea, quæ in Cluniacensibus carpit Bernardus, vera esse: sed inter vitia non ab omnibus fuisse habita, imo quasi necessarium temperamentum infirmitatis humanæ. Et quidem de quibusdam id videri possit, puta de ornatu ecclesiarum, aliarumque ejusmodi rerum, quæ plausibiles rationes præ se ferunt: at pleraque inter monachos tantisper moderatos tolerabilia non esse vel ipsu lectio persuadet. Sed quid, inquis, de templorum magnificentia et cultu? annon Cistercienses, imo et Bernardus ipse amplissima et ornatissima condiderunt? Hæc cum audio, in mentem venit primi illius Oratorii, a Bernardo apud Claram-Vallem exstructi. Bone Deus! quam exilis, quam vilis in speciem, sed quam sua vili ipsa specie venerandi! Aliud quidem inchoavit amplissimum, quod continendis monachis septingentis, aliisque personis sufficeret: sed omnis ornatus, præter ipsam fabricæ majestatem, expers. Et Cistercienses primitus « sculpturas vel picturas » in ecclesiis suis seu officinis monasterii penitus interdixerunt: « quia dum talibus intenditur, utilitas bonæ meditationis, vel disciplina religiosæ gravitatis sæpe negligitur. Cruces tamen pietas, » sed quæ « lignæ » essent, habebant. denique « superfluitates et curiositates notabiles in sculpturis, ædificiis, pavementis, et aliis similibus, quæ deformant antiquam Ordinis honestatem, et paupertati non congruunt, » rejecerunt etiam in capitulo anni 1213, ex Instit. Cisterc. parte prima, cap. 20.

6. Sed ut hæc missa faciamus, magna certe ex sequenti libello consecuta est utilitas: cum non solum Cluniacenses, sed etiam alia, quæ ab eorum societate disparata erant monasteria, ejus lectione ad meliorem frugem sese receperint, in primis Dionysianum Sugerio auctore; et tandem Cisterciensium exemplo convocari cœperint capitula generalia Nigrorum monachorum præter Cluniacense, in quibus de emendandis monachorum vitiis actum est. Id enim Innocentio II pontifice fieri cœptum, et ab ipso approbatum fuisse constat ex litteris capituli generalis abbatum provinciæ Remensis ad Adrianum III contra abbatem Latiniacensem, superius relatis, col. 813.

**526** 7. Sed hæc satis ad illustrandam Apologiam sequentem, quam in duas partes distinguere possumus: in quarum prima corripuntur Cistercienses, quod Cluniacensium institutis detraherent; in secunda Cluniacensium superfluitates arguuntur. Ideo duas epistolas vocat codex Majoris-Monasterii, in quo ita inscriptio legitur: « Incipit Apologeticum domni Bernardi abbatis contra Cisterciensium detractiones, ad Guillelmum abbatem, dividitque tractatum in duas epistolas. » Præmittitur epistola octogesima quarta instar præfatiunculæ, quo nomine eam Bernardus designat in epistola octogesima quinta et in epistola octogesima octava. Hoc opusculum Rotomagi primum una cum tractatu de Præcepto et Dispensatione, atque libris de Consideratione, absque designatione anni vulgatum est sub hoc titulo: « Incipit libellus Bernardi abbatis de Concordantia statuum religiosorum, qui pro tempore suo erant. » Sub eodem titulo idem liber aliquando laudatur a Wilhelmo monacho in libro Florum ex sancto Bernardo.

## S. BERNARDI ABBATIS

### APOLOGIA AD GUILLELMUM

SANCTI-THEODERICI ABBATEM (113).

#### PRÆFATIUNCULA

Quod me hujusmodi operam dare jubes, per quod tollendum sit scandalum de regno Dei, libenter

accipio: sed quomodo id velis fieri, necdum satis elucet mihi. Nam illam tuam dulcissimam epistolam dulciter legens, ac dulcius relegens (sæpius quippe

(113) Quantum Cluniacensis ordinis disciplina regente S. Hugone floruerit, clarius est quam ut probari necesse sit. Petrus Damiani, severus ille

morum censor, epistola 4 libri vi, Cluniacum vocat Paradisum, quatuor Evangeliorum fluentis irriguum, hortum deliciarum, spirituales campum, ubi cælum

repetita placebat) intellexi quidem te velle, ut illis qui de nobis tanquam detractoribus Cluniacensis Ordinis, conqueruntur, satisfaciam: quatenus videlicet sciatur non esse verum, quod male hucusque de nobis putarunt, vel putari voluerunt. At si post hanc satisfactionem rursus victus eorum ac vestitus superfluitatem, et cætera quæ subjungis, quemadmodum injungis, carpere voluero; et mihi videbor contradicere, et quomodo sine scandalo facere queam, non video. Nisi forte, et Ordinem quidem laudabilem, et Ordinis reprehensores reprehensibiles dicam [*al. doceam*], et nihilominus tamen ipsius superflua reprehendam. Si hoc modo vis, aut forte aliter magis expedire vides, manda apertius; et ut valeam quod vis, eo modo quo vis, ora instantius. Scito tamen non modico me hujusmodi scriptitationi-

bus ferri detrimento: quia multum hinc mihi devotionis subtrahitur, dum studium orationis intermittitur, præsertim cum nec usus suppetat dicendi, nec otium.

### 527 CAPUT I.

*Profitetur se suosque ab obtreptione religiosi Ordinis prorsus alienos.*

Venerabili patri GUILLELMO, frater BERNARDUS, fratrum qui in Clara-Valle sunt, inutilis servus, salutem in Domino.

1. Usque modo si qua me scriptitare jussistis, aut invitus, aut nullatenus acquievi: non quia negligenter quod jubebat, sed ne præsumerem quod nesciebam. Nunc vero nova urgente causa, pristina fugatur verecundia, et vel perite vel imperite dolori meo satisfacere cogor, fiduciam dante ipsa necessi-

*ac terra congregitur, ac velut arenam certaminis, ubi, spiritualis more palæstræ, caro fragilis adversus potestates aereas colluctatur. Et epist. 5 in Cluniacensium conversatione et Ordine non ad inventionis humanæ studium, sed Spiritus sancti magisterium inesse asserit. At S. Hugoni ad superos raptò anno 1109 successit Pontius, qui referente Petro Venerabili libro secundo de Miraculis, cap. 12, cum satis modeste ac sobrie conversatus esset primis assumptionis suæ annis, procedente tempore mores mutavit; nec dubium quin ad ejus exemplum, subditorum etiam, fervor intepuerit. Neque tamen Petrus Venerabilis ejusdem libri cap. 11, omnem hujus relaxationis causam in eum rejicit; sed etiam quorundam, quos, inquit, nominare nolo, culpa vel desidia, resecanda vel potius evellenda succreverunt. Pontio abdicata præfectura Jeresolymam profecto substituitur anno 1122 Hugo II, cui post quinque circiter menses Petrus Venerabilis successit. Dum hæc ita se haberent, orta est gravis Cluniacenses inter et Cistercienses contentio ob regulam sancti Patris Benedicti, dispari habitu ac religione servatam. Cum enim eam ob causam S. Bernardus in culpam vocaretur, veluti horum discidorum sive auctor, sive fautor; Guillelmus Sancti Theoderici abbas, pro sua erga Virum sanctissimum reverentia et amore (de quo in notis ad epistolam 86), cum ad sese purgandum, simulque ad ea quæ correptione digna in Cluniacensibus judicaret, animadvertenda induxit. Ideoque hæc Apologia duas complectitur partes: in prima, diluta sui accusatione, perstringit suos Cistercienses, quod Cluniacensibus obtrecent; in altera Cluniacensium arguit superfluitates. Non parum autem scire interest, quo circiter anno hæc Apologia a sancto Doctore scripta sit: quod Petro Mauricio abbate contigisse, omnibus, præter unum Manricum, hæc fuit persuasum. Et primo quidem scripta videtur post annum 1120, quo Guillelmum Sancti-Theoderici abbatem creatum fuisse probant notæ in epistolam 85. Quamvis enim inscriptio epistolæ huic operi præfixæ eum Venerabilis Patris nomine duntaxat indiget, eo tamen vocabulo abbatis dignitatem expressam non dubitem, cum ante decimum tertium sæculum vix nullus Religiosus præter abbates Patris nomine censeretur: unde venerabilis Guigo Patris appellationem modeste recusavit, ut dictum est ad epistolam 11, et S. Bernardus Godefrido Priori Clara-Vallis sic epistolam 317 inscribit, Fratri Godefrido, quo etiam modo epistola 87 salutatur Ogerium canonicum regularem, licet abbatis antea dignitate perfunctum. Verumtamen hoc opusculum ante Petri Venerabilis præfecturam exaratum existimo, quamvis extinguendis hujusce contentiois scintillis subinde postea excitatis ipse dederit operam, ut infra videbimus. Nam S. Bernardus epistola 277 ad Eugenium testa-*

tur, Petrum Cluniacensem pene ab introitu suo in multis Ordinem illum meliorasse, verbi gratia in observantia jejuniorum, silentii, indumentorum pretiosorum et curiosorum: quod etiam patet ex ipso Petro, de Miraculis libro II, cap. 11, ubi scribit, statim ab ipso suæ Assumptionis initio, Matthæum, Sancti-Martini a Campis Priorem, a se accitum, quo regulari disciplinæ resarciendæ ambo simul providebant. Meminit et alterius reformationis Ordericus Vitalis ad annum 1132, ubi ait, ad Petri Cluniacensis mandatum; Priores ducentos, fratres vero mille ducentos et duodecim Cluniacum Dominica tertia Quadragesimæ convenisse, quo in conventu Petrus Cistercienses æmulatus auxerit jejunia, abstulerit colloquia, et infirmi corporis quædam subsidia, quæ illis moderata Patrum hactenus permiserat reverendorum clementia. Quis itaque dicat Bernardum, harum rerum, quas Petrus ab ineunte præfectura cœpisset, optime conscius, voluisse illum de suorum excessibus exagitare? Nam neque ipsius Petri epistolam (quam primam ad S. Bernardum scripsit: in Bibliotheca Cluniacensi, lib. 1, epist. 28), in qua nonnullis Cisterciensium objectis facit satis, huic apologiæ (ut vulgo putatur) respondere, ex mutuis utriusque capitulis perspicuum esse videtur. Quatuor enim fere Bernardus hoc opusculo in Cluniacensibus carpit: primo, excessus in cibo et potu, maxime vero in faciliiori carniis usu: secundo, in pompa vestium; tertio, in superfluo templorum ornatu; quarto, in luxu abbatum. At Petrus Venerabilis objectis respondet viginti capitulis, quorum nullum fere tangit quidquam eorum, quæ hic a Bernardo fuerant objecta. Nihil enim ibi attexit de vino et doliis pigmentariis, de monstrosis piscibus, ovorum frixuris, variisque condimentis; nihil de cæteris et si quid de vestibus delibat, de solis pelliceis, quarum vix hic quidem meminit Bernardus, quæstionem instituit. Non igitur huic Bernardi Apologiæ respondet illa Petri epistola, sed Cisterciensium querimoniis, ut etiam ex ipsius epistolæ exordio et conclusione manifeste colligitur. Verum sive Pontio (quod contendimus) sive Petro abbate scripta sit hæc Apologia, in mentem revocandum illud, quod de S. Bernardo Guillelmus scripsit libro primo de Vita S. Bernardi, cap. 8: Si nimietas in eo reprehenditur sancti fervoris, habet certe apud pias mentes excessus iste reverentiam suam, quam quicumque Spiritu Dei aguntur, multum verentur in servo Dei reprehendere nimium istam nimietatem. Habet et facile apud homines excusationem, cum vix audeat quisquam eum condemnare, quem Deus justificat, tam multa, tam sublimia cum eo et per eum operando. Felix, cui solum reputatur ad culpam, quod cæteri præsumere sibi solent ad gloriam.

tale. Quomodo namque silenter audire possum vestram huiuscemodi de nobis querimoniam, qua scilicet miserissimi hominum, in pannis et semipunctiis, de cavernis, ut ait ille (*Hebr. xi, 38*), dicimur iudicare mundum; quodque inter cetera intolerabilius est, etiam gloriosissimo Ordini vestro derogare, sanctis qui in eo laudabiliter vivunt, impudenter detrabere, et de umbra nostræ ignobilitatis, mundi luminibus insultare? Itane sub vestimentis ovium, non quidem lupi rapaces, sed pulices mordaces, imo linæ demolientes; bonorum vitam, quia palam non audent, in occulto corrodimus; nec saltem etiam invectionis, sed spurrum detractionis emittimus? Si hoc ita est, ut quid sine causa mortificamur tota die, aestimati sumus sicut oves occisionis? (*Psal. xliii, 22.*) Si ita, inquam, pharisaica jactantia cæteros homines, et (quod superbius est) nobis meliores despiciamus, quid nobis prodest tanta in nostro victu pareitas et asperitas, in vestitu notabilis illa vilitas ac diversitas, in opere manuum quotidiana desidatio, in jejuniis et vigiliis iugis exercitatio, totius denique vite nostræ singularis quædam atque austerior conversatio? nisi forte omnia opera nostra facimus, ut videamur [at. videantur] ab hominibus, Sed dicit Christus: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam (*Matth. vi, 5*). Nonne si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus? (*I Cor. xv, 19.*) An vero non in hac vita tantum in Christo speramus, si de Christi servitio temporalem tantum gloriam querimus?

2. Miser ergo homuncio qui tanto labore et industria studeo non esse, vel potius videri sicut cæteri hominum; minus tamen accepturus, imo gravius cruciandus, quam quilibet hominum. Siccine ergo non inveniebatur nobis via, ut ita dicam, utique tolerabilior ad infernum? Si ita necesse erat, ut illo descenderemus; cur saltem illam, qua multi incedunt, viam scilicet latam, quæ ducit ad mortem, non elegimus, quatenus vel de gaudio, et non de luctu, ad luctum transiremus? O quam feliciter est illis, quorum non est respectus morti eorum, et firmamentum in plaga eorum, qui in labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellantur! qui etsi peccatores, ac pro gaudiis temporalibus, perpetuis cruciatibus addicti, saltem abundanter in seculo obtinuerunt divitias (*Psal. lxxii, 4, 5, 12*). Væ portantibus crucem, non sicut Salvator suam, sed sicut ille Cyrenæus, alienam (*Matth. xxvii, 32*). Væ Citharædis citharizantibus, non ut illi de Apocalypsi, in citharis suis (*Apoc. xiv, 2*), sed vere, ut hypocritæ, in alienis. Væ semel, et væ iterum pauperibus superbis. Væ, inquam, semel, et væ iterum, portantibus crucem Christi, et non sequentibus Christum; qui nimirum cuius passionibus participant, humilitatem sectari negligunt.

3. Duplici quippe contritione conteruntur qui huiusmodi sunt, quando et hic pro temporali gloria temporaliter se affligunt, et in futuro pro interna superbia

ad æterna supplicia pertrahuntur. Laborant cum Christo, sed cum Christo non regnant: sequuntur Christum in paupertate sua, sed in gloria non consequuntur: de torrente in via bibunt, sed non exaltabunt caput in patria: lugent nunc, sed tunc non consolabuntur. Et merito: quid enim facit superbia sub pannis humilitatis Jesu? nunquid non habet quo se palliet humilitatis malitia, nisi unde involuta est infantia Salvatoris? Et quomodo intra præsepium Domini simulari arrogantiæ se coercet, ac pro vagitibus innocentie, malum iuhi detractionis immergit? Annon illi superbissimi de Psalmo, quorum prodit ex adipse iniquitas eorum, multo totius operi sunt iniquitate et impietate sua (*Psal. lxxii, 6, 5*), quam nos latemus sub sanctitate aliena? Quis enim magis impius, an profligans impietatem, an mentiens sanctitatem? Nonne is qui etiam mendacium adders, genuinat impietatem? Et quid dicam? Vereor ne forte et ego suspectus habear, non quidem vobis, pater, non vobis, cui utique notum me novi, quantum in hac caligine homo homini innotescere potest; et specialiter de hac re scio vos non ignorare quid sentiam. Sed propter illos, qui me nec ita ut vos cognoverunt, nec sicut vobis hinc loqui soleo, loquentem audierunt, scribo vobis (quod et frequenter audistis), ut quoniam ego per singulos ire, et singulis satisfacere nequeo, ex me habeatis, unde quod de me certissime sciis; eis pro me verissime persuadeatis. Neque enim timeo omnium oculis scribere, quidquid de hac re vobis in aure locutus sum.

#### CAPUT H.

*Purgat se S. Bernardus, et Ordinem Cluniacensium commendat*

4. Quis unquam me adversus Ordinem illum vel coram audivit disputantem, vel clam susurrantem? Quem unquam de Ordine illo nisi cum gaudio vidi, nisi cum honore suscepi, nisi cum reverentia allocutus, nisi cum humilitate adhortatus sum? Dixi, et dico: Modus quidem vite est sanctus, honestus, castitate decorus, discretionis præcipuus, a patribus institutus, a Spiritu sancto præordinatus, animabus salvandis non mediocriter idoneus. Egone vel damno, vel despicio, quem sic prædico? Memini me aliquando in aliquibus ejusdem Ordinis monasteriis hospitio susceptum fuisse: reddat Dominus servis suis humanitatem, quam infirmanti mihi ultra etiam quam necesse fuit, exhibuerunt; et honorem, quo me plus quocumque quam dignus fui, dignati sunt. Ipsorum me commendavi orationibus, interfui collationibus: sæpe et de Scripturis, et salute animarum habui sermonem cum multis, et publice in capitulis, et privatim in cameris. Quem unquam vel clam, vel palam aut ab illo Ordine dissuadere, aut ad nostrum ut veniret persuadere tentavi? An non potius multos cupientes venire repressi, venientes et pulsantes repulsi? Annon fratrem Nicolaum

ad Sanctum-Nicolaum (114), et vobis duos de vestris, vobis teste, remisi? Sed et duobus quibusdam ejusdem Ordinis abbatibus (115), quorum ne nomina prodam, ipsi eos optime nostis, et nihilominus quam amica mihi familiaritate jungantur, scitis: numquid non tamen ad alium Ordinem (quod et vos non latuit) migrare desiderantibus, jamjamque deliberantibus, nostrum eis dissuasorium consilium obviavit, ac ne suas desererent cathedras effecit? Cur igitur Ordinem damnare putor, vel dicor, cui amicos meos deservire suadeo, cui suos ad nos venientes monachos reddo, de quo et mihi orationes tam sollicite requiro, tam devote suscipio

### 529 CAPUT III.

*Varietatem religiosorum Ordinum non de opere præ iudicare vinculo charitatis.*

5. An forte quia juxta alium Ordinem conversari videor, propterea suspectus hinc habeor? Sed eadem ratione et vos nostro derogatis, quicumque aliter vivitis. Ergo et continentes, et conjuges invicem se damnare putentur, quod suis quique legibus in Ecclesia conversentur. Monachi quoque ac regulares clerici sibi invicem derogare dicantur, quia propriis ab invicem observantiis separantur. Sed et Noe, et Danielem, et Job in uno se regno pati non posse suspicemur, ad quod utique non eos uno tramite justitiæ cognovimus pervenisse. Mariam denique et Martham necesse sit aut utramque, aut alteram Salvatori displicere, cui nimirum tam dissimili studio devotionis contendunt ambæ placere. Et hac ratione in tota Ecclesia (quæ utique tam pluribus, tamque dissimilibus variatur ordinibus, utpote regina quæ in Psalmo legitur *circumamicta varietatibus* [Psal. XLIV, 10]), nulla pax, nulla prorsus concordia esse putabitur. Quæ etenim secura quies, quis tutus in ea status invenietur, si unus quilibet homo unum quemlibet Ordinem eligens, alios aliter viventes aut ipse aspernetur, aut se ab ipsis sperni suspicetur, præsertim cum tenere impossibile sit vel unum hominem omnes Ordines, vel unum Ordinem omnes homines? Non sum tam hebes, ut non agnoscam tunicam Joseph, non illius qui liberavit Ægyptum, sed qui salvavit mundum, et hoc non a fame corporis, sed a morte simul animæ et corporis. Notissima quippe est, quia polymita, id est pulcherrima varietate distincta; sed et sanguine apparet intincta, non quidem hædi, qui peccatum significat, sed agni, qui designat innocentiam, hoc est suo ipsius, non alieno. Ipse est profecto Agnus mansuetissimus, qui coram non quidem tondente, sed occidente se obmutuit; qui peccatum non fecit, sed abstulit peccata mundi. Miserunt autem qui dicerent ad Jacob: *Hanc invenimus; vide utrum tunica filii tui sit, an non* (Gen. xxxvii, 32). Vide et tu, Domine, utrum hæc sit tunica

A dilecti Filii tui. Recognosce, omnipotens Pater, eam quam fecisti Christo filio tuo polymitam, dando quidem quosdam apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios pastores et doctores, et cætera quæ in ejus ornatu mirifico decenter apposuit, ad consummationem utique sanctorum, occurrentium in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi (Ephes. iv, 11-15). Dignare etiam, Deus, pretiosissimi purpuram sanguinis quo aspersa est, recognoscere, et in purpura præclarum insigne ac gloriosissimum indicium obedientiæ. *Quare ergo, inquit, rubrum est vestimentum tuum? Torcular, ait, calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum* (Isa. LXIII, 2, 5).

B 6. Itaque quandoquidem factus est obediens Patri usque ad torcular crucis, quod utique solus calcavit; solum quippe brachium suum auxiliatum est ei, juxta illud in alio loco, *Singulariter sum ego, donec transeam* (Psal. cxi, 10). Jam ergo exalta eum, Deus, et da ei nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium et infernorum (Philipp. ii, 9, 10). Ascendat in altum, captivam ducat captivitatem, donet dona hominibus (Ephes. iv, 8). Quæ dona? Relinquat videlicet sponsæ suæ Ecclesiæ pignus hæreditatis, ipsam tunicam suam: tunicam scilicet polymitam, eandemque inconsutilem, et desuper contextam per totum; sed polymitam ob multorum Ordinum, qui in ea sunt, multimodam distinctionem: inconsutilem vero propter indissolubilis charitatis individuam unitatem. *Quis me, inquit, separabit a charitate Christi? (Rom. viii, 35.) Audi quomodo polymitam: Divisiones, ait, gratiarum sunt, idem autem Spiritus; et divisiones operationum sunt, idem vero Dominus.* Deinde diversis enumeratis charismatibus, tanquam variis tunicæ coloribus, quibus constet eam esse polymitam, ut ostendat etiam esse inconsutilem, et desuper contextam per totum, adjungit: *Hæc autem operatur* **530** *unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* (I Cor. xii, 4, 5). *Charitas quippe diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (Rom. v, 5). Non ergo dividatur, sed totam et integram hæreditario jure sortiaturo Ecclesia, quia et de illa scriptum est: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate* (Psal. XLIV, 10). Itaque diversi diversa accipientes dona, alius quidem sic, alius vero sic; sive Cluniacenses, sive Cistercienses, sive clerici regulares, sive etiam laici fideles, omnis denique Ordo, omnis lingua, omnis sexus, omnis ætas, omnis conditio, in omni loco, per omne tempus, a primo homine usque ad novissimum. Nam et propter hoc talaris dicta est, quod ad finem usque peringat, dicente propheta, *Non est qui se abscondat a calore ejus* (Psal. xviii, 7): nimirum congruens ei cui et

(114) Monasterium Sancti-Nicolai de Bosco, diocesis Laudunensis, cujus monachus Nicolaus, de quo epistola 84.

(115) Unus ex his duobus erat Guillelmus ipse, ex Bernardi epistola 86.

facta est, qui, perhibente videlicet alia Scriptura, A et ipse attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter (Sap. VIII, 1).

## CAPUT IV.

Se cæteros omnes Ordines charitate, unum professione tenere.

7. Omnes ergo concurramus pariter in unam tunicam, et ex omnibus constet una. Ex omnibus, inquam, una. Nam etsi ex pluribus et diversis, una est tamen columba mea, formosa mea, perfecta mea (Cantic. VI, 8). Alioquin nec ego solus, nec tu sine me, nec ille sine utroque: sed simul omnes sumus illa una, si tamen solliciti sumus servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Non, inquam, tantum Ordo noster, aut solus vester, ad illam pertinet unam, sed noster simul et vester: nisi forte (quod absit!) invicem invidentes, invicem provocantes, invicem mordeamus, et ab invicem consumamur (Galat. V, 15); et sic non possit nos Apostolus uni illi viro, cui despondit, virginem castam exhibere Christo (II Cor. XI, 2). Verumtamen illa una dicit in Canticis, Ordinavit in me charitatem (Cantic. II, 4): ut etsi una in charitate, divisa tamen sit ordinatione. Quid ergo? Cisterciensis sum: damno igitur Cluniacenses? Absit! sed diligo, sed prædico, sed magnifico. Cur ergo, inquis, Ordinem illum non tenes, si sic laudas? Audi. Propter hoc quod Apostolus ait: Unusquisque in ea vocatione, in qua vocatus est, permaneat (I Cor. VII, 20). Quod si quæris, cur et a principio non elegerim, si talem sciebam? respondeo: Propter id quod C rursus ait Apostolus: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt (I Cor. X, 22). Non quod scilicet Ordo sanctus et justus non sit: sed quia ego carnalis eram, venundatus sub peccato (Rom. VII, 14); et talem animæ meæ languorem sentiebam, cui fortior esset potio necessaria. Et diversis morbis diversa conveniunt medicamenta, et fortioribus fortiora. Fac duos homines febribus anxari, quartanis unum, alterum tertianis. Commendet autem qui quartanis laborat, tertiano aquam, pyra, et frigida quæque sumenda: cum tamen ab his ipse abstineat, vinumque et cætera calida, utpote sibi congruentia, sumat. Quis, rogo, hinc eum recte reprehendat? Si diceret ille, Cur tu aquam non bibis, quam ita laudas? annon recte responderet: Et tibi eam fideliter D tribuo, et mihi salubriter subtraho?

8. Denique requiratur [al. requiris] a me etiam, cur cum omnes Ordines laudem, omnes non teneo! Laudo enim omnes et diligo, ubicunque pie et juste vivitur in Ecclesia. Unum opere teneo, cæteros charitate. Faciet autem charitas (fidenter loquor) ut ne illorum quidem fructu frauder, quorum instituta non sequor. Plus aliquid dicam. Tu tibi caute age. Potest namque fieri quia frustra tu laboraveris: ut autem ego frustra diligam bonum quod operaris, fieri omnino non potest. O quanta fiducia charitatis! Alius operatur non amans, et alius amat nihil operans. Ille quidem suum opus perdit, illius vero charitas nunquam excidit. Et quid mirum, si in

hoc exsilio, peregrinante adhuc Ecclesia, quædam hujuscemodi sit pluralis, ut ita dixerim, unitas, unaque pluralitas: cum in illa quoque patria, quando jam ipsa regnabit, nihilominus fortetalis aliqua dispar quodammodo æqualitas futura sit? Inde etenim scriptum est: In domo Patris mei mansiones 531 multæ sunt (Joan. XIV, 2). Sicut itaque illic multæ mansiones in una domo; ita hic multi ordines sunt in Ecclesia una: et quomodo hic divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus (I Cor. XII, 4); ita ibi distinctiones quidem gloriarum, sed una domus. Porro unitas tam hic quam ibi, consistit in una charitate; diversitas autem hic quidem in ordinum vel operationum multifaria divisione: illic vero in quadam meritorum notissima, sed et ordinatissima distinctione. Intelligens denique Ecclesia hanc suam quodammodo discordem concordiam, concordemve discordiam: Deduxit me, inquit, super semitas justitiæ propter nomen suum (Psal. XXII, 5). Ponens quippe semitas pluraliter, et justitiæ singulariter; nec diversitatem prætermisit operationum, nec unitatem operantium. Prævidens quoque et illam in cælestibus discretam unitatem futuram, devotissime læta decantat: Plateæ tuæ, Jerusalem, sternentur auro mundo, et per omnes vicos tuos Alleluia cantabitur (Tob. XIII, 22). Audiens enim plateas et vicos, coronas et glorias diversas intellige. In auro, quo uno metallo illa civitas ornata describitur, et in uno Alleluia, quod cantandum perhibetur, dissimilium specierum similem pulchritudinem, et multarum mentium unam devotionem attende.

9. Non igitur una tantum semita inceditur, quia nec una est mansio quo tenditur. Viderit autem quisque quacumque incedat, ne pro diversitate semitarum ab una justitia recedat: quoniam ad quamlibet mansionem sua quisque semita pervenerit, ab una domo Patris exsors non erit. Verumtamen ut stella ab stella differt in claritate; sic erit, ait, et resurrectio mortuorum (I Cor. XV, 41, 42). Nam etsi fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum: alii tamen aliis amplius, pro diversitate meritorum. Quæ sane merita sciendum non sic in hoc sæculo, ut in illo, facile ab homine posse discerni: quippe cum hic tantum opera videantur, illic etiam corda nihil impediatur intueri. Siquidem radiante ubique Sole justitiæ, tunc manifesta erunt abscondita cordium (I Cor. IV, 5); et sicut non est nunc qui se abscondat a calore ejus (Psal. XVIII, 7), ita tunc non erit qui se occultet a splendore ipsius. Et de operibus quidem sæpe incerta, et ob hoc periculosa sententia fertur, cum multoties minus justitiæ habeant, qui magis operantur.

## CAPUT V.

Religiosos aliorum Ordinum æmulos et obtretractores acri stylo aggreditur.

10. Unde nunc mihi conveniendi sunt quidam de Ordine nostro, qui contra illam sententiam, Nolite ante tempus judica e, quoadusque veniat Dominus,

qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium (I Cor. iv, 5); aliis Ordinibus derogare dicuntur, et suam justitiam solam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti: quos profecto (si qui tamen hujuscemodi sunt) nec nostri, nec cujuscumque esse Ordinis verius dixerim; quippe qui etsi ordinate viventes, superbe tamen loquentes, cives se faciunt Babylonis, id est confusio- nis; imo filios tenebrarum, ipsiusque gehennæ, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat (Job. x, 22). Vobis ergo, inquam, fratres, qui etiam post auditam illam Domini de Pharisæo et Publicano pa- rabolam, de vestra justitia [al. de vestro instituto] præsumentes, cæteros aspernamini, dicitis (ut dici- tur) scilos vos hominum esse justos, aut omnibus sanctiores; solos vos monachorum regulariter vi- vere, cæteros vero Regulæ potius existere transgres- sores.

11. Primo quid ad vos de alienis servis? Suo do- mino stant, aut cadunt. Quis vos constituit iudices super eos? Deinde si ita, ut dicitur, de Ordine ve- stro præsumitis; qualis ordo est, ut antequam de suo quisque trabem ejiciat, in fratrum oculis tam curiose festucas perquirat? Qui in Regula gloria- mini, cur contra Regulam detrahitis? cur contra Evangelium, ante tempus, **532** et contra Aposto- lum, alienos servos judicatis? (Rom. xiv, 4.) An Re- gula non concordat Evangelio vel Apostolo? alio- quin Regula jam non est regula, quia non recta. Audite, et discite ordinem, qui contra ordinem aliis Ordinibus derogatis. *Hypocrita, inquit, ejice primum trabem de oculo tuo, et sic videbis ejicere festucam de oculo fratris tui (Matth. vii, 3-5).* Quæris quam tra- bem? annon grandis et grossa trabes est superbia, qua te putans esse aliquid, cum nihil sis, insanis- sime tibi tanquam sanus exsultas, et aliis vanissime, trabem portans, de festucis insultas? *Gratias, inquis, ago tibi, Deus, quia non sum sicut cæteri hominum, injusti, raptores, adulteri (Luc. xviii, 21): sequere ergo, et dic, Detractores.* Neque enim minima est hæc festuca inter cæteras. Quare cum tam diligen- ter alias enumeres, istam taces? Si pro nulla vel minima habes, audi Apostolum: *Neque maledici, ait, Regnum Dei possidebunt (I Cor. vi, 10).* Audi et Deum in Psalmo comminantem: *Arguam te, inquit, et sta- tuam contra faciem tuam (Psal. xlix, 21).* Quod quia detractori loquatur, certum est ex præcedentibus. Et quidem juste ad se retorquendus, et se compellendus est intueri, qui avertens faciem suam a se, aliena potius mala, quam sua solet curiosius per- scrutari.

#### CAPUT VI.

*Arguit temere judicantes, et calumniantes modum vivendi Cluniacensium.*

12. At, inquiunt, quomodo Regulam tenent, qui pellicis induuntur; sani carnibus, seu carni-um pin-

(116) Pinguetudinis seu adipis ex carnibus eliciti usum ad legumina condienda, qualibet die quondam apud Cluniacenses adhiberi solitum, temperavit

guedine vescuntur (116); tria vel quatuor pulmenta- ria una die quod Regula prohibet (Reg. S. Bene- dicti, cap. 39) admittunt; opus manuum, quod jubet (Ibid., cap. 48), non faciunt: multa denique pro li- bitu suo vel mutant, vel augent, vel minuunt? Recte. Non possunt hæc negari. Sed attendite in regulam Dei, cui utique non dissonat institutio sancti Bene- dicti. *Regnum Dei, inquit, intra vos est (Luc. xvii, 21),* hoc est, non exterius in vestimentis aut alimentis corporis, sed in virtutibus interioris hominis. Unde Apostolus, *Regnum Dei non est esca et potus, sed ju- stitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto (Rom. xiv, 17):* et rursus, *Regnum Dei non est in sermone, sed in virtute (I Cor. iv, 20).* De corporalibus itaque ob- servantiis fratribus calumniam struitis; et quæ ma- jora sunt regulæ, spiritualia scilicet instituta, relin- quitis, camelumque glutientes, culicem liquatis? Magna abusio! Maxima cura est, ut corpus regula- riter induatur, et contra regulam suis vestibus anima nuda deseritur. Cum tanto studio et tunica, et cu- culla corpori procurentur, quatenus cui deerunt, monachus non putetur: cur similiter spiritui pietas et humilitas, quæ profecto spiritualia indumenta sunt, non providentur? Tunicati et elati abhorremus pellicias! tanquam non melior sit pellibus involuta humilitas, quam tunicata superbia: præsertim cum et Deus tunicas pelliceas primis hominibus fecerit (Gen. iii, 21); et Joannes in eremo zona pellicea lumbos accinxerit (Matth. iii, 4); et ipse tunicatum institutor in solitudine, non tunicis, sed pellibus sese induerit. Repleti deinde ventrem faba, mentem su- perbia, cibus damnamus saginatos! quasi non melius sit exiguo sagimine ad usum vesci, quam ventoso legumine usque ad ructum exsaturari: præcipue cum et Esau non de carne, sed de lente sit reprehensus (Hebr. xii, 16); et de ligno Adam, non de carne damnatus (Gen. iii, 17); et Jonathas ex gustu mel- lis, non carnis, morti adjudicatus (I Reg. xiv, 29): econtra vero Elias innoxie carnem comederit (III Reg. xvii, 6); Abraham gratissime carnibus Angelos paverit (Gen. xviii, 7), et de ipsis sua fieri sacrificia Deus præceperit (Exod. xxix, 1). Sed et satius est modico vino uti propter infirmitatem, quam multa aqua ingurgitari per aviditatem: quia et Paulus Timotheo modico utendum vino consuluit (I Tim. v, 23); et Dominus ipse bibit, ita ut vini po- tator appellatus sit (Matth. xi, 19); Apostolis quo- que bibendum dedit; insuper et ex eo Sacramenta sui sanguinis condidit (Id. xxvi, 27): cum econtra- rio aquam ad nuptias bibi non passus sit (Joan. ii, 5-9), et ad aquas contradictionis **533** populi mur- mur terribiliter castigaverit (Num. xx); David quo- que aquam, quam desideraverat, potare timuerit (II Reg. xxiii, 16); virique illi Gedeonis, qui præ aviditate toto corpore prostrato de flumine biberunt, digni ad prælium ire non fuerint (Judic. vii, 5-7).

Petrus Venerabilis, interdicendo illum in feriis sextis statuto 10, et qualibet die Adventus, præter Domini- cam primam statuto 15.

Jam vero de labore manuum quid gloriamini, cum et Martha laborans increpata, et Maria quiescens laudata sit (*Luc. x, 41, 42*); et Paulus aperte dicat: *Labor corporis ad modicum valet, pietas autem ad omnia?* (*I Tim. iv, 8.*) Optimus labor, de quo propheta dicebat: *Laboravi in gemitu meo* (*Psal. vi, 7*): et de quo alibi, *Memor fui Dei, et delectatus sum, et exercitatus sum.* Ac ne corporale intelligas exercitium, *Et defecit, inquit, spiritus meus* (*Psal. lxxvi, 4*). Ubi autem non corpus, sed spiritus fatigatur, spiritualis procul dubio labor intelligitur.

## CAPUT VII.

*Spiritualis exercitatio fructuosior corporali.*

13. Quid ergo, inquis? Siccine illa spiritualia persuades, ut etiam hæc, quæ ex Regula habemus, corporalia damnes? Nequaquam: sed illa oportet agere, et ista non omittere. Alioquin cum aut ista omitti necesse est, aut illa; ista potius omittenda sunt, quam illa. Quanto enim spiritus corpore melior est, tanto spiritualis quam corporalis exercitatio fructuosior. Tu ergo cum de horum observatione elatus, aliis eadem non observantibus derogas, nonne te magis transgressorem Regulæ indicas, cujus licet minima quædam tenens, meliora devitas, de quibus Paulus: *Æmulamini, ait, charismata meliora?* (*I Cor. xii, 31.*) Detrahendo quippe fratribus, in quo temetipsum extollis, perdis humilitatem; in quo alios deprimis, charitatem: quæ sunt procul dubio charismata meliora. Tu tuum corpus multis et nimis laboribus atteris, ac regularibus asperitatibus mortificas membra tua quæ sunt super terram. Bene facis. Sed quid si ille quem similiter non laborantem dijudicas, modicum quidem habeat de hac, quæ ad modicum est utilis, corporali videlicet exercitatione; amplius autem quam tu de illa, quæ ad omnia valet, id est pietate? Quis, quæso, vestrum Regulam melius tenet? Annon melius qui melior? Quis vero melior, humilior an fatigatior? Annon is qui a Domino didicit mitis esse et humilis corde (*Matth. xi, 29*), qui et cum Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eo? (*Luc. x, 42.*)

14. Quod si Regulam ab omnibus qui eam professi sunt, sic ad litteram tenendam censes, ut nullam omnino dispensationem admitti patiaris, audacter dico, nec tu eam, nec ille tenetis. Nam etsi ille quantum quidem pertinet ad observationes corporeas, in pluribus offendit, impossibile est tamen te quoque vel in uno non transgredi. Scis autem quia in uno offendit, omnium est reus. Sin vero concedas aliqua posse mutari dispensatorie, procul dubio et tu illam tenes, et ille, quanquam dissimiliter: nam tu quidem districtius, at ille fortasse discretius. Neque hoc dico, quia hæc exteriora negligenda sint; aut qui se in illis non exercuerit, mox ideo spiritualis efficiatur: cum potius spiritualia (quamquam meliora) nisi per ista, aut vix, aut nullatenus vel acquirantur, vel obtineantur, sicut scriptum est, *Non prius quod spirituale, sed quod animale; deinde quod spirituale* (*I Cor. xv, 46*).

A Sicut nec Jacob, nisi prius cognita Lia, desideratos Rachelis amplexus meruit obtinere. Unde rursus in psalmo, *Sumite psalmum, et date tympanum* (*Psal. lxxx, 5*): quod est dicere, Sumite spiritualia, sed prius date corporalia. Optimus autem ille, qui discrete et congrue et hæc operatur, et illa.

15. Jam vero epistola, ut epistola remaneat, finienda erat, quando quidem et nostros (de quibus, pater, conquestus estis, quod Ordini vestro detraherent) satis, quantum potui, stylo corripui; et me quoque ab hujusmodi falsa suspitione purgavi, ut debui. Sed quoniam dum nostris minime parco, nonnullis de vestris nimium, in quibus non decet, videor assentire; pauca quæ et vobis displicere cognovi, et omnibus bonis vitanda esse non dubito, necessarium reor subjungere: **534** quæ quidem etsi fieri videntur in Ordine, absit tamen ut sint de Ordine! Nullus quippe ordo quidpiam recipit inordinatum: quod vero inordinatum est, ordo non est. Unde non adversum Ordinem, sed pro Ordine disputare putandus ero, si non Ordinem in hominibus, sed hominum vitia reprehendo. Et quidem diligentibus Ordinem in hac re molestum me fore non timeo: quinimo gratum procul dubio accepturi sunt, si persequimur quod et ipsi oderunt. Si quibus vero displicuerit, ipsi se manifestant; quia Ordinem non diligunt, cujus utique corruptionem, id est vitia, damnari nolunt. Ipsi itaque illud Gregorianum respondeo: « Melius est » ut scandalum oriatur, quam veritas relinquatur. » (*Homil. 7 in Ezech.*)

## CAPUT VIII.

*Cluniacensium vitia, virtutum nomine palliata, perstringit.*

16. Dicitur, et veraciter creditur, sanctos patres illam vitam instituisse; et ut in ea plures salvarentur, usque ad infirmos Regulæ temperasse rigorem, non Regulam destruxisse. Absit autem ut credam, tantas eos, quantas video in plerisque monasteriis, vanitates ac superfluitates præcepisse, vel concessisse. Miror etenim unde inter monachos tanta intemperantia in comessionibus et potationibus, in vestimentis et lectisterniis, et equitaturis, et construendis ædificiis inolescere potuit: quatenus ubi hæc studiosius, voluptuosius, atque effusius fiunt, ibi ordo melius teneri dicatur; ibi major putetur religio. Ecce enim parcitas putatur avaritia, sobrietas austeritas creditur, silentium tristitia reputatur. E contra remissio discretio dicitur; effusio, liberalitas; loquacitas, affabilitas; cachinnatio, jucunditas; molities vestimentorum et equorum fastus, honestas; lectorum superfluus cultus, munditia. Cumque hæc alterutrum impendimus, charitas appellatur. Ista charitas destruit charitatem, hæc discretio discretionem confundit. Talis misericordia crudelitate plena est, qua videlicet ita corpori servitur, ut anima juguletur. Quæ etenim charitas est, carnem diligere, et spiritum negligere? quæve discretio totum dare corpori, et animæ nihil? qualis vero misericordia, ancillam reficere, et dominam interficere? Ne-

mo pro hujusmodi misericordia speret se consequi misericordiam, quæ misericordibus promittitur in Evangelio, Veritatis ore dicentis, *Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur* (Matth. v, 7) : sed certissime potius pœnam expectet, quam tali, ut ita dicam, impio misericordi sanctus Job magis prophetizando, quam affectando imprecatur, *Non sit, inquit, in recordatione, sed conteratur quasi lignum infructuosum*. Dignæ plane retributionis causam mox subinfert satis idoneam, dicens : *Pavit enim sterilem, et quæ non parit, et viduæ non benefecit* (Job xlii, 20, 21).

17. Inordinata profecto atque irrationabilis misericordia est, sterilis et infructuosæ carnis (quæ juxta Domini verbum non prodest quidquam [Joan. vi, 64], et secundum Apostolum regnum Dei non possidebit [I Cor. xv, 50]) adimplendis invigilare desideriis, et de animæ cura Sapientis saluberrimum non curare consilium, admonentis atque dicentis : *Miserere animæ tuæ placens Deo* (Eccli. xxx, 24). Bona misericordia, misereri animæ tuæ; nec potest non mereri misericordiam, qua fit ut placeas Deo. Alias autem non est misericordia, sicut jam dixi, sed crudelitas; non est charitas, sed iniquitas; non discretio, sed confusio, sterilem quæ non parit pascere, id est, inutilis carnis concupiscentiis inservire; et viduæ nil boni facere, animæ videlicet excolendis virtutibus nullam operam dare. Quæ utique, licet Sponso interim sit viduata cœlesti, sensus tamen de Spiritu sancto concipere et parere non desinit immortales; qui videlicet incorruptibilis cœlestisque hæreditatis valeant esse capaces, sed si pium habeant studiosumque cultorem.

18. Sub hac tamen abusione jam fere ubique sic pro ordine tenentur, fere jam ita ab omnibus sine querela **535** atque irreprehensibiliter observantur; quanquam dissimiliter. Nonnulli quippe his omnibus tanquam non utentes utuntur; et ideo aut cum nulla offensa, aut cum minima. Aliquantum quippe hæc agunt ex simplicitate, aliquanti ex charitate, aliquanti ex necessitate. Quidam namque simpliciter ista tenent, quoniam sic eis præcipitur; parati aliter agere, si aliter præciperetur. Quidam autem ne discorditer vivant ab eis cum quibus habitant; sectantes in his, non suam libidinem, sed aliorum pacem. Alii vero, quia resistere non valent multitudini contradicentium, qui hæc utique tanquam pro Ordine libera voce defendunt; et quoties isti aliqua, prout ratio dictat, restringere vel mutare incipiunt illi, mox tota eis auctoritate resistunt.

#### CAPUT IX.

*Eorundem intemperantiam comparat cum antiquorum monachorum parcimonia.*

19. Quis in principio, cum Ordo cœpit monasticus, ad tantam crederet monachos inertiam devenire? O quantum distamus ab his qui in diebus Antonii exstiterunt monachi! Siquidem illi cum se invicem per tempus ex charitate reviserent, tanta ab invicem aviditate panem animarum percipiebant, ut corpo-

ris cibum penitus oblit, diem plerumque totum jejunis ventribus, sed non mentibus transigerent. Et hic erat rectus ordo, quando digniori parti prius inserviebatur: hæc summa discretio, cum amplius sumebat quæ major erat: hæc denique vera charitas, ubi animæ, quarum charitate Christus mortuus est, tanta sollicitudine refocillabantur. *Nobis autem convenientibus in unum, ut verbis Apostoli utar, jam non est dominicam cœnam manducare* (I Cor. xi, 20). Panem quippe cœlestem nemo est qui requirat, nemo qui tribuat. Nihil de Scripturis, nihil de salute agitur animarum; sed nugæ, et risus, et verba proferuntur in ventum. Inter prandendum quantum fauces dapibus, tantum aures pascuntur rumoribus: quibus totus intentus, modum nescias in edendo.

20. Interim autem fercula ferculis apponuntur: et pro solis carnibus, a quibus abstinetur, grandia piscium corpora duplicantur. Cumque prioribus fueris satiatus, si secundos attigeris, videberis tibi necdum gustasse priores [al. pisces]. Tanta quippe accurate et arte coquorum cuncta apparantur, quatenus quatuor aut quinque ferculis devoratis, prima non impediunt novissima, nec satietas minuat appetitum. Palatum quippe, dum novellis seducitur condimentis, paulatim dissuescere cognita, et ad succos extraneos, veluti adhuc jejunum, avide renovatur in desideria. Venter quidem, dum nescit [al. vescitur], oneratur, sed varietas tollit fastidium. Quia enim puras, ut eas natura creavit, epulas fastidimus, dum aliæ aliis multifarie permiscuntur, et spreis naturalibus, quos Deus indidit rebus, quibusdam adulterinis gula provocatur saporibus; transitur nimirum meta necessitatis, sed necdum delectatio superatur. Quis enim dicere sufficit, quot modis (ut cætera taceam) sola ova versantur et vexantur, quanto studio evertuntur, subvertuntur, liquantur, durantur, diminuuntur; et nunc quidem frixa, nunc assa, nunc farsa, nunc mistim, nunc singillatim apponuntur? Ut quid autem hæc omnia, nisi ut soli fastidio consulatur? Ipsa deinde qualitas rerum talis deforis apparere curatur, ut non minus aspectus, quam gustus delectetur: et cum jam stomachus crebris ructibus repletum se indicet, necdum tamen curiositas satiatur. Sed dum oculi coloribus, palatum saporibus illiciuntur, infelix stomachus, cui nec colores lucent, nec saporibus demulcent, dum omnia suscipere cogitur, oppressus magis obruitur quam reficitur.

21. Jam vero de aquæ potu quid dicam, quando ne **536** ullo quidem pacto vinum aquatum admittitur? Omnes nimirum, ex quo monachi sumus, infirmos stomachos habemus, et tam necessariam Apostoli de utendo vino consilium merito non negligimus, modico tamen, quod ille præmisit (I Tim. v, 23), nescio cur prætermisso. Et utinam vel solo, cum etiam purum est, contenti essemus! Pudet dicere, sed magis pudeat actitari; et, si pudeat audiri, non pudeat emendari. Videas uno in prandio ter, vel quater, semiplenum calicem reportari: quatenus diversis vinis magis odoratis, quam potatis, nec tam



haustis quam tactis, sagaci probatione et celeri cognitione unum tandem e pluribus, quod fortius sit, eligatur. Quale est autem illud, quod nonnulla monasteria ex more observare dicuntur, in magnis videlicet festis vina delibuta melle, pigmentorum respersa pulveribus (117), in conventu bibere? Nunquid et hoc fieri dicemus propter infirmitatem stomachi? Ego vero ad nihil aliud valere video, nisi ut vel amplius bibatur, vel delectabilius. Sed cum venæ fuerint vino ingurgitatae, toto in capite palpitantes, sic surgenti a mensa quid aliud libet, nisi dormire? Si autem ad vigilias surgere indigestum cogis, non cantum, sed planctum potius extorquebis.

22. Cum vero ad lectum devenero, requisitus incommodum plango, non crapulae peccatum, sed quod manducare non queo. Ridiculum vero (si tamen verum est) quod relatam est mihi a pluribus, qui hoc se pro certo scire dicebant, reticendum esse non arbitror. Aiunt enim incolumes ac validos juvenes conventum solere deserere; in domo se infirmorum, qui non sunt infirmi, collocare; carni-um esu (qui vix aegrotis duntaxat, et omnino debilibus ex Regulae discretionem pro virium reparatione conceditur [Reg. S. Benedicti, capp. 31, 39]) non quidem corporis infirmantis ruinas rescire pro incommodo, sed carnis luxuriantis curam perficere in desiderio (118). Rogo, quæ est hæc securitas, inter frendentium undique hostium fulgurantes hastas et circumvolantia spicula, tanquam finito jam bello et triumphato adversario, projicere arma, et aut prandiis incubare longioribus, aut nudum molli voluari in lectulo? Quid hoc ignaviae est, o boni milites? Sociis in sanguine et caede versantibus, vos aut cibos diligitis delicatos, aut somnos capitis matutinos? Aliis, inquam, nocte et die cura pervigili festinantibus redimere tempus, quoniam dies mali sunt; vos e contrario et longas noctes dormitando consumitis, et dies fabulando ducitis otiosos? An dicitis, Pax, et non est pax? cur vel non verecundamini ad exprobrationem apostolicæ indignationis? *Nondum enim, ait, restitistis usque ad sanguinem (Hebr. xii, 3).* Imo jam ad ejusdem terribilis valde comminationis tonitruum cur non expergiscimini? *Cum dixerint, inquit, Pax et securitas; tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habentis, et non effugient (I Thess. v, 3).* Delicata nimis medicina est, prius alligari quam vulnerari, membrum non percussum plangere, et necdum suscepto ictu admovere

(117) Pigmentorum ejusmodi usum sustulit Petrus statuto 11, præterquam in Cœna Domini.

(118) Et hoc correxit Petrus statuto 12. Sed legenda hac de re gravis ejusdem epistola, quæ est libri sexti epistola 15 ad Priores et Custodes Ordinis, in quo vehementior et severior Bernardo est in arguendo hoc perverso abusu.

(119) Petrus Venerabilis decernit statuto 16, ut nullus Fratrum pannis, qui dicuntur galabruni vel isembruni, vestiatur: cujus statuti hanc reddit rationem, quod multi nostrorum, inquit, non aliter quam sæculares homines, sericis variis vel grisiis vestium generibus se comebant. Itaque sericæ vestes erant subatri coloris. In codice Corbeiensi legitur rasen-

manum, fovere unguento ubi non dolet, emplastrum adhibere ubi cæsura non est.

23. Ad discernendum deinde inter sanos et male habentes, baculos in manibus portare jubentur ægro- tantes, plane necessarios: ut quam pallor in vultu, maciesque non indicat, baculus sustentans mentiatur invaletudinem. Ridendas, an lugendas dixerim hujusmodi ineptias? Sic Macarius vixit? sic Basilius docuit? sic Antonius instituit? sic patres in Ægypto conversati sunt? sic denique sancti Odo, Maiolus, Odilo, Hugo, quos se sui utique Ordinis principes et præceptores habere gloriantur, aut tenuerunt, aut teneri censuerunt? Sed hi omnes, si sancti, imo quia sancti fuerunt, a sancto Apostolo non dissen- serunt, qui nimirum ita loquitur: *Habentes victum et vestitum, his contenti sumus (I Tim. vi, 8).* Nobis autem est pro victu satietas, nec vestitum appetimus, sed ornatum.

### 537 CAPUT X.

*Vestium ornatum luxumque in eisdem persequitur.*

24. Quæritur ad induendum, non quod utilius, sed quod subtilius inveniatur: non quod repellat frigus, sed quod superbire compellat: non denique juxta Regulam, « quod vilius comparari potest » (Reg. S. Benedicti, cap. 55), sed quod venustius, imo vanius ostentari. Heu me miserum qualemcunque monachum! cur adhuc vivo videre ad id devenisse Ordinem nostrum, Ordinem scilicet qui primus fuit in Ecclesia, imo a quo cepit Ecclesia; quo nullus in terra similior angelicis ordinibus, nullus vicinior ei quæ in cœlis est: Jerusalem mater nostra, sive ob decorem castitatis, sive propter charitatis ardorem; cujus Apostoli institutores, cujus hi, quos Paulus tam sæpe sanctos appellat, inchoatores exstiterunt? Et quidem inter illos cum nihil quod suum esset quispiam retinisset, *dividebatur, ut scriptum est, singulis, prout cuique opus erat:* non igitur quod quisque pueriliter gestire [al. gestare] poterat. Sane ubi tantum quod opus erat accipiebatur, ibi nihil procul dubio otiosum admittebatur: quanto magis nihil curiosum? quanto magis nihil superbum? *Quod, inquit, opus erat; hoc est quantum ad indumenta, quod et nuditatem tegetet, et frigus repelleret.* Putasne ibi cuiquam galabrunum aut isembrunum (119) quærebatur ad induendum; cuiquam decentorum solidorum mula parabatur ad equitandum? Putasne, inquam, cuiuspiam ibi lectulum opertorium cattinum (120), aut discolor barricanus (121) operiebat, ubi

brunum.

(120) Ejusmodi etiam coopertoria ex cattinis pellibus peregrinis rescindit idem piissimus abbas statuto 17, concedens earum loco *putosiorum, seu resonum pelles:* cum antea Cluniacenses, *Gallicanorum cattorum pellibus contemptis, Numantinorum, seu, Zamorensium cattorum pellibus contexto coopertorio ad lectum uterentur.* Confer epistolam 1.

(121) Barricani item sublatis sunt statuto 18, ubi legitur, *ut nullus scarlatas, aut barrucanos, vel pretiosos burellos, qui Ratisponi fiunt, sive picta quolibet modo stramina habeat, sed solummodo cilicium, superjectis tantum duobus pannis albi et nigri coloris.* Mattæ erant versicolores a barria sic dictæ.

singulis dividebatur tantum, prout cuique opus erat? Non illic arbitror valde curatum fuisse de pretio, de colore, de cultu vestimentorum, ubi tam indefessum inerat studium in concordia morum, animorum cohærentia, profectuque virtutum. *Multitudinis*, inquit, *credentium erat cor unum, et anima una* (Act. iv, 32, 35).

25. Ubi nunc illud unanimi-tatis exercitium? Fusi sumus exterius, et de regno Dei quod intra nos est, relictis veris ac perennibus bonis, foris quærimus vanam consolationem de vanitatibus et insaniis falsis: ac jam religionis antiquæ non solum virtutem amisimus, sed nec speciem retinemus. Ecce enim ipse habitus noster (quod et dolens dico), qui humilitatis esse solebat insigne, a monachis temporis nostri in signum gestatur superbiæ. Vix jam in nostris provinciis invenimus, quo vestiri dignemur. Miles et monachus ex eodem panno partiuntur sibi cucullam et chlamydem. Quivis de sæculo, quantumlibet honoratus, etiamsi rex, etiamsi imperator ille fuerit, non tamen nostra horrebit indumenta, si suo sibi modo præparata fuerint et aptata.

26. Cæterum in habitu, inquis, non est religio, sed in corde. Bene. At tu quando cucullam empturus lustras urbes, fora circuis, percurris nundinas, domos scrutaris negotiatorum, cunctam evertis singulorum suppellectilem, ingentes explicas cumulos pannorum, attractas digitis, admoves oculis, solis apponis radio; quidquid grossum, quidquid pallidum occurrerit, respuis; si quid autem sui puritate ac nitore placuerit, illud mox quantumlibet pretio satagis tibi retinere: rogo te, ex corde facis hæc, an simpliciter? Cum denique contra Regulam, non quod vilius occurrerit, sed studiosissime quæris, quod quia rarius invenitur, pretiosius emitur; ignorans facis hæc, an ex industria? Ex cordis thesauro sine dubio procedit, quidquid **538** foris apparet vitiorum. Vanum cor vanitatis notam ingerit corpori; et exterior superfluitas interioris vanitatis indicium est. Mollia indumenta animi molliem indicant. Non tanto curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus.

#### CAPUT XI.

*De causa cur superiores subditorum vitia non corrigant. Luxum et splendidum prælatorum apparatus perstringit.*

27. Miror autem, cum Regula dicat, ad magistrum respicere quidquid a discipulis delinquitur (*Reg. S. Benedicti*, cap. 2); et Dominus per prophetam sanguinem in peccato morientium de manu pastorum requirendum esse minetur (*Ezech. iii, 18*), quomodo abbates nostri patiantur fieri talia; nisi forte (si audeam dicere) nemo fidenter reprehendit, in quo se esse irreprehensibilem non confidit. Siquidem humanitatis est omnium, in quo sibi quisque indulget, aliis non vehementer irasci. Dicam, dicam; præsumptuosus dicar, sed verum dicam. Quomodo lux

mundi obtenebrata est? quomodo sal terræ infatuum est? Quorum nobis vita, via vitæ debuit esse, dum exemplum in suis actibus ostendunt superbiæ, cæci facti sunt duces cæcorum. Quod enim (ut cætera taceam) specimen humilitatis est, cum tanta pompa et equitatu incedere, tantis hominum crinitorum stipari obsequiis; quatenus duobus episcopis unius abbatis multitudo sufficiat? Mentior, si non vidi abbatem sexaginta equos, et eo amplius in suo ducere comitatu (122). Dicam, si videas eos transeuntes, non patres esse monasteriorum, sed dominos castellorum; non rectores animarum, sed principes provinciarum. Tum deinde gestari jubentur mappulæ, scyphi, bacini, candelabra, et manticæ suffarcinatæ, non stramentis, sed ornamentis lectulorum. Vix denique quatuor leucis a sua quispiam domo recedit, nisi cum tota suppellectili sua, tanquam sit vel iturus ad exercitum, vel transiturus per desertum, ubi non valeant inveniri necessaria. Annon posset eodem vasculo et aqua manibus vergi, et vinum bibi? Annon posset ardens lucere lucerna, nisi in tuo quod portas candelabro, et hoc aureo, vel argenteo? Annon posset dormire, nisi super varium stratum, aut sub peregrino coopertorio? Annon unus aliquis minister posset et jumentum ligare, et ad mensam servire, et lectulum præparare? Nunc ergo tante multitudini garsionum ac jumentorum, cur, vel ad solatium mali, nobiscum non ferimus necessaria, quatenus hospites non gravemus?

#### CAPUT XII.

*Luxum et abusum in templis et oratoriis extruendis, ornandis, pingendis, arguit.*

28. Sed hæc parva sunt: veniam ad majora, sed ideo visa minora, quia usitata. Omitto oratoriorum immensas altitudines, immoderatas longitudines, supervacuas latitudines, sumptuosas depolitiones, curiosas depictiones: quæ dum orantium in se retorquent aspectum, impediunt et affectum, et mihi quodammodo repræsentant antiquum ritum Judæorum. Sed esto, fiant hæc ad honorem Dei. Illud autem interrogo monachus monachos, quod in gentilibus gentilis arguebat:

*Dicite* (ait ille), *pontifices, in sancto quid facit aurum?* (PERS. SAT. II, vers. 69.)

D Ego autem dico: Dicite, **539** pauperes: non enim attendo versum, sed sensum; dicite, inquam, pauperes, si tamen pauperes, in sancto quid facit aurum? Et quidem alia causa est episcoporum, alia monachorum. Scimus namque, quod illi sapientibus et insipientibus debitores cum sint, carnalis populi devotionem, quia spiritualibus non possunt, corporalibus excitant ornamentis. Nos vero qui jam de populo exivimus; qui mundi quæque pretiosa ac speciosa pro Christo reliquimus; qui omnia pulchre lucentia, canore mulcentia, suaveolentia, dulces sapientia, tactu placentia, cuncta denique oblectamenta corporea arbitrati *plusquam tres equitaturas, vel, si Prior Ordinis fuerit, quatuor.*

(122) Id de Sugerio abbate Dionysiano dictum putant ut ad epistolam 78. Petrus Venerabilis statutum edidit capite 40, ut nullus Priorum ducat secum

mus ut stercora, ut Christum lucrifaciamus : quorum, A quæso, in his devotionem excitare intendimus? Quem, inquam, ex his fructum requirimus? stultorum admirationem, an simplicium oblationem [al. oblectationem]? An quoniam commisti sumus inter gentes, forte didicimus opera eorum, et servimus adhuc sculptilibus eorum?

28. Et ut aperte loquar, an hoc totum facit avaritia, quæ est idolorum servitus, et non requirimus fructum, sed datum? Si quæris, quomodo? Miro, inquam, modo. Tali quadam arte spargitur æs, ut multiplicetur. Expenditur ut augeatur, et effusio copiam parit. Ipso quippe visu sumptuosarum, sed mirandarum vanitatum, accenduntur homines magis ad offerendum quam ad orandum. Sic opes opibus hauriuntur, sic pecunia pecuniam trahit : quia nescio quo pacto, ubi amplius divitiarum cernitur, ibi offertur libentius. Auro tectis reliquiis saginantur oculi, et loculi aperiuntur. Ostenditur pulcherrima forma sancti vel sanctæ alicujus, et eo creditur sanctior, quo coloratior. Currunt homines ad osculandum, invitantur ad donandum; et magis mirantur pulchra, quam venerantur sacra. Ponuntur dehinc in ecclesia gemmatae, non coronæ (123), sed rotæ, circumseptæ lampadibus, sed non minus fulgentes insertis lapidibus. Cernimus et pro candelabris arbores quasdam erectas, multo æris pondere, miro artificis opere fabricatas, nec magis coruscantes superpositis lucernis quam suis gemmis. Quid, putas, in his omnibus quæritur? pœnitentium compunctio, an intuentium admiratio? O vanitas vanitatum, sed non vanior quam insanior! Fulget ecclesia in parietibus, et in pauperibus eget. Suos lapides induit auro, et suos filios nudos deserit. De sumptibus egenorum servitur oculis divitum. Inveniunt curiosi quo delectentur, et non inveniunt miseri quo sustententur. Utquid saltem sanctorum imagines non reveremur, quibus utique ipsum, quod pedibus conculcatur, scætel pavementum? Sæpe spuitur in ore angeli, sæpe alicujus sanctorum facies calcibus tunditur transeuntium. Et si non sacris his imaginibus, cur vel non parcitur pulchris coloribus? Cur decoras quod mox fœdandum est? cur depingis quod necesse est conculcari? Quid ibi valent venustæ formæ, ubi pulvere maculantur assiduo? Denique D quid hæc ad pauperes, ad monachos, ad spirituales viros? Nisi forte et hic adversus memoratum jam poetæ versiculum propheticus ille respondeatur: *Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ* (Psal. xxv, 8). Assentio : patiamur et hæc fieri in ecclesia : quia etsi noxia sunt vanis et avaris, non tamen simplicibus et devotis.

29. Cæterum in claustris coram legentibus fratri-

(123) De ejusmodi coronis (quarum una superest apud Remos in S. Remigii ecclesia, 72 cereolos habens) statuit Petrus abbas sæpe laudatus, ut *magnæ illi coronæ, ex ære, auro, argentoque elegantissime compositæ, quæ in medio chori forti catena sustentata dependet, accensi cerei non imponantur*

bus quid facit illa ridicula monstruositas, mira quædam deformis formositas, ac formosa deformitas? Quid ibi immundæ simiæ? quid feri leones? quid monstruosi centauri? quid semihomines? quid maculosæ tigrides? quid milites pugnantes? quid venatores tubicinantes? Videas sub uno capite multa corpora, et rursus in uno corpore capita multa. Cernitur hinc in quadrupede cauda serpentis, illinc in pisce caput quadrupedis. Ibi bestia præfert equum, capram trahens retro dimidiam; 540 hic cornutum animal equum gestat posterius. Tam multa denique, tamque mira diversarum formarum ubique varietas apparet, ut magis legere libeat in marmoribus quam in codicibus, totumque diem occupare singula ista mirando, quam in lege Dei meditando. B Proh Deo! si non pudet ineptiarum, cur vel non piget expensarum?

### CAPUT XIII.

*Modos et media mutuæ charitatis et pacis fovendæ summam colligit, denique transfugas instabilitatis notat.*

30. Multa quidem et alia suggerebat addenda larga materia; sed avellit me et propria satis occupatio, et tua, frater Ogeri (124), nimis festina discessio, qui videlicet nec morari diutius acquiescis, nec abire tamen vis absque recenti opusculo. Facio itaque quod vis, et te dimitto, et sermonem brevior præsertim quia utiliora sunt pauca in pace, quam multa cum scandalo! Et utinam hæc pauca scripserim sine scandalo. Enimvero vitia carpens, scio me offendere vitiosos. Potest tamen fieri, volente Deo, C aliquibus quos me timeo exasperasse, potius placitum esse, sed si desinant esse vitiosi: si videlicet, et districtiores desinant esse detractores, et remissiores amputent superfluitates; si sic quisque bonum teneat quod tenet, ut alium aliud tenentem non judicet; si qui accepit jam esse bonus, non invidet melioribus; et qui sibi videatur agere melius, bonum non spernat alterius; si qui districtius vivere possunt, eos qui non possunt nec aspernentur, nec æmulentur; et qui non possunt, eos qui possunt sic mirentur, ut temere non imitentur. Sicut enim non licet his, qui majus aliquid forte voverunt, ad id quod minus est descendere, ne apostatentur: sic non omnibus expedit de bonis minoribus ad majora D transire, ne præcipitentur.

31. Scio quippe nonnullos de aliis et congregationibus, et institutionibus, ad nostrum Ordinem pervolasse, pulsasse, intrasse: qui hoc quidem agendo, et suis scandala reliquerunt, et nobis nihilominus attulerunt, dum quantum illos sua temeraria discessione, tantum nos turbarunt sua misera conversatione. Et quoniam superbe spreverunt quod tenebant, et temere præsumperunt quod non

*nisi in quinque præcipuis festis, etc. Minores coronas erzas vocat.*

(124) Is est Ogerius canonicus regularis, ad quem epistola 87 et sequentes. Ejusdem, itemque Guillelmi Sancti-Theoderici abbatis censuræ hunc librum subiecit Bernardus epistola 88.

valebant; digno Deo exitu eorum tandem patefecit ignaviam: quia et impudenter deseruerunt quod imprudenter arripuerant, et turpiter redierunt ad id quod leviter deseruerant. Cum enim claustra nostra suis potius Ordinis impatientia, quam desiderio nostri expetierint; ostendunt quod sunt, dum a vobis ad nos, a nobis ad vos instabili levitate pervolantes, et nobis, et vobis, et omnibus bonis scandalum faciunt. Quanquam ergo nonnullos eorum noverimus, qui et fortiter Deo auctore cœperunt, et ipso protectore fortius perseverant; securius est tamen ut perseveremus in bono quod cœpimus, quam quod

incipiamus ubi non perseveremus; et hoc pariter omnes studeamus, quo secundum Apostoli consilium *omnia nostra in charitate fiant* (I Cor. xvi, 14). Hæc est nostra de nostro, et de vestro Ordine sententia; hæc nostris et vestris, hæc non de vobis, sed vobis me solere dicere, nullus melius mihi testis erit quam vos, et si quis me novit sicut vos. Quæ in vestris laudabilia sunt, laudo et prædico: si quæ reprehendenda sunt, ut emendentur, vobis et aliis amicis meis suadere soleo. Hoc non est detractio, sed attractio. Quod ut nobis a vobis semper fiat, omnino precor et supplico. Valet.

## 541 ADMONITIO IN OPUSCULUM VI.

1. Liber subjectus in codicibus antiquis hunc præfert titulum, « Incipit prologus sancti Bernardi abbatis in libello ad Milites Templi: » et post prologum, « Incipiunt capitula de laude novæ Militiæ: » quæ omnino sunt tredecim, ut in editis nostris, ubi titulos ex mente auctoris retinimus. Liber iste a Gaufrido in libro tertio de Vita Bernardi, capite octavo, « Exhortatorius sermo ad Milites Templi » vocatur. « Quam vero fidelis, » inquit, « cujuslibet piæ conversationis commendator exstiterit et adjutor, exhortatorius ad Milites Templi Sermo declarat. » Ita ergo hujusce libri titulus institui potest: « Liber ad Milites Templi, de laude novæ Militiæ. »

2. « Hugoni » tamen « militi Christi et magistro Militiæ Christi » inscriptus est prologus: sed perinde est Magistro Militiæ, atque omnibus Militibus librum nuncupasse. Dicitur sunt Fratres Templi ex eo, quod concessu Balduini regis juxta Templum Domini primo consederint, teste Guillelmo archiepiscopo Tyrensi in libro duodecimo, capite septimo, ubi eorum originem describit ad annum 1118. « Eodem anno, » inquit, « quidam nobiles viri de equestri ordine, Deo devoti, religiosi, et timentes Deum, in manu domini patriarchæ Christi servitio se mancipantes, more canonicorum regularium, in castitate, et obedientia, et sine proprio, velle perpetuo vivere professi sunt. Inter quos primi et præcipui fuerunt viri venerabiles, Hugo de Paganis, et Gaufridus de Sancto-Aldemaro: quibus quoniam neque ecclesia erat, neque certum habebant domicilium, Rex in palatio, quod secus Templum Domini ad australem habet partem, eis ad tempus concessit habitaculum. Prima autem eorum professio, quodque eis a domino patriarcha et aliis episcopis in remissionem peccatorum injunctum est, ut vias et itinera, maxime ad salutem peregrinorum, contra latronum et incursantium insidias, pro viribus conservarent. » Hæc de Militum Templi origine, quibus primus Magister præfectus est prædictus Hugo de Paganis, quem idem Guillelmus Tyrensis magistrum militiæ Templi primum vocat in libri decimi tertii capite vigesimo sexto. « Hugoni sanctæ militiæ Priori » inscripta est Guigonis Carthusiæ præpositi epistola secunda. Iste est Hugo, cui Bernardus sequentem librum nuncupavit, distinguendus utique ab altero Hugone, qui ex comite Campaniæ miles Templi factus est, testante Bernardi epistola trigesima prima ipsi directa. Porro Hugoni de Paganis primo militiæ Magistro successit « miles eximius et in armis strenuus, nobilis carne et moribus, dominus Robertus, cognomine Burgundio, natione Aquitanicus, » et quidem sub annum 1136, ut colligitur ex Guillelmo Tyrensi in libri decimi quinti capite sexto, qui item de eodem agit initio libri decimi septimi. Roberto successit videtur Ebrardus, cui Petrus Venerabilis scribit epistolam, quæ est libri sexti epistola vigesima sexta.

542 3. Quo anno scriptus sit iste liber, non facile dixerim. Id factum constat Ordine jam plurimum aucto, et militum numero multiplicato. Bernardi verba hoc probant n. 10: « Hæc Jerosolymis actitantur, et orbis excitatur. Audiunt insulæ, et attendunt populi de longe, et ebulliunt ab Oriente et Occidente... Quodque cernitur jucundius, et agitur commodius, paucos admodum in tanta multitudine hominum illo confluere videas, nisi utique sceleratos, » etc. Atqui ante consilium Trecense, id est ante annum 1127, novem tantum erant ejus instituti Milites, ut ex Guillelmo mox videbimus. Vix ergo ante annum 1132, hic liber compositus dici potest, sed tamen ante annum 1136, quo fere anno Robertus magister Hugoni successit.

4. Templariorum Regulam ex codice Victorino typis mandavit Miræus, eamque Chronico Cisterciensi

inseruit, « utpote a sancto Bernardo, » inquit, « abbate Claræ-Vallensi, ut ex prologo patet, dictatam. » Regula hæc totidem capitulis, quot Regula sancti Benedicti, ex qua magna ex parte de verbo sumpta est, constat, id est capitulis septuaginta duobus. Sic vero inscribitur ante prologum : Regula pauperum commilitonum Christi Templique Salomonici. » Manricus ad annum 1128, cap. 2, hanc Regulam Bernardo auctori cum Miræo tribuit, ad idque probandum duo loca adduxit ex prologo. Primus locus sic habet : « Sane autem prorsus licet nostri dictaminis auctoritatem permaximus numerus religiosorum Patrum, qui in illo concilio divina admonitione convenerunt, commendat ; non debemus silenter transire, quibus videntibus et veras sententias proferentibus, ego Joannes Michaelensis præsentis paginae, jussu concilii ac venerabilis abbatis Claræ-Vallensis, cui creditum ac debitum hoc erat, humilis scriba esse divina gratia merui. » Verum hæc verba non significant ullam Regulam a Bernardo pro Templariis fuisse compositam : sed eum in Joannem Michaelensem rejecisse impositum sibi scribæ officium. Neque quidquam amplius conficitur ex sequentibus verbis, quæ post enumerationem Patrum Trecensis concilii hoc modo referuntur : « Ipse vero magister militiæ, Hugo nomine, revera non defuit, et quosdam de fratribus suis secum habuit, verbi gratia F. Godefridum F. Rovallum, F. Gaufridum Bisol, F. Paganum de Monte-Desiderii, Archembaudum de Sancto-Aniano. Iste vero magister Hugo cum istis discipulis modum et observantiam exiguæ inchoationis sui militaris Ordinis, qui ab illo qui dicit, *Ego principium qui et loquor vobis*, sumpsit exordium, juxta memoriæ suæ notitiam supra nominatis Patribus intimavit. Placuit itaque concilio, ut consilium ibi lima et consideratione divinarum Scripturarum diligenter examinatum, tamen cum providentia Papæ Romanorum ac Patriarchæ Jerosolymitarum, necnon etiam assensu capituli pauperum commilitonum templi quod est in Jerusalem, scripto commendaretur, et inenodabiliter servaretur. » Quibus verbis in tantum a Patribus sancitum fuisse intelligimus, ut Militibus Regula ex eorum consensu, consultis Romano Pontifice et Patriarcha Jerosolymitano, præscriberetur : sed Bernardus ejus auctor **543** nequaquam asseritur. Quinimo Albericus Ordinis Cisterciensis eisdem Militibus Regulam sancti Augustini impositam scribit. Unde in Monastico Anglicano ad Ordinem sancti Augustini revocantur. Permirum esset, si Albericus Trium-Fontium haud longe a Clara-Valle monachus Cisterciensis, hanc Bernardi Regulam ignorasset, et pro illa Militibus, qui ejus tempore supererant, aliam tribuisset. Guillelmus Tyrensis episcopus in jam dicti libri duodecimi capite septimo tradit, eisdem Militibus, qui ante concilium Trecense « non nisi novem erant, de mandato domini Honorii papæ et domini Stephani Jerosolymitani patriarchæ, fuisse institutam Regulam, et album habitum assignatum, » cum antea vulgari usi essent. « Postmodum vero tempore domini Eugenii papæ, ut dicitur, cruces de panno rubeo mantellis suis cœperunt assuere, » tam equites, « quam eorum Fratres qui dicuntur Servientes. Quorum res adeo crevit in immensum, ut hodie, » inquit Guillelmus, « trecentos plus minusve in conventu habeant equites, albis chlamydibus indutos, exceptis Fratribus. » Ex his postremis verbis conjicimus, Regulam illam, quæ Bernardo auctori tribuitur, non nisi post Guillelmum Tyrensem scriptam fuisse : quandoquidem in capite vigesimo primo notantur quidam « pseudofratres ex Ultramontanis partibus, mentientes se esse de Templo ; » et quædam apud ipsos Milites « sine discretionem ac consilio communis capituli succrevisse penitus amputanda » arguuntur, nempe quod « habebant olim famuli et armigeri alba vestimenta, unde veniebant damna importabilia, » Nullum vero capitulum generale Templariorum fuit ante concilium Trecense : nullus antea peculiaris Militum habitus, sed vulgaris. Albus eis concessus est a Patribus concilii, exceptis Servientibus. Plane vel ex his solis verbis intelligitur, hoc saltem capitulum longe post tempus concilii fuisse adscriptum. Capitulum septimum « standum divinum officium audiri » non solum non laudat, sed etiam vituperat, statuitque audiri sedendo : quod sane statutum in Bernardi mentem non venisset. In capitulo quinquagesimo sexto statuitur, « ut amplius sorores non habeantur : » quod arguit non fuisse recens institutum. An Joannes Michaelensis istius Regulæ auctor sit aliis judicandum relinquo. Illud in ea observatum non indignum, quod « collatio » pro cœnula jejuniorum usurpatur in capite decimo sexto.

# S. BERNARDI ABBATIS

## DE LAUDE NOVÆ MILITIÆ

### AD MILITES TEMPLI

#### LIBER.

#### 544 PROLOGUS.

HUGONI militi Christi, et magistro Militiæ Christi, BERNARDUS Claræ-Vallis solo nomine abbas, bonum certamen certare.

Semel, et secundo, et tertio, ni fallor, petisti a me, Hugo charissime, ut tibi tuisque commilitonibus scriberem exhortationis sermonem; et adversus hostilem tyrannidem, quia lanceam non liceret, stylum vibrarem: asserens vobis non parum fore adjutorii, si quos armis non possum, litteris animarem. Distuli sane aliquandiu: non quod contemnenda videretur petitio, sed ne levis præcepsque culparetur assensio, si quod melius melior implere sufficeret, præsumerem imperitus, et res admodum necessaria per me minus forte commoda redderetur. Verum videns me longa satis hujusmodi expectatione frustratum, ne jam magis nolle, quam non posse viderer, tandem ego quidem quod potui feci: lector judicet, an satisfeci. Quanquam etsi cui forte aut minime placeat, aut non sufficiat; non tamen interest mea, qui tuæ pro meo sapere non defui voluntati.

#### CAPUT PRIMUM.

##### *De laude novæ militiæ*

1. Novum militiæ genus ortum nuper auditur in terris, et in illa regione, quam olim in carne præsens visitavit Oriens ex alto: ut unde tunc in fortitudine manus suæ tenebrarum principes exturbavit, inde et modo ipsorum satellites, filios diffidentiae, in manu fortium suorum dissipatos exterminet, faciens etiam nunc redemptionem plebis suæ, et rursus erigens cornu salutis nobis in domo David pueri sui. Novum, inquam, militiæ genus, et sæculis inexpertum: qua gemino pariter conflictu infatigabiliter decertatur, tum adversus carnem et sanguinem, tum contra spiritualia nequitiae in cœlestibus (125). Et quidem ubi solis viribus corporis corporeo fortiter hosti resistitur, id quidem ego tam non judico mirum, quam nec rarum existimo. Sed et quando animi virtute vitiis sive dæmoniis bellum indicitur, ne hoc quidem mirabile, etsi laudabile dixerim, cum plenus monachis cernatur mundus. Cæterum cum uterque homo suo quisque gladio potenter accingitur, suo

A cingulo nobiliter insignitur; quis hoc non æstimet omni admiratione dignissimum, quod adeo liquet esse insolitum? Impavidus profecto miles, et omni ex parte securus, qui ut corpus ferri, sic animum fidei lorica induitur. Utrisque nimirum munitus armis, nec dæmonem timet, nec hominem. Nec vero mortem formidat, qui mori desiderat. Quid enim vel vivens, vel moriens metuat, cui vivere Christus est, et mori lucrum? Stat quidem fidenter libenterque pro Christo; sed magis cupit dissolvi, et esse cum Christo: hoc enim melius. Securi igitur procedite, milites, et intrepido animo inimicos crucis Christi propellite, certi quia neque mors, neque vita poterunt vos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu; illud sane vobiscum in omni periculo replicantes: *Sive vivimus, sive morimur, Domini sumus* (Rom. xiv, 8). Quam gloriosi revertuntur victores de prælio! quam beati moriuntur martyres in prælio! Gaude, fortis athleta, si vivis et vincis in Domino: sed magis exulta et gloriare, si moreris et jungeris Domino. Vita quidem fructuosa, et victoria gloriosa: sed utrique mors sacra jure præponitur. Nam si beati qui in Domino moriuntur, num multo magis qui pro Domino moriuntur?

2. Et quidem sive in lecto, sive in bello quis moritur, pretiosa erit sine dubio in conspectu Domini mors sanctorum ejus. Cæterum in bello tanto profecto pretiosior, quanto et gloriosior. O vita segura, ubi pura conscientia! O, inquam, vita segura, ubi absque formidine 545 mors expectatur, imo et exoptatur cum dulcedine, et excipitur cum devotione! O vere sancta et tuta militia, atque a duplici illo periculo prorsus libera, quo id hominum genus solet, frequenter periclitari, ubi duntaxat Christus non est causa militandi. Quoties namque congredieris tu, qui militiam militas sæcularem, timendum omnino, ne aut occidas hostem quidem in corpore, te vero in anima: aut forte tu occidaris ab illo, et in corpore simul, et in anima. Ex cordis nempe affectu, non belli eventu, pensatur vel periculum, vel victoria christiani. Si bona fuerit causa pugnantis, pugnae exitus malus exitus esse non poterit; sicut nec bonus judicabitur finis, ubi causa non bona, et intentio

(125) Petrus Venerabilis eadem fere habet in lib. vi, epistola 26. *Quis non lætetur, inquit, quis non exsultet, processisse vos, non ad simplicem, sed ad*

*duplicem conflictum, etc. Estis monachi virtutibus, milites actibus.*

non recta præcesserit. Si in voluntate alterum occidendi te potius occidi contigerit, moreris homicida. Quod si prævalet, et voluntate superandi vel vindicandi forte occidis hominem, vivis homicida. Non autem expedit sive mortuo, sive vivo; sive victori, sive victo, esse homicidam. Infelix victoria, qua superans hominem, succumbis vitio. Et ira tibi aut superbia dominante, frustra gloriaris de homine superato. Est tamen qui nec ulciscendi zelo, nec vincendi typho, sed tantum evadendi remedio interficit hominem. Sed ne hanc quidem bonam dixerim victoriam: cum de duobus malis, in corpore quam in anima mori levius sit (126). Non autem quia corpus occiditur, etiam anima moritur: sed anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.

## CAPUT II.

*De militia sæculari.*

5. Quis igitur finis fructusve sæcularis hujus, non dico, militiæ, sed malitiæ; si et occisor letaliter peccat, et occisus æternaliter perit? Enimvero, ut verbis utar Apostoli, *Et qui arat, in spe debet arare; et qui triturat, in spe fructus percipiendi* (1 Cor. ix, 10). Quis ergo, o milites, hic tam stupendus error, quis furor hic tam non ferendus, tantis sumptibus ac laboribus militare, stipendiis vero nullis, nisi aut mortis, aut criminis? Operitis equos sericis, et pendulos nescio quos panniculos lorice superinduitis; depingitis hastas, clypeos et sellas; frena et calcaria auro et argento, gemmisque circumornatis (127): et cum tanta pompa pudendo furore et impudenti stupore ad mortem properatis. Militaria sunt hæc insignia, an muliebria potius ornamenta? Numquid forte hostilis mucro reverebitur aurum, gemmis parcat, serica penetrare non poterit? Denique, quod ipsi sæpius certiusque experimini, tria esse præcipue necessaria prælianti, ut scilicet strenuus industriusque miles et circumspectus sit ad se servandum, et expeditus ad discurrendum, et promptus ad feriendum: vos per contrarium in oculorum gravamen femineo ritu comam nutritis, longis ac profusis camisiis propria vobis vestigia obvolvitis, delicatas ac teneras manus amplis et circumfluentibus manicis sepelitis. Super hæc omnia est, quod armati conscientiam magis terret, causa illa nimirum satis levis ac frivola, qua videlicet talis præsumitur et tam periculosa militia. Non sane inter vos aliud bella movet, litesque suscitatur, nisi aut irrationabilis iracundiæ motus, aut inanis gloriæ appetitus, aut terrenæ qualiscunque possessionis cupiditas. Talibus certe ex causis neque occidere, neque occumbere tutum est.

(126) Bernardus itaque cum Augustino et Ambrosio censet, citra animæ dispendium non licere, ut quis se ipsum defendendo aggressorem interimat. Confer librum de Præcepto et Dispensatione num. 13. Insignis est hac de re epistola 60 Hildeberti episcopi Cenomannensis, de sacerdote qui latronem occiderat. Ambrosii locus est in lib. iii, De officiis, cap. 4. Augustini lib. 1 De libero arbitrio cap. 5, et lib. 22 Contra Faustum cap. 74, tum etiam in epistola

## 546 CAPUT III.

*De Militibus Christi.*

4. At vero Christi milites securi præliantur prælia Domini sui, nequaquam metuentes aut de hostium cæde peccatum, aut de sua nece periculum: quandoquidem mors pro Christo vel ferenda, vel inferenda, et nihil habeat criminis (128), et plurimum gloriæ mereatur. Hinc quippe Christo, inde Christus acquiritur: qui nimirum et libenter accipit hostis mortem pro ultione, et libentius præbet se ipsum militi pro consolatione. Miles, inquam, Christi securus interimat, interit securior. Sibi præstat cum interit, Christo cum interimat. Non enim sine causa gladium portat. Dei etenim minister est ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. Sane cum occidit malefactorem, non homicida, sed, ut ita dixerim, malicida, et plane Christi vindex in his qui male agunt, et defensor Christianorum reputatur. Cum autem occiditur ipse, non periisse, sed pervenisse cognoscitur. Mors ergo quam irrogat, Christi est lucrum: quam excipit, suum. In morte pagani christianus gloriatur, quia Christus glorificatur: in morte christiani, Regis liberalitas aperitur, cum miles remunerandus educitur. Porro super illo lætabitur justus cum viderit vindictam. De isto dicet homo: *Si utique est fructus justo: utique est Deus judicans eos in terra* (Psal. LVII, 12). Non quidem vel Pagani necandi essent, si quo modo aliter possent a nimia infestatione seu oppressione fidelium cohiberi. Nunc autem melius est ut occidantur, quam certe relinquatur virga peccatorum super sortem justorum: ne forte extendant justi ad iniquitatem manus suas.

5. Quid enim? si percutere in gladio omnino fas non est Christiano, cur ergo præco Salvatoris contentos fore suis stipendiis militibus indixit (Luc. III, 14); et non potius omnem eis militiam interdixit? Si autem (quod verum est) omnibus fas est, ad hoc ipsum duntaxat divinitus ordinatis, nec aliud sane quidquam melius professis; quibus, quæso, potius, quam quorum manibus et viribus urbs fortitudinis nostræ Sion pro nostro omnium munimine retinetur? ut depulsis divinæ transgressoribus legis, secura ingrediatur gens justa, custodiens veritatem. Secure proinde dissipentur gentes quæ bella volunt, et abscindantur qui nos conturbant, et disperdantur de civitate Domini omnes operantes iniquitatem, qui repositas in Jerosolymis christiani populi inestimabiles divitias tollere gestiunt, sancta polluere, et hæreditate possidere sanctuarium Dei. Exeratur

ad Publicolam.

(127) Id cavet, capite 38, Regula Templariorum. *Tegimen autem in clypeis et hastis, surrentis et in lanceis non habeatur*, etc. Aurum vero et argentum in frenis et calcaribus eadem rejicit, cap. 37.

(128) Hinc Joannes Saresberiensis in Polycratici lib. 7, cap. 21, de fratribus Templi agens: *Pene soli, inquit, inter homines legitima gerunt bella.*

gladius uterque fidelium (128 \*) in cervices inimicorum, ad destruendam omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, quæ est christianorum fides; *ne quando dicant gentes: ubi est Deus eorum?* (Psal. cxiii, 2.)

6. Quibus expulsis revertetur ipse in hæreditatem domumque suam, de qua iratus in Evangelio, *Ecce, inquit, relinquetur vobis domus vestra deserta* (Matth xxiii, 38); et per prophetam ita conqueritur, *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam* (Jerem. xii, 7): implebitque illud propheticum, *Redemit Dominus populum suum, et liberavit eum: et venient et exsultabunt in monte Sion, et gaudebunt de bonis Domini* (Jerem. xxxi, 11, 12). Lætare, Jerusalem, et cognosce jam tempus visitationis tuæ. Gaudete et laudate simul, deserta Jerusalem, quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Jerusalem; paravit Dominus brachium suum sanctum in oculis omnium gentium. Virgo Israel, corrueras, et non erat qui sublevaret te. Surge jam, excutere de pulvere, virgo, captiva filia Sion. Surge, inquam, et sta in excelso, et vide jucunditatem quæ venit tibi a Deo tuo. Non vocaberis ultra **547** derelicta, et terra tua non vocabitur amplius desolata, quia complacuit Domino in te, et terra tua inhabitabitur. *Leva in circuitu oculos tuos et vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Hoc tibi auxilium missum de sancto. Omino per istos tibi jamjamque illa persolvitur antiqua promissio, Ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generatione et generationem, et suges lac gentium, et mammilla regum lactaberis* (Isa. lx, 15, 16): et item, *Sicut mater consolatur filios suos, ita et ego consolabor vos, et in Jerusalem consolabimini* (Isa. lxxvi, 13). Videsne quam crebra veterum attestazione nova approbatur militia, et quod sicut audivimus, sic videmus in civitate Domini virtutum? Dummodo sane spiritualibus non præjudicet sensibus litteralis interpretatio, quominus scilicet speremus in æternum, quidquid huic tempori significando ex Prophetarum vocibus usurpamus: ne per id quod cernitur, evanescat quod creditur; et spei copias imminuat penuria rei, præsentiumque attestatio sit evacuatio futurorum. Alioquin terrenæ civitatis temporalis gloria non destruit cœlestia bona, sed astruit; si tamen istam minime dubitamus illius tenere figuram, quæ in cœlis et mater nostra.

militantium, dicamus breviter Christi equitum mo-

#### CAPUT IV.

##### *De conversatione Militum Christi.*

7. Sed jam ad imitationem seu ad confusionem nostrorum militum, non plane Deo, sed diabolo

(128 \*) Spiritualis scilicet ac materialis: de utroque epistola 256, et libro iv De consideratione, cap. 3, n. 7.

(129) Scriptus nonnullis, *cacos*, vulgo *échecs*, qui ludus ita dictus est sive a voce Arabica vel Persica *scach*, quæ regem sonat, quæ præcipua est eo in ludo persona: sive a Germanico *schuch*, id est latrone seu latrunculo, unde latruncularum ludus;

A res et vitam; qualiter in bello domive conversentur: quo palam fiat, quantum ab invicem differant Dei sæculique militia. Primo quidem utrolibet disciplina non deest, obedientia nequaquam contemnitur, quia, teste Scriptura, et *filius indisciplinatus peribit* (Eccli. xxii, 3); et, *peccatum est hariolandi repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere* (I Reg. xv, 25). Itur, et reditur ad nutum ejus qui præest: induitur quod ille donaverit; nec aliunde vestimentum seu alimentum præsumitur. Et in victu et vestitu cavetur omne superfluum, soli necessitati consulitur. Vivitur plane in communi jucunda et sobria conversatione, absque uxoribus, et absque liberis. Et ne quid desit ex evangelica perfectione absque omni proprio habitant unius moris in domo una, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Dicas universæ multitudinis esse cor unum, et animam unam: ita quisque non omnino propriam sequi voluntatem, sed magis obsequi satagit imperanti. Nullo tempore aut otiosi sedent, aut curiosi vagantur: sed semper dum non procedunt (quod quidem raro contingit), ne gratis comedant panem, armorum seu vestimentorum vel scissa resarciunt, vel vetusta rescipiunt, vel inordinata componunt, et quæque postremo faciendæ magistri voluntas et communis indicit necessitas. Persona inter eos minime accipitur: defertur meliori, non nobiliori. Honore se invicem præveniunt; alterutrum cœra portant, ut sic adimpleant legem Christi. Verbum insolens, opus inutile, risus immoderatus, murmur vel tenve, sive susurrium nequaquam, ubi deprehenditur, relinquitur inemendatum. Scacos (129) et aleas detestantur; abhorrent venationem: nec ludicra illa avium rapina (ut assolet) delectantur (130). Mimos, et magos, et fabulatores, scurrilesque cantilenas, atque ludorum spectacula, tanquam vanitates et insanias falsas respiciunt et abominantur. Capillos tondent (131), scientes juxta Apostolum ignominiam esse viro, si comam nutrierit. Nunquam compti, raro loti, magis autem neglecto crine hispidi, pulvere fœdi: lorica et caumate fuscii.

8. Porro imminente bello, intus fide, foris ferro, non auro se muniunt: quatenus armati, et non ornati, **548** hostibus metum incutiunt, non provocent avaritiam. Equos habere cupiunt fortes et veloces, non tamen coloratos aut phaleratos: pugnam quippe, non pompam, victoriam, sed non gloriam cogitantes, et studentes magis esse formidini quam admirationi. Deinde non turbulenti aut impetiosi, et quasi ex levitate præcipientes, sed consulte atque cum omni cautela et providentia se ipsos ordinantes, et disponentes in aciem, juxta quod de patribus scriptum est. Veri profecto Israelitæ procedunt ad bella pa-

qua de re vide Glossarium Cangianum et Polycratium Joannis Saresberienensis, lib. i, cap. 5.

(130) Id patet ex Regulæ capitibus 46 et 47. In priori enim venatio cum ave, in posteriori percussio feræ arcu vel balista interdicitur.

(131) Hujus rei statutum legitur in Regulæ Templariorum capitibus 28 et 29.



ciffici. At vero ubi ventum fuerit ad certamen, tum demum pristina lenitate postposita, tanquam si dicerent, *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam?* (Psal. cxxxviii, 21.) irruunt in adversarios, hostes velut oves reputant; nequaquam, etsi paucissimi, vel sævam barbariem, vel numerosam multitudinem formidantes. Noverunt siquidem non de suis præsumere viribus, sed de virtute Domini sabaoth sperare victoriam: cui nimirum facile esse confidunt, juxta sententiam Machabæi, concludi multos in manus paucorum, et non esse differentiam in conspectu Dei cœli liberare in multis, et in paucis; quia non in multitudine exercitus est victoria belli, sed de cœlo fortitudo est (I Macchab. iii, 18, 19). Quod et frequentissime experti sunt, ita ut plerumque quasi persecutus sit unus mille, et duo fugarint decem millia. Ita denique miro quodam ac singulari modo cernuntur et aguis mitiores, et leonibus ferociores, ut pene dubitem quid potius censeam appellandos, monachos videlicet, an milites: nisi quod utrumque forsan congruentius nominarim, quibus neutrum deesse cognoscitur, nec monachi mansuetudo, nec militis fortitudo. De qua re quid dicendum, nisi quod a Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris? Tales sibi elegit Deus, et collegit a finibus terræ ministros ex fortissimis Israel, qui veri lectulum Salomonis, sacrum scilicet sepulcrum, vigilantiter fideliterque custodiant, omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi [al. fortissimi].

#### CAPUT V.

##### De Templo.

9. Est vero templum Jerosolymis, in quo pariter habitant, antiquo et famosissimo illi Salomonis impar quidem structura, sed non inferius gloria. Siquidem universa illius magnificentia in corruptibilibus auro et argento, in quadratura lapidum et varietate lignorum continebatur: hujus autem omnis decor, et gratæ venustatis ornatus, pia est habitantium religiositas, et ordinatissima conversatio. Illud variis existit spectandum coloribus: hoc diversis virtutibus et sanctis actibus venerandum. Domum quippe Dei decet sanctitudo (Psal. xcii, 5), qui non tam politis marmoribus, quam ornatis moribus delectatur, et puras diligit mentes super auratos parietes (132). Ornatur tamen hujus quoque facies templi, sed armis, non gemmis: et pro antiquis coronis aureis, circum pendentibus clypeis paries operitur; pro candelabris, thuribulis, atque urceolis, domus undique frenis, sellis, ac lanceis communitur. Plane his omnibus liquido demonstrantibus, eodem pro domo Dei fervere milites zelo, quo ipse quondam militum Dux vehementissime inflammatus armata illa sanctissima manu, non tamen ferro, sed flagello, quod fecerat de resticulis [al. funiculis], introivit in templum, negotiantes expulit, nummulariorum effudit æs, et cathedras vendentium colum-

(132) Ita codex Colbertinus: alii, *puras magis diligit mentes, quam supra auratos parietes.*

bas evertit (Joan. ii, 15): indignissimum judicans, orationis domum hujusmodi forensibus incestari [al. infestari]. Tali proinde sui Regis permotus exemplo devotus exercitus, multo sane indignius, longeque intolerabilius arbitrans sancta pollui ab infidelibus, quam a mercatoribus incestari, in domo sancta 549 cum equis et armis commoratur; tanque ab ipsa, quam a cæteris sacris omni infidelitatis spurca et tyrannica rabie propulsata, ipsi in ea die noctuque tam honestis quam utilibus officiis occupantur. Honorant certatim Dei templum sedulis et sinceris obsequiis, jugi in eo devotione immolantes, non quidem veterum ritu pecudum carnes, sed vere hostias pacificas, fraternam dilectionem, devotam subjectionem, voluntariam paupertatem.

B 10. Hæc Jerosolymis actitantur, et orbis excitatur. Audiunt insulæ, et attendunt populi de longe, et ebulliunt ab Oriente et Occidente, tanquam torrens inundans gloriæ gentium, et tanquam fluminis impetus lætificans civitatem Dei. Quodque cernitur jucundius, et agitur commodius, paucos admodum in tanta multitudine hominum illo confluere videas, nisi utique sceleratos et impios, raptores et sacrilegos, homicidas, perjuros, adulteros; de quorum profecto perfectione sicut duplex quoddam constat provenire bonum, ita duplicatur et gaudium; quandoquidem tam suos de suo discessu lætificant, quam illos de adventu quibus subvenire festinant. Prosunt quippe utrobique, non solum utique istos tuendo, sed etiam illos jam non opprimendo. Itaque C lætatur Ægyptus in protectione eorum, cum tamen de protectione eorum nihilominus lætetur mons Sion, et exsultent filiæ Judæ. Illa quidem se de manu eorum, ista magis in manu eorum liberari se merito gloriatur. Illa libenter amittit crudelissimos sui vastatores: ista cum gaudio suscipit sui fidelissimos defensores; et unde ista dulcissime consolatur, inde illa æque saluberrime desolatur. Sic Christus, sic novit ulcisci in hostes suos, ut non solum de ipsis, sed per ipsos quoque frequenter soleat tanto gloriosius, quanto et potentius triumphare. Jucunde sane et commode: ut quos diu pertulit oppugnatores magis jam propugnatores habere incipiat; faciatque de hoste militem, qui de Saulo quondam persecutore fecit Paulum prædicatorem (Act. ix). Quamobrem non miror, si etiam superna illa curia, juxta testimonium Salvatoris, exsultat magis super uno peccatore poenitentiam agente, quam super plurimis justis qui non indigent poenitentia, dum peccatoris et maligni tantis procul dubio prosit conversio, quantis et prior nocuerat conversatio.

D 11. Salve igitur, civitas sancta, quam ipse sanctificavit sibi tabernaculum suum Altissimus, quo tanta in te et per te generatio salvaretur. Salve, civitas Regis magni, ex qua nova et jucunda mundo miracula nullis pene temporibus defuere ab initio. Salve, domina gentium, princeps provinciarum, Patriarcharum possessio, Prophetarum mater et Apo-

stolorum, initiatrix fidei, gloria populi christiani, quam Deus semper a principio propterea passus est oppugnari, ut viris fortibus sicut virtutis, ita fores occasio et salutis. Salve, terra promissionis, quæ olim fluens lac et mel tuis duntaxat habitatoribus, nunc universo orbi remedia salutis, vitæ porrigit alimenta. Terra, inquam, bona et optima, quæ in fecundissimo illo sinu tuo ex arca paterni cordis cœleste granum suscipiens, tantas ex superno semine martyrum segetes protulisti, et nihilominus ex reliquo omnium fidelium genere fructum fertilis gleba tricesimum, et sexagesimum, et centesimum super omnem terram multipliciter procreasti. Unde et de magna multitudine dulcedinis tuæ jucundissime satiati et opulentissime saginati, memoriam abundantiae suavitatis tuæ ubique eructant qui te viderunt, et usque ad extremum terræ magnificentiam gloriæ tuæ loquuntur eis qui te non viderunt, et enarrant mirabilia quæ in te sunt. Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei: sed jam ex his quibus affluis deliciis, nos quoque pauca proferamus in medium, ad laudem et gloriam nominis tui.

### 550 CAPUT VI.

#### De Bethlehem (133).

12. Habes ante omnia in refectione animarum sanctarum Bethlehem domum panis, in qua primum is qui de cœlo descenderat [al. descendit], pariente Virgine panis vivus apparuit. Monstratur piis ibidem jumentis præsepium, et in præsepio fenum de prato virginali, quo vel sic cognoscat bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui. Omnis quippe caro fenum, et omnis gloria ejus ut flos feni (Isai. xl, 6). Porro homo quia suum, in quo factus est, honorem non intelligendo, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis (Psal. xlviii, 15); Verbum panis Angelorum factum est pabulum jumentorum, ut habeat carnis fenum quod ruminet, qui verbi pane vesci penitus dis-suevit: quousque per hominem Deum priori red-ditus dignitati, et ex pecore rursus conversus in hominem, cum Paulo dicere possit, *Etsi cognovimus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus* (II Cor. v, 16). Quod sane non arbitror quempiam dicere posse veraciter, nisi qui prius cum Petro ex ore Veritatis illud item audierit: *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt; caro autem non prodest quidquam* (Joan. vi, 64). Alioquin qui in verbis Christi vitam invenit, carnem jam non requirit, et est de numero beatorum qui non viderunt et crediderunt (Joan. xx, 29). Nec enim opus est vel lactis poculum, nisi parvulo; vel feni pabulum, nisi utique jumento. Qui autem non offendit in verbo, ille perfectus est vir, solido plane vesci cibo idoneus: et, licet in sudore vultus sui, panem verbi comedit, absque offensione. Sed et securus ac sine scandalo loquitur Dei sapientiam duntaxat inter perfectos, spiritualibus spiritualia comparans, cum tamen in-

A fantibus sive pecoribus cautus sit pro captu quidem eorum proponere tantummodo Jesum Christum, et hunc crucifixum. Unus tamen idemque cibus ex cœlestibus pascuis suaviter quidem et ruminatur a pecore, et manducatur ab homine; et viro vires, et parvulo tribuit nutrimentum.

### CAPUT VII.

#### De Nazareth.

13. Cernitur et Nazareth, quæ interpretatur flos, in qua is qui natus in Bethlehem erat, tanquam fructus in flore coalescens, nutritus est Deus infans: ut floris odor fructus saporem præcederet, ac de naribus Prophetarum, faucibus se Apostolorum liquor sanctus infunderet; Judæisque tenui odore contentis, gustu solido reficeret Christianos. Senserat tamen hunc florem Nathanael, quod super omnia aromata suave redoleret. Unde et aiebat: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Sed nequaquam sola contentus fragrantia, respondentem sibi, *Veni et vide* (Joan. i, 46), Philippum secutus est. Imo vero miræ illius suavitatis admodum respersione delectatus, haustu-que boni odoris factus saporis avidior, odore ipso duce, ad fructum usque sine mora pervenire curavit, cupiens plenius experiri quod tenuiter præsenserat, præsens-que degustare quod odoraverat absens. Videamus et de olfactu Isaac, ne forte aliquid, quod pertineat ad hæc ipsa quæ in manibus sunt, portenderit. Loquitur de illo Scriptura sic: *Statimque ut sensit vestimentorum ejus fragrantiam* (haud dubium quin Jacob), *Ecce, inquit, odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus* (Gen. xxvii, 27). Vestimenti fragrantiam sensit, sed vestiti præsentiam non agnovit: sóloque vestis, tanquam floris odore, forinsecus delectatus, quasi fructus interioris dulcedinem non gustavit, dum et electi filii simul et sacramenti fraudatus cognitione remansit. Quo spectat hoc? Vestimentum profecto spiritus, littera est et caro Verbi. Sed ne nunc quidem Judæus in carne Verbum, in homine scit deitatem; nec sub tegmine litteræ sensum per-videt spiritualementem: forisque palpans hædi pellem, quæ similitudinem majoris, hoc est primi et antiqui peccatoris, expresserat, **551** ad nidam non pervenit veritatem. Non sane in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati, qui peccatum non facere, sed tollere veniebat, apparuit, ea scilicet de causa quam ipse non tacuit, *ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant* (Joan. ix, 39). Hac ergo similitudine deceptus Propheta, cæcus hodieque, quem nescit benedicit, dum quem lectitat in libris, ignorat et in miraculis: et quem propriis atrectat manibus, ligando, flagellando, colaphizando, minime tamen vel resurgentem [al. resurgendo] intelligit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (I Cor. ii, 8). Percurramus succincto sermone et cætera loca sancta, et si non omnia, saltem aliqua: quoniam quæ admirari per singula

non sufficimus, libet vel insigniora, et ipsa breviter A recordari.

### CAPUT VIII.

#### De monte Oliveti et valle Josaphat.

14. Ascenditur in montem Oliveti, descenditur in vallem Josaphat: ut sic divitias divinæ misericordiæ cogites, quatenus horrorem iudicii nequaquam dissimules; quia etsi in multis miserationibus suis multus est ad ignoscendum, iudicia tamen ejus nihilominus abyssus multa, quibus agnoscitur valde omnino terribilis super filios hominum. David denique qui montem Oliveti demonstrat, dicens, *Homines et jumenta salvabis, Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus*; etiam iudicii vallem in eodem psalmo commemorari, dicens. *Non veniat mihi, inquiens, pes superbia, et manus peccatoris non moveat me* (Psal. xxxv, 7, 12). Cujus et præcipitium se omnino perhorrescere fatetur, cum in alio psalmo ita loquitur, orans: *Confige timore tuo carnes meas, a iudiciis enim tuis timui* (Psal. cxviii, 120). Superbus in hanc vallem corruit, et conquassatur: humilis descendit, et minime periclitatur. Superbus excusat peccatum suum: humilis accusat, sciens quia Deus non bis iudicat in idipsum; et quod si nosmet ipsos iudicaverimus, non utique iudicabimur (I Cor. xi, 31).

15. Porro superbus non attendens quam horrendum sit incidere in manus Dei viventis, facile prorumpit in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Magna revera malitia, tui te non misereri, et solum post peccatum remedium confessionis a te ipso repellere, ignemque in sinu tuo involvere potius, quam excutere, nec præbere autem consilio Sapientis qui ait: *Miserere anime tuæ placens Deo* (Eccli. xxx, 24). Proinde qui sibi nequam, cui bonus? Nunc iudicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras (Joan. 12, 31), hoc est de corde tuo, si te tamen humiliando ipse dijudicas. Erit iudicium cœli, quando ipsum vocabitur cœlum desursum, et terra discernere populum suum (Psal. xlix, 4): in quo sane timendum, ne projiciaris tu cum ipso et angelis ejus, si tamen inventus fueris injudicatus. Alioquin spiritualis homo, qui omnia dijudicat, ipse a nemine iudicabitur (I Cor. ii, 15). Propter hoc ergo iudicium incipit a domo Dei, ut D suos, quos novit iudex, cum venerit inveniat iudicatos: et jam nil de eis habeat iudicare, quando videlicet iudicandi sunt hi qui in labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellantur (Psal. lxxii, 5).

### CAPUT IX.

#### De Jordane.

16. Quam læto sinu Jordanis excipit Christianos, qui se Christi gloriatur consecratum baptismate! Mentitus est plane Syrus ille leprosus, qui nescio quas Damasci aquas aquis prætulit Israelis (IV Reg. v, 12), cum Jordanis nostri devotus Deo famulatus toties probatus exstiterit, sive quando Eliæ, sive quando Elisæo (IV Reg. ii), sive etiam (ut antiquius aliquid re-

colam) quando Josue et omni populo simul, impetum mirabiliter inhibens, siccum in se transitum præbuit (Josue. iii). Denique quid in fluminibus isto eminentius, quod ipsa sui [al. sibi] Trinitas quadam evidenti præsentia dedicavit? Pater auditus, visus Spiritus sanctus, Filius est et baptizatus. Merito proinde 552 ipsam ejus virtutem, quam Naaman ille consulente propheta sensit in corpore (IV Reg. v, 14), jubente Christo universus quoque fidelis populus in anima experitur.

### CAPUT X.

#### De loco Calvariæ.

17. Exitur etiam in Calvariæ locum, ubi verus Elisæus ab insensatis pueris irrisus, risum suis insinuavit æternum, de quibus ait: *Ecce ego, et pueri mei, quos mihi dedit Dominus* (Isai. viii, 18). Boni pueri, quos per contrarium illorum malignantium ad laudem excitat Psalmista, dicens, *Laudate, pueri, Dominum, laudate nomen Domini* (Psal. cxii, 1), quatenus in ore sanctorum infantium et lactentium perficeretur laus, quæ ex ore defecerat invidorum, eorum utique, de quibus queritur ita: *Filios enutripi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me* (Isai. i, 2). Ascendit itaque crucem calvus noster, mundo pro mundo expositus: et revelata facie ac discooperta fronte purificationem peccatorum faciens, probrosæ et austeræ mortis tam non erubuit ignominiam, quam nec pœnam exhorruit, ut nos opprobrio sempiterno eriperet, restitueret gloriæ. Nec mirum. Quid enim erubesceret, qui ita lavit nos a peccatis, non quidem ut aqua diluens et retinens sordes, sed veluti solis radius desiccans et retinens puritatem? Est quippe Dei sapientia ubicumque attingens propter munditiam suam.

### CAPUT XI.

#### De Sepulcro

18. Inter sancta ac desiderabilia loca sepulcrum tenet quodammodo principatum, et devotionis plus nescio quid sentitur, ubi mortuus requievit, quam ubi vivens conversatus est; atque amplius movet ad pietatem mortis, quam vitæ recordatio. Puto quod illa austerior, hæc dulcior videatur: magisque infirmitati blandiatur humanæ quies dormitionis, quam labor conversationis; mortis securitas, quam vitæ rectitudo. Vita Christi, vivendi mihi regula exstitit: mors, a morte redemptio. Illa vitam instruxit, mortem ista destruxit. Vita quidem laboriosa, sed mors pretiosa; utraque vero admodum necessaria. Quid enim Christi prodesse poterat, sive mors nequiter viventi, sive vita damnabiliter morienti? Nunquid denique aut mors Christi etiam nunc male usque ad mortem viventes a morte æterna liberat, aut mortuos ante Christum sanctos patres vitæ sanctitas liberavit? sicut scriptum est, *Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem, eruet animam suam de manu inferi?* (Psal. lxxxviii, 49)? Nunc ergo quia utrumque nobis pariter necessarium erat, et pie vivere, et

secure mori; et vivendo vivere docuit, et mortem moriendo securam reddidit: quoniam quidem resurrecturus occubuit, et spem fecit morientibus resurgendi. Sed addidit et tertium beneficium, cum etiam peccata donavit, sine quo utique cætera non valebant. Quid enim (quantum quidem ad veram summamque beatitudinem spectat) quantalibet vitæ rectitudo seu longitudo prodesse poterat illi, qui vel solo originali peccato teneretur adstrictus? Peccatum quippe præcessit, ut sequeretur mors: quod sane si cavisset homo, mortem non gustasset in æternum.

19. Peccando itaque vitam amisit, et mortem invenit: quoniam quidem et Deus ita prædixerat, et justum profecto erat, ut si peccaret homo, moreretur. Quid namque justius poterat quam recipere talionem? Vita siquidem Deus animæ est, ipsa corporis. Peccando voluntarie, volens perdidit vivere: nolens perdat et vivificare. Sponte repulit vitam cum vivere noluit; non valeat eam dare cui, vel quatenus voluerit. Noluit anima regi a Deo: non queat regere corpus. Si non paret superiori, inferiori cur imperet? Invenit Conditor suam sibi rebellem creaturam: inveniat anima suam sibi rebellem pedissequam. Transgressor inventus est homo divinæ legis: inveniat et ipse aliã legem in membris suis, repugnantem legi **553** mentis suæ, et captivantem se in legem peccati (*Rom. vii, 25*). Porro peccatum, ut scriptum est, separat inter nos et Deum (*Isai. lix, 2*): separet proinde etiam mors inter corpus nostrum et nos. Non potuit dividi a Deo anima nisi peccando, nec corpus ab ipsa nisi moriendo. Quid itaque austerius pertulit in ultione, id solum passa a subdito, quod præsumpserat in auctorem? Nihil profecto congruentius, quam ut mors operata sit mortem, spiritualis corporalem, culpabilis pœnalem, voluntaria necessariam.

20. Cum ergo hac gemina morte secundum utramque naturam homo damnatus fuisset, altera quidem spirituali et voluntaria, altera corporali et necessaria; utriusque Deus homo una sua corporali ac voluntaria benigne et potenter occurrit, illaque una sua nostram utramque damnavit. Merito quidem: nam ex duabus mortibus nostris, cum altera nobis in culpæ meritum, altera in pœnæ debitum reputaretur; suscipiens pœnam, et nesciens culpam, dum sponte et tantum in corpore moritur et vitam nobis, et justitiam promeretur. Alioquin si corporaliter non pateretur, debitum non solvisset: si non voluntarie moreretur, meritum mors illa non habuisset. Nunc autem si, ut dictum est, mortis meritum est peccatum, et peccati debitum mors; Christo remittente peccatum, et moriente pro peccatoribus, profecto jam nullum est meritum, et solutum est debitum.

21. Cæterum unde scimus, quod Christus possit peccata dimittere? Hinc procul dubio, quia Deus est, et quidquid vult, potest. Unde autem et quod Deus sit? Miracula probant. Facit quippe opera, quæ nemo alius facere possit: ut taceam oracula Prophe-

tarum, necnon et paternæ vocis testimonium elapsæ cœlitus ad ipsum a magnifica gloria. Quod si Deus pro nobis, quis contra nos? Deus qui justificat, quis est qui condemnet? Si ipse est et non alius, cui quotidie confitemur dicentes: *Tibi soli peccavi* (*Psal. l, 6*); quis melius, imo quis alius remittere potest quod in eum peccatum est? Aut quomodo ipse non potest, qui omnia potest? Denique ego quod in me delinquitur valeo, si volo, donare: et Deus non queat in se commissâ remittere? Si ergo peccata remittere et possit, omnipotens, et solus possit, cui soli peccatur; beatus profecto, cui non imputabit ipse peccatum. Itaque cognovimus, quod peccata Christus divinitatis suæ potentia valuit relaxare.

22. Porro jam de voluntate quis dubitet? Qui enim nostram et induit carnem, et subiit mortem; putas, suam nobis negabit justitiam? Voluntarie incarnatus, voluntarie passus, voluntarie crucifixus, solam a nobis retinebit justitiam? Quod ergo ex deitate constat illum potuisse, ex humanitate innotuit et voluisse. Sed unde rursus confidimus quod mortem abstulit? Hinc plane, quod eam ipse qui non meruit, pertulit. Qua enim ratione iterum exigeretur a nobis, quod pro nobis ille jam solvit? Qui peccati meritum tulit, suam nobis donando justitiam; ipse mortis debitum solvit et reddidit vitam. Sic namque mortua morte revertitur vita, quemadmodum ablato peccato redit justitia. Porro mors in Christi morte fugatur, et Christi nobis justitia imputatur. Verum quomodo mori potuit qui Deus erat? Quoniam nimirum et homo erat. Sed quo pacto mors hominis illius pro altero valuit? Quia et justus erat. Profecto namque cum homo esset, potuit mori; cum justus, non debuit gratis. Non quidem peccator mortis sufficit solvere debitum pro altero peccatore, cum quisque moriatur pro se. Qui autem mori pro se non habet, nunquid pro alio frustra debet? Quanto sane indignius moritur qui mortem non meruit, tanto iustius pro quo moritur, vivit.

23. Sed quæ, inquis, justitia est, ut innocens moriatur pro impio? Non est justitia, sed misericordia. Si justitia esset, jam non gratis, sed ex debito moreretur. Si ex debito, ipse quidem moreretur: sed is pro quo moreretur, non viveret. At vero si justitia non est, non tamen contra justitiam est. Alioquin et justus, et misericors simul esse non posset. Sed etsi justus **554** non injuste pro peccatore satisfacere valeat, quo tamen pacto etiam unus pro pluribus? Etenim satis esse videretur ad justitiam, si unus uni moriens vitam restituat. Huic jam respondeat Apostolus. *Sicut enim, inquit, per unius delictum, in omnes homines, in condemnationem; sic et per unius justitiam, in omnes homines, in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius hominis obedientiam justii constituentur multi* (*Rom. v, 18, 19*). Sed forte unus pluribus justitiam quidem restituere potuit, vitam non potuit. *Per unum, ait, hominem mors, et per unum hominem vita. Sicut*

enim in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur (I Cor. xv, 21, 22). Quid enim? Unus peccavit, et omnes tenentur rei; et unius innocentia soli reputabitur uni [al. innocenti]? Unius peccatum omnibus operatum est mortem, et unius justitia uni vitam restituet? Itane Dei justitia magis ad condemnandum, quam ad restaurandum valuit? aut plus potuit Adam in malo, quam Christus in bono? Adæ peccatum imputabitur mihi, et Christi justitia non pertinebit ad me? Illius me inobedientia perdidit, et hujus obedientia non proderit mihi?

24. Sed Adæ, inquis, delictum merito omnes contrahimus, in quo quippe omnes peccavimus: quoniam cum peccavit, in ipso eramus, et ex ejus carne per carnis concupiscentiam geniti sumus. Atqui ex Deo multo germanius secundum spiritum nascimur, quam secundum carnem ex Adam; secundum quem etiam spiritum longe ante fuimus in Christo, quam secundam carnem in Adam: si tamen et nos inter illos numerari consilimus, de quibus Apostolus: *Qui elegit nos, inquit, in ipso* (haud dubium quin Pater in Filio) *ante mundi constitutionem* (Ephes. 1, 4). Quod autem etiam ex Deo nati sunt, testatur evangelista Joannes, ubi ait: *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* (Joan. 1, 13): item ipse in Epistola, *Omnis qui natus est ex Deo, non peccat, quia generatio cælestis conservat eum* (I Joan. 3, 9). At carnis traducem, ais, carnalis testatur concupiscentia: et peccatum quod in carne sentimus, manifeste probat, quod secundum carnem de carne peccatoris descendimus. Sed enim nihilominus spiritualis illa generatio, non quidem in carne, sed in corde sentitur ab his duntaxat qui in Paulo dicere possunt, *Nos autem sensum Christi habemus* (I Cor. 2, 16); in quo et eatenus profecisse se sentiunt, ut et ipsi cum omni fiducia dicant, *Ipsæ enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei* (Rom. viii, 16): et illud, *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis* (I Cor. 2, 12). Per spiritum ergo qui ex Deo est, charitas diffusa est in cordibus nostris: sicut et per carnem quæ est ex Adam, manat concupiscentia nostris insita membris. Et quomodo ista quæ a progenitore corporum descendit, nunquam in hac vita mortali a carne recidit; sic illa procedens ex Patre spirituum, ab intentione filiorum duntaxat perfectorum nunquam excidit.

25. Si ergo ex Deo nati, et in Christo electi sumus: quænam justitia est, ut plus noceat humana atque terrena, quam valeat divina cælestisque generatio; Dei electionem vincat carnalis successio, et æterno ejus proposito carnis præscribat temporaliter traducta concupiscentia? Quinimo si per unum hominem mors, cur non multo magis per unum, et illum hominem vita? Et si in Adam omnes morimur, cur non longe potentius in Christo omnes vivificabimur? Denique non sicut delictum, ita et donum. Nam *judicium ex uno in condemnationem; gratia autem ex multis deli-*

*ctis in justificationem* (Rom. v, 15, 16). Christus igitur et peccata dimittere potuit, cum Deus sit; et mori, cum sit homo; et mortis moriendo solvere debitum, quia justus; et omnibus unus ad justitiam vitamque sufficere, quandoquidem et peccatum, et mors ex uno in omnes processerit.

26. Sed hoc quoque necessarie omnino provisum est, quod dilata morte homo inter homines dignatus est aliquandiu conversari: quatenus crebris et veris **555** locutionibus ad invisibilia excitaret, miris operibus astrueret fidem, rectis moribus instrueret. Itaque in oculis hominum Deus homo sobrie, et juste, et pie conversatus, vera locutus, mira operatus, indigna passus, in quo jam defuit nobis ad salutem? Accedat et gratia remissionis peccatorum, hoc est, ut gratis peccata dimittat: et opus profecto nostræ salutis consummatum est. Non autem metuendum, quod donandis peccatis aut potestas Deo, aut voluntas passo, et tanta passo pro peccatoribus desit: si tamen solliciti inveniamur digne, ut oportet, et imitari exempla, et venerari miracula; doctrinæ quoque non existamus increduli, et passionibus non ingrati.

27. Itaque totum nobis de Christo valuit, totum salu- tiferum, totumque necessarium fuit, nec minus profuit infirmitas quam majestas: quia etsi ex deitatis potentia peccati jugum jurbendo submovit, ex carnis tamen infirmitate mortis jura moriendo concussit. Unde pulchre ait Apostolus: *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus*. Sed et illa ejus stultitia, per quam ei placuit salvum facere mundum, ut mundi confutaret sapientiam, confunderet sapientes; quod videlicet cum in forma Dei esset, Deo æqualis, semetipsum exinavit formam servi accipiens; quod dives cum esset, propter nos egenus factus est, de magno parvus, de celso humilis, infirmus de potente; quod esuriit, quod sitiit, quod fatigatus est in itinere, et cætera quæ passus est voluntate, non necessitate: hæc ergo ipsius quædam stultitia, nonne fuit nobis via prudentiæ, justitiæ forma, sanctitatis exemplum? Ob hoc item Apostolus: *Quod stultum est, inquit, Dei, sapientius est hominibus* (I Cor. 1, 25). Mors ergo a morte, vita ab errore, a peccato gratia liberavit. Et quidem mors per justitiam suam per- egit victoriam: quia justus exsolvendo quæ non rapuit, jure omnino quod amiserat recepit. Vita vero quod ad se pertinuit, per sapientiam adimplevit, quæ nobis vitæ et disciplinæ documentum ac speculum exstitit. Porro gratia ex illa, ut dictum est, potestate peccata dimisit, quæ omnia quæcunque voluit, fecit. Mors itaque Christi, mors est mæ mortis: quia ille mortuus est, ut ego viverem. Quo pacto enim jam non vivat, pro quo moritur Vita? Aut quis jam in via morum, seu rerum notitia errare timebit duce Sapientia? Aut unde jam reus tenebitur, quem absolvit Justitia? Vitam quidem se ipse perhibet in Evangelio: *Ego sum*, inquit, *vita* (Joan. xiv, 6). Porro duo sequentia testatur

Apostolus, dicens: *Qui factus est nobis justitia et sapientia a Deo Patre (1 Cor. 1, 30).*

28. Si ergo lex spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit nos a lege peccati et mortis, ut quid adhuc morimur, et non statim immortalitate vestimur? Sane ut Dei veritas impleatur. Quia enim misericordiam et veritatem diligit Deus (*Psal. lxxxiii, 12*), necesse est mori quidem hominem, quippe quod prædixerat Deus: sed a morte tamen resurgere, ne obliviscatur misereri Deus. Ita ergo mors etsi non perpetuo dominatur, manet tamen propter veritatem Dei vel ad tempus in nobis: quemadmodum peccatum, etsi jam non regnat in nostro mortali corpore, non tamen deest penitus nobis. Proinde Paulus ex parte quidem liberatum se a lege peccati et mortis gloriatur; sed rursum se utraque nihilominus lege aliqua gravari ex parte conqueritur, sive cum adversus peccatum miserabiliter clamat, *Invenio aliam legem in membris meis (Rom. vi, 23)*, et cætera; sive cum ingemiscit gravatus, haud dubium quin lege mortis, redemptionem exspectans corporis sui (*Rom., viii, 23*).

29. Sive itaque hæc, sive alia quæcunque in hunc modum, prout in talibus in suo quisque abundat sensu, ex occasione sepulcri christianis sensibus suggerantur: puto quod non mediocris dulcedo devotionis infundatur cominus intuenti; nec parum proficitur cernendo etiam corporalibus oculis corporalem locum dominicæ quietis. Etsi quippe jam vacuum sacris membris, plenum tamen nostris et jucundis admodum sacramentis. Nostris, inquam, nostris, si tamen tam ardentem amplectimur, quam indubitanter tenemus **556** quod Apostolus ait: *Consepulti enim sumus per Baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus (Rom. vi, 4, 5)*. Quam dulce est peregrinis post multam longi itineris fatigationem, post plurima terræ marisque pericula, ibi tandem quiescere, ubi et agnoscunt suum Dominum quiescere! Puto jam præ gaudio non sentiunt viæ laborem, nec gravamen reputant expensarum; sed tanquam laboris præmium, cursusve bravium assecuti, juxta Scripturæ sententiam, *gaudent vehementer cum invenerint sepulcrum (Job. iii, 22)*. Nec casu vel subito, aut veluti lubrica popularis favoris opinione, id tam celebre nomen sepulcrum nactum esse putetur, cum hoc ipsum tantis retro temporibus Isaias tam aperte prædixerit: *Et erit, inquit, in die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum ejus gloriosum (Isa. xi, 10)*. Revera ergo impletum cernimus quod legimus prophetatum, novum quidem intuenti, sed legenti antiquum: ut sic adsit de novitate jucunditas, ut de vetustate non desit auctoritas. Et de sepulcro ista sufficiant.

## CAPUT XII.

## De Bethphage.

30. Quid de Bethphage dicam, viculo sacerdotum, quem pene præterieram, ubi et confessionis sacramentum, et sacerdotalis ministerii mysterium continetur? Bethphage quippe Domus buccæ interpretatur. Scriptum est autem: *Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo (Deut. xxx, 14)*. Non in altero tantum, sed simul in utroque verbum habere memineras. Et quidem verbum in corde peccatoris operatur salutiferam contritionem: verbum vero in ore noxiam tollit confusionem, ne impediatur necessariam confessionem. Ait enim Scriptura: *Est pudor adducens peccatum, et est pudor adducens gloriam (Eccli. iv, 25)*. Bonus pudor est, quo peccasse, aut certe peccare confunderis: et omnis licet humanus arbiter forte absit, divinum tamen quam humanum tanto verecundius revereris aspectum, quanto et verius Deum quam hominem cogitas puriorem [*al. præsentiorum*]: tantoque eum gravius offendi a peccante, quanto constat longius ab illo esse omne peccatum. Hujuscemodi procul dubio pudor fugat opprobrium, parat gloriam, dum aut peccatum omnino non admittit, aut certe admissum et penitendo punit, et confitendo expellit: si tamen gloria etiam nostra hæc est, testimonium conscientie nostræ. Quod si quispiam confiteri confunditur id quoque, unde compungitur, talis pudor peccatum adducit, et gloriam de conscientia perdit, quando malum quod ex profundo cordis compunctio conatur expellere, pudor ineptus obstruso labiorum ostio non permittit exire; cum eum exemplo David dicere potius oporteret: *Et labia mea non prohibebo, Domine, tu scisti (Psal. xxxix, 10)*. Qui et seipsum redarguens, puto super hujuscemodi stulto et irrationabili pudore, *Quoniam tacui, inquit, inveteraverunt ossa mea (Psal. xxxi, 3)*. Unde et optat ostium poni circumstantiæ labiis suis (*Psal. cxi, 3*), ut oris januam et aperire confessioni, et defensionem clauderent. Denique et aperte hoc ipsum orans petit a Domino, sciens nimirum, quia confessio et magnificentia opus ejus (*Psal. cx, 3*). Et quod videlicet nostram malitiam, et quod æque divinæ bonitatis et virtutis magnificentiam minime tacemus, magnum quidem geminæ confessionis bonum, sed Dei est donum. Ait itaque: *Non declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis (Psal. cxi, 4)*. Quamobrem ministros verbi sacerdotes caute necesse est ad utrumque vigilare sollicitos, quo videlicet delinquentium cordibus tanto moderamine verbum timoris et contritionis infligant, quatenus eos nequaquam a verbo confessionis exterreant; sic corda aperiant, ut ora non obstruant; sed nec absolvant etiam compunctum, nisi viderint et confessum: quandoquidem corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Alioquin a mortuo, tanquam **557** qui non est, perit confessio (*Eccli. xvii, 26*). Quisquis igitur verbum in ore habet, et in corde non habet, aut dolosus est, aut va-

nus : quisquis vero in corde, et non in ore, aut superbus est, aut timidus.

## CAPUT XIII.

## De Bethania.

31. Sane non omnino (etsi multum festinem) debeo transire silenter domum obedientiæ, Bethaniam videlicet, castellum Mariæ et Marthæ, in quo Lazarus est resuscitatus : ubi nimirum et utriusque vitæ figura, et Dei erga peccatores mira clementia, necnon et virtus obedientiæ una cum fructibus pœnitentiæ commendatur. Hoc ergo in loco breviter intimatum sufficiat, quod quidem nec studium bonæ actionis, nec otium sanctæ contemplationis, nec lacrymæ pœnitentis extra Bethaniam accepta esse poterunt illi, qui tanti habuit obedientiam, ut vitam quam ipsam perdere maluerit, factus obediens Patri usque ad mortem. Hæ sunt illæ profecto divitiæ, quas sermo propheticus ex verbo Domini pollicetur : *Censolabitur, inquiens, Dominus Sion, et consolabitur omnes ruinas ejus; et ponet desertum ejus quasi*

*delicias, et solitudinem ejus quasi hortum Domini. gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, et vox laudis (Isa. LI, 5). Hæc igitur orbis deliciæ, hic thesaurus cœlestis, hæc fidelium hæreditas populorum, vestræ sunt, charissimi, credita fidei, vestræ prudentiæ et fortitudini commendata. Tunc autem cœleste depositum secure et fideliter custodire sufficitis, si nequaquam de ipsa vestra prudentia vel fortitudine, sed de Dei tantum adjutorio ubique præsumitis, scientes quia non in fortitudine sua roborabitur vir, et ideo dicentes cum propheta : *Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus (Psal. XVII, 2) : et illud, Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus; Deus meus, misericordia ejus præveniet me (Psal. LVIII, 10, 11) ; et item : Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam (Psal. CXIII, 9) : ut in omnibus sit ipse benedictus, qui docet manus vestras ad prælium, et digitos vestros ad bellum (Psal. CXLIII, 1)**

## 558 ADMONITIO IN OPUSCULUM VII.

1. Primus Bernardi fetus est libellus sequens, inscriptus « de Gradibus Humilitatis, » primusque nominatur tum a Bernardo ipso, tum a Gaufrido monacho, ejus Vitæ scriptore. Bernardi hæc verba sunt in epistola decima octava, ad Petrum cardinalem : « Et ut sciatis quid petatis, scio me scripsisse libellum, qui inscribitur de Humilitate, et quatuor Homilias, » etc. Hæc epistola sub annum 1127 exarata est. Gaufridus vero in libro tertio de ejus Vita, cap. 8, « Si quis, » inquit, « nosse desiderat, quam sollicitus ab initio sui ipsius dijudicator et scrutator existiterit, primum opus illius de Gradibus Humilitatis inspiciat. » Rationem hujusce tituli reddit Vir sanctus in Censura seu Retractatione libri, quam in fronte operis præfigi voluit. Cum enim quoddam verbum, quasi e Scriptura sacra prolatum, ipsi excidisset, et quamdam de Seraphim expositionem, quam in Patribus non legerat, adduxisset; hoc comperto, incunctanter sententiam ipse suam emendare non dubitavit. Tantus erat in sancto Doctore veritatis amor! tanta in Patres reverentia! Hic Manricus graviter monet exemplo Bernardi auctores mysticos ac theologicos nonnullos, « qui vel in litteralibus, vel in altissimis theologiæ sacræ sensibus novitates non solum inducunt, sed etiam profitentur : dum Bernardus, theologia divinitus infusa præditus, in sensu mystico quod a Patribus non acceperat, suspectum habet, nec satis credit suæ conscientiæ factum, donec rem a se excogitatam retractaret. » Quanquam alio in loco quiddam amplius sibi licere permisit, nempe in fine homiliarum super Missus est, ubi ita ait, « Si quid dictum est præter Patres, quod non sit contra Patres; nec Patribus arbitror, nec cuiquam displicere debere : » et in epistola septuagesima septima, « Sane ibi unusquisque in suo sensu securus abundet, ubi aut certæ rationi, aut non contentendæ auctoritati quod sentitur non obviat. » Hæc sanctus doctor, priorem sententiam temperans, nec tam novos sensus, si ratione ducantur, quam affectatum eorum studium reprehendens.

2. Tempus scripti libri de Gradibus Humilitatis colligimus ex prælaudata epistola decima octava sub annum 1127 scripta. Tunc enim Bernardus quatuor tantum opuscula dictaverat cum aliquot epistolis, quorum opusculorum cum primum fuerit de Humilitate, ante annum 1125 scriptum dici debet. Certe ad Godefridum Claræ Vallis Priorem ac consanguineum suum, postea Lingonensem episcopum, ad quem epistola trecentesima vigesima. Hunc « filium, fratrem, socium, et profectus sui participem » vocat hic n. 24. In codice Colbertino, notato 3964, hæc inscriptio libri legitur post libros de Consideratione : « Incipit liber ejusdem de Gradibus Humilitatis, ad Godefridum tunc in Clara-Valle Priorem, postea Lingonicæ civitatis episcopum. » Deest in hoc codice Retractatio, quæ in quatuor aliis manuscriptis libro præmittitur. Unde eam in hunc locum restituere visum est, quam Horstius ad calcem rejecerat.

## RETRACTATIO S. BERNARDI IN TRACTATUM DE GRADIBUS HUMILITATIS.

In hoc Opusculo, cum illud de Evangelio, quod Dominus ait, diem ultimi judicii se nescire, ad aliquam sententiam confirmandam atque corroborandam proferrem in medium (cap. 1, n. 1), improvide quidem apposui, quod in Evangelio scriptum non esse postea deprehendi. Nam cum textus habeat tantummodo, neque filius scit; ego deceptus magis, quam fallere volens, litteræ quippe immemor, sed non sensus, « Nec ipse, » inquam, « Filius hominis scit. » Unde etiam totam ordiens sequentem disputationem, ex eo quod non veraciter posui, veram conatus sum approbare assertionem. Sed quia talem errorem meum multo post, quam a me idem libellus editus, et a pluribus jam transcriptus fuit, deprehendi; cum non potui per tot jam libellos sparsum persequi mendacium, necessarium credidi confugere ad confessionis remedium. Alio quoque in loco (Cap. 10, n. 55) quamdam de Seraphim opinionem posui, quam nunquam audivi, nusquam legi. Ubi sane lector meus attendat, quod proinde temperanter, « puto, » dixerim : volens videlicet non aliud, quam putari, quod certum reddere de Scripturis non valui. Titulus quoque ipse qui de Gradibus Humilitatis inscribitur, pro eo forsitan quod non humilitatis, sed superbiæ potius hic distingui describique gradus videntur, calumniam patietur, sed hoc a minus vel intelligentibus, vel attendentibus ejus tituli rationem, quam tamen in fine opusculi ipse breviter intimare curavi.

# S. BERNARDI ABBATIS

## DE GRADIBUS HUMILITATIS ET SUPERBIE

### TRACTATUS.

#### 559 PRÆFATIO.

Rogasti me, Irater Godefride, ut ea quæ de gradibus humilitatis coram fratribus locutus fueram, pleniori tibi tractatu dissererem. Cui tuæ petitioni digne, ut dignum erat, et volens satisfacere, et timens non posse, evangelici consilii memor, non prius, fateor, incipere ausus sum, quam sedens computavi, si sufficerent sumptus ad perficiendum (*Luc. xiv, 28*). Cum autem charitas hunc foras misisset timorem, quo mihi timebam illudi de opere non consummando, subintravit alius timor de contrario, quo cœpi timere gravius periculum de gloria si perfecissem, quam de ignominia si defecissem. Unde inter hunc timorem et charitatem, velut in quodam bivio positus, diu hæsitavi, cui viarum tuto me crederem; metuens aut loquendo utiliter de humilitate, ipse humilis non inveniri; aut tacendo humiliter, inutilis fieri. Cumque neutram viam tutam, alterutram tamen mihi tenendam esse conspicerem; elegi potius tibi, si quem possem, communicare fructum sermonis, quam tutari me solum portu silentii: simul fiduciam habens, si quid forte, quod approbes, dixerim, tuis precibus posse me non superbire; sin autem (quod magis puto) nihil tuo studio dignum effecerim, de nihilo superbire non posse.

#### CAPUT PRIMUM.

*Christum esse viam humilitatis, qua pervenitur ad veritatem.*

1. Locuturus ergo de gradibus humilitatis, quos beatus Benedictus non numerandos, sed ascenden-  
 dos proponit (*Reg. cap. 7*), prius ostendo, si possum, quo per illos perveniendum sit, ut audito fructu perventionis, minus gravet labor ascensionis. Proponit itaque Dominus nobis viæ laborem, laboris mercedem. *Ego sum, inquit, via, veritas, et vita* (*Joan. xiv, 6*). Viam dicit humilitatem, quæ ducit ad veritatem. Altera labor, altera fructus laboris est. Unde sciam, inquis, quod ibi de humilitate locutus sit, cum indeterminate dixerit: *Ego sum via?* Audi apertius: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth. xi, 29*). Se ergo proponit humilitatis exemplum, mansuetudinis formam. Si imitaris eum, non ambulas in tenebris, sed habebis lumen vitæ (*Joan. viii, 12*). Quid est lumen vitæ, nisi veritas;

A quæ illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, ostendit ubi sit vera vita? Ideo cum dixisset, *Ego um via et veritas*, subdidit, *et vita*: ac si diceret: Ego sum via, quæ ad veritatem duco; ego sum veritas quæ vitam promitto: ego sum vita, quam do. *Hæc est enim, ait, vita æterna, ut cognoscant te verum Deum: et quem misisti Jesum Christum* (*Matth. xvii, 3*). Vel sic, quasi tu dicas: Viam considero, id est humilitatem: fructum desidero, veritatem. Sed quid si tantus est labor viæ, ut ad optatum lucrum non possim pervenire? Respondet: *Ego sum via*, id est viaticum, quo sustentaris in via. Clamat igitur errantibus, et viam ignorantibus, *Ego sum via*: dubitantibus, et non credentibus, *Ego sum veritas*: jam ascendentibus, sed lassescen-  
 B tibus, *Ego sum vita*. Satis, ut reor, ostensum est ex proposito capitulo Evangelii, **560** cognitionem veritatis fructum esse humilitatis. Accipe et aliud. *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc, haud dubium quin veritatis secreta, a sapientibus et prudentibus, id est a superbis, et revelasti ea parvulis* (*Luc. x, 21*), hoc est humilibus. Et in hoc apparet quod veritas, quæ superbis absconditur, humilibus revelatur.

2. Humilitatis vero talis potest esse definitio: Humilitas est virtus, qua homo verissima sui agnitione sibi ipsi vilescit. Hæc autem convenit his qui ascensionibus in corde suo dispositis, de virtute in virtutem, id est de gradu in gradum proficiunt, donec ad culmen humilitatis perveniant, in quo velut  
 C in Sion, id est in speculatione, positi, veritatem prospiciant. *Etenim, inquit, benedictionem dabit legislator* (*Psal. lxxxiii, 8*): quia qui dedit legem, dabit et benedictionem; hoc est, qui jussit humilitatem, perducet ad veritatem. Quis vero est hic legislator, nisi dulcis et rectus Dominus qui legem dedit delinquentibus in via? (*Psal. xxiv, 8*.) In via quippe delinquant, qui veritatem derelinquunt. Sed nunquid vel sic a dulci Domino derelinquantur? Ipsis ergo dulcis et rectus Dominus legem dat viam humilitatis, per quam redeant ad cognitionem veritatis. Dat occasionem recuperandæ salutis, quia dulcis est; non tamen absque disciplina legis, quia rectus est. Dulcis, quia perire non patitur; rectus, quia punire non obliviscitur.



## CAPUT II.

*Quo fructu ascendantur gradus humilitatis.*

3. Hanc itaque legem, quæ reditur ad veritatem, beatus Benedictus per duodecim gradus disponit : ut sicut per decem præcepta legis ac geminam circumcisionem (in quo duodenarius numerus adimpletur) ad Christum venit; ita his duodecim gradibus ascensis, veritas apprehendatur. Illud quoque quod in scala illa, quæ in typo humilitatis Jacob monstrata est, Dominus desuper innixus apparuit (*Gen. xxviii, 12, 13*), quid nobis aliud innuit, nisi quod in culmine humilitatis constituitur cognitio veritatis? Dominus quippe de summitate scalæ prospiciebat super filios hominum tanquam Veritas, cujus oculi sicut fallere nolunt, ita falli non norunt, ut videret si est intelligens aut requirens Deum. An non tibi de alto videtur clamare ac dicere requirentibus se (novit enim qui sunt ejus) : *Transite ad me, omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini?* (*Eccli. xxiv, 26*) et illud : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam* (*Matth. xi, 28*). Venite, inquit. Quo? Ad me veritatem. Qua? Per humilitatem. Quo fructu? Ego vos reficiam. Sed quæ est refectio, quam Veritas ascendentibus promittit, pervenientibus reddit? An forte ipsa est charitas? Ad hanc quippe, ut ait beatus Benedictus, ascensis omnibus humilitatis gradibus monachus mox perveniet (*Reg. cap. 7, grad. 12*). Vere dulcis et suavis cibus charitatis, quæ fessos allevat, debiles roborat, mæstos lætificat. Jugum denique Veritatis facit suave, et onus leve.

4. Bonus cibus charitas, quæ media in ferculo Salomonis consistens (*Cantic. iii, 9, 10*), diversarum odore virtutum, velut diversi generis fragrantia pigmentorum, esurientes reficit, **561** jucundat reficientes. Ibi siquidem apponitur pax, patientia, benignitas, longanimitas, gaudium in Spiritu sancto : et si quæ sunt aliæ veritatis seu sapientiæ generationes, apparantur [*al. apponuntur*] in illa. Habet et humilitas in eodem ferculo suas epulas, panem scilicet doloris et vinum compunctionis, quas primo Veritas incipientibus offert, quibus utique dicitur : *Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris* (*Psal. cxxvi, 2*). Habet ibidem contemplatio ex adipe frumenti solidum cibum sapientiæ, cum vino quod lætificat cor hominis, ad quæ Veritas perfectos invitat, dicens : *Comedite, amici mei, et bibite; et inebriamini, charissimi* (*Cantic. v, 1*). *Media*, inquit, *charitate constravit propter filias Jerusalem* (*id. ii, 10*); propter imperfectas videlicet animas, quæ, dum adhuc illum solidum cibum minus capere possunt, lacte interim charitatis pro pane, oleo pro vino nutriendæ sunt. Quæ recte *media* describitur, quia ejus suavitas nec incipientibus præsto est, prohibente timore; nec perfectis satis est, pro abundantiori contemplationis dulcedine. Hi adhuc a noxiis carnalium delectationum, humoribus, timoris amarissima potione purgandi, nondum lactis dulcedinem experiuntur : illi jam avulsi a lacte, epulari

**A** ab introitu gloriæ gloriosius delectantur : solis mediis, id est proficientibus, ita jam melleas quasdam sorbitiunculas charitatis expertis, ut illis interim pro sui teneritudine contenti sint.

5. Primus ergo cibus est humilitatis, purgatorius cum amaritudine : secundus charitatis, consolatorius cum dulcedine : tertius contemplationis, solidus cum fortitudine. Heu mihi, Domine Deus virtutum ! quousque irasceris super orationem servi tui, cibabis me pane lacrymarum, et potum dabis mihi in lacrymis? Quis me invitabit ad illud vel medium ac dulce charitatis convivium : ubi justii epulantur in conspectu Dei, et delectantur in lætitia, ut jam non loquens in amaritudine animæ meæ, dicam Deo, Noli me condemnare : sed epulando in azymis sinceritatis et veritatis, lætus cantem in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini? Bona tamen via humilitatis, qua veritas inquiritur, charitas acquiritur, generationes sapientiæ participantur. Denique sicut finis legis Christus, sic perfectio humilitatis, cognitio veritatis. Christus cum venit attulit gratiam : Veritas quibus innotuerit, dat charitatem. Innotescit autem humilibus : humilibus ergo dat gratiam.

## CAPUT III.

*Quo ordine gradus humilitatis ad propositum bravium veritatis perducant : et quomodo Christus per passionem didicit misericordiam.*

6. Dixi, ut potui, quo fructu humilitatis gradus ascendi debeant : dicam, ut poterò, quo ordine ad propositum bravium veritatis perducant. Sed, quia ipsa quoque veritatis agnitio in tribus gradibus consistit, ipsos breviter, si possum, distinguo : quatenus ex hoc clarius innotescat, ad quem trium veritatis, duodecimus humilitatis pertingat. Inquirimus namque veritatem in nobis, in proximis, in sui natura. In nobis, nosmetipsos dijudicando : in proximis, eorum malis compatiendo : in sui natura mundo corde contemplando. Observa sicut numerum, ita et ordinem. Primo te doceat Veritas ipsa, quod prius in proximis quam in sui debeat inquiri natura. Post hoc accipies, cur prius in te, quam in proximis inquirere debeas. In numero siquidem beatitudinum, quas suo sermone distinxit Dominus, prius misericordes, quam mundicordes posuit (*Matth. v, 7, 8*). Misericordes quippe cito in proximis veritatem deprehendunt, dum suos affectus in illos extendunt : dum sic per charitatem se illis conformant, ut illorum vel bona, vel mala, tanquam propria sentiant. Cum infirmis infirmantur, cum scandalizatis uruntur (*II Cor. xi, 29*). Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus consueverunt (*Rom. xii, 15*). Hac charitate fraterna cordis acie mundata, veritatem delectantur in sui contemplari **362** natura, pro cuius amore mala tolerant aliena. Qui vero ita se fratribus non consociant, sed e contrario aut flentibus insultant, aut gaudentibus derogant, dum quod in illis est, in se esse non sentiunt, quia similiter affecti non sunt, veritatem in proximis qualiter deprehendere possunt? Bene namque con-

venit illis illud vulgare proverbium : Nescit sanus A quid sentiat æger, aut plenus quid patiatur jejunos. Et æger ægro, et jejunos jejuno quanto propinquius, tanto familiarius compatiuntur. Sicut enim pura veritas non nisi puro corde videtur ; sic miseria fratris verius misero corde sentitur. Sed ut ob alienam miseriam miserum cor habeas, oportet ut tuam prius agnoscas : ut proximi mentem in tua invenias, et ex te noveris, qualiter illi subvenias, exemplo scilicet Salvatoris nostri, qui pati voluit, ut compati sciret ; miser fieri, ut misereri disceret, ut quomodo de ipso scriptum est, *Didicit ex his quæ passus est obedientiam (Hebr. v, 8)*, ita et misericordiam disceret. Non quod ante misereri nesciret, cujus misericordiã ab æterno, et usque in æternum : sed, quod natura sciebat ab æterno, temporali didicit experimen-

7. Sed forte durum tibi videtur, quod dixi Dei sapientiam Christum didicisse misericordiam ; quasi is per quem omnia facta sunt, aliquid aliquando ignorasset ex iis quæ sunt : maxime cum illud quod ex Epistola ad Hebræos ad id comprobandum commemoravi, alio sensu, qui non ita videatur absurdus, possit intelligi ; ut hoc quod dictum est, *didicit*, non ad ipsum caput referatur in sui persona, sed ad corpus ejus, quod est Ecclesia ; et ita sit sensus : *Et didicit ex iis quæ passus est obedientiam*, hoc est, obedientiam didicit in suo corpore ex iis quæ passus est in capite. Nam illa mors, illa crux, opprobria, sputa, flagella, quæ omnia caput nostrum Christus pertransiit, quid aliud corpori ejus, id est nobis, quam præclara obedientiæ documenta fuerunt ? *Christus enim, ait Paulus, factus est obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis (Philipp. ii, 8)*. Qua necessitate ? Respondeat apostolus Petrus : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini*, inquit, *vestigia ejus (I Petr. ii, 21)*, id est, ut imitemini obedientiam ejus. Ex his ergo quæ passus est, discimus quanta nos, qui puri homines sumus, oporteat pro obedientia perpeti, pro qua is, qui et Deus erat, non dubitaverit mori. Et hoc modo, inquis, non inconveniens erit, si dicatur Christus vel obedientiam, vel misericordiam, seu aliquid aliud in suo corpore didicisse : dum tamen sibi in sua persona nil, quod se ante la-

8. Non nego hunc intellectum, quin rectus sit : sed ex alio loco ipsius Epistolæ, superior interpretatio videtur approbari, ubi dicitur : *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abraham apprehendit : unde debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret (Hebr. ii, 16, 17)*. Puto quod hæc verba sic ad caput referenda sunt, ut corpori penitus aptari non possint. De Verbo utique Dei dictum est quod *non Angelos apprehendit*, hoc est, non in unam sibi personam assumpsit, *sed semen Abraham*. Neque enim legitur, Verbum angelus factum est, sed

*Verbum caro factum est (Joan. i, 14)*, et caro de carne Abraham, juxta promissionem, quæ illi primum facta est. Unde, id est ex qua seminis assumptione, debuit per omnia fratribus assimilari ; id est, oportuit ac necesse fuit, ut similis nobis passibilis, nostrarum omnia, excepto peccato, genera miseriarum percurreret. Si quæris, qua necessitate ? *Ut misericors, inquit, fieret*. Et hoc, ais, cur non recte ad corpus referri potest ? Sed audi quod paulo post sequitur : *In eo enim, in quo passus est ipse et tentatus, potens est et eis qui tentantur auxiliari (Hebr. ii, 18)*. In quibus verbis quid melius intelligi possit non video ; nisi quod ideo pati ac tentari, omnibusque, absque peccato, humanis voluit communicare miseriis (quod est per omnia fratribus simulari), ut similiter passis ac tentatis misereri ac compati ipso disceret experimento.

563 9. Quo quidem experimento non dico ut sapientior efficeretur, sed propinquior videretur : quatenus infirmi filii Adam, quos suos fieri et appellari fratres non dedignatus est (*Ibid. 11*), suas illi infirmitates committere non dubitarent, qui sanare illas et posset ut Deus, et vesset ut proximus, et cognosceret ut eadem passus. Unde Isaias virum enim appellat *dolorum, et scientem infirmitatem (Isa. LIII, 3)* ; et Apostolus : *Non enim habemus, inquit, Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris*. Unde autem possit, indicans adjungit : *Tentatum autem per omnia pro similitudine, absque peccato (Hebr. iv, 15)*. Beatus quippe Deus, beatus Dei Filius, in ea forma, qua non rapinam arbitratus est esse se æqualem Patri, procul dubio impassibilis, priusquam se exinanisset formam servi accipiens (*Philipp. ii, 6, 7*), sicut miseriam vel subjectionem expertus non erat, sic misericordiam vel obedientiam non noverat experimento. Sciebat quidem per naturam, non autem sciebat per experientiam. At ubi minoratus est non solum a seipso, sed etiam paulo minus ab Angelis, qui et ipsi impassibiles sunt per gratiam, non per naturam, usque ad illam formam, in qua pati et subjici posset, quod utique (sicut dictum est) in sua non posset ; et in passione expertus est misericordiam, et in subjectione obedientiam. Per quam tamen experientiam, non illi (ut dixi) scientia, sed nobis fiducia crevit, dum ex hoc misero genere cognitionis, is a quo longe erraveramus, factus est propior nobis. Quando enim illi appropinquare auderemus, in sua impassibilitate manenti ? Nunc autem, Apostolo suadente, monemur *cum fiducia adire thronum gratiæ ipsius (Hebr. iv, 16)*, quem nimirum, sicut alibi scriptum est, *languores nostros tulisse, et dolores nostros portasse cognoscimus (Isa. LIII, 4)*, et in eo quo passus est ipse, nobis compati posse non dubitamus.

10. Non ergo debet absurdum videri, si dicitur, Christum non quidem aliquid scire cœpisse, quod aliquando nescierit ; scire tamen alio modo misericordiam ab æterno per divinitatem, et aliter in tem-

pore didicisse per carnem. Vide ne et simili locutionis modo illud dictum sit, quod Dominus requirentibus discipulis de die ultimo se nescire respondit. Nam quomodo diem illum ille nesciebat, in quo omnes sapientiae et scientiae thesauri sunt absconditi? (*Coloss. II, 3.*) Cur ergo se scire negabat, quod certum est quia nescire non poterat? Numquid forte mendaciter eos voluit celare, quod utiliter non valuit innotescere? Absit. Sicut nil ignorare poterat, cum sapientia sit: sic nec mentiri, cum veritas sit. Sed volens discipulos ab inutilis inquisitionis curiositate compescere, quod inquirebant, se scire negavit: non omnino quidem, sed tali quodam modo, quo negare veraciter potuit. Nam, etsi suae divinitatis intuitu aequae omnia, praeterita scilicet, praesentia atque futura perlustrando, diem quoque illum palam habebat; non tamen ullis carnis suae sensibus experiendo agnoverat. Alioquin jam spiritu oris sui Antichristum interfecerat, jam auribus sui corporis archangelum vociferantem, et tubam sonantem, in quo strepitu mortui suscitandi sunt, audierat: jam oculis suae carnis oves haedosque, qui ab invicem segregandi sunt, perspexerat.

11. Denique ut intelligas, quod illa tantum cognitione, quae per carnem fit, se illum diem nescire perhibuerit, vigilanter respondens, non ait: Nec ego scio, sed *nec ipse*, inquit, *Filius hominis scit* (134) (*Marc. XIII, 32*). Quid est Filius hominis, nisi nomen assumptae carnis? Quo siquidem nomine intelligi datur, quia dicens se aliquid nescire, non juxta quod Deus est, sed secundum hominem loquitur. Alias quippe loquens de se secundum suam divinitatem, non Filius, vel Filium hominis; Sed ego, vel Me, saepius ponere consuevit, ut ibi: *Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum* (*Joan. VIII, 58*). *Ego sum*, ait: non, Filius hominis est. Nec dubium, quin de illa essentia diceret, qua ante Abraham et sine initio est, non qua post Abraham et ex Abraham factus est. Alibi quoque hominum de se opinionem a discipulis inquirens, *Quem dicunt, inquit, homines esse*, **564** non me, sed *Filium hominis*? Rursus eosdem interrogans, qui de se ipsi quoque sentirent: *Vos autem, non quem Filium hominis, sed quem me*, ait, *esse dicitis*? Carnalis videlicet populi sententiam de carne inquirens, nomen carnis, quod proprie est *Filius hominis*, posuit: spirituales vero discipulos de sua divinitate interrogans, non Filium hominis, sed signanter *me* dixit. Quod denique Petrus intelligens, quid per hoc quod dixerat, *me*, requisiti fuissent, sua responsione aperuit: *Tu es*, inquiens, non Jesus filius Virginis, sed *Christus Filius Dei* (*Matth. XVI, 13-16*). Quod utique si respondisset, nihilominus veritatem dixisset: sed in verbis interrogationis sensum interrogantis prudenter advertens, competenter proprieque ad interrogata respondit, dicens: *Tu es Christus, Filius Dei*.

A 12. Cum igitur videas Christum in una quidem persona duas habere naturas, unam qua semper fuit, alteram qua esse coepit; et secundum sempiternum suum quidem esse, semper omnia nosse; secundum temporalem vero, multa temporaliter expertum fuisse: cur fateri dubitas, ut esse in tempore coepit ex carne, sic carnis quoque miseras scire coepisse, illo duntaxat modo cognitionis, quem docet defectio carnis? Quod utique genus scientiae protoplasti sapientius felicisque nescirent, quando id attingere nisi stulte misereque non poterant. Sed plasmator eorum Deus requirens quod perierat, opus suum miseratus prosecutus est, descendens et ipse misericorditer, quo illi ceciderant miserabiliter. Voluit experiri in se, quod illi faciendo contra se merito paterentur, non simili quidem curiositate, sed mirabili charitate: non ut miser cum miseris remaneret, sed ut misericors factus miseros liberaret. Factus, inquam, misericors, non illa misericordia, quam felix manens habuit ab aeterno, sed quam mediante miseria reperit in habitu nostro. Porro pietatis opus, quod per illam coepit, in ista perfecit: non quod sola illa non posset perficere; sed quia nobis non potuit absque ista sufficere. Utraque siquidem necessaria; sed nobis haec magis congrua fuit. O ineffabilis pietatis excogitatio! Quando nos illam miram misericordiam cogitaremus, quam praecedens miseria non informat? Quando illam adverteremus incognitam nobis compassionem, quae non passione praeventa, cum impassibilitate perdurat? Attamen si illa, quae miseriam nescit misericordia non praecessisset, ad hanc, cujus miseria mater est, non accessisset. Si non accessisset, non attraxisset: si non attraxisset, non extraxisset. Unde autem extraxit, nisi de lacu miseriae, et de luto facis? (*Psal. XXXIX, 3.*) Nec illam tamen misericordiam deseruit, sed hanc inseruit: non mutavit, sed multiplicavit, sicut scriptum est: *Homines et jumenta salvabis, Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus* (*Psal. XXXV, 7, 8*).

#### CAPUT IV.

*Primus veritatis gradus est, primum seipsum attendere, seu propriam miseriam agnoscere.*

D 13. Sed jam ad propositum redeamus. Si ergo se miserum fecit, qui miser non erat, ut experiretur quod et ante sciebat: quanto magis tu, non dico ut te facias quod non es, sed ut attendas quod es, quia vere miser es, et sic discas misereri, qui hoc aliter scire non potes! ne forte, si proximi malum consideres, et tuum non attendas, movearis non ad miserationem, sed ad indignationem; non ad adjuvandum, sed ad judicandum: denique non ad destruendum in spiritu lenitatis, sed ad destruendum in spiritu furoris. *Vos, qui spirituales estis*, ait Apostolus, *hujusmodi instruite in spiritu lenitatis*. Apostoli consilium sive etiam praecipuum est, ut mansueto, id est eo spiritu fratri aegrotanti subvenias,

(134) Vide Retractationem initio hujus tractatus, col. 939-940.

quo tibi vis subveniri cum ægrotas. Et ut scias qualiter erga delinquentem mansuescere possis, *Considerans*, inquit, *teipsum*, ne et tu tenteris (Galat. vi, 1).

14. Considerare libet, quam bene discipulus Veritatis ordinem sequatur Magistri. In beatitudinibus, quas 565 supra memoravi (num. 6), sicut prius misericordes quam mundicordes, sic prius mites quam misericordes pronuntiati sunt (Matth. v, 4, 7, 8). Et Apostolus cum spirituales hortaretur ad instruendum carnales, adjunxit, *in spiritu lenitatis*. Instructio quippe fratrum pertinet ad misericordes; spiritus lenitatis, ad mites. Ac si diceret: Inter misericordes deputari non potest, qui in semetipso mitis non est. Ecce Apostolus aperte ostendit, quod superius me ostensurum promisi (num. 6), prius videlicet veritatem inquirendam esse in nobis, quam in proximis; *considerans*, inquit, *teipsum*, id est, quam facilis ad tentandum, quam pronus ad peccandum: quatenus ex tui consideratione mitescas, sicque ad succurrendum aliis in spiritu lenitatis accedas. Alioquin si monentem non audis discipulum, arguentem time Magistram: *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo; et sic videbis festucam ejicere de oculo fratris tui* (Matth. vii, 5). Trabes in oculo grandis et grossa, superbia in mente est: quæ quaedam corpulentia sui vana, non sana; tumida, non solida, oculum mentis obscurat, veritatem obumbrat: ita ut, si tuam occupaverit mentem, jam tu te videre, jam te talem, qualis es, vel qualis esse potes, non possis sentire: sed qualem te amas, talem te vel putes esse, vel speres fore. Quid enim aliud est superbia, quam (ut quidam sanctus definit [S. AUGUSTINUS, de Genesi ad litteram, lib. xi, nn. 24, 25, et alibi]), amor propriæ excellentiæ? Unde et nos possumus dicere per contrarium, humilitatem propriæ et excellentiæ esse contemptum. Amor vero, sicut nec odium, veritatis judicium nescit. Vis judicium Veritatis audire! *Sicut audio, sic judico* (Joan. v, 30). Non sicut odi, non sicut amo, non sicut timeo. Est judicium odii, ut illud: *Nos legem habemus, et secundum legem nostram debet mori* (Joan. xix, 7). Est et timoris, ut illud: *Si dimittimus eum sic, venient Romani et tollent nostrum locum et gentem* (Joan. xi, 48). Judicium vero amoris, ut David de filio parricida: *Parcite*, inquit, *puero Absalon* (II Reg. xviii, 5). Et legibus humanis statutum, et in causis, tam ecclesiasticis, quam sæcularibus servatum scio, speciales amicos causantium non debere admitti ad judicium: ne vel fallant, vel fallantur amore suorum. Quod si culpam amici tuo judicio amor illius aut minuit, aut prorsus abscondit: quanto magis amor tui tuum contra te judicium fallit!

15. Qui ergo plene veritatem in se cognoscere curat, necesse est ut semota trabe superbiæ, quæ oculum arcet a luce, ascensiones in corde suo disponat, per quas seipsum in seipso inquiret, et sic

A post duodecimum humilitatis ad primum veritatis gradum pertingat. Cum autem veritate inventa in se, imo se invento in veritate, dicere potuerit, *Credidi, propter quod locutus sum; ego autem humiliatus sum nimis*: ascendat homo ad cor altum, ut exaltetur veritas, et ad gradum secundum perveniens dicat in excessu suo: *Omnis homo mendax* (Psal. cxv, 10, 11). Putas, hunc ordinem David non tenuit! Putas, hoc non sensit Propheta, quod Dominus, quod Apostolus, quod et nos post ipsos, et per ipsos sentimus! *Credidi*, inquit, *Veritati dicenti: Qui sequitur me, non ambulat in tenebris* (Joan. viii, 12). *Credidi* ergo sequendo, *propter quod locutus sum* confitendo. Quid confitendo! Veritatem quam cognovi credendo. Postquam autem et credidi ad justitiam, et locutus sum ad salutem, *humiliatus sum nimis*, hoc est perfecte. Tanquam diceret: Quia veritatem cognitam in me confiteri contra me non erubui, ad perfectionem humilitatis profeci. *Nimis* enim pro Perfecte potest intelligi; ut ibi: *In mandatis ejus volet nimis* (Psal. cxv, 1). Quod si quis contendat, *nimis* hic pro Valde positum non pro Perfecte, quia et expositores id ipsum videntur astruere; neque hoc discordat a sensu Prophetæ, ut sic sentiamus eum dixisse: Ego quidem, cum adhuc veritatem non nossem, aliquid me putabam esse, cum nihil essem. At postquam in Christum credendo, id est ejus humilitatem imitando, veritatem agnovi; ipsa quidem exaltata est in me ex mea confessione: sed ego *humiliatus sum nimis*, id est, valde vilui mihi ex mei consideratione.

#### 566 CAPUT V.

*Secundus gradus veritatis est, ex agnitione propriæ infirmitatis, compati miseriæ proximi.*

16. Humiliatus ergo Propheta in hoc primo gradu veritatis, ut ait in alio psalmo: *Et in veritate tua humiliasti me* (Psal. cxviii, 75); semetipsum attendat, et ex propria miseria generalem perpendat: sicque ad secundum transiens dicat in excessu suo, *Omnis homo mendax*. In quo excessu suo? In illo procul dubio, quo sese excedens, ac veritati adhærens, seipsum dijudicat. In illo ergo excessu suo dicat, non indignando aut insultando, sed miserando et compatiendo: *Omnis homo mendax*. Quid est, *Omnis homo mendax*? *Omnis homo infirmus, omnis homo miser et impotens, qui nec se, nec alium possit salvare*. Sicut dicitur: *Fallax equus ad salutem* (Psal. xxxii, 17), non quod equus aliquem fallat, sed quia is seipsum fallit, qui in fortitudine ejus confidit: sic omnis homo dicitur mendax, id est fragilis, mutabilis, a quo salus non possit vel sua, vel aliena sperari: quin potius maledictionem incurrat, qui spem suam in homine ponit (Jerem. xvii, 5). Proficiens itaque humilis Propheta per ducatum veritatis, quodque in se lugebat videns in aliis, dum apponit scientiam, apponat et dolorem, ac generaliter, sed veraciter dicat: *Omnis homo mendax*.

17. Vide quam longe aliud senserit de se Pharisæus ille superbus. Quid deprompsit in excessu suo? *Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum* (Luc. xviii, 11). Dum in se singulariter exultat, aliis arroganter insultat. David autem aliter. Ait enim: *Omnis homo mendax*. Neminem excipit, ne quem decipiat: sciens quia omnes peccaverunt, et omnes egent gloria Dei (Rom. iii, 23). Pharisæus se solum decipit, quem solum excipit, dum cæteros damnat. Propheta se non excipit a communi miseria, ne excipiatur a misericordia: Pharisæus exsufflat misericordiam, dum dissimulat miseriam. Propheta affirmat tam de omnibus, quam de se: *Omnis homo mendax*: Pharisæus confirmat de omnibus præter se, *Non sum*, inquit, *sicut cæteri hominum*. Et gratias agit, non quia bonus, sed quia solus: non tamen de bonis quæ habet, quam de malis quæ in aliis videt. Nondum de suo trabem ejecerat, et festucas in oculis fratrum enumerat. Nam subdit: *Injusti, captores* (Luc. xviii, 11). Non frustra, ut arbitror, excessum a proposito feci, si utriusque excessus differentiam intellexisti.

18. Jam ad propositum redeundum est. Quos itaque veritas sibi jam innotescere, ac per hoc vilescere fecit, necesse est, ut cuncta, quæ amare solebant, et ipsi sibi amarescant. Statuentes nimirum se ante se, tales se videre cogunt, quales vel a se videri erubescunt. Dumque sibi displicet quod sunt, et ad id suspirant quod non sunt, quod utique per se fore diffidunt; vehementer sese lugentes id solum consolationis inveniunt, ut severi iudices sui, qui scilicet amore veri esuriant et sitiunt justitiam, usque ad contemptum sui districtissimam de se exigant satisfactionem, et de cætero emendationem. Sed, cum se ad id sufficere non posse conspiciunt (cum enim fecerint omnia quæ mandata fuerint sibi, servos se inutiles dicunt (Luc. xvii, 10), de justitia ad misericordiam confugiunt. Ut autem illam consequantur, consilium Veritatis sequuntur: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (Matth. v, 7). Et hic est secundus gradus veritatis, quo eam in proximis inquirunt; dum de suis aliorum necessitates exquirunt; dum ex iis quæ patiuntur, patientibus compati sciunt.

#### CAPUT VI.

*Tertius gradus veritatis, mundare oculum cordis ad contemplanda cælestia et divina.*

19. In his ergo tribus quæ dicta sunt, id est in luctu pœnitentiæ, in desiderio justitiæ, in operibus misericordiæ si perseverant, a tribus impedimentis, quæ 567 aut ignorantia, aut infirmitate, aut studio contraxerunt, cordis aciem mundant, quo per contemplationem ad tertium veritatis gradum pertranscant. Hæ sunt viæ, quæ videntur hominibus bonæ, illis duntaxat exceptis, qui lætantur cum male fecerint, et exsultant in rebus pœssimis (Prov. ii, 14), ac se de infirmitate vel ignorantia tegunt ad excusandas excusationes in peccatis (Psal. cxi, 4). Sed frustra sibi de infirmitate, vel ignorantia blandiuntur,

qui ut liberior peccent, libenter ignorant, vel infirmantur. Putas, primo homini profuit, licet ipse non libenter peccavit, quod se per uxorem, tanquam per carnis infirmitatem, defendit (Gen. iii, 12)? aut primi martyris lapidatores, quoniam aures suas continuerunt (Act. vii, 56), per ignorantiam excusabiles erunt? Qui igitur studio et amore peccandi a veritate se sentiunt alienatos, infirmitate et ignorantia pressos; studium in gemitum, amorem in mœrorem convertant, infirmitatem carnis fervore justitiæ vincant, ignorantiam liberalitate repellant: ne si nunc egentem, nudam et infirmam veritatem ignorant, cum potestate magna et virtute venientem, terrenam, arguentem, sero cum rubore cognoscant, frustra cum tremore respondeant: *Quando te vidimus egere, et non ministravimus tibi?* (Matth. xxv, 44.) Cognoscetur certe Dominus iudicia faciens (Psal. ix, 17), qui nunc ignoratur misericordiam quærens. Denique videbunt in quem transfixerunt (Joan. xix, 37): similiter et avari quem contempserunt. Ab omni ergo labe, infirmitate, ignorantia studiove contracta, flendo, justitiam esuriendo, operibus misericordiæ insistendo, mundatur oculus cordis, cui se in sui puritate Veritas videndam promittit: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (Matth. v, 8). Cum sint itaque tres gradus seu status veritatis, ad primum ascendimus per laborem humilitatis, ad secundum per affectum compassionis, ad tertium per excessum contemplationis. In primo veritas reperitur severa; in secundo, pia; in tertio, pura. Ad primum ratio ducit, qua nos discutimus; ad secundum affectus perducit, quo aliis miseremur; ad tertium puritas rapit, qua ad invisibilia sublevamur.

#### CAPUT VII.

*Quomodo sancta Trinitas hos tres veritatis gradus in nobis operetur.*

20. Interlucet hic mihi mira quædam ac divisa individue Trinitatis operatio, si quo modo tamen ab homine sedente in tenebris ineffabilis illa possit capi cooperantium sibi personarum divisio. In primo siquidem gradu Filius, in secundo Spiritus sanctus, in tertio mihi Pater operari videtur. Vis audire Filii operationem? *Si ego, inquit, lavi vobis pedes Domini et magister, quanto magis et vos debetis alter alterius lavare pedes?* (Joan. xiii, 14.) Tradebat discipulis humilitatis formam veritatis Magister, qua in primo gradu primum eis veritas innotesceret. Attende et opus Spiritus sancti: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (Rom. v, 5). Charitas quippe donum est Spiritus sancti, qua fit ut qui sub disciplina Filii per humilitatem ad primum usque gradum veritatis jam profecerunt, ad secundum per compassionem proximi, sub magisterio Spiritus sancti perveniant. Audi et de Patre, *Beatus es, Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cælis* (Matth. xvi, 17); et illud, *Pater filiis notam faciet veritatem suam* (Isai. xxxviii, 19); et, *Confiteor tibi,*

*Pater, quia abscondisti hæc a sapientibus, et revelasti ea parvulis (Matth. xi, 25):* Vides quia quos verbo et exemplo prius Filius humiliavit, super quos deinde Spiritus sanctus charitatem effudit, hos tandem in gloria Pater recepit? Filius facit discipulos, Paraclitus consolatur amicos, Pater exaltat filios. Quia vero non solum Filius, sed et Pater et Spiritus sanctus veraciter Veritas appellantur; constat quod una eademque Veritas, servata proprietate personarum, tria hæc in tribus gradibus operatur. Primo scilicet instruit, ut magister: secundo consolatur, ut amicus vel frater: tertio astringit, ut filios pater:

**568** 21. Dei quippe Filius, Verbum scilicet ac sapientia Patris, primum quidem illam animæ nostræ potentiam, quæ ratio dicitur, cum reperit carne depressam, peccato captivam, ignorantia cæcam, exterioribus deditam; clementer assumens, potenter erigens, prudenter instruens, introrsum trahens, ac mirabiliter utens tanquam pro se vicaria, ipsam sibi iudicem statuit, ita ut pro reverentia Verbi cui conjungitur, ipsa sui accusatrix, testis, et iudex, contra se Veritatis fungatur officio. Ex qua prima conjunctione Verbi et rationis humilitas nascitur. Aliam deinde partem, quæ dicitur voluntas, veneno quidem carnis infectam, sed jam ratione discussam, Spiritus sanctus dignanter visitans, suaviter pugnans, ardentem afficiens, misericordem facit: ita ut more pellis, quæ uncta extenditur, ipsa quoque unctione perfusa cœlesti usque ad inimicos per affectum dilatetur. Et sic ex hac secunda conjunctione Spiritus Dei et voluntatis humanæ, charitas efficitur. Utramque vero partem, rationem scilicet et voluntatem, alteram verbo veritatis instructam, alteram spiritu veritatis afflatam; illam hyssopo humilitatis aspersam, hanc igne charitatis succensam; tandem jam perfectam animam, propter humilitatem sine macula, propter charitatem sine ruga; cum nec voluntas rationi repugnat, nec ratio veritatem dissimulat, gloriosam sibi sponsam Pater conglutinat: ita ut nec ratio de se, nec voluntas de proximo cogitare sinatur, sed hoc solum beata illa anima dicere delectetur, *Introduxit me Rex in cubiculum suum*. Digna certe, quæ de schola humilitatis, in qua primum sub magistro Filio ad seipsam intrare didicit, juxta comminationem ad se factam, *Si ignoras te, egredere et pasce hædos tuos (Cantic. 1, 5, 7)*; digna ergo, quæ de schola illa humilitatis duce Spiritu sancto in cellaria charitatis (quæ nimirum proximorum pectora intelligenda sunt) per affectionem introduceretur; unde suffulta floribus, ac stipata malis, bonis scilicet moribus et virtutibus sanctis, ad Regis demum cubiculum, cujus amore languet, admitteretur. Ibi modicum, hora videlicet quasi dimidia, silentio facto in cœlo, inter desideratos amplexus suaviter quiescens, ipsa quidem dormit, sed cor ejus vigilat, quo ulique interim veritatis arcana rimatur: quorum postmodum memoria statim ad se reditura pascatur. Ibi videt invisibilia, audit in-

A effabilia, quæ non licet homini loqui. Excedunt quippe omnem illam, quam nox nocti indicat, scientiam: dies tamen diem eructat verbum, et inter sapientes sapientiam loqui et spiritualibus spiritualia licet conferri.

#### CAPUT VIII.

*Gradus iidem in raptu sancti Pauli declarantur.*

22. Putas, hos gradus Paulus non transierat, qui usque ad tertium cœlum se raptum fuisse testatur? (*II Cor. xii, 2.*) Sed quare raptum, et non potius ductum? Ut videlicet si tantus Apostolus raptum se dicit fuisse, quo nec doctus scivit, nec ductus potuit ire; me, qui procul dubio minor sum Paulo, ad tertium cœlum nulla mea virtute, nullo meo labore pervenire posse præsumam: ne vel de virtute confidam, vel pro labore diffidam. Qui enim docetur aut ducitur, ex hoc ipso quod docentem vel ducentem sequitur, laborare convincitur, et aliquid ex se agit, ut ad destinatum locum vel sensum pertrahatur, ita ut dicere possit: *Non autem ego, sed gratia Dei mecum (I Cor. xv, 10)*. Qui vero rapitur, non suis viribus, sed alienis innixus, tanquam nescius quocumque portatur, nec de toto in se, nec de parte gloriatur, ubi nec per se, nec cum alio aliquid operatur. Ad primum itaque sive ad medium cœlum ductus vel adjutus Apostolus ascendere potuit: ad tertium autem ut perveniret, rapti oportuit. Nam ad hoc et Filius legitur descendisse, ut vocaret et juvaret ascensuros ad primum: et Spiritus sanctus missus fuisse, qui perduceret ad secundum. Pater vero, licet Filio et Spiritui sancto semper cooperetur, nunquam tamen aut de cœlo descendisse, aut **569** ad terras legitur missus fuisse. Lego certe, quod *miser cordia Domini plena est terra (Psal. xxxii, 5)*; et, *Pleni sunt cœli et terra gloria tua*, et multa hujusmodi. Lego et de Filio, *Postquam venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum (Galat. iv, 4)*. Et ipse Filius loquitur de se, *Spiritus Domini misit me (Isa. lxi, 1)*. Et per eundem prophetam: *Et nunc, inquit, Dominus misit me et Spiritus ejus (Isa. xlviii, 16)*. Lego et de Spiritu sancto, *Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo (Joan. xiv, 26)*; et, *Cum assumptus fuero, mittam vobis eum (Joan. xvi, 7)*, haud dubium quin Spiritum sanctum. Patrem autem in sua persona, licet nusquam non sit, nusquam tamen invenio nisi in cœlis, ut in Evangelio, *Et Pater meus qui in cœlis est (Matth. xxiii, 9)*; et in oratione, *Pater noster qui es in cœlis (Matth. vi, 9)*.

23. Unde nimirum colligo, quod quia Pater non descendit, Apostolus ut eum videret, ad tertium cœlum ascendere quidem non potuit, quo tamen se raptum memoravit. Denique, *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo Filius hominis (Joan. iii, 13)*. Et ne putes de primo dictum vel secundo, dicit tibi David: *A summo cœlo egressio ejus (Psal. xviii, 7)*. Ad quod iterum non subito raptus, non furtim sublatus, sed, *Videntibus, inquit, illis, id est Apo-*

stolis, *elevatus est* (Act. 1, 9). Non sicut Elias, qui unum (IV Reg. 11); non sicut Paulus, qui nullum (vix enim vel seipsum testem aut arbitrum habere potuit, ipso prohibente, *Nescio, Deus scit* [II Cor. xii, 2]) : sed ut Omnipotens, qui quando voluit descendit, quando voluit ascendit, pro suo arbitrio arbitros et spectatores, locum et tempus, diem et horam exspectans, *videntibus illis*, quos scilicet tanta visione dignatur, *elevatus est*. Raptus est Paulus, raptus est Elias, translatus est Enoch (Eccli. xlv, 16) : Redemptor vero noster legitur *elevatus*, hoc est, ex seipso levatus, non aliunde adjutus. Denique non currus vehiculo, non angeli adminiculo, sed propria virtute subnixum *suscepit eum nubes ab oculis eorum* (Act. 1, 9). Cur hoc? An fessum juvit? an pigrum impulit? an cadentem sustinuit? Absit. Sed suscepit eum ab oculis carnalibus discipulorum : qui, etsi Christum noverant secundum carnem, sed ultra jam non noscerent. Quos ergo per humilitatem ad primum cœlum Filius vocat, hos in secundo per charitatem Spiritus aggregat, ad tertium per contemplationem Pater exaltat. Primo humiliantur in veritate, et dicunt, *In veritate tua humiliasti me* (Psal. cxviii, 75). Secundo congaudent veritati, et psallunt, *Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum?* (Psal. cxxxii, 1.) De charitate quippe scriptum est, *Congaudet autem veritati* (I Cor. xiii, 6). Tertio ad arcana veritatis rapiuntur, et aiunt, *Secretum meum mihi, secretum meum mihi* (Isa. xxiv, 16).

## CAPUT IX.

*Gemitus et suspiria sancti Bernardi; ad Veritatem anhelantis.*

24. Sed quid ego miser superflua magis loquacitate, quam spiritus vivacitate duos cœlos superiores percurro, qui manibus pedibusque repens adhuc sub inferiore laboro? Ad quod tamen jam, ipso juvante, quo et vocante, mihi scalam erexi. Illic siquidem iter est, quo ostendat mihi salutare Dei. Jam Dominum desuper innixum suspicio, jam ad vocem veritatis exulto. Vocavit me, et ego respondi illi : *Operi manuum tuarum porriges dexteram* (Job xiv, 15). Tu quidem, Domine, gressus meos dinumeras, sed ego lentus ascensor, fessus viator, diverticula quæro. Væ mihi, si tenebræ me comprehendant, aut si mea fuga fiat in hieme, vel in Sabbato : dum nunc ad lucem, cum tempus acceptabile et dies salutis sunt, proficisci dissimulo. Quid moror? Ora pro me, fili, frater, socie, et particeps profectus mei, si quis est, in Domino. Ora Omnipotentem, quatenus sic pigrum roboret pedem, ut tamen non veniat mihi pes superbiæ. Etsi enim pes piger, ut ad veritatis gradum ascendat, idoneus non est : tolerabilior tamen est isto, qui in ea stare non potest, ut habes ibi : *Expulsi sunt, nec potuerunt stare* (Psal. xxxv, 12, 13).

25. Et hoc quidem de superbis. Sed quid de illorum capite? quid de illo, qui dicitur *rex super omnes filios superbiæ?* (Job. xli, 25.) Et ipse, inquit,

*in veritate non stetit* (Joan. viii, 44) : et alibi, **570** *Videbam Satanam sicut fulgur cadentem de cœlo* (Luc. x, 18). Quare hoc, nisi propter superbiam? Væ mihi, si et me viderit, qui alta a longe cognoscit, superbientem; et illam in me terribilem intonet vocem : Tu quidem filius Excelsi eras, sed sicut homo morieris, et sicut unus de principibus cades (Psal. lxxxii, 6, 7). Quis non ab hujus tonitruum voce formidet? O quam salubrius ad tactum angeli nervus femoris Jacob emarcuit (Gen. xxxii, 25), quam angeli superbientis intunuit, evanuit, ruit. Utinam et meum nervum angelus tangat ut marcescat, si forte ex hac infirmitate incipiam proficere, qui ex mea firmitate non possum nisi deficere. Lego profecto : *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus* (I Cor. i, 25). Sic quoque Apostolus de suo nervo conquestus, quem angelus non Domini, sed Satanæ colaphizabat, responsum audivit : *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur*. Quæ virtus? Ipse Apostolus respondeat : *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi* (II Cor. xii, 9). Sed nondum forsitan intelligis, de qua specialiter dixerit, quia Christus omnes virtutes habuit. Sed, cum omnes habuerit, præ omnibus tamen unam, id est humilitatem, nobis in se commendavit, cum ait : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (Matth. xi, 29).

26. Libenter igitur et ego, Domine Jesu, gloria- bor, si potero, in mea infirmitate, in mei nervi contractione, ut tua virtus, id est humilitas, perficiatur in me. Nam sufficit mihi gratia tua, cum defecerit virtus mea. Pedem profecto gratiæ fortiter figens, et meum qui infirmus est, leniter trahens, securus ascendam per scalam humilitatis : donec veritati adhærens, ad latitudinem transeam charitatis. Tunc psallam cum gratiarum actione, et dicam : *Statuisti in loco spatiose pedes meos* (Psal. xxx, 9). Sic arcta via cautius inceditur strictim, sic ardua scala tutius pedetentim ascenditur; sic miro modo licet pigrius, ad veritatem tamen firmiter claudicando ascenditur. Sed, heu mihi! quia ineolatus meus prolongatus est? (Psal. cxix, 5.) Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, quibus celerius volem ad veritatem, ut jam requiescam in charitate? (Psal. lxxv, 7.) Quæ quoniam desunt, deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua, et veritas liberabit me. Væ mihi quod de illa descendi. Nisi enim prius leviter, inaniter descendissem; in ascendendo tamdiu, tam graviter non laborassem. Sed quid dico, Descendi? nam fortasse rectius Cecidi dixerim. Nisi quia forte sicut nemo repente fit summus, sed gradatim quisque ascendit; sic nemo repente fit pessimus, sed paulatim descendit. Alioquin quomodo stabit illud : *Impius cunctis diebus vitæ suæ superbit?* (Job xv, 20.) Denique sunt viæ, quæ videntur hominibus bonæ, et tamen ad malum deducunt.

27. Est ergo via descensionis, sicut et ascensionis. Et via est ad bonum, et via est ad malum. Cave

malam, elige bonam. Si per te non potes, ora cum propheta, et dic: *Viam iniquitatis amove a me. Quomodo? Et de lege tua miserere mei*; illa scilicet lege, quam dedisti delinquentibus in via, id est derelinquentibus veritatem, de quibus unus ego sum, qui vere a veritate cecidi. Sed numquid qui cecidit, non adjiciet ut resurgat? Propter hoc *viam veritatis elegit*, qua ascendam humiliatus, unde superbiendo descendi. Ascendam, inquam, et psallam: *Bonum mihi, Domine, quod humiliasti me; bonum mihi lex oris tui super millia auri et argenti* (*Psal. cxviii, 29, 30, 71, 72*). Duas tibi vias videtur David proposuisse, sed unam noveris esse; ipsam tamen a se diversam, et diversis nominibus appellatam, aut *iniquitatis* propter descendentes, aut *veritatis* propter ascendentes: quia et iidem gradus sunt ascendentium in solium, et descendentium; et eadem via accedentium ad civitatem, et recedentium; et unum ostium

A est ingredientium domum, et egredientium. Per unam denique scalam ascendentes Angeli, et descendentes Jacob apparuerunt (*Gen. xxviii, 12*). Quo spectant hæc? Ut videlicet si ad veritatem redire cupis, non necesse sit viam quærere novam quam non nosti, sed notam qua descendisti: quatenus reciprocis gressibus tua ipse vestigia sequens, per eosdem gradus humiliatus ascendas, per quos superbiendo **571** descenderas: ita ut qui duodecimus superbiæ fuit descendentem, primus humilitatis sit ascendentem; undecimus, inveniatur secundus; decimus, tertius; nonus, quartus; octavus, quintus; septimus, sextus; sextus, septimus; quintus, octavus; quartus, nonus; tertius, decimus; secundus, undecimus; primus, duodecimus. Quibus superbiæ gradibus in te inventis, imo recognitis, jam non laboras in quærendo viam humilitatis.

## ALTERA PARS TRACTATUS

### DE DUODECIM GRADIBUS SUPERBIÆ.

#### CAPUT X.

*De primo superbiæ gradu, qui est curiositas (135).*

28. Primus itaque superbiæ gradus est curiositas. Hanc autem talibus indiciis deprehendes. Si videris monachum, de quo prius bene confidebas, ubicunque stat, ambulat, sedet, oculis incipientem vagari, caput erectum, aures portare suspensas; e motibus exterioris hominis interiorem immutatum agnoscas. Vir quippe perversus annuit oculo, terit pede, digito loquitur (*Prov. vi, 12, 13*); et ex insolenti corporis motu, recens animæ morbus deprehenditur: quam, dum a sui circumspicione torpescit incuria sui, curiosam in alios facit. Quia enim seipsam ignorat, foras mittitur, ut hædos pascat (*Cantic. i, 7*). Hædos quippe, qui peccatum significant, recte oculos auresque appellaverim: quoniam sicut mors per peccatum in orbem, sic per has fenestras intrat ad mentem. In his ergo pascendis se occupat curiosus, dum scire non curat qualem se reliquerit intus. Et vere si te vigilanter, homo, attendas, mirum est si ad aliud unquam intendas. Audi, curiose, Salomonem; audi, stulte, Sapientem. *Omni custodia,* inquit, *custodi cor tuum* (*Prov. iv, 23*): ut omnes videlicet sensus tui vigilent ad id, unde vita procedit, custodiendum. Quo enim a te, o curiose, recedis? Cui te interim committis? Utquid audes oculos levare ad cælum, qui peccasti in cælum? Terram intueri, ut cognoscas teipsum. Ipsa te tibi representabit, quia terra es, et in terram ibis.

29. Duabus tamen ex causis inculpabiliter oculos levare, ut vel petas auxilium, vel impendas. Levavit oculos David in montes, ut peteret (*Psal. cxx, 1*): levavit et Dominus super turbas, ut impenderet (*Joan. vi, 5*). Alter miserabiliter, alter misericor-

diter, ambo inculpabiliter. Tu quoque si locum, tempus et causam considerans, tua vel fratris necessitate oculos levare; non solum non culpo, sed et plurimum laudo. Hoc enim excusat miseria, illud commendat misericordia. Sin alias, non Prophetæ, non Domini, sed Dinæ aut Evæ, imo ipsius Satanæ imitatore te dixerim. Dina namque dum ad pascendos hædos egreditur, ipsa patri, et sua sibi virginitas rapitur (*Gen. xxxiv, 1, 2*). O Dina, quid necesse est ut videas mulieres alienigenas? Qua necessitate? qua utilitate? An sola curiositate? Etsi tu otiose vides, sed non otiose videris. Tu curiose spectas, sed curiosius spectaris. Quis crederet tunc illam tuam curiosam otiositatem, vel otiosam curiositatem, fore post sic non otiosam, sed tibi, tuis, hostibusque tam perniciosam?

30. Tu quoque, o Eva, in paradiso posita es, ut cum viro tuo opereris et custodias illum: si injunctum perfeceris, quandoque transitura ad melius, ubi nec opus sit te in aliquo opere occupari, nec de custodia sollicitari. Omne lignum paradisi tibi conceditur ad vescendum, præter illud, quod dicitur *scientiæ boni et mali* (*Gen. ii, 15-17*). Si enim cætera bona sunt, et sapiunt bonum, quid est opus edere de ligno, quod sapit etiam malum? *Non plus sapere, quam oportet sapere* (*Rom. xii, 3*). Sapere enim malum, sapere non est, sed desipere. Serva ergo commissum, exspecta promissum; cave prohibitum, ne perdas concessum. Quid tuam mortem tam intente intueris? Quid illo tam crebro vagantia lumina jacis? Quid spectare libet, quod manducare non licet? Oculos, inquis, tendo, non manum. **572** Non est interdictum ne videam, sed ne comedam. An non licet oculos quo volo levare, quos Deus

(135) Huic opponitur duodecimus humilitatis gradus. Modestia scilicet, præsertim oculorum.



in mea posuit potestate? Ad quod Apostolus: *Omnia A mihi licent, sed non omnia expediunt (1 Cor. vi, 12).*

Etsi culpa non est, culpæ tamen indicium est. Nisi enim mens minus se curiose servaret, tua curiositas tempus vacuum non haberet. Etsi culpa non est, culpæ tamen occasio est, et indicium commissæ, et causa est committendæ. Te enim intenta ad aliud, latenter interim in cor tuum serpens illabitur, blande alloquitur. Blanditiis rationem, mendaciis timorem compescit. *Nequaquam, inquit, morieris (Gen. iii, 4).* Auget curam, dum incitat gulam: acuit curiositatem, dum suggerit cupiditatem. Offert tandem prohibitum, et aufert concessum: porrigit pomum, et subripit paradysum. Hauris virus peritura, et perituros paritura. Perit salus, non destitit partus. Nascimur, morimur: ideoque nascimur morituri, quia prius morimur nascituri. Propterea grave jugum super omnes filios tuos usque in hodiernum diem.

31. Sed et tu, signaculum similitudinis, non in paradiso, sed in deliciis paradisi Dei positus es (*Ezech. xxviii, 12, 13*). Quid amplius quærere dehes? Plenus ergo sapientia, et perfectus decore, altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris. Sta in te, ne cadas a te, si ambulas in magnis et in mirabilibus super te. Sed quid interim ex obliquo intendis ad aquilonem? Jam te video, jam te perspicio nescio quæ supra te curiosius alta rimantem. *Ponam, inquit, sedem meam ad aquilonem (Isa. xiv, 13).* Cæteris astantibus coelicolis, dum tu solus sedere affectas, fratrum concordiam, totius cœlestis patriæ pacem, ipsius, quantum in te est, quietem Trinitatis infestas. Quo te tua, miser, curiositas ducit, ut præsumptione singulari non dubites civibus scandalum, injuriam facere Regi? Millia millium ministrant ei, et decies centena millia assistunt ei (*Dan vii, 10*), ubi nemo sedere perhibetur, nisi solus is qui sedet super Cherubim, cui a cæteris ministratur: et tu nescio quæ præ cæteris perspicendo differentius, curiosius inquirendo, irreverentius pervadendo, sedem tibi collocas in cœlo, ut sis similis Altissimo? Quo fine? qua fiducia? Metire, insipiens, vires, pensa finem, excogita modum. Sciente hoc Altissimo præsumis, an nesciente? volente, an non volente? Sed quomodo malum quodcumque machinaris, aut velle, aut ignorare potest, cujus optima voluntas, cujus perfecta scientia est? Numquid autem et scire, et nolle non dubitas, sed non posse resistere putas? At vero nisi te conditum esse dubitaveris, dubitare te non crediderim de omnipotentia, sive de omnimoda scientia ac bonitate Conditoris, qui te de nihilo potuit, talem scivit, tantum condere voluit. Quomodo ergo Deum consentire æstimas, quod fieri nolit, ac refellere possit? An forte in te video compleri, imo a te initiari, quod post te, et per te a tui similibus in terris frequentatum solet vulgariter dici: Privatus dominus temerarios nutrit [*al. add. satellites*]? An oculos tuus nequam est, quia ille bonus? De cujus bonitate

dum fiduciam nefariam sumis, factus es et contra scientiam impudens, et contra potentiam audax.

32. Hoc est enim, o impie, hoc est quod cogitas; hæc est iniquitas, quam meditaris in cubili tuo, et dicis: Putas Creator opus suum destruat? Scio quidem quia non latet Deum qualiscunque cogitatio mea: Deus enim est. Nec placet ei talis cogitatio mea, quia bonus est. Sed nec si velit effugiam manus ejus, quia potens est. Nunquid tamen mihi timendum est? Si enim cum bonus sit, non potest illi placere malum meum, quanto minus suum? Meum quippe dixerim contra ejus voluntatem aliquid velle: suum autem, si vindicet sese. Tam ergo quodcumque scelus non valet velle ulcisci, quam nec vult, nec valet sua bonitate privari. Fallis te, miser, fallis te, non Deum. Te, inquam, fallis, et mentitur iniquitas sibi, non Deo. Dolose quidem agis, sed in conspectu ejus. Te ergo fallis, non Deum. Et quia de magno ejus bono in te, **573** tu magnum in eum excogitas malum, merito iniquitas tua invenitur ad odium. Quæ major namque iniquitas, quam ut inde a te Creator contemnatur, unde plus amari merebatur? Quæ major iniquitas, quam cum de potentia Dei non dubites, quin te scilicet destruere possit qui condere potuit; confusus tamen de multa ejus dulcedine, qua speras eum nolle vindicare cum possit; mala pro bonis, odium pro dilectione retribuas?

33. Hæc, inquam, iniquitas, non ira momentanea, sed odio digna est sempiterno, qua tuo dulcissimo et altissimo Domino, licet invito, desideras tamen ac speras æquari, quatenus semper videat quod dolcat, dum te socium habeat cum nolit, nec dejiciat cum possit; quin potius eligat ipse dolere, quam te patiatur perire; possit quidem dejicere si velit, sed præ dulcedine, ut æstimas, velle non possit. Certe si talis est qualem putas, tanto nequius agis, si non amas. Et si ille patitur aliquid fieri contra se potius, quam ipse aliquid faciat contra te; quanta malitia est, ut vel tu non parcas illi, qui sibi non parcat, parcendo tibi? Absit tamen ab ejus perfectione, ut quia dulcis est, justus non sit, quasi simul dulcis et justus esse non possit: cum melior sit justa dulcedo, quam remissa; imo virtus non sit dulcedo sine justitia. Quia igitur gratiæ Dei bonitati, qua gratis factus es, ingratus existis, justitiam vero quam expertus non es, non metuis; ideoque audacter committis culpam, de qua falso tibi promittis impunitatem: jam ecce justum senties, quem bonum nosti, cadens in foveam, quam paras auctori: ut dum scilicet talem in eum pœnam machinaris, qua tamen valeat carere si velit, sed ut putas non valeat velle; et ideo nec carere ea utique bonitate, qua neminem expertus es illum punisse: talem justus Deus justissime in te retorqueat pœnam, qui nec valet, nec debet pati suam impune bonitatem offendi: sic utique temperans in vindicta sententiam, ut, si velis resipiscere, non neget veniam; secundum tamen duritiam tuam et cor impœnitens, non possis velle, et ideo nec pœna carere.

34. Sed jam audi calumniam : *Cœlum*, inquit, *mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum* (*Isa. LXVI, 1*). Non dixit, Oriens, aut Occidens, aut Una aliqua cœli plaga : sed, Totum cœlum mihi sedes est. Non potes ergo in parte sedere cœli, cum ille totum elegerit sibi. In terra non potes, quia scabellum pedum ejus est. Terra etenim locus solidus est, ubi sedet Ecclesia, fundata supra firmam petram. Quid facies? E cœlo pulsus, in terra remanere non potes. Elige ergo tibi in aere locum, non ad sedendum, sed ad volandum : ut qui tentasti concutere statum æternitatis, poenam sentias propriæ fluctuationis. Te ergo fluctuante inter cœlum et terram, sedet Dominus super solium excelsum et elevatum, et plena est omnis terra majestate ejus (*Isa. VI, 3*), ut nusquam nisi in aere invenias locum.

35. Seraphim namque aliis quidem alis suæ contemplationis de throno ad scabellum, de scabello ad thronum volantia, aliis caput Domini pedesque velantia, ad hoc ibi posita puto, ut sicut homini peccanti paradisi per Cherubin prohibetur ingressus, ita et per Seraphim tuæ curiositati modus imponatur (136) : quatenus nec cœli jam magis impudenter, quam prudenter arcana rimeris, nec Ecclesiæ mysteria cognoscas in terris ; sed solis contentus sis cordibus superbiorum, qui nec in terra dignantur esse sicut cæteri hominum, nec sicut Angeli volant ad cœlum. Licet vero et caput in cœlo, et pedes in terra a te abscondantur ; quiddam tamen tibi medium videndum ad invidendum duntaxat permittitur : dum suspensus in aere, descendentes quidem per te, et ascendentes Angelos intueris ; sed quid vel audiant in cœlis, vel nuntient terris, penitus nescis.

36. O Lucifer, qui mane oriebaris, imo non jam lucifer, sed noctifer, aut etiam mortifer, rectus cursus tuus erat ab oriente ad meridiem, et tu præpostero ordine tendis ad aquilonem? Quanto magis ad alta festinas, tanto celerius ad occasum declinas. Velim tamen curiosius, o curiose, intentionem tuæ curiositatis inquirere. *Ponam*, inquit, *sedem meam ad aquilonem* (*Isa. XIV, 15*). Nec aquilonem hunc corporalem, nec sedem hanc (cum sis spiritus) intelligo materialem. Puto autem per *aquilonem*, reprobandos homines fuisse designatos ; per *sedem*, potestatem in illos. Quos utique in præsentia Dei, quanto ei vicinior, tanto cæteris perspicacior prævidens, nullo quidem sapientiæ radio coruscantes, nullo spiritus amore ferventes, velut vacuum repereris locum, affectasti super illos dominium, quos quadam tuæ astutiæ claritate perfunderes, tuæ malitiæ æstibus inflammares : ut quomodo Akissimus sua sapientiâ ac bonitate omnibus filiis obedientiæ præerat, ita et tu super omnes filios superbiæ rex constitutus, tua eos astuta malitia, ac malitiosa astutia regeres, per quod Altissimo similis esses. Sed miror cum in præsentia Dei tuum prævideris principatum, cur non in eadem prævidisti et

A præcipitium? Nam si prævidisti, quæ insania fuit, ut cum tanta miseria cuperes principari, ut malles misere præesse, quam feliciter subesse? An non expediebat participem esse plagarum illarum luminosarum, quam principem tenebrarum harum? Sed credibilis est, quod non prævidisti : aut propter illam causam, quam superius dixi, quia Dei bonitatem attendens, dixisti in corde tuo. *Non requiret* (*Psal. x, 13*), propter quod, o impie, Deum irritasti ; aut quia viso principatu, statim in oculo superbiæ trabes excrevit, qua interposita casum videre non potuisti.

B 37. Sic Joseph cum prævidisset exaltationem suam (*Gen. xxxvii, 7-9*), non tamen præscivit sui venditionem, quamvis propior esset venditio, quam exaltatio. Non quod tantum patriarcham in superbiâ crediderim incidisse : sed ut ejus exemplo pateat, quod hi qui futura prævident per spiritum prophetiæ, etsi non omnia, non ideo tamen putandi sunt nulla prævidisse. Quod si quis contendat in eo quod somnia sua adhuc adolescentulus narrabat, quorum tunc mysterium ignorabat, vanitatem posse notari ; ego tamen mysterio magis sive simplicitati pueri deputandum arbitror, quam vanitati. Quæ tamen, si qua fuit, per ea quæ passus legitur, potuit expiari. Nonnullis enim aliqua aliquando de se per revelationem jucunda monstrantur, quæ etsi humanus animus absque ulla vanitate scire non potest, non minus ideo eveniet quod monstratum est ; sic tamen ut illa vanitas impunita non sit, qua de magnitudine revelationis aut promissionis in se vel leviter exsultavit. Sicut enim medicus, non solum unguento, sed igne utitur et ferro, quo omne quod in vulnere sanando superfluum excreverit, secet et urat, ne sanitatem, quæ ex unguento procedit, impediatur : sic medicus animarum Deus hujusmodi animæ procurat tentationes, immittit tribulationes, quibus afflicta et humiliata, gaudium vertat in luctum, revelationem putet illusionem. Unde fit ut vanitate careat, et veritas revelationis non pereat. Sic Pauli extollentia per stimulos carnis reprimitur (*II Cor. xii, 7*), et ipse revelationibus crebris attollitur. Sic Zachariæ infidelitas linguæ obligatione mulctatur (*Luc. i, 20*), et angeli veritas suo in tempore manifestanda non mutatur. Sic per gloriam et ignobilitatem sancti proficiunt, dum inter singularia dona quæ recipiunt, communi hominum vanitate pulsari se sentiunt : ut dum per gratiam supra se aliquid cernunt, non obliviscantur quod sunt.

D 38. Sed quid de revelationibus ad curiositatem? De quibus ut hæc per excessum intermiscerem, inde occasio sumpta est, cum ostendere vellem, reprobam angelum ante casum suum sic potuisse prævidere illam, quam post accepit, in reprobos homines dominationem, ut tamen suam non præsciret damnationem. De quo etiam nonnullis quæstiunculis motis

(136) Vide Retractationem initio hujus tractatus, col. 939-940.

magis, quam solutis, totius disputatiuncule hæc summa sit: quod per curiositatem a veritate ceciderit, quia prius **575** spectavit curiose, quod affectavit illicite, speravit præsumptuose. Jure igitur in gradibus superbiæ primum curiositas vindicat sibi, quæ etiam inventa est initium esse omnis peccati. Sed nisi hæc citius colibeatur, in levitatem animi, quæ secundus gradus est, cito delabitur.

## CAPUT XI.

*De secundo gradu superbiæ, qui est levitas animi (137).*

39. Monachus enim, qui sui negligens, alios curiose circumspicit, dum quosdam suspicit superiores, quosdam despicit inferiores: et in aliis quidem videt quod invidet, in aliis quod irridet. Inde fit ut pro mobilitate oculorum levigatus animus, nulla utique sui cura aggravatus, modo per superbiam ad alta se erigat, modo per invidiam in ima demergat: nunc per invidiam nequiter tabescit, nunc per excellentiam pueriliter hilarescit. In altero nequam, in altero vanus, in utroque superbus existit: quia et quod superari se dolet, et quod superare se gaudet, amor propriæ excellentiæ facit. Has autem animi vicissitudines nunc pauca et mordacia, nunc multa et inania; nunc risu, nunc luctu plena, semper vero irrationabilia indicant verba. Compara, si vis, hos duos primos superbiæ gradus supremis duobus humilitatis: et vide si non in ultimo curiositas, in penultimo levitas cohibetur. Id ipsum in cæteris reperies, si alterutrum comparentur. Sed jam ad tertium docendo, non descendendo veniamus.

## CAPUT XII.

*De tertio gradu superbiæ, qui est inepta lætitia (138).*

40. Proprium est superbiorum, læta semper appetere, et tristitia devitare, juxta illud: *Cor stultorum ubi lætitia (Eccle. vii, 5)*. Unde et monachus, qui duos jam superbiæ gradus descendit, dum per curiositatem ad animi levitatem devenit, cum gaudium quod semper appetit, frequenti videt interpolari tristitia, quam de bonis alterius contrahit, impatiens suæ humiliationis, fugit ad consilium falsæ consolationis. Ex illa denique parte, qua sibi sua vilitas, et aliena excellentia monstratur, restringit curiositatem, ut totum se transferat in contrariam partem: quatenus in quò ipse videtur præcellere curiosius notet; in quo alter præcellit, semper dissimulet: ut dum devitat quod triste putatur, lætitia continuetur. Sicque fit ut quem sibi vicissim vindicabant gaudium et tristitia, sola possidere incipiat inepta lætitia. In hac autem, in qua tertium tibi gradum constituto, accipe quibus eam signis vel in te deprehendas, vel in altero. Illum qui ejusmodi est, aut nunquam, aut raro gementem audies, aut lacrymantem videbis. Putes, si attendas, aut sui oblitum, aut ablutum a culpis. In signis scurrilitas, in fronte hilaritas, vanitas apparet in incessu. Pronus ad jocum, facilis

(137) Huic opponitur undecimus gradus humilitatis, Pauca scilicet et rationabilia verba loqui, leni, non clamosa voce.

(138) Huic opponitur decimus gradus humilitatis,

A ac promptus in risu. Cunctis quippe quæ in se contemptibilia, et ideo tristitia noverat, a memoria rasis; bonisque, si qua sentit in se, adunatis vel simulatis ante oculos mentis, dum nil cogitat nisi quod libet, nec attendit si licet; jam risum tenere, jam ineptam lætitiæ dissimulare non valet. Ut enim vesica collecto turgida vento, punctoque perforata exiguo, si stringitur, crepitat dum detumescit; ac ventus egrediens non passim effusus, sed strictim emissus crebros quosdam sonitus reddit: sic monachus, ubi vanis scurrilibusque cor suum cogitationibus impleverit, propter disciplinam silentii non inveniens ventus vanitatis qua plenius egrediatur, inter angustias faucium per cachinnos excutitur. Sæpe vultum pudibundus abscondit, claudit labia, dentes stringit; ridet non volens, cachinnat invitus. Cumque os pugnis obstruxerit suis, per nares adhuc sternutare auditur.

**576** CAPUT XIII.

*De quarto gradu superbiæ, qui est jactantia (139).*

41. At postquam vanitas crescere, et vesica grossescere cœperit, necesse est ut ampliori foramine, laxato sinu, ventositas eructetur, alioquin rumpeatur. Sic monachus inepta redundante lætitiæ dum risu, vel signis eam aperire non sufficit, in Helii verba prorumpit: *En venter meus, quasi mustum absque spiraculo, quod novas lagunculas dirumpit (Job. xxxii, 19)*. Aut loquetur ergo, aut rumpetur. Plenus est enim sermonibus, et coarctat eum spiritus uteri sui. Esurit et sitit auditores, quibus suas jactitet vanitates, quibus omne quod sentit, effundat: quibus, qualis, et quantus sit, innotescat. Inventa autem occasione loquendi, si de litteris sermo exoritur, vetera proferuntur, et nova; volant sententiæ, verba resonant ampullosa. Prævenit interrogantem, non quærenti respondet. Ipse quærit, ipse solvit, et verba collocutoris imperfecta præscindit. Cum autem pulsato signo necesse est interrumpi colloquium, horam longam, breve queritur intervallum; quærit licentiam, ut ad fabulas revertatur post horam, non ut quempiam ædificet, sed ut scientiam jactet. Ædificare potest, sed non ædificare intendit. Non curat te docere, vel a te doceri ipse quod nescit; sed ut scire sciatur quod scit. Quod si de religione agitur, statim visiones et somnia proferuntur. Denique laudat jejunia, commendat vigiliæ, super omnia orationes exultat; de patientiæ, de humilitate, et de singulis virtutibus plenissime, sed vanissime disputat: ut tu scilicet, si audieris, dicas, quod *ex abundantia cordis os loquitur*, et quia *bonus homo de bono thesauro suo profert bona (Luc. vi, 45)*. Si ad ludicra sermo convertitur, in his quanto assuetior, tanto loquacior invenitur. Dicas, si audias rivum vanitatis, fluvium esse scurrilitatis os

qui est, Non esse facilem aut promptum ad risum.

(139) Huic opponitur nonus gradus humilitatis, Taciturnitas usque ad interrogationem.

ejus, ita ut severos quoque et graves animos in levitatem concitet risus. Et ut totum in brevi colligam, in multiloquio nota jactantiam. In hoc habes quartum gradum et descriptum, et nominatum. Fugerem, et tene nomen. Hac eadem cautela jam accede ad quintum, quem nomino singularitatem.

## CAPUT XIV.

*De quinto gradu superbiæ, qui dicitur singularitas (140).*

42. Turpe est ei, qui se supra cæteros jactat, si non plus cæteris aliquid agat, per quod ultra cæteros appareat. Proinde non sufficit ei quod communis monasterii regula, vel majorum cohortantur exempla. Nec tamen melior esse studet, sed videri. Non melius vivere, sed videri vivere gestit, quatenus dicere possit: *Non sum sicut cæteri hominum* (Luc. xviii, 11). Plus sibi blanditur de uno jejunio, quod cæteris prandentibus facit, quam si cum cæteris septem dies jejunaverit. Commodior sibi videtur una oratiuncula peculiaris, quam tota psalmodia unius noctis. Inter prandendum crebro solet oculos jactare per mensas, ut si quem minus comedere viderit, victum se doleat, et incipiat idipsum sibi crudeliter subtrahere, quod necessarium victui indulgendum præviderat, plus gloriæ metuens detrimentum, quam famis cruciatum. Si quem macriorem, si quem pallidiorem perspexerit, vilem se æstimat, nunquam requiescit. Et quoniam vultum ipse suum videre non potest, qualem scilicet se intuentibus offert, manus quas potest et brachia spectans, palpat costas, humeros attrectat et lumbos: ut secundum quod corporis sui membra, vel minus, vel satis exilia probat, pallorem oris ac colorem discernat. Ad omnia denique sua strenuus, ad communia piger. Vigilat in lecto, dormit in choro: cumque aliis psallentibus ad vigilias tota nocte dormitet, post vigilias aliis in claustro quiescentibus (141) solus in oratorio remanet: exscreat, et tussit, gemitibus ac suspiriis aures foris sedentium 577 de angulo implet. Cum autem ex his quæ singulariter, sed inaniter agit, apud simpliciores ejus opinio excreverit, qui profecto opera probant quæ cernunt; sed unde prodeant non discernunt; dum miserum beatificant, in errorem inducunt (Isa. iii, 12).

## CAPUT XV.

*De sexto gradu superbiæ, id est arrogantia (142).*

43. Credit quod audit, laudat quod agit, et quod intendat non attendit. Obliviscitur intentionem dum amplectitur opinionem. Quique de omni alia re plus sibi credit, quam aliis, de se solo plus aliis credit, quam sibi: ut non jam verbo tenus, aut sola operum ostentatione suam præferat religionem, sed

(140) Huic opponitur octavus gradus humilitatis, Tenere quod habet communis regula monasterii.

(141) Hinc patet moris tunc fuisse, ut post Vigilias nocturnas in claustro sederent quiescentes. Usus Cisterciensis, cap. 84: *In intervallo post Nocturnos, sedeant in claustro qui voluerint; nempe in æstate: hieme vero in capitulo, ex cap. 74.*

(142) Huic opponitur septimus gradus humilitatis,

A in timo cordis credat affectu omnibus se sanctiorem: et quidquid de se laudatum agnoverit, non ignorantiae aut benevolentiae laudatoris, sed suis meritis arroganter ascribit. Unde post singularitatem, sextum sibi gradum jure arrogantia vindicat. Post hanc præsumptio invenitur, in qua septimus gradus constituitur.

## CAPUT XVI.

*De septimo gradu superbiæ, qui est præsumptio (143).*

44. Qui enim alios se præcellere putat, quomodo non plus de se, quam de aliis præsumat? Primus in conventibus residet, in consiliis primus respondet: non vocatus accedit, non jussus se intromittit: reordinat ordinata, reficit facta. Quidquid ipse non fecerit aut ordinaverit, nec recte factum, nec pulchre existimat ordinatum, Judicat judicantes, præjudicat judicaturis. Si, cum tempus advenerit, non promoveatur ad Prioratum; suum abbatem aut invidum judicat, aut deceptum. Quod si mediocris ei aliqua obedientia injuncta fuerit, indignatur, aspernatur, arbitrans se non esse minoribus occupandum, qui se ad majora sentit idoneum. Sed qui sic promptulus ad omnia se magis temere, quam libere consuevit ingerere, impossibile est eum aliquando non errare. Ad prælatum autem pertinet errantem arguere. Sed quomodo culpam suam confitebitur, qui nec esse putat, nec putari culpabilis patitur? Propterea cum ei culpa imputatur, crescit, non amputatur. Si ergo cum argutus fuerit, declinare cor ejus videris in verba malitiæ, in octavum gradum, qui dicitur defensio peccatorum, noveris corruisse.

## CAPUT XVII.

*De octavo gradu superbiæ, qui est defensio peccatorum (144).*

45. Multis vero modis fiunt excusationes in peccatis. Aut enim dicit qui se excusat, Non feci; aut, Feci quidem, sed bene feci; aut, Si male, non multum male; aut, Si multum male, non mala intentione. Si autem et de illa, sicut Adam vel Eva, convincitur, aliena suasionem excusare se nititur. Sed qui procaciter etiam aperta defendit, quando occultas et malas cogitationes, cordi suo advenientes, humiliter revelaret abbati?

## CAPUT XVIII.

*De nono gradu superbiæ, qui est simulata confessio (145).*

46. Licet vero genera hæc excusationis eatenus mala judicentur, quatenus ore prophetico *verba malitiæ* appellantur (Psal. cxi, 4); multo tamen periculosior est fallax ac superba confessio, quam per-

Reputare se omnibus inferiorem.

(143) Huic opponitur sextus gradus humilitatis, Ad omnia se indignum, et inutilem confiteri.

(144) Huic opponitur quintus gradus humilitatis qui est, Humilis et candida revelatio peccatorum et malarum cogitationum.

(145) Huic opponitur quartus gradus humilitatis, Obedientia in duris patientiam amplecti.

vicax [al. proca] et obstinata defensio. Nonnulli enim cum de apertioribus arguuntur, scientes quod si se defenderent, sibi non crederetur, subtilius inveniunt argumentum defensionis, verba respondentes dolosæ confessionis. Est quippe, ut scriptum est, qui nequiter humiliat se, et interiora ejus plena sunt dolo (Eccli. xix, 23). Vultus demittitur, prostermitur corpus: aliquas sibi lacrymulas extorquent, si possunt; vocem **578** suspiriis, verba gemitibus interrumpunt. Nec solam qui ejusmodi est, objecta non excusat, sed ipse quoque culpam exaggerat: ut dum impossibile aliquid aut incredibile culpæ suæ ore ipsius additum audis, etiam illud, quod ratum putabas, discredere possis; et ex eo quod falsum esse non dubitas dum confitetur, in dubium veniat quod quasi certum tenebatur. Dumque affirmant quod credi nolunt, confitendo culpam defendunt, et aperiendo tegunt; quando et confessio laudabiliter sonat in ore, et adhuc iniquitas occultatur in corde: quatenus magis ex humilitate quam ex veritate confiteri putet qui audit, aptans eis illud Scripturæ: *Justus in principio sermonis accusator est sui* (Prov. xviii, 17). Malunt enim apud homines veritate periclitari, quam humilitate, cum apud Deum periclitentur utrinque. Aut si adeo culpa manifesta sit quod nulla penitus versutia tegi possit; nihilominus tamen vocem, non cor poenitentis assumunt, qua notam, non culpam deleant, dum ignorantiam manifestæ transgressionis, decore recompensant publicæ confessionis.

47. Gloriosa res humilitas, qua ipsa quoque superbia palliare se appetit, ne vilescat! Sed hæc cito tergiversatio a prælato deprehenditur, si ad hanc superbam humilitatem non leviter flectitur, quo magis dissimulat culpam, vel differat poenam. Vasa figuli probat fornax, et tribulatio vere poenitentes discernit. Qui enim veraciter poenitet, laborem poenitentiae non abhorret: sed quidquid sibi pro culpa quam odit injungitur, tacita conscientia patienter amplectitur. In ipsa quoque obedientia duris ac contrariis rebus obortis, quibuslibet irrogatis injuriis sustinens non lassescit, ut in quarto gradu se stare indicet humilitatis. Cujus vero simulata confessio est, una vel levi contumelia, aut exigua poena interrogatus, jam humilitatem simulare, jam simulationem dissimulare non potest. Murmurat, frendet, irascitur; nec in quarto stare humilitatis, sed in nonum superbiæ gradum corruisse probatur, qui secundum quod descriptus est, recte simulata confessio appellari potest. Quanta putas tunc confusio sit in corde superbi cum fraus decipitur, pax amittitur, laus minuitur, nec culpa diluitur? Tandem notatur ab omnibus, judicatur ab omnibus: eoque vehementius omnes indignantur, quo falsum conspiciunt quidquid de eo prius opinabantur. Tunc opus est prælato, ut eo minus illi

(146) Huic opponitur tertius gradus humilitatis, Pro amore Dei se libenter subdere majori.

A parcendum putet, quo magis omnes offenderet, si uni parcere

### CAPUT XIX.

*De decimo gradu superbiæ, qui est rebellio (146).*

48. Hic nisi eum miseratio superna respiciat, (quod valde difficile talibus est) universorum judiciis tacitus acquiescat; frontosus mox et impudens factus, tanto deterius, quanto desperatius in decimum gradum per rebellionem corruit: quippe prius latenter arrogans fratres contempserat, jam patenter inobediens etiam magistrum contemnit.

49. Sciendum autem est, quod omnes gradus, quos in duodecim partitus sum, in tres tantummodo colligi possunt: ut in sex superioribus contemptus fratrum, in quatuor sequentibus contemptus magistri, in duobus, qui restant, consummetur contemptus Dei. Notandum quoque, quod hi duo superbiæ gradus ultimi, qui et humilitatis ascendendo primi inveniuntur; sicut extra congregationem ascendendi sunt, ita in congregatione descendi non possunt. Quod autem ante ascendi debeant, ex hoc aperte datur intelligi, quod de tertio gradu in Regula legitur: « Tertius, » inquit, « gradus est, ut quis pro Dei amore omni obedientia se subdat majori. » (Regul. 7, 31.) Si ergo in tertio gradu subjectio collocatur, quæ procul dubio fit, quando novitius primum conventui sociatur; consequens est, quod duo jam anteriores transcendendi intelligantur. Denique ubi fratrum concordiam, et magistri sententiam monachus spernit, quid ultra in monasterio, nisi scandalum facit?

### 579 CAPUT XX.

*De undecimo gradu superbiæ, qui est libertas peccandi (147).*

50. Post decimum itaque gradum, qui rebellio dictus est, expulsus vel egressus de monasterio statim excipitur ab undecimo. Et tunc ingreditur vias, quæ videntur hominibus bonæ, quarum finis (nisi forte Deus eas illi sepiarit) demerget eum in profundum inferni, id est in contemptum Dei. Impius siquidem cum venerit in profundum malorum, contemnit (Prov. xviii, 3). Potest autem undecimus gradus appellari libertas peccandi, per quam monachus, cum jam nec magistrum videt quem timeat, nec fratres quos reveratur, tanto securius, quanto liberius sua desideria implere delectatur, a quibus in monasterio tam pudore, quam timore prohibebatur. Sed etsi jam vel fratres, vel abbatem non timet, nondum tamen Dei penitus formidine caret. Hanc ratio, tenuiter adhuc submurmurans, voluntati proponit, nec sine aliqua dubitatione quæque primum illicita perficit; sed, sicut is qui vadum tentat, pedetentim, non cursim vitiorum gurgitem intrat.

(147) Huic opponitur secundus gradus humilitatis, Si propriam voluntatem non delectetur implere.

## CAPUT XXI.

*De duodecimo gradu superbie, qui est consuetudo peccandi (148.)*

51. At postquam terribili Dei judicio prima flagitia impunita sequitur, experta voluptas libenter repetitur, repetita blanditur. Concupiscentia reviviscente sopitur ratio, ligat consuetudo. Trahitur miser in profundum malorum, traditur captivus tyrannidi vitiorum, ita ut carnalium voragine desideriorum absorptus, suæ rationis divinique timoris oblitus, dicat insipiens in corde suo: *Non est Deus (Psal. xiii, 1)*. Jam indifferenter libitis pro licitis utitur, jam ab illicitis cogitandis, patrandis, investigandis animus, manus, vel pedes non prohibentur: sed quidquid in cor, in buccam, ad manum venerit, machinatur, garrit, et operatur, malevolus, vaniloquus, facinorosus. Quemadmodum denique ascensis his omnibus gradibus, corde jam alacri et absque labore pro bona consuetudine justus currit ad vitam: sic descensus impius eisdem, pro malo usu non ratione se gubernans, non timoris freno retentans, intrepidus festinat ad mortem. Medii sunt qui fatigantur, angustiantur: qui nunc metu cruciantur gehennæ, nunc pristina retardati consuetudine, descendendo vel ascendendo laborant. Supremus tantum et infirmus currunt absque impedimento, et absque labore. Ad mortem hic, ad vitam ille festinat; alter alacrior, alter proclivior. Illum alacrem charitas, hunc proclivem cupiditas facit. In altero amor, in altero stupor laborem non sentit. In illo denique perfecta charitas, in isto consummata iniquitas foras mittit timorem. Illi veritas, huic cæcitas dat securitatem. Potest ergo duodecimus gradus appellari consuetudo peccandi, qua Dei metus amittitur, contemptus incurritur.

## CAPUT XXII.

*An et quomodo orandum pro desperatis, et mortuis secundum animam.*

52. Pro tali jam, inquit Joannes apostolus, *non dico ut quis oret (I Joan. v, 16)*. Sed nunquid dicis, o Apostole, ut quis desperet? Imo gemat qui illum amat. Non præsumat orare, nec desistat plorare. Quid est quod dico? An forte ullum remanet spei refugium, ubi oratio non invenit locum? Audi credentem, audi sperantem, nec tamen orantem. *Domine, inquit, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus*. Magna fides, qua credidit sua præsentia Dominum mortem prohibere potuisse si adfuisset. Modo autem quid? Absit ut quem credidit vivum potuisse servare, mortuum dubitet posse resuscitare. *Sed nunc, inquit, scio quia quæcunque poposceris a Deo, dabit tibi Deus*. Deinde quærenti ubi possuissent **580** eum, respondet: *Veni, et vide*. Quamobrem? O Martha, magna nobis tuæ fidei insignia tribuis: sed quomodo cum tanta fide diffidis? *Veni, inquis, et vide*. Cur et, si non desperas, non sequeris, et dicis, Et resuscita? si autem desperas, cur Magistrum sine causa fatigas? An forte fides aliquando

**A** recipit, quod oratio non præsumit? Denique appropinquantem cadaveri prohibes, et dicis: *Domine, jam fetet; quatrivanus enim est (Joan. xi, 21, 22, 34, 39)*. Desperando dicis hoc, an dissimulando? Sic quippe ipse Dominus post resurrectionem finxit se longius ire (*Luc. xxiv, 28*), cum mallet cum discipulis remanere. O sanctæ mulieres Christi familiares, si fratrem vestrum amatis, cur ejus misericordiam non flagitatis, de cujus potentia dubitare, pietate diffidere non potestis? Respondent: Sic melius tanquam non orantes oramus, sic efficacius tanquam diffidentes confidimus. Exhibemus fidem, perhibemus affectum: scit ipse, cui non est opus ut aliquid dicatur, quid desideremus. Scimus quidem quod omnia potest: sed hoc tam grande miraculum, tam novum, tam inauditum, etsi ejus subest potentia, multum tamen excedit universa merita humilitatis nostræ. Sufficit nobis potentia locum, pietati dedisse occasionem; malentes patienter expectare quid velit quam impudenter quærere quod forsitan nolit. Denique quod nostris meritis deest, verecundia fortasse supplebit. Petri quoque post gravem lapsum lacrymam quidem video, sed precem non audio: nec tamen de indulgentia dubito.

53. Disce et in Matre Domini magnam in mirabilibus fidem habere, in magna fide verecundiam retinere. Disce verecundia decorare fidem, reprimere præsumptionem. *Vinum, inquit, non habent (Joan. ii, 3)*. Quam breviter, quam reverenter suggestit, unde pie fuit sollicita! Et ut discas in hujusmodi magis pie gemere, quam petere præsumptuose; pietatis æstum pudoris temperans umbra, conceptam præcis fiduciam verecunde suppressit. Non frontose accessit, non palam locuta est, ut audacter coram omnibus diceret: Obsecro, fili, deficit vinum, contristantur convivæ, confunditur sponsus; ostende quid possis. Sed licet hæc aut multo plura pectus æstuans, fervens loqueretur affectus; privatim tamen potentem pia Filium mater adiit, non potentiam tentans, sed voluntatem explorans. *Vinum, inquit, non habent*. Quid modestius? quid fidelius? Non defuit pietati fides, voci gravitas, efficacia voto. Si ergo illa, cum mater sit, sese matrem oblita non audet petere miraculum vini; ego vile mancipium, cui permagnum est Filii simul ac Matris esse vernaculum, qua fronte præsumo pro vita petere quatrivaniani?

54. Duo etiam in Evangelio cæci visum, alter accepisse, alter recepisse leguntur: alter quem amiserat, alter quem nunquam habuerat; unus scilicet excæcatus, alter cæcus natus. Sed qui excæcatus, miserabilibus mirisque clamoribus miram misericordiam meruit: qui vero cæcus natus, tanto misericordius, quanto mirabilius nullis suis precibus præventum sui illuminatoris beneficium nihilominus sensit. Illi denique dictum est, *Fides tua te salvum fecit*: huic autem non (*Luc. xviii, 35-43; Joan.*

(148) Huic opponitur primus gradus humilitatis, timor Dei continuus.

ix). Duos quoque recenter mortuos, tertium jam A quatríduanum, lego resuscitados : solam tamen Archisynagogi filiam, in domo adhuc positam, precibus patris ; duos autem ex insperata magnitudine pietatis (Marc. v, 35-42; Luc. vii, 11-15; Joan. xi).

55. Simili etiam forma si contigerit (quod Deus avertat) aliquem de fratribus nostris, non in corpore, sed in anima mori; quandiu adhuc inter nos erit, pulsabo et ego meis qualiscunque peccator, pulsabo et fratrum precibus Salvatorem. Si revixerit, lucrati erimus fratrem : sin vero non mereamur exaudiri, ubi jam vel tolerare vivos, vel tolerari a vivis non poterit, sed incipiet efferri, semper quidem fideliter gemo, sed jam non ita fiducialiter oro. Non aperte audeo dicere, Veni, Domine, suscita mortuum nostrum : corde tamen suspenso, tremulus intus clama- B mare non cesso, Si forte, si forte, si forte desiderium pauperum exaudiet Dominus, præparationem cordis eorum audiet auris ejus; et illud, *Nunquid mortuis facies mirabilia, 581 aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?* et de quatríduano: *Nunquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam, et veritatem tuam in perditione?* (Psal. lxxxvii, 11, 12.) Potest interim Salvator, si vult, insperate et improvise occurrere nobis, lacrymaisque portantium motus, non precibus, mortui vitam reddere vivis, aut certe jam sepultum revocare a mortuis. Mortuum autem dixerim illum, qui sua peccata defendens, in octavum jam corrui gradum. A mortuo enim, tanquam qui non est, perit confessio (Eccli. xvii, 26). Post decimum vero, qui tertius est ab octavo, jam effertur in C libertatem peccandi, quando expellitur a consortio monasterii. At postquam quartum transierit, jam

recte quatríduanus dicitur, dum in quintum decidens per consuetudinem sepellitur.

56. Absit autem a nobis, ut etiam pro talibus, etsi palam non præsumimus, vel in cordibus nostris orare cessemus : cum Paulus eos quoque lugeret, quos sine poenitentia mortuos sciret (II Cor. xii, 21). Etsi enim a communibus orationibus ipsi se excludunt, sed ab affectibus omnino non possunt. Viderint tamen in quanto periculo sint, pro quibus Ecclesia palam orare non audeat, quæ fidenter etiam pro Judæis, pro hæreticis, pro Gentilibus orat. Cum enim in Parasceve nominatim oretur pro quibuslibet malis, nulla tamen mentio fit de excommunicatis.

57. Dicis forte, frater Godefride, me aliud quam tu quæsis, et quam ipse promisi, tandem exhibuisse, cum pro gradibus humilitatis, superbæ gradus videar descripsisse. Ad quod ego : Non potui docere nisi quod didici. Non putavi congruum me describere ascensiones, qui plus descendere, quam ascendere novi. Proponat tibi beatus Benedictus gradus humilitatis, quos ipse prius in corde suo disposuit : ego quid proponam non habeo, nisi ordinem meæ descensionis. In quo tamen, si diligenter inspicitur, via forsitan ascensionis reperitur. Si enim tibi Romanam tendenti homo inde veniens obviaret, quæsitus viam, quid melius quam illam, qua venit, ostenderet? Dum castella, villas, urbes, fluvios, ac montes, per quos transierit, nominat, suum denuntians iter, tuum tibi prænuntiat : ita ut eadem loca recognoscas eundo, quæ ille pertransiit veniendo. In hac similiter nostra descensione gradus ascensorios fortasse reperies, quos ascendendo melius tu in tuo corde, quam in nostro codice leges. Amen.

## 582 ADMONITIO IN OPUSCULUM VIII.

1. Etsi opusculum sequens unum ex primis est libris a Bernardo compositis, nullum tamen fere aut Bernardo dignius, aut religioni utilius ab eo scriptum existimo. Quid enim dignius doctore catholico, aut reipublicæ christianæ utilius quam prædicare, inculcare, imo et propugnare primum et maximum mandatum, ex quo cætera pendent, sine quo cætera nihil prosunt; illud, inquam, mandatum, quod in dies impetunt atque labefactare moliantur amor cujusque proprius, cupiditas et perversæ hominum interpretationes? Quapropter perpetuis tenebris digna est Apologia Berengarii, temerarii illius Abælardi discipuli ac defensoris, qui Bernardo impudenter insultat ob editum ab eo tractatum de Diligendo Deo, cum « de hoc, » inquit, « nemo dubitet, » non quævis muliercula, non quivis extremus idiota. Verum suos semper adversarios habuit divinus amor : cujus præceptum si verbis Christiani haud negant, ut factis plerique pernegant; imo quidam etiam pravis interpretationibus ita redigunt ad nihilum, ut hodie in quæstionem adducere, et quidem dubitare impune liceat, num Deus optimus, maximus, creator, conservator ac redemptor, aliquo speciali, vel semel in vita, amoris actu a quovis christiano sit diligendus. Non ergo in vanum Bernardus divinum hoc præceptum Haimericæ cardinali, quasi quoddam operæ pretium, commendare aggressus est hoc in opusculo docens, cap. 2, n. 6, diligendum esse Deum « sine modo; » inexcusabilem esse omnem « etiam infidelem, si non diligit Dominum Deum suum ex toto corde, tota anima, tota virtute. » Porro fidem tanto plus indicere amandum, quanto et se ipso pluris æstimandum quisvis intelligit. « Quod si totum me, » inquit, cap. 5, n. 15, in persona omnium, « debeo pro me facto, quid addam jum et pro me refecto, et refecto hoc modo? »

2. In hoc ergo libro sanc.issimus divini amoris præco et doctor, ejus modum, causas, originem, gradus, et obligationem accurate ac pathetice describit. Modum, ut diligatur « sine modo, » hoc est omni meliori quo possumus modo : causas, meritum Dei et commodum nostrum : originem, ex amore proprio in amorem Dei, usque ad oblivionem et contemptum sui : gradus, amorem sui, amorem Dei propter se, tum propter ipsum, ac demum, castum et purum; hoc est amorem proprium, mercenarium, filialem ac beatificum : obligationem denique, quæ pertinet ad gentiles, Judæos, sed maxime ad Christianos. Totus vero tractatus est de amore qui consistit in affectu : quem etsi dicat perfecte in hac vita impleri non posse, ita ut omnem excludat timorem et cupiditatem; esse tamen aîl finem et scopum in quem indesinenter ac irremittente ferri teneamur. Denique hunc ipsum amo-

rem ex dono Dei nobis provenire, non ex affectu innato; sic enim exclamat cap. 6, n. 16: « Deus meus, adiutor meus, diligam te pro dono tuo et modo meo, minus quidem justo, sed plane non minus posse meo. Qui etsi quantum debeo non possum, non possum tamen ultra quam possum. Potero vero plus, cum plus donare dignaberis, nunquam tamen prout dignus haberis. » Hæc tota hujusce libelli doctrina et œconomia.

5. Eandem doctrinam Bernardus passim aliis in locis inculcat, ut in sermone de Quadruplici Debito, qui est vigesimus secundus inter Diversos: nec aliam tradit in sermone quinquagesimo super Cantica, ubi duplicem distinguit charitatem, unam « in actu » alteram « in effectu. » Et « de illa quidem, quæ operis est, datam esse legem hominibus, mandatumque formatum. Nam in affectu, inquit, quis ita habeat ut mandatur? Ergo illa mandatur ad meritum, ista ad præmium. » Nimirum præcipitur charitas seu amor Dei ex toto corde, tota anima, tota virtute: ita ut amor sit perennis, indeficiens, perfectus, a nulla re creata retardatus et imminutus: quod non continget nisi in altera vita. Alia autem charitas in effectu eo spectat, ut omnes actiones nostras ad Deum referamus. Nam tantum abest ut charitas in effectu ex Bernardi mente amorem affectus excludat ut contra ipsum includat. Neque enim effectivum (ut vocant) amorem siccum, inanem, pure externum et Judaicum probat Bernardus, sed internum exigit cum **583** opere conjunctum: internum quidem cum charitas et amor sit; cum opere vero, cum sit in effectu. Hanc autem esse Bernardi eo in loco sententiam manifeste demonstrant quæ ibi sequuntur. « Non hoc dico, » ait, « ut sine affectione simus et solas moveamus manus ad opera. Legi inter alia quæ scribit Apostolus, mala et gravia hominum mala, hoc quoque annumeratum, scilicet sine affectione. » Qualem porro ad opera charitatis affectionem requirat, statim docet Vir sanctus, præmisso triplicem esse affectionem: primam « quam caro gignit; » secundam « quam ratio regit; » tertiam « quam condit sapientia; » tum subdit: « Igitur per secundam opera fiunt, et in ipsa charitas, sed non illa affectualis quæ sale sapientiæ condita pinguescens, magnam menti importat multitudinem dulcedinis Domini: sed quædam potius actualis, quæ etsi nondum dulci illo amore reficit, amore tamen ipsius amoris vehementer accendit. » Hæc est illa charitas in effectu quam a Deo præceptum dicit Bernardus, inferior quidem tertia seu beatifica quæ « primam eliminat, secundam remunerat, » ut ibidem ait: « Sic ergo dilectio alia quævis debita superans, quasi sola regnare debet in nobis; ut quidquid debetur cæteris, sibi vindicet et ex dilectione omnia faciamus, » inquit Vir sanctus sermone duodecimo in psalmum xc, n. 7. Hæc de argumento sequentis libelli.

4. Cæterum directus a Bernardo est Haimericus seu Aimericus S. R. E. cardinali et cancellario, ut præferunt manuscripti codices omnes, præter unum Colbertinum, qui « Ascelinum » habet, sed mendose, teste vel ipso Berengario, Abælardi apologista, qui Aimericum præfert. Scriptus est autem liber sub pontificatu Honorii II, a quo Haimericus creatus est cancellarius. Gaufridus in libro tertio de Vita Bernardi, capite octavo: « Si quæritur piæ mentis religiosa devotio, transeundum ad homilias in Laudibus Virginis matris, et illum quem de Diligendo Deo edidit librum. » Era! autem Haimericus Gallus ex oppido Castra apud Biturigas, anno 1121 a Callisto II creatus cardinalis, ab Honorio II cancellarius sub annum 1126, mortuus anno 1141, singularis Bernardi amicus, ex aliis epistolis.

## S. BERNARDI ABBATIS

### DE DILIGENDO DEO

#### LIBER SEU TRACTATUS

AD HAIMERICUM S. R. E. CARDINALEM ET CANCELLARIUM.

##### 584 PRÆFATIO.

Viro illustri domino HAIMERICO, ecclesiæ Romanæ diacono cardinali et cancellario, BERNARDUS abbas dictus de Clara-Valle, Domino vivere, et in Domino mori.

Orationes a me, et non quæstiones poscere soleris: et quidem ego ad neutrum idoneum me esse confido. Verum illud indicit professio, etsi non ita conversatio: ad hoc vero (ut verum fatear) ea mihi deesse, video, quæ maxime necessaria viderentur, diligentiam et ingenium. Placet tamen, fateor, quod pro carnalibus spiritualia repetitis, si sane apud locupletiores id facere libuisset. Quia vero doctis et indoctis pariter in istiusmodi excusandi mos est,

A nec facile scitur, quæ vere ex imperitia, quæve ex verecundia excusatio prodeat, si non injuncti operis obeditio probat: accipite de mea paupertate quod habeo, ne tacendo philosophus puter. Nec tamen ad omnia spondeo me responsurum. Ad id solum quod de diligendo Deo quæritis, respondebo quod ipse dabit. Hoc enim et sapit dulcius, et tractatur securius, et auditur utilius. Reliqua diligentioribus reservate.

##### CAPUT I.

Quare et quomodo diligendus sit Deus.

1. Vultis ergo a me audire, quare et quomodo diligendus sit Deus? Et ego: Causa diligendi Deum, Deus est; modus, sine modo diligere (149). Estne

(149) Eadem verba habet Severi Milevitani aristitis epistola ad Augustinum, inter Augustinianas 109: Nullus nobis amandi modus imponitur, quando ipse ibi modus est sine modo amare. Bernardum hic

imitatur Joannes Saresberiensis, in Polycratici libro vii, cap. 11. Apage impudentissimum Abælardi apologistam Berengarium, qui hoc aureum dictum audeat læcessere.



hoc satis? Fortassis utique, sed sapienti. Cæterum **A** si et insipientibus debitor sum (*Rom. 1, 14*); ubi sat est dictum sapienti, etiam illis gerendus mos est. Itaque propter tardiores idem profusius, quam profundius repetere non gravabor. Ob duplicem ergo causam Deum dixerim propter seipsum diligendum: sive quia nihil justius, sive quia nil fructuosius diligere potest. Duplicem siquidem parit sensum, cum quaeritur de Deo, cur diligendus sit. Dubitari namque potest quid potissimum dubitetur; utrumnam, quo suo merito Deus, aut certe quo nostro sit commodo diligendus. Sane ad utrumque idem responderim; non plane aliam mihi dignam occurrere causam diligendi ipsum, præter ipsum. Et prius de merito videamus. Multum quippe meruit de nobis, qui et immeritis dedit seipsum nobis. Quid enim melius **B** seipso poterat dare vel ipse? Ergo si Dei meritum quaeritur, cum ipsum diligendi causa quaeritur, illud est præcipuum: quia ipse prior dilexit nos. Dignus plane qui redametur, præsertim si advertatur, quis, quos, quantumque amaverit. Quis enim? Nonne is cui omnis spiritus conlletur: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges?* (*Psal xv, 2.*) Et vera hujus charitas majestatis, quippe non quaerentis quæ sua sunt. Quibus autem tanta puritas (150) exhibetur? *Cum adhuc, inquit, inimici essemus, reconciliati sumus Deo* (*Rom. v, 10*). Dilexit ergo Deus, et gratis, et inimicos. Sed quantum? Quantum dicit Joannes: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium unigenitum daret* (*Joan. iii, 16*): et Paulus, *Qui proprio, ait, Filio non pepercit, sed pro nobis tradidit illum* (*Rom. viii, 32*). Ipse quoque Filius pro se, *Majorem, inquit, charitatem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (*Joan. xv, 13*). Sic meruit justus ab impiis, summus ab infimis, ab infirmis omnipotens. Sed dicit aliquis: Ita quidem ab hominibus; sed ab angelis non ita. Verum est, quia necesse non fuit. Cæterum qui hominibus subvenit in tali necessitate, servavit angelos a tali necessitate: et **585** qui homines diligendo, tales fecit ne tales remanerent; ipse æque diligendo dedit et angelis, ne tales fierent.

## CAPUT II.

*Deus quanto opere ab homine mereatur amari, ob bonum corporis, tum animæ. Quomodo ea agnoscenda et habenda citra donantis injuriam.*

2. Quibus hæc palam sunt, palam arbitror esse et cur Deus diligendus sit: hoc est, unde diligere meruerit. Quod si infideles hæc latent, Deo tamen in promptu est ingratos confundere super innumeris beneficiis suis, humano nimirum et usui præstitis, et sensui manifestis. Nempe quis alius administrat cibum omni vescenti, cernenti lucem, spiranti flatum? Sed stultum est velle modo enumerare quæ innumera esse non longe ante præfatus sum: satis est ad exemplum præcipua protulisse, panem, solem

et aerem. Præcipua dico, non quia excellentiora, sed quia necessaria; sunt quippe corporis. Quærat enim homo eminentiora bona sua in ea parte sui, qua præeminet sibi, hoc est in anima quæ sunt dignitas, scientia, virtus. Dignitatem in homine liberum arbitrium dico: in quo ei nimirum datum est cæteris non solum præeminere, sed et præsidere animantibus. Scientiam vero, qua eandem in se dignitatem agnoscat, non a se tamen. Porro virtutem, qua subinde ipsum a quo est, et inquirat non segniter, et teneat fortiter cum invenerit.

3. Itaque geminum unumquodque trium horum apparet. Dignitatem siquidem demonstrat humanam non solum naturæ prærogativa, sed et potentia dominatus: quod terror hominis super cuncta animalia terræ imminere decernitur. Scientia quoque duplex erit, si hanc ipsam dignitatem, vel aliud quodque bonum in nobis, et nobis inesse, et a nobis non esse noverimus. Porro virtus et ipsa æque bifaria cognoscetur, si auctorem consequenter inquirimus, inventoque inseparabiliter inhæremus. Dignitas ergo sine scientia non prodest; illa vero etiam obest, si virtus [at. ista] defuerit: quod utrumque ratio declarat subjecta. Habere enim quod habere te nescias, quam gloriam habet? Porro nosse quod habeas, sed quia a te non habeas ignorare, habet gloriam, sed non apud Deum. Apud se autem gloriantur dicitur ab Apostolo: *Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* (*I Cor. iv, 7.*) Non ait simpliciter: *Quid gloriaris?* sed addit, *quasi non acceperis*, ut asserat reprehensibilem, non qui in habitis, sed qui tanquam in non acceptis gloriatur. Merito vana gloria nuncupatur hujusmodi, veritatis nimirum solido carens fundamento. Veram enim gloriam ab hac ita discernit: *Qui gloriatur, ait, in Domino gloriatur* (*I Cor. 1, 31*), hoc est in veritate. Veritas quippe Dominus est.

4. Utrumque ergo scias necesse est, et quid sis, et quod a te ipso non sis: te aut omnino videlicet non glorieris, aut inaniter glorieris. Denique *si non cognoveris, inquit, te ipsam, egredere post greges sodalium tuorum* (*Cant. i, 7*). Revera ita fit. Homo factus in honore, cum honorem ipsum non intelligit, talis suæ ignorantie merito comparatur pecoribus, velut quibusdam præsentis suæ corruptionis et mortalitatis consortibus. Fit igitur ut sese non agnoscendo egregia rationis munere creatura, irrationalium gregibus aggregari incipiat, dum ignara propriæ gloriæ, quæ ab intus est, conformanda foris rebus sensibilibus, sua ipsius curiositate abducitur: efficiturque una de cæteris, quod se præ cæteris nihil accepisse intelligat. Itaque valde cavenda hæc ignorantia, qua de nobis minus nobis forte sentimus: sed non minus, imo et plus illa qua plus nobis tribuimus: quod fit, si bonum quodcumque in nobis

(150) Id est puritas charitatis non quaerentis quæ sua sunt, ut supra. Editi plerique habent *charitas*, sed *puritas* scripti.

esse et a nobis decepti putemus. At vero super A utramque ignorantiam declinanda et execranda illa præsumptio est, qua sciens et prudens forte audeas de bonis non tuis tuam quærere gloriam : et quod certus **586** es a te tibi non esse, inde tamen alterius rapere non verearis honorem. Prior equidem ignorantia gloriam non habet : posterior vero habet quidem; sed non apud Deum. Cæterum hoc tertium malum quod jam scienter committitur, usurpat et contra Deum. In tantum denique ignorantia illa posteriori hæc arrogantia gravior atque periculosior apparet, quo per illam quidem Deus nescitur, per istam et contemnitur : in tantum et priori deterior ac detestabilior, ut cum per illam pecoribus, per istam et dæmonibus sociemur. Est quippe superbia et delictum maximum, uti datis tanquam innatis ; B et in acceptis beneficiis gloriam usurpare beneficii.

5. Quamobrem cum duabus istis, dignitate atque scientia, opus est et virtute. quæ utriusque fructus est, per quam ille inquiritur ac tenetur, qui omnium auctor et dator merito glorificetur de omnibus. Alioquin sciens et non faciens digna, multis vapulabit. Quare? Utique quia noluit intelligere ut bene ageret : magis autem iniquitatem meditatus est in cubili suo (Psal. xv, 4, 5), dum de bonis, quæ a se non esse ex scientiæ dono certissime comperit, boni Domini gloriam servus impius captare sibi, imo et raptare molitur. Liquet igitur et absque scientia dignitatem esse omnino inutilem, et scientiam absque virtute damnabilem. Verum homo virtutis, cui nec damno- C sa scientia, nec infructuosa dignitas manet, clamat Deo et ingenue confitetur : *Non nobis, inquit, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (Psal. cxiii, 9). Hoc est : Nil nobis, o Domine, de scientia, nil nobis de dignitate tribuimus ; sed tuo totum, a quo totum est, nomini deputamus.

6. Cæterum pene a proposito longe nimis digressi sumus, dum demonstrare satagimus, eos quoque qui Christum nesciunt, satis per legem naturalem ex perceptis bonis corporis animæque moneri, quatenus Deum propter Deum et ipsi diligere debeant. Nam ut breviter, quæ super hoc dicta sunt, iterentur : quis vel infidelis ignoret, suo corpori non ab alio in hac mortali vita supradicta illa necessaria ministra- D ri, unde videlicet subsistat, unde videat, unde spiret, quam ab illo, qui dat escam omni carni (Psal. cxxxv, 25); qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos? (Matth. v, 45.) Quis item vel impius putet alium ejus, quæ in anima splendet, humanæ dignitatis auctorem, præter illum ipsum, qui in Genesi loquitur : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram?* (Gen. i, 26.) Quis alium scientiæ largitorem existimet, nisi æque ipsum, qui docet hominem scientiam? (Psal. xciii, 10.) Quis rursus munus sibi aliunde virtutis aut putet datum, aut speret dandum, quam de manu itidem Domini virtutum? Meretur ergo amari propter se ipsum Deus, et ab infideli : qui etsi

nesciat Christum, scit tamen seipsum. Proinde inexcusabilis est omnis etiam infidelis, si non diligit Dominum Deum suum ex toto corde, tota anima, tota virtute sua. Clamat nempe intus ei innata, et non ignorata rationi justitia, quia ex toto se illum diligere debeat, cui se totum debere non ignorat. Verum difficile, imo impossibile est, suis scilicet quempiam, liberive arbitrii viribus senect accepta a Deo, ad Dei ex toto convertere voluntatem ; et non magis ad propriam retorquere, eaque sibi tanquam propria retinere, sicut scriptum est, *Omnes quæ sua sunt quærunt* (Philipp. ii, 21) : et item, *Proni sunt sensus et cogitationes hominis in malum* (Gen. viii, 21).

### CAPUT III.

*Christiani quantos habeant stimulos amandi Deum præ infidelibus.*

7. Contra quod plane fideles norunt, quam omnino necessarium habeant Jesum, et hunc crucifixum : dum admirantes et amplexantes supereminentem scientiæ charitatem in ipso, id vel tantillum quod sunt, in tantæ dilectionis et dignationis vicem non rependere confunduntur. Facile proinde plus diligunt, qui se amplius dilectos intelligunt : cui autem minus donatum est, minus diligit. Judæus sane, sive paganus, **587** nequaquam talibus aculeis incitatur amoris, quales Ecclesia experitur, quæ ait, *Vulnerata charitate ego sum : et rursus, Fulcite me floribus, stipate me malis*, quia amore languo (Cantic. ii, 4, 5). Cernit regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua (Cant. iii, 11) ; cernit Unicum Patris, crucem sibi bajulantem ; cernit cæsum et consputum Dominum majestatis ; cernit auctorem vitæ et gloriæ confixum clavis, percussum lancea, opprobriis saturatum, tandem illam dilectam animam suam ponere pro amicis suis. Cernit hæc, et suam magis ipsius animam gladius amoris transverberat, et dicit : *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore languo*. Hæc sunt quippe mala punica, quæ in hortum introducta dilecti sponsa carpit ex ligno vitæ, a cœlesti pane proprium mutuata saporem, colorem a sanguine Christi. Videt deinde mortem mortuam, et mortis auctorem triumphatum. Videt de inferis ad terras, de terris ad superos captivam duci captivitatem, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum (Philipp. ii, 10). Advertit terram, quæ spinas et tribulos sub antiquo maledicto produxerat, ad novæ benedictionis gratiam innovatam refluuisse. Et in his omnibus, illius recordata versiculi, *Et refluunt carmea, et ex voluntate mea confitebor ei* (Psal. xxvii, 7) ; passionis malis, quæ de arbore tulerat crucis, cupit vigere [al.]jungere] et de floribus resurrectionis, quorum præsertim fragrantia sponsum ad se crebrius revisendam invitet..

8. Denique ait : *Ecce tu pulcher es, dilecte mi et decorus ; lectulus noster floridus* (Cantic. i, 15). Quæ lectulum monstrat, satis quid desideret aperit :

et cum floridum nuntiat, satis indicat, unde quod desiderat obtinere præsumat. Non enim de suis meritis, sed de floribus agri, cui benedixit Deus. Delectatur floribus, Christus, qui in Nazareth et concipi voluit, et nutriri. Gaudet sponsus cœlestis talibus odoramentis, et cordis thalamum frequenter libenterque ingreditur, quod istiusmodi refertum fructibus, floribusque respersum invenerit. Ubi suæ videlicet aut passionis gratiam, aut resurrectionis gloriam sedula inspicit cogitatione versari, ibi profecto adest sedulus, adest libens. Monumenta siquidem Passionis, fructus agnosce quasi anni præteriti, omnium utique retro temporum sub peccati mortisque imperio decursorum, tandem in plenitudine temporis, apparentes. Porro autem Resurrectionis insignia, novos adverte flores sequentis temporis, in novam sub gratia revirescentis æstatem, quorum fructum generalis futura resurrectio in fine parturiet sine fine mansurum. *Jam, inquit, hiems transit, imber abiit et recessit, flores apparuerunt in terra nostra (Cant. II, 11, 12): æstivum tempus advenisse cum illo significans, qui de mortis gelu in vernalem quamdam novæ vitæ temperiem resolutus, Ecce, ait, nova facio omnia (Apoc. XXI, 5): cujus caro seminata est in morte, reffloruit in resurrectione; ad cujus mox odorem in campo convallis nostræ revirescunt arida, recalescunt frigida, mortua reviviscunt.*

9. Horum ergo novitate [florum ac fructuum, et pulchritudine [at. plenitudine] agri suavissimum spirantis odorem, ipse quoque Pater in Filio innovante omnia delectatur, [ita ut dicat: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus (Gen. XXVII, 27). Bene pleni, de cujus plenitudine omnes accepimus. Sponsa tamen familiariter ex eo sibi, cum vult, flores legit, et carpit poma, quibus propriæ aspergat intima conscientiæ, et intranti sponso cordis lectulus suave redolet. Oportet enim nos, si crebrum volumus habere hospitem Christum, corda nostra semper habere munita fidelibus testimoniis, tam de misericordia scilicet morientis, quam de potentia resurgentis; quomodo David aiebat: *Duo hæc audivi, quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia (Psal. LXI, 12, 15). Siquidem utriusque rei testimonia credibilia facta sunt nimis; Christo utique moriente propter delicta nostra, et resurgente propter justificationem nostram, et ascendente ad protectionem nostram, et mittente Spiritum ad consolationem nostram, et quandoque redituro ad consummationem nostram. Nempe in morte misericordiam, potentiam in resurrectione, utramque in singulis exhibuit reliquorum.**

**588** 10. Hæc mala, hi flores, quibus sponsa se interim stipari postulat et fulciri, credo sentiens facile vim in se amoris posse tepescere et languescere quodammodo, si non talibus jugiter foveatur incensivis, donec introducta quandoque in cubiculum, diu cupitis excipiatur amplexibus, et dicat: *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexata est me (Cantic. II, 6). Sentiet quippe tunc et probabit uni-*

**A** versa dilectionis testimonia, quæ in priori adventu, tanquam de sinistra dilecti, acceperat, præ multitudine dulcedinis amplexantis dexteræ contemnenda, et omnino jam quasi subtus habenda. Sentiet quod audierat: *Caro non prodest quidquam; spiritus est qui vivificat (Joan VI, 64). Probabit quod legerat: Spiritus meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum. Quod vero sequitur, Memoria mea in generatione sæculorum (Eccli. XXIV, 27, 28); hoc dicit, quia quoad stare præsens cernitur sæculum, in quo generatio advenit, et generatio præterit, non deerit electis consolatio de memoriâ, quibus nondum de præsentia plena refectio indulgetur. Unde scriptum est, *Memoriam abundantiae suavitatis tuæ eructabunt: haud dubium, quin hi, quos paulo superius dixerat, Generatio et generatio laudabit opera tua (Psal. CXLIV, 7, 4). Memoria ergo in generatione sæculorum, præsentia in regno cœlorum. Ex ista glorificatur jam assumpta electio: de illa interim peregrinans generatio consolatur.**

#### CAPUT IV.

*Quinam ex Dei recordatione consolationem capiant: quive magis ad ejus amorem idonei.*

**M.** Sed interest, quænam generatio ex Dei capiat recordatione solamen. Non enim generatio prava et exasperans, cui dicitur, *Væ vobis, divites, qui habetis consolationem vestram (Luc. VI, 24); sed quæ dicere veraciter potest, Renuit consolari anima mea. Huic plane et credimus, si secuta adjecerit: Memor fui Dei, et delectatus sum (Psal. LXXVI, 3, 4). Justum quippe est, ut quos præsentia non delectant, præsto eis sit memoria futurorum: et qui de rerum fluentium qualibet affluentia despiciunt consolari, recordatio illos delectet æternitatis. Et hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium non quæ sua sunt, sed faciem Dei Jacob (Psal. XXIII, 6). Dei ergo quærentibus et suspirantibus præsentiam, præsto interim et dulcis memoria est, non tamen qua satientur, sed qua magis esurient unde satientur. Hoc ipsum de se cibus ipse testatur, ita dicens, *Qui edit me, adhuc esuriet (Eccli. XXIV, 29): et qui eo cibatus est, Satiabor, inquit, cum apparuerit gloria tua (Psal. XVI, 15). Beati tamen jam nunc qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam quandoque ipsi, et non alii, saturabuntur (Matth. V, 6). Væ tibi, generatio prava atque perversa! væ tibi, popule stulte et insipiens, qui et memoriam fastidis, et præsentiam expavescis! Merito quidem: nec modo enim liberari vis de laqueo venantium, siquidem qui volunt divites fieri in hoc sæculo, incidunt in laqueum diaboli (I Tim. VI, 9); nec tunc a verbo aspero poteris liberari. O verbum asperum, o sermo durus! *Ite, maledicti, in ignem æternum (Matth. XXV, 41). Durior plane atque asperior illo, qui quotidie nobis de memoriâ passionis in Ecclesia replicatur: *Qui manducat meam carnem, et bibit sanguinem meum, habet vitam æternam. Hoc est, qui recolat mortem meam, et exemplo meo mortificat membra sua quæ sunt super terram; habet vitam æternam: hoc est,****

si compatimini, et conregnabitis. Et tamen plerique ab hac voce resilientes et abeuntes hodieque retrorsum, respondent non verbo, sed facto: *Durus est hic sermo; quis potest eum audire?* (Joan. vi, 55, 61.) Itaque generatio quæ non direxit cor suum, et non est creditus cum Deo spiritus ejus (*Psal. LXXVII, 8*), sed magis sperans in incerto divitiarum, verbum modo crucis audire gravatur, ac memoriam passionis sibi judicat onerosam. Verum qualiter verbi illius pondus in præsentia sustinebit: *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus?* Super quem profecto ceciderit lapis iste, conteret eum. At vero generatio rectorum benedicetur (*Psal. cxi, 2*): qui utique cum Apostolo, sive **589** absentes, sive præsentis, contendunt placere Deo (*II Cor. v, 9*). Denique audient, *Venite, benedicti, Patris mei* (*Matth. xxv, 34*), etc. Tunc illa quæ non direxit cor suum, sero quidem experietur, quam in illius comparatione doloris jugum Christi suave, et onus leve fuerit, cui tanquam gravi et aspero duram cervicem superbe subduxit. Non potestis, o miseri servi mammonæ, simul gloriari in cruce Domini nostri Jesu Christi, et sperare in pecuniæ thesauris; post aurum abire, et probare quam suavis est Dominus. Proinde quem suavem in memoria non sentitis, asperum procul dubio in præsentia sentietis.

12. Cæterum fidelis anima et suspirat præsentiam inhianter, et in memoria requiescit suaviter; et donec idonea sit revelata facie speculari gloriam Domini, crucis ignominia gloriatur. Sic profecto, sic sponsa et columba Christi pæusat sibi interim, et dormit inter medios clericos, sortita jam in præsentiarum de memoria abundantiae suavitatis tuæ, Domine Jesu, pennas deargentatas, innocentiae videlicet pudicitiaeque candorem; et sperans insuper adimpleri lætitia cum vultu tuo, ubi etiam fiant posteriora dorsi ejus in pallore auri (*Psal. LXXVII, 14*): quando in splendoribus sanctorum introducta cum gaudio, sapientiæ plenius fuerit illustrata fulgoribus. Merito proinde jam nunc gloriatur, et dicit, *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me* (*Cantic. ii, 6*): in læva reputans recordationem illius charitatis, qua nulla major est, quod animam suam posuit pro amicis suis; in dextera vero beatam visionem, quam promisit amicis suis, et gaudium de præsentia majestatis. Merito illa Dei et deifica visio, illa divinæ præsentiae inæstimabilis delectatio in dextera deputatur, de qua et delectabiliter canitur: *Delectationes in dextera tua usque in finem* (*Psal. xv, 11*). Merito in læva admirabilis illa memorata et semper memoranda dilectio collocatur, quod donec transeat iniquitas, super eam sponsa recumbat et requiescat.

13. Merito ergo læva sponsi sub capite sponsæ, super quam videlicet caput suum reclinata sustentet, hoc est mentis suæ intentionem, ne inclinetur et incurvetur in carnalia et sæcularia desideria: quia corpus quod corrumpitur, aggravat animam: et

A deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem (*Sap. ix, 15*). Quid namque aliud faciat considerata tanta et tam indebita miseratio, tam gratuita et sic probata dilectio, tam inopinata dignatio, tam invicta mansuetudo, tam stupenda dulcedo? quid, inquam, hæc omnia faciant diligenter considerata, nisi ut considerantis animum, ab omni penitus pravo vindicatum amore, ad se mirabiliter rapiant, vehementer afficiant, faciantque præ se contemnere, quidquid nisi in contemptu horum appeti non potest? Nimirum proinde in odore unguentorum horum sponsa currit alacriter, amat ardentem; et parum sibi amare sic amata videtur, etiam cum se totam in amore perstrinxerit. Nec immerito. Quid magnum enim tanto et tanti repensatur amori, si pulvis exiguus totum se ad redamandum collegerit, quem illa nimirum Majestas in amore præveniens, tota in opus salutis ejus intenta conspicitur? Denique sic Deus dilexit mundum ut Unigenitum daret (*Joan. iii, 16*); laud dubium quin de Patre dicat. Item, *Tradidit in mortem animam suam* (*Isai. LIII, 12*); nec dubium quod de Filio loquatur. Ait et de Spiritu sancto: *Spiritus Paracletus, quem mittit Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcunque dixerero vobis* (*Joan. xiv, 26*). Amat ergo Deus, et ex se toto amat, quia tota Trinitas amat: si tamen totum dici potest de infinito et incomprehensibili, aut certe de simplici.

#### CAPUT V.

*Christiano quantum incumbat debitum amoris.*

14. Intuens ergo hæc, credo, satis agnoscit quare Deus diligendus sit, hoc est, unde diligi mereatur. Cæterum infidelis non habens Filium, nec Patrem proinde habet, nec Spiritum sanctum. Qui enim non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum (*Joan. v, 23*); **590** sed nec Spiritum sanctum quem misit ille. Is itaque mirum non est, si quem minus agnoscit, minus et diligit. Attamen et ipse totum ei sese debere non ignorat, quem sui totius non ignorat auctorem. Quid ergo ego, qui Deum meum teneo vitæ meæ non solum gratuitum largitorem, largissimum administratorem, pium consolatorem, sollicitum gubernatorem; sed insuper etiam copiosissimum redemptorem, æternum conservatorem, ditatorem, glorificatorem? sicut scriptum est, *Copiosa apud eum redemptio* (*Psal. cxxix, 7*): et item, *Introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa* (*Hebr. ix, 12*): et de conservatione, *Non relinquet sanctos suos; in æternum conservabuntur* (*Psal. xxxvi, 28*): et de locupletatione, *Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum* (*Luc. vi, 38*): et rursum, *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se* (*I Cor. ii, 9*): et de glorificatione, *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ* (*Philipp. iii, 20, 21*): et illud, *Non sunt condignæ passionibus hujus*

temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis (Rom. viii, 18) : et iterum, *Id quod in præsentibus est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus quæ videntur, sed quæ non videntur* (II Cor. iv, 17, 18).

15. Quid retribuam Domino pro omnibus his? Illud ratio urget et justitia naturalis totum se tradere illi, a quo se totum habet, et ex se toto debere diligere. Mihi profecto fides tanto plus indicit amandum, quanto et eum me ipso pluris æstimandum intelligo : quippe qui illum non solum mei, sed sui quoque ipsius teneo largitorem. Denique nondum tempus fidei advenerat, nondum innotuerat in carne Deus, obierat in cruce, prodierat de sepulcro, redierat ad Patrem : nondum, inquam, commendaverat in nobis suam multam dilectionem, illam de qua jam multa locuti sumus, cum jam mandatum est homini diligere Dominum Deum suum ex toto corde, tota anima, tota virtute sua (Deut. vi, 5), id est ex omni quod est, quod scit, quod potest. Nec tamen injustus Deus, suum sibi vindicans opus et dona. Ut quid enim non amaret opus artificem, cum haberet unde id posset? Et cur non quantum omnino posset, cum nihil omnino nisi ejus munere posset? Ad hæc, quod de nihilo, quod gratis, quod in hac dignitate conditum est ; et debitum dilectionis manifestius facit, et exactum justiore ostendit. Cæterum quantum putamus adjectum beneficii, cum homines et jumenta salvavit, quemadmodum multiplicavit misericordiam suam Deus? (Psal. xxxv, 7, 8.) Nos dico, qui mutavimus gloriam nostram in similitudinem vituli comedentis fenum (Psal. cv, 20), peccando comparati jumentis insipientibus (Psal. xlviii, 13). Quod si totum me debeo pro me facto, quid addam jam et pro refecto et refecto hoc modo? Nec enim tam facile refectus, quam factus : siquidem non solum de me, sed de omni quoque quod factum est, scriptum est, *Dixit, et facta sunt* (Psal. cxlviii, 5). At vero qui me tantum et semel dicendo fecit, in reficiendo profecto et dixit multa, et gessit mira, et pertulit dura; nec tantum dura, sed et indigna. Quid ergo retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? (Psal. cxv, 12.) In primo opere me mihi dedit; in secundo, se : et ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo, et redditus, me pro me debeo, et his debeo. Quid Deo retribuam pro se? Nam etiam si me millies rependere possem, quid sum ego ad Deum?

#### CAPUT VI.

*Brevis anacephalæosis et summa prædictorum.*

16. Hic primum vide, quo modo, imo quam sine modo a nobis Deus amari meruerit; qui (ut paucis quod dictum est repetam) prior ipse dilexit nos, tantus, et tantum, et gratis tantillos, et tales. En quod in principio dixisse me memini, modum esse diligendi Deum, sine modo diligere. Denique cum dilectio quæ tendit in Deum, tendat in immensum,

tendat in infinitum (nam et infinitus Deus est et immensus); quisnam, **591**, quæso, debeat finis esse nostri, vel modus amoris? Quid quod amor ipse noster non jam gratuitus impenditur, sed rependitur debitus? Amat ergo immensitas, amat æternitas, amat supereminens scientiæ charitas; amat Deus, cujus magnitudinis non est finis (Psal. cxliv, 3), cujus sapientiæ non est numerus (Psal. cxlvi, 5), cujus pax exsuperat omnem intellectum (Philipp. iv, 7) : et vicem rependimus cum mensura? Diligam te, Domine, fortitudo mea, firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus (Psal. xvii, 2, 3) : et meum denique quidquid optabile atque amabile dici potest. Deus meus, adjutor meus, diligam te pro dono tuo, et modo meo, minus quidem justo, sed plane non minus posse meo : qui etsi quantum debeo non possum, non possum tamen ultra quam possum. Potero vero plus, cum plus donare dignaberis : nunquam tamen prout dignus haberis. Imperfectum meum viderunt oculi tui : sed tamen in libro tuo omnes scribentur (Psal. cxxxviii, 16), qui quod possunt faciunt, etsi quod debent non possunt. Satis, quantum reor, apparet, et quoniam modo Deus diligendus sit, et quo merito suo. Quo, inquam, merito suo : nam quanto, cui sane appareat? quis dicat? quis sapiat?

#### CAPUT VII.

*Non sine fructu et præmio diligere Deum; et terrenis non satiari humani cordis appetitum.*

17. Nunc quo nostro commodo diligendus sit, videamus. Sed quantum est et in hoc videre nostrum ad id quod est? Nec tamen quod videtur tacendum est, etsi non omnino videtur ut est. Superius, cum propositum esset, quare, et quomodo diligendus sit Deus, duplicem dixi parere intellectum id quod quæritur, Quare : ut, aut quo suo merito, aut quo nostro commodo diligendus sit, utrumlibet quæri posse perinde videatur. Dicto proinde de merito Dei, non prout dignum ei, sed prout datum est mihi; superest ut de præmio, quod item dabitur, dicam. Non enim sine præmio diligitur Deus, etsi absque præmii intuitu diligendus sit. Vacua namque vera charitas esse non potest, nec tamen mercenaria est; quippe non quærit quæ sua sunt (I Cor. xiii, 5). Affectus est, non contractus : nec acquiritur pacto, nec acquirit. Sponte afficit, et spontaneum facit. Verus amor seipso contentus est. Habet præmium, sed id quod amatur. Nam quidquid propter aliud amare videaris, id plane amas, quo amoris finis pertendit, non per quod tendit. Paulus non evangelizat ut comedat, sed comedit ut evangelizet : eo quod amet, non cibum, sed Evangelium (I Cor. ix, 18). Verus amor præmium non requirit, sed meretur. Præmium sanè necdum amanti proponitur, amanti debetur, perseveranti redditur. Denique in rebus inferioribus suadendis, invitos promissis vel præmiis invitamus, et non spontaneos. Quis enim munerandum hominem putet, ut faciat

quod et sponte cupit? Nemo, verbi causa, conducit aut esurientem ut comedat, aut sitientem ut bibat, aut certe matrem ut parvulum allactet filium uteri sui. An vero quis putet prece vel pretio quempiam commonendum suam ipsius vel sepire vineam, vel arborem circumfodere, vel structuram propriæ domus erigere? Quanto magis Deum amans anima, aliud præter Deum sui amoris præmium non requirit? Aut si aliud requirit, illud pro certo, non Deum diligit.

18. Inest omni utenti ratione naturaliter pro sua semper æstimatione atque intentione appetere posteriora, et nulla re esse contentum, cui quod deest, iudicet præferendum. Nam et qui, verbi gratia, uxorem habet speciosam, petulanti oculo vel animo respicit pulchriorem: et qui veste pretiosa indutus est, pretiosorem affectat, et possidens multas divitias, invidet ditiori. Videas jam multis prædiis et possessionibus ampliatos, adhuc tamen in dies agrum agro copulare, atque infinita cupiditate dilatate terminos suos. Videas et qui in regalibus domibus, amplisque habitant palatiis, nihilominus quotidie conjungere domum ad domum, et inquieta **592** curiositate ædificare, diruere, mutare quadrata rotundis. Quid homines sublimatos honoribus? annon insatiabili ambitione magis ac magis totis viribus conari ad altiora videmus? Et horum omnium idcirco non est finis, quia nil in eis summum singulariter reperitur vel optimum. Et quid mirum si inferioribus et deterioribus contentus non sit, qui citra summum vel optimum quiescere non potest? Sed hoc stultum et extremæ dementiæ est, ea sæpe appetere, quæ nunquam, non dico satient, sed nec temperent appetitum: dum quidquid talium habueris, nihilominus non habita concupiscas, et ad quæque defuerint, semper inquietus anheles. Ita enim fit ut per varia et fallacia mundi oblectamenta vagabundus animus inani labore discurrens fatigetur, non satiatur: dum quidquid famelicus inglutierit, parum reputet ad id quod superest devorandum, semperque non minus anxie cupiat quæ desunt, quam quæ adsunt læte possideat. Quis enim obtineat universa? Quanquam et modicum id quod quisque cum labore obtinuerit, cum timore possederit, certus quidem non sit quando cum dolore amittat, certus autem quod quandoque amittat. Sic directo tramite voluntas perversa contendit [*al. cum tendit*] ad optimum, festinat ad id unde possit impleri. Imo vero his anfractibus ludit secum vanitas, mentitur iniquitas sibi. Si ita vis adimplere quod vis, hoc est, si illud apprehendere vis, quo apprehenso nil jam amplius velis, quid tentare opus est et cætera? Curris per devia, et longe ante morieris, quam hoc circuitu pervenias ad optatum.

19. Hoc ergo in circuitu impii ambulant, naturaliter appetentes unde finiant appetitum, et insipienter respicientes unde propinquent fini: fini dico, non consumptioni, sed consummationi. Quamobrem non beato sine consummari, sed consumi vacuo la-

ore accelerant, qui rerum magis specie, quam auctore delectati, prius universa percurrere, et de singulis cupiunt experiri, quam ad ipsum eurent universitatis Dominum pervenire. Et quidem pervenirent, si quandoque voti compotes effici possent, ut omnia scilicet, præter omnium principium, unus aliquis obtineret. Ea namque suæ cupiditatis lege, qua in rebus cæteris non habita præ habitis esurire, et pro non habitis habita fastidire solebat; mox omnibus quæ in cælo, et quæ in terra sunt obtentis et contemptis, tandem ad ipsum procul dubio curreret, qui solus deesset omnium Deus. Porro ibi quiesceret: quia sicut citra nulla revocat quies; sic nulla ultra jam inquietudo sollicitat. Diceret pro certo: *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* Diceret, **B** *Quid enim mihi est in cælo, et a te quid volui super terram?* et item, *Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum* (*Psal. lxxii, 28, 25, 26*). Sic ergo (ut dictum est) ad id quod optimum est, quivis cupidus perveniret, si quidem ante, quod citra cupit, assequi posset.

20. Verum quoniam id omnino impossibile præstruit et vita brevior, et virtus infirmior, et consors numerosior; longo profecto itinere et casso labore desudant, qui dum quæcunque desiderant, attingere volunt, ad cunctorum desiderabilium nequeunt pertingere finem. Et utinam attingere universa animo, et non experimento vellent! Hoc enim facile possent, et non incassum. Nam et animus sensu quidem carnali tanto velocior, quanto et perspicacior, ad hoc datus est, ut illum ad omnia præveniat; nihilque audeat contingere sensus, quod animus præcurrens ante utile non probaverit. Hinc enim arbitrator dictum, *Omnia probate, quod bonum est tenete* (*I Thess. v, 21*); ut videlicet ille huic provideat, nec is suum votum, nisi ad illius iudicium consequatur. Alioquin non ascendes in montem Domini, nec stabis in loco sancto ejus, pro eo quod in vano acceperis animam tuam (*Psal. xxiii, 3, 4*), hoc est animam rationalem: dum instar pecoris sensum sequeris, ratione quidem otiosa, et non resistente in aliquo. Quorum itaque ratio non prævenit gressus, currunt, sed extra viam: ac proinde Apostoli spreto consilio, non sic currunt ut apprehendant (*I Cor. xi, 24*). Quando etenim apprehendant, quem **593** apprehendere nisi post omnia nolunt? Distortum iter, et circuitus infinitus, cuncta primitus attentare velle.

21. Justus autem non ita. Audiens nempe vituperationem multorum commorantium in circuitu (multi enim sunt viam latam pergentes, quæ ducit ad mortem), ipse sibi regiam eligit viam, non declinans ad dexteram vel ad sinistram. Denique attestante propheta, *Semita justi recta est, rectis callis justis ambulandum* (*Isai. xxvi, 7*). Hi sunt, qui salubri compendio cauti sunt molestum hunc et infructuosum vitare circuitum, verbum abbreviatum et abbrevians eligentes, non cupere quæcunque vident,

sed vendere magis quæ possident, et dare pauperibus. Beati plane pauperes, quoniam ipsorum est regnum cælorum (*Matth. v, 3*). Omnes quidem currunt (*I Cor. ix, 24*); sed inter currentes discernitur. Denique novit Dominus viam justorum, et iter impiorum peribit (*Psal. i, 6*). Ideo autem melius est modicum justo super divitias peccatorum multas (*Psal. xxxvi, 16*), quoniam quidem, ut Sapiens loquitur et insipiens experitur, qui diligit pecuniam, non saturabitur pecunia (*Eccle. v, 9*): qui autem esuriunt et sitiunt justitiam, ipsi saturabuntur (*Matth. v, 6*). Justitia siquidem ratione utentis spiritus cibus est vitalis et naturalis: pecunia vero sic non minuit animi famem, quomodo nec corporis ventus. Denique si famelicum hominem apertis faucibus vento, inflatis haurire buccis aerem cernas, quo quasi consulat fami, nonne credas insanire? Sic non minoris insanix est, si spiritum rationalem rebus putes quibuscunque corporalibus non magis inflari, quam satiari. Quid namque de corporibus ad spiritus? Nec illa sane spiritualibus, nec isti e regione refici corporalibus queunt. Benedic, anima mea, Domino, qui replet in bonis desiderium tuum (*Psal. cii, 1, 5*). Replet in bonis, excitat ad bonum, tenet in bono; prævenit, sustinet, implet. Ipse facit ut desideres; ipse est quod desideras.

22. Dixi supra: Causa diligendi Deum, Deus est. Verum dixi: nam et efficiens, et finalis. Ipse dat occasionem, ipse creat affectionem, desiderium ipse consummat. Ipse fecit, vel potius factus est ut amaretur: ipse speratur, amandus felicius, ne in vacuum sit amatus. Ejus amor nostrum et præparat, et remunerat. Præcedit benignior, rependitur justior, expectatur suavior. Dives est omnibus qui invocant eum: nec tamen habet quidquam se ipso melius. Se dedit in meritum, se servat in præmium, se apponit in refectioe animarum sanctarum, se in redemptione distrahit captivarum. Bonus es, Domine, animæ quærenti te (*Thren. iii, 25*): quid ergo inventienti? Sed enim in hoc est mirum, quod nemo te quærere valet, nisi qui prius invenerit. Vis igitur inveniri ut quæraris, quæri ut inveniaris. Potes quidem quæri et inveniri, non tamen præveniri. Nam etsi dicimus, *Mane oratio mea præveniet te* (*Psal. lxxxvii, 14*); non dubium tamen quod tepida **D** sit omnis oratio, quam non prævenierit inspiratio. Dicendum jam unde inchoet amor noster, quoniam ubi consummetur, dictum est.

#### CAPUT VIII.

*De primo gradu amoris, quo diligit homo se propter se.*

23. Amor est affectio naturalis una de quatuor (150\*). Notæ sunt: non opus est nominare. Quod ergo naturale est, justum quidem foret primo omnium auctori deservire naturæ. Unde et dictum est primum et maximum mandatum: *Diliges Dominum*

(150\*) Bernardus passim cum antiquis, etiam profanis, quatuor tantum principes affectiones agnoscit:

**A** *Deum tuum* (*Matth. xxii, 37*), etc. Sed quoniam natura fragilior atque infirmior est, ipsi primum impetrante necessitate compellitur inservire. Et est amor carnalis, quo ante omnia homo diligit se ipsum propter se ipsum, sicut scriptum est: *Prius quod animale, deinde quod spirituale* (*I Cor. xv, 46*). Nec præcepto indicitur, sed naturæ inseritur: quis nempe carnem suam odio habuit? (*Ephes. v, 29*.) At vero si cœperit amor idem, ut assolet, proclivior esse, sive profusior, et necessitatis alveo minime contentus, campos etiam voluptatis **594** exundans latius visus fuerit occupare; statim superfluitas obviantem mandato cohibetur, cum dicitur: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum* (*Matth. xxii, 39*). Justissime quidem, ut consors naturæ non sit exsors et gratiæ, **B** illius præsertim gratiæ, quæ naturæ insita est. Quod si gravatur homo fraternis, non dico necessitatibus subvenire, sed voluptatibus deservire; castiget ipse suas, si non vult esse transgressor. Quantum vult, sibi indulgeat; dum æque et proximo tantumdem meminerit exhibendum. Frenum tibi temperantiæ imponitur, o homo, ex lege vitæ et disciplinæ, ne post concupiscentias tuas eas, et pereas, ne de bonis naturæ hosti servias animæ, hoc est libidini. Quam justius atque honestius communicas illa consorti, id est proximo, quam hosti? Et quidem si ex Sapientis consilio a voluptatibus tuis averteris (*Eccli. xviii, 30*), et juxta doctrinam Apostoli victu vestituque contentus (*I Tim. vi, 8*), paulisper suspendere non gravaris amorem tuum a carnalibus desideriis, quæ **C** militant adversus animam (*I Petr. ii, 11*); sane quod subtrahis hosti animæ tuæ, consorti naturæ puto non gravaberis impertiri. Tunc amor tuus et temperans erit, et justus, si quod propriis subtrahitur voluptatibus, fratris necessitatibus non negetur. Sic amor carnalis efficitur et socialis, cum in commune protrahitur.

24. Si autem dum communicas proximo, forte tibi defuerint etiam necessaria, quid facies? Quid enim, nisi ut cum omni fiducia postules ab eo qui dat omnibus affluenter, et non improperat (*Jacobi i, 5*); qui aperit manum suam, et implet omne animal benedictione? (*Psal. cxlv, 16*.) Dubium siquidem non est, quod adsit libenter in necessariis, qui plerisque et in superfluis non deest. Denique ait: *Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis* (*Luc. xii, 31*). Sponte daturum se pollicetur necessaria, superflua restringenti, et proximum diligenti. Hoc quippe est primum quærere regnum Dei, et adversus peccati implorare tyrannidem, pudicitix potius ac sobrietatis subire jugum, quam regnare peccatum in tuo mortali corpore patiaris. Porro autem et hoc justitiæ est, cum quo tibi est natura communis, naturæ quoque cum eo munus non habere divisum.

25. Ut tamen perfecta justitia sit diligere proxi-

amorem, timorem, gaudium et tristitiam, ut sermone 2 in Capite jejunii, num. 5, et alibi passim.

num, Deum in causa haberi necesse est. Alioquin A proximum pure diligere quomodo potest, qui in Deo non diligit? Porro in Deo diligere non potest, qui Deum non diligit. Oportet ergo Deum diligi prius, ut in Deo diligi possit et proximus. Facit ergo etiam se diligi Deus, qui et cætera bona facit. Facit autem sic. Qui naturam condidit, ipse et protegit. Nam et ita condita fuit, ut habeat jugiter necessarium protectorem, quem habuit et conditorem: ut quæ nisi per ipsum non valuit esse, nec sine ipso valeat omnino subsistere. Quod ne sane de se creatura ignoret, ac proinde sibi (quod absit) superbe arroget beneficia creatoris, vult hominem idem conditor alto quidem salubrique consilio tribulationibus exerceri: ut cum defecerit homo, et subvenerit Deus, dum homo liberatur a Deo, Deus ab homine, ut B dignum est, honoretur. Hoc enim dicit: *Invoca me in die tribulationis, eruam te, et honorificabis me* (Psal. XLIX, 15). Fit itaque hoc tali modo, ut homo animalis et carnalis, qui præter se neminem diligere noverat, etiam Deum vel propter se amare incipiat, quod in ipso nimirum, ut sæpe expertus est, omnia possit, quæ posse tamen prosit; et sine ipso possit nihil.

## CAPUT IX.

*De secundo et tertio gradu amoris.*

26. Amat ergo jam Deum, sed propter se interim adhuc, non propter ipsum. Est tamen quædam prudentia scire quid ex te, quid ex Dei adjutorio possis, et ipsi servare te infensum [*id est* inoffensum], qui te tibi servat illæsum. At si frequens ingruerit C tribulatio, ob quam et frequens ad Deum conversio fiat, et a Deo æque frequens liberatio consequatur; nonne, etsi 595 fuerit ferreum pectus, vel cor lapideum toties liberati, emolliri necesse est ad gratiam liberantis, quatenus Deum homo diligat, non propter se tantum, sed et propter ipsum? Ex occasione quippe frequentium necessitatum crebris necesse est interpellationibus Deum ab homine frequentari, frequentando gustari, gustando probari quam suavis est Dominus. Ita fit ut ad diligendum pure Deum plus jam ipsius gustata alliciat suavitas, quam urgeat nostra necessitas; ita ut exemplo Samaritanorum, dicentium mulieri quæ adesse Dominum nuntiaverat, *Jam non propter tuam loquelam D credimus; ipsi enim audivimus, et scimus quia ipse est vere Salvator mundi* (Joan. IV, 42); ita, inquam, et nos illorum exemplo carnem nostram alloquentes, dicamus merito: Jam non propter tuam necessitatem Deum diligimus; ipsi enim gustavimus et scimus quoniam suavis est Dominus. Est enim carnis quædam loquela necessitas, et beneficia quæ experiendo probat, gesticendo [*al.* gustando] renuntiat. Itaque sic affecto, jam de diligendo proximo implere mandatum, non erit difficile. Amat quippe veraciter Deum, ac per hoc quæ Dei sunt. Amat caste, et casto non gravatur obedire mandato, castificans magis cor suum, ut scriptum est, in obedientia charitatis (I Petr. I, 22). Amat juste, et mandatum justum

libenter amplectitur. Amor iste merito gratus, quia gratuitus. Castus est, quia non impenditur verbo, neque lingua, sed opere et veritate. Justus est, quoniam qualis suscipitur, talis et redditur. Qui enim sic amat, haud secus profecto, quam amatus est, amat; quærens et ipse vicissim, non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, quemadmodum ille nostra, vel potius nos, et non sua quæsit. Sic amat qui dicit: *Confitemini Domino quoniam bonus* (Psal. cxvii, 1). Qui Domino constetur, non quoniam sibi bonus est, sed quoniam bonus est; hic vere diligit Deum propter Deum, et non propter seipsum. Non sic amat de quo dicitur: *Confitebitur tibi cum benefeceris ei* (Psal. XLVIII, 19). Iste est tertius amoris gradus, quo jam propter se ipsum Deus diligitur.

## CAPUT X.

*De quarto gradu amoris cum nec seipsum diligit homo nisi propter Deum.*

27. Felix qui meruit ad quartum usque pertinere, quatenus nec seipsum diligit homo nisi propter Deum. Justitia tua, Deus, sicut montes Dei (Psal. xxxv, 7). Amor iste mons est, et mons Dei excelsus. Revera mons coagulatus, mons pinguis (Psal. Lxvii, 16). Quis ascendet in montem Domini? (Psal. xxiii, 3.) Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo et requiescam? (Psal. LIV, 7.) Factus est in pace locus iste, et habitatio hæc in Sion (Psal. Lxxv, 5). Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est! (Psal. cxix, 5.) Caro et sanguis, vas luteum, terrena inhabitatio quando capit hoc? quando hujuscemodi experitur affectum, ut divino debriatus amore animus, oblitus sui, factusque sibi ipsi tanquam vas perditum, totus pergat in Deum, et adherens Deo unus cum eo spiritus fiat (I Cor. vi, 17), et dicat: *Defecit caro mea et cor meum, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum?* (Psal. Lxxii, 26.) Beatum dixerim et sanctum, cui tale aliquid in hac mortali vita raro interdum, aut vel semel, et hoc ipsum raptim, atque unius vix momenti spatio experiri donatum est. Te enim quodammodo perdere, tanquam qui non sis, et omnino non sentire te ipsum, et a teipso exinaniri, et pene annullari, cœlestis est conversationis, non humanæ affectionis. Et si quidem e mortalibus quispiam ad illud raptim D interdum (ut dictum est) et ad momentum admittitur, subito invidet sæculum nequam, perturbat diei malitia, corpus mortis aggravat, sollicitat carnis necessitas, defectus corruptionis non sustinet, quodque his violentius est, fraterna revocat charitas. Heu! redire in se, recidere in sua compellitur, et miserabiliter exclamare, *Domine, vim patior, responde pro me* (Isa. xxxviii, 14): et illud, *Infelix ego homo, quis 596 me liberabit de corpore mortis hujus?* (Rom. vii, 24.)

28. Quoniam tamen Scriptura loquitur, Deum omnia fecisse propter semetipsum; erit profecto ut factura sese quandoque conformet et concordet Auctori. Oportet proinde in eundem nos affectum quandoque transire; ut quomodo Deus omnia



esse voluit propter semetipsum, sic nos quoque nec A nosipsos, nec aliud aliquid fuisse, vel esse velimus, nisi æque propter ipsum, ob solam videlicet ipsius voluntatem, non nostram voluptatem. Delectabit sane non tam nostra, vel sopita necessitas, vel sortita felicitas, quam quod ejus in nobis, et de nobis voluntas adimpleta videbitur: quod et quotidie postulamus in oratione cum dicimus, *Fiat voluntas tua, sicut in caelo, et in terra (Matth. vi, 10)*. O amor sanctus et castus! o dulcis et suavis affectio! o pura et defæcata intentio voluntatis! eo certe defæcator et purior, quo in ea de proprio nil jam admistum relinquatur: eo suavior et dulcior, quo totum divinum est quod sentitur. Sic affici, deificari est. Quomodo stilla aquæ modica, multo infusa vino, deficere a se tota videtur, dum et saporem vini induit, et colorem; et quomodo ferrum ignitum et candens, igni simillimum fit, pristina propriaque forma exutum; et quomodo solis luce perfusus aer in eandem transformatur luminis claritatem, adeo ut non tam illuminatus, quam ipsum lumen esse videatur: sic omnem tunc in sanctis humanam affectionem quodam ineffabili modo necesse erit a semetipsa liquescere, atque in Dei penitus transfundi voluntatem. Alioquin quomodo omnia in omnibus erit Deus, si in homine de homine quidquam supererit? Marebit quidem substantia, sed in alia forma, alia gloria, aliaque potentia. Quando hoc erit? quis hoc videbit? quis possidebit? Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei? (*Psal. xli, 3.*) Domine Deus

meus, tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea; faciem tuam, Domine, requiram (*Psal. xxvi, 8*). Putas, videbo templum sanctum tuum?

29. Ego puto non ante sane perfecte impletum iri, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua (Matth. xxii, 37)*; quousque ipsum cor cogitare jam non cogatur de corpore, et anima eidem in hoc statu vivificando et sensificando intendere desinat, et virtus ejusdem relevata molestiis, in Dei potentia roboretur. Impossibile namque est (151) tota hæc ex toto ad Deum colligere, et divino insigere vultui, quandiu ea huic fragili et æruinoso corpori intenta et distenta necesse est subservire (152). Itaque in corpore spiritali et immortalis, in corpore integro, placido, placitoque, et per omnia subjecto spiritui, speret se anima quartum apprehendere amoris gradum, vel potius in ipso apprehendi: quippe quod Dei potentie est dare cui vult, non humanæ industriæ assequi. Tunc, inquam, summum obtinebit facile gradum, cum in gaudium Domini sui promptissime et avidissime festinantem nulla jam retardabit carnis illecebra, nulla molestia conturbabit. Putamusne tamen hanc gratiam vel ex parte sanctos martyres assecutos, in illis victoriosis corporibus adhuc constitutos? Magna vis prorsus amoris illas animas introrsum rapuerat, qua ita sua corpora foris exponere, et tormenta contemnere valuerunt. At profecto doloris acerrimi sensus non potuit non turbare serenum, etsi non perturbare.

(151) De præcepto dilectionis, quo jubemur Deum ex toto corde diligere, agit, atque non posse ab homine mortali, seu in statu vitæ præsentis impleri, scilicet perfecte. Idem asserit Serm. 50 in Cant. Similia habet S. Augustinus variis locis lib. 1 De doct. Christ., cap. 22, lib. De perfect. justit., cap. 8, ubi in plenitudine charitatis vitæ futuræ hoc præceptum implendum ait. *Nam cum est adhuc aliquid carnalis concupiscentiæ, vel quod continendo frenetur, non omnimodo ex tota anima diligitur Deus. Et iterum: Cur ergo homini non præciperetur ista perfectio, quamvis eam in hac vita nemo habeat? Non enim recte curritur, si quo currendum est, nesciatur. Quomodo autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur?* Item lib. De spir. et litt. cap. ult. commemorans præceptum dilectionis Dei et proximi: *Hoc, inquit, in illa vita complebimus, cum videbimus faciem ad faciem; sed ideo nobis hoc etiam nunc præceptum est, ut admoneremur, quid fide exposcere, quo spem præmittere, et obliviscendo quæ retro sunt, in quæ anteriora nos extendere debemus.* etc. Sed cave putes hæc favere Sæctariis, docentibus, Neminem posse in præsentis vitæ statu legem Dei implere, etiam regeneratum. Contra quem errorem vide concil. Trident. sess. 6, cap. 11, et can. 18.

Ut hic punctum difficultatis paucis expediamus, notandum totalitatem illam lege præscriptam, cum dicitur, *Ex toto corde*, etc. tribus modis intelligi posse. Primo, ut totum cor nostrum in solidum uni Deo diligendo tribuatur, nec amor in aliud feratur objectum, quam in solum Deum. Hoc sensu non præcipitur Dei dilectio, alioquin non liceret diligere proximum. Secundo, ut significetur tanto conatu cor nostrum in Dei dilectionem ferri debere, quanto fieri potest, seu ut tantum diligat, quantum ab ipso diligibilis est. Tertio, ut toto corde id fieri dicatur, in quo quis præcipuum studium et curam ponit:

quomodo dicimus, aliquem totum esse in litteris.

Dicendum itaque, totalitatem præcepto dilectionis inclusam, non primo modo intelligendam; sic enim non posset amari proximus: nec secundo, quamvis si sic præciperetur, servari posset: sed tertio, quod fit, quando in amore nihil Deo præfertur, cum nullius creaturæ amore vel timore a nobis offenditur. Hunc sensum expressit Apostolus Roman. vi: *Nulla creatura poterit nos separare a charitate Dei.* et Christus ipse (*Matth. x*): *Qui amat patrem aut matrem, etc.*, id est, qui amorem parentum præfert amori Dei, non diligit Deum super omnia. Hoc sensu laudatur Abraham, quod unici filii amorem postposuerit amori Dei.

Itaque SS. Augustinus et Bernardus intelligunt quidem totalitatem primi et secundi modi, et hoc sensu asserunt, dilectionis mandatum in hac vita impleri non posse; sed simul insinuant, mandatum sic acceptum non esse homini infirmo sub pœna peccati præceptum, sed tantum propositum ut scopum et finem, ad quem conari, tendere, et pervenire aliquando debeat, id est, eam justitiæ perfectionem, quæ speratur in futuro sæculo. Unde loco cit. De spir. et litt. *Neque enim, inquit, si esse nondum potest tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenæ perfectæque debetur, jam culpæ deputandum est. Aliud enim est, totam nondum assequi charitatem: aliud, nullam sequi cupiditatem.* V. S. Thom. 2-2 quæst. 44, art. 6 et 8.

(152) Non tamen continuo impossibile præceptum, quod præscribit finem et perfectionem amoris, quo semper et irremisse contendamus, non quo statim pervenire teneamur. Non ergo præcipitur in hac vita perfectio charitatis absoluta, sed studium ejus perfectionis, ut quantum humanæ res sinunt, Dei cogitatione, amore, unione et voluntate occupemur.

## CAPUT XI.

*Hæc amoris perfectio non competit etiam solutis animabus beatorum, ante resurrectionem.*

30. Quid autem jam solutas corporibus? Immersas ex toto credimus immenso illi pelago æterni luminis, et luminosæ æternitatis. Sed si (quod non negatur) velint sua corpora recepisse, aut certe recipere desiderent et sperent; liquet procul dubio necdum a seipsis penitus immutatas, quibus constat **597** necdum penitus deesse de proprio, quo vel modice intentio reflectatur. Donec ergo absorpta sit mors in victoria, et noctis undique terminos lux perennis invadat et occupet usquequaque, quatenus et in corporibus gloria cœlestis effulgeat; non possunt ex toto animæ seipsas exponere, et transire in Deum, nimirum ligatæ corporibus etiam tunc, etsi non vita vel sensu, certe affectu naturali, ita ut absque his nec velint, nec valeant consummari. Itaque ante restorationem corporum non erit ille defectus animorum, qui perfectus et summus est ipsorum status: nec carnis jam sane consortium spiritus requireret, si absque illa consummaretur. Enimvero absque profectu animæ nec ponitur corpus, nec resumitur. Denique pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus (*Psal. cxv, 15*). Quod si mors pretiosa, quid vita, et illa vita? Nec mirum, si corpus jam gloriæ conferre videtur spiritui, quod et infirmum et mortale constat ipsi non mediocriter valuisse. O quam verum locutus est qui dixit, diligentibus Deum omnia cooperari in bonum (*Rom. viii, 28*). Valet Deum diligenti animæ corpus suum infirmum, valet **C** et mortuum, valet et resuscitatum: primo quidem ad fructum pœnitentiæ, secundo ad requiem, postremo ad consummationem. Merito sine illo perfici non vult, quod in omni statu in bonum sibi subseruire persentit.

31. Bonus plane fidusque comes caro spiritui bono, quæ ipsum aut si onerat, juvat; aut si non juvat, exonerat; aut certe juvat, et minime onerat. Primus status laboriosus, sed fructuosus: secundus otiosus, sed minime fastidiosus: tertius et gloriosus. Audi et sponsum in Canticis ad profectum hunc trimodum invitantem. *Comedite, inquit, amici, et bibite; et inebriamini, charissimi* (*Cantic. v, 1*). Laborantes in corpore vocat ad cibum: jam posito corpore quiescentes **D** ad potum invitat: resumentes corpora, etiam ut inebrientur impellit: quos et vocat charissimos, nimirum charitate plenissimos. Nam et in cæteris, quos non charissimos, sed amicos appellat, differentia est: ut hi quidem qui in carne adhuc gravati gemunt, chari habeantur pro charitate quam habent: qui vero jam soluti carnis compede sunt, eo sint chariores, quo et promptiores atque expeditiores facti ad amandum. Porro præ utrisque merito nominantur et sunt charissimi, qui recepta jam secunda stola, in corporibus utique cum gloria resumptis, tanto in Dei feruntur amorem liberiores et alacriores, quanto et de proprio nil jam residuum est, quod eos aliquatenus sollicitet vel retardet. Quod

**A** quidem neuter sibi reliquorum statuum vindicat; cum et in priori corpus cum labore portetur, et in secundo quoque non sine proprietate aliqua desiderii exspectetur.

32. Primo ergo fidelis anima comedit panem suum, sed heu! in sudore vultus sui. In carne quippe manens adhuc ambulat per fidem, quam sane operari per dilectionem necesse est: quia si non operatur, mortua est. Porro ipsum opus cibus est, dicente Domino: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei* (*Joan. iv, 34*). Dehinc carne exuta jam pane doloris non cibatur; sed vinum amoris, tanquam post cibum, plenius haurire permittitur, non purum tamen, sed quomodo sub sponsi nomine in Canticis dictum legitur: *bibi vinum meum cum lacte meo* (*Cantic. v, 1*). Vino enim divini amoris etiam tunc anima suavitate naturalis immiscet affectionis, qua resumere corpus suum, ipsumque glorificatum desiderat. Æstuat ergo jam tunc sanctæ charitatis potata vino, sed plane nondum usque ad ebrietatem: quoniam temperat interim ardorem illum hujus lactis permistio. Ebrietas denique solet evertere mentes, atque omnino reddere immemores sui. At non ex toto sui oblita est, quæ adhuc de proprio corpore cogitat suscitando. Cæterum hoc adeptus, quod solum utique deerat, quid jam impedit a se ipsa quodammodo abire, et ire totam in Deum, eoque sibi penitus dissimillimam fieri, quo Deo simillimam effici donatur? Tum demum ad crateram admissa sapientiæ, illam de qua legitur, *Et calix meus* **598** *inebrians quam præclarus est!* (*Psal. xxii, 5*.) quid mirum jam si inebriatur ab ubertate domus Dei, cum nulla mordente cura de proprio, secunda bibit purum et novum illud cum Christo in regno Patris ejus?

33. Hoc vero convivium triplex celebrat Sapiëntia, et ex una complet charitate, ipsa cibans laborantes, ipsa potans quiescentes, ipsa regnantes inebrians. Quomodo autem in convivio corporali ante cibum quam potus apponitur, quoniam et tali ordine natura requirit; ita et hic. Primo quidem ante mortem in carne mortali labores manuum nostrarum manducamus, cum labore quod glutendum est masticantes: post mortem vero in vita spiritali jam bibimus, suavissima quadam facilitate quod percipitur colantes: tandem redivivis corporibus in vita immortalis inebriamur, mira plenitudine exuberantes. Hæc pro eo quod sponsus in Canticis dicit: *Comedite, amici, et bibite; et inebriamini, charissimi*. Comedite ante mortem, bibite post mortem, inebriamini post resurrectionem. Merito jam charissimi, qui charitate inebriantur: et merito inebriati, qui ad nuptias Agni introduci merentur, edentes et bibentes super mensam illius in regno suo, quando sibi jam exhibet gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid hujusmodi (*Ephes. v, 27*). Tunc prorsus inebriat charissimos suos, tunc torrente voluptatis suæ potat (*Psal. xxxv, 9*): quoniam quidem in complexu illo

arctissimo et castissimo sponsi et sponsæ, fluminis A impetus lætificat civitatem Dei (*Psal.* XLV, 5). Quod non aliud esse arbitror quam Dei Filium, qui transiens ministrat, quemadmodum ipse promisit (*Luc.* XII, 37) : ut ex hoc jam justi epulentur et exsulent in conspectu Dei, et delectentur in lætitia (*Psal.* LXVII, 4). Hinc illa satietas sine fastidio : hinc insatiabilis illa sine inquietudine curiositas : hinc æternum illud atque inexplicabile desiderium, nesciens egestatem : hinc denique sobria illa ebrietas, vero, non mero ingurgitans, non madens vino, sed ardens Deo. Ex hoc jam quartus ille amoris gradus perpetuo possidetur, cum summe, et solus diligitur Deus : quia nec nos ipsos jam nisi propter ipsum diligimus, ut sit ipse præmium amantium se, præmium æternum amantium in æternum.

### CAPUT XII.

*De charitate ex epistola ad Cartusianos scripta.*

34. Memini me dudum ad sanctos fratres Cartusienses scripsisse epistolam, ac de his ipsis in ea gradibus inter cætera disseruisse (*Epist.* 11). Forte autem alia ibi, etsi non aliena, de charitate locutus sum; et ob hoc quædam illorum huic [*al.* hujus] quoque sermoni subjungere non inutile duco : præsertim cum facilius ad manum habeam transcribere jam dictata, quam nova iterum dictare. Illa, inquam, vera et sincera est charitas, et omnino de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta fatenda est procedere, qua proximi bonum, æque ut nostrum, diligimus. Nam qui magis, aut certe solum diligit C suum, convincitur non caste diligere bonum, quod utique propter se diligit, non propter ipsum. Et hic talis non potest obedire prophetæ, qui ait : *Confite- mini Domino, quoniam bonus* ((*Psal.* CXVII, 1). Confitetur quidem, quia fortasse bonus est sibi, non autem quoniam bonus est in se. Quapropter noverit in se dirigi illud ab eodem propheta opprobrium : *Confitebitur tibi, cum benefeceris ei* (*Psal.* XLVIII, 19). Est qui confitetur Domino quoniam potens est, et est qui confitetur quoniam sibi bonus est, et item qui confitetur quoniam simpliciter bonus est. Primus servus est, et timet sibi; secundus, mercenarius, et cupit sibi; tertius, filius, et defert patri. Itaque et qui timet, et cupit, utrique pro se agunt. Sola quæ in filio est charitas, non quærit quæ sua sunt (*I Cor.* XIII, 5). Quamobrem puto de illa dictum, *Lex Domini immaculata, convertens animas* (*Psal.* XVIII, 8) : quod sola videlicet sit, quæ ab amore sui et mundi convertere possit animum, et in Deum dirigere. Nec timor quippe, nec amor privatus convertunt animam. Mutant interdum vultum, vel actum; affectum nunquam. Facit quidem nonnunquam 599 etiam servus opus Dei : sed quia non sponte, in sua adhuc duritia permanere cognoscitur. Facit et mercenarius : sed quia non gratis, propria trahi cupiditate convincitur. Porro ubi proprietas, ibi singularitas, ibi angulus : ubi vero angulus, ibi sine dubio sordes sive rubigo. Sit itaque servo sua lex, timor ipse quo constringitur; sit sua mercenario cupiditas, qua et

ipse arctatur, quando tentatur abstractus et illectus. Sed harum nulla, aut sine macula est, aut animas convertere potest. Charitas vero convertit animas, quas facit et voluntarias.

35. Porro in eo eam dixerim immaculatam, quod nil sibi de suo retinere consuevit. Cui nempe de proprio nihil est, totum profecto quod habet, Dei est : quod autem Dei est, immundum esse non potest. Lex ergo Domini immaculata, charitas est : quæ non quod sibi utile est, quærit, sed quod multis. Lex autem Domini, dicitur, sive quod ipse ex ea vivat, sive quod eam nullus, nisi ejus dono possideat. Nec absurdum videatur, quod dixi etiam Deum vivere ex lege : cum non alia quam charitate dixerim. Quid vero in summa et beata illa Trinitate B summam et ineffabilem illam conservat unitatem, nisi charitas? Lex est ergo, et lex Domini, charitas, quæ Trinitatem in unitate quodammodo cohibet, et colligat in vinculo pacis. Nemo tamen me æstimet charitatem hic accipere qualitatem, vel aliquod accidens (alioquin in Deo dicerem, quod absit, esse aliquid quod Deus non est), sed substantiam illam divinam : quod utique nec novum, nec insolitum est, dicente Joanne, *Deus charitas est* (*Joan.* IV, 8). Dicitur ergo recte et charitas, et Deus, et Dei donum. Itaque charitas dat charitatem, substantiva accidentalem. Ubi dantem significat, nomen substantiæ est : ubi donum, qualitatis. Hæc est lex æterna, creatrix et gubernatrix universitatis. Siquidem in pondere, et mensura, et numero per eam facta sunt universa, et nihil sine lege relinquitur, cum ipsa quoque lex omnium sine lege non sit, non tamen alia quam se ipsa : qua et seipsam etsi non creavit, regit tamen.

### CAPUT XIII.

*De lege propriæ voluntatis et cupiditatis, servorum et mercenariorum.*

36. Cæterum servus et mercenarius habent legem, non a Domino, sed quam ipsi sibi fecerunt : ille Deum non amando, iste plus aliud amando. Habent, inquam, legem non Domini, sed suam; illi tamen, quæ Domini est, subjectam. Et quidem suam sibi quisque legem facere potuerunt : non tamen eam incommutabili æternæ legis ordini subducere potuerunt. Tunc D autem dixerim quemque sibi fecisse suam legem, quando communi et æternæ legi propriam prætulit voluntatem, perverse utique volens suum imitari Creatorem : ut sicut ipse sibi lex, sui que juris est, ita is quoque se ipsum regeret, et legem sibi suam faceret voluntatem. Grave utique et importabile jugum super omnes filios Adam, heu! inclinans et incurvans cervices nostras, adeo ut vita nostra inferno appropinquarit (*Psal.* LXXXVII, 4). Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? (*Rom.* VII, 24.) quo utique premor, et pene opprimor, ita ut nisi quia Dominus adjuvit me, puto minus habitasset in inferno anima mea (*Psal.* XCIII, 17). Sub hoc onere gravatus gemebat qui dicebat : *Quare me posuisti contrarium tibi, et factus sum mihi met ipsi*

*gravis?* Ubi dixit, *Factus sum mihi met ipsi gravis*, **A** ostendit quod lex ipse sibi esset, nec alius hoc quam sibi ipse fecisset. Quod autem loquens Deo, præmisit, *Posuisti me contrarium tibi*; Dei se tamen non effugisse legem indicavit. Hoc quippe ad æternam justamque Dei legem pertinuit, ut qui a Deo noluit suaviter regi, pœnaliter a seipso regeretur: quique sponte jugum suave et onus leve charitatis abjecit, propriæ voluntatis onus importabile sustineret invitus. Miro itaque et justo modo æterna lex fugitivum suum et posuit sibi [*al. eidem ipsi*] contrarium, et retinuit subjectum: dum videlicet nec justitiæ **600** pro meritis legem evasit; nec tamen cum Deo in sua luce, in sua requie, in sua gloria remansit, subjectus potestati, et submotus felicitati. Domine Deus meus, *cur non tollis peccatum meum, et quare non auferis iniquitatem meam?* (*Job vii, 20, 21.*) ut abjecta gravi sarcina propriæ voluntatis, sub levi onere charitatis respirem; nec jam servili timore coercear, nec mercenaria cupiditate illiciar: sed agar spiritu tuo, spiritu libertatis, quo aguntur filii tui, qui testimonium reddat spiritui meo, quod et ego sim unus ex filiis (*Rom. viii, 14-16*), dum eadem mihi lex fuerit quæ et tibi; et sicut tu es, ita et ipse sim in hoc mundo. Hi siquidem, qui hoc faciunt quod ait Apostolus, *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis* (*Rom. xiii, 8*); procul dubio sicut Deus est, et ipsi sunt in hoc mundo: nec servi aut mercenarii sunt, sed filii.

#### CAPUT XIV.

##### *De lege charitatis filiorum.*

37. Itaque nec filii sunt sine lege, nisi forte aliquis aliter sentiat propter hoc quod scriptum est: *Justis non est lex posita* (*I Tim. i, 9*). Sed sciendum, quod alia est lex promulgata a spiritu servitutis in timore; alia a spiritu libertatis data in suavitate. Nec sub illa coguntur esse filii; nec sine ista esse patiuntur. Vis audire quia justis non est lex posita? *Non accepistis*, ait, *spiritum servitutis iterum in timore*. Vis audire quod tamen sine lege charitatis non sint? *Sed accepistis*, inquit, *spiritum adoptionis filiorum* (*Rom. viii, 15*). Denique audi justum utrumque de se fatentem, et quod non sit sub lege, nec tamen sit sine lege. *Factus sum*, inquit, *his qui sub lege erant, quasi sub lege essem; cum ipse non essem sub lege: his qui sine lege erant, tanquam sine lege essem; cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi* (*I Cor. ix, 21*). Unde apte non dicitur, *Justi non habent legem, aut, Justis non est lex posita*; hoc est, non tanquam invitis imposita, sed voluntariis eo liberaliter data, quo suaviter inspirata. Unde et pulchre Dominus, *Tollite*, ait, *jugum meum super vos* (*Matth. xi, 29*): ac si diceret, *Non impono invitis, sed vos tollite si vultis*; alioquin non requiem, sed laborem invenietis animabus vestris.

38. Bona itaque lex charitas, et suavis: quæ non solum leviter suaviterque portatur, sed etiam servo-

rum et mercenariorum leges portabiles ac leves reddit, quas utique non destruit, sed facit ut impleantur, dicente Domino: *Non veni legem solvere, sed adimplere* (*Matth. v, 17*). Illam temperat, istam ornat, utramque levigat. Nunquam erit charitas sine timore, sed casto: nunquam sine cupiditate, sed ordinata. Implet ergo charitas legem servi, cum infundit devotionem: implet et mercenarii, cum ordinat cupiditatem. Porro timori permista devotio ipsum non annullat, sed castificat. Pœna tantum tollitur, sine qua esse non potuit dum fuit servilis; et timor manet in sæculum sæculi castus et filialis. Nam quod legitur, *Perfecta charitas foras mittit timorem* (*I Joan. iv, 18*); pœna intelligenda est, quæ servili, ut diximus, nunquam deest timori, illo scilicet genere locutionis, quo sæpe causa ponitur pro effectu. Deinde cupiditas tunc recte a superveniente charitate ordinatur, cum mala quidem penitus respuuntur, bonis vero meliora præferuntur, nec bona nisi propter meliora appetuntur. Quod cum plene per Dei gratiam assecutum fuerit, diligitur corpus, et universa corporis bona tantum propter animam, anima propter Deum, Deus autem propter seipsum.

#### CAPUT XV.

##### *De quatuor gradibus amoris, et felici statu patriæ cœlestis.*

39. Verumtamen quia carnales sumus, et de carnis concupiscentia nascimur, necesse est ut cupiditas vel amor noster a carne incipiat; quæ si recto ordine dirigitur, quibusdam suis gradibus duce gratia proficiens, spiritu tandem consummabitur: quia non prius quod spirituale, sed quod animale, deinde quod **601** spirituale (*I Cor. xv, 46*). Et prius necesse est portemus imaginem terrestris, deinde cœlestis. In primis ergo diligit seipsum homo propter se; caro quippe est, et nil sapere valet præter se. Cumque se videt per se non posse subsistere, Deum quasi sibi necessarium incipit per fidem inquirere, et diligere. Diligit itaque in secundo gradu Deum, sed propter se, non propter ipsum. At vero cum ipsum cœperit occasione propriæ necessitatis colere et frequentare, cogitando, legendo, orando, obediendo, quadam hujuscemodi familiaritate paulatim sensimque Deus innotescit, consequenter et dulcescit: et sic gustato quam suavis est Dominus, transit ad tertium gradum, ut diligit Deum, non jam propter se, sed propter ipsum. Sane in hoc gradu diu statur: et nescio si a quoquam hominum quartus in hac vita perfecte apprehenditur, ut se scilicet diligit homo tantum propter Deum. Asserant hoc si qui experti sunt: mihi, fateor, impossibile videtur. Erit autem procul dubio, cum introductus fuerit servus bonus et fidelis in gaudium Domini sui (*Matth. xxv, 21*), et inebriatus ab ubertate domus Dei (*Psal. xxxv, 9*). Quasi enim miro quodam modo oblitus sui, et a se penitus velut deficiens, totus perget in Deum: et deinceps adhærens ei, unus cum eo spiritus erit (*I Cor. vi, 17*). Arbitror hoc sensisse Prophetam cum diceret: *Introibo in potentius Domini;*

*Domine, memorabor justitiæ tuæ solius (Psal. LXX, 16)*. Sciebat profecto cum introiret in spirituales potentias Domini, exutum se iri universis carnis infirmitatibus : ut jam nil de carne haberet cogitare, sed totus in spiritu memoraretur justitiæ Domini solius.

40. Tunc pro certo singula Christi membra dicere poterunt de se, quod Paulus aiebat de capite : *Etsi cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus (II Cor. v, 16)*. Nemo ibi se cognosceret secundum carnem : quia caro et sanguis regnum Dei non possidebunt. Non quod carnis illic substantia futura non sit ; sed quod carnalis omnis necessitudo sit defutura, carnisque amor amore spiritus absorbendus ; et infirmæ, quæ nunc sunt, humanæ affectiones in divinas quasdam habeant commutari. Tunc sagena charitatis, quæ nunc tracta per hoc mare magnum et spatiosum ex omni genere piscinum congregare non desinit, cum perducta ad littus fuerit, malos foras mittens, bonos solummodo retinebit (*Matth. xiii, 47, 48*). Siquidem in hac vita ex omni genere piscinum intra sinum suæ latitudinis charitatis rete concludit : ubi se pro tempore omnibus conformans, omniumque in se sive adversa, sive prospera trajiciens, ac sua quodammodo faciens, non solum gaudere cum gaudentibus, sed etiam flere cum flenti-

bus consuevit (*Rom. xii, 15*). Sed cum pervenerit ad littus, velut malos pisces omne quod triste patitur, foras mittens, sola quæ placere et jucunda esse poterunt, retinebit. Nunquid enim tunc, verbi gratia, Paulus aut infirmabitur cum infirmis, aut uretur pro scandalizatis (*II Cor. xi, 29*), ubi scandala et infirmitas procul erunt? Aut certe lugebit eos qui non agent [*al. habent*] pœnitentiam (*II Cor. xii, 21*), ubi certum est nec peccantem fore, nec pœnitentem? Absit autem ut vel eos qui ignibus æternis cum diabolo et angelis ejus deputandi sunt, plangat et defleat in illa civitate, quam fluminis impetus lætificat, cujus et diligit Dominus portas super omnia tabernacula Jacob : quod videlicet in tabernaculis, etsi quandoque gaudetur de victoria, laboratur tamen in pugna, et plerumque periclitatur de vita : in illa autem patria nulla prorsus admittatur adversitas sive tristitia, quemadmodum de illa canitur, *Sicut lætantium omnium habitatio est in te (Psal. LXXXVI, 2, 7)* : et rursum, *Lætitia sempiterna erit eis (Isai. LXI, 7)*. Denique quomodo misericordiæ recordabitur, ubi memorabitur justitiæ Dei solius? Proinde ubi jam non erit miseræ locus, aut misericordiæ tempus ; nullus profecto esse poterit miserationis affectus.

## 602 ADMONITIO IN OPUSCULUM IX.

*Hoc opusculum Bernardus ante annum 1128 composuit, id est ante annum ætatis suæ tricesimum octavum. Agit de Gratia et Libero Arbitrio, ex occasione cujusdam collationis cum homine nescio quo, cui sanctus Doctor nimium gratiæ tribuisse visus fuerat, quasi nihil reliqui libero arbitrio faceret in actibus humanis. Præcipuus ergo libri scopus est, quæ sint gratiæ, quæ liberi arbitrii partes in negotio salutis. Hic multa docentur de libero arbitrio Dei, angeli, et hominis, integri, lapsi, et beati : item de gratia primi hominis ante et post lapsum. Parvus liber, sed qui plus succi et solidæ doctrinæ contineat, quam magna librorum volumina, quæ de hoc theologico argumento pertractant. Stilus vegetus, vivaci ingenio et lumine plenus : verba propria et materiæ accommodata ; oratio facilis, non arte quæsitæ, sed quasi naturalis ; non obesa et exilis, sed pinguis et nervosa : elegans, concinna, et jucunda ; non trivialibus scholæ verbis languens, non barbara, aut inculta. Non ita pressa, ut parce et guttatim fluat ; nec tamen ita profusa, ut torrentis instar, quasi rupto aggere et siccato alveo, erumpat : sed pari tenore et gravi majestate æqualiter profluens, fontem indicat indeficientem, qui non ex alieno plenus sit, sed ex proprio, imo ex Dei dono, atque ex continua Scripturæ meditatione, præsertim Apostoli, n. 48. De isto opusculo Gaufridus in libro tertio de Vita Bernardi, capite octavo, agens : « Quam non ingratus, » inquit, « gratiæ Dei, ex his liquet, quæ de Gratia et Libero Arbitrio, tam fideliter, quam subtiliter disputavit. » Nec prætermittenda verba epistolæ quinquagesimæ secundæ, ad Haimericum cardinalem, quæ sub anno 1128 scripta est : « Quæsitum a me præfatus episcopus » Gaufridus Carnotensis « aliqua ex nostris Opusculis quæ vobis mitteret : sed non fuit ad manum, quod vestro dignum crederem studio. Libellum tamen de Gratia et Libero Arbitrio nuper edidi : illum vobis libenter mittam, cum vos velle cognovero. » Directus est libellus Guillelmo Sancti-Theoderici abbati, singulari Bernardi amico, ad quem Apologia supernus edita, et epistolæ complures. Nullam capitum divisionem habent codices antiquiores, sed recentiores. Vulgatum et receptam satius retinere visum est*

# S. BERNARDI ABBATIS

## DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO

### TRACTATUS,

AD GUILLELMUM ABBATEM SANCTI-THEODERICI.

#### 603 PRÆFATIO.

DOMINO GUILLELMO abbati Sancti-Theoderici, frater BERNARDUS.

Opusculum de gratia et Libero Arbitrio, quod illa, qua scitis, occasione nuper aggressus sum; eadem gratia [al. Deo] adjuvante peregi: ut potui. Vereor autem, ne aut grandia minus digne locutus inveniar, aut pertractata a pluribus superfluo retractasse. Proinde illud legite primus, et si judicatis, solus: ne si proferatur in medium, magis forte scriptoris publicetur temeritas, quam lectoris ædificetur charitas. Quod si palam fieri utile probaveritis, tunc si quid obscurius dictum adverteritis, quod in re obscura, servata congrua brevitate, dici planius potuisset, non sit vobis pigrum aut emendare per vos, aut mihi resignare emendandum, si fraudari non vultis promissione illa Sapientiæ, quæ ait: *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt* (Eccli. xxiv, 31).

#### CAPUT PRIMUM.

*Ad boni operis meritum, una cum gratia Dei, concurrere liberi arbitrii consensum*

1. Loquente me coram aliquando, et Dei in me gratiam commendante, quod scilicet ab ipsa me in bono et præventum agnoscerem, et provehi sentirem, et sperarem perficiendum: Quid tu ergo, ait unus ex circumstantibus, operaris; aut quid mercedis speras vel præmii, si totum facit Deus? Quid enim, inquam, tu consulis? Da, inquit, gloriam Deo, qui gratis te prævenit, excitavit, initiavit; et vive digne de cætero, quo te probes et perceptis beneficiis non ingratum, et percipiendis idoneum. Et ego: Bonum, inquam, consilium das, sed si dederis et posse teneri. Siquidem non est ejusdem facilitatis scire quid faciendum sit, et facere: quoniam et diversa sunt, cæco ducatum, ac fesso præbere vehiculum. Non quicumque ostendit viam, præbet etiam viaticum itineranti. Aliud illi exhibet qui facit ne deviet; et aliud qui præstat ne deficiat in via. Ita nec quivis doctor, statim et dator erit boni quodcumque docuerit. Porro duo mihi sunt necessaria, doceri ac juvari. Tu homo recte quidem consulis ignorantia: sed, si verum sentit Apostolus, *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram* (Rom. viii, 26). Imò vero qui mihi per os tuum ministrat consilium, ipse necesse est ministret

PATROL. CLXXXII.

A et per suum Spiritum adiutorium, quo valeam implere quod consulis. Ecce enim jam ex ejus munere velle adjacet mihi, perficere autem non invenio (*Id.* vii, 18); sed nec aliquando me inventurum confido, nisi qui dedit velle, det et perficere pro bona voluntate (*Philipp.* ii, 13). Ubi ergo, ais, sunt merita nostra; aut ubi est spes nostra? Audi, inquam: *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit* (I *Tit.* iii, 5). Quid enim? Tu forte putaveras tua te creasse merita, tua posse salvari justitia, qui nec saltem Dominum Jesum dicere potes nisi in Spiritu sancto (I *Cor.* xii, 3)? Itane oblitus es quis dixerit: *Sine me nihil potestis facere?* (*Joan.* xv, 5) et: *Neque currentis, neque volentis, sed miserentis est Dei?* (*Rom.* ix, 16.)

B 2. Quid igitur agit, ais, liberum arbitrium? Breviser respondeo: Salvatur. Tolle liberum arbitrium, et non erit quod salvetur: tolle gratiam, non erit unde salvetur. Opus hoc sine duobus effici non potest: uno a quo fit; altero cui, vel in quo fit. Deus auctor est 604 salutis, liberum arbitrium tantum capax: nec dare illam, nisi Deus; nec capere valet, nisi liberum arbitrium. Quod ergo a solo Deo, et soli datur libero arbitrio; tam absque consensu esse [al. effici] non potest accipientis, quam absque gratia dantis. Et ita gratiæ operanti salutem cooperari dicitur liberum arbitrium, dum consentit, hoc est dum salvatur. Consentire enim salvari est. Proinde pecoris spiritus salutem hujuscemodi minime capit, eo quod illi voluntarius consensus desit, quo salvanti videlicet Deo placide obtemperet, sive jubenti acquiescendo, sive pollicenti credendo, sive reddenti gratias agendo. Enim vero aliud est voluntarius consensus, aliud naturalis appetitus. Posterior quippe nobis communis est cum irrationalibus: nec valet consentire spiritui, carnis irretitus illecebris. Et fortassis ipse est, qui alio nomine ab Apostolo sapientia carnis appellatur, ubi ait: *Sapientia carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est subjecta. nec enim potest* (*Id.* viii, 7). Hunc ergo, ut dixi, communem habentes cum bestiis, consensus voluntarius nos discernit. Est enim habitus animi, liber sui. Siquidem non cogitur, non extorquetur. Est quippe voluntatis, non necessitatis; nec negat se, nec præbet

cuiquam, nisi ex voluntate. Alioquin si compelli valet invitus, violentus est, non voluntarius. Ubi autem voluntas non est, nec consensus. Non enim est consensus, nisi voluntarius. Ubi ergo consensus, ibi voluntas. Porro ubi voluntas, ibi libertas. Et hoc est quod dici puto liberum arbitrium.

#### CAPUT II.

*Quid liberum arbitrium, seu in quo consistat libertas.*

3. Sed ut manifestius fiat quod dicitur, et competentius ad id quod volumus veniamus, paulo altius æstimo repetendum. In rebus naturalibus [al. materialibus] non est id vita, quod sensus; non sensus, quod appetitus; nec ille, quod consensus. Quod ex singulorum definitionibus clarius elucebit. Est enim in quolibet corpore vita, internus ac naturalis motus, vicens tantum intrinsecus. Sensus vero, vitalis in corpore motus, vicens et extrinsecus. Appetitus autem naturalis, vis in animante, movendis avide sensibus attributa. Verum consensus, natus est voluntatis spontaneus, vel certe (quod superius dixisse me memini) habitus animi, liber sui. Porro voluntas est motus rationalis, et sensui præsidens, et appetitui. Habet sane, quocumque se volverit, semper rationem comitem, et quodammodo pedissequam: non quod semper ex ratione, sed quod nunquam absque ratione moveatur, ita ut multa faciat per ipsam contra ipsam, hoc est quasi per ejus ministerium, contra ejus consilium sive iudicium. Unde est illud: *Prudentiores sunt filii hujus sæculi filiis lucis in generatione sua* (Luc. xvi, 8); et rursum: *Sapientes sunt ut faciant mala* (Jerem. iv, 22). Neque enim prudentia seu sapientia inesse creature potest, vel in malo, nisi utique per rationem.

4. Est vero ratio data voluntati ut instruat illam, non destruat. Destrueret autem, si necessitatem ei ullam imponeret, quominus libere pro arbitrio sese volveret, sive in malum consentiens appetitui, aut nequam spiritui; ut sit animalis, non percipiens, vel certe et persequens ea quæ sunt spiritus Dei: sive ad bonum gratiam sequens, et fiat spiritualis; quæ omnia dijudicans, ipsa a nemine iudicetur. Si, inquam, horum quodlibet prohibente ratione voluntas non posset, **605** voluntas jam non esset. Ubi quippe necessitas, jam non voluntas. Quod si ex necessitate, et absque consensu propriæ voluntatis, justa, injustave fieri possent (153-54); rationalis creatura, aut misera profecto esse nulla ratione deberet; aut beata penitus non posset, cui nimirum in utraque parte id deesset, quod solum in ea miseræ, sive beatitudinis capax est, id est voluntas. Cætera siquidem, quæ supra memorata sunt, vita, sensus, vel appetitus, nec miserum per se faciunt, nec beatum. Alioquin et arbores ex vita, et pecudes etiam ex reliquis duobus, vel miseræ possent esse obnoxie, vel idoneæ beatitudini: quod omnino impossibile est. Communem itaque habentes, vitam quidem cum arboribus, sensum vero et appetitum, et æque vitam

A cum pecoribus; id quod dicitur voluntas, nos ab utrisque discernit. Cujus voluntatis consensus, utique voluntarius, non necessarius, dum aut justos probat, aut injustos, etiam merito beatos facit vel miseros. Is ergo talis consensus ob voluntatis inamissibilem libertatem, et rationis quod secum semper et ubique portat, indeclinabile iudicium, non incongrue dicitur, ut arbitror, liberum arbitrium, ipse liber sui propter voluntatem, ipse iudex sui propter rationem. Et merito libertatem comitatur iudicium: quoniam quidem quod liberum sui est, profecto ubi peccat, ibi se iudicat. Est autem iudicium, quia juste profecto, si peccat, patitur quod nolit, qui non peccat nisi velit.

B 5. Cæterum quod sui liberum non esse cognoscitur, quo pacto vel bonum ei, vel malum imputatur? Excusat nempe utrumque necessitas. Porro ubi necessitas est, libertas non est: ubi libertas non est, nec meritum, ac per hoc nec iudicium. Excepto sane per omnia originali peccato, quod aliam constat habere rationem. De cætero quidquid hanc non habet voluntarii consensus libertatem, procul dubio et merito caret, et iudicio. Proinde universa quæ sunt hominis, præter solam voluntatem, ab utroque libera sunt, quia sui libera non sunt. Vita, sensus, appetitus, memoria, ingenium, et si qua talia sunt, eo ipso subjacent necessitati, quo non plene subdita sunt voluntati. Ipsam vero quia impossibile est de se ipsa sibi non obedire (nemo quippe aut non vult quod vult, aut vult quod non vult), etiam impossibile est sua privari libertate. Potest quidem mutari voluntas, sed non nisi in aliam voluntatem, ut nunquam amittat libertatem. Tam ergo non potest privari illa, quam nec se ipsa. Si poterit homo aliquando, aut nihil omnino velle, aut velle aliquid, et non voluntate; poterit et carere libertate voluntas. Hinc est quod insanis, infantibus, itemque dormientibus, nihil quod faciant, vel bonum, vel malum, imputatur: quia nimirum sicut suæ non sunt compotes rationis, sic nec usum retinent propriæ voluntatis, ac per hoc nec iudicium libertatis. Cum igitur voluntas nil liberum habeat nisi se, merito non iudicatur nisi ex se. Siquidem nec tardum ingenium, nec labilis memoria, nec inquietus appetitus, nec sensus obtusus, nec vita languens, reum per se statuunt hominem, sicut nec contraria innocentem; et hoc non ob aliud, nisi quia hæc necessarie, ac præter voluntatem posse provenire probantur.

#### CAPUT III.

*Triplicem esse libertatem, Naturæ, Gratiæ, Gloriæ.*

6. Sola ergo voluntas, quoniam pro sui ingenua libertate, aut dissentire sibi, aut præter se in aliquo consentire, nulla vi, nulla cogitur necessitate; non immerito justam vel injustam, beatitudine seu miseria dignam ac capacem creaturam constituit; prout scilicet justitiæ, injustitiæve consenserit. Qua-

propter hujusmodi voluntarium liberumque consensum, ex quo et omne sui (ex his quæ dicta sunt) constat pendere **606** iudicium; puto non incongrue id esse, ut supra definivimus, quod solet liberum arbitrium appellari: ut liberum ad voluntatem, arbitrium referatur ad rationem. Sed sane liberum, non illa libertate, de qua dicit Apostolus: *Ubi spiritus Domini, ibi libertas* (II Cor. III, 17). Est enim illa libertas a peccato, sicut alibi dicit: *Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. Nunc autem liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam* (Rom. VI, 20-22). Quis vero in carne peccati a peccato sibi vindicat libertatem? Hac ergo libertate dictum merito nequaquam opinor liberum arbitrium. Est item libertas a miseria, de qua itidem Apostolus: *Et ipsa, inquit, creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei* (Rom. VIII, 21). Sed nunquid et istam sibi quispiam in hac mortalitate præsumit? Et hac itaque liberum nominari arbitrium non immerito abnuimus. Est vero, quam magis ei congruere arbitror libertatem, quam dicere possumus a necessitate, eo quod necessarium voluntario contrarium esse videatur: siquidem quod ex necessitate fit, jam non est ex voluntate, et e converso similiter.

7. Cum igitur, prout interim potuit occurrere nobis, triplex sit nobis proposita libertas, a peccato, a miseria, a necessitate; hanc ultimo loco positam contulit nobis in conditione natura, in primam restauramur a gratia, media nobis reservatur in patria. Dicatur igitur prima libertas Naturæ; secunda, Gratiæ; tertia, Vitæ vel Gloriæ. Primo nempe in liberam voluntatem ac voluntariam libertatem conditi sumus, nobilis Deo creatura: secundo reformamur in innocentiam, nova in Christo creatura: tertio sublimamur in gloriam, perfecta in spiritu creatura. Prima ergo libertas habet multum honoris; secunda, plurimum etiam virtutis; novissima, cumulum jucunditatis. Ex prima quippe præstamus cæteris animantibus; in secunda carnem, per tertiam mortem subijcimus. Vel certe sicut in prima subiecit Deus sub pedibus nostris oves et hoves et pecora campi: ita quoque per secundam spirituales bestias hujus aeris, de quibus dicitur, *Ne tradas bestiis animas confitentes tibi* (Psal. LXXIII, 19), prosternit æque et conterit sub pedibus nostris: in ultima tandem nos ipsos nobis plenius submissurus per victoriam corruptionis et mortis, quando æilicet novissima destruetur mors, et nos transibimus in libertatem gloriæ filiorum Dei: qua libertate Christus nos liberabit, cum nos utique tradet

(155) In editis, et quibusdam scriptis, voluntatis, sed voluntas rectius ad sensum.

(156) Nempe quantum in se est, infra. Et num. 24: *Manet ergo, etiam post peccatum, liberum arbitrium; etsi miserum, tamen integrum, etc. Neque enim ad liberum arbitrium, quantum in se est, pertinet, aut aliquando pertinuit posse vel sapere (quod est voluntatis ad bonum conversio, num. 19) sed tantum velle.*

A regnum Deo et Patri. De hac enim, et item de illa quam diximus a peccato, puto quod Judæis aiebat: *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis* (Joan. VIII, 36). Liberum arbitrium liberatore indigere significabat: sed plane qui illud liberaret non a necessitate, quam, voluntas (155) cum esset, penitus non noverat; sed a peccato, in quod tam libere, quam voluntarie corruerat; simulque a pœna peccati, quam incautum incurrerat, invitumque ferebat: quo utroque malo liberari omnino non poterat, nisi per illum, qui solus hominum factus est inter mortuos liber (Psal. LXXXVII, 6), liber videlicet a peccato inter peccatores.

8. Solus namque inter filios Adam libertatem sibi vindicat a peccato, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (I Petr. II, 22). Porro et a miseria, quæ est pœna peccati, habuit nihilominus libertatem, sed potentia, non actu. Nemo quippe tollebat animam ejus ab eo, sed ipse ponebat eam (Joan. X, 18). Denique, teste propheta: *Oblatus est quia ipse voluit* (Isai. LIII, 7); sicut et cum voluit natus ex muliere, factus sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret (Galat. IV, 4, 5). Fuit itaque et ipse sub lege miseriæ: sed fuit quia voluit, ut liber inter miseros et peccatores utrumque jugum fraternis a cervicibus excuteret. Habuit itaque totas tres libertates, primam ex humana simul et divina natura, reliquas ex divina potentia. Quarum duas posteriores utrum et primus homo in paradiso habuerit, vel quomodo et quatenus eas habuerit, postea videbimus.

#### 607 CAPUT IV.

*Qualis libertas competat animabus sanctis carne solutis: quæve Deo, et omni creaturæ rationali communis.*

9. Hoc autem indubitanter sciendum, utramque plenam atque perfectam perfectis inesse animabus carne solutis, cum Deo pariter et Christo ejus, atque Angelis supercœlestibus. Nam sanctis animabus, etsi necdum corpora receperunt, dæst quidem de gloria; sed nihil prorsus inest de miseria. Verum libertas a necessitate æque et indifferenter Deo, universæque tam malæ, quam bonæ rationali convenit creaturæ. Nec peccato, nec miseria amittitur, vel minuitur; nec major in justo est, quam in peccatore, nec plenior in angelo, quam in homine (156). Quomodo namque ad bonum per gratiam conversus humanæ voluntatis consensus, eo libere bonum, et in bono liberum hominem facit, quo voluntarius efficitur, non invitus pertrahitur: sic sponte devolutus in malum, in malo nihilominus tam liberum, quam spontaneum constituit, sua utique voluntate

Et num. 28 rationem reddit, cur liberum arbitrium sui omnino defectum seu diminutionem non patitur, nempe quod in ipso potissimum æternæ et incommutabilis divinitatis substantiva quædam imago impressa videatur: at in duabus aliis libertatibus sit accidentalis quædam magis similitudo sapientiæ atque potentia divini, imagini superducta. Confer sermonem 81 in Cantica, a num. 6.



ductum, non aliunde coactum ut malus sit. Et sicut A  
coelestis angelus, aut etiam Deus ipse, permanet  
libere bonus, propria videlicet voluntate, non aliqua  
extrinseca necessitate : sic profecto diabolus æque  
libere in malum et corrumpitur, et persistit, suo utique  
voluntario nutu, non alieno impulsu. Manet ergo li-  
bertas voluntatis, ubi etiam sit captivitas mentis,  
tam plena quidem in malis, quam in bonis, sed in  
bonis ordinatior; tam integra quoque pro suo modo  
in creatura, quam in Creatore, sed in illo poten-  
tior.

10. Quod autem homines solent conqueri, et di-  
cere : Volo habere bonam voluntatem, et non pos-  
sum; nequaquam huic præscribit libertati, ut quasi  
vim aut necessitatem in hac parte voluntas patiatur :  
sed plane illa libertate, quæ dicitur a peccato, se  
carere testantur. Nam qui vult habere bonam vo-  
luntatem, probat se habere voluntatem : non enim  
vult habere bonam, nisi per voluntatem. Quod si  
voluntatem, et libertatem; sed libertatem a neces-  
sitate, non a peccato. Nempe ut non valeat, cum  
velit, habere bonam, sentit quidem sibi deesse liber-  
tatem, sed profecto libertatem a peccato, quo utique  
delet premi, non peremi, voluntatem. Quanquam  
jam procul dubio utcunque bonam habet, ubi habere  
vult. Bonum quippe est quod vult; nec posset bo-  
num velle, nisi bona voluntate : sicut nec velle ma-  
lum, nisi mala voluntate. Cum bonum volumus,  
bona est voluntas : cum malum volumus, mala est  
voluntas. Utrobique voluntas, et ubique libertas :  
cedit siquidem voluntati necessitas. Cum autem non  
valemus quod volumus; sentimus quidem ipsam  
quodammodo libertatem peccato esse captivam; vel  
miseram, non tamen amissam.

11. Ex hac ergo tantum libertate, qua liberam est  
voluntati se ipsam judicare : vel bonam, si bono ;  
vel malam, si malo consenserit (quippe quæ in neu-  
tro, nisi certe volendo, consentire se sentit), liberum  
arbitrium credimus nominari. Nam ex illa quæ di-  
citur a peccato, congruentius forsitan liberum con-  
siliium; et item ex illa quæ dicta est a miseria, libe-  
rum potius complacitum posset dici, quam liberum  
arbitrium. Arbitrium quippe iudicium est. Sicut  
vero iudicii est discernere quid liceat, vel quid non  
liceat : sic profecto consilii probare quid expediat,  
vel non expediat : sic complaciti quoque experiri  
quid libeat, vel non libeat. Utinam tam libere no-  
bis consuleremus, quam libere de nobis iudicamus!  
ut quemadmodum libere per iudicium licita illicita-  
que decernimus; ita per consilium et licita, tanquam  
commoda, nobis eligere; et illicita, tanquam noxia,  
respuere **608** liberum haberemus. Jam enim non  
solum liberi arbitrii, sed et liberi procul dubio con-  
sili, ac per hoc et a peccato liberi essemus. Sed  
quid si totum, solumque quod expediret vel liceret,  
etiam liberet? Nonne liberi quoque esse complaciti  
merito diceremur, quippe qui ab omni proinde, quod  
displicere potest, hoc est ab omni nos miseria, libe-  
ros sentiremus? Nunc autem cum multa per judi-

cium vel admittenda, vel omittenda esse decerna-  
mus, quæ tamen per consilium nequaquam pro ju-  
dicii rectitudine aut eligimus, aut contempnimus;  
rursumque non omnia, quæ tanquam recta et com-  
moda consulte observamus, etiam ut beneplacita li-  
benter amplectimur, sed insuper quasi dura ac mo-  
lesta vix æquanimitè ferre perduramus : liquet  
quia liberum nec consilium habemus, nec compla-  
citum.

12. Alia questio est, si vel ante peccatum in  
primo homine habuimus : quod loco suo discutie-  
tur. Certissime autem habituri sumus, cum Deo mi-  
serante obtinebimus quod oramus : *Fiat voluntas  
tua, sicut in cælo, et in terra.* Hoc nempe complebitur,  
quando in quod nunc cunctæ passim rationali  
(ut jam dictum est) creaturæ commūne videtur, li-  
berum scilicet a necessitate arbitrium, erit etiam in  
electis hominibus (uti jam in sanctis est Angelis) et  
cautum a peccato, et tutum a miseria, probantibus  
tandem triplicis libertatis felici experientia, quæ sit  
bona voluntas Dei, ac beneplacens, et perfecta.  
Quod quia necdum est, sola interim plena integra-  
que manet in hominibus libertas arbitrii. Nam li-  
bertas consilii ex parte tantum, et hoc in paucis  
spiritualibus, qui carnem suam crucifixerunt cum  
vitiis et concupiscentiis, quatenus jam non regnet  
peccatum in eorum mortali corpore. Porro ut non  
regnet, libertas facit consilii; ut tamen non desit ex  
integro, captivitas est liberi arbitrii. Cum autem ve-  
nerit quod perfectum est, tunc evacuabitur quod ex  
parte est : hoc est, cum plena fuerit libertas consi-  
lii, nulla jam erit captivitas arbitrii. Et hoc est quod  
quotidie petimus in oratione, cum dicimus Deo :  
*Adveniat regnum tuum (Matth. vi, 10).* Regnum hoc  
necdum ex toto pervenit in nos. Quotidie tamen  
paulatim adventat, sensimque in dies magis ac ma-  
gis dilatat terminos suos, in his duntaxat, quorum  
per Dei adiutorium interior homo renovatur de die  
in diem. In quantum ergo regnum gratiæ dilatatur,  
in tantum peccati potestas minuitur. In quantum  
vero minus est adhuc propter corpus mortis quod  
aggravat animam, et ob necessitatem terrenæ inha-  
bitationis utique deprimentis sensum multa cogitan-  
tem; necesse habent etiam qui perfectiores in hac  
mortalitate videntur, confiteri et dicere : *In multis  
offendimus omnes (Jacobi III, 2) : et, Si dixerimus  
quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus; et  
veritas in nobis non est (I Joan. 1, 8).* Quapropter  
orant et ipsi sine intermissione, dicentes : *Adveniat  
regnum tuum.* Quod non erit vel in ipsis consum-  
matum, quousque peccatum non solum non regnet  
in eorum mortali corpore, sed nec sit omnino, nec  
esse possit in immortalis jam corpore.

#### CAPUT V.

*An libertas a miseria, seu complaciti, detur in  
hoc sæculo.*

13. Jam de libertate complaciti in hoc sæculo  
nequam quid dicemus? ubi vix sufficit diei malitia  
sua; ubi omnis creatura ingemiscit, et parturit us-

que adhuc, vanitati nimirum subjecta non volens **A** stare sufficiunt, toties esse liberos a miseria, quoties sic excedunt. Hi plane (quod negandum non est) etiam in hac carne, raro licet raptinque, complaciti libertate fruuntur, qui cum Maria optimam partem elegerunt, quæ non auferetur ab eis (*Luc. x, 42*). Qui enim jam tenent quod auferendum non est, experiuntur utique quod futurum est. Sed quod futurum est felicitas est: porro felicitas et miseria eodem tempore simul esse non possunt. Quoties igitur per spiritum illam participant, toties istam non sentiunt. Itaque in hac vita soli contemplativi possunt utcumque frui libertate complaciti: et hoc ex parte, et parte satis modica, viceque rarissima. Porro libertate consilii fruuntur etiam quilibet iusti; ex parte quidem, sed non modica. Cæterum libertas arbitrii, ut supra liquido apparuit, cunctis pariter ratione utentibus convenit; non minor, quantum in se est, in malis, quam in bonis; tam plena in hoc sæculo, quam et in futuro.

**609** nostro relinquatur complacito, ubi totum occupare videtur miseria? neque enim vel innocentia seu justitia; quemadmodum a peccato, ita etiam a miseria tutæ esse hic poterunt, ubi justus exclamat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Rom. vii, 24.*) Et item: *Factæ sunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte* (*Psal. xli, 4*). Ubi noctes diesque in mœrore continuantur, nullum profecto temporis spatium complacito vacuum relinquatur. Denique qui pie volunt vivere in Christo, ipsi magis persecutionem patiuntur (*II Tim. iii, 12*); quoniam iudicium a domo Dei incipit. Quod et præcipit: *A meis, inquit, incipite* (*Ezech. ix, 6, et I Petr. iv, 17*).

14. Sed, etsi non virtus, vitium forte in tuto est, et aliqua interim ex parte frui potest complacito, eavere miseriam. Absit. Nam qui lætantur cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis, tale est quod faciunt, quale cum rident frenetici. Nulla autem verior miseria, quam falsa lætitia. Denique in tantum miseria est, quod videtur felicitas in hoc sæculo, ut Sapiens dicat: *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii* (*Eccl. vii, 3*). Est quidem in bonis corporis nonnulla jucunditas, **C** videlicet in edendo, bibendo, calefaciendo, cæterisque talibus fomentis vel tegumentis carnis. Sed nunquid vel ista vacant aliquatenus a miseria? Bonus est panis, sed esurienti; potus delectat, sed sitiētem; denique saturato cibus potusque jam nequam sunt grata, sed gravia. Tolle famem, et panem non curabis; tolle sitim, et limpidissimum fontem, ac si paludem, respicies. Similiter umbram non querit nisi æstuans; solem non curat nisi algens, sive caligans. Alioquin nihil horum libebit, si non præcesserit urgens necessitas. Quæ si perfecte tollatur e rebus, statim in tædium atque molestiam convertetur ipsa quoque, quæ videtur in his esse, jucunditas. Fatendum igitur et in hac parte, omne quod presentis vitæ est, occupare miseriam: nisi quod in tribulationibus continuis graviorum laborum, leviores utique sint qualiscunque consolatio (157): et dum forte pro tempore ac rerum eventibus vicissim sibi gravia levique succedunt, minorum experientia, aliqua miseriæ videtur interpolatio; ut cum aliquando, post experta plura gravissima, in minus forte molesta evaditur, felicitas putetur.

15. Attamen fatendum est eos, qui per excessum contemplationis rapti quandoque in spiritu, quantumcumque de supernæ felicitatis dulcedine degu-

(157) Hæc proba est hujus loci lectio in duobus codicibus Colbertinis: in editis, *qualiscunque consolationes*. At *leviores* refertur, non ad *consolationes*,

**B** libertas arbitrii, ut supra liquido apparuit, cunctis pariter ratione utentibus convenit; non minor, quantum in se est, in malis, quam in bonis; tam plena in hoc sæculo, quam et in futuro.

#### CAPUT VI.

*Ad volendum bonum gratiam omnino esse necessarium.*

16. Sed et hoc satis aperte monstratum esse puto, quod hæc ipsa tamen libertas tamdiu quodammodo captiva tenetur, quamdiu illam duæ aliæ libertates minime, aut minus plene comitantur; nec aliunde noster ille defectus venit, de quo Apostolus: *Ut non quæcumque vultis, ait, illa faciatis* (*Galat. v, 17*). Velle siquidem **610** inest nobis ex libero arbitrio, non etiam posse quod volumus. Non dico velle bonum, aut velle malum: sed tantum velle. Velle enim bonum, profectus est; velle malum defectus. Velle vero simpliciter, ipsum est quod vel proficit, vel deficit. Porro ipsum ut esset, creans gratia fecit; ut proficiat, salvans gratia facit; ut deficiat, ipsum se dejicit. Itaque liberum arbitrium nos facit volentes, gratia benevolos. Ex ipso nobis est velle, ex ipsa bonum velle. Quemadmodum namque aliud est timere simpliciter, aliud timere Deum; et aliud amare simpliciter, aliud est amare Deum: quippe timere et amare, simpliciter quidem prolata, affectiones; cum additamento autem virtutes, significant: ita quoque aliud est velle, aliud velle bonum.

17. Simples namque affectiones insunt naturaliter nobis, tanquam ex nobis: additamenta ex gratia. Nec aliud profecto est, nisi quod gratia ordinat, quas donavit creatio: ut nil aliud sint virtutes nisi ordinatæ affectiones. Scriptum est de quibusdam, quod illiæ trepidassent timore, ubi non erat timor (*Psal. xiii, 5*). Timor fuit, sed inordinatus. Ordinare illum volebat Dominus in discipulis, cum diceret: *Ostendam vobis quem timere debeatis* (*Luc. xii, 5*); et David: *Venite, ait, filii, audite me, timorem Domini docebo vos* (*Psal. xxxiii, 12*). Uerum de amore inordinato arguebat homines qui dicebat:

*sed ad tribulationes; quæ leviores, sunt qualiscunque consolatio in hac vita.*

*Ego lux veni in hunc mundum; et dilexerunt homines A magis tenebras, quam lucem (Joan. III, 19). Idcirco postulat sponsa in Canticis, dicens: Ordinate in me charitatem (Cant. II, 4). Similiter quoque de inordinata voluntate arguebantur, quibus dicebatur: Nescitis quid petatis. Sed ad lineam rectitudinis edocti sunt distortam reducere voluntatem, cum audierunt: Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? (Marc. X, 38.) Et tunc quidem verbo, sed postmodum etiam exemplo voluntatem ordinare docebat, cum orans instante passione ut transferretur ab eo calix, statim subjiceret: Verumtamen non quod ego volo, sed quod tu vis (Matth. XXVI, 39). A Deo igitur velle, quomodo et timere, quomodo et amare, accipimus in conditione naturæ, ut essemus aliqua creatura: velle autem bonum, quomodo et timere B Deum, quomodo et amare Deum, accipimus in visitatione gratiæ, ut simus Dei creatura.*

18. Creati quippe quodammodo nostri in liberam voluntatem, quasi Dei efficimur per bonam voluntatem. Porro bonam facit, qui liberam fecit; et ad hoc bonam, ut simus initium aliquod creaturæ ejus: quoniam expedit profecto nobis magis omnino non fuisse, quam nostros permanere. Nam, qui voluerunt sui esse, utique sicut dii, scientes bonum et malum; facti sunt, non tantum jam sui, sed et diaboli. Itaque libera voluntas nos facit nostros; mala, diaboli; bona, Dei. Ad hoc pertinet quod dicitur: *Novit Dominus qui sunt ejus (II Tim. II, 19)*. Nam illis qui ejus non sunt, *Amen dico vobis, inquit, nescio vos (Matth. XXV, 12)*. Cum ergo per malam voluntatem sumus diaboli, quodammodo interim non sumus Dei: sicut cum per bonam voluntatem efficimur Dei, desinimus jam esse diaboli. *Nemo siquidem potest duobus dominis servire (Id. VI, 24)*. Cæterum sive Dei sumus, sive diaboli; non tamen similiter desinimus esse et nostri. Manet quippe utrobique libertas arbitrii, per quam maneat et causa meriti: quatenus merito vel puniamur mali, quod tanquam liberi ex propria voluntate efficimur: vel glorificemur boni, quod nisi æque voluntarii esse non possumus. Sane diabolo nostra nos mancipat voluntas, non ipsius potestas: Deo subjicit ejus gratia, non nostra voluntas. Nostra quippe voluntas bona (quod fatendum est) a bono Deo creata, perfecta tamen non erit, quousque suo Creatori perfecte subjecta sit. Absit autem, ut ipsi sui ipsius perfectionem, Deo autem tantum creationem tribuamus; cum longe nimirum melius sit esse perfectam, quam factam: et dictu ipso nefas videatur, Deo quod minus, nobis quod excellentius sit attribuere. Sentiens denique Apostolus quid ex natura esset, quid ex gratia exspectaret, aiebat: **611** *Velle adjacet mihi, perficere non invenio (Rom. VII, 18)*. Sciebat profecto, velle quidem sibi inesse ex libero arbitrio. sed ut ipsum velle perfectum haberet, gratiam se habere

necessariam. Si enim velle malum, defectus quidam est voluntatis; utique bonum velle, profectus ejusdem erit: sufficere vero ad omne quod volumus bonum, ipsius perfectio.

19. Ut ergo velle nostrum, quod ex libero arbitrio habemus, perfectam habeamus; duplici gratiæ munere indigemus, et vero videlicet Sapere, quod est voluntatis ad bonum conversio; et pleno etiam Posse, quod est ejusdem in bono confirmatio. Porro perfecta conversio est ad bonum, ut nil libeat nisi quod deceat vel liceat; perfecta in bono confirmatio, ut nil desit jam quod libeat. Tunc demum perfecta erit voluntas, cum plene fuerit bona, et bene plena. Habet siquidem duplex in se bonum ab initio sui: unum quidem generale ex sola creatione, quod a bono scilicet Deo non potuit creari nisi bona, secundum quod vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona (*Gen. I, 31*); alterum speciale ex libertate arbitrii, in qua ad imaginem utique ipsius qui creavit, est condita. Quod si duobus his bonis accedat et tertium, conversio scilicet ad Creatorem; reputabitur non immerito perfecte bona: bona nimirum in universitate, melior in suo genere, optima in sui ordinatione (158). Est autem ordinatione, omnimoda conversio voluntatis ad Deum, et ex tota se voluntaria devotaque subjectio. Huic vero tam perfectæ justitiæ debetur, imo jungitur gloriæ plenitudo: quia sic se comitantur duo ista, ut nec justitiæ possit haberi perfectio, nisi in plena gloria; nec gloriæ plenitudo, absque perfecta justitia. Merito denique talis justitia non erit sine gloria, cum gloria vera non sit, nisi de tali justitia. Unde recte dicitur: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur (Matth. V, 6)*.

20. Hæc autem sunt illa duo quæ supra nominavimus, verum Sapere, et plenum Posse: ut Sapere ad justitiam, Posse referatur ad gloriam. Sed Verum et Plenum addita sunt, alterum ad distinctionem sapientiæ carnis, quæ mors est (*Rom. VIII, 6*); itemque sapientiæ mundi, quæ stultitia apud Deum (*I Cor. III, 19*), qua et sapientes apud semetipsos sunt homines, *sapientes, inquam, ut faciant mala (Jerem. IV, 22)*: alterum ad illorum differentiam, de quibus dicitur: *Potentes potenter tormenta patientur (Sap. VI, 7)*. Nam verum Sapere, aut plenum Posse omnino non inveniuntur, nisi ubi libero arbitrio jam illa duo conjuncta sunt, quæ item superius memoravimus, liberum videlicet consilium, liberumque complacitum. Solum profecto dixerim vere sapientem, pleneque potentem, cui jam non tantum velle adjacet ex libero arbitrio, sed ex reliquis quoque duobus invenit et perficere; dum nec velle valeat quod malum sit, nec carere quod velit: quorum alterum est ex libertate consilii, id est verum Sapere; alterum ex libertate complaciti, scilicet plenum Posse. Sed quis talis est ac tantus in-

(158) In editis: *Ex sui ordinatione ad Deum. Sed ad Deum redundat, ut ex sequenti membro intelligitur.*

hominibus, qui in hoc gloriatur? Aut ubi, aut A quando istud obtinetur? Nunquidnam in hoc sæculo? Sed si quis esset hujusmodi, major esset Paulo, qui confitetur dicens: *Perficere autem non invenio*. Nunquid Adam in paradiso? Sed si habuisset, nunquam exsulasset [*al. exsul esset*] a paradiso.

#### CAPUT VII.

*Utrum primi homines in paradiso trina illa libertate præditi fuerint, et post peccatum.*

21. Nunc locus est pervidendi quod supra distulimus; utrum scilicet totas tres illas quas diximus libertates, id est, arbitrii, concilii, complaciti; vel aliis nominibus, a necessitate, a peccato, a miseria, primi homines in paradiso habuerint: an tantum duas, an unam solummodo. Et de prima quidem nulla jam quæstio est, si meminimus quam aperte et justis eam et peccatoribus inesse æqualiter, ratio superior edocuerit. De duabus reliquis quæritur non immerito, an unquam eas Adam habuerit, aut ambas, aut vel **612** unam. Nam si nullam habuit, quid amisit? Arbitrii utique libertatem tam post peccatum, quam ante semper tenuit inconcussam. Si ergo nil amisit, quid ei obfuit ejectum fuisse de paradiso? Quod si unam quamlibet illarum habuit, quomodo amisit? Nam certum est quia ex quo peccavit, nec a peccato prorsus, nec a miseria manens in corpore, liber fuit. Cæterum nullatenus, quamcunque illarum semel acceperit, amittere potuit. Alioquin perfectum nec Sapere, nec Posse, juxta **C** quod quidem duo hæc superius definita sunt, habuisse convincitur; qui nimirum et velle potuit quod non debuit, et recipere quod noluit. An dicendus est aliquo quidem modo illas habuisse, sed quia non plenarie, potuisse amittere? Habet siquidem unaquæque illarum duos gradus, superiorem et inferiorem. Superior libertas consilii est, non posse peccare: inferior, posse non peccare. Item superior libertas complaciti, non posse turbari: inferior, posse non turbari. Itaque inferiorem utriusque libertatis gradum simul cum plena libertate arbitrii homo in sui conditione accepit, et de utroque corruit cum peccavit. Corruit autem de posse non peccare in non posse non peccare, amissa ex toto consilii libertate. Itemque de posse non turbari in non posse non turbari, amissa ex toto complaciti libertate. Sola remansit ad pœnam libertas arbitrii, per quam utique cæteras amisit; ipsam tamen amittere non potuit. Per propriam quippe voluntatem servus peccati factus, merito perdidit libertatem consilii. Porro per peccatum factus debitor mortis, quomodo jam libertatem valebat retinere complaciti?

22. De tribus ergo libertatibus quas acceperat, abutendo illa quæ dicitur arbitrii, reliquis sese privavit. In eo autem abusus est, quod illam cum accepisset ad gloriam, convertit sibi in contume-

liam, juxta testimonium Scripturæ dicentis: *Homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* (Psal. XLVIII, 15). Soli inter animantia datum est homini posse peccare, ob prærogativam liberi arbitrii. Datum est autem, non ut proinde peccaret, sed ut gloriosior appareret si non peccaret, cum peccare posset. Quid namque gloriosius ei esse poterat, quam si de ipso diceretur quod Scriptura perhibet, dicens: *Quis est hic, et laudabimus eum?* Unde ita laudandus? *Fecit enim mirabilia in vita sua. Quæ? Qui potuit transgredi, inquit, et non est transgressus; facere mala et non fecit* (Eccli. xxxi, 9, 10). Hunc ergo honorem quamdiu absque peccato fuit, servavit; amisit, cum peccavit. Peccavit autem, quia liberum ei fuit: nec aliunde profecto liberum, nisi ex libertate arbitrii, de qua utique inerat ei possibilitas peccandi. Nec tamen fuit culpa dantis, sed abutentis, qui ipsam videlicet facultatem convertit in usum peccandi, quam acceperat ad gloriam non peccandi. Nam etsi peccavit ex posse quod accepit; non tamen quia potuit, sed quia voluit. Nec enim prævaricante diabolo et angelis ejus, etiam alii prævaricati sunt: non quia non potuerunt, sed quia noluerunt.

23. Peccantis igitur lapsus, non dono ascribendus est potestatis, sed vitio voluntatis. Lapsus tamen ex voluntate non æque ex voluntate resurgere jam liberum habet: quia, etsi datum fuit voluntati posse stare ne caderet, non tamen resurgere si caderet. Non enim tam facile quis valet exire de fovea, quam facile in eam labi. Cecidit sola voluntate homo in foveam peccati: sed non ex voluntate sufficit et posse resurgere, cum jam, etsi velit, non possit non peccare.

#### CAPUT VIII.

*Libertatem arbitrii remanere post peccatum.*

24. Quid ergo? Periit liberum arbitrium, quoniam non potest non peccare? Nequaquam: sed liberum perdidit consilium, per quod prius habuit [*al. habebat*] posse non peccare: quomodo et quod jam non valet utique non turbari, inde misero accidit, quod complaciti **613** quoque libertatem amisit, per quam et ante habuit posse non turbari. Manet ergo, etiam post peccatum, liberum arbitrium; etsi miserum, tamen integrum. (Et quod se per se homo non sufficit excutere a peccato sive miseria, non liberi arbitrii signat destructionem, sed duarum reliquarum libertatum privationem. Neque enim ad liberum arbitrium, quantum in se est, pertinet, aut aliquando pertinuit posse, vel sapere (159), sed tantum velle: nec potentem facit creaturam, nec sapientem, sed tantum volentem. Non ergo si potens, aut sapiens, sed tantum si volens esse desierit, liberum arbitrium amissionem putanda erit. Ubi enim non est voluntas, nec liber-

(159) Hæc disjunctivæ legenda, ut disparata sint posse, et sapere, de quibus supra, n. 19.

tas. Non dico si velle bonum, sed si velle omnino creatura desierit; fatendum sine contradictione, ubi non jam ex voluntate bonitas, sed ipsa ex toto voluntas perit, etiam liberum deperire arbitrium. Quod si velle bonum tantum non poterit [al. tantum perit], signum est quod ei desit liberum, non arbitrium, sed consilium. Si autem non quidem velle, sed ad id quod jam vult bonum, ei posse defuerit; noverit sibi deesse liberum complacitum, non liberum periisse arbitrium. Si ergo liberum arbitrium ita ubique sequitur voluntatem, ut nisi illa penitus esse desinat, isto non careat: voluntas vero sicut in bono, ita etiam in malo æque perdurat: æque profecto et liberum arbitrium tam in malo, quam in bono integrum perseverat. Et quomodo voluntas etiam posita in miseria non desinit esse voluntas, sed dicitur, et est misera voluntas, sicut et beata voluntas: ita nec liberum arbitrium destruere, sive, quantum in se est, aliquatenus imminuere poterit quæcunque adversitas vel necessitas.

25. Sed licet ubique pariter sine sui diminutione perduret; non tamen pariter sicut de bono potuit per se in malum corruere, ita quoque per se de malo in bonum poterit respirare. Et quid mirum si jacens non valet per se resurgere, quod stans in aliquod melius nullo suo conatu valebat proficere? Denique, dum adhuc duas alias libertates ex aliqua parte secum haberet, non potuit de inferioribus illarum gradibus ad superiora ascendere, hoc est de posse non peccare, et de posse non turbari, ad non posse peccare, et non posse turbari. Quod si libertatibus illis etiam utcumque adjutum, non prævaluit tamen de bono in melius se extendere: quanto minus eisdem prorsus destitutum, de malo in id quod fuit bonum, poterit per se ipsum emergere?

26. Habet igitur homo necessarium Dei virtutem, et Dei sapientiam Christum, qui ex eo quod sapientia est, verum ei Sapere reinfundat, in restorationem liberi consilii; et ex eo quod virtus est, plenum Posse restituat, in reparationem liberi complaciti: quatenus ex altero perfecte bonus, peccatum jam nesciat; ex altero plene beatus, nil adversum sentiat. Sed sane ista perfectio in futura vita expectetur, quando utraque nunc amissa libertas, libero arbitrio plene [al. plenarie] restaurabitur; non quomodo justo cuivis in hoc sæculo, quantumcunque profecto; non quomodo vel ipsis primis hominibus datum fuit eas habere in paradiso: sed sicut jam nunc angeli possident in cælo. Interim vero sufficiat in hoc corpore mortis atque in hoc sæculo nequam, ex libertate quidem consilii peccato non obedire in concupiscentia: ex libertate autem complaciti adversa non formidare pro justitia. Est autem in hac carne peccati et in hac diei malitia non mediocre Sapere, peccato, etsi non [al. nondum] ex toto carere, certe non consentire: et est Posse non

A parvum, adversa, etsi necdum feliciter omnino non sentire, viriliter tamen pro veritate contemnere.

27. Discendum sane hic interim [nobis est ex libertate consilii jam libertate arbitrii non abuti, ut plene **614** quandoque frui possimus libertate complaciti. Sic profecto Dei in nobis reparamus imaginem: sic antiquo honori illi capessendo, quem per peccatum amisimus, per gratiam præparamur. Et beatus qui de se audire merebitur: *Quis est hic, et laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua: qui potuit transgredi, et non est transgressus; facere malum, et non fecit* (Eccli. xxxi, 9, 10).

#### CAPUT IX.

B *Imaginem et similitudinem Dei, ad quam conditi sumus, in triplici libertate consistere.*

28. Puto autem in his tribus libertatibus ipsam, ad quam conditi sumus, Conditoris imaginem atque similitudinem contineri: et imaginem quidem in libertate arbitrii, in reliquis autem duabus bipartitam quamdam consignari similitudinem. Hinc est fortassis, quod solum liberum arbitrium sui omnino defectum seu diminutionem non patitur, quod in ipso potissimum æternæ et incommutabilis divinitatis substantiva quædam imago impressa videatur. Nam, etsi habuerit initium, nescit tamen occasum, nec de justitia vel gloria capit augmentum: nec de peccato sive miseria detrimentum. Quid æternitati similis, quod non sit æternitas? Porro in aliis duabus libertatibus, quoniam non solum ex parte minui, sed et ex toto amitti possunt; accidentaliter quædam magis similitudo sapientiæ atque potentiæ divinæ, imagini superducta cognoscitur. Denique et amisimus illas per culpam, et per gratiam recuperavimus; et quotidie quidem alii plus, alii minus, aut in ipsis proficimus, aut ab ipsis desicimus. Possunt etiam sic amitti, ut jam non valeant recuperari: possunt et ita possideri, ut nec amitti queant aliquando [al. aliquo modo], nec minui.

29. Hujus bipartitæ similitudinis sapientiæ et potentiæ Dei, non quidem in gradu summo, sed qui ipsi tamen esset proximior, homo conditus est in paradiso. Quid enim vicinius ad non posse peccare, vel turbari (in quo utique jam sanctos Angelos stare **D** (160), et Deum semper esse dubium non est), quam posse et non peccare, et non turbari, in quo homo profecto creatus est? A quo illo per peccatum, imo nobis in illo et cum illo corruentibus, rursus per gratiam, non quidem ipsum, sed pro ipso quemdam inferiorem gradum recepimus. Neque enim hic possumus penitus esse sine peccato, seu miseria: possumus tamen, gratia juvante, nec peccato superari, nec miseria. Quanquam tamen Scriptura loquatur: *Omne quod natum est ex Deo non peccat* (I Joan. iii, 9). Sed hoc dictum est de prædestinatis ad vitam: non quod omnino non peccent, sed quod peccatum ipsis non imputetur, quod vel punitur condi-

(160) Aliis, jam sanctos et angelos stare: at conjunctio et deest in tribus nostris manuscriptis.

gna pœnitentia, vel in charitate absconditur (161). *Charitas quippe cooperit multitudinem peccatorum* (I Petr. iv, 8); et: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata; et: Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum* (Psal. xxxi 1, 2). Divinæ ergo similitudinis summum gradum summi angeli tenent, nos infimum: Adam tenuit medium, porro dæmones nullum. Supernis nempe spiritibus datum est sine peccato et miseria perdurare: Adæ autem absque his quidem esse, sed non etiam permanere: nobis vero ne esse quidem absque his, sed ipsis tantum non cedere. Cæterum diabolus et membra ejus, sicut nunquam volunt reluctari peccato, sic nunquam possunt pœnam declinare peccati.

30. Cum ergo istæ duæ libertates, consilii scilicet atque complaciti, per quas rationali creaturæ vera sapientia et potentia ministratur, ita Deo, prout vult, dispensante, quibusque pro causis, locis, temporibus, varientur, quatenus in terris modice, in cœlestibus plenariè, mediocriter in paradiso, apud inferos **615** nullatenus habeantur; libertas vero arbitrii de ipso, quo condita est, statu aliquatenus non mutetur, sed æqualiter semper (quantum in se est) a cœlis, terris, inferis possideatur: merito illæ similitudini, hæc imagini deputantur. Et quidem apud inferos, quod utraque libertas perierit, illæ scilicet quæ ad similitudinem pertinere dicuntur, Scripturarum testatur auctoritas. Nam verum illic Sapere, quod utique de consilii libertate concipitur, omnino non esse, locus ille manifestat, ubi legitur: *Quodcumque potest manus tua facere; instanter [al. constanter] operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia est apud inferos, quo tu properas* (Eccl. ix, 40). Porro de potentia, quæ per libertatem complaciti datur, Evangelium sic loquitur: *Ligatis manibus ac pedibus, projicite eum in tenebras exteriores* (Matth. xxii, 15). Quid enim [al. nempe] est manuum pedumque ligatio, nisi omnimoda potestatis ablatio?

31. Sed dicit aliquis: Quomodo non est ibi aliquod Sapere, ubi mala quæ tolerantur, cogunt pœnitere malorum quæ facta sunt? Nunquid aut in tormentis quispiam non pœnitere; aut pœnitere mali, non esse sapere potest? Hoc autem recte opponeretur, si opus tantum peccati, et non etiam voluntas mala puniretur. Nulli quippe dubium est, quod nemo in tormentis positus actum iterare peccati delectetur. Verumtamen si voluntas etiam in tormentis mala perdurat, quid ponderis habet operis abnegatio, ut ideo sapere quis putetur, quod jam in mediis flammis luxuriari non libeat? Denique: *In malevolam animam non introibit sapientia* (Sap. i, 4).

A Unde autem probabimus quod mala et in pœnis voluntas perseveret? Certe, ut cætera omittam, nolent omnino puniri. Justum est autem puniri, qui punienda gesserunt. Nolunt igitur quod justum est. Sed qui non vult quod justum est, justa ejus voluntas non est. Eo ergo injusta, ac per hoc et mala est voluntas, quo justitiæ non concordat. Duo sunt quæ injustam comprobant voluntatem, vel cum peccare, vel cum impune peccasse libet. Quibus ergo peccare libuit quamdiu licuit; et cum jam non possunt, inultum manere volunt quod peccaverunt: quid in hoc sapientiæ veræ, quid bonæ voluntatis apparet? Sed esto, pœnitent eos peccasse: nunquid non tamen, si optio detur, malint adhuc peccare, quam pœnam sustinere peccati? Et tamen illud iniquum est, hoc justum. Quando vero voluntas bona magis quod iniquum, quam quod justum est eligeret? Cæterum non vere pœnitent, qui non tam dolent se sibi vixisse, quam hoc ipsum jam non posse. Denique foris ostenditur quid intus agatur. Nam quamdiu corpus vivit in flamma, tamdiu constat in malitia persistere voluntatem. Itaque de similitudine, quæ in consilii, et item complaciti libertate continetur, apud inferos penitus nihil est, nec esse potest, imagine tamen etiam illic per liberum arbitrium immobili permanente.

#### CAPUT X.

*Similitudinem divinæ imaginis in nobis reformari per Christum.*

C 32. Sed neque in hoc sæculo æque inveniri uspiam posset similitudo, sed adhuc hic fœda et deformis jacuisset imago, si non evangelica illa mulier lucernam accenderet, id est, Sapientia in carne apparet, everreret domum, videlicet vitiorum, drachmam suam requireret quam perdidit (Luc. xv, 8): hoc est, imaginem suam, quæ nativo spoliata decore, sub pelle peccati sordens, tanquam in pulvere latitabat; inventam tergeret, et tolleret de regione dissimilitudinis; pristinamque in speciem reformatam, similem faceret illam in gloria sanctorum, imo sibi ipsi per omnia redderet quandoque conformem, cum illud Scripturæ videlicet impleretur: *Scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (I Joan. iii, 2). Et revera cui potius id operis congruebat, quam Dei Filio, **616** qui cum sit splendor gloriæ [al. omit. gloriæ], et figura substantiæ Patris, portans verbo universa, ex utroque facile munitus apparuit, et unde reformaret deformem, et unde debilem confortaret: dum et de splendore figuræ fugans tenebras peccatorum [al. vitiorum], redderet sapientem; et ex virtute verbi contra tyrannidem dæmonum potentem efficeret.

33. Venit ergo ipsa forma, cui conformandum erat

*cooperit multitudinem peccatorum*, sermone 23 in Cantica, num. 15. Alia hujus loci explicatio affertur in sermone 4 De diversis, ubi qui natus est ex Deo dicitur non peccare, qui in peccato non perseverat. Confer notas in sermonem 4 de Septuagesima.

(161) Amissibilem esse charitatem probat Bernardus in Opusculo 2, num. 14. Sed tamen peccatum hominis prædestinati dicitur in charitate abscondi, scilicet in charitate subsequente hominis postea denuo justificandi, sicut per pœnitentiam subsequentem diluitur. Imo etiam absconditur in charitate Dei prædestinantis quia charitas Patris ipsorum

liberum arbitrium : quia ut pristinam reciperet formam, ex illa erat reformandum, ex qua fuerat et formatum. Forma autem, sapientia est : conformatio, ut faciat imago in corpora, quod forma facit in orbe. Porro illa *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (Sap. viii, 1). *Attingit a fine usque ad finem*, hoc est a summo cœlo usque ad inferiores partes terræ, a maximo angelo usque ad minimum vermiculum. *Attingit autem fortiter*, non quidem mobili discursione, vel locali diffusionem, vel subjectæ creaturæ tantum officiali administratione : sed substantiali quadam et ubique præsentia fortitudine, qua utique universa potentissime movet, ordinat, administrat. Et hæc omnia nulla sui cogitur facere necessitate. Nec enim aliqua in his laborat difficultate ; sed disponit omnia suaviter placida voluntate. Vel certe *attingit a fine usque ad finem*, hoc est ab ortu creaturæ usque ad finem destinatum a Creatore : sive in quem urget natura, sive quem accelerat causa, sive quem concedit gratia. *Attingit fortiter*, dum nihil horum evenit, quod non, prout vult, potenti præordinet providentia.

34. Sic ergo et liberum arbitrium suo conetur præesse corpori, ut præest sapientia orbi *attingens* et ipsum *a fine usque ad finem fortiter* : imperans scilicet singulis sensibus et artibus tam potenter, quatenus non sinat regnare peccatum in suo mortali corpore, nec membra sua det arma iniquitati, sed exhibeat servire justitiæ. Et ita jam non erit homo servus peccati, cum peccatum non fecerit : a quo utique liberatus, jam libertatem recuperare consilii, jam suam incipiet vindicare dignitatem, dum divinæ in se imagini condignam vestierit similitudinem, imo antiquam reparaverit venustatem. Curet autem hæc agere, non minus *suaviter* quam *fortiter*, hoc est non ex tristitia aut ex necessitate ; quod est initium, non plenitudo sapientiæ ; sed prompta et alacri voluntate, quod facit acceptum sacrificium ; quoniam hilarem datorem diligit Deus. (II Cor. ix, 7). Sicque per omnia imitabitur sapientiam, dum et vitiis resistet fortiter, et in conscientia requiescet suaviter.

35. Verum ejus ad talia provocamur exemplo, indigemus et auxilio : quo ipsi videlicet per ipsam conformemur, atque in eandem imaginem transformemur a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu (I Cor. iii, 18), Ergo si a Domini Spiritu, jam non a libero arbitrio. Nemo proinde putet ideo dictum liberum arbitrium, quod æqua inter bonum et malum potestate aut facilitate versetur, cum cadere per se quidem potuerit, non autem resurgere, nisi per Domini Spiritum. Alioquin nec Deus, nec angeli sancti, cum ita sint boni, ut non possint esse mali ; nec prævaricatores item angeli, cum ita sint mali, ut jam non valeant esse boni ; liberi arbitrii

esse dicentur. Sed et nos illud post resurrectionem amissuri sumus, quando utique inseparabiliter alii bonis, alii malis admisti fuerimus. Cæterum nec Deus caret libero arbitrio, nec diabolus : quoniam quod ille esse non potest malus, non infirma facit necessitas, sed firma in bono voluntas, et voluntaria firmitas : quodque in non valet in bonum respirare, non aliena facit violenta oppressio, sed sua ipsius in malo obstinata voluntas, ac voluntaria obstinatio. Nunc igitur ex eo potius liberum arbitrium dicitur, quod sive in bono, sive in malo, æque liberam faciat voluntatem : cum nec bonus quisquam, nec item malus dici debeat, aut esse valeat, nisi volens. Tali jam ratione non incongrue dicitur ad bonum **617** se, et ad malum habere æqualiter : quod utrobique videlicet par sit ei, non quidem in electione facilitas, sed in voluntate libertas (162).

## CAPUT XI.

*Libero arbitrio nihil derogari per gratiam, neque per tentationem.*

36. Hac sane dignitatis, ut dictum est, prærogativa (163) rationalem singulariter creaturam Conditor insignivit, quod quemadmodum ipse sui juris erat, suæque ipsius voluntatis non necessitatis erat quod bonus erat : ita et illa quoque sui quodammodo juris in hac parte existeret, quatenus non nisi sua voluntate, aut mala fieret, et juste damnaretur ; aut bona maneret, et merito salvaretur. Non quod ei propria posset sufficere voluntas ad salutem ; sed quod eam nullatenus sine sua voluntate consequeretur. Nemo quippe salvatur invitus. Nam quod legitur in Evangelio : *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum* (Joan. vi, 44) ; item in alio loco : *Compelle intrare* (Luc. xiv, 23) ; nihil impedit ; quia profecto quantoscunque trahere, vel compellere videatur ad salutem benignus Pater, qui omnes vult salvos fieri (I Tim. ii, 4) ; nullum tamen judicat salute dignum, quem ante non probaverit voluntarium. Hoc quippe intendit, cum terret aut percutit, ut faciat voluntarios, non salvet invitos : quatenus dum de malo mutat voluntatem in bonum, transferat, non auferat libertatem. Quamquam tamen non semper inviti trahimur : nec enim cæcus aut fessus contristatur cum trahitur. Et Paulus ad manus tractus est Damascus, utique non invitus (Act. ix, 8). Trahi denique specialiter volebat [al. spiritualiter], quæ et hoc ipsum magnopere flagitabat in Canticis : *Trahe me, inquit, post te ; in odorem curremus unguentorum tuorum* (Cantic. i, 3).

37. Deinde quod e regione scriptum est : *Unusquisque tentatur a propria concupiscentia abstractus et illectus* (Jac. i, 14,) ; et illud : *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (Sap. iv, 15) ; et item illud Apostoli : *Invenio aliam legem in membris*

*gratia non adjuventur ; et nulli, si non excitentur* infra num. 42.

(163) Duo codices : *dignitatis divinæ ; unus Dionysianus, divinitatis in carne prærogativa.*

(162) Hæc est libertas potentia, seu facultas electiva, ad bonum et malum versatilis : sed cujus exercitium et applicatio ad bonum pendet ex gratia. Cujus quippe conatus ad bonum, et cassi sunt, si a

meis repugnantem legi mentis meae, et captivum me ducentem in legem peccati, quae est in membris meis (Rom. vii, 23); hæc omnia putari possunt cogere voluntatem, et præripere libertatem. At vero quantilibet quis intus forisve tentationibus urgeatur, libera profecto semper, quantum ad arbitrium spectat, voluntas erit: liberè quippe de suo nihilo minus consensu judicabit. Quantum autem pertinet ad consilium, sive complacitum, carnis interim concupiscentia, vitæque miseria reluctante, minus quidem se liberam sentit: sed prorsus non malam, dum malo non consentit. Denique Paulus, qui captivum se in legem peccati trahi conqueritur, haud dubium quin ex minus plena libertate consilii: consensum tamen sanum, atque in bono quoque jam ex magna parte se habere liberum gloriatur, *Jam non ego*, inquit, *operor illud*. Unde hoc confidis, o Paule? *Quoniam consentio*, inquit, *legi Dei, quoniam bona est*; et rursum: *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem* (Rom. xx, 16, 22). Oculo existente simplici, totum corpus lucidum esse præsumit. Sano consensu tractum licet peccato, vel captivum miseria, liberum se in bono profiteri non dubitat. Unde et fidens generaliter infert: *Nihil ergo damnationis est his qui sunt in Christo Jesu* (Rom. viii, 1).

## CAPUT XII.

*An negans fidem metu mortis ac pœnarum, excusetur a culpa, vel destituatur libero arbitrio. Ubi negatio Petri discutitur.*

38. Sed videamus de his qui pœnarum mortisve timore fidem verbo tenus negare compulsi sunt: **618** ne forte juxta hanc assertionem, aut culpa non fuerit, quod vel voce negaverunt; aut cogi in culpam et voluntas potuerit, ut vellet videlicet homo quod eum et nolle constiterit; et sic perierit liberum arbitrium. Quod quia impossibile erat (velle quippe et nolle idem eodem tempore non poterat), quæritur unde malum nequaquam volentibus malum debuit imputari. Neque enim tale est hoc, quale originale peccatum: quo non solum non consentiens, verum plerumque et nesciens, alia ratione constringitur necdum renatus baptisate. Exempli causa, veniat in medium Petrus apostolus: ipse quippe visus est negare Veritatem contra propriam voluntatem; siquidem aut negare, aut mori necesse erat. Mori timens negavit. Negare volebat, sed magis volebat mori. Itaque invitus quidem: sed negavit tamen, ne moreretur. Quod si lingua, et non voluntate loqui homo compulsus est quod volebat: non tamen velle aliud quam volebat. Lingua mota est contra voluntatem: sed nunquid et mutata voluntas? Quid enim volebat? Prorsus quod erat, Christi esse discipulus. Quid loquebatur? *Non novi hominem* (Matth. xxvi, 72). Cur ita? Mortem evadere volebat. Sed quid istud criminis fuit? Duas apostoli tenemus voluntates: unam, qua voluit non mori, penitus inculpabilem; alteram, et multum laudabi-

lem, qua sibi complacebat quod esset christianus. In quo ergo culpabitur? An in eo quod mentiri, quam mori maluit? Hæc plane voluntas reprehensione digna fuit, quia [al. qua] corporis magis, quam animæ voluit servare vitam. Os nempe quod mentitur, occidit animam (Sap. i, 11). Et peccavit ergo, et non absque consensu propriæ voluntatis, infirmæ quidem et miseræ, sed plane liberæ. Peccavit autem, non spernendo aut odiendo Christum, sed se nimis amando. Nec in hunc perversum amorem sui, voluntatem metus ille subitus compulit; sed esse convicit. Jam tunc procul dubio talis erat, sed nesciebat, cum ab illo quem latere non poterat, audivit: *Priusquam gallus cantet, ter me negabis* (Matth. xxvi, 34). Illa itaque voluntatis infirmitas per incussum timorem nota, non orta, notum fecit quatenus se, quatenus Christum amaverit. Notum autem non Christo, sed Petro. Nam Christus et ante sciebat quid esset in homine. Quatenus ergo Christum diligebat, vim prorsus (quod negandum non est) passa est illa voluntas, ut contra se loqueretur: quatenus vero se, voluntarie procul dubio consentit, ut pro se loqueretur. Si Christum non amasset, non negasset invitus: verum si se amplius non amasset, non aliquatenus negasset. Fatendum igitur hominem fuisse compulsam, voluntatem propriam etsi non mutare, occultare tamen: compulsam, inquam, non quidem recedere ab amore Dei (164); cedere tamen aliquantulum amore sui.

39. Quid ergo? forte dissoluta est tota superior assertio de libertate voluntatis, quia nimirum inventa est cogi potuisse voluntas? Est plane: sed si cogi ab alio potuit quam a se ipsa. Quod si sese ipsa coegit, compulsam, et compellens; ubi amittere ibi et recipere visa est libertatem. Vim quippe, quam ipsa sibi intulit, a se pertulit. Porro quod a se voluntas pertulit, ex voluntate fuit. Quod ex voluntate fuit, jam non ex necessitate, sed voluntarium fuit. Si autem voluntarium, et liberum. Quem sua denique ad negandum voluntas compulit, compulsus est quia voluit: imo non compulsus est, sed consentit, et non aliæ potentie, sed propriæ voluntati, illi utique, qua mortem omnimodis evadere voluit. Alioquin quando vox mulierculæ linguam sacram in verba formare nefanda valuisset, si non linguæ domina voluntas annuisset? Denique cum se a sui postmodum nimio illo temperavit amore, et Christum cœpit, ut debuit, toto corde, tota anima, tota virtute diligere; jam nullis valuit minis **619** vel pœnis extorqueri aliquatenus voluntati [al. voluntas] dare linguam arma iniquitati, sed potius audacter accommodans veritati, *Obedire inquit, oportet Deo magis quam hominibus* (Act. v, 29).

40. Est sane gemina compulsio, secundum quod aut pati aliquid, aut agere contra propriam cogimur voluntatem. Quarum passiva quidem (sic enim prior

(164) Nempe actu amoris contrario. Quippe qui peccavit, non spernendo aut audiendo Christum, sed se nimis amando, supra.



illa recte nominatur) potest nonnunquam fieri absque A consensu voluntario patientis, sed activa nunquam. Proinde malum quod fit in nos, sive de nobis, non est imputandum nobis, si tamen invitis. Cæterum quod fit a nobis, jam non sine culpa est voluntatis. Velle plane convincimur, quod non fieret, si nollemus. Est ergo compulsio quædam etiam activa : sed non habet excusationem, cum sit et voluntaria. Cogebatur christianus negare Christum, et quidem dolens, non tamen nisi volens. Volebat nimis [al. nimirum] gladium vitare ferientis; atque illa tatis voluntas intus præsidens os aperiebat, non gladius qui foris apparebat. Porro talem esse illam voluntatem convincebat gladius, non cogebat. Ipsa igitur se in culpam, non gladius impellebat. Denique in quibus sana erat voluntas, occidi poterant, flecti B nequibant. Hoc est quod eis prædictum fuerat, *Facient in vos quæcunque voluerint* (Marc. ix, 12); sed in membra, non corda. Non vos facietis quæ voluerint : sed ipsi facient, vos patiemini. Membra cruciabunt, sed voluntatem non mutabunt : sævient in carnem, animæ autem non habebunt quid faciant (165). Sit licet patientis corpus in potestate torquentis, sed voluntas est libera. Infirmas si fuerit, sæviendo cognoscent; non esse cogent, si non fuerit. Sane infirmitas ejus a se ipsa est, sanitas vero non a se, sed a Domini Spiritu. Sanatur autem, cum renovatur.

41. Porro renovatur, cum, quemadmodum docet C Apostolus : *Speculando gloriam Dei in eadem imaginem transformatur a claritate in claritatem*, hoc est de virtute in virtutem, *tanquam a Domini Spiritu* (II Cor. iii, 18). Inter quem utique divinum spiritum, et carnis appetitum, tenet medium quemdam locum id quod dicitur in homine liberum arbitrium, id est, humana voluntas : et tanquam in devexo latere montis admodum ardui inter utrumque pendens, ita in [al. ita] appetitu infirmatur per carnem, ut nisi sedulo spiritus adjuvet infirmitatem ejus per gratiam, non solum non valeat justitiæ, quæ est juxta prophetam *sicut montes Dei* (Psal. xxxv, 7), ascendendo de virtute in virtutem, apprehendere culmen : sed etiam de vitio semper in vitium suo ipsius pondere devoluta ruat in præceps; prægravata nimirum non solum lege peccati originaliter membris insita, verum et consuetudine terrenæ habitationis usualiter affectionibus inolita. Quod humanæ voluntatis videlicet utrumque gravamen uno breviter versiculo Scriptura commemorat, dicens : *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (Sap. ix, 15). Et hæc duo hujus mortalitatis mala, sicut non nocent, sed exercent non consentientes :

(165) Sic habent codices Dionysianus, Cisterciensis, et alii duo. Horstius aliter : *Hoc est quod dictum est de Joanne* : Fecerunt ei quæcunque voluerunt. Nunquid quod voluit ille? Ita et in reliquos martyres fecerunt; non quod martyres voluerunt, sed quod ipsi. Fecerunt, inquam, in eos quæ voluerunt, sed in

sic non excusant, sed damnant consentientes, ut nec salus; nec damnatio ulla ratione sine præcedenti consensu voluntario possit haberi; ne qua forte ex parte præscribi videatur libertati arbitrii.

## CAPUT XIII.

*Merita hominis mera esse Dei munera.*

42. Quamobrem id quod in creatura dicitur liberum arbitrium, aut juste profecto damnatur, dum ei ad peccatum nulla vi præjudicetur extrinseca : aut misericorditer salvatur, cui ad justitiam nulla virtus sufficit sua (166). Sane in his omnibus cogitet lector 620 originalis peccati prorsus excipi rationem. De cætero, libero arbitrio nec extra ipsum quærat damnationis causa, quod jam non damnat nisi propria culpa; nec ab ipso salutis merita, quod sola salvat misericordia. Cujus quippe conatus ad bonum, et cassi sunt, si a gratia non adjuventur; et nulli, si non excitentur. Cæterum in malum, dicente Scriptura, *Proni sunt sensus et cogitationes hominis* (Gen. viii, 21). Proinde non ei a se, ut dictum est, sed desursum potius a Patre luminum descendere merita putentur : si tamen inter data optima et dona perfecta, ipsa merito per quæ salus æterna conquiritur, merita deputentur.

43. Deus namque rex noster ante sæcula, cum operatus est salutem in medio terræ, dona sua quæ dedit hominibus, in merita divisit et præmia : ut et præsentia per liberam possessionem nostra interim fierent merita, et futura per gratuitam sponsonem expectaremus, imo expeteremus ut debita. Utraque C Paulus commemorans : *Habetis, inquit, fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam* (Rom. vi, 22) : item : *Et nos ipsi, ait, primitias spiritus habentes, ingemiscimus adoptionem expectantes filiorum Dei* (Rom. viii, 23); primitias spiritus vocans sanctificationem, id est virtutes, quibus in præsentiarum sanctificamur a spiritu, ut merito consequamur adoptionem. Rursus in Evangelio, eadem sæculo abrenuntianti promittuntur, ubi dicitur : *Centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit* (Matth. xix, 29). Itaque non liberi arbitrii, sed Domini est salus; imo ipse salus, ipse et via est ad salutem, qui ait : *Salus populi ego sum* (Psal. xxxiv, 3) : qui item perhibet : *Ego sum via* (Joun. xiv, 6). Se fecit viam, qui et salus erat et vita, ut non gloriatur omnis caro. Si ergo bona viæ sunt merita, sicut et patriæ salus et vita, et verum est quod ait David : *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* (Psal. xlii, 3), illum videlicet unum de quo item dicitur : *Nemo bonus, nisi solus Deus* (Marc. x, 18) : Dei sunt procul dubio munera tam nostra opera, quam ejus præmia; et qui se fecit debitorem in illis, fecit et nos promeritores ex his. Ad quæ tamen condenda merita

*membra, non corda. Membra cruciaverunt, sed voluntatem non mutaverunt. Sævierunt in carnem, animæ autem non habuerunt quid facerent. Et ita in codice Colbertino.*

(166) Quidam codices, nulla vis; Dionysianus, ad justitiam nullo modo sufficit sua.

dignatur sibi adhibere creaturarum ministeria (167), A 9). Ibi itaque Deus homini benigne merita constituit, ubi per ipsum, et cum ipso, boni quidpiam operari dignanter instituit. Hinc coadjutores Dei, cooperatores Spiritus sancti, promeritores regni nos esse præsumimus, quod per consensum utique voluntarium divinæ voluntati conjungimur.

44. Operatur ergo illorum salutem, quorum nomina sunt in libro vitæ, aliquando per creaturam sine ipsa, aliquando per creaturam contra ipsam, aliquando per creaturam cum ipsa. Multa profecto fiunt hominibus salubria per insensibilem, et item per irrationalem creaturam: quæ idcirco dixi fieri sine ipsa, quod non queat, intellectu carens, esse vel conscia. Multa quoque multorum saluti utilia facit Deus per malos, sive homines, sive angelos: sed quoniam invitos, ideo contra ipsos. Nam, dum nocere cupientes juvant, quantum aliis valet utilis actio, tantum ipsis perversa nocet intentio. Porro per quos et cum quibus operatur Deus, boni sunt vel angeli, vel homines, qui quod vult Deus, et agunt pariter, et volunt. Qui enim bono, quod opere complent, voluntate consentiunt, opus omnino quod per eos Deus explicat, ipsis communicat. Unde Paulus, cum bona plurima, quæ Deus per ipsum fecerat, enarrasset: *Non autem ego, ait, sed gratia Dei mecum (I Cor. xv, 10)*. Potuit dicere: Per me, sed quia minus erat, maluit dicere, *mecum*: præsumens se non solum operis esse ministrum per effectum; sed et operantis quodammodo socium per consensum.

45. Videamus nunc secundum triplicem Dei operationem, quam posuimus, quid creatura quæque pro suo ministerio mereatur. Et illa quidem, per quam, et sine qua fit quod fit, quid mereri potest? quid illa contra quam fit, nisi iram? quid et cum qua fit, nisi gratiam? In prima itaque nulla, in sequenti mala, in ultima bona merita conquiruntur. Nec enim pecudes, **621** cum per eas bonum aut malum quodcumque fit, boni quidpiam merentur, aut mali. Non habent quippe unde bono malove consentiant. Multo autem minus lapides; cum nec sentiant. Cæterum diabolus, vel homo malus, cum vigeant et vigilent ratione, jam quidem merentur, sed non nisi pœnam, pro eo quod a bono dissentiant. Paulus autem, qui volens evangelizat, ne, si invitus, dispensatio ei tantum credita sit (*I Cor. ii, 17*); et quicumque similiter sapiunt: quoniam quidem ex consensu voluntatis obediunt, repositam sibi esse D confidunt coronam justitiæ. Utitur ergo Deus in salutem suorum irrationabili, et item insensibili creatura, tanquam jumento vel instrumento, quæ jam expleto opere nusquam erunt. Utitur creatura rationali, sed malevola, quasi disciplinæ virga, quam, correcto filio, in ignem projiciet tanquam samentum inutile. Utitur et angelis et hominibus bonæ voluntatis, tanquam commilitonibus et coadjutoribus suis, quos peracta victoria amplissime munerabit. Denique et Paulus de se, suisque similibus, audacter pronuntiat: *Coadjutores enim Dei sumus (I Id. iii,*

9). Ibi itaque Deus homini benigne merita constituit, ubi per ipsum, et cum ipso, boni quidpiam operari dignanter instituit. Hinc coadjutores Dei, cooperatores Spiritus sancti, promeritores regni nos esse præsumimus, quod per consensum utique voluntarium divinæ voluntati conjungimur.

#### CAPUT XIV.

*Quid gratiæ, quid libero arbitrio id negotio salutis attribuendum.*

46. Quid igitur? hoc ergo totum liberi arbitrii opus, hoc solum ejus est meritum quod consentit? Est prorsus. Non quidem quod vel ipse consensus, in quo omne meritum consistit, ab ipso sit: cum *nec cogitare* (quod minus est, quam consentire) *aliquid a nobis, quasi ex nobis sufficientes simus (II Cor. iii, 5)*. Verba sunt non mea, sed Apostoli, qui omne quod boni esse potest, id est cogitare, et velle, et perficere pro bona voluntate, attribuit Deo (*Philipp. ii, 13*), non suo arbitrio. Si ergo Deus tria hæc, hoc est bonum cogitare, velle, perficere, operatur in nobis: primum profecto sine nobis; secundum, nobiscum; tertium, per nos facit. Si quidem immittendo bonam cogitationem, nos prævenit; immutando etiam malam voluntatem, sibi per consensum jungit: ministrando et consensui facultatem (168), foris per apertum opus nostrum internus opifex innotescit. Sane ipsi nos prævenire nequaquam possumus. Qui autem bonum neminem invenit, neminem salvat quem non prævenit. A Deo ergo sine dubio nostræ sit salutis exordium, nec per nos utique, nec nobiscum. Verum consensus, et opus, etsi non ex nobis, non jam tamen sine nobis. Neque primum itaque, in quo quippe nos nil facimus; nec ultimum, quod et plerumque extorquet aut timor inutilis, aut simulatio damnabilis; sed tantum medium nobis reputatur in meritum. Sola nempe interdum bona voluntas sufficit: cætera non prosunt, si sola defuerit. Non prosunt dixerim, sed agenti, non cernenti. Valet itaque intentio ad meritum; actio, ad exemplum; utramque præveniens cogitatio, tantummodo ad excitandum [*alias, exercitandum.*]

47. Cavendum ergo, ne cum hæc invisibiliter intra nos ac nobiscum actitari sentimus, aut nostræ voluntati attribuamus, quæ infirma est; aut Dei necessitati, quæ nulla est; sed soli gratiæ, qua plenus est. Ipsa liberum excitat arbitrium, cum seminat cogitatum; sanat, cum immutat affectum; roborat, ut perducatur ad actum; servat, ne sentiat defectum. Sic autem ista cum libero arbitrio operatur, ut tantum illud in primo præveniat, in cæteris comitetur; ad hoc utique præveniens, ut jam sibi deinceps cooperetur. Ita tamen quod a sola gratia cœptum est, pariter ab utroque **622** perficitur: ut mistim,

(167) Id argumenti egregie tractatur in sermone 5 super Cantica.

(168) Codices quidam addunt, *vel facilitatem*, quod scribis anceps esset lectio hujus loci.

non singillatim; simul, non vicissim; per singulos A profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragunt. Totum quidem hoc, et totum illa; sed ut totum in illo, sic totum ex illa.

48. Credimus placere lectori, quod a sensu Apostoli nusquam recedimus; et quæquaversum evagetur oratio, in eadem pene ipsius verba frequenter recidimus. Quid enim nostra aliud sonant quam illud: *Ergo neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei?* (Rom. ix, 16.) Quod sane non ideo dicit, quasi quis velle aut currere possit in vanum: sed quod is qui vult et currit, non in se, sed in eo a quo accepit et velle, et currere, debeat gloriari. Denique ait: *Quid habes quod non accepisti?* (I Cor. iv, 7.) Crearis, sanaris, salvaris. Quid horum tibi ex te, o homo? quid horum non impossibile libero arbitrio? Nec creare qui non eras, nec justificare peccator, nec mortuus poteras te ipsum resuscitare: ut cætera prætermittam bona, quæ aut sanandis necessaria sunt, aut salvandis reposita. Quod dicimus, de primo patet et ultimo. Sed et de medio nemo dubitat, nisi qui ignorans Dei justitiam, et suam volens constituere, justitiæ Dei non est subjectus (Rom. x, 3). Quid enim? Agnoscis creantis potentiam, salvantis gloriam [al., gratiam]; et sanantis ignoras justitiam? *Sana me, ait, et sanabor; salvum me fac, et salvus ero, quoniam laus mea tu es* (Jerem. xvii, 14). Iste justitiam Dei agnoscebat, a quo æque sperabat, tam sanari a peccato, quam a miseria liberari: et ideo laudem suam illum, non se, merito statuebat: Propter hoc, et David ingeminans: *Non nobis, inquit, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (Psal. cxiii, 9): quod utramque a Deo stolam, et justitiæ scilicet exspectaret, et gloriæ. Quis est qui ignorat Dei justitiam? Qui se ipsum justificat. Quis est qui se ipsum justificat? Qui merita sibi aliunde, quam a gratia præsumit. Cæterum, qui fecit quod salvaret, etiam dat unde salvet. Ipse, inquam, merita donat, qui fecit quibus donaret. *Quid retribuam, inquit, Domino pro omnibus, non quæ tribuit, sed quæ retribuit mihi?* Et quod est, et quod justus est a Deo esse confitetur: ne, si utrumlibet negaret, utrumque perderet, amittendo utique unde justus est, et sic damnando quod est. Sed sic vel tertio loco invenit quod vicissim rependeret: *Calicem, ait, salutaris accipiam. Calix salutaris, sanguis est Salvatoris. Ergo, si deest tibi omnino de tuo, quod vel secundis Dei donis retribuas, unde tibi salutem præsumis: Nomen Domini, inquit, invocabo* (Psal. cxv, 12, 15), quod nimirum quicumque invocaverit salvus erit (Rom. x, 13).

49. Igitur qui recte sapiunt, triplicem confitentur operationem, non quidem liberi arbitrii, sed divinæ gratiæ in ipso, sive de ipso. Prima, creatio; secunda, reformatio; tertia est consummatio. Primo namque

in Christo creati sumus in libertatem voluntatis: secundo reformamur per Christum in spiritum libertatis; cum Christo deinde consummandi in statum æternitatis. Siquidem quod non erat, in illo creari oportuit qui erat; per formam reformari deformem (169); membra non perfici nisi cum capite. Quod utique tunc complebitur; cum omnes occurreremus in vltum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi (Ephes. iv, 13): quando apparente Christo vita nostra, apparebimus et nos cum ipso in gloria (Coloss. iii, 4). Cum igitur consummatio fieri habeat de nobis, sive etiam in nobis, non autem a nobis; creatio vero facta sit et sine nobis: sola; quæ nobiscum quodammodo fit propter consensum voluntarium nostrum, in merita nobis reputabitur reformatio. Ipsa sunt jejunia nostra, vigiliæ, continentia, opera misericordiæ, cæteraque virtutum exercitia; per quæ utique constat interiorem hominem nostrum renovari de die in diem: dum et intentio terrenis incurvata curis, de imis paulatim ad superna resurgit; et affectio circa carnis desideria languens, sensim in amorem spiritus convalescit; et memoria veterum operum turpitudine sordens, novis bonisque actibus candidata in dies hilarescit. In his namque tribus interior renovatio 623 consistit: rectitudine scilicet intentionis, puritate affectionis, recordatione bonæ operationis, per quam sibi bene conscia memoria enitescit.

50. Verum hæc cum certum sit diviso in nobis acitari Spiritu, Dei sunt munera: quia vero, cum nostræ voluntatis assensu, nostra sunt merita. *Non enim vos estis, inquit, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (Matth. x, 20): et Apostolus: *An experimentum ejus quæritis, inquit, qui in me loquitur Christus?* (II Cor. xiii, 3.) Si ergo Christus, aut Spiritus sanctus loquitur in Paulo, non etiam itidem operatur in ipso? *Non enim loquor, ait, quæ per me non efficit Deus* (Rom. xv, 18). Quid ergo? si non Pauli, sed Dei loquentis in Paulo, vel operantis per Paulum, et verba sunt, et opera; ubi jam Pauli merita? ubi est quod tam fidenter aiebat: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: de reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex?* (II Tim. iv, 7, 8.) An in eo forte confidit sibi coronam esse repositam, quod per ipsum illa fiebant? Sed multa per malos, sive angelos, sive homines, sunt bona; nec tamen reputantur illis in merita. An quia potius et cum ipso, hoc est cum ejus bona voluntate, fiebant? Nam *si invitus, inquit, evangelizavero, dispensatio mihi credita est: si autem volens, gloria est mihi* (I Cor. ix, 17).

51. Cæterum si vel ipsa voluntas, de qua omne meritum pendet, ab ipso Paulo non est; quo pacto eam, quam sibi repositam præsumit, coronam vocat justitiæ? An quoniam juste, jam et ex debito requi-

(169) Ita scripti nostri tres: Horstio sic: in illo creari oportuit: quod erat per formam reformari de ornam: sed mendosa lectio et interpunctio.

ritur, quodcumque vel gratis promittitur? Denique ait: *Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare* (II Tim. 1, 12). Dei promissum, suum appellat depositum: et quia credidit promittenti, fidenter promissum repetit. Promissum quidem ex misericordia, sed jam ex justitia persolvendum. Est ergo quam Paulus exspectat, corona justitiæ: sed justitiæ Dei, non suæ. Justum quippe est ut reddat quod debet: debet autem quod pollicitus est. Et hæc est justitia, de qua præsumit Apostolus, promissio Dei: ne si hanc contemnens, suam velit statuere, justitiæ Dei non sit subjectus, cujus tamen suæ justitiæ ipsum Deus voluit habere consortem, ut et coronæ faceret promeritorem. In eo enim sibi justitiæ consortem, et coronæ statuit pro-

meritorem; cum operum, quibus erat illa reposita corona, habere dignatus est coadjutorem. Porro coadjutorem fecit, cum fecit volentem, hoc est suæ voluntati consentientem. Itaque voluntas in auxilium, auxilium reputatur in meritum. Si ergo a Deo voluntas est; et meritum. Næc dubium quin a Deo sit et velle, et perficere pro bona voluntate. Deus igitur auctor est meriti, qui et voluntatem applicat operi, et opus explicat voluntati [al., voluntatis]. Alioquin, si proprie appellentur ea, quæ dicimus nostra merita; spei quædam sunt seminaria, charitatis incentiva, occultæ prædestinationis indicia, futuræ felicitatis præsagia, via regni, non causa regnandi. Denique, quos justificavit, non quos justos invenit, hos et magnificavit (Rom. viii, 30).

## ADMONITIO IN OPUSCULUM X.

**624** 1. Et hæc epistola, quæ alias septuagesima septima esse solebat, in tractatum classem relata est ab Horstio. Inscríbatur in vetustis libris, « ad magistrum Hugonem de Sancto-Victore. » Duo fuerunt eodem tempore Hugonès in abbacia Sancti-Victoris apud Parisios: unus scriptis clarus, de Sancto-Victore appellatus. ad quem hæc epistola, Lothariensis seu Iprensis, non Saxonicus, dictus in fragmento quod retinetur in tome primo Analectorum, mortuus anno 1142, ac proinde ante Eugenii tertii pontificatum: alter ab ipso Eugenio laudatus in epistola ad Sugerium, quæ epistola inter Sugerianas est sexagesima octava. Eugenii hæc verba sunt: « Quia ergo dilectus filius noster Hugo, canonicus Sancti-Victoris, ad nos rediturus est; benevolentiam tuam rogamus, quatenus ei equitaturum unam et expensas, quæ pro ipsa et ejus sessore in reditu sibi sufficiant, largiaris. » Ad primum revertor, cujus epistola, quæ huic occasionem dedit, in editis ejus operibus desideratur.

2. Argumentum hujus epistolæ est contra quemdam anonymum, cujus sententia erat; primo, Baptismi præceptum obligasse, ex quo primum Nicodemo dictum est a Christo Domino, Nisi quis renatus fuerit, etc. secundo, Neminem absque Baptismo, vel saltem ejus vice martyrio, ullatenus potuisse salvari; tertio; Patres Veteris Testamenti tam claram habuisse notitiam de Incarnatione, quam Christianos; quarto: Nullum esse peccatum ex ignorantia; quinto; Bernardum errasse, cum scripsit in homiliis super Missus est, Angelos latuisse Dei consilium de Incarnatione.

3. Quis fuerit iste anonymus, non facile divinare licet. Quidam esse putant Joannem archiepiscopum Hispansensem, ad quem Hugo Victorinus epistolam scripsit, cujus argumentum est, non solum corde, sed etiam ore confitentem fidem, quam Joannes ipse ore negaverat. Sed nihil ex illa epistola colligitur ad stabiliendam hanc conjecturam. Exstat in tomo tertio Operum Hugonis Victorini, libro primo Miscellaneorum, capite octavo. Verisimilius esset, anonymum istum non alium esse ab Hugone Farsito, quem de Sacramentis nonnulla haud recte sensisse patet ex Bernardi epistola trigesima quinta, ad ipsum. « Quia inter amicos contra veritatem nulla debet esse meticulosa, cum sit periculosa, palpatis; hoc me, fateor, movet et movet, quod illam inter nos jam ante habitam de Sacramentis collationem, in principio prædicti opusculi defendere et astruere conati estis. In qua utique collatione, si vestræ summam sententiæ bene meministis, an sensui conveniat ecclesiastico, vos videritis. Vestræ autem ingenuæ humilitatis est non erubescere corrigi, si quid aliquando aliter sapuistis. » Verum cum Bernardus Hugone Victorino rogante, adversarii auctoris, cujus nomen tacuerat Hugo, nec Bernardus ipse sciebat, assertionibus responderit; de alio quam de Hugone Farsito, cujus sententiam et nomen haud ignorabat Bernardus, sequens epistola intelligenda forsitan nonnullis videbitur. Quanquam reponi potest collationem illam, de qua Bernardus agit in epistola trigesima quinta, esse fortasse posteriorem hac epistola septuagesima septima, quam cum scriberet Bernardus, nondum rescierat quis esset auctor illius sententiæ, quam hac in epistola impugnat. Ut sit, hæc epistola non est contra Abælardum, cujus nomini haud pepercisset Hugo; tametsi Abælardus quædam habet affinia iis, quæ carpit hoc in loco Bernardus. De tempore scriptæ epistolæ id tantum asserere possumus, eam ante annum 1142 quo mortuus est magister Hugo Victorinus, scriptam fuisse.

**S. BERNARDI ABBATIS**  
**AD HUGONEM DE SANCTO VICTORE**  
**EPISTOLA SEU TRACTATUS,**  
**DE BAPTISMO ALIISQUE QUÆSTIONIBUS AB IPSO PROPOSITIS.**

**625 PRÆFATIO.**

Si tibi videor tardius rescripsisse, scito me tarde quoque accepisse ad quod rescriberem. Nam quod miseris, non continuo ad me usque perlatum est, sed Pontiniaci diu ante retentum. Porro ubi accepi, moram minime feci in rescribendo. Cæterum id brevius, quam tua forte deposcebat intentio: sed non plane quam mea occupatio sineret. Curavi tamen ne te utcunque lateret quidquid super interrogatis ego sentirem, tuo sane eadem mea sensa et otio, et ingenio plenius astruenda relinquens, si ita oportere cognoveris. Nec dubito ad manum tibi esse rationes certas, et congruas auctoritates, quibus facile id possis. Is ergo, cujus me respondere assertionibus jubes, et nomen taces, tibi noverit a me super consultis quod sentio dictum, non sibi contradictum, etiamsi quid aliter ab ipso sapimus. Nam si verum nos sapimus, veritas ei contradicit, non nos. Sed enim si non confunditur acquiescere veritati, et veritas cum eo sapit, et nos. Sin autem, servum Dei tamen non oportet litigare, sed magis patientem esse ad omnes (*II Tim. II, 24*). Ideoque non quarimus pugnas verborum; novitates quoque vocum juxta apostolicam doctrinam evitamus. Patrum tantum opponimus sententias, ac verba proferimus, et non nostra: nec enim sapientiores sumus quam patres nostri. Abundet sane in suo sensu qui vult quantum vult, dummodo nos patiatur in Scripturarum sensibus abundare, quemodo dicit Apostolus: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, tanquam ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est (II Cor. III, 5)*.

**CAPUT PRIMUM.**

*Non obligasse Baptismum, ex quo dictum fuit Nicodemus, « Nisi quis renatus, » etc.*

1. Scribis itaque quemdam asserere nescio quem (nam non nominas) ex quo primum dictum a Domino legitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum (Joan. III, 5)*; ex eo neminem absque eodem percepto actualiter visibili sacramento, vel ejus vice martyrio, ullatenus potuisse salvari; sed etsi forte illud quispiam cum vera fide et contritione cordis expeteret, sed præventus mortis articulo assequi quod cuperet non valeret, tamen omnino damnari. Ubi

A primo de temporis quidem præfixione durum nimis austerumque videtur, ut videlicet verbum adhuc absconditum palam jam noceat, et ante judex feriat quam minetur; quodque interim in tenebris loquitur et in aure Salvator, nondum quidem salvet, quia nondum apparet, et jam mundum impleat condemnatis. Itane ergo verbum salutis et præceptum vitæ non prius vitam restituere valuit, quam mortem inflixerit; idque eo innocentibus, quo et nescientibus adhuc voluntatem Domini sui? Num gentem ignorantem et justam (ut cum ethnico loquamur) debuit interficere Deus? (*Gen. xx, 4*.) Quis ita sapiat? Non equidem vitæ concordat Auctori, morte nimirum, quam exterminare venerat, uti mox in initio viarum suarum ad præjudicium sæculi, cæleste adhuc recentissimum ignorantis edictum. Nefas est profecto sentire de omnium largitore bonorum, quod tam malum principium dederit adveniens. Minime prorsus id **626** ego cuipiam de Christo assenserim, quod magis ab Antichristo merito formidatur, quia videlicet et ipse paraverit sagittam suam in pharetra, ut sagittaret in obscuro rectos corde.

2. Quanti namque interim toto orbe non baptizati moriuntur, profecto ignorantes, quid cum Nicodemo Jesus noctu secretoque confabuletur? Quid ergo? necdum lex promulgatur, et jam prævaricantes tenentur? *Et quomodo, inquit, credent in eum quem non audierunt? quomodo vero audient sine prædicante? quomodo autem prædicabunt nisi mittantur?* (*Rom. x, 14, 15*). Necdum injuncta, necdum vulgata, necdum audita prædicatio est: et juxta pigri ac nequam servi sententiam tam durus est Dominus, ut necdum sata jam metere velit, et non sparsa colligere? Absit. Sed audi magis hujus rei veritatem. Qui unus est Magister in cælo et in terra, ei qui magister tantum in Israel erat, familiari privatoque colloquio tradebat quod traderet; docebat quod doceret, non quod exigeret et ab absentibus, non unde præscriberet et his qui non audierant. Valde quippe injuste exigitur obeditio, ubi non præcessit auditio. Neque enim tale est hoc, quod et absque promulgatione naturalis lex ignorare non sineret, quale, verbi gratia, illud est: *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris (Tob. IV, 16)*. Factitium magis quodammodo est, et non naturale

mandatum. Quænam enim natura seu ratio docet, A internam æternamque salutem neminem mortalium posse percipere, cujus corpus foris perfusum visibili non fuerit elemento? Sacramentum Dei Altissimi est suscipiendum, non discutiendum; venerandum; non dijudicandum; fide sortitum, non innatum; traditione sancitum, non adinventum ratione. Porro fidem necesse est ut auditus præcesserit, dicente Apostolo: *Ergo fides ex auditu*. Quod ergo omnino fieri [al. sciri] non poterat si non audiretur, quo pacto, quæso, exigi debeat et antequam audiretur? Vide autem quomodo huc refugit Apostolus, et de solo auditu convincit incredulos. *Sed dico*, inquit, *Nunquid non audierunt?* (*Rom. x, 17, 18*) ac si dicat: Excusari poterant, si non audissent. Ubi enim non est lex, nec prævaricatio. Nunc vero cum in B omnem terram exierit sonus prædicantium, et in fines orbis terræ verba eorum (170); quia jam dissimulari non valet auditus, profecto inexcusabilis est et contemptus.

3. Multa profecto scienda nesciuntur, aut sciendi incuria, aut discendi desidia, aut verecundia inquirendi. Et quidem hujusmodi ignorantia non habet excusationem. Sed numquid forte tale est hoc, quod inquisitum humano possit addisci magisterio? Homo hominis non nisi ipso indicante cogitatum intelligit: quanto minus divinum quis poterit investigare consilium, nisi cui ipse voluerit revelare? Audi denique ipsum. *Si non venissem, ait, et locutus eis non fuisset, peccatum non haberent*. Non dicit simpliciter. Et locutus non fuisset; sed interserens eis, et locutus eis, inquit, *non fuisset*: ostendens sine dubio non ante censi inexcusabiles de contemptu, quam ad ipsorum usque notitiam jussio perveniret. Nam si locutus quidem fuisset, sed non eis; inobediendiæ culpam ignorantia nihilominus excusaret. *Nunc autem*, inquit, quoniam locutus sum, et locutus sum eis, *excusationem non habent de peccato suo* (*Joan. xv, 22*). Unde et aiebat: *Ego palam locutus sum mundo, et in occulto locutus sum nihil* (*Joan. xviii, 20*). Non 627 quod suos domesticos multa in occulto privatimque non docuerit: sed quod tanquam nihilum interim reputaret; et nec pœnam, nec præmium ea agere (171) quæ in secreto tradebat, judicaret, donec de medio fierent, et prodirent in lumine. Denique et dicebat: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine* (*Matth. x, 27*); ut merito videlicet jam audientibus obedientiæ vel meritum adscriberet, vel contemptum, cum in medio proferrentur. Item: *Qui vos audit, inquit, me audit; et qui vos spernit, me spernit*: ac si diceret, Judicium meum inter obedientes et contemnentes, non de mea secreta traditione, sed de vestra publica prædicatione pendebit.

4. Sed forte aliquis dicat, eos quidem qui non audierunt, etsi non de contemptu judicari, damnari tamen propter originale peccatum, a quo utique

(170) Compendiensus codex addit, *qui fidem gentibus prædicant*.

nisi per lavacrum emundari minime potuerunt. A vero quis nesciat et alia præter Baptismum contra originale peccatum remedia antiquis non defuisse temporibus? Abrahæ quidem et semini ejus, circumcisionis sacramentum in hoc ipsum divinitus traditum est (*Gen. xvii, 10*). In nationibus vero, quotquot inventi sunt fideles, adultos quidem fide et sacrificiis credimus expiatis, parvulis autem solam profuisse, imo et suffecisse parentum fidem. Porro hoc ita quidem usque ad Baptismi tempora perdurasse: quo uno substituto, vacasse cætera.

5. Quærimus itaque Baptismi tempus ex quo cœperit. Ex quo, inquit, primum dictum est: *Nisi quis renatus fuerit, etc.* Tene ergo firmiter dictum hoc ad Nicodemum, utique amicum Jesu, occultum tamen propter metum Judæorum; occultumque illud de nocte requisisse colloquium. Quanta autem putas obisse interim (ut de gentibus taceam) millia circumcisorum; cum necdum in lucem prodierit quod de Baptismo tunc in tenebris dicebatur? Quid ergo? damnatos illos omnes dicimus, quia baptizati non sunt? Fit ergo injuria antiquo illi Dei æque mandato, si novo adhuc furtive quodammodo superveniente, non tamen subveniente, illud ita subito evanuisse putetur, ut prodesset deinceps non valeat. Et quidem quam longe post putas publice prædicatum et clamatum super tecta fuisse: *Si circumcidamini, Christus vobis non proderit?* (*Galat. v, 2*). Quomodo deinde stabit illud, quia *a diebus Joannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur* (*Matth. xi, 12*), si præcipue tunc temporis contigisse constiterit hujusmodi a regno violentam interclusionem, qualis quidem nec ante fuerit, nec post futura sit? Sancito quippe novi mysterii decreto, sed adhuc secreto; quisnam, quæso, morientibus interim ad regnum patet accessus, dum et vetus jam defuit, quoniam a novo excluditur: et novum tamen non subvenit, quoniam, dum nescitur, non percipitur? O infelicissima illa tempora! quæ sola a sæculis omni penitentia utilis remedio vacua transierunt, dum et circumcisio quæ illo usque viguerat, prodesset jam subripiente Baptismate non auderet: et Baptisma, quoniam adhuc latere, non succurreret! Forsan dormiebat eo tempore Deus, nec fuit interim qui redimeret, neque qui salvum faceret.

## CAPUT II.

*Baptismi obligationem cœpisse primum post sufficientem ejus promulgationem. In necessitatis tamen articulo sufficere Baptismum fide et voto susceptum, sicut et martyrium.*

6. Satis profecto ex his, quantum reor, apparet, quod damnatio non baptizatorum, et frustratio circumcisorum, et evacuatio sacrificiorum, quæ forte contra originale peccatum ritus observabat antiquus, generaliter jam tunc minime cœperit, quando

(171) Ita scripti omnes cum editis primis: posteriores, *augere*.

Nicodemo clam dictum est : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum* (Joan. iii, 5). **628** Sed nec quando Apostolis palam injunctum est, *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (Matth. xxviii, 19) : sed ex eo tempore tantum cuique cœpit antiqua observatio non valere, et non baptizatus quisque novi præcepti reus existere, ex quo præceptum ipsum inexcusabiliter ad ejus potuit pervenire notitiam. Sane parvulis et necdum ratione utentibus, quia sola nocere creditur peccati contagio, non etiam mandati prævaricatio ; tandiu credendum est antiqua valuisse sacramenta, quandiu palam interdicta non fuisse constiterit. An vero ultra ? Penes Deum est, non meum definire. Porro in majori ætate quisquis post vulgatum ubique Baptismi remedium renuit jam baptizari, generali originalique maculæ addit et ex proprio crimen superbix, duplicem secum portans justissimæ damnationis causam, si sic de corpore exire contigerit. Tamen si ante exitum resipuerit, et voluerit, et petierit baptizari, sed mortis præoccupatus articulo forte obtinere nequiverit ; dum non desit fides recta, spes pia, charitas sincera : propitius sit mihi Deus, quia huic ego ob solam aquam, si defuerit, nequaquam omnino possum desperare salutem, nec vacuum credere fidem, nec confundere spem, nec excidere charitatem : tantum si aquam non contemptus, sed sola, ut dixi, prohibeat impossibilitas. Si quis aliter sapit, viderit unde sibi quod asserit persuaserit : nam me non facile fateor assentire, si non firmior induxerit vel ratio ad intelligendum, vel ad credendum auctoritas.

7. Sed miror admodum, si novus iste novarum inventor assertionum, et assertor inventionum, invenire in hoc rationem potuerit, quæ sanctos Patres latuerit Ambrosium et Augustinum, sive auctoritatem eorundem auctoritate potiolem. Nam si nescit, uterque idem profecto sensit, quod fatemur sentire et nos. Librum certe Ambrosii de morte Valentiniani legat (172) si non legit ; recolat si jam legit ; non dissimulet si recolat : et advertet sine dubio, Sanctum homini non baptizato et mortuo fidenter de sola fide salutem præsumere, et tribuere indubitanter bonæ voluntati, quod defuit facultati (De Obitu Valent. versus finem). Legat et Augustini de unico Baptismo librum quartum : et se vel agnoscat imprudenter deceptum, vel probet impudenter obstinatum. « Baptismi, » inquit, « vicem aliquando implere passionem, de latrone illo, cui non baptizato dictum est, *Hodie tecum eris in paradiso* (Luc. xxiii, 43), beatus Cyprianus, non leve documentum assumit. » Et addit : « Quod etiam atque etiam considerans, invenio, » inquit, « non tantum passionem pro nomine Christi id quod ex Baptismate deerat posse

A supplere ; sed etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium Baptismi in angustiis temporum succurri non potest. » Et infra : Quantum itaque, » ait, « valeat etiam sine visibili sacramento Baptismi quod ait Apostolus : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (Rom. x, 10), in illo latrone declaratum est. Sed tunc, » inquit, « impletur invisibiliter, cum mysterium Baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit (De Baptismo contra Donatistas, lib. iv, cap. 22, n. 29). » Et quidem non ignoro retractare ipsum id quod posuerat testimonium de latrone, minusque idoneum ad comprobendam illam sententiam confiteri, eo quod sane incertum sit utrumne fuerit baptizatus (Retract. lib. ii, cap. 48, 55). Cæterum sententiam et audacter prosequitur, et multipliciter confirmat ; nec uspiam, nisi fallor, retractasse reperies. Item in alio loco Augustinus, cum aliquos præmisisset, quos Scriptura commemorat invisibiliter quidem, non tamen etiam visibiliter sanctificatos, tandem infert : « Ex his colligitur, » ait, « invisibilem sanctificationem quibusdam adfuisse et profuisse sine visibilibus sacramentis, quæ pro temporum diversitate mutata sunt, ut alia tunc fuerint, et alia modo sint. » Et paulo post : « Nec tamen, » inquit, « visibile sacramentum omnino contemnendum ; nam contemptor ejus invisibiliter sanctificari **629** non potest (Quæst. in Leviticum, quæst. 84). » Ubi satis evidenter ostendit, fidelem et conversum ad Dominum, non si nequiverit, sed si contempserit baptizari, fructu privari Baptismatis.

8. Ab his ergo duabus columnis, Augustinum loquor et Ambrosium, crede mihi, difficile avellor. Cum his, inquam, me aut errare, aut sapere fateor : credens et ipse, sola fide hominem posse salvari, cum desiderio percipiendi sacramentum : si tamen pio adimplendi desiderio mors anticipans, seu alia quæcunque vis invincibilis obviarit. Vide etiam ne forte ob hoc Salvator cum diceret : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit ; caute et vigilanter non repetierit, Qui vero baptizatus non fuerit ; sed tantum : Qui vero, inquit, non crediderit, condemnabitur* (Marc. xvi, 16) : nimirum innuens solam interdum fidem sufficere ad salutem, et sine ipsa sufficere nihil. Quapropter etsi martyrium vicem Baptismi posse implere conceditur, non plane hoc facit pœna, sed ipsa fides. Nam absque ipsa quid est martyrium, nisi pœna ? Quæ ergo martyrio præstat, ut absque ulla dubietate pro Baptismate reputetur ; ipsa ita infirma et imbecillis per se erit, ut quod dare alteri valet, sola non valeat obtinere ? Et prorsus sanguinis pro Christo effusio magnæ ejusdam fidei indubitata probatio est, non Deo tamen, sed hominibus. Sed qui si Deus profecto ad probandum

(172) Mira est hac in re Abælardi impudentia, qui cum sentiret, catechumenos solo Baptismi vice martyrio salvari posse, ut in Epistola ad Romanos, pag. 564, et in epistola 7 ad Heloissam, pag. 129,

Ambrosium ait *contraria fidei* hac in re scripsisse, ad dolorem Valentiniani sororum de eius morte leniendum.

quod vult, nullis indiget experimentis, æque magnam in corde cujuscumque in pace morientis inspicit fidem, martyrio quidem non interrogatam, martyrio tamen idoneam? Si recordatus fuerit homo, necdum se salutis percepisse mysterium, et dolens poenitensque toto desiderio expetierit, sed assequi mortis celeritate præoccupatus nequiverit; damnabit fidelem suum Deus? damnabit, inquam, hominem pro se etiam paratum mori? Paulus dicit: *Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto* (I Cor. XII, 5). Hunc ergo qui in articulo mortis non solum invocat Dominum Jesum, sed ipsius quoque toto desiderio expetit Sacramentum; dicemus aut non loqui in Spiritu sancto, et falsus erit Apostolus; aut et cum Spiritu sancto damnari? Salvatorem habet habitantem per fidem in corde, et in ore per confessionem; et cum Salvatore damnabitur! Pro certo, cum non aliunde martyrium, nisi ex fidei merito illam obtinuerit prærogativam, ut singulariter vice Baptismi secure suscipiatur: non video cur non ipsa æque et sine martyrio apud Deum tantundem possit, cui et sine martyrii probamento procul dubio innotescit. Possit sane tantundem, dixerim, quantum ad salutis spectat obtentum, non autem ad meriti cumulum, quo indubitanter martyrium antecellit. Legimus, *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est* (I Joan III, 15); et item: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam macchatus est in corde suo* (Matth. v. 28). Quid planius, quod voluntas pro facto reputetur, ubi factum excludit necessitas? Nisi forte putetur in malo, quam in bono efficacior inveniri voluntas apud Deum qui charitas est; et promptior esse ad ulciscendum, quam ad remunerandum misericors et miserator Dominus. Quomodo is qui alieno debito se teneri forte in extremis positus recolat, si desit unde persolvat, sola nihilominus poenitentia et cordis contritione obtinere veniam creditur, ne jam pro eo damnetur: sic sola fides et mentis ad Deum conversio, sine effusione sanguinis, et sine perfusione aquæ, salutem sine dubio operatur volenti, sed non valenti, prohibente mortis articulo, baptizari. Et sicut nulla illi poenitentia remittitur peccatum, si, cum possit, non restituit ablatum: sic et huic nulla proderit fides, si cum possit, non percipit Sacramentum. Quanquam et fidem convincitur non habere perfectam, si negligit.

**630** Vera enim et plena fides universa præcepta complectitur: est autem hoc unum ipsumque præcipuum ex præceptis. Merito ergo non infidelis, sed plane rebellis atque contemptor reputabitur, quisquis obedire renuerit. Quomodo denique fidelis, qui Dei contemnit Sacramentum?

9. Sane infantes, quia hanc, prohibente ætate, non possunt habere fidem, hoc est cordis ad Deum conversionem; consequenter nec salutem, si absque Baptismi perceptione moriuntur. Non quod vel ipsi, quando baptizantur, fide omnino careant, sine qua impossibile est vel ipsos placere Deo: sed salvantur et ipsi per fidem, non tamen suam, sed alienam.

A Dignum nempe est et ad Dei spectat benignitatem, ut quibus fidem ætas denegat propriam, gratia prodesse concedat alienam. Nec enim Omnipotentis justitia propriam putat ab his exigendam fidem, quos novit propriam nullam habere culpam. Porro aliena opus est fide, cum sine sorde non nascantur aliena: quatenus nec a parvulis alienum sit, quod de omnibus generaliter dicitur, *Fide mundans corda eorum* (Act. xv, 9). Nec dubium, quod macula contracta ab aliis, aliorum quoque fide valeat vel debeat emundari. Hæc sunt quippe judicia divinæ justitiæ, in quibus exsultans sanctus David, *Memor fui, inquit, judiciorum tuorum a sæculo, Domine, et consolatus sum* (Psal. cxviii, 52). Hucusque de his.

### CAPUT III.

*Justos Veteris Testamenti non tam claram habuisse notitiam futurorum mysteriorum fidei, quam nos habemus præteritorum.*

10. Asserit præterea, ut dicis, ille quem dicis, omnes antiquos justos, quotquot videlicet Christi adventum præcesserunt, tantam omnino habuisse præscientiam futurorum, quantam nos, qui post sumus, præteritorum scientiam: ita ut nullus vel simplicium justorum aliquid prorsus ignoraret ex omnibus, quæ modo nobis evangelica pandit historia. Verbi gratia, Verbum incarnatum, partum virginalem, doctrinam Salvatoris, miracula, crucem, mortem, sepulturam, descensum ad inferos, resurrectionem, et ad cælos ascensionem, sic omnino omnibus illorum temporum justis, et aperte omnia, et distincte singula fuisse præcognita, quemadmodum suo sunt tempore post exhibita, et modo cognita nobis: adeo ut nec justis fuerint, nec salvi sint, quibus ita clara omnia et perspicua non fuerunt. Et id quidem falsum.

11. Verum ad refellendum tu tanta in tua epistola posuisse videris [*al.* tu tantum in tua epistola enituiti], ut nil addendum penitus putem; et pene quid addi possit, non inveniam. De homine tamen qui ista loquitur (pace ipsius dico paucis quod sentio), videtur mihi plus novitatis curiosus, quam studiosus veritatis; gravarique de omni re sentire cum aliis, et dicere quod aut solus non dixerit, aut primus. Unde fit ut in his quæ sentit vel loquitur, modum omnino tenere aut ignoret, aut dissimulet. Ecce enim et in hac assertionem suam, dum pares in scientia facit omnes qui ventura sperabant, iis qui præterita legunt; Deum profecto aut nimis parcum prædicat, aut nimis largum, oculum discretionis ex nulla parte aperiens. Aut enim numerum electorum illius temporis sub paucitate redigit rarissimorum spiritualium, quos pro suæ sanctitatis speciali excellentia insignes illustresque illis temporibus extitisse, ac singulari munere Spiritus singula, uti ventura erant, prævidere certissime potuisse Scriptura commemorat; et sic nimis abbreviat manum Dei, dum præter paucos illos perfectissimos, neminem eo tempore putat potuisse salvari: aut certe, si et illa



tempora multitudinem salvandorum **631** etiam A præter istos habuisse non diffitetur; magnam, sed inauditam divini muneris largitatem veteri populo collatam asserit: siquidem omnem illam multitudinem omnia, quæ de mysterio nostræ redemptionis superius enumerata sunt, liquido præcognovisse constiterit. Cum enim ex his quidpiam tunc nec scriptum manifeste, nec publice prædicatum fuisse manifestum sit: restat ut fateamur omnia omnibus per Spiritum revelata fuisse; et sic omnes spirituales, omnes perfectos, omnes exstitisse prophetas, quotquot ab adventu Domini retro. justi et salvi fuerunt. Fuit itaque antiquis temporibus aut perrara salus, aut nimium numerosa perfectio: quorum quidem quodlibet sapere, discretionis terminos excedere est.

12. Quod si videtur tolerabilius, imo et Deo dignius [al. justius] judicatur, replese potius et ditasse sæcula illa multitudine perfectorum, quam salvandorum tanta fuisse paucitate contentum, quatenus et salvi non pauci tunc fierent, et omnes nihilominus repleti spiritu prophetico, necdum revelata mysteria jam tunc penetrarent: si, inquam, hoc recipitur, benedicimus quidem Deum in donis suis; sed quid tempori gratiæ reservatum sit, non videmus: nisi quod tempus gratiæ illud potius juxta sententiam hanc fuerit appellandum, in quo tot et tantæ Dei populo divitiæ spiritus affluebant; ut illud prorsus incredibili felicitate cerneretur impletum, quod Moyses optabat, cum diceret: *Quis dabit ut omnes prophetent?* (Num. xi, 29.) Quæso, quid simile attulit Evangelium? Frustra gloriatur Paulus de primitiis spiritus, quas se putat cum suis coapostolis accepisse; cum nil tale in diebus suis potuerit experiri. Denique aiebat: *Numquid omnes prophetæ?* (I Cor. xii, 29.) Frustra, inquam, gloriatur de Evangelio suo, quia non ab homine, neque per hominem illud acceperit, sed quasi speciali quadam prærogativa per revelationem Jesu Christi (Galat. i): cum et ante ipsum per Spiritum sanctum fuerit etiam populis revelatum. Sed nec apostolus Petrus profecto debuit propheticum illud ad sua tempora retorquere, *Effundam de Spiritu meo super filios et filias vestras, et prophetabunt filii vestri et filiæ* (Act. ii, 17; Joel ii, 28); si abundantior jam præcesserat transactis sæculis effusio Spiritus. Aut certe Prophetæ, vel potius in Prøpheta Deus (si vere illa tempora apostolica, cum hoc diceret, intuebatur), non plane, *Effundam*, sed, *Subtraham magis de Spiritu meo* dixisse debuerat. Quid enim? si filiis Evangelii omnes veteres justos pares facimus in scientia, numquid non et superiores in gratia consequenter fateri necesse est! utpote quos non lectio, sicut nos, aut prædicatio, sed ipsa unctio docuerit omnes de omnibus.

13. Esto tamen: toieremus nos nostram injuriam, et Apostoli quoque suam, ut et ipsis minimi etiam antiquorum justorum comparentur in scientia, præferantur in gratia. Sed est sane quod ullo omnino

pacto non ferimus, et merito; ut Dominus videlicet gloriæ sentiatur vel falli unquam potuisse, vel fallere voluisse. Et quidem ipse protestatus est, inter natos mulierum majorem Joanne Baptista non surrexisse (Matth. xi, 11). Vide autem si non vere falsum fateri cogimur Veritatis hoc testimonium, si tantum tribuamus veteribus, quantum nec Joanni vindicare valemus. Non utique sit injuria Joanni, si quid ignorasse creditur aut dicitur, nimirum quod et ipse non diffitetur: sed si quod præconi Veritatis negamus, contra præconium Veritatis alteri damus; hoc non tantum injuria, sed et blasphemia est, et plane contradicere non Joanni, sed Veritati. Quid ergo? Amicus sponsi dubitat, et quærit, *Tu es qui venturus es, an alium expectamus* (Ibid., 3), et nos millibus hominum certitudinem de omnibus nostro mendacio confirmamus.

14. Nec ipsos de se ita veteres sensisse, paucis advertere possumus. Moyses scribit Deum ad se loquentem dixisse sic: *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob; et nomen meum Adonai non indicavi eis* (Exod. iii, 6, et vi, 3); subaudit, sicut tibi. Ostendit ergo se de Dei notitia **632** plus aliquid præcedentibus patribus accepisse. David quoque super doctores suos et seniores donum sibi intelligentiæ audacter præsumit, ita dicens: *Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est: et rursum, Super senes intellexi* (Psal. cxviii, 99, 100). Sed et propheta Daniel, *Pertransibunt*, ait, *plurimi et multiplex erit scientia* (Dan. xii, 4); ampliorem scilicet rerum notitiam promittens et ipse posteris. Si ergo, ut ait etiam sanctus papa Gregorius, secundum incrementa temporum crevit et scientia spiritualium patrum; et quanto viciniore adventui Salvatoris exstiterunt, tanto mysterium salutis plenius perceperunt (Hom. 17 in Ezech.): non est dubium, quin his qui et præsentibus fuerunt, multo amplius contulerit rerum ipsarum exhibitio, atque præsentia exhibentis. Denique et audiunt, *Beati oculi qui vident quæ vos videtis* (Luc. x, 23); item: *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis* (Joan. xv, 15). *Multi, inquit, reges et prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt; et audire quæ auditis, et non audierunt* (Luc. x, 24). Quare? ut videlicet clarius largiusque perciperent, quod vix tenuiter obscureque præsenferant. Alioquin quid opus erat foris videre carnem, et carnis audire sermones, si jam intus a Spiritu fuerant perfecte instructi de omnibus? præsertim cum Dominus dicat, *Caro non prodest quidquam, spiritus est qui vivificat* (Joan. vi, 64). Quod si Prophetæ, et qui illustriores videbantur in illo populo, non omnes omnia liquido æqualiter agnoscere valuerunt, sed alii plus, alii minus; prout eis Spiritus dabat, dividens singulis prout volebat, idque absque præjudicio suæ sanctitatis atque perfectionis: quanto magis simpliciores quique justi sine detrimento salutis, salvationis tempus, modum et ordinem nescire po-

tuerunt, quæ tamen certa spe et fide, uti promissa fuerant, firmissime tenuerunt?

15. Quanti hodieque profecto in populo christiano vitæ æternæ, sæculique futuri, quod indubitanter credunt et sperant, et ardentè desiderant, formam tamen ac statum, ne cogitare quidem vel tenuiter norunt? Ita ergo multi ante Salvatoris adventum, Deum omnipotentem tenentes et diligentes suæ salutis gratuitam promissorem, credentes in promissione fidelem, sperantes certissimum Redemptorem, in hac fide et expectatione salvati sunt: licet quando, et qualiter, et quo ordine salus repromissa fieret, ignorarent. Denique Beda aperte docet aperta omnia omnibus nequaquam fuisse quæ de Christo futura erant, quod tu quoque testimonium in tua epistola posuisti. « Unum, » inquit, « idemque dominicæ crucis tropæum prius Prophetæ et Moyses, quam Apostoli noverant et prædicabant: sed Prophetæ hoc aliquoties figuratis velatisque sermonibus, Apostoli autem Apostolorumque successores patefacta luce Evangelii semper aperte prædicabant: ita ut nunc omnis populus christianus scire et confiteri debeat fidem, quam eo tempore pauci admodum, et perfectiores quique noverunt; quamvis omnis populus Dei etiam tunc ejusdem mysteria fidei in legalibus cæremoniis typice portaret. » Multa sunt quæ ad hæc confirmanda concurrunt: sed modus epistolaris cuncta non patitur, nec opus est. Arbitror enim, ut ante jam dixeram, me quoque non respondente, ea potuisse sufficere quæ tua super hoc epistola continet. Sed hoc [al. hac] addidi, ne intactum quid præterirem ex omnibus quæ petisti.

#### CAPUT IV.

*Ostendit dari peccatum per ignorantiam contra assertorem contrariæ opinionis.*

16. Jam contra tertiam assertionem non multum nobis arbitror laborandum, tum quod manifestam nimis præferat falsitatem; tum quod ipse ejus inventor, in sua superiori sententia ipsam per se satis impugnet, sibimetipsi contrarius. Cum enim de nocturno illo privatoque susurrio Domini cum Nicodemo, laqueum nectat publicæ damnationis per totum orbem ignorantibus, arbitrans videlicet neminem ex **633** illa hora potuisse salvari, qui non fuerit baptizatus; nonne aperte peccatum ignorantiae, et peccatum damnabile confitetur? Nisi forte tam protervus sit, ut Deum homines sine culpa damnare existimet. Verendum tamen, ne si vel breviter non respondetur stulto juxta stultitiam suam; putans forte sapientiam, securius spargat seminarium vecordiae in auribus insipientium, et ita jam insipientiae ejus non sit numerus. Veritatis proinde testimoniis; paucis et manifestis, manifestum mendacium confutetur. Is forsitan qui asserit non posse peccari per ignorantiam, nunquam pro suis ignorantibus deprecatur, sed potius prophetam irrideat deprecantem et dicentem: *Delicta juventutis meæ, et*

*A ignorantias meas ne memineris (Psal. xxiv, 7).* Forsitan et reprehendet Deum exigentem pro peccato ignorantiae satisfactionem. Loquitur enim in Levitico ad Moysen dicens: *Anima si peccaverit per ignorantiam, feceritque unum ex his quæ lege Domini prohibentur, et peccati rea intellexerit iniquitatem suam, offeret arietem immaculatum de gregibus sacerdoti, juxta mensuram æstimationemque peccati; et rursum: Qui orabit pro eo quod nesciens fecerit, et dimittetur ei, quia per errorem deliquit in Dominum (Levit. v, 17-19).*

17. Si ignorantia nunquam peccatum est, cur dictum est in Epistola ad Hebræos, quia in secundo tabernaculo semel in anno solus pontifex intraret, non sine sanguine, quem offerret pro sui et populi ignorantia? (*Hebr. ix, 7.*) Si peccatum ignorantiae nullum est, non ergo peccavit Saulus, quod persecutus est Ecclesiam Dei, quoniam quidem ignorans hoc fecit, manens in incredulitate. Bene itaque faciebat, quod erat blasphemus, et persecutor, et contumeliosus; quod erat spirans minarum et cædis in discipulos Jesu; et in hoc ipso quippe abundanter æmulator existens paternarum suarum traditionum (*Galat. i, 13, 14*). Non ergo debuit dicere: *Misericordiam consecutus sum (I Tim. i, 13)*; sed, Mercedem recepi; quippe quem ignorantia a peccato reddebat immunem, insuper et æmulatio remunerabilem judicabat. Si, inquam, ignorantia nunquam peccatur; quid ergo causamur adversus occisores Apostolorum, quandoquidem non solum malum esse nescierunt interficere illos, sed insuper quoque id faciendo arbitrati sunt obsequium se præstare Deo? (*Joan. xvi, 2.*) Sed et frustra in cruce Salvator pro suis orabat crucifixoribus, quippe nescientibus; ipso teste, quid facerent (*Luc. xxiii, 34*), et ita nequaquam peccantibus. Neque enim fas est ullatenus suspicari mentitum fuisse Dominum Jesum, aperte perhibentem eos ignorare quid facerent; etsi forte de Apostolo dubitet quis, quod carnem suam æmulans, sicut homo mentiri potuerit, ubi ait: *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (I Cor. ii, 8)*. Numquid non ex his satis apparet, in quantis jaceat ignorantiae tenebris, qui ignorat peccari posse interdum per ignorantiam? Sed de his hactenus.

#### CAPUT V.

*Sententiam quamdam suam male acceptam a calumnia vindicat, nempe, Quod Angelos latuerit consilium Incarnationis Dominicæ.*

18. In fine mihi insinuas, amicabiliter quidem, moveri aliquos super quadam mea sententia, qua dixi cum Evangelium exponerem (173), consilium Dei nulli, etiam beatorum Angelorum, antequam Virgini revelatum. Primo quidem inde, ut arbitror, quia non satis juste moventur, advertere possunt quod eandem sententiam non constanter affirmo, sed cum temperamento, suspendens sub disjunctiva

(175) Nempe Evangelium Lucæ, 1, *Missus est*, et quidem in homilia 4, infra, tomo III.

particula : « Vel ideo, » inquam, « dictum est, a Deo. » Siquidem præmissa una causa quæ mihi videbatur, cur Evangelista, cum diceret : *Missus est angelus Gabriel, nominatim subjecerit, a Deo (Luc. 1, 26)*; alteram quoque temperate quidem et sub disjunctione subjunxi, quo et mihi non incumberet defendendi necessitas, et lectori daretur eligendi facultas quam e duabus voluisset [*al. maluisset*]. Si igitur una quælibet illarum stare potest, de altera quid suggillor, quippe qui neutram affirmans, lectoris utramque magis iudicio derelinquo? Quamquam etsi ex sententia dixerim, ignotum usque tunc [*al. adhuc*] sanctis Angelis fuisse Dei consilium, non quidem quia per incarnandi Verbi mysterium Dei propositum erat quandoque operari salutem in medio terræ (hoc enim et multis mortalium et præscire donatum est, et prædicere), sed quod potissimum tempus, quemve locum, vel modum, præcipueque quam virginem, ad implendum propositum suum elegisset Deus; si, inquam, hoc Dei consilium non de opere, sed de tempore, loco, modo, atque persona, etiam sanctos ignorasse Angelos senserim et scripserim; profecto non video cur incredibile videatur. Sane ibi unusquisque in suo sensu securus abundat, ubi aut certæ rationi, aut non contemnendæ auctoritati quod sentitur non obviat.

19. Quænam enim me ratio sive auctoritas sentire cogat, etiam tempus illud ab antiquo Angelis innotuisse, de quo Apostolus : *Postquam venit, inquit, plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege? (Galat. iv, 4.)* Credibilis magis fortasse videtur, ut sicut futuri adventus Domini, ipso teste, diem prorsus ignorant (*Matth. xxiv, 36*); ita quoque prioris tempus nequaquam præscierint. Quis scit enim, si modo illo spirituali Dei Sapientia de primo adventu suo et Angelis illud locuta sit, quod Apostolis per os carnis assumptæ de secundo legitur respondisse : *Non est, inquit, vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate? (Act. 1, 7.)* Quæ me rursus credere compellat necessitas, Angelos jam ante advertisse civitatem Nazareth, quam illo cernerent missum archangelum Virginem salutare, et partum nuntiare divinum? Siquidem quod præelecta fuerit Bethlehem nativitati, Jerusalem passioni; etiam sic aperte præscitum et prædictum est a Prophetis. Quod autem et Nazareth prævisa similiter est conceptioni, non tamen similiter, ut arbitror, prævisum fuisse et a Prophetis, evidens aliquod invenitur de Scripturis testimonium. Nam quod legitur, *Quoniam Nazaræus vocabitur (Matth. xi, 25)*, profecto evangelista, qui hoc de propheta sumit, non tam ad conceptionem, quam ad educationem referri satis evidenter ostendit, quod illo videlicet ex Ægypto reportatus fuerit, illicque nutritus. Denique Judæi ad Nicodemum, *Scrutare, aiunt, et vide, quoniam propheta a Galilæa non surgit (Joan. vii, 52)*. Et quidem scienti legem loquebantur, et qui magister erat in Israel, nihilque facile ignoraret ex omnibus : et tamen tota fiducia

instabant, monstrantes Scripturas non loqui Christum venire a Galilæa, cujus Nazareth civitas esse cognoscitur. Plus sane ad manum fuit eis testimonium de propheta, ex quo Regi locum sciscitanti nativitatis, incunctanter Bethlehem responderunt. Itaque natus in Bethlehem Christus est (*Matth. ii, 1*), et in Jerusalem passus; et utrumque aperte prædixisse Prophetas manifestum est. Conceptus æque est et in Nazareth civitate Galilææ : nec tamen visum est occurrere quidpiam vel Nicodemo, per quod sive Galilæam, sive Nazareth ad Christi adventum undecunque pertinere doceret.

20. Sic quoque Nathanael, doctus et ipse in lege, Philippo nuntianti Jesum filium Joseph a Nazareth, mox sub interrogatione admirando respondit : *A Nazareth, inquit, potest aliquid boni esse? (Joan. 1, 46.)* Nimirum admirans quod a Nazareth Christus nuntiaretur, quod ex nulla penitus Scriptura recoleret. Aut si non interrogando quidem, sed magis affirmando illud respondisse contenditur, memor utique præfati testimonii, quoniam *Nazaræus vocabitur* : non tamen perinde, quod in Nazareth conceptus fuerit Jesus, cum agnovisse constabit; cum multæ aliæ causæ occurrere potuissent, cur illud propheta prædixerit. Potuit ergo et de conceptionis loco, ut Prophetas, sic et Angelos divinum latuisse consilium.

635 21. Modum deinde illum tam incomprehensibilem, quem et Virgo sollicita requisivit, unde, quæso, doceri queam Angelis fuisse præcognitum? Mihi vero videtur, ne ipsi quidem (ut pace ejus dixerim) qui nuntiabat : quod et ipse fatetur, si ejus verba diligenter advertimus. Respondens quippe, *Spiritus sanctus superveniet in te*; nonne aperte mittit ad magisterium Spiritus sancti, cujus unctione doceatur de omnibus, quorum ipse sibi non præsumit scientiam, et discat experiendo quod audiendo non poterat? Denique subjungit : *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi (Luc. 1, 35)*; expressius profecto significans modum secretissimum arcani incomprehensibilis et ineffabilis sacramenti, quo quasi in umbra cum sola, et in sola Virgine, sola Trinitas conceptum fuerat operatura divinum. Ad hoc quoque investigandum mysterium minus se idoneum confitetur magnus ille Joannes, cum se indignum perhibet solvere corrigiam calceamenti. Sed et ipsam Virginem, rogo, unde probabitur ex nomine, vel ex facie ante cognitam Angelis, quod ipsa videlicet esset quam Deus elegerit in matrem sibi, excepto duntaxat archangelo, cui et servanda ab initio tradita fuisse credenda est! Porro autem si diabolus eam nec post conceptionem agnovit, Joseph utique desponsatione deceptus; credi potest et sanctis Angelis vel ante minime innotuisse, quod ipsa videlicet esset Dei mater futura. Sane etenim reprobi spiritus, etsi destituti sunt participatione gratiæ spiritualis, non tamen vivacitate industriæ naturalis.

22. Videsne, in quantis, salva fide et veritate Scripturarum, divinum Angeli consilium poterant ignorasse, præsertim ut horum revelandorum præ-

rogativa matri Virgini servaretur? Primum equidem est tempus, secundum locus, tertium modus, quartum electio personæ virginalis. Hoc responde fratribus, qui me reprehendunt quod dixerim ad laudem Virginis, ideo positum esse a Deo, ne cui forte

vel beatorum Angelorum suum consilium Deus priusquam Virgini, revelasse putetur, excepto duntaxat archangelo Gabriele. Suum consilium dixi, non de opere, sed de operis tempore, de loco, de modo, de personæ quoque electione. Vale.

## ADMONITIO IN OPUSCULUM XI.

**636** 1. Epistolam sequentem, quæ inter Bernardinas ordine centesima nonagesima est, Horstius in classem tractatum ob epistolæ prolixitatem ac materiæ dignitatem rejecit. Scripta fuit occasione damnatorum Abælardi errorum in synodo Senonensi, quam anno 1140 frequenti Gallicanorum episcoporum consensu, præsentate rege Ludovico Juniore, celebratam diximus in notis ad epistolam centesimam octogesimam septimam. In Synodica epistola, quæ inter Bernardinas est centesima nonagesima prima, et in alia quæ modo est ordine trecentesima trigesima septima, Innocentio papæ significant Patres, Abælardi errores a se damnatos, intacto auctore, quod ad sedem apostolicam appellasset: atque errorum capitula « plenius contineri in litteris domini Senonensis: » Has litteras non alias esse credimus, quam subsequenter Bernardi epistolam, in qua ejusmodi capitula referuntur, strictimque refelluntur. Eadem sunt capitula, quæ Gaufrido Carnotensi episcopo et Bernardo direxerat Guillelmus, ex Sancti-Theodorici abbate tunc monachus Igniacensis, uti apparet ex ejus litteris superius editis inter Bernardinas.

2. Capitula ista partim sibi falso imposita conquestus est, partim pro suis agnita correxit Abælardus in Apologia sua, in qua Bernardum, tanquam unicum adversarium suum, ut delatorem malignum aut inconsideratum passim lacessit. Bernardi patrocinium adversus eas calumnias suscipere duo ipsius Abælardi quondam familiares, qui ab ejus erroribus tandem resipuerant, Gaufridus, Bernardi postea notarius; et quidam abbas anonymus « Nigrorum monachorum. » Utrumque designaverat Chesnius in Notis ad Abælardum: sed amborum opuscula modo typis edita sunt in tomo quarto Bibliothecæ Cisterciensis: ubi eruditus editor Bertrandus Tisserius observat, abbatem istum anonymum alium esse a Guillelmo Sancti-Theodorici. Abbas porro erat in Francia, id est in metropoli Senonensi vel Remensi, teste Gaufrido, ut mox videbimus; tresque libros, adversus Abælardum a se scriptos, Hugoni Rotomagensium archiepiscopo dedicavit. Eum « dominum » suum vocat initio libri secundi, itemque clarissimam Rotomagensium lucernam: qui catholico pectore, inquit, de Deo tuo sentis, catholico ore loqueris, et catholica manu cæteris excellentius scribis.

3. Ex capitulis errorum Abælaro imputatis, quedam in vulgatis ejus operibus desiderantur. Unde nonnulli occasionem arripiunt insimulandi Bernardum, quasi Abælaro falsos errores affinxerit, et cum larvis atque umbris dimicaverit. At constat plerosque etiam in vulgatis scriptis errores deprehendi, ut suis locis ostendemus: et, si qua amplius non exstant, ea quondam in ipso Abælaro legisse Guillelmum Sancti-Theodorici, Gaufridum, et abbatem illum anonymum Abælardi quondam discipulum, qui et præceptoris sui doctrinam callebat, et verba ipsa refert, uti et Guillelmus, tum ex Apologia, tum ex Theologia Abælardi, quæ in editis non comparent. Et certe Abælardus ipse in libro secundo commentarii super Epistolam ad Romanos, pag. 554, quædam in Theologia sua tractanda reservat, de quibus nulla mentio est in impressis, quæ sic desunt: « Cætera desunt: » ut appareat, Theologiam in editis mutilam esse.

4. Itaque male omnino merentur de religione christiana, nedum de Bernardo, qui ut Abælardum absolvant, Bernardum cæco, ut aiunt, zelo impulsus fuisse criminantur. Saltem cum Abælaro ipso et ejus defensore Berengario agnoscant tandem, eum in quibusdam errasse. Ita enim se, quamvis non satis ex animo, reum agnoscit in nonnullis Abælardus in Apologia sua, ubi hæc verba: « Scripsi forte aliqua per errorem, quæ non oportuit: sed Deum testem et judicem in animam meam invoco, quia in his, de quibus accusor, nil per malitiam aut superbiam præsumpsi. » Esto itaque malitiam, atque etiam hæresim ab eo remove liceat: at errores saltem aliquos, vobis novarum studium, levitatem, forsitan etiam superbiam et contentionum pruriginem in eo dissimulare non licet. Sed demum Innocentius rescripto ad episcopos misso hominem recludi jussit ejusque libros comburi, quos ipse Romæ flammis tradi mandavit, testante Gaufrido. Verum tandem resipuit Petrus, atque ab appellatione destitit consilio et hortatu Petri Venerabilis abbatis Cluniacensis, qui extremos ejus mores egregie laudat in epistola ad Heloissam.

**637** 5. Bernardo non impune cessit, quod Abælardum et scriptis et verbis persecutus sit. Nam non solum Abælardus censuræ impatiens, sed etiam Berengarius, ejus discipulus ac defensor, quædam in Bernardi scriptis erronea jactare demum ausi sunt, insigni commento. « Errasti vere, inquit Berengarius Bernardum alloquens, dum originem animarum de cælo asseruisti esse, » pag. 310. Et pag. 315: « Animarum originem de cælis fabularis esse, ubi sic recolo te locutum (nempe sermone decimo septimo in Cantica): Merito dixit Apostolus: « Nostra conversatio est in cælis. » Hæc verba tua subtiliter explorata, christianæ mentis palato hæresim sapiunt. » Apage insanum atque impudentem nebulonem. Abbas anonymus sub finem libri secundi aliam Abælardi in Bernardum calumniam profert. « Miraculum mihi est, quod a tam longo tempore, et a tantis viris, quorum doctrina fulget Ecclesia ut sole luna, nostro Abælaro responsum non est, qui criminatur Abbatem, quod dicat, Deum et assumptum a Deo hominem unam esse in Trinitate personam: cum homo res corporea, et membris composita, et dissolubilis sit: Deus vero nec corporea res sit, nec membris constans, ut dissolvi possit. Unde nec Deus homo, nec homo Deus dicendus est, » etc. Sic Nestorianum agit Abælardus, cum Bernardum erroris petulanter accusat. Recte ad hunc locum Guillelmus Sancti-Theodorici in capite octavo contra Abælardum: « Unde et nos similiter dicimus, Christum filium hominis in ipsa natura humanitatis suæ, sed non ex ipsa, secundum eam quam cum Deo habet unionem, tertiam esse in Trinitate personam: quia sicut incarnatus Deus factus est filius hominis propter hominem assumptum, sic assumptus homo factus est filius Dei propter assumptum Deum. »

6. Præter capitula, quæ dedita opera refellit Bernardus, nonnulla conglobatim recenset n. 10, contentus ea

exposuisse, quæ ab aliis etiam refutantur, scilicet a Guillelmo, et abbate anonymo. De accidentibus quæ in Eucharistia post consecrationem remanere in aere docebat Abælardus, ita Guillelmus sentit: « Nobis vero videtur, si vobis etiam videtur, » sic Gaufridum Carnotensem episcopum et Bernardum alloquitur, « quod accidentia illa, sive prioris forma substantiæ, quæ, ut puto, non nisi consonus in unum accidentium concursus est, si ibi est, in corpore Domini est, non formans illud, sed virtute operantis in ea sapientiæ Dei aptans illud et modificans, ut secundum ritum mysterii et modum sacramenti habile fiat et tractabile, et gustabile in forma aliena, quod non poterat esse in propria. » Item in libro de Corpore et Sanguine Domini ad Rupertum, capite tertio: « Sed contra omnem sæcularis philosophiæ rationem et intellectum, mutata panis substantia in aliam substantiam, ad quoddam mysterii obsequium quædam accidentia, quæ illi inhærebant, sic transtulit non mutata, ut corpus Domini, licet adsit albedo, non fiat album; nec rotunditas rotundum: sed hujusmodi accidentia omnia sic reservavit, ut licet vere humanitatis ejus corpori adsint, non tamen insint, non tamen illud inficiant vel afficiant, » etc.

**638** 7. Cæterum sicut de Incarnatione non recte sentiebat, aut certe non recte loquebatur Abælardus, ita nec etiam de gratia Christi, quam ad solam rationem a Deo concessam et ad Scripturarum admonitionem et ad exempla redigebat; adeoque omnibus communem esse dicebat. « Dicendum est igitur, quod homo per rationem, a Deo quidem datam, gratiæ appositi coherere potest; nec Deus plus facit isti qui salvatur, antequam coherere gratiæ, quam illi qui non salvatur. Sed sicut qui lapides pretiosos exponit venales, et desiderium videntium excitat ad emendum: similiter gratiam suam apponit omnibus, consulit Scripturis, et exemplis revocat; ut homines per libertatem arbitrii quam habent, gratiæ coherant. » Et infra: Vivificatio ista tribuitur gratiæ: quia ratio, qua homo discernit, et intelligit a malo abstinendum et bene agendum, est a Deo. Et ideo hoc inspirante Deo agere dicitur: quia Deus per rationem, quam dedit homini, facit eum peccatum ipsum agnoscere. » Hæc, aliæque Guillelmus ex Abælardi scriptis refert, haud dubie ex ejus Theologia, quæ ob hoc fortasse, aliæque permulta, a posteris mutilata est. Neque hæc in re Guillelmo, viro alioqui docto ac piissimo, fidem denegare licet: maxime cum in libro quarto super Epistolam ad Romanos, Abælardus eandem pestiferam doctrinam doceat pag. 653 et sequente, ubi hæc verba in multis leguntur: « Ad desiderium itaque nostrum in Deo accendendum, et ad regnum cælestis concupiscendum, quam præire gratiam necesse est, nisi ut beatitudo illa, ad quam nos invitat; et via, qua pervenire possimus, exponatur atque tradatur? Hanc autem gratiam tam reprobis, quam electis pariter impertit, utrosque videlicet de hoc instruendo æqualiter: ut ex eadem fidei gratia, quam perceperunt, alius ad bona opera incitetur, alius præ torporis sui negligentia inexcusabilis reddatur. » Et paulo post: « Nec necesse est, ut per singula, quæ quotidie nova succedunt opera, aliam Deus gratiam præter ipsam fidem exponat, qua videlicet credimus, pro hoc quod facimus, tantum nos præmium adepturos. » Hæc idcirco commemoramus, ut omnes demum intelligant, quam impie ut de Incarnatione, ita de gratia Christi, si non sensit, saltem scripserit Abælardus; et quam merito Bernardus dixerit in epistola centesima nonagesima secunda, « Cum de Trinitate loquitur, sapit Arium; cum de gratia, sapit Pelagium; cum de persona Christi, sapit Nestorium. » Et duo quidem postrema ex dictis, et ex sequente epistola evincuntur: de tercio legat, qui id scire volet, Abælardi librum Theologiæ tertium sub finem; ibique inveniet ipso auctore, « facile convinci eos qui nostra de fide verba abhorrent, cum videlicet audiunt Deum Patrem, et Deum Filium, in sensum verborum nobis esse conjunctos. » Quo pacto? « Interrogemus enim eos, » inquit, « si Sapientiam Dei credant, de qua scriptum est, » Omnia in sapientia fecisti; « et statim respondebunt se credere. » Hoc vero esse Filium credere: sicut credere Spiritum sanctum non aliud esse, quam credere Dei benignitatem. Quæ quidem si rigide accipiantur, **639** plusquam Arianismum, id est Sabellianismum, sapere videntur. Quanquam, ut ingenue fatear, hunc errorem in consequentibus rejicit, pag. 1069. Verum interest non solum recte sentire, sed etiam (maxime ubi de Fide agitur) recte loqui ac scribere. Hinc non immerito Guillelmus Sancti-Theoderici in capite tertio libri contra ipsum Abælardum, adductis ejus verbis de ære et sigillo, de potentia et quadam potentia, « quantum ad personarum destructionem, » inquit, « Sabellianum est; quantum ad dissimilitudinem et imparitatem, hoc in sententiam Arii pedibus ire est. » Hæc, inquam, ideo commemoramus, ut pudeat eos qui hos errores detestantur, quod Abælardi causam suscipiant adversus Bernardum, quem præcipitis in Abælardum judicii ac nimis impetiginis accusare porro non verentur. Eodem fere modo, atque Abælardus, Trinitatis mysterium explicat Guillelmus de Conchis, cujus itidem errores confutat Guillelmus Sancti-Theoderici abbas in epistola ad Bernardum. Adeo nihil infelicius cadere in religionem potest, quam cum philosophi ex sola ratione fidei nostræ mysteria explicare conantur.

8. De toto Abælardi negotio Gaufridus sancti Bernardi notarius ita loquitur in epistola ad Henricum cardinalem et episcopum Albanensem: « Audi vi etiam, quod super damnatione Petri Abælardi diligentia vestra desiderat plenius nosse similiter veritatem: cujus libellos piæ memoriæ dominus Innocentius II papa in urbe Roma et in ecclesia beati Petri incendio celebri condemnavit, apostolica auctoritate hæreticum illum denuntians. Nam et ante plures annos venerabilis quidam cardinalis et legatus Romanæ Ecclesiæ, Cono nomine, regularis quondam canonicus ecclesiæ Sancti-Nicolai de Aruasia, Theologiam ejus, Sussionis concilium celebrans, similiter concremaverat, ipsum Petrum præsentem arguens, et convictum de hæretica pravitate condemnans. Unde vestro si placuerit desiderio, per libellum de Vita sancti Bernardi, et per ejus epistolas missas ad curiam satisfiet. Inveni tamen in Clara-Valle libellum cujusdam abbatis Nigrorum monachorum, quo errores ejusdem Petri notantur, quem et olim me vidisse recordor: sed a multis annis, ut custodes librorum asserunt, studiose quæsitus, primus quaternio non potuit inveniri. Propter quod propositi nostri est in Franciam destinare ad monasterium, cujus abbas existit, qui eundem librum composuit; et, si recuperare potero, transcribi facere codicem totum, et mittere vobis. Credo enim quod vestræ inquisitioni sufficere debeat, ut cognoscatis, quæ, quemadmodum, quare sint condemnata. » Hactenus Gaufridus ex Chesnii Notis in Abælardum. Mittimus quæ de viso Henrici canonici Tornacensis, ad Patres synodi Senonensis atque ad Bernardum relato, memorantur in Spicilegii tomo duodecimo, pag. 478 et sequente.

9. Posteaquam hæc scripseram, noster Joannes Durandus, qui tunc Romæ versabatur, ex mendoso codice Vaticano, notato 665, ad me transmisit Capitula hæresum Petri Abælardi, sequenti epistolæ præmissa, hæc ipsa sine dubio, quæ Bernardus in fine hujusce epistolæ se collegisse, ac Pontifici transmisisse significat. Idcirco ea hoc loco præmittere visum est ad ipsius epistolæ illustrationem.

## INCIPIUNT CAPITULA HÆRESUM PETRI ABÆLARDI.

**640** I. *Horrenda similitudo de sigillo æreo, de specie et genere ad Trinitatem.*

« Cum sapientia Dei quædam sit potentia, sicut æreum sigillum est quoddam æs, liquet profecto divinam sapientiam ex divina potentia esse suum habere, ad eam videlicet similitudinem, qua sigillum æreum dicitur esse quod est ejus materia; vel species ex genere, quod quasi materia speciei dicitur esse, ut animal hominis. Sicut enim ex eo quod est æreum sigillum, exigit necessario quod æs sit, et ex eo quod est homo ut animal sit, sed non e contrario: ita divina sapientia, quæ est potentia discernendi, exigit quod sit divina potentia, sed non e contrario. » Et post pauca: « Benignitas ipsa, quæ hoc nomine quod Spiritus est demonstratur, non est in Deo potentia sive sapientia. »

**II.** *Quod Spiritus sanctus non sit de substantia Patris.*

« Cum itaque tam Filius, quam Spiritus sanctus ex Patre sit, hic quidem genitus, ille procedens; differt in eo generatio ipsa a processione, quod is qui generatur ex ipsa Patris substantia est, cum ipsa, ut dictum est, Sapientia hoc ipsum esse habeat, ut sit quædam potentia. » Et post pauca: « Spiritus vero quamvis ejusdem substantiæ sit cum Patre et Filio, unde etiam Trinitas ipsa homousion, id est unius substantiæ, prædicatur, minime tamen ex substantia Patris est aut Filii, quod esset ipsum ex Patre vel Filio gigni: sed magis ex ipsis habet procedere, quod est Deum se per charitatem ad alterum extendere. Quodammodo etenim per amorem unusquisque a se ipso ad alterum procedit, cum proprie, ut dictum est; nemo ad seipsum charitatem habere dicatur, ut sibi ipsi benignus esset, sed alteri: maxime autem Deus, qui nullius indiget, erga seipsum benignitatis affectu commoveri non potest, ut sibi aliquid ex benignitate impendat, sed erga creaturas tantum. »

**III.** *Quod eâ Deus solummodo possit facere, vel dimittere, vel eo modo tantum, vel eo tempore quo facit, non alio.*

« Hac ratione qua convincitur quod Deus Pater tam bonum genuit Filium quantum potuit cum videlicet aliter reus esset invidiæ, clarum est etiam omnia quæ facit, quantum potest, egregia facere; nec ullum commodum quod conferre possit, subtrahere velle. » Et post pauca: « In tantum in omnibus quæ Deus facit, quod bonum est attendit, ut ipso boni pretio potius quam voluntatis suæ libito ad singula faciendâ inclinari dicatur. » Item: « Ex his itaque tam de ratione quam de scripto collatis constat, id solum Deum facere posse quod aliquando facit. » Et post pauca: « Qui si mala quæ fiunt disturbare posset, nec id etiam nisi opportune faceret, qui nihil importune facere potest: profecto non video, quomodo peccatis consentiens non esset. Quis enim

consentire malo dicendus est, nisi is per quem etiam opportune disturbari posset? » Item: « Prædictis itaque rationibus vel objectorum solutionibus liquere reor omnibus, ea solummodo Deum posse facere, vel dimittere, vel eo modo tantum, vel eo tempore quo facit, non alio. »

**641** IV. *Quod Christus non assumpsit carnem, ut nos a jugo diaboli liberaret.*

« Sciendum est quod omnes nostri doctores qui post Apostolos fuere, in hoc conveniunt, quod diabolus dominium et potestatem habebat super hominem, et jure eum possidebat. » Et post pauca: « Nec diabolus unquam jus aliquod habuit super hominem, sed jure eum possidebat permittente, ut carcerarius; nec [ut eum] Filius Dei a jugo diaboli liberaret, carnem assumpsit. » Et post pauca: « Quomodo nos justificari vel reconciliari Deo per mortem Filii ejus dicit Apostolus, qui tanto amplius adversus hominem irasci debuit, quanto amplius in crucifigendo Filium suum deliquerit, quam in transgrediendo primum præceptum suum unius pomi gustu: quomodo enim amplius justum fuerat? Quod si tantum fuerat illud Adæ peccatum, ut expiari non posset nisi ex morte Christi: quam expiationem habebit ipsum homicidium, quod in Christo commissum est, tot et tanta scelera in ipsum vel suos commissa? Nunquid mors innocentis Filii tantum Deo placuit, ut per ipsam reconciliaretur nobis, qui hoc peccando commisimus, propter quod innocens Dominus est occisus; nec nisi hoc maximum fieret peccatum, etiam levius potuit ignoscere multo nec nisi multiplicatis malis tam bonum facere, in quo et justiores facti sumus per mortem Filii Dei, quam ante eramus, ut a peccatis jam liberari debeamus? » Item: « Cui vero non crudele et iniquum videtur, ut sanguinem innocentis, et pretium aliquod quis requisierit, aut ullo modo ei placuerit innocentem interfici? nedum Deus tam acceptam mortem Filii habuit, ut per ipsam universo reconciliatus sit mundo. Hæc et his similia non mediocrem movent quæstionem, non solum de redemptione, sed etiam de justificatione nostra per mortem Domini nostri Jesu Christi. Nobis autem videtur, quod nihilo minus sumus justificati in sanguine Christi; et Deo reconciliati per hanc singularem gratiam nobis exhibitam, quod Filius suus nostram suscepit naturam et in ipsa nos tam verbo, quam exemplo instituendo usque ad mortem præstitit, nos sibi amplius per amorem astringit: ut tanto divinæ gratiæ accensi beneficio, nulla tolerare propter ipsum vestra reformidet charitas: quod quidem beneficium antiquos etiam patres, hoc per fidem expectantes, in summum amorem Dei tanquam homines temporis non dubitamus accendisse. » Et infra: « Puto ergo quod

consilium et causa incarnationis fuit, ut mundum luce suæ sapientiæ illuminaret, et ad amorem suum accenderet. »

V. *Quod neque Deus et homo, neque homo persona, quæ Christus est, sit tertia persona in Trinitate.*

« Quando dico, Christus est tertia persona in Trinitate; hoc volo dicere, quod Verbum, quod ab æterno tertia persona in Trinitate fuit, tertia persona sit in Trinitate: et ita puto quod locutio sit figurativa. Si enim propriam diceremus esse, cum hoc nomen Christus idem sonet quod Deus et homo, tunc talis esset sensus: Deus et homo est tertia persona in Trinitate. Quod penitus est falsum. »

Et post pauca: « Et est sciendum, quod quamvis concedamus, quod Christus est tertia persona in Trinitate, non tamen concedimus quod hæc persona, quæ Christus est, si tertia persona in Trinitate. »

VI. *Quod Deus non plus faciat ei qui salvatur antequam cohæreat gratiæ, quam ei qui non salvatur.*

« Sic iterum solet quæri illud quod a quibusdam dicitur, scilicet utrum omnes homines ita sola misericordia salventur, ut nullus sit qui bonam voluntatem habere possit, nisi gratia Dei præveniente, quæ cor moveat, et bonam voluntatem inspiret, et inspiratam multiplicet, et multiplicatam conservet. Quod si ita est quod homo ex se nihil boni operari possit, aut aliquo modo ad divinam gratiam suscipiendam per liberum arbitrium sine auxilio gratiæ se erigere prout **642** dictum est, non possit; non videtur ratio quare, si peccat, puniatur. Si enim non potest ex se aliquid boni facere, et talis factus est qui sit prior ad malum, quam ad bonum; nonne si peccat immunis est a culpa; et nunquid Deus, qui ita infirmum et fragilis naturæ eum fecit, est laudandus de tali creatione? Imo si ita esset, nonne potius culpandus videretur? » Et post pauca: « Quod si ita esset quod homo ad divinam gratiam percipiendam se erigere sine alterius gratia non posset; non videtur ratio esse, quare homo inculparetur; et Dei gratiam non habere, potius in auctorem ipsius refundandum videretur. Quod ita non est, sed longe aliter dicendum, prout rei veritas se habet. Dicendum est ergo, quod homo per rationem, a Deo quidem datam, gratiæ appositæ cohæreere potest: nec Deus plus facit illi qui salvatur antequam cohæreat gratiæ, quam illi qui non salvatur. Ita enim se gerit Deus erga homines, quemadmodum mercator qui habet pretiosos lapides venales, qui videlicet exponit eos in foro, et æque omnibus offert, et per ostensos desiderium in eis ad emendum excitat. Qui prudens est, sciens se eis indigere, laborat ut habeat; acquirit nummos, et emit eos: qui deses est et piger, etsi desiderium habeat, quia tamen piger est, non laborat, etsi fortior sit alio corpore, nec emit eos; et ideo culpa sua quod caret illis. Similiter Deus gratiam suam apponit omnibus, et consulit Scripturis et doctoribus eximiis, ut pro libertate arbitrii, quæ gratiæ cohæreat qui prudens est, providens

sibi in futuro ex libertate arbitrii qua huic cohæret gratiæ. Piger vero a carnalibus desideriis implicatus, etsi desideret beatificari, nunquam tamen vult laborare compescendo se a malo, sed negligit, quamvis per liberum arbitrium possit cohæreere gratiæ; et sic ad omnipotenti Deo negligitur. »

VII. *Quod Deus non debeat mala impedire.*

« In primis videndum est, quid sit consentire malo; et quid non. Ille equidem malo consentiens dicitur, qui cum debeat hoc prohibere, et possit, non prohibet: si autem debeat, et non possit: et e contrario si possit et non debeat; non est reus. Si vero nec debet, nec potest, multo minus reus censendus est. Et ideo Deus a consensu malorum est alienus, qui nec debet, nec potest mala impedire. Ideo non debet, quia cum res per benignitatem illius eveniat eo modo, quo melius potest, nullo modo hoc velle debet. Ideo autem non potest, quia bonitas illius electo minori bono, illi quod majus est impedimentum minime parare potest. »

VIII. *Quod non contraximus ex Adam culpam, sed pœnam.*

« Sciendum est quod cum dicitur, Originale peccatum est in parvis; hoc dicitur pro pœna temporali et æterna, quæ debetur eis ex culpa primi parentis. » Et paulo post: « Similiter dicitur, in quo omnes peccaverunt (Rom. v, 12): ideo scilicet, quia seminarium omnium erat in illo qui peccavit. Non tamen inde provenit, quod omnes peccassent qui non erant: et qui non est, non peccat. »

IX. *Quod corpus Domini non cadit in terram.*

« De speciebus panis et vini quæritur, si sint modo in corpore Christi, sicut prius erant in substantia panis et vini, quæ versa est in corpus Christi: an sint in aere. Sed verisimilius est quod sint in aere, cum sint in corpore Christi sua lineamenta, et suam speciem habeat, sicut alia corpora humana. Species vero istæ, scilicet panis et vini, fiunt in ore ad celandum et obtegendum corpus Christi. » Et post pauca: « Hic autem quæritur de hoc quod qui videtur esse multitud... unde et præcipitur, quod a Sabbato usque ad Sabbatum servetur, sicut de panibus propositionis factum fuisse legitur, a muribus etiam corrodi videtur, et de manu sacerdotis vel diaconi in terra cadere. Et ideo quæritur, quare Deus permittat ista fieri in corpore suo. **643** An fortassis non ita fiat in corpore, sed tantum ita faciat apparere in specie? Ad quod dicimus, quod revera non est sic in corpore, sed Deus ita in speciebus ipsis propter negligentiam ministrorum reprimendam habere facit: corpus vero suum, prout ei placet, reponit et conservat. »

X. *Quod propter opera nec melior, nec pejor efficiatur homo.*

« Solet quæri quid a Domino remuneretur, opus, an intentio, seu utrumque. Auctoritas autem videtur velle, quod opera a Deo æternaliter remunerentur: ait namque Apostolus, *Reddet Deus unicuique secundum opera sua* (Rom. 11, 6). Et Athanasius ait,

Reddituri sunt de factis propriis rationem. Et paulo post ait : Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui vero mala, in ignem æternum (*Matth.* xxv. 46, et *Joan.* v, 29). Nos vero dicimus, quod æternaliter a Deo remunerentur, sive ad bonum, sive ad malum : nec propter opera pejor, vel melior efficitur homo, nisi dum operatur, fortassis voluntas ejus in aliquo augmentetur. Nec est contra Apostolum vel alios auctores; quia cum Apostolus dixit, *Reddet unicuique, etc.*, ibi effectum pro causa posuit, opus scilicet pro voluntate seu intentione. »

XI. *Quod non peccaverunt qui Christum crucifixerunt ignoranter; et quod non sit culpæ adscribendum quidquid fit per ignorantiam.*

« Opponit de Judæis qui Christum crucifixerunt, et de aliis qui martyres persequendo putabant se obsequium præstare Deo : et de Eva :: : quæ non egit contra conscientiam, quoniam seducta est, et tamen certum est eam peccasse. Ad quod nos dicimus, quod revera illi simplices Judæi non agebant contra conscientiam, sed potius zelo legis suæ Christum persequerentur; nec putabant se male agere, et ideo non peccabant : nec propter hoc aliqui eorum damnati sunt, sed propter præcedentia peccata, merito quorum in istam cæcitatem devoluti sunt. Et inter illos erant electi illi, pro quibus Christus oravit, dicens : *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* xxiii, 34). Nec oravit ut hoc peccatum eis dimitteretur, cum hoc peccatum non esset, sed potius peccata præcedentia. »

XII. *De potestate ligandi et solvendi.*

« Illud quod in *Matthæo* legitur, *Quæcunque ligaveris super terram* (*Matth.* xvi, 19), etc., sic intelligendum est : *Quæcunque ligaveris super terram, id*

est in præsentī vita, *erit ligatum et in cælis*, id est in præsentī Ecclesia. » Et post pauca : « Huic sententiæ, qua dicimus Deum solum dimittere peccata, Evangelium videtur obviare : ait namque Christus ad discipulos suos : *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata remittuntur eis* (*Joan.* xx, 22, 23). Sed nos dicimus quod hoc dictum est solis Apostolis, non successoribus eorum. » Et statim subditur : « Si quis tamen successoribus eorum convenire hoc dixerit, ad modum supradictæ auctoritatis hanc quoque exponere decet. »

XIII. *De suggestione, delectatione, et consensu*

« Sciendum quoque quod suggestio non est peccatum illi cui suggestio fit, nec delectatio consequens suggestionem, quæ delectatio inest ex infirmitate et memoria voluptatis, quæ est in impletione illius rei quam adversarius suggerit; sed solus consensus, qui et contemptus Dei dicitur, in quo peccatum consistit. » Et post pauca : « Nec dicimus quod voluntas faciendi hoc vel illud, nec et ipsum opus sit peccatum, sed potius, ut superius dictum est, ipse Dei contemptus ex aliqua voluntate. »

XIV. *Quod ad Patrem proprie vel specialiter pertinet omnipotentia.*

« Si potentiam tam ad notitiam subsistendi, quam ad efficaciam operationis referamus, invenimus ad proprietatem personæ Patris proprie vel specialiter omnipotentiam attingere : quod non solum cum cæteris duabus personis æque omnia efficere potest, verum etiam ipse solus a se, non ab alio existere habet; et sicut habet a se existere, ita etiam ex se habet posse. »

*Hæc sunt Capitula Theologiæ, imo Stultologiæ Petri Abælardi.*

## S. BERNARDI ABBATIS

### CONTRA QUÆDAM CAPITULA ERRORUM ABÆLARDI

EPISTOLA CXC SEU TRACTATUS

AD INNOCENTIUM II PONTIFICEM

#### 644 PRÆFATIO.

Amantissimo patri domino INNOCENTIO summo Pontifici, frater BERNARDUS Claræ-Vallis vocatus abbas, modicum id quod est.

Oportet ad vestrum referri apostolatum pericula quæque et scandala emergentia in regno Dei, ea præsertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Hæc quippe hujus prærogativa Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum

est : *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua? Ergo quod sequitur, a Petri successore exigitur : Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* xxii, 32). Id quidem modo necessarium. Tempus est ut vestrum agnoscatis, Pater amantissime, principatum; probetis zelum, ministerium honoretis. In eo plane Petri impletis vicem, ejus tenetis et sedem, si vestra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, si vestra auctoritate conteritis fidei corruptores.



## CAPUT PRIMUM.

*Impia Abælardi de sancta Trinitate dogmata recenset, et explodit.*

1. Habemus in Francia novum de veteri magistro theologum, qui ab ineunte ætate sua in arte dialectica lusit, et nunc in Scripturis sanctis insanit. Olim damnata et sopita dogmata, tam sua videlicet, quam aliena, suscitare conatur, insuper et nova addit. Qui dum omnium quæ sunt in cœlo sursum, et quæ in terra deorsum, nihil, præter solum Nescio (174), nescire dignatur; ponit in cœlum os suum, et scrutatur alta Dei, rediensque ad nos refert verba ineffabilia, quæ non licet homini loqui et dum paratus est de omnibus reddere rationem, etiam quæ sunt supra rationem, et contra rationem præsumit, et contra fidem. Quid enim magis contra rationem, quam ratione rationem conari transcendere? Et quid magis contra fidem, quam credere nolle, quidquid non possit ratione attingere? Denique exponere volens illud Sapientis [*al. Salomonis*], *Qui credit cito, levis est corde* (*Eccli. xix, 4.*) « Cito credere est, » inquit, « adhibere fidem ante rationem (175): » cum hoc Salomon non de fide in Deum, sed de mutua inter nos credulitate loquatur. Nam illam quæ in Deum est fidem beatus papa Gregorius negat plane habere meritum, si ei humana ratio præbeat experimentum: laudat autem Apostolos, quod ad unius jussionis vocem secuti sunt Redemptorem. (*Homilia 26 in Evang.*) Scit nimirum pro laude dictum, *In auditu auris obedivit mihi* (*Psal. xvii, 45*); increpatos e regione discipulos, quod tardius credidissent (*Marc. xvi, 14*). Denique laudatur Maria, quod rationem fide prævenit; et punitur Zacharias quod fidem ratione tentavit (*Luc. i, 45, 20*); et rursum Abraham commendatur qui contra spem, in spem credidit (*Rom. iv, 18*).

645 2. At contra theologus noster: « Quid, » inquit, « ad doctrinam loqui proficit, si quod docere volumus, exponi non potest, ut intelligatur (176)? » Et sic promittens intellectum auditoribus suis, in his etiam quæ sublimiora et sacratiora profundo illo

(174) In aliis editis *Nescio quid*: at in scriptis *Nescio* absolute, et rectius, ut sit sensus, Abælardum ad nullam quæstionem hære, nec inscientiam suam fateri.

(175) Hæc ad sensum ex lib. II Introductionis ad Theologiam, quam deinceps Theologiam simpliciter appellabimus. Verba hæc sunt pag. 1060: *Cito autem sive facile credit, qui indiscrete atque improvide de his quæ dicunt prius acquiescit, quam hoc ei quod persuadetur ignota ratione, quantum valet discutiat, an scilicet adhiberi ei fidem conveniat.*

(176) Hæc item ad sensum ibid. pag. 1065. *Quid prodest locutionis integritas, quam non sequitur intellectus audientis?* etc.

(177) Id sibi per malitiam aut per errorem impostum queritur Abælardus in Apologia sua, pag. 331, atque tanquam diabolica quædam se abhorrere et detestari dicit. Verum anonymus ejus quondam discipulus, postea impugnator, editus in tomo IV Bibliothecæ Cisterciensis, Abælardum mendacii hoc loco arguit pag. 209: *Ac primum requiro, inquit, cur sanctæ religionis et magni nominis abbatem insimulet.*

A sinu sacrae fidei continentur, ponit in Trinitate gradus, in majestate modos, numeros in æternitate. Denique constituit « Deum Patrem plenam esse potentiam, Filium quamdam potentiam, Spiritum sanctum nullam potentiam: atque hoc esse Filium ad Patrem, quod quamdam potentiam ad potentiam, quod speciem ad genus, quod materiatum ad materiam, quod hominem ad animal, quod æreum sigillum ad æs (177). » Nonne plus quam Arius hic? Quis hæc ferat? quis non claudat aures ad voces sacrilegas? quis non horreat profanas novitates et vocum, et sensuum? Dicit etiam « Spiritum sanctum procedere quidem ex Patre et Filio, sed minime de Patris esse Filiivæ substantia (178). Unde ergo? an forte ex nihilo, sicut et universa quæ facta sunt? » Nam et ipsa ex Deo esse non diffitetur Apostolus, nec veretur dicere: *Ex quo omnia* (*Rom. xi, 56*). Quid igitur? dicemus ex Patre et Filio Spiritum sanctum non alio prorsus procedere modo, quam omnia, id est non essentialiter, sed creabiliter; ac perinde creatum sicut et omnia? aut numquid tertium inveniet sibi modum, quo eum ex Patre Filioque producat, homo qui nova semper inquit, et quæ non invenit fingit, affirmans ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt? « At si esset, » inquit, « de substantia Patris, profecto genitus esset, et duos Pater filios haberet. » Quasi vero omne quod de substantia aliqua est, continuo ipsum a quo est habeat genitorem. Num vero pediculi, aut lendes [*al. lentes*], aut phlegmata [*al. fleumata*], vel filii carnis sunt, vel non sunt de substantia carnis? aut vermes de ligno putrido prodeuntes, aliunde quam de ligni substantia sunt, qui tamen filii ligni non sunt? Sed et tinea de substantia pannorum substantiam habent, generationem non habent: et multa in hunc modum.

3. Miror autem hominem acutum et sciolum, ut quidem ipse sibi videtur, quomodo cum Spiritum 646 sanctum fateatur Patri et Filio consubstantialem, neget tamen ex Patris Filiique prodire substantia. Nisi forte illos ex ipsius procedere velit:

*falsa dixisse, quia in Theologia sua scripserit, Filium esse quamdam potentiam, Spiritum sanctum nullam?* etc. Tum probat id ab ipso Abælardo dictum, referendo ejus verba quasi ex Apologia, in qua modo ea non leguntur, uti nec ea quæ idem anonymus refert pag. 242. Sed Abælardus in Theologia sua de Filio docet in lib. I, pag. 991: *Est itaque divina Sapientia quædam divina potentia*, etc.; et in libro II de Filio et Spiritu sancto, ut mox notabimus.

(178) Abælardi verba hæc sunt in lib. I, pag. 1085: *Cum itaque tam Filius, quam Spiritus sanctus ex Patre sit, hic quidem genitus, ille procedens; differt in eo generatio ipsa a processione, quod is qui generatur, ex ipsa Patris substantia est, cum ipsa (ut dictum est) Sapientia, hoc est ipsum esse habeat, ut sit quædam potentia: ipse vero charitatis affectus magis ad benignitatem animi quam ad potentiam attingat. Unde bene Filius ex Patre gigni dicitur, hoc est, ex ipsa Patris substantia proprie dicitur esse, etc.* Immerito itaque, ne dicam impudenter, id a se prolatum inficiatur Abælardus in Apologia sua, atque malitiæ vel ignorantia imputat.

quod quidem inauditum est, et nefandum. Si autem nec is de illorum, nec illi de hujus substantia sunt; ubi, quæso, consubstantialitas? Aut ergo fateatur cum Ecclesia, Spiritum sanctum de substantia illorum esse, a quibus non negat procedere; aut certe cum Ario consubstantialitatem deneget, et prædicet aperte creationem. Deinde si Filius de substantia Patris est, Spiritus sanctus non est: differant necesse est a se invicem, non solum quia Spiritus sanctus genitus non est, quod Filius est; sed etiam quod Filius de substantia Patris est, quod Spiritus sanctus non est. Quam quidem posteriorem differentiam Catholica (179) huc usque nescivit. Si eam admittimus, ubi Trinitas, ubi Unitas? Siquidem Spiritu sancto Filioque nova a se differentiarum numerositate distantibus, unitas dissipatur: præsertim cum substantialem esse pateat differentiam, quam iste conatur inducere. Porro autem Spiritu sancto a Patris Filioque substantia recedente, non Trinitas remanet, sed dualitas. Neque enim dignum est in Trinitate admitti personam, quæ nil habeat in substantia commune cum reliquis. Desinat ergo Spiritus sancti processionem a Patris Filioque substantia separare; ne duplici impietate numerum et Trinitati minuat, et tribuat Unitati: quod utrumque fides abnuat christiana. Et ne de re tanta solis videar humanis inniti rationibus, legat epistolam Hieronymi ad Avitum: et certe videbit inter cæteras quas redarguit Origenis blasphemias, etiam hoc eum detestantem quod dixerit, Spiritum sanctum de substantia Patris non esse. Beatus Athanasius in libro de unita Trinitate ita loquitur: « Solum Deum ubi memoratus sum, non solum personam Patris indicavi: quia Filium et Spiritum sanctum de hac ipsa sola substantia Patris esse non abnegavi. » Hoc Athanasius.

## CAPUT II.

*In Trinitate non esse admittendam ullam disparitatem, sed omnimodam æqualitatem.*

4. Videt Sanctitas vestra, quomodo isto non disputante, sed dementante, et Trinitas non cohæret, et Unitas pendet; nec istud sane absque injuria majestatis. Quidquid namque illud est quod Deus sit, id sine dubio est, quo non possit majus aliquid cogitari (180). Si ergo in hac unica et summa majestate juxta considerationem personarum vel parum aliquid claudicare recipimus, dum quod uni plus datur, alteri minuitur; minus profecto est totum ab eo, quo nihil majus valeat cogitari. Majus enim sine dubio est quod totum maximum est, quam quod ex parte. Ille vero digne pro sua possibilitate divinam æstimat magnificentiam, qui nil in ea cogitat dispar, ubi est totum summum; nil distans, ubi

A totum est unum; nil hians, ubi totum est integrum; nil denique imperfectum vel egens, ubi totum est totum. Totum nempe est Pater, quod Pater et Filius et Spiritus sanctus; totum Filius, **647** quod ipse et Pater et Spiritus sanctus; totum Spiritus sanctus, quod et ipse et Pater et Filius. Et totum, unum est totum, nec superabundans in tribus, nec imminutum in singulis. Nec enim verum summumque bonum, quod sunt, inter se particulariter dividunt: quoniam nec participaliter id possident, sed hoc ipsum essentialiter sunt. Nam quod alter ex altero, vel alter ad alterum veracissime dicitur, personarum sane designatio est, non unitatis divisio. Licet namque in hac ineffabili et incomprehensibili Deitatis essentia, alter et alter (id quidem requiruntibus proprietatibus personarum) sobrie catholiceque dicatur; non tamen ibi est alterum, et alterum, sed simplex unum: ut nec præjudicium faciat Unitati Trinitatis confessio; nec proprietatum sit exclusio, vera assertio Unitatis. Tam longe proinde fiat a sensibus nostris, quam est et a regula veritatis execranda illa de genere et specie non similitudo, sed dissimilitudo (181); et nihilominus illa de ære æreoque sigillo: quoniam cum genus quidem et species, quod ad se invicem sunt, alterum superius, altera inferior sit, Deus autem unus sit; nunquam bene profecto conveniet tantæ æqualitati, et tantæ disparitati. Et rursus de ære, et quodam ære, quod est æreum sigillum, quoniam quod inde in eandem usurpatur similitudinis rationem, simile est huic, idem judicium. Cum enim species, ut dixi, minor sit et inferior genere, absit ut hanc in Patre et Filio diversitatem cogitemus; absit ut huic acquiescamus dicenti, hoc esse Filium ad Patrem, quod speciem ad genus, quod hominem ad animal, quod æreum sigillum ad æs, quod aliquam potentiam ad potentiam. Sunt quippe cuncta hæc, mutua suæ connexionione naturæ, ad se invicem superiora et inferiora: et ob hoc nulla prorsus admittenda similitudo ex his ad illud, ubi nihil est inæquale, nihil dissimile. Videtis de quanta vel imperitia, vel impietate descendat harum adinventio similitudinum.

## CAPUT III.

*Absurdum dogma Abælardi, nomina absoluta et essentialia uni personæ proprie et specialiter attribuentis, oppugnat.*

5. Adhuc advertite clarius quid sentiat, doceat, scribat. Dicit proprie et specialiter ad Patrem potentiam, ad Filium sapientiam pertinere: quod quidem falsum. Nam et Pater sapientia, et Filius potentia verissime sunt, sanissimeque dicuntur: et quod est commune amborum, non erit proprium singulorum. Alia illa sunt profecto vocabula, quæ non ad seipsos dicuntur, sed ad alterutrum: et

(179) Editi addunt *fides*, quod nomen deest in codicibus manuscriptis. Vox Augustino familiaris ad significandam catholicam fidem vel Ecclesiam, in Confession. passim, ut lib. v, cap. 14; lib. vi, cap. 4; lib. vii, cap. 1, et in libro contra Mendacium, cap. 7. Confer Bernardum, lib. iii de Consideratione, n. 5,

et sermones in Cantica 64 et 65, n. 8, ac 66 n. 4.

(180) Hanc de Deo notionem probat maxime Anselmus in Monologio et in Apologetico, statim ab initio.

(181) Legesis Guillelmi Sancti-Theoderici abbatis caput 2 contra Abælardum.

ideo est cuique suum, et non commune cum altero. Nam qui Pater est, Filius non est; et qui Filius est, Pater non est: quoniam non quod ad se, sed quod ad Filium Pater est, Patris nomine designatur; et item nomine Filii, non quod ad se Filius, sed quod est ad Patrem, exprimitur. Non sic potentia, non sic sapientia, neque alia multa, quæ ad se dicuntur: et Pater et Filius non singulariter, alter respectu alterius. « Non, » inquit, « sed ad proprietatem personæ Patris proprie vel specialiter invenimus omnipotentiam attingere, quod non solum cum cæteris duabus personis æque omnia efficere potest, verum etiam ipse solus a se, non ab alio existere habet: et sicut habet ex se existere, ita etiam ex se habet posse. » (ABÆLARDI *Theologiæ libro 1, pag. 990.*) O alterum Aristotelem! An non eadem ratione, si hoc ratio esset, et sapientia et benignitas propriè pertinerent ad Patrem: cum et sapere, et benignum esse, æque a se Pater, et non ab alio habeat, quemadmodum et esse, et posse? Quod si non abnuat (nec enim de ratione potest), quid, quæso, facturus est de illa nobili sua partitione, in qua ut Patri potentiam, sic Filio sapientiam, sic Spiritui sancto benignitatem propriè ac specialiter assignavit? Non enim una et eadem res propriè poterit convenire duobus, hoc est, ut cuique propria sit. Eligat quod vult: aut det sapientiam **648** Filio, et tollat eam Patri; aut Patri tribuat, et auferat Filio; et rursum benignitatem aut Spiritui sancto sine Patre, aut Patri sine Spiritu sancto assignet: aut certe desinat nomina communia propria facere, et Patri, quoniam a seipso habet potentiam, non ideo tamen audeat concedere propriam: ne et benignitatem simul et sapientiam, quas a se nihilo minus habet, identidem proprias ipsi sua ratione assignare cogatur.

6. Sed expectemus adhuc, et videamus, quam theorice noster theologus invisibilia Dei contempletur. Dicit, ut dixi, propriè omnipotentiam pertinere ad Patrem; atque hanc, ut sit integra et perfecta, in gerendo et discernendo constituit (182). Porro Filio, ut jam dictum est, assignat sapientiam, ipsamque non simpliciter quidem potentiam, sed quamdam in Deo potentiam esse definit, id est potentiam tantum discernendi. Forte timet injuriam facere Patri, si tantum tribuat Filio, quantum et ipsi: et cui non audet potentiam dare integram, concedit dimidiam. Et quod dicit, manifestis declarat exemplis, asserens potentiam discernendi, quæ est Filius, ita quamdam esse potentiam, quemadmodum homo quoddam est animal, et sigillum æreum quoddam est æs: atque hoc esse potentiam discernendi, ad gerendi discernendique potentiam, id est Filium ad Patrem, quod homo ad animal est, quod æreum sigillum ad æs. « Sicut enim, » inquit, « ex eo quod est æreum sigillum, exigat necessario ut æs sit; et

A ex eo quod est homo, ut animal sit, sed non e converso: ita divina sapientia, quæ est potentia discernendi, exigat quod sit divina potentia, sed non e converso. (ABÆLARDI *Theologiæ lib. II, pag. 1083.*) » Quid igitur? vis ut juxta tuam similitudinem, ad instar præcedentium, etiam ex hoc quod Filius est, exigat ut Pater sit; hoc est, ut qui Filius est, Pater sit, quanquam non e converso! Si hoc dicis, hæreticus es: si non dicis, vacat similitudo.

7. Ad quid enim tibi ipsam tantò circuitù de longe positis rebus, et minus convenientibus emendicas; tanto labore colligis, tanta inculcas inani multiplicitate verborum, tantis effers laudibus, si non facit ad quod adducitur, ut videlicet membra ad membra congruis proportionibus reducantur! Nonne hoc opus, hic labor est, ut per ipsam nos doceas eam, quæ est inter Patrem et Filium, habitudinem! Tenemus autem te docente ad hominis positionem poni animal, sed non e converso secundum regulam dialecticæ tuæ: qua non quidem positò genere ponitur species, sed posita specie ponitur genus. Cum ergo Patrem ad genus, Filium ad speciem referas; non id ratio similitudinis postulat; ut similiter positò Filio, Patrem poni ostendas, et non converti? ut quomodo qui homo est, necessario animal est, sed non convertitur; ita quoque qui Filius est necessario Pater sit, et æque non convertatur. Sed contradicit tibi in hoc catholica fides, quæ profecto utrumque recusat, tam Patrem videlicet esse qui Filius est, quam esse Filium qui Pater est. Nam alius procul dubio Pater, atque alius Filius: quamvis non aliud Pater, quam Filius. Nam per Alius et Aliud, novit pietas fidei caute inter personarum proprietates et individuam essentiæ unitatem discernere; et medium iter tenens, regia incedere via: ut nec declinet ad dexteram, confundendo personas; nec respiciat ad sinistram, substantiam dividendo. Quod si per simplex esse dicas vere consequi ut si Filius est, necessario Pater sit; nil te juvat, cum ratio relationis necessario exigat, ut convertatur, et eadem veritas comitetur conversam: quod non congruit adductæ de genere et specie, vel de ære, æreoque sigillo similitudini. Neque enim, sicut per simplex esse duntaxat verissime dicitur, Si Pater est, Filius est; et si Filius est, Pater est: ita etiam possumus inter hominem et animal, sive inter æreum sigillum et æs, in veritate convertibilem texere consequentiam. Nam etsi verum sit dicere, Si homo est, animal est: non tamen vera est conversa, qua dicitur, Si animal est, homo est. Et item si sigillum æreum est, necessario sequitur **649** ut æs sit; non tamen si æs sit, necessario sequitur ut sigillum æreum sit. Sed jam pergamus ad reliqua.

8. En juxta istum habemus omnipotentiam in Patre, quamdam potentiam in Filio: dicat nobis

(182) Eodem fere modo in Abælardum invehitur Gualterus episcopus Laudunensis in epistola ad eum, *Tomus II Spicilegii, pag. 475.*

etiam de Spiritu sancto quid sentiat. « Benignitas ipsa, » inquit, « quæ hoc nomine quod est Spiritus sanctus demonstratur, non est in Deo potentia, sive sapientia (ABÆLARDI *Theologiæ* libro II, pag. 1085). » Videbam. Satanam tanquam fulgur cadentem de cælo (*Luc. x, 18*). Sic debet cadere, qui ambulat in magnis et mirabilibus super se. Vides, Pater sancte, quas scalas, imo quæ præcipitia iste sibi paraverit ad ruinam. Omnipotentiam, semipotentiam, nullam potentiam. Ipso auditu horreo, et ipsum horrorem pulo sufficere ad refellendum. Verumtamen testimonium pono, quod turbato interim occurrit ad removendam Spiritus sancti injuriam. In Isaia legitur, *Spiritus sapientiæ, Spiritus fortitudinis* (*Isa. xi, 2*); per quod utique satis aperte istius audacia, etsi non comprimitur, vincitur tamen. O lingua magniloqua! Esto ut injuria Filii vel Patris remittatur tibi: numquid blasphemia Spiritus? Manet angelus Domini qui secet te medium: dixisti enim, « Non est Spiritus sanctus in Deo potentia, sive sapientia. » Ita pes superbiæ ruit cum irruit.

## CAPUT IV.

*Refellit definitionem fidei, qua dicit Abælardus fidem esse æstimationem.*

9. Nec mirum si homo, qui non curat quæ dicat, irruens in arcana fidei, thesauros absconditos pietatis tam irreverenter invadit atque discerpit; cum de ipsa pietate fidei nec pie, nec fideliter sentiat. Denique in primo limine Theologiæ, vel potius Stultilogiæ suæ, fidem definit æstimationem (*Theologiæ* libro I, pagg. 977 et 1061). Quasi cuique in ea sentire et loqui quæ libeat liceat; aut pendeant sub incerto in vagis ac variis opinionibus nostræ fidei sacramenta, et non magis certa veritate subsistant. Nonne si fluctuat fides, inanis est et spes nostra? Stulti ergo martyres nostri, sustinentes tam acerba propter incerta, nec dubitantes sub dubio remunerationis præmio durum per exitum diuturnum inire exsilium. Sed absit ut putemus in fide vel spe nostra aliquid, ut is putat, dubia æstimatione pendulum; et non magis totum quod in ea est, certa ac solida veritate subnixum, oraculis et miraculis divinitus persuasum, stabilitum et consecratum partu Virginis, sanguine Redemptoris, gloria resurgentis. Testimonia ista credibilia facta sunt nimis. Si quominus, ipse postremo Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod filii Dei sumus. Quomodo ergo fidem quis audeat dicere æstimationem, nisi qui Spiritum istum nondum accepit, quive Evangelium aut ignoret, aut fabulam putet? *Scio cui credidi, et certus sum*, clamat Apostolus (*II Tim. i, 12*): et tu mihi subsibilas, « Fides est æstimatio? » Tu mihi ambiguum garris, quo nihil est certius. Sed Augustinus aliter: « Fides, » ait, « non conjectando

vel opinando habetur in corde in quo est, ab eo cujus est; sed certa scientia, acclamante conscientia. » Absit ergo, absit ut hos fines fides habeat christiana. Academicorum sint istæ æstimationes, quorum est dubitare de omnibus, scire nihil. Ego vero securus in Magistri Gentium Sententiam pergo, et scio quoniam non confundar. Placet mihi, fateor, illius de fide definitio, etsi iste etiam ipsam latenter insimulet. *Fides est, ait, substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium* (*Hebr. xi, 1*). *Substantia*, inquit, *rerum sperandarum*, non inanium phantasia conjecturarum. Audis substantiam. Non licet tibi in fide putare, vel disputare pro libitu; non hac illacque vagari per inania opinionum, per devia errorum. Substantiæ nomine aliquid tibi certum fixumque præfigitur: certis clauderis finibus, certis limitibus coarctaris. Non est enim fides æstimatio, sed certitudo.

10. Sed advertite cætera. Omitto quod dicit spiritum 650 timoris Domini non fuisse in Domino; timorem Domini castum in futuro sæculo non futurum; post consecrationem panis et calicis, priora accidentia, quæ remanent, pendere in aere; dæmonum in nobis suggestiones contactu fieri lapidum et herbarum, prout illorum sagax malitia novit harum rerum vires diversas diversis incitandis et incendiis vitiis convenire; Spiritum sanctum esse animam mundi; mundum, juxta Platonem, tanto excellentius animal esse, quanto meliorem animam habet Spiritum sanctum. Ubi dum multum sudat, quomodo Platonem faciat christianum, se probat ethnicum. Hæc, inquam, omnia, aliasque istiusmodi nœnias ejus non paucas prætereo: venio ad graviora. Non quod vel ad ipsa cuncta respondeam; magis enim opus voluminibus esset: illa loquor quæ tacere non possunt.

## CAPUT V.

*Arguit Abælardum, sua sensu aut somnia unanimi Patrum sententiæ præferentem; præsertim ubi dicit Christum non ideo incarnatum, ut hominem liberaret de potestate Satanae.*

11. Mysterium nostræ redemptionis, sicut in libro quodam Sententiarum ipsius, et item in quadam ejus expositione Epistolæ ad Romanos legi (183), temerarius scrutator majestatis aggrediens, in ipso statim suæ disputationis exordio, ecclesiasticorum doctorum unam omnium de hac re dicit esse sententiam, et ipsam ponit ac spernit, et gloriatur se habere meliorem: non veritus contra præceptum Sapientis transgredi terminos antiquos, quos posuerunt patres nostri (*Prov. xxii, 28*). « Sciendum est, » ait, quod omnes doctores nostri post Apostolos in hoc conveniunt, quod diabolus dominium et

(183) Hoc argumentum attingit Abælardus lib. II Commentarii in Epistolam ad Romanos, quæstione prima: tunc infert pag. 553 et 554, *Si qua vero desunt perfectioni, Theologiæ nostræ tractatui reservamus. At mutila est Abælardi Theologiæ vulgata, in qua*

non inveni verba, quæ mox refert Bernardus, tametsi quæ hic irreverenter dicta contra Patres ex Abælardo memorantur, apud eum fere leguntur in Theologiæ lib. II, pag. 1118, ubi de potentia Dei; diserte vero in Abælardi capitulo IX, supra col. 1437.

potestatem habebat super hominem, et jure eum possidebat : ideo scilicet quod homo ex libertate arbitrii, quam habebat, sponte diabolo consensit. Aiunt namque, quod si quis aliquem vicerit, victus jure victoris servus constituitur. Ideo, inquit, « sicut dicunt doctores, hac necessitate incarnatus est Filius Dei, ut homo, qui aliter liberari non poterat, per mortem innocentis jure liberaretur a jugo diaboli. Sed, ut nobis videtur, » ait, « nec diabolus unquam jus aliquod in homine habuit, nisi forte Deo permittente, ut carcerarius : nec Filius Dei ut hominem liberaret, carnem assumpsit. » Quid in his verbis intolerabilius judicem, blasphemiam, an arrogantiam? quid damnabilius, temeritatem, an impietatem? An non justius os loquens talia sustibus tunderetur, quam rationibus refelleretur? Nonne omnium merito in se provocat manus, cujus manus contra omnes? Omnes, inquit, sic : sed non ego sic. Quid ergo tu? quid melius affers? quid subtilius invenis? quid secretius tibi revelatum jactas, quod tot præterierit sanctos, effugerit sapientes? Aquas furtivas et panes absconditos, puto, apponet nobis iste.

12. Dic tamen, dic quidquid illud est, quod tibi videtur, et nulli alteri. An quod Filius Dei non ut hominem liberaret, hominem induit? Hoc plane nemini, te excepto, videtur : tu videris ubi videris. Non enim hoc a sapiente, non a propheta, non ab apostolo, non denique ab ipso Domino accepisti. Magister Gentium accepit a Domino, quod et tradidit nobis (I Cor. xi, 23). Magister omnium suam doctrinam fatetur non esse suam : *Non enim, ait, a meipso loquor (Joan. vii, 16; xiv, 10).* Tu vero de tuo nobis tradis, et quod a nemine accepisti. Qui loquitur mendacium, de proprio loquitur (Joan. viii, 44). Tibi proinde sint, quæ tua sunt. Ego prophetas et apostolos audio, obedio Evangelio, sed non Evangelio secundum Petrum (184). Tu novum nobis condid Evangelium? Quintum Ecclesia evangelistam non recipit. Quid Lex, quid Prophetæ, quid Apostoli, quid apostolici viri nobis aliud evangelizant, quam quod solus tu negas, Deum videlicet factum hominem, **651** ut hominem liberaret? Et si angelus de celo aliud nobis evangelizaverit, anathema sit.

13. Sed qui venerunt post apostolos, doctores non recipis, homo qui super omnes docentes te intellexisti. Denique non erubescis dicere, quod adversum te omnes sentiant, cum ab invicem non dissentiant. Frustra proinde illorum tibi fidem doctrinamque proponerem, quos jam proscripsisti : ad Prophetas te ducam. Loquitur sub typo Jerusalem ad populum acquisitionis, non propheta, sed in propheta, Dominus, dicens : *Salvabo te, et liberabo te, noli timere (Soph. iii, 16, 17).* Quæris a qua potestate? Non enim vis ut diabolus in hominem habeat, vel habuerit potestatem : fateor, nec

ego. Non tamen idcirco non habet, quia ego et tu hoc volumus. Hoc si non confiteris tu, nec cognoscis : cognoscunt et dicunt *qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici.* Quod minime negares et tu, si non esses sub manu inimici. Non potes gratias agere cum redemptis, qui redemptus non es. Nam si redemptus esses, Redemptorem agnosceres, et non negares redemptionem. Nec quærit redimi, qui se nescit captivum. Qui autem scierunt, *clamaverunt ad Dominum, et Dominus exaudivit eos, et redemit eos de manu inimici.* Et ut intelligas hunc inimicum qui sit, *Quos redemit, ait, de manu inimici, de regionibus congregavit eos (Psal. cvi, 2, 6).* Sed primum quidem agnosce hunc congregatorem; de Caiphas prophetat in Evangelio, quia Jesus moreretur pro gente. Et qui narrat, sequitur dicens : *Non tantum pro gente; sed ut filios Dei, qui erunt dispersi, congregaret in unum (Joan xi, 51, 52).* Quos erant dispersi? In omnes regiones. Ergo quos redemit, de regionibus congregavit eos. Non congregaret, nisi redimeret. Erant enim non solum dispersi; sed et captivi. Redemit, et congregavit : *redemit autem de manu inimici.* Non dicit, inimicorum; sed; *inimici.* Inimicus unus, regiones multæ. Siquidem non de regione, sed *de regionibus congregavit eos, a solis ortu et occasu, ab aquilone et mari (Psal. cvi, 3).* Quis iste unus tam potens dominus, qui non uni præfuit regioni, sed omnibus? Non alius, ut arbitrator, quam ille, qui ab alio propheta dicitur absorbere fluvium, id est genus humanum, et non mirari : habere autem fiduciam, quod et Jordanis; hoc est electio ipsa, influat in os ejus (Job xl, 18). Beati qui sic influunt ut effluent, qui sic intrant ut exeant.

14. Sed quid? Nondum forte credis Prophetis, sic sibi concinentibus de diaboli potestate in hominem. Veni mecum et ad Apostolos. Dixisti nempe te non sentire cum illis qui post Apostolos venerunt. Assentias vel Apostolis, si forte et tibi contingat quod unus eorum loquitur de quibusdam : *Nequando, inquit, det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, ut resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem (II Tim. xv, 26).* Paulus est iste, qui homines a diabolo captivos terneret ad ejus voluntatem. Audis *ad ejus voluntatem, et negas potestatem?* Si et Paulo non credis, veni jam ad ipsum Dominum; si forte audias, et quiescas. Nempe ab ipso appellatur *Princeps hujus mundi (Joan. xiv, 30), et fortis armatus (Luc. xi, 21),* possessorque vasorum (Matth. xii, 29) : et dicis eum non habere potestatem in hominibus? Nisi tu aliud putas hoc loco intelligi atrium, quam mundum; vasa, quam homines. Quod si atrium diaboli, mundus erat; et homines vasa ejus; quomodo non dominabatur hominibus? ait item Dominus capientibus se : *Hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum (Luc. xxii, 53).* Potestas ista non latuit illam

qui dicebat : *Qui eruit nos de potestate tenebrarum, A et transtulit in regnum Filii claritatis suæ (Coloss. 1, 13)*. Hanc ergo Dominus ne in se quidem negavit diaboli potestatem, sicut nec Pilati, qui membrum erat diaboli. Ait siquidem : *Non haberes potestatem in me ullam, nisi data tibi fuisset desuper (Joan. xix, 11)*. Quod si in viride lignum in tantum grassata est ista desuper data potestas, aridum quomodo non fuit ausa contingere? Nec injustam puto iste causabitur potestatem datam desuper. Discat ergo diabolus non solum potestatem, sed et justam habuisse in homines : ut consequenter et hoc videat, venisse utique **652** in carne Dei Filium propter liberandos homines. Cæterum etsi justam dicimus diaboli potestatem, non tamen et voluntatem. Unde non diabolus qui invasit; non homo qui meruit : **B** sed justus Dominus qui exposuit. Non enim a potestate, sed a voluntate justus injustusve quis dicitur. Hoc ergo diaboli quoddam in hominem jus, etsi non jure acquisitum, sed nequiter usurpatum; juste tamen permissum. Sic itaque homo juste captivus tenebatur, ut tamen nec in homine, nec in diabolo illa esset justitia, sed in Deo.

## CAPUT VI.

*In opere liberationis humanæ non solum misericordiam, sed et justitiam relucere.*

15. Juste igitur homo addictus, sed misericorditer liberatus; sic tamen misericorditer, ut non defuerit justitia quædam et in ipsa liberatione : quoniam hoc quoque fuit de misericordia liberantis, ut (quod congruebat remediis liberandi) justitia magis **C** contra invasorem, quam potentia uteretur. Quid namque ex se agere poterat, ut semel amissam justitiam recuperaret homo servus peccati, vinculus diaboli? Assignata est ei proinde aliena, qui caruit sua; et ipsa sic est. Venit princeps hujus mundi, et in Salvatore non invenit quidquam : et cum nihilominus innocenti manus injecit, justissime quos tenebat amisit : quando is qui morti nihil debebat, accepta mortis injuria, jure illum, qui obnoxius erat, et mortis debito, et diaboli solvit dominio. Qua enim justitia id secundo homo exigeretur? Homo siquidem qui debuit, homo qui solvit. Nam *si unus, inquit, pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt (II Cor. v, 14)* : ut videlicet satisfactio unius **D** omnibus imputetur, sicut omnium peccata unus ille portavit; nec alter jam inveniatur qui forefecit (185), alter qui satisfecit : quia caput et corpus unus est Christus. Satisfecit ergo caput pro membris, Christus pro visceribus suis, quando juxta Evangelium Pauli, quo convincitur mendacium Petri (186), mortuus pro nobis *convivificavit nos sibi, donans nobis omnia delicta, delens quod adversum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis; et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, exspolians principatus et potestates (Coloss. II, 13, 14)*.

16. Utinam ego inveniar in his spoliis, quibus spoliatae sunt contrariae potestates, traductus et ipse in possessionem Domini! Si me insecutus Laban arguerit, quod recesserim clam ab eo, audiat clam me accessisse ad eum, et ob hoc clam recessisse. Subjecit me illi causa secretior peccati : subduxit me illi ratio occultioris justitiæ. Aut si gratis venundatus sum, gratis non redimar? Si Assur sine causa calumniatus est mihi, sine causa causam exigit evasionis. Quod si dixerit, Pater tuus addixit te; respondebo, Sed frater meus redemit me. Cur non aliunde justitia, cum aliunde reatus? Alius qui peccatorem constituit, alius qui justificat a peccato; alter in semine, alter in sanguine. An peccatum in semine peccatoris, et non justitia in Christi sanguine? Sed justitia, inquiet, sit cujus est : quid ad te? Esto. Sed sit etiam culpa cujus est : quid ad me? An justitia justis super eum erit, et impietas impii non erit super eum? Non convenit filium portare iniquitatem patris, et fraternæ fieri exsortem justitiæ. Nunc ergo per hominem mors, et per hominem vita. Sicut enim *in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo vivificabuntur (I Cor. xv, 21, 22)* : quoniam non sic illi attineo, ut non et isti. Si illi per carnem; et per fidem huic : et si infectus ex illo originali concupiscentia; etiam Christi gratia spiritali perfusus sum. Quid mihi plus imputatur de prævaricatore? Si generatio, regenerationem oppono : nisi quod spiritalis est ista, illa carnalis, nec patitur ratio æquitatis ut ex æquo contendat : sed vincat necesse est spiritus carnem, et sit efficacior causa, cujus potior est et natura; quo plus videlicet prosit generatio secunda, quam prima nocuerit. Sane pervenit delictum ad me, sed pervenit et gratia. **653** *Et non sicut delictum, ita et donum. Nam judicium ex uno in condemnationem; gratia autem ex multis delictis in justificationem (Rom. v, 16)*. A primo homine manavit delictum, a summo cælo egressio gratiæ. Utrumque a parente, illud a primo, ista a summo. Terrena nativitas perdit me : et non multo magis generatio cælestis conservat me? Nec vereor sic erutus de potestate tenebrarum repelli a Patre luminum, justificatus gratis in sanguine Filii ejus. Nempe ipse qui justificat : quis est qui condemnet? Non condemnabit justum, qui misertus est peccatori. Justum me dixerim, sed illius justitia. Quænam ipsa? *Finis legis Christus, ad justitiam omni credenti (Rom. x, 4)*. Denique *qui factus est nobis, inquit, justitia a Deo Patre (I Cor. I, 30)*. Quæ ergo mihi justitia facta est, mea non est? Si mea traducta culpa, cur non et mea indulta justitia? Et sane mihi tutior donata, quam innata. Nam ista quidem gloriam habet, sed non apud Deum : illa autem, cum sit salutis efficax, materiam non habet gloriandi nisi in Domino. Nam *etsi justus fuero, inquit, non levabo caput (Job x, 15)*; ne videlicet responsum acci-

(185) Id est offendit, peccavit, quasi *facere foras*, id est extra rationem, ex Glossario Cangiano et aliis.  
(186) Abelardi.

piat: *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? (I Cor. iv, 7.)*

### CAPUT VII.

*Abælardum perstringit, impie ac temere Dei secreta scrutantem et extenuantem.*

17. Hæc est justitia hominis in sanguine Redemptoris: quam homo perditionis exsufflans et subsannans, in tantum evacuare conatur, ut totum quod Dominus gloriæ semetipsum exinanivit, quod minoratus est ab Angelis, quod natus de femina, quod conversatus in mundo, quod expertus infima, quod passus indigna, quod demum per mortem crucis in sua reversus: ad id solum putet et disputet redigendum, ut traderet hominibus formam vitæ vivendo et docendo, patiundo autem et moriundo charitatis metam præfigeret. Ergo docuit justitiam, et non dedit; ostendit charitatem, sed non infudit; et sic rediit in sua? Itane hoc totum est *magnum illud pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria? (I Tim. iii, 16.)* Incomparabilis doctor, qui etiam profunda Dei sibi aperiens, et ea quibus vult lucida et pervia faciens, altissimum sacramentum, et mysterium absconditum a sæculis, sic nobis suo mendacio planum et apertum reddit, ut transire leviter per illud possit quivis, etiam incircumcisis et immundis: quasi Dei sapientia cavere nescierit aut neglexerit quod ipsa prohibuit, sed dederit et ipsa sanctum canibus, et margaritas porcis. Sed non est ita. Nam etsi manifestatum est in carne, sed tamen justificatum est in spiritu: ut et spiritualibus spiritualia conferantur; et animalis homo non percipiat quæ sunt spiritus Dei; nec fides nostra sit in sapientia verbi, sed in virtute Dei. Unde Salvator ait, *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis (Matth. xi, 25);* et Apostolus: *Etsi, inquit, opertum est Evangelium meum, in his est opertum qui pereunt (II Cor. iv, 5).*

18. Denique advertite hominem irridentem quæ sunt spiritus Dei, quoniam stultitia illi videntur; et insultantem Apostolo loquenti Dei sapientiam in mysterio absconditam; invehentem in Evangelium, Dominum blasphemantem. Quam prudentius quod non valet comprehendere, credere dignaretur, nec auderet contemnere, aut conculcare sacrum reverendumque mysterium. Longum est ad omnes ejus ineptias et calumnias, quas divino struit consilio, respondere. Pauca tamen infero, e quibus cætera æstimentur. « Cum solos, » inquit, « electos liberaverit Christus, quomodo eos **654** diabolus possidebat, sive in hoc sæculo, sive in futuro magis,

A quam modo (187)? » Respondemus: Imo quia diabolus elector Dei possidebat, a quo, sicut dicit Apostolus, captivi tenebantur ad ipsius voluntatem (*II Tim. ii, 26*): ut Dei propositum de ipsis impleretur, opus fuit liberatore. Oportuit autem liberari in hoc sæculo, ut liberos haberent in futuro. Deinde infert: « Nunquid etiam pauperem illum, qui in sinu Abrahæ requiescebat, sicut et divitem damnatum, diabolus cruciabat; aut etiam in ipsum Abraham dominium habebat, cæterosque electos? » Non: sed habuisset, si non liberati fuissent fide venturi, sicut de ipso Abraham scriptum est: *Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam (Gen. xv, 6);* item: *Abraham exsultavit ut videret diem meum; et vidit, et gavisus est (Joan. xviii).* Propterea jam tunc sanguis Christi rorabat etiam Lazaro ne flammam sentiret: quod et ipse credidisset in eum qui erat passurus. Sic de omnibus electis illius temporis sentiendum, natos quidem et ipsos, æque ut nos, sub potestate tenebrarum, propter originale peccatum: sed erutos antequam morerentur, et non nisi in sanguine Christi. Scriptum est enim (188): *Turbæ autem quæ præcedebant, et quæ sequebantur, clamabant dicentes: Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini (Matth. xxi, 9).* Ergo Christo in carne venienti, et antequam veniret, et post, benedictum est a turbis benedictorum: quamvis præeuntes plenam minime tunc consecuti sint benedictionem, servata nimirum hac prærogativa temporis gratiæ.

### CAPUT VIII.

*Quare Christus tam gravem ac laboriosum nos liberandi modum suscepit, cum sola ejus voluntas seu jussio sufficeret.*

19. Deinde laborans docere et persuadere, diabolus nullum sibi jus in hominem vindicare potuisse aut debuisse, nisi permissu Dei, et quod sine injuria diaboli jure Deus profugum suum, si vellet misereri, repetere, et solo verbo eripere posset, quasi hoc quis diffiteatur, post multa aliquando infert: « Quæ itaque necessitas, aut quæ ratio, aut quod opus fuit, cum sola jussione sua, divina miseratio liberare hominem a peccato posset; propter redemptionem nostram Filium Dei carne suscepta, tot et tantas inedias, opprobria, flagella, sputa, denique ipsam crucis ignominiosam et asperrimam mortem sustinere, ut cum iniquis patibulum sustineret (189). » Respondemus: Necessitas nostra fuit, et necessitas dura sedentium in tenebris et umbra mortis. Opus, æque nostrum, et Dei ipsius, et sanctorum Angelorum. Nostrum, ut auferret jugum captivitatis nostræ: suum, ut impleretur propositum voluntatis ejus: Angelorum, ut numerus impleretur eorum. Porro ratio hujus facti fuit dignatio facientis. Quis negat Omnipotenti ad manum fuisse alios et alios

(187) Hæc quidem apud Abælardum lib. 2 in Epist. ad Romanos, pag. 550, sed quæstionem proponendo, non asserendo, uti et ea quæ sequuntur.

(188) Hunc contextum in eam rem etiam adducit Abælardus pag. 555.

(189) Et hæc ipsa verba leguntur apud Abælardum eodem in loco, pag. 552. Sed interrogandi modo: tametsi ejus solutio, quæ subsequitur, ab hac doctrina, non recedit. Ergo malignas ejusmodi quæstiones sensit Bernardus.

modos nostræ redemptionis, justificationis, liberationis? Verum hoc non præjudicat hujus, quem e multis elegit, efficaciam. Et fortasse is præstat, per quem in terra oblivionis, gravedinis, lapsus nostri, tot et tantis gravaminibus Reparatoris fortius et vivacius admoneremur. Alias autem nemo hominum novit, nec noscere ad plenum potest, quid boni ad gratiam, quid congruentiæ ad sapientiam, quid decori ad gloriam, quid commodi ad salutem, penes se ipsam contineat hujus venerandi mysterii inscrutabilis altitudo: quam propheta considerans expavit, non penetravit (*Habac. iii, 2*, juxta LXX); et præcursor Domini indignum se judicavit qui penetraret (*Joan. i, 27*).

20. Cæterum si non licet perscrutari divinæ sacramentum voluntatis, licet tamen sentire effectum operis, fructum utilitatis percipere. Et quod licet scire, non licet tacere: quia *gloria regum celare verbum, et gloria Dei investigare sermonem* (190) (*Prov. xxv, 27*). Fidelis sermo, et omni acceptione dignus! quoniam cum adhuc peccatores essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus (*Rom. v, 10*). **655** Ubi reconciliatio, et remissio peccatorum. Nam si, dicente Scriptura, *Peccata nostra separant inter nos et Deum* (*Isai. lix, 2*), manente peccato, non est reconciliatio. In quo ergo remissio peccatorum? *Hic calix*, inquit, *novi testamenti in meo sanguine, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum* (*Matth. xxvi, 28*; *Luc. xxii, 20*). Itaque ubi reconciliatio, ibi remissio peccatorum. Et quid ipsa, nisi justificatio? Sive igitur reconciliatio, sive remissio peccatorum, sive justificatio sit; sive etiam redemptio, vel liberatio de vinculis diaboli a quo captivi tenebamur ad ipsius voluntatem: intercedente morte Unigeniti obtinemus, justificati gratis in sanguine ipsius; in quo, sicut idem dicit, *habemus redemptionem per sanguinem ejus et remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ ejus* (*Ephes. i, 7*). Cur, inquis, per sanguinem, quod potuit facere per sermonem? Ipsum interroga. Mihi scire licet quod ita: cur ita, non licet. Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit: *Quid me finxisti sic!*

21. Sed hæc stultitia ei videntur; non potest tenere risum. Audite cachinnos. « Quomodo, » ait (191), « justificari nos vel reconciliari Deo per mortem Filii ejus dicit Apostolus, qui tanto amplius adversus hominem irasci debuit, quanto amplius homines in crucifigendo Filium suum deliquerunt, quam in transgrediendo primum ejus præceptum unius pomi gustu? » Quasi non potuerit Deo in uno eodemque et facto displicere iniquitas malignantium, et placere pietas patientis. Et ait: « Quod si tantum fuerat

A illud Adæ peccatum, ut expiari non posset nisi morte Christi, quam expiationem habebit ipsum homicidium, quod in Christo commissum est? » Breviter respondemus, ipsum sanguinem quem fuderunt et interpellationem ipsius quem occiderunt. Addit etiam: « Nunquid mors innocentis Filii in tantum Deo Patri placuit, ut per ipsam reconciliaretur nobis, qui hoc peccando commisimus, propter quod innocens Dominus est occisus: nec nisi hoc maximum fieret peccatum, illud multo levius potuit ignoscere? » Non mors, sed voluntas placuit sponte morientis, et illa morte expungentis mortem operantis salutem, restituentis innocentiam, triumphantis principatus et potestates, spoliantis inferos, ditantis superos, pacificantis quæ in cælo sunt et quæ in terra, omnia instaurantis. Et quoniam hæc tam pretiosa mors, voluntarie suscipienda adversus peccatum, non tamen poterat fieri nisi per peccatum, non delectatus quidem, sed tamen bene usus malitia sceleratorum, et mortem de morte, et de peccato damnavit peccatum. Et quanto illorum major iniquitas, tanto ejus voluntas sanctior, et eo potentior, ad salvandum: quatenus tanta mediante potentia antiquum illud, quamvis grande peccatum, necessario tamen huic, quod in Christo commissum est, cederet, tanquam minus majori. Nec peccato sive peccantibus ascribitur hæc victoria; sed bene utenti peccato, et peccantes fortiter perferenti, et convertenti in usum pietatis, quidquid in ipsum ausa est crudelitas impiorum.

C 22. Fuit vero sanguis qui effusus est, tam multus ad ignoscendum, ut ipsum quoque peccatum maximum, quo factum est, ut effunderetur, deleret; ac per hoc de antiqui illius, utpote levioris, deletione nullam omnino dubietatem relinqueret. Deinde iste: « Cui vero, » inquit, « non crudele et iniquum videtur, ut sanguinem innocentis in pretium aliquod quis requisierit, aut ullo modo ei placuerit innocentem interfici; nedum Deus tam acceptam Filii mortem habuerit, ut per ipsam universo reconciliatus sit mundo? » Non requisivit Deus Pater sanguinem Filii, sed tamen acceptavit oblatum; non sanguinem sitiens, sed salutem, quia salus erat in sanguine. Salus plane, et non, sicut iste sapit et scribit, sola charitatis ostensio. **656** Sic enim concludit tot calumnias et invectiones suas, quas in Deum tam impie, quam imperite evomuit, ut dicat: « Totum esse quod Deus in carne apparuit, nostram de verbo et exemplo ipsius institutionem, sive, ut postmodum dicit, instructionem; totum quod passus et mortuus est, suæ erga nos charitatis ostensionem vel commendationem (192). »

(190) Nunc contrario sensu locum hunc Vulgata legi.

(191) Hæc omnia quæ hic ex Abælardo referuntur, interrogantis sunt, pag. 552 et 555. Et merito quidem hæc tanquam Abælardi placita refert Bernardus, cum in solutione ea non diluat, sed approbare videatur. Idem censent Theologi Parisienses initio operum Abælardi. Et sane Abælardus non negavit hanc suam

fuisse mentem, nec id sibi (quod in aliis solet) per calumniam impositum causatur: sed opposito testimonio emendavit in Apologia sua, his verbis: *Solum Filium Dei incarnatum profiteor, ut nos a servitute peccati et a iugo diaboli liberaret, et supernæ aditum vitæ morte sua reseraret.*

(192) Hæc et quæ sequuntur ad sensum invenio in solutione pag. 555 et pag. 584, non de verbo.



## CAPUT IX.

*Christum venisse in mundum, non solius instructionis nostræ, sed et liberationis causa.*

23. Cæterum quid prodest quod nos instituit, si non restituit? Aut nunquid frustra instruimur, si non prius destruat in nobis corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato? Si omne quod profuit Christus, in sola fuit ostensione virtutum; restat ut dicatur, quod Adam quoque ex sola peccati ostensione nocuerit: siquidem pro qualitate vulneris allata est medicina. *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur (I Cor. xv, 22).* Ergo sicut hoc, ita et illud. Si vita, quam dat Christus, non est alia, quam institutio ejus; nec mors utique, quam dedit Adam, alia erit similiter quam institutio ejus: ut ille quidem ad peccatum exemplo suo, hic vero exemplo et verbo ad bene vivendum, et se diligendum homines informarent. Aut si christianæ fidei, et non hæresi Pelagianæ acquiescentes, generatione, non institutione traductum in nos confitemur Adæ peccatum, et per peccatum mortem; fateamur necesse est, et a Christo nobis, non institutione, sed regeneratione restitutam justitiam, et per justitiam vitam: *ut sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ (Rom. v, 18).* Et si ita est, quomodo is dicit, « consilium et causam incarnationis fuisse, ut mundum luce suæ sapientiæ illuminaret, et ad amorem suum accenderet. » Ubi ergo redemptio? A Christo nempe ut lateri dignatur, illuminatio et provocatio ad amorem: redemptio et liberatio a quo

24. Esto quod Christi adventus illis prosit, qui se illi possunt conformare per vitam, et vicem ei dilectionis rependere: quid de parvulis? quam dabit lucem sapientiæ vix adhuc captantibus lucem vitæ? unde accendet [*al. ascendent*] ad Dei amorem, qui necdum matres suas amare noverunt? Nihilne proderit eis adventus Christi? nihil quod complantati sunt similitudini mortis ejus per Baptismum; quoniam nondum possunt, prohibente ætate, Christum sapere aut amare? « Redemptio itaque, » ait, « nostra est; illa summa in nobis per Christi passionem dilectio. » Ergo parvuli non habent redemptionem, quia non habent summam illam dilectionem. An sicut non habent unde diligant, ita nec unde pereant, ut non sit eis in Christo necessaria regeneratio, utpote quibus generatio ex Adam nihil nocuerit? Si hoc sapit, cum Pelagio desipit. Quidquid horum sentiat, patet quantum humanæ sacramento salutis invidet; quantum, quod in ipso

A est, evacuet alti dispensationem mysterii, qui totum de salute tribuit devotioni, regenerationi nihil: qui nostræ gloriam redemptionis, et summam salutis, non in virtute crucis, non in pretio sanguinis, sed in nostræ constituit conversationis profectibus. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi (*Galat, vi, 14*), in qua est salus, vita et resurrectio nostra.

25. Et quidem tria quædam præcipua in hoc opere nostræ salutis intueor: formam humilitatis, in qua Deus semetipsum exinanivit; charitatis mensuram, quam usque ad mortem, et mortem crucis extendit; redemptionis sacramentum, quo ipsam mortem, quam pertulit, sustulit. Horum duo priora sine ultimo sic **657** sunt, ac si super inane pingas. B Magnum profecto et valde necessarium humilitatis, magnum et omni acceptione dignum charitatis exemplum: sed non habent fundamentum, ac proinde nec statum, si desit redemptio. Volo totis nisibus humilem sequi Jesum; cupio eum qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me, quibusdam brachiis vicariæ dilectionis amplecti: sed oportet me et Agnum manducare paschalem. Nisi enim manducavero carnem ejus, et bibero ejus sanguinem, non habebo vitam in memetipso. Aliud sequi Jesum, aliud tenere, aliud manducare. Sequi, salubre consilium; tenere et amplecti, solemne gaudium; manducare, vita beata. Caro enim ejus vere est cibus, et sanguis ejus vere est potus. Panis est Dei qui de cælo descendit, et dat vitam mundo (*Joan. vi, 56, 33*). C Quis status gaudio, sive consilio, absque vita? Nempe haud alius quam picturæ jabsque solido. Ergo nec humilitatis exempla, nec charitatis insignia, præter redemptionis sacramentum, sunt aliquid.

26. Hæc, Domine, Pater, de labore manuum pueri vestri qualiacunque tenetis, adversus pauca quidem novæ hæreseos capitula: ubi etsi non aliud quam zelum agnoscitis meum, tamen propriæ interrim conscientiæ satisfeci. Nam cum non esset quod agerem pro injuria fidei quam dolebam; operæ mihi pretium arbitror, si illum monui, cujus arma potentia a Deo ad destructionem contrariarum assertionum, ad destruendam omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigendum omnem intellectum in obsequium Christi. Sunt et alia in aliis ejus scriptis non pauca, nec minus mala capitula, ad quæ nec temporis, nec epistolæ angustia respondere permittit. Quanquam nec necessarium putem, cum sint adeo manifesta, ut ipsa etiam vulgata fide facile refellantur. Collegi tamen aliqua, et transmisi.

# S. BERNARDI ABBATIS

LIBER

## DE VITA ET REBUS GESTIS S. MALACHIÆ (193)

HIBERNIÆ EPISCOPI,

### 658 PRÆFATIO AD CONGANUM ABBATEM.

1. Semper quidem operæ pretium fuit illustres Sanctorum describere vitas, ut sint in speculum et exemplum, ac quoddam veluti condimentum vitæ hominum super terram. Per hoc enim quodammodo apud nos etiam post mortem vivunt, multosque ex his, qui viventes mortui sunt, ad veram provocant et revocant vitam. Verum nunc maxime id requirit raritas sanctitatis, et nostra plane ætas inopis virorum. Quam sane inopiam super nos adeo invaluisse sentimus, ut nulli sit dubium illa sententia nos feriri: *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum (Matth. xxiv, 12)*. Et ut suspicor ego, aut præsto, aut prope est, de quo scriptum est: *Faciem ejus præcedet egestas (Job xli, 13)*. Ni fallor, Antichristus est iste, quem fames et sterilitas totius boni et præit, et comitatur. Sive igitur nuntia jam præsentis, sive jamjamque adfuturi prænuntia, egestas in evidenti est. Taceo vulgus, taceo vilem filiorum hujus sæculi multitudinem: in ipsas Ecclesiæ columnas volo oculos leves. Quem mihi ostendas vel de illorum numero, qui videntur dati in lucem gentium, non magis de sublimi fumantem, quam flammantem? *Et si lumen quod in te est, inquit, tenebræ sunt, quantæ sunt tenebræ? (Matth. vi, 23)*. Nisi tu illos forte (quod non credo) lucere dixeris, qui quæstum æstimant pietatem; qui in hæreditate Domini, non quæ Domini, sed magis quæ sua sunt, quæritant. Quid dico, quæ sua sunt? Perfectus sit et sanctus etiam sua quærens, suaque retinens, si ab alienis cor manusque contineat. Meminerit tamen, qui sibi usque huc forte pervenisse videtur, eundem exigui sanctitatis gradum et ab ethnico. An non milites suis jubentur contenti forte stipendiis, ut salvi fiant? (*Luc. iii, 14*.) Magnum vero Ecclesiæ doctore, si sit sicut unus militum: aut certe (quod ad illorum improprium propheta loquitur) *sicut populus, ita et sacerdos (Isa. xxiv, 2)* fuerit! O deformitatem! itane summus merito reputandus erit, qui a summo corruens gradu, hærebit vix infimo, ne ab abisso absorbeat? Quam rarus tamen iste ipse in clero? Quem item das mihi contentum necessariis, contemptorem superfluum? Lex est tamen præfixa ab Apostolis Apostolorum successoribus: *Victum et vestitum ha-*

*A bentes, inquit, his contenti simus (I Tim. vi, 8)*.

Ubi forma hæc? In libris cernimus eam, sed non in viris. Habes vero de justo, quia *lex Dei ejus in corde ipsius (Psal. xxxvi, 31)*, et non in codice. Nec perfectionis is gradus. Perfectus carere et necessariis paratus est. At gratis istud. Utinam superfluis ponatur modus! utinam non cupiamus in infinitum? Sed quid? Forte reperias, qui hoc possit? Id quidem difficile: sed vide quid egimus. Quærebamus virum optimum, multorum liberatorem: et ecce laboramus in inveniendo, qui se ipsum salvum facere possit. Optimus hodie est, qui non est nimis malus.

2. Unde quoniam a terra defecit sanctus, videor mihi non supervacue ex his qui empti sunt de terra, revocare ad medium Malachiam episcopum, virum vere sanctum, et nostrorum quidem temporum, singularis sapientiæ et virtutis. Iste erat lucerna ardens et lucens: nec extincta est tamen, sed submota. Quis mihi jure succenseat, si readmovero eam? Imo vero non est quod mihi ingrati esse mei sæculi homines debeant, et omnis deinceps generatio ventura, si quem conditio tulit, revocem stilò; si mundo restituam, quo dignus non erat mundus; si servem memoriæ hominum hominem, cujus memoria in benedictione sit omnibus, qui legerè dignabuntur; si me excitante amicum dormientem, vox turturis audita fuerit in terra nostra, dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (Matth. xxviii, 20)*. Deinde sepultus apud nos est: nobis specialiter hoc opus incumbit. Quid quod me inter speciales amicos Sanctus ille habebat, et eo loci, ut nulli in hac parte gloriæ secundum fuisse me credam? Nec mercede vacat mihi tantæ familiaritas sanctitatis: primitias jam accepi. In extremis positus erat, imo in principiis, juxta illud: *Cum consummatus fuerit homo, tunc incipit (Eccli. xviii, 6)*. Accurri ego, ut benedictio morituri super me veniret. At ille cum jam membra alia movere non posset, fortis ad dandam benedictionem, elevatis sanctis manibus super caput meum, benedixit mihi, et benedictionem hæreditate possideo: et quomodo ego illum silere queam? Postremo tu id mihi, abba Congane, injungis, reverendus frater, et dulcis amicus meus, ac tecum pariter (ut ex Hibernia

scribis) vestra illa omnis ecclesia sanctorum. Libens obedio, præsertim quod non eloquium exigitis, sed narrationem. Dabo vero operam, ut ea sit pura et luculenta, devotos informans; fastidiosos non onerans. Sane narrationis veritas secunda apud me est, intimata a vobis, haud alia procul dubio protestantibus, quam quæ certissime comperta sunt vobis.

### 659 CAPUT I.

#### *Pueritia et adolēsentia S. Malachiae.*

1. Malachias noster, ortus Hibernia de populo barbaro, ibi educatus, ibi litteras edoctus est. Cæterum de natali barbarie traxit nihil, non magis quam de sale materno pisces maris. Quam vero suave, quod inculta nobis barbaries tam urbanum protulit civem sanctorum, et domesticum Dei! Qui producit mel de petra, oleumque de saxo durissimo, ipse fecit hoc. Parentes tamen illi fuere genere et potentia magni, juxta nomen magnorum qui sunt in terra. At mater mente, quam sanguine generosior, satagebat in ipso initio viarum suarum, notas parvulo facere vias vitæ: hanc pluris illi existimans ventosa scientia litteraturæ sæcularis. Ad utramque tamen huic non defuit ingenium pro ætate. In scholis litteras, domi timorem Domini docebatur, et quotidianis profectibus respondebat ambobus satis, magistro et matri. Nempe a principio spiritum sortitus est bonum, per quem erat puer docilis, et amabilis valde, mire admodum omnibus per omnia gratosus. Bibebat autem pro lacte de pectore materno aquas sapientiæ salutaris, et fiebat in dies se ipso prudentior. Prudentior, dicam, an sanctior? Utrumque si dixero, non me poenitebit: veritatem enim dicam. Agebat senem moribus, annis puer, expers lasciviæ puerilis. Cumque ex hoc cunctis esset reverentiæ ac stupori, non tamen inde, ut assolet, insolentior inveniebatur; sed magis quietus et subditus in omni mansuetudine. Non impatiens magisterii, non fugitans disciplinæ, non lectionis fastidians, non ludorum denique appetens: quod vel maxime illa ætas dulce ac familiare habere solet. Et proficiebat supra omnes coætaneos suos in ea quidem litteratura, quæ illi competebat ætati. Nam in disciplina morum profectuque virtutum, etiam super omnes docentes se in brevi enituit, non tam matre tamen, quam unctione magistra. Hac sollicitante, haud segnitè et in divinis exercebatur, petere secretum, anticipare vigilias, meditari in lege, refici parcius, orare frequentius. Et quia ecclesiam frequentare nec vacabat propter studium, et pro verecundia non libebat; levare puras manus in omni loco ad cælum, ubi tamen secreta id posset. Jam tunc siquidem cautus fuit declinare virus virtutum, inanem gloriam.

2. Est vicus prope civitatem, in qua discebat puer, quo magister ejus frequenter pergere solitus erat, ipso solo comite. Illo euntibus ambobus pariter, ipse, ut postea referebat, retraherat pedem, sistebat gradum, et stans a tergo magistri, illo quidem non comperiente, expansis ad cælum manibus, raptim

A quodammodo, ac veluti jaculatam emittebat orationem: et sic dissimulans, magistrum denuo sequebatur. Istiusmodi pio furto puer sæpius illudebat comitem pariter et magistrum. Non est dicere omnia, quæ ejus principia colore bonæ indolis decorare: ad majora atque utiliora currendum. Unum tamen refero adhuc, quod hoc, meo quidem iudicio, non modo bonæ, sed et magnæ in puero dederit insigne spei. Excitus aliquando opinione cujusdam magistri (erat enim famosus in disciplinis, quas dicunt liberales), adivit illum discendi cupiditate. Quippe extrema jam pueritiæ captans, ad eas litteras anhelabat. Intrans vero domum, vidit virum ludentem subula, crebrisque sulcantem tractibus nescio quo notabili modo parietem. Et solo visu offensus puer serius, quod levitatem redoleret, resiliivit ab eo, ac deinceps illum nec videre curavit. Ita cum esset studiosissimus litterarum, præ honesto tamen sprevit eas virtutis amator. Tali quodam præludio puer præparabatur ad eum, qui se manebat in fortiori ætate conflictum: jamque ipse adversarium provocabat. Et Malachiae quidem pueritia sic erat. Porro adolescentiam simili transivit simplicitate et puritate: nisi quod crescente ætate, **660** crescebat simul illi sapientia et gratia apud Deum et homines.

3. Hinc jam, id est ab ineunte adolescentia ejus, cœpit manifestius apparere quid esset in homine, et gratia Dei in illo vacua non videri. Videns enim industrius adolescens, quam in maligno mundo positus sit (*Joan. v. 19*), et cogitans qualem spiritum accepisset, dicebat intra se: « Non est spiritus hujus mundi iste. Quid isti, et illi? Non est societas alteri ad alterum, non plus quam luci ad tenebras. Meus ex Deo est, et scio quæ in illo donata sunt mihi. Inde mihi interim adhuc innocentia vitæ [*ut. mea*], inde continentia decus, inde justitia: fames, inde quoque illa eo securior, quo secretior, gloria mea est, testimonium conscientia meæ. Nil horum mihi tutum sub principe mundi. Deinde habeo thesaurum hunc in fictili vase. Verendum ne impingat et frangatur, et effundatur oleum lætitiæ quod porto. Et quidem non impingere inter saxa et scopulos distortæ et anfractuosa viæ et vitæ hujus difficillimum. Itane momento perdam simul omnes, quibus ab initio præventus sum, benedictiones dulcedinis? Resigno illi potius, a quo sunt, et me pariter. Et ego enim ipsius. Perdo ipsam ad tempus animam meam, ne perdam in æternum. Et quod sum, et quæ habeo omnia, ubi mihi æque salva, uti in manu Auctoris? Quis ita ad servandum sollicitus, ad retinendum potens, ad restituendum fidelis? Servabit tuto, restituet opportune. Sine retractatione me do ad serviendum illi de donis suis. Non potest mihi perire ex omnibus, quæ in opus pietatis expendero. Forte et sperare plus aliquid licet. Solet reddere cum usura qui dat gratis. Ita est. Etiam cumulabit, et multiplicabit in anima mea virtutem. » Hæc cogitavit, et fecit, sciens absque facto vanas esse cogitationes hominum.

## CAPUT II.

*Religiosæ vitæ tirocinium.*

4. Erat homo in civitate Ardmacha (ipsa est, in qua alitus est Malachias), et homo ille sanctus, et austeræ admodum vitæ, inexorabilis castigatō corporis sui, cellam habens juxta ecclesiam. In ea manebat, jejuniis et obsecrationibus serviens die ac nocte. Ad hunc se contulit Malachias, formam vitæ accepturus ab eo, qui vivum se tali damnaverat sepultura. Et vide humilitatem. A primæva ætate in sancta arte magistrum (quod dubium non est) habuerat Deum : et ecce factus est denuo discipulus hominis, homo mitis et humilis corde. Si nesciebamus, hoc vel solo nobis ipse probavit. Legant hoc, qui docere quæ non didicere conantur, discipulos sibi coacervantes, qui nunquam discipuli exstiterent, cæci duces cæcorum. Malachias doctus a Deo, doctorem nihilo minus quæsit hominem, et quidem caute, et sapienter. Quid simile, quæso, afferre quibat, in quo æque daret caperetque experimentum profectus sui? Si Malachiæ exemplum eis pro minimo est, Pauli opus attendant. Nonne Evangelium suum, quod non ab homine acceperat, sed a Christo cum hominibus tamen censuit conferendum, ne forte in vacuum curreret, aut cucurrisset? (*Galat. 1, 11*). Ubi ille securus non est, nec ego. Si quis hoc scit, viderit, ne non tam securitas sit, quam temeritas. Sed hæc alterius temporis.

5. Nunc vero sonuit in civitate quod factum erat, et commota est universa ad inopinatam novitatem. Stupebant autem omnes, et virtutem mirabantur, eoque amplius, quo minus usitatam in gente fera. Videres tunc revelari ex multorum cordibus cogitationes. Plerique humano affectu pensantes factum, plangere et dolere, quod dilectus omnibus, delicatusque adolescens, duris se adeo laboribus mancipasset. Alii suspicati levitatem propter ætatem, diffidere de perseverantia, timere de casu. Nonnulli temeritatem causantes, indignari et fremere in eum, quod supra ætatem et vires inconsulte rem arduam fuisset aggressus. **661** Verum ille sine consilio egit nihil. Nam habuit consilium a Propheta, qui ait : *Bonum est homini, si portaverit jugum ab adolescentia ; et addit : Sedebit solitarius, et tacebit, quia levavit se supra se* (*Thren. III, 27, 28*). Sedebat sibi juvenculus secus pedes Imarii (hoc enim nomen viro), et aut discebat obedientiam, aut se didicisse docebat. Sedebat, ut quietus, ut mansuetus, ut humilis. Sedebat, et tacebat, sciens secundum prophetam, cultum justitiæ esse silentium (*Isa. xxxii, 17*) : sedebat ut perseverans, tacebat ut verecundus, nisi quod suo illo silentio in Dei auribus loquebatur cum sancto David : *Adolescentulus sum ego et con-*

*A temptus, justificationes tuas non sum oblitus* (*Psal. cxviii, 141*). Et sedebat interim solitarius, quia et sine socio, et sine exemplo. Quis enim ante Malachiam districtissimum viri propositum vel cogitaret attentare? Nempe mirabile omnibus habebatur, non imitabile. Malachias imitabile persuasit, sedendo duntaxat, et tacendo. Intra paucos dies habuit imitatores non paucos, provocatos exemplo sui. Ita qui primo solitarius sedit, et unicus patris sui, fit jam unus ex multis, fit ex unigenito primogenitus in multis fratribus. Et ut prior in conversione, ita in conversatione sublimior : et qui ante omnes venit, omnium judicio supra omnes emicuit in virtute. Et dignus visus est episcopo pariter et magistro, qui ad diaconi gradum promoveretur. Et coegerunt eum.

## CAPUT III.

*Ordinibus initiatus episcopi vices gerit.*

6. Hinc jam levita Domini publice se ad omne opus pietatis accinxit : plus vero ad eas res, in quibus aliqua injuria videretur. Denique cura erat ei maxima in sepeliendis defunctis pauperibus, quod hoc sibi non minus humilitatem saperet, quam humanitatem. Nec defuit novo nostro Tobix rediviva a muliere tentatio, imo a serpente per mulierem. Germana ejus indignitatem (ut sibi videbatur) officii exhorrens : Quid facis, inquit, o insane? dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Et hoc illi quotidie exprobrans ingerebat. Sed respondebatur mulieri stultæ juxta stultitiam suam : Misera, tu eloquii casti vocem tenes, sed virtutem ignoras. Ita ministerium, ad quod coactus accesserat, devotus tenuit, indefessus exercuit. Unde et censuerunt etiam sacerdotale officium imponendum illi. Et factum est ita. Erat autem, cum sacerdos ordinatus est, annos natus quasi viginti quinque. In qua ejus utraque ordinatione, si quid præter Canonum formam processisse videtur, ut vere videtur (siquidem infra vicesimum quintum annum leviticum ministerium, infra tricesimum adeptus est sacerdotii dignitatem) (194) donandum sane tum zelo ordinatoris, tum meritis ordinati. Ego vero istud nec in sancto redarguendum, nec usurpandum consulo ei qui sanctus non fuerit. Nec contentus episcopus (195), etiam vices suas commisit ei, seminare semen sanctum in gente non sancta, et dare rudi populo, et sine lege viventi, legem vitæ et disciplinæ. Suscepit ille mandatum in omni alacritate, sicut erat spiritu fervens ; nec talentis incubans, sed inhians lucris. Et ecce linguæ sarculo cœpit evellere, destruere, dissipare, de die in diem factitans prava in directa, et aspera in vias planas. Exultabat ut gigas ad discurrendum ubique. Diceres ignem urentem in consumendo criminum vepres. Diceres securim vel

(194) Nempe ante annos triginta fieri cœtum erat in conciliis Neocæsariensi, Agathensi anni 506, in Arelatensi IV, et aliis. Agathensis canon 17 : *Presbyterum et episcopum ante triginta annos, id est, antequam ad viri perfecti ætatem perveniant, et diaconos ante viginti quinque nullus metropolitanorum ordinare*

*presumat, etc.* Ita apud Bochellum, cum apud Sirmundum desit locus de diaconis, ad quem Bernardus hic respicit, cujus tempore lex ista adhuc vigeat, ut patet ex sequentibus verbis. Sæpius tamen ab episcopis dispensatum, maxime in pios viros.

(195) Scilicet Celsus : vide infra, n. 19.

asciam in deiciendo plantationes malas, extirpare barbaricos ritus, plantare ecclesiasticos. Veterosas omnes (neque enim paucae inveniebantur) abolebat superstitiones, seu quaslibet, ubicunque deprehendisset, malignitates immisas per angelos malos.

7. Denique quidquid incompositum, quidquid indecorum, **662** quidquid distortum obvium habuisset, non parcebat oculus ejus: sed velut grando grossos et flebus, et sicut pulverem ventus a facie terrae, sic coram facie sua hujusmodi nitebatur totum pro viribus exturbare ac delere de populo suo. Et pro his omnibus tradebat jura caelestia optimus legislator. Leges dabat plenas justitiae, plenas modestiae et honesti. Sed et apostolicas sanctiones ac decreta sanctorum Patrum, praecipueque consuetudines sanctae Romanae Ecclesiae, in cunctis ecclesiis statuebat. Hinc est, quod hodieque in illis ad horas canonicas cantatur et psallitur juxta morem universae terrae. Nam minime id ante fiebat, ne in civitate quidem. Ipse vero in adolescentia cantum didicerat, et in suo cenobio mox cantari fecit, cum necdum in civitate, seu in episcopatu universo cantare scirent, vel vellet. Deinde usum saluberrimum Confessionis, sacramentum Confirmationis, contractum conjugiorum, quae omnia aut ignorabant, aut negligebant, Malachias de novo instituit. Et de his ista pro exemplo sufficiant. Nam et per totum historiae textum, brevitate studio plurima praeterimus.

#### CAPUT IV.

*Malcho episcopo plenius instituendus adhaeret.*

8. Cum esset illi studium et zelus maximus circa cultum divinorum et venerationem Sacramentorum, ne forte de his aliquid constitueret vel doceret secus, quam ritus haberet universalis Ecclesiae, subiit animum adire episcopum Malchum [al. Malachum], qui se plenius de omnibus informaret. Hic erat senex plenus dierum et virtutum, et sapientia Dei erat in illo, Natione quidem Hibernus, sed in Anglia conversatus fuerat in habitu et proposito monachali in Wintoniensi monasterio: de quo assumptus est in episcopum in Lesmor civitate Mumoniae: et ipsa nobilior inter caeteras regni illius. Ibi tanta ei desuper collata est gratia, ut non modo vita et doctrina, sed et signis clareret. Quorum duo pono exempli causa, ut omnibus innotescat, qualem in scientia sanctorum Malachias habuerit praecceptorem. Puerum mente captum, ex his quos lunaticos vocant, inter confirmandum sacra unctione sanavit. Hoc ita notum certumque fuit, ut illum mox constituerit ostiarium domus suae, vixeritque idem puer incolumis in eo officio usque ad virilem aetatem. Surdo auditum restituit: in quo idem mirabile quiddam confessus est, quod cum sanctus utrique auriculae hinc inde digitos immisisset, duos quasi portellos ex ipsis exire senserit. Pro his atque hujusmodi fama crebrescente, nomen grande adeptus est; ita ut ad eum Scoti, Hibernique confluerent, et tanquam unus om-

nium pater ab omnibus coleretur. Ad hunc ergo Malachias, accepta benedictione patris Imarii, et ab episcopo missus, cum prospere pervenisset, benigne a senex susceptus est: qui annos aliquot cum eo mansit, ut per hanc temporis moram hauriret plenius de pectore veterano, sciens scriptum: Quia in antiquis est sapientia (Job XII, 12). Sed nec hoc quoque ad causam defuisse reor, quod magnus ille Provvisor universorum voluit servum suum Malachiam in loco tam celebri notum fieri omnibus, qui erat omnibus profuturus. Nec enim poterat non esse gratus, quibus notus fuisset. Denique unum interim accidit, per quod ex aliqua parte quod notum Deo erat in illo, manifestum fecit hominibus.

9. Inter regem Mumoniae (quae est Hiberniae pars australis) et germanum ejus orta simultate, et fratre facto superiori, Rex (196) pulsus regno, confugit ad episcopum Malchum. Non tamen ut ope illius regnum recuperaret: sed magis princeps devotus dedit locum irae, et necessitatem in virtutem convertit, privatam **663** eligens ducere vitam. Cumque episcopus Regem suscipere debito honore pararet, abnuit ille, se malle inquam unum ex illis esse pauperibus fratribus qui illi adhaerent, regnum fastum deponere, et communi paupertate fore contentum, exspectare potius Domini voluntatem, quam per vim recipere regnum; nec velle pro suo honore terreno sanguinem humanum effundere, qui contra se clamet ad Deum de terra. Quo audito, exsultat episcopus, et admiratus devotionem, satisfacit voto. Quid plura? Traditur Regi paupercula domus ad habitandum, et Malachias in magistrum, ad victum panis cum sale et aqua. Porro ad delicias sufficiebat Regi Malachiae praesentia, vita atque doctrina, ita ut diceret ei: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo (Psal. cxviii, 103). Ad haec per singulas noctes lacrymis suis stratum suum rigabat: sed et quotidiano aquae frigidae balneo male calentem exstinguebat in carne libidinem. Et orans Rex, cum Rege dicebat: Vide humilitatem meam et laborem meum, et dimitte universa delicta mea (Psal. xxiv, 18). Et non amovit Deus orationem ejus et misericordiam suam ab eo. Et exaudita est oratio ejus, etsi secus, quam intenderet ipse. Nam is quidem sollicitus erat pro anima sua: sed vindex innocentiae Deus, hominibus ostendere volens quoniam sunt reliquiae homini pacifico, parabat interim facere iudicium injuriam patienti, quod ille penitus non sperabat. Et suscitavit Deus spiritum vicini regis: neque enim unum est Hibernia regnum, sed divisa in plura. Hic itaque videns quae facta sunt, repletus est zelo: et hinc quidem indignans praedonum libertati, et insolentiae superborum; inde vero miserans regni desolationem et Regis dejectionem, descendit ad cellulam pauperis: suadet reditum, sed non persuadet. Instat tamen, spondet opem, de effectu non dissidere monet; Deum affuturum pro-

mittit, cui non poterunt resistere omnes adversarii ejus. Proponit etiam oppressionem pauperum patriæque vastationem, et non proficit.

10. Cæterum accedente mandato episcopi et Malachix consilio, de quibus ille pendeat totus, vix tandem acquiescit. Sequitur Rex Regem, et juxta verbum Regis, sicut fuerat voluntas in cælo, tota facilitate pulsus prædonibus, reducit homo in sua cum exultatione suorum, regnoque restituitur suo. Dilixit extunc Rex ille, et semper reveritus est Malachiam: eoque propensius, quo plenius in sancto viro digna veneratione et amore compererat. Cujus enim tantam meruit in sua adversitate familiaritatem, sanctitatem ignorare non potuit. Propterea magis in sua prosperitate perpetuis illum amicitis, devotisque colebat obsequiis, et libenter audiebat eum, et audito eo multa faciebat. Et de his satis. Verumtamen non fortuito factum reor, quod ita jam tunc magnificavit eum Dominus in conspectu regum: sed quia vas electionis sibi erat ille, portaturus nomen suum coram regibus et principibus.

#### CAPUT V.

##### *Sorori defunctæ sacrificii oblatione succurrit.*

11. Mortua est interim soror ejus illa, quam præfati sumus. Nec prætereundæ visiones, quas vidit de ea. Hujus siquidem sanctus carnalem exhorruerat vitam, et tanto zelo, ut se devoverit non visurum eam in carne viventem. At illa carne soluta, solutum est votum, et cœpit videre in spiritu, quam in corpore noluit. Quadam nocte audivit per somnium vocem sibi dicentis, sororem ejus stare foras in atrio, et ecce per totos triginta dies nihil gustasse: qui evigilans cito intellexit, cujus escæ inedia marceret. Et diligenter discusso numero dierum quem audierat, ipsum esse reperit, ex quo pro ea Panem de cælo vivum non obtulisset. Tum ille qui sororis non animam oderat, sed peccatum; beneficentiam, quam **664** intermiserat, rursus adoritur Neque frustra. Non multo post visa est illi pervenisse ad limen ecclesiæ, necdum tamen posse intrare; apparere etiam in veste pulla. Cumque ille perseveraret, curans ne qua die solita stipe frustraretur; secundo vidit eam in veste subcandida; admissam quidem intra ecclesiam, sed altare contingere non permitti. Tertio tandem visa est aggregari coetui candidorum, et in veste candida. Vides, lector, quantum valeat deprecatio justis assidua? Vere regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. Nonne tibi videtur Malachix oratio vicem quodammodo effractoris exhibuisse cœlestibus portis, quando peccatrix mulier fraternis obtinuit armis, quod suis meritis negabatur? Hanc vim, Jesu bone, tu qui pateris, facis, validus et pius ad salvandum, faciens misericordiam et potentiam in brachio tuo, et in Sacramento tuo servans sanctis qui in terra sunt, usque in consummationem sæculi. Hoc plane

(197) Banchor vocatur in actis sancti Columbani, situm in Ultonia Hibernix provincia; distinguendum

A Sacramentum potens peccata consumere, debellare obvias potestates, inferre cœlis revertentes de terra.

#### CAPUT VI.

##### *Monasterium Benchorensis desolatum instaurat.*

12. Et Dominus quidem in regione Lesmorensi sic præparabat dilectum suum Malachiam ad gloriam nominis sui. Verum qui miserant eum, minime jam ferentes absentiam ejus, missis epistolis revocant illum. Quo reddito suis, et quidem instructiore de omnibus quæ oportebat; en opus a Deo paratum et servatum Malachix. Vir dives et potens, qui locum Benchor et possessiones ejus tenebat, inspiratus a Deo, confestim in manu ejus sua omnia dedit et se quoque. Et is avunculus ejus. Sed Malachix spiritus quam carnis propinquitas pluris fuit. Ipsum quoque locum Benchor (197), de quo cognominabatur, tradidit ei princeps, ut ædificaret ibi monasterium, vel potius reædificaret. Nempe nobilissimum exstiterat ante sub primo patre Congello, multa millia monachorum generans, multorum monasteriorum caput. Locus vere sanctus fecundusque sanctorum, copiosissime fructificans Deo, ita ut unus ex filiis sanctæ illius congregationis, nomine Luanus, centum solus monasteriorum fundator exstitisse feratur. Quod idcirco dixerim, ut ex hoc uno conjiciat lector, quam ingens fuerit reliqua multitudo. Denique ita Hiberniam Scotiamque repleverunt genimina ejus, ut ea potissimum tempora Davidici illi versiculi præcinitis videantur: *Visitasti terram, et inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam. Flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio ejus. Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus; in stillicidiis ejus lætabitur germinans* (Ps. Lxiv, 10, 11). Et in hunc modum cæteri qui sequuntur. Nec modo in præfatas, sed et in exteris etiam regiones, quasi inundatione facta, illa se sanctorum examina effuderunt. E quibus ad has nostras Gallicanas partes sanctus Columbanus ascendens, Luxoviense construxit monasterium, factus ibi in gentem magnam. Aiunt tam magnam fuisse, ut succedentibus sibi vicissim choris, continuarentur solemnia divinorum, ita ut ne momentum quidem diei ac noctis vacaret a laudibus.

13. Hæc de antiqua dicta sint Benchorensis monasterii gloria. Hoc olim destructum a piratis, ob insigne dignitatis antiquæ, Malachias, veluti quemdam replantaturus paradysum, amplexus est, et quia multa corpora sanctorum dormirent ibi. Nam ut taceam illa quæ in pace sepulta sunt, ferunt nongentos simul una die a piratis occisos. Erat quidem ingens loci illius possessio: sed Malachias solo contentus loco sancto, totas possessiones et terras alteri cessit. Siquidem a tempore quo destructum est monasterium, non defuit qui illud teneret cum possessionibus suis. Nam et constituebantur per electionem etiam et abbates appellabantur, servantes

ab alio cognomine monasterio, quod in Wallia, Anglix regione, locatum erat.

nomine, etsi non re, quod olim **665** exstiterat. Cumque suaderent multi non alienare possessiones, sed totum simul relinere sibi, non acquievit paupertatis amator: sed fecit eligi juxta morem qui eas teneret, loco, ut prædiximus, retento sibi et suis. Et fortassis consultius, ut post apparuit, integrum retinisset, si non magis suæ prospexisset humilitati, quam paci.

14. Itaque ex mandato patris Imarii assumptis secum decem circiter fratribus, veniens ad locum, cœpit ædificare. Ubi quadam die cum in securi ipse secaret, casu ex operariis unus, illo vibrante in aera securim, locum incaute occupavit quo ictus destinabatur: et cecidit super spinam dorsi ejus, tanto utique impetu, quanto ille conatu impingere valuit. Corruit ille: accurrere omnes, putantes aut percussum ad mortem aut mortuum. Et tunica quidem scissa a summo usque deorsum: homo vero illæsus inventus est, tam modice et summatim perstricta cute, ut vix in superficie vestigium appareret. Stabat homo incolumis, quem securis prostraverat, intuentibus et stupentibus qui circumstabant. Unde et facti alacriores, promptiores exinde ad opus inventi sunt. Et hoc initium signorum Malachiæ. Porro oratorium intra paucos dies consummatum est de lignis quidem lævigatis, sed apte firmiterque contextum, opus Scoticum, pulchrum satis. Et exinde servitur Deo in eo, sicut in diebus antiquis; simili quidem devotione, etsi non pari numero. Præfuit Malachias loco illi tempore aliquanto, patre Imario ita constituente, ipse rector, ipse regula fratrum. Legebant in vita ejus quomodo conversarentur, et ipse ante illos præibat in justitia et sanctitate coram Deo: nisi quod præter instituta communia, multa singulariter faciebat, in quibus potius præibat omnes, et aliorum nemo illum poterat ad tam ardua sequi. Eo temporis et eo loci quidam infirmabatur, cui assistens diabolus, et aperte loquens suggerebat, ne unquam crederet monitis Malachiæ; sed si intraret ad se, cultello eum peteret et occideret. Quo cognito, qui illi ministrabant, ipso infirmo prodente, verbum perferunt ad Malachiam præmunientes. At ille solita arma orationis arripiens, impavidus hostem aggressus, et infirmitatem fugat et dæmonem. Erat autem nomen viro Malchus. Frater est iste secundum carnem Christiani nostri, Mellifontis abbatis. Ambo enim superstites adhuc sunt, sibi in spiritu modo germaniores. Nam ille, ut liberatus est, continuo non ingratus, loco eodem conversus ad Dominum, habitum simul animumque mutavit. Et cognovere fratres malignum invidere bonis eorum; et ædificati sunt, facti de reliquo cautiore.

#### CAPUT VII.

##### *Dysenteria laborantem curat.*

15. Clericum, nomine Michaelen, dysenteria laborantem, et desperate, mittens ei aliquid de mensa sua, eodem loco sanavit. Secundo eundem ipsum, gravissima infirmitate correptum, et corpore pariter curavit et mente. Illico enim adhæsit Deo et Mala-

chiæ servo ejus, timens ne deterius aliquid sibi contingeret, si denuo ingratus tanto inveniretur et beneficio et miraculo. Et nunc, ut audivimus, præest cuidam monasterio, sito in partibus Scotiæ: et hoc novissimum omnium quæ ille fundavit. Pro hujusmodi augescebat in dies et opinio, et congregatio Malachiæ, et grande ei nomen intus et foris, non tamen re grandius. Nempe ibi demorabatur etiam factus episcopus, quod locus esset vicinus civitati.

#### CAPUT VIII.

##### *Episcopatum Conneretensem, licet invitus, suscipit.*

16. Vacabat tunc temporis episcopalis sedes, et jamdiu vacarat, Malachia nolente assentire, siquidem ipsum elegerant. Persistentibus tamen illis, tandem aliquando cessit, accedente ad vim faciendam **666** mandato magistri sui, necnon et metropolitani. Tricesimo ferme ætatis suæ anno Malachias consecratus episcopus introducit Connereth: hoc enim nomen civitatis. Cum autem cœpisset pro officio suo agere, tunc intellexit homo Dei, non ad homines se, sed ad bestias destinatum. Nusquam adhuc tales expertus fuerat in quantacunque barbarie: nusquam repererat sic protervos ad mores, sic ferales ad ritus, sic ad fidem impios, ad leges barbaros, cervicosos ad disciplinam, spurcos ad vitam. Christiani nomine, re pagani. Non decimas, non primitias dare, non legitima inire conjugia, non facere confessiones; poenitentias nec qui peteret, nec qui daret, penitus inveniri. Ministri altaris pauci admodum erant. Sed enim quid opus plurium, ubi ipsa paucitas inter laicos propemodum otiosa vacaret? Non erat quod de suis fructificarent officiis in populo nequam. Nec enim in ecclesiis aut prædicantis vox, aut cantantis audiebatur. Quid faceret athleta Domini? aut cedendum turpiter, aut periculose certandum. Sed qui se pastorem, et non mercenarium agnoscebat, elegit stare quam fugere, paratus et animam suam dare pro ovibus, si oportuerit. Et quanquam omnes lupi, et oves nullæ; stetit in medio luporum pastor intrepidus, omnimodis argumentosus, quomodo faceret oves de lupis. Monere communiter, secreto arguere, flere per singulos; nunc aspere, nunc leniter convenire, prout cuique expedire videbat. In quibus per hæc minus profecisset, cor contritum et humiliatum offerebat pro eis. Quoties noctes totas pervigiles duxit, extendens manus in oratione! Et cum venire ad ecclesiam nollent, per vicos et plateas occurrebat invitis; et circumiens civitatem, perquirebat anhelus quem Christo acquireret.

17. Sed et foris rura et oppida nihilominus sæpius percurrerebat cum sancto illo comitatu discipulorum suorum, qui nunquam deerant lateri ejus. Ibat et erogabat vel ingratis cœlestis tritici mensuram. Nec vehebatur equo, sed pedes ibat, et in hoc virum se apostolicum probans. Jesu bone! quanta passus est pro nomine tuo bellator tuus a filiis scleratis! quanta sustinuit ab his ipsis, quibus et pro quibus

loquebatur bona tibi! Quis digne exprimat, in quantis vexatus, quibus affectus sit contumeliis, quibus injuriis lacessitus, quoties lassatus inedia, quoties afflictus in frigore et nuditate? Attamen cum his qui oderunt pacem, erat pacificus, instans nihilominus opportune, importune. Blasphematus obsecrabat; injuriatus opponebat scutum patientiæ, et vincebat in bono malum. Quidni vicisset? Perseveravit pulsans, et secundum promissionem tandem aliquando pulsanti apertum est (*Luc. xi, 9*). Quomodo poterat non sequi, quod veritas prænuñtiaverat secuturum? Dextera Domini fecit virtutem, quia os Domini locutum est veritatem. Cessit duritia, quievit barbaries; et domus exasperans paulatim leniri cœpit, paulatim correptionem admittere, recipere disciplinam. Fiunt de medio barbaricæ leges, Romanæ introducuntur; recipiuntur ubique ecclesiasticæ consuetudines, contrariæ rejiciuntur; reædificantur basilicæ, ordinatur clerus in illis. Sacramentorum rite solemnities celebrantur, confessiones fiunt, ad ecclesiam conveniunt plebes, concubinitas honestat celebritas nuptiarum; postremo sic mutata in melius omnia; ut hodie illi genti conveniat, quod Dominus per prophetam dicit: *Qui ante non populus meus, nunc populus meus* (*Osee. ii, 24*).

## CAPUT IX.

*Monasterium Ibracense construit.*

18. Contigit post annos aliquot destrui civitatem a rege aquilonaris partis Hiberniæ, quia ab aquilone panditur omne malum (*Jerem. i, 14*). Et forte malum illud bene utentibus bonum fuit. Quis scit enim, si tali flagello Deus delere voluit mala antiqua populi sui? Istiusmodi Malachias necessitate compulsus, et ipse exiit cum turba discipulorum suorum. Nec otiosus **667** exitus ejus. Hac occasione monasterium Ibracense constructum est, eunte illo Malachia cum suis numero centum triginta [*al. viginti*] fratribus. Ibi occurrit ei Cormærcus rex. Ipse est qui olim regno pulsus, sub cura Malachiæ de misericordia Dei consolationem accepit. Et locus ille situs in regno ejus. Gavisus est Rex viso Malachia, se et omnia sua exponens ei, et his qui cum eo erant, utpote non ingratus nec immemor beneficii. Adducta incontinenti animalia multa ad usus fratrum, multa insuper in auro et argento ad sumptus ædificiorum pro regia liberalitate collata. Ipse quoque erat intrans et exiens cum eis sedulus et officiosus, habitu quidem rex, sed animo discipulus Malachiæ. Et benedixit loco illi Dominus propter Malachiam. Et in brevi factus est magnus rebus, possessionibus, et personis. Ubi velut de novo inchoans, legem et disciplinam, quam aliis imponebat, magis ipse portabat episcopus et magister. Ipse in ordine vicis suæ, coquinæ ministerio inserviebat; ipse fratribus, cum recumberent, ministrabat. Inter succedentes sibi invicem fratres ad cantandum, legendumve in ecclesia, non se præteriri patiebatur, strenue implens et ipse officium loco suo, tanquam unus ex illis. Sanctæ paupertatis non modo participem, sed et principem

A se exhibebat, ipsius præcipue super omnes abundantius æmulator existens.

## CAPUT X.

*Fit archiepiscopus seu primas Hiberniæ.*

19. Dum hæc ita aguntur, contigit infirmari archiepiscopum Celsum: et ipse est qui Malachiam in diaconem, presbyterum; episcopumque ordinavit: et cognoscens quia moreretur, fecit quasi testamentum, quatenus Malachias deberet succedere sibi, quod nullus alius videretur dignior, qui episcoparetur in sede prima. Hoc præsentibus indixit, hoc mandavit absentibus, hoc specialiter ambobus Mumoniæ regibus, et majoribus terræ, sancti Patricii auctoritate præcepit. Cujus reverentia et honore, tanquam apostoli illius gentis, qui totam patriam convertisset ad fidem, sedes illa, in qua et vivens præfuit, et mortuus requiescit, in tanta ab initio cunctis veneratione habetur, ut non modo episcopi, et sacerdotes, et qui de clero sunt, sed etiam regum ac principum universitas subjecta sit metropolitano in omni obedientia, et unus ipse omnibus præsit. Verum mos pessimus inoleverat quorundam diabolica ambitione potentum, sedem sanctam obtentum iri hæreditaria successione. Nec enim patiebantur episcopari, nisi qui essent de tribu et familia sua. Nec parum processerat execranda successio, decursis jam in hac malitia quasi generationibus quindecim. Et eousque firmaverat sibi jus pravum, imo omni morte puniendam injuriam, generatio mala et adultera, ut etsi interdum defecissent clerici de sanguine illo, sed episcopi nunquam. Denique jam octo exlitterant ante Celsum viri uxorati, et absque ordinibus, litterati tamen. Inde tota illa per universam Hiberniam, de qua superius diximus, dissolutio ecclesiasticæ disciplinæ, censuræ enervatio, religionis evacuatio: inde illa ubique, pro mansuetudine christiana, sæva subintroduta barbaries, imo paganismus quidam inductus sub nomine christiano. Nam (quod inauditum est ab ipso Christianitatis initio) sine ordine, sine ratione mutabantur et multiplicabantur episcopi pro libitu metropolitani, ita ut unus episcopatus uno non esset contentus, sed singulæ pene ecclesiæ singulos haberent episcopos. Nec mirum: nam quomodo tam morbidi capitis membra valerent?

20. Pro his Celsus, atque hujusmodi malis populi sui vehementer dolens (erat enim vir bonus et timoratus), curavit omni modo habere sibi successorem Malachiam, quod per ipsum confideret posse explantari malè radicatam successione: qui charus esset omnibus, et quem omnes æmularentur, et Dominus erat **668** cum eo. Nec frustratus est a spe sua. Nam illo mortuo, substitutus est Malachias, non tamen mox, neque id facile. Ecce enim de semine nequam qui occupet locum, Mauricius nomine. Is per quinquennium, fretus potentia sæculari, incubavit Ecclesiæ, non episcopus, sed tyrannus. Nam vota piorum magis in Malachiam convenerant. Denique suadebant eum subire onus juxta constitutio-



neum Celsi : sed ille, qui omne sublime haud secus quam suum præcipitium declinabat, bonam sibi videbatur nactus occasionem excusandi, quod per id temporis introitus ejus pacificus esse non posset. Instabant tam sancto operi, et sollicitabant omnes; duo potissimum episcopi, Malchus et Gillebertus : quorum prior ipse est senior Lesmorensis, de quo supra mentio facta est (*Cap. 4*); alter, quem aiunt prima functum legatione apostolicæ Sedis per universam Hiberniam. Quæ triennio jam decurso in hac præsumptione Mauricii, et Malachiæ dissimulatione, non ferentes ultra ecclesiæ adulterium, dedecusque Christi, convocatis episcopis et principibus terræ, uno spiritu adeunt Malachiam, parati vim facere. At ille renuere primum; prætereundum siquidem difficultatem rei, nobilis illius prosapiæ multitudinem, fortitudinem, ambitionem : multum esse ad se pauperculum opponere se tot, tantis, talibus, taliter radicatis, qui jam annos ferme ducentos, quasi hæreditate possedissent sanctuarium Dei, et nunc quoque id præoccupassent : non posse illos extirpari, nec cum mortibus hominum quidem : sua non interesse, fundi humanum sanguinem occasione sui : postremo junctum se sponsæ alteri, quam dimittere non liceret.

21. Verum illis e contrario instantibus, et clamantibus, quia a Domino sermo egressus est; sed et tota auctoritate jubentibus subire onus, atque intentantibus anathema : « Ad mortem, » inquit, « ducitis me : sed obedio spe martyrii, hac tamen conditione, ut si juxta fidem vestram res in melius cedat, et vindicet sibi Deus suam hæreditatem a diripientibus eam, tunc demum omnibus consummatis, et Ecclesia pacem habente, liceat mihi redire ad prioram sponsam meam, et amicam, de qua rapior, paupertatem; et pro me illic alium substituere, qui tunc forte repertus idoneus fuerit. » Nota, lector, virtutem viri, et animi puritatem, nec honorem scilicet affectantis, nec formidantis mortem pro Christi nomine. Quid hoc animo purius, quidve fortius, ut se exponens periculo et labori, alteri fructum cedat, ipsam in loco principatus securitatem et pacem? Facit hoc, cum liberum sibi ex pacto retinet reditum ad paupertatem; pace et libertate Ecclesiæ restituta. Spondentibus illis, demum acquievit voluntati eorum, vel potius Dei, a quo sibi jam olim præostensum recordabatur, quod de se modo dolebat [*al. volebat*] fieri. Nempe jam ægrotante Celso, apparuit Malachiæ, et quidem longe posito et nescienti, mulier proceræ staturæ et reverendi vultus. Percutanti quænam esset, responsum est esse uxorem Celsi. Quæ tradens ei virgam pastorem, quam manu tenebat, disparuit. Paucis decursis diebus, Celsus moriens misit baculum suum Malachiæ, tanquam sibi successuro : quem ut vidit, agnovit ipsum esse, quem viderat. Hujus præcipue recordatio visionis terruit Malachiam : ne, si (quod diu satis dissimularat) ultra renueret, divinæ jam videretur resistere voluntati. Verumtamen civitatem non intravit,

quandiu ille incubator vixit, ne hac occasione contingeret mori quemquam ex his, quibus vitam magis ministraturus veniebat. Ita per biennium (nam id temporis supervixit ille) agens extra urbem, strenue in universa provincia opus episcopale exercuit.

## CAPUT XI.

*Insidias evadit incolumis, auctoribus male perditis.*

22. Illo igitur celeri morte facto de medio, rursum Nigellus quidam, imo vere nigerrimus, sedem præripuit. Et in hoc animæ suæ Mauricius adhuc **669** vivens providerat, ut hunc haberet hæredem : in quo qui damnandus exhibat, operibus adjicere damnationis persisteret. Erat enim et ipse ex damnata progenie, cognatus Mauricii. Cæterum Rex, et episcopi, et fideles terræ nihilominus conveniunt, ut introducerent Malachiam. Et ecce consilium malignantium ex adverso. Quidam de filiis Belial promptus ad malitiam, potens in iniquitate, sciens locum ubi pariter convenire decrevissent, multis aggregatis sibi, latenter vicinum occupat collem eminentem e regione : unde illis tractantibus alia, repente impetu super incautos irruerent, et interficerent innocentes. Condixerant enim etiam Regem cum episcopo trucidare, ut non esset qui vindicaret sanguinem justum. Res innotuit Malachiæ, et intrans ecclesiam (erat enim prope) elevatis manibus oravit ad Dominum . et ecce nubes et caligo, sed et tenebrosa aqua in nubibus aeris, diem verterunt in noctem. Fulgura quoque et tonitrua et horribiles spiritus procellarum, diem ultimum minitantur, vicinamque elementa intentant omnia mortem.

23. Et ut scias, lector, quod oratio Malachiæ concusserit elementa; solos interceptit tempestas, qui quærebant animam ejus; solos turbo tenebrosus involvit, qui paraverant opera tenebrarum. Denique ipse, qui princeps exstiterat tanti mali, fulmine percussus interiit cum tribus aliis : et fuere consortes mortis, qui fuerant participes sceleris. Quorum sequenti die inventa sunt corpora semiusta, et putrida, hærentia ramis arborum, ubi quemque spiritus elevans allisisset. Alii quoque tres semivivi inventi sunt : cæteri omnes circumquaque dispersi. Illis autem qui cum Malachia erant, quamvis proximos loco, tempestas omnino non tetigit, nec quidquam molestiæ intulit. In facto isto recens capimus experimentum veritatis verbi illius, quia *oratio justi penetrat caelos* (*Eccli. xxxv, 21*). Sed et novum antiqui exemplum miraculi, quo olim tota Ægypto versante in tenebris, solus Israel in lumine mansit, dicente Scriptura : *Ubicunque Israel erat, lux erat* (*Exod. x, 23*). Huc mihi occurrit et factum sancti Eliæ, nunc quidem ab extremis terræ nubes et pluvias educantis (*III Reg. xviii, 45*), nunc vero super blasphemos evocantis ignem de cælo (*IV Reg. i, 10*). Et modo de simili clarificatus est Deus in servo suo Malachia.

## CAPUT XII.

*Hostes seu æmulos, in ipsum armatos, virtute animi et constanti in Deum fide lenit, sibi que conciliat.*

24. Anno ætatis suæ tricesimo octavo pauper Malachias, pulso incubatore, intravit Ardmacha, pontifex et metropolitanus totius Hiberniæ. Rege vero cæterisque, qui introduxerant eum, ad propria remeantibus, ipse remanet in manu Dei, et remanent illi foris pugnae, intus timores. Nam ecce viperea soboles, frendens et vociferans se exhæredari, tota se intus et foris suscitavit adversus Dominum, et adversus Christum ejus. Porro Nigellus videns sibi imminere fugam, tulit secum insignia quædam Sedis illius, textum scilicet Evangeliorum, qui fuit beati Patricii, baculumque auro tectum, et gemmis pretiosissimis adornatum, quem nominant Baculum Jesu, eo quod ipse Dominus (ut fert opinio) eum suis manibus tenuerit, atque formaverit. Et hæc summæ dignitatis et venerationis in gente illa. Nempe notissima sunt celeberrimaque in populis, atque in ea reverentia apud omnes, ut qui illa habere visus fuerit, ipsum habeat episcopum populus stultus et insipiens. Ibat homo gyrovagus, et alter satanas circuibat terram, et perambulabat eam, insignia sacra circumferens: quæ ubique ostentans, ubique eorum gratia receptabatur, concilians sibi per hæc animos omnium, et à Malachia, quosque potuisset, avertens. Hæc illè.

25. Erat autem princeps quidam de potentioribus iniquæ progeniei, quem Rex priusquam civitatem **670** exiret, jurare coegerat pacem tenere Episcopo, acceptis ab eo insuper obsidibus multis. Is post Regis exitum nihilominus civitatem ingressus, consilium habuit cum propinquis et amicis, quomodo sanctum dolo tenerent, et occiderent: timebant vero plebem. Et conjurantes in necem Malachiæ, constituere locum et diem, et traditor dedit eis signum. Ipso die cum vespertina jam solemnia in ecclesia celebraret Antistes cum universo clero et multitudine populi, mittit ad ipsum nequam ille in verbis pacificis in dolo, rogans quatenus ad se dignetur descendere, ut faciat pacem. Respondentibus qui assistebant, ipsum potius ad Episcopum debere venire; ecclesiam esse competentiore locum firmandæ pacis: siquidem præsenferant dolum. Subjungunt qui missi erant, hoc tutum non esse principi: timere eum capiti suo, nec se credere turbis, quæ se ante hos dies causa Episcopi propemodum interemissent. Contendentibus in hunc modum, illis quidem ut iret, istis vero ne iret; Episcopus cupidus pacis, et mortis non timidus: « Sinite, » inquit, « fratres, sinite me imitari Magistrum meum. Sine causa sum christianus, si Christum non sequor. Forte flecto humilitate tyrannum; et si non, vinco tamen exhibens ovi pastor, sacerdos laico, quod mihi ille debuerat. Vos quoque, quod in me est, non parum ædifico exemplo tali. Quid enim si con-

A tingat occidi? Non recuso mori, ut vos vitæ ex me teneatis exemplum. Oportet episcopum, ut ait episcoporum Princeps, non dominari in clero, sed formam fieri gregis (I Petr. v, 3). Haud aliam sane formam, quam ab illo accepimus, qui humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem. Quis mihi det hanc relinquere filiis signatam sanguine meo? Experiemini certe, an sacerdos vester digne satis a Christo didicerit, mortem non timere pro Christo. » Et surgens, cœpit ire flentibus cunctis et supplicantibus, ne tantum cuperet pro Christo mori, ut tantum Christi gregem desolatum relinqueret.

26. Verum ille totam spem suam ponens in Domino, tota alacritate perrexit, tribus tantum comitatus discipulis, paratis mori cum eo: qui ut calcato limine domus repente se medio intulit armatorum, scuto fidei ipse munitus; concidere facies omnium, quia pavor irruit super eos, ita ut dicere posset Episcopus: *Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, et ceciderunt* (Psal. xxvi, 2). Hoc verbum verum est. Videres hostiam stantem, carnifices ferro armatis manibus undique circumstantes: et qui immolaret, non erat. Putares stupere lacertos (198): sic non fuit, qui extenderet manum. Nam et is quoque, qui caput malitiæ videbatur, assurgit ei potius quam insurgit. Ubi, quæso, signum, o homo, quod dederas in mortem Pontificis? Hoc magis honoris signum, quam mortis indicium. Deferre est hoc, non mortem inferre. Res mira! pacem offerunt, qui necem paraverant. Non est quod abnuat, qui et vitæ periculo quæsierat eam. Itaque facta est pax, et tam firma, ut ab illa die hostem Sacerdos non modo pacatum habuerit, sed subditum, sed devotum. Quo audito, fideles quique gavisi sunt, quod non modo salvatus sit sanguis innoxius in die illa; sed et nocentium multorum animæ, Malachiæ meritis, evaserint ad salutem. Et apprehendit omnes circumquaque timor, audientes quomodo duos inimicorum ejus, qui viderentur ferociores et fortiores in generatione sua, sic subita virtute prostravit Deus: istum loquor, qui in manibus est, et eum de quo superius dixi. Alterum enim terribiliter multatum in corpore, alterum misericorditer mutatum in corde, ambos mirabiliter comprehendit in consiliis, quæ cogitabant.

27. His ita peractis, cœpit jam in civitate Episcopus tota libertate disponere et ordinare de omnibus pertinentibus ad ministerium suum, non tamen sine continuo discrimine vitæ suæ. Nam etsi jam nemo qui palam noceret, ab insidiantibus tamen nec locus satis tutus Episcopo erat, nec tempus feriatum. Et deputati sunt ei viri armati ad custodiam die et nocte: **671** sed ille magis in Domino confidebat. Fuit vero consilium, præfatum schismaticum insequi eo quod seduceret multos ex insignibus quæ ferebat, suadens omnibus episcopum

(198) Similia exempla habes in Ambrosio, adversus Maximinum; in Basilio, adversus Valentem;

in Leone Magno, adversus Attilam; in Chrysostomo, adversus Gainam, etc.

se esse debere; et sic sollicitans plebes adversus A Malachiam, atque Ecclesiæ unitatem. Et fecit sic: et sine difficultate ita in brevi universas sepivit vias ejus per gratiam sibi a Domino datam, et quam habebat ad omnes, ut malignus ille coactus sit dare manus, reddere insignia, et quiescere de reliquo in omni subjectione. Ita Malachias, licet per multa pericula et labores, prosperabatur in dies, et confortabatur magis ac magis, abundans in spe et virtute Spiritus sancti.

## CAPUT XIII.

*Deus Malachiæ detractores punit.*

28. Nec modo malefactores, sed et detractores Malachiæ corripuit Deus. Quidam, verbi gratia, gratiam habens principum et potentum, etiam ipsius Regis, quod esset adulator et garrulus, et potens in lingua; favebat per omnia adversariis Malachiæ, et procaciter tuebatur partem eorum: Sancto vero et præsentem resistebat in facie, et detrahebat absentem, irreverenter occurrens ei in omni loco, maximeque ubi celebrioribus illum sciret interesse conventibus. Sed cito digna linguæ procacis mercede donatus est. Intumuit et computruit lingua maledica, vermibus ex ea scatentibus, et diffluentibus toto ore blasphemio: quos per septem ferme dies incessanter vomens, tandem cum illis miseram exspuit animam.

29. Loquente coram aliquando Malachia, et populum exhortante, mulier quædam infelix ausa est interrumpere sermonem clamoribus improbis, non deferens sacerdoti, et spiritui qui loquebatur. Erat autem de progenie impia, et spiritum habens in naribus, blasphemias contumeliasque evomebat in Sanctum, dicens hypocritam et invasorem alienæ hæreditatis, sed et calvitiei illius impropersans. At ille nihil respondit ei, sicut erat verecundus et mitis: sed Dominus respondit pro eo. Versa illa in insaniam est, Domino judicante: et crebris vocibus clamitans se suffocari a Malachia, morte demum horrenda luit peccatum blasphemie. Sic misera assumens adversus Malachiam impropersum Elisæi (IV Reg. 11, 24), vere illum sibi alterum experta est Elisæum.

30. Porro quia causa pestilentie cujusdam ortæ in civitate, multitudinem cleri et populi solemniter cum reliquiis [al. memoria] sanctorum tunc foras eduxerat, ne hoc quidem prætereundum, quod orante Malachia, pestilentia illico conquievit. Ex hoc jam, qui mutiret adversus eum, non fuit, dicentibus qui de semine Chanaan sunt: Fugiamus Malachiam, quia Dominus pugnat pro eo. At sero istud: quia zelus Domini, ubique occurrens eis, persecutus est eos usque ad internecionem. Quomodo intra paucos dies perijt memoria eorum cum sonitu? quomodo facti sunt in desolationem, subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam! Grande hodieque miraculum facit tam velox generationis illius deletio, his præsertim qui eorum noverant superbiam atque potentiam. Multa quidem et alia signa fuere, quibus Deus glorificavit nomen suum, et servum suum inter

sudores et pericula confortavit. Quis digne commemoret? Non tamen omnia præterimus, etsi non sufficimus ad omnia. Propter seriem autem narrationis ne impediatur, aliqua quæ dicturi sumus reservamus in finem.

## CAPUT XIV.

*Sedem metropolitanam paci readitam resignat.*

31. Igitur Malachias intra triennium, reddita retributione superbis, et libertate Ecclesiæ restituta, pulsa barbarie, et reformatis ubique moribus christianæ religionis, videns omnia in pace esse, cœpit cogitare et de sua pace. Et memor propositi sui, constituit pro 672 se Gelasium, virum bonum, et dignum tali honore, conniventibus clero et populo, quin potius sustentibus propter pactum. Nam alias durum visum omnino. Quo consecrato, regibusque ac principibus attentius commendato, ipse clarus miraculis et triumphis, ad suam parochiam redit: non tamen Connereth. Et audi causam dignam relatu. Diœcesis illa duas fertur habuisse antiquitus episcopales sedes, et duos exstitisse episcopatus. Id visum melius Malachiæ. Itaque quos ambitio conflavit in unum, Malachias revocavit in duos, partem alteri episcopo cedens, partem retinens sibi. Et propterea non venit Connereth, quod in ea jam episcopum ordinasset: sed Dunum se contulit, determinans parochias, sicut in diebus antiquis. O purum cor! o oculus columbinum! Locum tradidit novo episcopo, qui videretur paratior, principalior haberetur; locum, in quo sederat ipse. Ubi sunt, qui de terminis litigant, pro uno viculo perpetes ad invicem inimicitias exercentes? Nescio si quod genus hominum magis, quam istos, antiquum vaticinium tangat: *Secuerunt prægnantes Galaad ad dilatandum terminos suos* (Amos 1, 13). Sed hoc alias.

32. Malachias factus Dunensis episcopus, confestim more suo curavit asciscere ad solatium sibi de filiis suis conventum regularium clericorum. Et ecce rursus accingitur, quasi novus Christi tiro, ad spirituale certamen; rursus induitur arma potentia Deo, sanctæ paupertatis humilitatem, rigorem disciplinæ cœnobialis, otium contemplandi, orandi assiduitatem: quæ tamen omnia voto magis valuit diu tenere, quam actu. Etenim universi confluebant ad eum: nec modo mediocres, sed et nobiles et potentes, illius se sapientiæ et sanctitati instruendos, corrigendos ac regendos committere festinabant. Et ipse interdum ibat, et exhibat seminare semen suum, disponens et decernens tota auctoritate de rebus ecclesiasticis, tanquam ex Apostolis unus. Et nemo illi dicebat, In qua potestate hæc facis? videntibus cunctis signa et prodigia, quæ faciebat; et quia ubi spiritus Domini, ibi libertas (II Cor. 11, 17).

## CAPUT XV.

*Romam proficisci deliberat, pallium a Pontifice petiturus.*

33. Visum tamen sibi, non tute satis actitari ista absque Sedis apostolicæ auctoritate, et Romam proficisci deliberat: maximeque quod metropolitæ sedi

deerat adhuc, et defuerat ab initio pallii usus, quod est plenitudo honoris. Et visum est bonum in oculis ejus, si Ecclesia, pro qua tantum laborarat, quem hactenus non habuerat, suo acquireret studio et labore. Erat et altera metropolitana sedes, quam de novo constituerat Celsus, primæ tamen sedi, et illius archiepiscopo subdita, tanquam primati. Et huic quoque optabat nihilominus pallium Malachias, confirmarique auctoritate Sedis apostolicæ prærogativam, quam beneficio Celsi adipisci meruerat. Innotescente proposito, displicuit fratribus, necnon et magnatibus et populo terræ. Omnes enim intolerabilem sibi judicabant tam diutinam omnium pii parentis absentiam, et quod metuerent de morte ipsius.

34. Contigit interea mori germanum ejus, Christianum nomine, virum bonum, plenum gratiæ et virtutis. Episcopus erat, illi quidem secundus in celebri opinione, sed vitæ sanctimonia et justitiæ zelo forte non impar. Hujus decessus magis terruit universos, et discessum Malachiæ reddidit molestiorem. Dicebant autem nullo modo assentiendum unici peregrinationi patroni, ut non desoletur omnis terra, si duabus tantis columnis sub uno momento temporis destituatur. Ergo omnes pariter contradicunt. Et vim faciebant, cum ille divinam ultionem minatus est. Non tamen destitere illi, nisi missa sorte, prius Dei voluntas super hoc interrogaretur. Prohibente illo, nihilominus mittunt: sed illa pro Malachiæ parte ter respondisse inventa est. Nec enim una contenti vice fuere, cupidi retinendi eum. Demum cedentes, dimittunt illum, non tamen **673** sine ploratu et ululatu multo. Sed ne quid imperfectum relinqueret, tractare cœpit, quomodo defuncti fratris semen suscicaret. Et accersitis ad se tribus discipulis suis, anxius æstuabat, quisnam dignior ad hoc opus, sive utilior videretur. Et diligenter intuitus singulos: « Tu, » inquit, « o Edane » (sic enim vocabatur unus), « suscipe onus. » Illo cunctante, et flente: « Ne timeas, » ait. « Tu enim mihi a Domino designatus es, quia annulum aureum, quo desponsandus es, jam nunc prævidi in digito tuo. » Acquievit ille, et Malachias, eo consecrato, proficiscitur.

35. Cumque egressus de Scotia, pervenisset Eboracum, sacerdos quidam, Sycarus nomine, intuitus eum agnovit. Nec enim faciem ejus viderat ante: sed cum haberet spiritum prophetiæ, revelatum fuerat ei jampridem de illo. Et nunc incunctanter circumstantibus digito eum demonstrans: « Hic est, » inquit, « de quo dixeram, quia de Hibernia sanctus veniet pontifex, qui scit cogitationes hominum. » Sic non potuit latere lucerna sub modio, prodente eam per os Sycari Spiritu sancto qui illam accendebat. Nam et multa secreta de esse suo, suorumque dicta sunt ei a Sycaro, quæ ita esse vel fuisse omnia recognovit. Sed et sociis Malachiæ percontantibus de suo reditu, respondit Sycarus incunctanter (quod post rei probavit eventus), paucos videlicet admo-

Adum de numero illo cum Episcopo redituros. Illi, audito hoc, suspicati sunt mortem: sed Deus aliter adimplevit. Nempe rediens ab Urbe, quibusdam apud nos, quibusdam et in aliis locis ad discendam conversationis formam relictis, juxta verbum Sycari, cum paucis admodum repatriavit. Hæc de Sycaro.

36. In ipsa urbe Eboracensi, accessit ad eum vir nobilis secundum sæculum, Wallenus nomine, tunc Prior in Kirkeham [*al.* Kyrkested] regularium fratrum; nunc vero monachus, et monachorum pater in Mailros monasterio ordinis nostri, qui devotus Malachiæ se orationibus satis humiliter commendavit. Is advertens multos habere Episcopum socios, et equos paucos (nam præter ministros, et clericos alios, quinque cum eo erant presbyteri, et equi nonnisi tres), obtulit ei suum, quo ipse vehebatur, hoc solum dolere se inquiens, quod esset runcinus dure portans. Et addidit: « Libentius dedissem, si melior fuisset: sed, si dignamini, ducite qualemcunque vobiscum. » — « Et ego, » ait Episcopus, « eo libentius accipio, quo prædicas viliores: quia non potest mihi vile esse, quidquid tam pretiosa voluntas obtulerit. » Et conversus ad suos: « Hunc, » inquit, « sternite mihi, quia commodus satis, et sufficiens erit in longum. » Quo facto, ascendit: et primo quidem durum, ut erat, sentiens, postmodum miramutatione valde commodum sibi et suaviter ambulantem invenit. Et ne caderet super terram de sermone quem dixerat, usque ad nonum annum, quo mortuus est ipse, non defecit ei, factus optimus et pretiosissimus palefridus. Quodque evidentius miraculum cernentibus fecit, de subnigro cœpit albescere, et non multo post vix inveniebatur albior illo.

#### CAPUT XVI.

*Romam tendens, et inde rediens, Claram-Vallem visitat.*

37. Mihi quoque in hac via datum est videre virum, et in ejus visu et verbo reffectus sum, et delectatus sum, sicut in omnibus divitiis. Et ego vicissim, peccator licet, inveni gratiam in oculis ejus extunc, et deinceps usque ad obitum ipsius, sicut in procemio præfatus sum. Ipse etiam dignatus divertere ad Claram-Vallem, visis fratribus, punctus est: et illi non mediocriter ædificati in præsentia et sermone ejus. Et acceptans locum, et nos, atque intimis visceribus colligens, valedixit nobis, et abiit. Qui transalpinans, cum venisset Iporiam civitatem Italiæ, hospitis sui parvulum filium, qui male habens moriturus erat, continuo sanavit.

38. Erat tunc temporis in Sede apostolica felicitis memoriæ **674** Innocentius secundus papa: qui eum benigne suscepit, humane satis illi super longa peregrinatione compassus. Et primo quidem Malachias, quod altius infixerat animo, cum multis lacrymis implorabat, licere sibi vivere, et mori in Clara-Valle, permissu et benedictione summi Pontificis. Et petiit hoc, non oblitus ad quod venerat, sed affectus quo venerat desiderio Claræ-Vallis. Non au-

tem obtinuit, quod virum Apostolicus lucris potius A  
 uberioribus occupandum decerneret. Nec tamen om-  
 nino frustratus est a desiderio cordis sui, cui mori  
 ibi, etsi non vivere, donatum est. Mensem integrum  
 fecit in Urbe, loca sancta perambulans, et frequen-  
 tans causa orationis. Cumque per id temporis sæpe  
 ac diligenter ab eo, et ab his qui cum eo erant,  
 summus Pontifex inquisisset esse patriæ, mores  
 gentis, statum Ecclesiarum, et quanta in terra Deus  
 per eum operatus fuisset: paranti jam repatriare  
 commisit vices suas, per universam Hiberniam lega-  
 tum illum constituens. Significatum siquidem erat  
 ei ab episcopo Gilleberto, qui, ut supra memoravi-  
 mus, tunc legatus exstiterat, quod jam non posset  
 præ senio et debilitate corporis villicare. Post hæc  
 petit Malachias confirmari novæ metropolis constitu-  
 tionem, et utriusque sedis pallia sibi dari. Et con-  
 firmationis quidem privilegium mox accepit: « De  
 palliis autem, » ait summus pontifex, « oportet so-  
 lemnius agi. Convocatis episcopis, et clericis, et  
 majoribus terræ, celebrabis generale concilium: et  
 sic conniventia et communi voto universorum per  
 honestas personas requiretis pallium, et dabitur vo-  
 bis. » Deinde tollens mitram de capite suo, imposuit  
 capiti ejus: sed et stolam cum manipulo dedit, qui-  
 bus uti inter offerendum solebat. Et salutatum in  
 osculo pacis dimisit eum, apostolica fultum bene-  
 dictione et auctoritate.

39. Qui revertens per Claram Vallem, suam se-  
 cundo nobis largitus est benedictionem. Et alta su-  
 spiria trahens, quod non liceret sibi pro suo desiderio  
 remanere: « Hos, » inquit, « interim pro me, oro  
 ut retineatis, qui a vobis discant, quod nos postmo-  
 dum doceant. » Et infert: « Erunt nobis in semen,  
 et in semine isto benedicentur gentes, et illæ gentes,  
 quæ a diebus antiquis monachi quidem nomen au-  
 dierunt, monachum non viderunt. » Et dimissis  
 quatuor a latere suo, abiit: qui probati, et digni in-  
 venti monachi facti sunt. Post aliquod tempus, cum  
 jam Sanctus esset in terra sua, misit alios, et de  
 illis factum est similiter. Quibus per aliquantum  
 tempus instructis, et eruditis corde in sapientia,  
 dato eis in patrem sancto fratre Christiano, qui erat  
 unus ex ipsis, emisimus eos, adjungentes de nostris  
 quanti sufficerent ad numerum abbatiæ. Quæ con-  
 cepit, et peperit filias quinque: et sic multiplicato  
 semine, augetur in dies numerus monachorum,  
 juxta desiderium et vaticinium Malachiæ. Nunc jam  
 repetamus ordinem narrationis.

#### CAPUT XVII.

##### *Diversa beneficia sanitatum per eum collata.*

40. Malachias profectus a nobis, prospere perve-  
 nit in Scotiam. Et invenit David regem, qui adhuc  
 hodie superest, in quodam castello suo: cujus filius  
 infirmabatur ad mortem. Ad quem ingressus, hono-  
 rifice a rege susceptus, et humiliter exoratus, ut sa-  
 naret filium suum; aqua, cui benedixit, aspersit ju-  
 venem, et intuens in eum, ait: « Confide, fili, non  
 morioris hac vice. » Dixit hoc, et die sequenti, se-

cundum dictum prophetæ, secuta est sanitas, sani-  
 tatem lætitia patris, clamor et strepitus totius exsul-  
 tantis familiæ. Exiit sermo ad omnes, nec enim  
 quod in domo regia et Regis acciderat filio, latere  
 potuit. Et ecce ubique resultans gratiarum actio, et  
 vox laudis, tum pro salute domini, tum pro miraculi  
 novitate. Henricus est iste: nam vivit adhuc unicus  
 patris sui, miles fortis et prudens, patrizans, ut  
 aiunt, in sectando justitiam et amorem viri. Et ama-  
 vit uterque Malachiam, quandiu **675** vixit, tan-  
 quam qui illum a morte revocasset. Rogabant eum  
 manere per aliquot dies: sed ille declinans gloriam,  
 moram non sustinuit, et mane carpebat iter. Trans-  
 eunti igitur per villam, nomine Crugeldum, occurrit  
 puella muta. Orante illo, solutum est vinculum lin-  
 guæ ejus, et loquebatur recte. Dehinc villam ingre-  
 diens, quam nominant ecclesiam Sancti-Michaelis,  
 oblatam sibi mulierem phreneticam, et vinctam fu-  
 nibus, coram omni populo curat, et dimissa incolu-  
 mi, proficiscitur. Perveniens vero ad portum La-  
 perasperi, transitum ibi per aliquot dies præstolaba-  
 tur: sed mora minime transiit otiosa. Constructur  
 interim de virgis in sepem textis oratorium, ipso  
 jubente, ipso operante pariter. Consummatum cir-  
 cumdedit vallo, atque interjacens spatium in cœ-  
 meterium benedixit. Sane merita benedictis mi-  
 racula satis declarant, quæ usque hodie ibi actitari  
 feruntur.

41. Inde est, quod de finitimis locis infirmos et  
 male habentes illi portare consueverunt, et sanantur  
 multi. Mulier totis dissolutis membris, plastro vecta  
 illuc, pedibus suis remeavit domum, una duntaxat  
 nocte non frustra in loco sancto præstolata miseri-  
 cordiam Domini. Alia quædam ibidem pernoctabat  
 in oratione: quam forte reperiens solam homo bar-  
 barus, accensus libidine, et sui minime compos, ir-  
 ruit rabiosus in eam. Conversa illa, et tremefacta,  
 suspiciens advertit hominem plenum diabolico spi-  
 ritu: « Heus tu, » inquit, « miser, quid agis? Con-  
 sidera ubi es, reverere hæc sancta, defer Deo, defer  
 servo ejus Malachiæ, parce et tibi ipsi. » Non desti-  
 tit ille, furiis agitato iniquis. Et ecce (quod horribile  
 dictu est) venenatum et tumidum animal, quod bu-  
 fonem vocant, visum est reptans exire deinter fe-  
 mora mulieris. Quid plura? Terrefactus resilit ho-  
 mo, et datis saltibus, festinus oratorio exsilit. Ille  
 confusus abscessit, et illa intacta remansit, magno  
 quidem et Dei miraculo, et merito Malachiæ. Et  
 pulchre operi fædo et abominando fædum interve-  
 nit et abominabile monstrum. Non prorsus aliter  
 decuit bestialem extinguere libidinem, quam per fri-  
 gidissimum vermem: nec aliter temerarium frenari  
 ausum, frustrari conatum, quam per vilem, inuti-  
 lemque bestiolam. Et hæc loco isto sufficiant pauca  
 de pluribus: nunc jam reliqua prosequamur.

#### CAPUT XVIII.

*Reversus in patriam, totus curæ pastorali et refor-  
 mati ni incumbit.*

42. Ascendit Malachias navem, et prospere navi-

gans, applicuit monasterio suo Benchorensi, ut primi filii primam reciperent gratiam. Quid animi putas gessisse illos, sano de via tam longa recepto patre, et illo patre? Nec mirum, si se tota in gaudium effuderunt viscera eorum in reditu ejus, quando et exteris circumquaque gentibus incredibilem mox lætitiā velox rumor invexit. Denique de civitatibus, et castellis, et vicis occurrunt ei; et quocumque diverstat, suscipitur exultatione universæ terræ. Verumtamen non sapit honor. Opus exercetur legationis: multis in locis celebrantur conventus multi, ne qua regio, seu portio regionis, legationis fructu et utilitate fraudetur. Seminatur super omnes aquas: non est qui se abscondat ab opera sollicitudinis ejus. Non sexus, non ætas, non conditio, non professio reputatur. Ubique semen spargitur salutare, ubique intonat tuba cœlestis. Ubique discurret, ubique irumpit, evaginato gladio linguæ ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Terror ejus super facientes mala. Clamat *iniquis, Nolite inique agere; et delinquentibus, Nolite exaltare cornu* (Psal. LXXIV, 5). Religio ubique plantatur, propagatur, fovetur. Oculi ejus super eos, et cura ejus ad necessitates eorum. In conciliis, quæ passim celebrantur, repetuntur antiquæ traditiones, quas tamen bonas fuisse constiterit, abolitas **676** vero negligentia sacerdotum. Nec modo vetera instaurantur, cuduntur et nova; et quæcumque promulgaverit, tanquam cœlitus edita acceptantur, tenentur, scripto mandantur ad memoriam posterorum. Quidni cœlitus missa crederentur, quæ tot cœlestia confirmant miracula? Et ut fidem dictis faciam, perstringam nonnulla paucis. Quis enim cuncta enumeret? Quanquam libentius, fateor, imitandis immorer, quam admirandis.

#### CAPUT XIX.

*Virtutum ejus insignia, et mores vero præsule digni.*

43. Et meo quidem judicio primum et maximum miraculum, quod fecit, ipse erat. Ut enim taceam interiorem hominem ejus, cujus pulchritudinem, fortitudinem, puritatem satis indicabant mores ipsius et vita, ipsum exteriorem ita uno semper modo, ipsoque modestissimo et decentissimo gessit, ut nil prorsus appareret in eo, quod posset offendere intuentes. Et quidem qui non offendit in verbo, ille perfectus est vir (Jac. III, 2). At vero in Malachia quis unquam, etiamsi curiosius observarit, deprehendit otiosum, non dico verbum, sed nutum? Quis manum, pedemve moventem frustra? Imo quid non ædificans in ejus incessu, aspectu, habitu, vultu? Denique vultus hilaritatem nec fuscavit mœror, nec levigavit risus. Totum in eo disciplinatum, totum insigne virtutis, perfectionis forma. Per omnia serius, sed non austerus. Remissus interdum, dissolutus nunquam. Negligens nihil, etsi pro tempore multa dissimulans. Quietus sæpe, sed minime aliquando otiosus. A die primo conversionis suæ usque ad extremum vitæ, sine proprio vixit. Non servos, non ancillas, non villas, non viculos, non denique

quidquam redituum ecclesiasticorum sæculariumve, vel in ipso habuit episcopatu. Mensæ episcopali nihil prorsus constitutum, vel assignatum, unde Episcopus viveret. Nec enim vel domum propriam habuit. Erat autem pene incessanter circuiens parochias omnes, Evangelio serviens, et de Evangelio vivens. sicut constituit ei Dominus: *Dignus est, inquit, operarius mercede sua* (Luc. x, 7). Nisi quod frequentius ipsum Evangelium sine sumptu ponens, de laboribus suis suorumque ferebat, unde se et eos qui secum laborabant, in opere ministerii sustentaret. Porro si interdum quiescere oporteret, in sanctis hoc faciebat locis, quæ ipse per Hiberniam sparserat universam: apud quos vero moram facere libuisset, illorum se conformavit moribus et observantiis, communi contentus vita et mensa. Non fuit in victu, non fuit in vestitu, in quo potuisset Malachias dignosci inter cæteros fratres: in tantum, cum major esset, humiliavit se in omnibus.

44. Denique cum exiret ad prædicandum, cum peditibus pedes et ipse ibat, episcopus et legatus. Forma apostolica hæc: et inde magis mira in Malachia, quo rara nimis in aliis. Verus profecto apostolorum hæres est iste, qui talia agit. Sed advertere est, quomodo dividat hæreditatem cum fratribus suis, æque nepotibus Apostolorum. Illi dominantur in clero: iste dum esset liber ex omnibus, omnium se servum fecit. Illi aut non evangelizantes manducant, aut evangelizant ut manducent: Malachias imitans Paulum, manducat ut evangelizet. Illi fastum et quæstum æstimant pietatem: Malachias hæreditate vindicat sibi opus et onus. Illi felices se credunt, si dilataverint terminos suos: Malachias in dilatanda charitate gloriatur. Illi congregant in horrea, et dolia replent, unde onerent mensas: Malachias colligit in deserta et solitudines, unde impleat cœlos. Illi, cum accipiant decimas, et primitias, et oblationes, insuper et de Cæsaris beneficio telonia, et tributa, et alios redditus infinitos, solliciti sunt nihilominus, quid manducent, et quid bibant: Malachias nihil horum habens, multos tamen locupletat de promptuario fidei. Illis nec cupiditatis, nec sollicitudinis ullus est finis; Malachias **677** cupiens nihil, non novit tamen cogitare de crastino. Illi a pauperibus exigunt quod dent divitibus: iste sollicitat divites pro pauperibus sustentandis. Illi marcupia vacuant subditorum: iste pro peccatis eorum altaria cumulat votis, hostiisque pacificis. Illi alta palatia erigunt, turre ac mœnia ad cœlos levant; Malachias non habens ubi caput reclinet, opus facit evangelistæ. Illi equos ascendunt cum turba hominum gratis manducantium panem, et non suum; Malachias septus sanctorum fratrum collegio, pedes circuit, portans panes Angelorum, quibus satiet animas esurientes. Illi plebes ne agnoscunt quidem: iste erudit. Illi potentes et tyrannos honorant: iste punit. O virum apostolicum, quem tot et talia nobilitant signa apostolatus sui! Quid ergo mirum, si mira est operatus, sic mirabilis ipse? Imo vero non

ipse, sed Deus in ipso. Alioquin *tu es Deus*, inquit, *A* qui facis mirabilia (*Psal. LXXVI, 15*).

## CAPUT XX.

*Energumenos vexatos a dæmoniis liberat.*

45. Erat mulier in civitate Culratim [*al. cultatim*], dæmonium habens. Vocatus est Malachias; orat pro addicta, urget invasorem; exit. Sed nondum exsaturata nequitia ejus, miseram invadit mulierculam, quæ forte prope assisteret. Et Malachias: « Non ad hoc, » inquit, « tibi illam tuli, ut hanc pervaderes: exi et ab ea. » Paret, sed repetit priorem. Qua denuo pulsus, recurrit in alteram. Ita per aliquod spatium alternatim vexabat illas, hinc inde refugiens. Tunc sanctus indignans sibi illudi a dæmone, colligensque spiritum, infrenuit, et totis viribus fidei facto impetu in adversarium, ab utraque fugavit, et quidem non minus vexatum his, quas vexaverat ipse. Cæterum quod moram fecit sancto, non putes, lector, fuisse virtutis ejus, sed dispensationis divinæ: ut videlicet ex hoc manifestior fieret et maligni præsentia, et victoria Malachiae. Denique audi quid alibi fecerit, non autem per præsentiam suam. Et utique potuit præsens, quod absens valuit.

46. In regione aquilonaris partis Hiberniæ jacebat infirmus in domo, nec dubium quin dæmonum maleficio. Nam quadam nocte audivit eos loquentes, dicente altero ad alterum: « Vide ne miser iste hypocritæ illius stratum, stramenve contingat, et sic effugiat manus nostras. » Cognovit homo, quod Malachiam loquerentur, quem non multo ante in eadem domo memineral pernoctasse. Et adhuc stramen in loco: sumptaque fiducia, et quo potuit conatu, cœpit repere debilis corpore, sed fide fortis. Et ecce in aere clamor et vociferatio: « Prohibe eum, prohibe; retine eum, retine: amittimus prædam. » Verum is quem portabat fides et desiderium evadendi, quanto plus clamabant illi, tanto magis genibus manibusque nitens, ad remedium festinabat. Et perveniens ascendit lectulum, volutatur in stramine, audit ululatum plangentium: « Heu, heu! ipsi nos prodidimus, decepti sumus, evasit. » Et dicto citius recessit ab eo dæmonum terror et horror quem patiebatur, et omnis pariter ægritudo. In Lesmor civitate homo a dæmonio vexatus, per Malachiam liberatus est. Item transeunti aliquando per Laginiam, oblatus illi infans habens dæmonium, sanus relatus est. In regione eadem ligatam funibus phreneticam solvi jussit, et in aqua, quam benedixit, lavari. Lota est, et sanata est. Alteram quoque in Saballo regione Ulydiæ, membra propria dentibus laniantem, orando et tangendo curavit. Amentem hominem, multa prædicentem futura, amici et propinqui adducunt ad Dei hominem, vinctum funibus fortiter, quod fortem ad nocendum rabies ipsa fecisset, et terribilem valde. Orat Malachias; et incontinenti æger sanatur, et solvitur. Factum est hoc loco quodam, cujus nomen tacemus, quod nimis barbarum sonet, sicut et alia multa. Alio tempore in

præfata civitate Lesmor puellam mutam parentes ejus in media platea **678** offerunt transeunti, cum multa supplicatione rogantes ut ei subvenire dignetur. Stat Malachias, et facta oratione, tangens digito linguam ejus, sputum misit in os ejus et loquentem dimisit.

## CAPUT XXI.

*Beneficia moribundis et parturientibus præstita.*

47. Exiens de quadam ecclesia, obvium habuit hominem cum uxore sua, quæ non poterat loqui. Rogatus ut ejus misereatur, stat in porta, populo circumstante; et data benedictione super eam, jubet dominicam dicere orationem. Dixit illa, et populus benedixit Dominum. In civitate, cui nomen Oenthreb [*al. Onereb*], decumbens lectulo quidam dives, jam dies duodecim privatus linguæ officio, ad jussionem visitantis se sancti, loquelam recuperat, eucharistiam sumit: et ita munitus, extremum in bona confessione efflavit spiritum. O oliva fructifera in domo Dei! o oleum jucunditatis, ungens et lucens! Et splendore miraculi illustravit sanos, et suavitate beneficii unxit infirmum, cui mox morituro salutarem confitendi et communicandi obtinuit facultatem. Intravit ad eum quidam de nobilibus, habens ei aliquid dicere. Qui inter loquendum, fide plenus, tres juncos pie furatus de lectulo, in quo ille sedebat, tulit secum: et multa Deus de furto pietatis est operatus, fide illius, et Præsulis sanctitate. Forte venerat in civitatem, nomine Duevania. Et cum sederet ad mensam, ingressus vir nobilis de civitate ipsa humiliter supplicat pro uxore prægnante, quæ jam solemne omne præterisset tempus pariendi, ita ut mirarentur omnes; et nemo, qui aliud quam vitæ periculum crederet imminere. Rogat et cum eo Neemias, episcopus illius civitatis, qui juxta eum sedebat: rogant et cæteri, quotquot aderant simul discumbentes. Tum ille: « Compatior ei, » inquit, « quod bona mulier sit, et pudica. Et porrigens viro poculum, cui benedixerat: « Vade, » inquit, « da illi bibere, sciens eam sumpto benedictionis potu, et sine mora, et sine periculo parituram. » Factum est quod præcepit, et nocte ipsa subsecutum est quod promisit. Sedebat in campo cum Comite Ulydiæ aliqua tractans, et multitudo copiosa circa eos. Venit mulier gravida, et vere gravis. Indicat se contra omnes naturæ leges retinere partum jam quindecim mensibus et diebus viginti. Compassus Malachias super novo et inaudito incommodo, orat, et mulier parit. Qui aderant, lætati sunt, et mirati sunt. Omnes enim viderunt, in qua facilitate et velocitate loco eodem enixa sit, et triste negati partus periculum miraculo commutatum jucundiori.

## CAPUT XXII.

*Concubinario obstinato exitium denuntiat.*

48. Accidit ibidem quiddam pari quidem miraculo, sed sorte dispari. Vidit hominem, qui publice tenere diceretur concubinam fratris; et hic erat miles, minister Comitum. Et publice conveniens incestuosum,

alterum ei Joannem exhibuit: « Non licet tibi, A inquit, « concubinam habere fratris tui. » At ille alterum ipsi nihilominus Herodem redhibens, non modo non audivit eum, sed et superbe respondit, et coram omnibus jurat nunquam se dimissurum (*Marc. vi, 17-28*). Tum commotus Malachias, sicut erat pro justitia vehementer zelans: « Et Deus, » inquit, « te ab illa separet vel invitum. » Parvi pendens ille, ex instanti abiit indignabundus. Offendensque mulierem non longe a turba constituta in loco, vi oppressit eam, sicut erat satanae totus, cui paulo ante traditus fuerat. Nec latuit flagitium. Ancilla, quae dominam comitabatur, recurrens domum (nempe haud procul aberat loco) nuntiat anhela quid mali acciderit. Ad quam vocem germani illius, qui domi erant, zelantes sororis stuprum, tota illo festinantia pervolant, pudicitiae hostem, ipso in loco et opere sceleris deprehensum, multis **679** confossum vulneribus interimunt. Necdum conventus solutus erat, cum ecce armiger illius, quod evenerat, nuntiavit. Et mirati sunt universi, quod sententia Malachiae tam celerem habuisset effectum. Timuerunt quique flagitiosi audito hoc verbo (nam multi erant in terra), et territi purgati sunt, layanles manus suas in sanguine peccatoris.

### CAPUT XXIII.

#### *Varia sanitatum beneficia variis praestita.*

49. Diarmitium comitem, multo jam tempore decumbentem lecto, duriter quidem increpans, quod malus homo esset, immoderatus serviens ventri et gulae, benedicta aspersum aqua, surgere fecit sine mora, ita valentem, ut equum ascenderet illico, et utique praeter spem suam ipsius et suorum. In urbe Caselensi venit homo ante eum cum filio paralytico, rogans illum sanari: qui orans breviter, « Vade, » inquit, « filius tuus sanabitur. » It, et crastino redit cum filio, sed minime sanato. Tum surgens Malachias, et stans super eum diutius oravit, et ille sanatus est. Et conversus ad patrem: « Offer, » inquit, « illum Deo. » Annuit homo, sed non tenuit: et post aliquot annos ille jam juvenis recidit in idipsum, sine dubio propter inobedientiam patris, et pacti transgressionem. Alius quidam veniens de longinquo, cum esset Malachias in finibus Mumoniae, attulit ad eum filium, pedum penitus officio destitutum. Percunctatus quonam modo illi id accedisset: « Ut suspicor, » inquit, « daemorum malignitate. » Et addit: « Ludenti in prato ipsi, ni fallor, immisere soporem, evigilansque puerulus, sic se invenit. » Haec dicens, cum lacrymis precem fundit, efflagitat opem. Misertus ejus oravit Malachias, jubens aegrum interim dormire ibidem super solium [*fort. solum*]. Dormivit; et surrexit sanus. Hunc ipse, quia de longe venerat, aliquandiu in comitatu suo retinuit, et erat ambulans cum eo.

50. In monasterio Benchorensi pauper quidam fratrum eleemosynis sustentabatur. Et erat quotidianam accipiens stipem, aliquid officii factitans in pistrino. Is claudus ab annis duodecim, humi mani-

bus repens, post se trahebat pedes emortuos: quem die quadam ante cellam suam Malachias moestum et moerentem inveniens causam percontatur. Et ille: « Vides, » inquit, « quam ex longo misellus afflieter, et manus Domini super me: et ecce ad eumulum acrumnae, homines, qui misereri debuerant, irrident me potius, miseriam exprobrantes. » Quem ubi audivit, pietate motus suspexit in caelum, manus pariter levans. Facta autem brevi oratione, ipse intravit cellam, et ille surrexit. Et stans super pedes suos, mirabatur si vere esset quod erat pene somnium suspicatus. Coepit tamen se pedetentim movere: neque enim posse ire satis credebat. Tandem quasi e gravi somno evigilans, cognoscit misericordiam Domini super se; firmiter graditur, et in pistrinum revertitur, exsiliens et exsultans, et laudans Deum. Viso eo, qui ante viderant et cognoverant, repleti sunt stupore et ecstasi, phantasma putantes. Virum item hydropicum orando sanavit: qui illico remansit in monasterio, pastor ovium factus.

51. Civitas Hiberniae, nomine Coreagia [*al. Coreava*], vacabat episcopo. Tractatum est de electione: dissensere partes, quibusque, ut assolet, praesulem volentibus constituere suum, non Dei. Venit illuc Malachias, audita dissensione. Convocato clero et populo, etiam corda et vota discordantium unire curavit. Et persuasis illis totum negotium sibi debere credi, cui potissimum sollicitudo incumberet illius, sicut et aliarum per Hiberniam Ecclesiarum, incontinenti nominat eis, non quempiam de nobilibus terrae, sed magis quemdam hominem pauperem, quem sciret sanctum et doctum: et hic erat alienigena. Queritur ille: nuntiatur decumbere lecto, et ita debilis, ut nullo pacto exeat, nisi in manibus portatus ministrantium. Et Malachias: « Surgat, » inquit, « in nomine Domini, ego praecipio; **680** obedientia salvum faciet eum. » Quid faceret ille? Parere volebat, sed imparatum se sentiebat: quod etsi posset ire, episcopari reformidabat. Ita cum voluntate obediendi, pugnante gemino hoste, pondere languoris, et metu honoris [*al. oneris*], vicit illa tamen, data sibi in adjutorium spe salutis. Itaque conatur, movet sese, tentat vires, invenit se solito fortiorem. Crescit pariter fides cum viribus, et rursus facta fortior fides dat vicissim viribus incrementum. Jam surgere per se valet, jam meliuscule gradi, jam nec sentire in ambulando lassitudinem; demum expeditus et alacer pervenire ad Malachiam sine hominis adjutorio. Qui assumens eum, misit in cathedram, clero et populo collaudante. Hoc ita in pace factum est, quia nec illi ausi sunt Malachiae voluntati in aliquo obviare, videntes signum, quod fecerat: nec ille parere dubitavit, tam evidenti argumento factus securior de Domini voluntate.

52. Mulier quaedam fluxum sanguinis patiebatur: et haec nobilis, charissima Malachiae, plus tamen obmorum quam generis nobilitatem. Quae ex toto deficiens, nimirum cum sanguine exhaustis viribus,



Jam posita in extremis, misit ad Dei hominem, ut, quod supererat, animæ subveniret, qui se jam non esset visurus in corpore. Audiens Malachias moleste tulit, quod mulier virtutis foret, et vita ejus fructuosa opere et exemplo. Et videns se non posse satis accurrere tempestive, accito Malcho, quod juvenis esset, et expeditus (ipse est, cujus supra meminimus (Num. 39), frater Christiani abbatis): « Accelera, » inquit, « ser illi tria poma hæc, super quæ nomen Domini invocavi. Confido in ipso quod ubi ex eis gustaverit, non gustabit mortem, priusquam nos videat, etsi tardiuscule secuturos. » Festinat Malchus secundum mandatum, et veniens intrat ad morituram, alterum se exhibens puerum Elisæi (IV Reg. iv, 29), nisi quod hujus efficacior opera fuit. Jubet missam sibi a Malachia benedictionem accipere, et gustare, si quo modo valuerit. At illa exhilarata, audito nomine Malachiæ, ut obedire possit nutu significat paulisper se erigi velle; nam verbo non poterat. Erigitur, gustat: gustato confortata est, loquitur et gratias agit. Et immisit Dominus soporem in eam, et suavissime requievit in eo, cujus usu diu caruerat, sicut et esu. Stetit interim sanguis, et post modicum expergefata, sanam se reperit, nisi quod longa inedia, et sanguinis minutione adhuc debilis erat. Si quominus, die sequenti desideratus Malachiæ adventus aspectusque perfecit.

## CAPUT XXIV.

*Aminam sine sacramento Extremæ Unctionis defunctam resuscitat.*

53. Habitabat vir nobilis in vicinia Benchorensis monasterii, cujus uxor cum infirmaretur ad mortem, rogatus Malachias ut descenderet, priusquam moreretur, infirmam uncturus oleo. Descendit, et intravit ad eam: quo viso, exultat illa, spe animata salutis. Et cum pararet ungere eam, visum est omnibus differendum potius usque mane. Erat enim vespera. Acquievit Malachias, et data benedictione super ægram, exivit cum his qui secum erant. At vero post modicum subito clamor factus est, planctus et strepitus multus per totam domum; siquidem insonuit quod mortua esset. Accurrit Malachias tumultu audito, et secuti sunt eum discipuli ejus. Et accendens ad lectum, ut certo comperit exspirasse, consternatus est animo, sibi imputans, quod fraudata gratia Sacramenti obierit. Et elevatis in cælum manibus, « Obsecro, Domine, inquit, insipienter egi. Ego, ego peccavi, qui distuli; non ista, quæ voluit. » Hæc dicens, contestatus est in audientia omnium, nullam se recepturum consolationem, nullam daturum requiem spiritui suo, nisi, quam tulerat, liceret restituere gratiam. Et stans super eam, tota nocte laborabat in gemitu suo: et pro oleo sancto, largo imbri lacrymarum **681** perfundens mortuam, vicem illi unctionis, quam poterat exhibebat. Ipse quidem sic; ad suos autem: « Vigilate, » inquit, « et orate. » Itaque in psalmis illi, ille in lacrymis, noctem duxere pervigilem. Et mane facto, exaudivit Dominus sanctum suum, quia spiritus Domini erat

A postulans pro eo, qui postulat pro sanctis gemitibus inenarrabilibus. Quid plura? aperit oculos quæ fuerat mortua; et, ut solent qui de gravi somno evigilant, fricans sibi manibus frontem et tempora, super lectum se erigit, et agnito Malachia, inclinans devote salutatur eum. Et verso luctu in gaudium, stupor apprehendit omnes, et qui viderunt, et qui audierunt. Sed et Malachias gratias agens, benedixit Dominum. Et unxit eam nihilominus, sciens in hoc Sacramento remitti peccata, et quod oratio fidei salvet infirmum (Jac. v, 14, 15). Post hæc abiit ille, et illa convaleuit: et vivens incolumis tempore aliquanto, ut gloria Domini manifestaretur in ea, peracta pœnitentia, quam sibi Malachias injunxerat, in bona confessione iterum obdormivit, et migravit ad Dominum.

## CAPUT XXV.

*Alia diversa beneficia in diversos collata.*

54. Fuit item mulier, cui spiritus iracundiæ et furoris in tantum dominaretur, ut non solum vicini et cognati fugerent consortium ejus, sed filii quoque ipsius vix sustinerent habitare cum ea. Clamor, et rancor, et tempestas valida, ubicumque fuisset. Audax, et ardens, et præceps, metuenda lingua et manu, importabilis omnibus, et invisa. Dolentes filii tum pro illa, tum pro seipsis, trahunt illam ad præsentiam Malachiæ, lacrymabilem cum fletu querimoniam deponentes. Vir autem sanctus et periculum matris, et incommodum miserans filiorum, seorsum advocat illam: fueritne confessa aliquando peccata sua, sollicite percontatur. Respondit, « Nequaquam. Confitere, » inquit, Paret. Et ille injungens pœnitentiam confitenti, oransque super eam, ut Dominus omnipotens det ei spiritum mansuetudinis, in nomine Domini Jesu ne ultra irascatur jubet. Sequitur tanta mansuetudo, ut pateat omnibus non esse aliud, quam admirabilem mutationem dexteræ Excelsi. Fertur adhuc hodie vivere, et tantæ esse patientiæ et lenitatis, ut quæ omnes exasperare solebat, nullis modo exasperari damnis, contumeliis, afflictionibus queat. Si licet et me, juxta Apostolum, abundare in sensu meo (Rom. xiv, 5), accipiat quisque ut volet; ego istud superiori suscitata miraculo mortuæ censeo præferendum, quod exterior quidem ibi, hic vero interior revixerit homo. Et nunc curramus ad reliqua.

55. Vir secundum sæculum honorabilis, secundum Deum timoratus, veniens ad Malachiam, questus est ei super sterilitate animæ suæ, supplicans ut sibi obtineret ab omnipotente Deo gratiam lacrymarum. Et subridens Malachias, quod gratum haberet in homine sæculari desiderium spirituale, suam maxillam maxillæ illius quasi blandiendo conjungens: « Fiat, » inquit, « tibi, sicut petisti. » Tantos exinde, et pene continuos exitus aquarum deduxerunt oculi ejus, ut illud Scripturæ ei posse apiri videretur: *Fons hortorum, puteus aquarum viventium* (Cantic. iv, 15). Est insula maris in Hibernia,

ab olim fecunda piscium : et mare ibi piscosum A valde. Peccatis, ut creditur, habitantium adempta copia solita, quæ multos habebat filios, infirmata est, et a tanta funditus sui commoditate emarcuit. Dolentibus accolis, et jacturam gravem populis ægre ferentibus, revelatum est cuidam mulieri, precibus Malachiae posse afferri remedium : idque innotuit omnibus, ipsa prodente. Nutu Dei contigit adesse Malachiam. Dum enim circuiret, et repletet Evangelio regionem, divertit illuc, ut et ipsis eandem gratiam impertiret. At barbari, quibus erat major cura de piscibus, omni instantia flagitant, ut potius respicere dignetur super sterilitatem insulae suae. Qui cum responderet se minime ad hoc venisse, **682** hominum magis, quam piscium desiderare capturam ; videns tamen fidem eorum, flexis in litore genibus, oravit ad Dominum, ut, licet indignis, indultum olim beneficium tanta fide repetentibus non negaret. Ascendit oratio, ascendit et piscium multitudo, et forte uberior, quam in diebus antiquis, et ipsa populo terrae perseverans usque in hodiernum diem. Quid mirum, si oratio justis, quæ penetrat caelos, penetravit abyssos, et de profundo maris tantas piscium copias evocavit ?

56. Venerunt aliquando tres episcopi in villam Fochart [al. Fochaut], quem dicunt locum nati-  
tatis Brigidæ virginis : et quartus erat Malachias. Ad quem presbyter qui hospitio susceperat eos :  
« Quid faciam, » inquit, « quod pisces non habeo ? » Quo respondente, ut quæreret a piscatoribus : « Bien-  
nium est, » ait, « quod non inveniuntur pisces in flumine : unde et piscatores prorsus diffusi, etiam arti suae renuntiaverunt. » Et ille : « Præcipe, » inquit, « laxari retia in nomine Domini. » Factum est, et capti sunt salmones duodecim. Secundo miserunt, et captis totidem, inopinatum inferunt mensis et ferculum, et miraculum. Et ut clare liqueat, Malachiae meritis hoc datum fuisse, aliis quoque duobus sequentibus annis eadem nihilominus sterilitas perduravit.

#### CAPUT XXVI.

*Veritatem corporis Christi in Eucharistia propugnat.*

57. Fuit quidam clericus in Lesmor, probabilis (ut fertur) vitæ, sed fidei non ita. Is sciolus in oculis suis, præsumpsit dicere, in Eucharistia esse tantummodo sacramentum, et non rem sacramenti, id est solam sanctificationem, et non corporis veritatem. Super quo a Malachia secreto, et sæpe conventus, sed incassum, vocatus ad medium est, seorsum tamen a laicis, ut, si fieri posset, sanaretur, et non confunderetur. Itaque in conventu clericorum data facultas homini est pro sua sententia respondendi. Cumque totis ingenii viribus, quo non mediocriter callebat, asserere et defendere conaretur errorem, Malachia contra disputante et convincente, iudicio omnium superatus, de conventu confusus quidem exiit, sed non correctus. Dicebat autem se non ratione victum, sed Episcopi pressum auctoritate. « Et tu, » inquit, « o Malachia, sine causa me ho-

die confundisti, adversus profecto veritatem locutus, et contra tuam ipsius conscientiam. » Mœstus Malachias pro homine sic indurato, sed magis fidei dolens injuriam, timens periculum, ecclesiam convocat : errantem publice arguit, publice monet ut respiscat. Suadentibus hoc ipsum episcopis et universo clero, cum non acquiesceret, contumaci anathema dicunt, hæreticum protestantes. Nec sic evigilans : « Omnes, » inquit, « favetis homini potiusquam veritati; ego personam non accipio, ut deseram veritatem. » Ad hoc verbum substomachans sanctus : « Dominus, inquit, « fateri te veritatem faciat vel ex necessitate. » Quo respondente, « Amen, » solvitur conventus. Tali ille inustus cauterio, fugam meditatur, infamis atque inhonorus fore non sustinens. Et continuo sua tollens exibat, cum ecce subita correptus infirmitate, sistit gradum, viribusque deficiens, eodem loco jactat se super solum anhelus et fessus. Forte incidens in id loci vagabundus insanus quidam, offendit hominem, quidnam ibi agat percontatur. Respondet gravi se infirmitate teneri, et neque procedere, neque redire valentem. Et ille : « infirmitas ista haud alia, » inquit, « quam ipsa mors est. » Hoc autem non dixit a semetipso ; sed pulchre Dominus per insanum corripuit eum, qui sanis acquiescere noluit consiliis senatorum. Et addit : « Revertere domum, ego te juvabo. » Denique ipso duce revertitur in civitatem ; redit ad cor, et ad misericordiam Domini. Eadem hora accitur Episcopus, agnoscitur veritas, abjicitur error. Confessus reatum absolvitur, petit Viaticum, datur reconciliatio : et uno pene momento perfidia ore abdicatur, et morte diluitur. **683** Ita mirantibus cunctis, sub omni celeritate completus est sermo Malachiae, et scripturae pariter dicentis quia *vexatio dat intellectum auditui (Isa. xxviii, 19)*.

#### CAPUT XXVII.

*Pacem et concordiam inter dissidentes mirabiliter conciliat.*

58. Inter populos quarundam regionum orta aliquando gravis discordia est. Interpellatur Malachias de componenda pace inter eos : et cum esset alias impeditus, injungit negotium hoc uni episcoporum. Illo excusante et negante, et dicente Malachiam, non se, quæsitum ; se contemptum iri, frustra fatigari nolle : « Vade, » inquit, « et Dominus erit tecum. » Et ille : « Acquiesco, sed si me non audierint, scito me ad tuam Paternitatem appellaturum. » Subridens Malachias : « Fiat, » inquit. Tunc episcopus convocatis partibus, dictat formam pacis : acquiescunt, reconciliantur ad invicem ; fide hinc inde data, stabilitur pax : et sic dimisit eos. At pars una videns hostes factos securos, imparatos esse, quippe qui pace facta mali nihil suspicarentur, loquebantur mutuo, et dicebat homo ad proximum suum : « Quid volumus facere ? Victoria præ manibus est, et ultio de inimicis. » Et cœpere insequi illos. Innotuit episcopo quod fiebat ; et accurrens convenit ducem eorum super iniquitate et dolo, sed spretus ab illo est.

Invocavit nomen Malachiae adversus eum, et nihili A pendit : irridensque episcopum, « Putasne, » inquit, « propter te amittere debeamus malefactores nostros, quos Deus tradidit in manus nostras? » Et recordatur verbi sui episcopus, quos habuerat cum Malachia, flens et ejulans, verso vultu ad monasterium ejus : « Ubi es, » ait, « homo Dei? ubi es? Nonne hoc est, pater mi, quod tibi dicebam? Heu, heu, veni, ut facerem bonum, et non malum; et ecce per me omnes, illi in corpore, isti in anima pereunt! » Multa in hunc modum loquebatur lamentans et plangens, et quasi praesentem sollicitans et compellans Malachiam adversus malignantes. Interim vero impii cum quibus fecerant pacem, insequi non desistebant ad perdendum eos : et ecce spiritus mendax in ore quorundam virorum, qui eos deciperet. Et occurrerunt illis in via viri, nuntiantes, factam irruptionem in terras ipsorum ab adversariis : in ore gladii consumi omnia, et diripi bona eorum, uxores quoque ac liberos tolli et abduci. His auditis, reversi sunt festinanter. Sequebantur ultimi primos, quod irent, aut quid acciderat, nescientes. Nec enim omnes audierant viros loquentes. Cumque venissent, et invenissent nihil horum quae nuntiata erant, confusi sunt, deprehensi in malitia sua. Et cognoverunt spiritui erroris se traditos propter nuntium Malachiae quem deceperunt, et nomen ejus quod spreverunt. Porro episcopus audiens frustratos proditores in iniquitate sua quam cogitaverant, cum gaudio remeavit ad Malachiam, referens omnia per ordinem, quae acciderant sibi.

59. Sciens Malachias ejusmodi occasione pacem esse turbatam, nactus opportunum tempus, pacem per semet inter ipsos denuo reformare curavit, et firmare reformatam, datis et receptis altrinsecus fide et juramento. Verum illi, quibus ante pax fracta fuit, injuriae memores, neglecto pacto et praeepto Malachiae, tractaverunt de vice reddenda. Et congregati omnes in unum, ibant ut imparatos praecuparent, redderentque in caput eorum malum, quod sibi ipsi facere cogitassent. Et magno flumine, quod intererat, facillime transvadato, fluviolo, quem non procul ab illo offendere, retenti sunt. Neque enim jam fluviolus, sed plane fluvius ingens apparuit, ubique sui transire volentibus transitum negans. Mirari omnes tantum nunc esse, tantillum antehac fuisse scientes, et loqui inter se : « Unde inundatio haec? aer serenus est, imbres non sunt, nec proxime fuisse meminimus. Et si multum pluisset, quis nostrum unquam hactenus meminit in quantacumque illuvie ita intumuisse, ut operiret **684** terram, sata et prata pervaderet? Digitus Dei est iste, et Dominus sepit vias nostras propter sanctum suum Malachiam, cujus sumus praevericati pactum, transgressi mandatum. » Ita et hi infecto negotio, ad sua aequae confusi repedaverunt. Divulgatum est verbum per universam regionem : et benedicebant Deum, qui comprehendit sapientes in astutia sua, et confringens cornua peccatorum, sublimavit cornu christi sui.

60. Aliquis de nobilibus infensus Regi, reconciliatus est per manum Malachiae. Nec enim Regi satis fidebat ille, ut pacem cum eo faceret, nisi mediante Malachia, aut quem Rex aequae revereretur. Nec immerito, ut post apparuit. Nam factum securum, et minime jam caventem sibi, captum trusit in vincula, odio antiquo captus plus ipse. Requiritur homo a suis de manu mediatoris : nec enim aliud amici exspectare quam mortem. Quid faceret Malachias? Non est quod possit, nisi ut recurrat ad suum illud solitum unicumque refugium. Congregato exercitu forti nimis, turba magna discipulorum suorum, adit hominem, requirit vitam; negatur. Et Malachias : « Inique, » inquit, « agis contra Dominum, et contra me, et contra te ipsum, pactum praevericans; si dissimulas tu, sed non ego. Credidit se homo fidei meae : si contingat mori, ego prodidi eum, ego reus sanguinis ejus. Quid tibi visum est me proditorem, te praevericatore constituisse? Noveris me, donec liberetur, nihil gustaturum, sed neque istos. » Sic locutus, intrat ecclesiam : Deum omnipotentem suis, suorumque anxiiis gemitibus interpellat, ut injuste addictum dignetur eripere de manu praevericatoris et iniqui. Et ea die cum nocte sequenti in jejuniis et oratione perstitit. Perlatum ad Regem quid fieret; et magis inde induratum est cor ejus, unde emolliri debuerat. Init fugam; veritus homo carnalis, ne si prope remaneret, orationis non posset sustinere virtutem. Quasi vero vel absconditum non inveniat, vel non perveniat ad remotum. Tu metas ponis, miser, orationibus sanctorum? Num est oratio jaeta sagitta, ut fugias a facie arcus? Quo ibis a Spiritu Dei, qui eam portat, et quo a facie ejus fugies? Denique fugientem insequitur, invenit latitantem : erisque caecus et non videns, ut melius videas, et intelligas quoniam durum est tibi contra stimulum calcitrare. Denique senti vel nunc, quia sagittae potentis aculae pervenerunt ad te : quae etsi resilierunt a corde, quia saxum est, sed non ab oculis. Utinam per fenestras saltem oculorum perveniant usque ad cor, et vexatio det intellectum caecitati. Cernere erat Saulum denuo ad manus trahi, et duci ad Ananiam (*Act. ix*), ad ovem scilicet lupum, ut refundere praedam. Resudit, et recepit visum, quod Malachias usque adeo ovis esset, ut si misertus et lupo. Diligenter ex his advertite, lector, cum quibus habitatio Malachiae, quales principes, et quales populi. Quomodo non et is frater fuit draconum, et socius struthionum? (*Job xxx, 29.*) Et ideo dedit ei Dominus virtutem calcandi super serpentes et scorpiones, alligare reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis. Audi denique quid sequatur.

#### CAPUT XXVIII.

*Sacrum aedificium moliens, adversarium patitur, sed mox ultione divina correptum.*

61. Is, cui Benchorensis monasterii cesserat possessiones, ingratus beneficio, extunc et deinceps insolentissime semper se habuit adversus eum et suos,

in omnibus infestus, ubique insidians, detrahensque actibus ejus. At non impune hoc. Erat illi unicus filius, qui imitator patris, audens aliquid et ipse in Malachiam, eodem anno mortuus est. Mortuus autem sic. Visum est Malachiæ debere construi in Benchor oratorium lapideum, instar eorum quæ in aliis regionibus exstructa conspexerat. Et cum cœpisset jacere fundamenta, indigenæ quidem omnes mirati sunt, quod in terra illa necdum ejusmodi ædificia **685** invenirentur. Verum ille nequam, sicut erat præsumptuosus et insolens, non miratus est, sed indignatus. Ex qua indignatione concepit dolorem, et peperit iniquitatem. Et factus susurro in populis, nunc secreto detrahere, nunc blasphemare palam; notare levitatem, novitatem horrere, sumptus exaggerare. Istiusmodi venenatis sermonibus sollicitans et inducens multos ad prohibendum: « Sequimini me, » inquit, « et quod non nisi per nos fieri debet, contra nos fieri non sinamus. » Itaque cum pluribus, quibus suadere valuit, descendit ad locum, repletum convenit hominem Dei, primus ipse dux verbi, qui erat principium mali: « O bone vir, quid tibi visum est nostris hanc inducere regionibus novitatem? Scoti sumus, non Galli. Quænam levitas hæc? Quid opus erat opere tam superfluo, tam superbo? unde tibi pauperi et inopi sumptus ad perficiendum? Quis perfectum videbit? Quid istud præsumptionis, inchoare quod non queas, non dico, perficere, sed nec videre perfectum? Quanquam amentis magis est, quam præsumptis [*al.*, prudentis]; conari quod modum excedit, vincit vires, superat facultates. Cessa, cessa, desine a vesania hac: alioquin nos non sinimus, non sustinemus. » Hoc dixit, prodens quid vellet, non quid posset considerans. Nam de quibus præsumebat, et secum adduxerat, viso viro, mutati sunt, et jam non ibant cum eo.

**62.** Ad quem Vir sanctus, tota libertate utens: « Miser, » inquit, « opus, quod inchoatam vides, et invides, sine dubio perficietur; perfectum videbunt multi. Tu vero quia non vis, non videbis; et quod non vis, morieris: attendito tibi, ne in peccato tuo moriaris. » Ita est: ille mortuus est, et opus completum est; sed ille non vidit, qui, ut præfati sumus, anno eodem mortuus est. Interim pater audito mox, quid de filio Vir sanctus prædixisset, sciens verbum ejus vivum et efficax esse: « Interfecit, » inquit, « filium meum. » Et instigante diabolo, tanto furore exarsit in illum, ut coram duce et majoribus Ulydiæ falsitatis et mendacii arguere non vereretur hominem, qui veracissimus esset, veritatis et discipulus, et amator: et convicium intulit, simiam appellans. Et Malachias quidem doctus non reddere maledictum pro maledicto, obmutuit, et non aperuit os suum, dum consisteret peccator adversus eum. Sed non Dominus oblitus sermonis sui, quem dixerat: *Mihi vindictam, et ego retribuam (Deut. xxxii, 35)*. Eadem die domum reversus homo, luit linguæ effrenis temeritatem, ipso ultore, quo instigatore laxarat. Arrestum in ignem projicit dæmon; sed mox manibus

assistentium extractus est; adustus tamen corporis parte, et mente captus, Et dum insaniret, vocatus Malachias venit, reperitque maledicum spumantia ora torquentem; horrendis vocibus et motibus terrentem omnia, ac toto corpore agitatam, vix posse teneri a pluribus: et orans pro inimico vir totius perfectionis, exauditus est; sed ex parte. Nam illico quidem sancto orante, ille aperuit oculos et sensum recepit. Relictus est autem ei spiritus Domini malus, qui eum colaphizet, ut discat non blasphemare. Credimus eum vivere usque adhuc, et usque ad hæc tempora luere peccatum grande, quod peccavit in sanctum: certis temporibus tamen ferunt lunaticum esse. Porro prædictæ possessiones, cum jam pro sui imbecillitate et inutilitate eas tenere non valuit, in pace ad locum, cujus exstiterant, redierunt. Nec renuit Malachias post multam demum vexationem, pacis obtentu.

**63.** Sed jam ad opus ædificii, quod Malachias, aggressus est, sermo recurat. Et quidem non erat Malachiæ, non dico unde perficeret, sed unde faceret quidquam. Erat autem cor ejus fiduciam habens in Domino. Dominus vero providit, ut, etsi non speranti in pecuniæ thesauris, pecunia non deesset. Quis enim alius fecit, ut thesaurus eo loci reponeretur, repositus non reperiretur usque ad tempus et opus Malachiæ? Invenit Dei famulus in Dei marsupio, quod defuit suo. Merito quidem. Quid enim justius, quam **686** ut cui pro Deo non erat proprium, cum Deo iniret consortium, et marsupium unum esset amborum? Fideli namque homini totus mundus divitiarum est. Et quid est ille, nisi quoddam marsupium Dei? Denique ait: *Meus est orbis terræ, et plenitudo ejus (Psal. xlvii, 12)*. Inde est, quod Malachias repertos argenteos multos non reposuit, sed exposuit. Nam totum munus Dei in Dei opus jubet expendi. Non suas, non suorum considerat necessitates; sed jactat cogitatum suum in Domino, ad quem utique recurandum non dubitat, quoties necessitas postularit. Nec dubium Dei opus esse, quod Deo revelante Malachias prævidit. Contulerat primum cum fratribus de opere illo: et multi præinopia minus libenter assentiebant. Inde anxius dubiusque quid ageret, cœpit inter orandum vehementer inquirere, quænam foret voluntas Dei. Et die quadam de via regrediens, cum jam loco appropiaret, prospexit eminus: et ecce oratorium apparuit magnum lapideum, et pulchrum valde. Et intuens diligenter situm, formam et compositionem, cum fiducia arripit opus, prius quidem indicata visione senioribus fratribus, paucis tamen. Sane totum, quod attente notavit de loco, et modo, et qualitate, tanta diligentia observavit, ut peracto opere, factum viso similitimum appareret, ac si et sibi cum Moyse dictum audierit: *Vide, ut omnia facias secundum exemplar quod tibi ostensum est in monte (Exod. xxv, 40)*. Eodem visionis genere id quoque, quod in Sabbatino situm est, antequam fieret, præostensum est illi, non modo oratorium, sed et monasterium totum.

## CAPUT XXIX.

*Claret prophetiæ spiritu, et omni miraculorum gratia.*

64. Transeunte illo per quamdam civitatem, et multitudine magna concurrente ad eum, casu vidit juvenem inter alios videndi se curiosum. Ascenderat lapidem, et stans super summos articulos, extenso collo, oculis et animo intendens in eum, quemdam illi de novo Zacchæum exhibebat. Nec latuit Malachiam, sancto quidem Spiritu revelante, vere illum venisse in spiritu et virtute Zacchæi (*Luc. xix, 2-9*). Dissimulavit tunc tamen, tacitusque pertransiit. Cæterum in hospitio nocte ipsa narravit fratribus quomodo illum vidisset, et quid prævidisset de illo. Die autem tertia, en ille cum viro quodam nobili, domino suo: qui aperiens votum et desiderium juvenis, rogabat, ut a se commendatum recipere dignaretur, et habere de cætero inter suos. Et Malachias agnoscens eum: « Non est opus, » inquit, « ut quem jam Deus commendavit, homo commendet. » Apprehensumque manu sua tradidit abbati Congano nostro, et ille fratribus. Ipse vero juvenis, adhuc (ni fallor) vivens primus Conversus laicus Suriensis monasterii, testimonium habet ab omnibus, quod sancte conversetur inter fratres secundum ordinem Cisterciensem. Et cognoverunt discipuli, etiam in hoc Malachiam prophetiæ spiritum habuisse; non solum autem, sed et in eo, quod subjuncturi sumus.

65. Cum Sacramentum offerret, et appropiasset ei diaconus, facturus aliquid pro officio suo, intuitus eum sacerdos, ingemuit, quod sensisset penes illum latere quod non conveniret. Peracto sacrificio, secreto percunctatus de conscientia sua, confessus est, et non negavit illum sibi per somnium nocte ipsa. Cui injungens pœnitentiam: « Non debueras, » inquit, « hodie ministrasse; sed verecunde te subtrahere sacris, et deferre tantis tamque divinis mysteriis, ut hac humilitate purgatus, dignius exinde ministrares. » Item alia vice sacrificante illo, et orante hora sacrificii, ea quidem sanctitate et puritate cordis, qua solitus erat, astanti diacono visa est columba intrare per fenestram in claritate magna. Ea sacerdos perfunditur totus, ea subobscurior basilica tota refulget. Columba vero aliquandiu circumvolitans, tandem residet super crucem ante faciem sacerdotis. Obstupuit **687** diaconus; et pavens tum pro luminis, tum pro volucris novitate, quod illa sit rara avis in terra, cecidit super faciem suam, et vix palpitans, sese erigere ausus est, vel quando officii sui necessitas postulavit. Post Missam seorsum conventus a Malachia, sub periculo vitæ jubetur nullatenus secretum prodere quod vidisset, quoad viveret ipse. Aliquando cum in Ardmaccha esset cum quodam coepiscopo suo, de nocte surgens, cœpit memorias sanctorum, quæ in cœmeterio Sancti-Patricii multæ sunt, orando lustrare: et ecce unum de altaribus subito ardere conspiciunt. Ambo enim viderunt visionem hanc magnam, et ambo mirati sunt. At Malachias intelligens signum esse magni meriti illius, vel illorum, quorum sub altari illo corpora requies-

A cerent, currens, et se mediis immergens flammis, expansis brachiis sacram amplexatus est aram. Quid ibi fecerit, quidve senserit, nemo qui sciat: sed quod amplius solito, cœlesti igne succensus ex illo igne exierit, fratrum qui cum eo tunc erant, reor neminem esse qui nesciat.

66. Hæc dicta sunt, pauca quidem de pluribus, sed multa pro tempore. Non enim signorum tempora hæc, secundum illud: *Signa non vidimus; jam non est propheta* (*Psal. lxxiii, 9*). Unde satis apparet, Malachias meus quantus in meritis fuit, qui tam multus in signis exstitit, et in raritate tanta. Quo enim antiquorum genere miraculorum Malachias non claruit? Si bene advertimus pauca ipsa quæ dicta sunt, non prophetia defuit illi, non revelatio, non ultio impiorum, non gratia sanitarum, non mutatio mentium, non denique mortuorum suscitatio. Per omnia benedictus Deus, qui sic amavit et ornavit eum: qui et magnificavit eum in conspectu regum, et dedit illi coronam gloriæ. Amor probatur in meritis, ornatus in signis, magnificatio in ultione inimicorum, glorificatio in præmiorum retributione. Habes, diligens tector, in Malachia quid mireris; habes et quid imiteris. Nunc jam quid tibi ex his sperandum sit, studiosus attende. Nam finis horum, pretiosa mors est.

## CAPUT XXX.

*Locum et diem mortis suæ prædicit, et causa pallii denuo iter ad papam Eugenium suscipit.*

67. Percunctatus aliquando, quonam in loco, si optio detur, extremum malit agere diem (de hoc siquidem fratres quærebant inter se, quem sibi quisque deligeret), cunctatur, et non respondet. Instantibus illis: « Si hinc migro, » inquit, « nusquam libentius, quam unde una cum nostro Apostolo resurgere possim. » Dicebat autem sanctum Patricium. « Si peregrinari oportet, et ita permittit Deus, Claram-Vallem delegi. » Requisitus item de tempore, diem respondit solemnem omnium defunctorum. Si simplex votum putatur, impletum est; si prophetia, ne iota præterit. Sicut audivimus, sic vidimus de loco pariter, et de die. Dicamus breviter, quo ordine istud, quave occasione provenerit. Ægre satis ferebat, Hiberniam usque adhuc pallio caruisse, utpote æmulator sacramentorum: quorum ne uno quolibet gentem suam vellet omnino fraudari. Et recordatus sibi a papa Innocentio fuisse promissum; inde magis tristari, quod dum adhuc ille superfuit, non fuit missum pro eo. Et nactus occasionem, quod papa Eugenius summam regiminis teneret, et eo temporis usque in Franciam appropiasset nuntiaretur, opportunitatem requirendi se invenisse gavisus est. Præsumebat autem de illo, utique viro tali, et de tali assumpto professione: magis vero, quod suæ Claræ-Vallis specialis filius exstitisset, nec timeret apud illum se ullam sustinere difficultatem. Itaque convocantur episcopi, concilium cogitur; tractata triduo, quæ temporis imminerent die quarto aperitur consilium de pallio

requirendo. Placet, sed si per alium requiratur. Tamen quia brevior via, et ob hoc tolerabilior peregrinatio videretur, non fuit qui ejus obviare præsumeret consilio et voluntati. **688** Et Malachias, soluto concilio, arripit iter. Prosequuntur eum, qui convenerant fratres, usque ad littus, non multi tamen, ipso nimirum prohibente. Ad quem unus illorum, Catholicus nomine, flebili voce et vultu: « Heu, tu abis, » inquit, « et in quanta pene quotidiana vexatione me deseris, non ignoras, nec fers opem misertus mei! Si ego dignus qui patiar, fratres quid peccaverunt, qui vix diem, noctemve ullam a tam laboriosa cura et custodia mei seriatam habere sinuntur? » His verbis et lacrymis filii (flebat enim) paterna viscera concussa sunt, et amplexatus est eum blandiendo, impressoque pectori ejus signo crucis: « Certus esto, » inquit, « te ejusmodi nil passurum, donec redeam. » Erat autem epilepticus, et cadebat frequenter, ita ut interdum non semel, sed sæpius pateretur in die. Hoc jam per sex annos morbo horrido laborabat: sed ad verbum Malachiæ perfecte convaluit. Ab illa hora nil tale perpessus est; nil tale, ut confidimus, deinceps perpessus, quia Malachias deinceps rediturus non est.

68. In ipso ascensu navis accedunt duo ex his, qui illi familiarius adhærebant, audentes et petentes aliquid ab eo. Quibus ille: « Quid vultis? Non dicimus, » inquiunt, « nisi spondeas te daturum. » Spondet. Et illi: « Volumus nobis certo promitti a tua dignatione, te in Hiberniam incolumem reversurum. » Instare et cæteri omnes. Tum ille parumper deliberans, pœnitere primo quod se alligasset, qua exiret non inveniens. Angustiæ undique, dum nil occurreret ab alterutro tutum periculo, voli videlicet, aut promissi. Visum est tandem id potius eligendum, quod in præsentiarum plus urgeret, reliquum supernæ committendum dispositioni. Annuuit tristis quidem; sed magis illos noluit contristare: et spondens eis, ut volunt, ascendit navem. Et cum jam fere medium iter æquoreum peregissent, subito contrarius ventus navem repellit, et reducit in terram Hiberniæ. Descendens de navi, in ipso portu in quadam sua ecclesia pernoctavit. Et lætus, gratias egit divinæ consilio providentiæ, quo factum est ut jam fecerit satis pro sua promissione. Mane vero intrans navem, ipsa die prospero cursu transfretavit, et venit in Scotiam. Die tertia pervenit ad locum qui Viride-Stagnum dicitur: quem fecerat præparari, ut ibi statueret abbatiam. Et relicto illic de filiis suis, fratribus nostris, monachorum conventu et abbate (nam secum ad hoc ipsum eos adduxerat), valedicens eis, profectus est.

69. Et cum transiret, occurrit ei rex David, a quo susceptus est cum gaudio, et retentus per aliquot dies; multaque operatus placita Deo, inchoatum repetit iter. Et pertransiens Scotiam, in ipso introitu Angliæ divertit ad ecclesiam Gisiburnensem, ubi habitant viri religiosi, canonicam ducentes vitam, ab antiquo familiares ei pro sua religione et hone-

state. Ibi adducta est ad eum mulier patiens morbum, quem cancrum vulgo appellant, ipso horrendum visu; et sanavit eam. Nam ubi aqua, cui benedixit, aspersa sunt ulcerum loca, dolorem non sensit. Die vero sequenti vix ulcera apparebant. Abiens inde, ad mare venit; sed negatur transitus. Causa, ni fallor, fuit orta similtas quædam inter summum pontificem et regem Angliæ, quod rex nescio quid mali suspicaretur de bono illo homine, si transiret: nam neque alios episcopos transire sinebat. Quod quidem impedimentum, etsi fuit contrarium Malachiæ voluntati, sed non voto. Dolebat differri a desiderio suo, nesciens magis per hoc impletum iri. Nam si incontinenti transisset, oportebat transire etiam Claram-Vallem, ut summum Pontificem sequeretur. Jam enim abierat, et erat Romæ, aut prope Romam. Nunc vero intercedente dilatione factum est ut tardius transfretans, ad locum et horam sanctissimi sui obitus opportune occurreret.

### 689 CAPUT XXXI.

*Rursus Claram-Vallem venit, moriturus loco et tempore quo desideraverat.*

70. Qui a nobis susceptus est, tanquam verus, ab Occidente veniens, visitans nos Oriens ex alto. O quantum nostræ Claræ Valli irradians sol ille claritatis adauxit! quam jucundus ad ejus introitum dies festus illuxit nobis! Hæc dies, quam fecit [at. dedit] Dominus, exultatum et lætatum in ea! Quam celer et saliens, tremulus licet ac debilis, mox ipse occurri! quam lætus in oscula rui! quam lætis brachiis missam mihi cœlitus amplexatus sum gratiam! quam alacri vultu et animo, mi pater, introduxi te, in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ! Quam festivos deinde tecum duxi dies, sed paucos! Quid vero ille vicissim nobis? Nempe hilarum, nempe affabilem peregrinus noster omnibus se præbebat, omnibus incredibiliter gratum. Quam bonum, et quam jucundum agebat hospitem apud eos, quos nimirum videre venerat a sinibus terræ, non auditurus Salomonem, sed exhibiturus! Denique audivimus sapientiam ejus, tenuimus præsentiam ejus, et tenemus. Jam quatuor aut quinque dies hujus nostræ solemnitatis defluerant, cum ecce die solèmoni beati Lucæ evangelistæ, Missa in conventu sua illa sancta devotione celebrata, febre correptus, lecto decubuit: et nos cum illo omnes. Extrema gaudii nostri mœror occupat, moderatior tamen, quod levior interim febris esse videretur. Videres discurrere fratres, dandi avidos, vel accipiendi. Cui non dulce videre illum? cui non dulcius ministrare illi? Utrumque suave, utrumque salutare. Et humanitatis erat præbere obsequium, et profectus cuique sui, cum gratiam reportaret. Assistere omnes, omnes solliciti erant circa frequens ministerium: medicamenta perquirere, adhibere fomenta, urgere sæpius ad gustandum. Ad quos ille: « Sine causa, » inquit « hæc sed charitate vestri facio quicquid injun-

gitis. Sciebat enim imminere tempus suæ migrationis.

71. Cumque fratres, qui cum eo venerant, fidentius instarent dicentes, non oportere diffidere de vita; nec enim signa mortis in eo aliqua apparerent: « Oportet, » inquit, « hoc anno Malachiam exire de corpore. » Et infert: « Ecce appropinquat dies, quem, ut optime nostis, optavi semper ipsum fore diem resolutionis meæ. Scio cui credidi, et certus sum; non fraudabor reliquo desiderii mei, qui partem jam teneo. Qui me sua misericordia perduxit ad locum quem petii, terminum quem æque volui, non negabit. Quod ad hoc corpusculum attinet, hic requies mea: quod ad animam, Dominus providebit, qui salvos facit sperantes in se. Nec parum spei repositum mihi in die illa, qua mortuis tanta a vivis beneficia impenduntur. » Nec longe aberat dies ipsa, cum talia loqueretur. Interea jubet se sacro oleo ungi. Exeunte conventu fratrum ut solemniter fieret, non sustinuit ut ad se ascenderent: ipse descendit ad eos. Jacebat siquidem in solarium domus superioris. Ungitur, et sumpto Viatico, fratrum se orationibus, et fratres commendans Deo, ad lectum revertitur. Alto de solarium descendebat pedibus suis, et rursus nihilominus suis pedibus ascendebat: et dicebat mortem esse in januis. Quis hunc hominem crederet moriturum? Solus ipse, et Deus id scire poterant. Non vultus pallidior, non macilentior videbatur; non rugata frons, non reconditi oculi, non nares extenuatæ, non contracta labia, non adusti dentes, non collum exesum et gracile, non curvi humeri, non caro exinanita in corpore reliquo. Hæc erat gratia corporis ejus, et hæc gloria vultus ejus, quæ non evacuatur, ne in morte quidem. Talis quoad vixit, talis et mortuus apparebat, viventi similior.

72. Cucurrimus usque huc: sed modo hæremus, quia Malachias cursum consummavit. Stat ille, et nos pariter **690** stamus cum eo. Alioquin quis libenter currat ad mortem? præsertim tuam, pater sancte, quis referre possit? quis velit audire? Attamen dileximus nos in vita; in morte non separabimur. Fratres, non relinquamus in morte, quem in vita persecuti sumus. Ab ulteriori Scotia usque huc cucurrit ille ad mortem: eamus et nos, et moriamur cum eo. Oportet, oportet dicere, quam cernere **D** necesse fuit. Adest Omnium Sanctorum clara ubique celebritas; sed juxta veterem sententiam, *Musica in luctu importuna narratio est* (*Eccli. xxii, 6*). Adsumus, canimus vel invitati. Flendo cantamus, et cantando flemus. Malachias etsi non cantat, non plorat tamen: Quid enim ploret, qui appropinquat ad gaudium? Nobis, qui relinquimur, relinquitur luctus: solus Malachias festum facit. Quod enim non potest corpore, facit mente, sicut scriptum est: *Cogitatio hominis confitebitur tibi, et reliquæ cogitationis diem festum agent tibi* (*Psal. lxxv, 11*). Deficiente illi corporis instrumento, silente organo oris, officio vocis cessante, reliquum est ut mentis jubilo solemnizet. Quidni solemnizet sanctus, qui sanctorum ducitur.

**A** ad solemnitatem? Exhibet illis, quod mox sibi debetur. Adhuc modicum, et ipse unus ex illis est.

73. Sub noctis crepusculo, cum jam utcumque diei a nobis expleta celebritas foret, Malachias appropinquaverat, non crepusculo, sed auroræ. An non illi aurora, cui nox præcessit, dies autem appropinquavit? Itaque febre invalescente, cœpit ex intimis ardens per omne corpus erumpere sudor, ut quodammodo transiens per ignem et aquam, educeretur in refrigerium. Jam desperatur de vita ejus, jam quisque suum judicium reprehendit, jam nulli dubium, Malachias sententiam prævalere. Vocamur: adsumus. Et ille oculos levans in circumstantes: « Desiderio desideravi, inquit, hoc pascha manducare apud vos. Gratias ago supernæ pietati: non sum fraudatus a desiderio meo. » **B** Vides hominem securum in morte, et necdum mortuum, jam certum de vita? Nec mirum. Videns adesse noctem quam expectaverat, et in ipsa diescere sibi; quasi de nocte triumphans, videtur insultare tenebris, et quodammodo loqui: « Jam non dicam, Forsitan tenebræ conculcabunt me, quia hæc nox illuminatio mea in deliciis meis. » Et blande nos consolans: « Habete, » inquit, « curam mei; ego vestri, si licuerit, non obliviscar. Licebit autem. Credidi in Deum, et omnia possibilia credenti. Amavi Deum: amavi vos, et charitas nunquam excidit. » Et suspiciens in cœlum: Deus, » inquit, « serva eos in nomine tuo: non solum autem eos, sed et omnes qui per verbum ac ministerium meum tuo se mancipavere servitio. » Deinde imponens manus singulis, et benedicens omnibus, pausat ire jubet, quia nondum venerat hora ejus.

74. Imus: redimus circa medium noctis: nam ea hora lux lucere in tenebris nuntiatur. Impletur domus: adest congregatio tota: abbates quoque multi qui convenerant. Psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus prosequimur amicam repatriantem. Anno ætatis suæ quinquagesimo quarto, loco et tempore, quo prælegit, et prædixit Malachias episcopus et legatus sanctæ apostolicæ Sedis, velut e manibus nostris assumptus ab angelis, feliciter obdormivit in Domino. Et vere obdormivit. Vultus placidus placidi exitus indicium fuit. Et quidem omnium oculi fixi in eum: nemo tamen, qui quando exivit, advertere potuisset. Mortuus vivere, et vivens mortuus putabatur: adeo nil intercidit, quod alterutrum disterneret. Eadem vivacitas vultus, serenitas eadem, qualis apparere solet in dormiente. Diceres mortem nil horum tulisse, magis auxisse plurimum. Non est mutatus, sed ipse mutavit omnes. Mirum in modum luctus et gemitus omnium subito conquiescit: mutatur in gaudium mœror, planctum cantus excludit. Effertur, feruntur in cœlum voces, infertur oratorio abbatum humeris. Vicit fides, triumphat affectus, res in suum devenit statum: cuncta geruntur ex ordine, cuncta ex ratione procedunt.

**691** 75. Et revera quid rationis habet immode-

ratus plangere Malachiam, quasi non sit pretiosa mors ejus, quasi non sit magis somnus, quam mors; quasi non sit mortis portus, et porta vitæ? Malachias amicus noster dormit, et ego lugeam? Luctus iste usu se, non ratione tuetur. Si Dominus dedit dilecto suo somnum, et talem somnum, in quo hæreditas Domini, filii merces, fructus ventris, quid horum videtur fletum indicere? Egone fleam illum, qui fletum evasit? Ille tripudiat, ille triumphat, ille introductus est in gaudium Domini sui; et ego eum plangam? Cupio mihi hæc, non illi invidio. Interim parantur exsequiæ: offertur pro eo sacrificium; consummantur ex more omnia cum summa devotione. Stabat eminus puer, cui emortuum pendebat a latere brachium, magis illi impedimento, quam usui. Quo comperto, innui ut accederet: et apprehensam aridam manum applicui ad manum Episcopi, et

A vivificavit eam. Nempe vivebat in mortuo gratia sanilatum: et manus ejus fuit mortuæ manui, quod mortuo homini Elisæus (*IV Reg. XIII, 21*). Puer ille de longe venerat, et manum quam pendentem attulerat, sanam in patriam reportavit. Jam omnibus rite peractis, in ipso oratorio sanctæ Dei genitricis Mariæ, in quo sibi bene complacuit Malachias, traditur sepulturæ, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quadragesimo octavo, quarto nonas novembris. Tuum est, Jesu bone, depositum, quod nobis creditum est; tuus thesaurus, qui reconditur penes nos. Servamus illum resignandum in tempore, quo repositum censueris: tantum ut absque contubernalibus suis non egrediatur, sed quem habuimus hospitem, habeamus ducem, tecum et cum ipso pariter regnaturi in sæcula sæculorum. Amen (199).

Duos de S. Malachia Bernardi sermones habes in tomo tertio.

## HYMNUS DE S. MALACHIA.

(MARTENE *Amplissima collectio*, tom. I, col. 746, ex ms. Veteris-Montis.)

Nobilis signis, moribus suavis,  
Meritis sanctus, inclytus triumphis,  
Hodie carnis pondere levatus,  
Migravit antistes.

Nec vacat viro Malachiæ nomen,  
Angelum sonans, Angelorum signat  
Similem esse puritate vitæ,  
Gloria parem.

Angelus noster civium suorum  
Redditus votis, sociatus choris,  
Præminet multis, coæquatur summis,  
Merito quidem.

Sobrius victus, castitas perennis,  
Fides, doctrina, animarum lucra,  
Meritis parem coetui permiscet  
Apostolorum.

Opere vicem, animo virtutem  
Tenuit horum præsul et legatus,  
Ac per hoc jure etiam honorem  
Vindicat sibi.

Signa si quæras, quis referre queat?  
Hoc tamen dico; manifesta satis  
Mortua surgens quantus in hac parte  
Fuit gloriæ.

Christo regnanti sitne ulla nostri  
Cura putamus, quos amavit prius  
Pauperes, fovit humiles spiritu,  
Humilis ipse.

Absit ab illo fonte pietatis  
Sorte levata segnus manare:  
Absit ut spernat miseros beatûs  
Orphanos pater.

O Malachia, Clara-Vallis tua,  
Clarius tui corporis thesauro,  
Postulat supplex te tuente frui  
Pace perenni.

Gloria Patri Filioque ejus,  
Gloria tibi, amborum Spiritus;  
Una sit tibi, quia tres sunt unum,  
Una majestas.

## ADMONITIO IN OPUSCULUM XIII.

692 1. *Librum de ratione Cantus, Bernardo ascriptum, mihi quondam suppeditavit piæ ac suspiciendæ memoriæ Joannes Bona, tunc congregationis suæ abbas generalis, postmodum S. R. E. cardinalis. Libro præmissa est epistola, quam Bernardi esse existimavi: at tractatum ipsum eis assignandum, quos hujus operæ subsidiarios ascivit, ut sane ipsa innuit epistola. In codice Fusniacensi idem opusculum tribuitur Guidoni Chari Loci abbati sub hoc titulo: « Epistola Domini Guidonis abbatis Chari-Loci de Cantu. » Hæc incipit ab*



istis verbis : « Cantum, quem Cisterciensis Ordinis ecclesiæ cantare consueverunt, » etc. Tractatus autem ab istis : « Præmonitos autem esse volumus, » etc. Guido Chari-Loci in diœcesi Vesontionensi abbas, is est, in cuius gratiam Bernardus scripsit epistolam centesimam nonagesimam septimam et duas sequentes. Ne hunc esse istius tractatus auctorem omnino persuasum habeam, movet quod auctor sub finem « comprovinciales » appellat ecclesias, Remensem, Belvacensem, Ambianensem, et Suessionensem. Deinde quod memorans Antiphonarium Suessionense, subdit, « quod quasi ad januam habes. » Ex quo verisimilius videtur, auctorem hunc fuisse monachum aut abbatem Longi-Pontis haud longe ab urbe Suessionica. Forsan is libri auctor fuerit cum Guidone Chari-Loci abbate; nam plures huic operi subsidiarios adhibuit Bernardus. An Gerardus abbas Longi-Pontis, laudatus in libro septimo de Vita Bernardi, capite undecimo. An forte alius Guido tum abbas erat Chari-Loci prope Silvanectum?

2. Dubitant nonnulli, num revera tractatus iste scriptus sit vivente Bernardo, propterea quod ex quibusdam primis epistolæ et tractatus verbis colligitur, diu post exordia Cisterciensis Ordinis hæc scripta fuisse. Verum ejusmodi tractatus nuper compactus servabatur in exemplari Bibliorum, quod per Stephanum Cistercii abbatem tertium emendatum est, ad cuius normam omnia ejusdem Ordinis Biblia corrigi præceptum erat : quod ipsum de Antiphonario præscriptum est. Ea erat primorum istius Ordinis cura et sollicitudo in res sacras. Subjectus, inquam, erat tractatus iste primario illi Bibliorum correcto exemplari, sed postea ab eo avulsum, ut ego ipse ex indice contentorum, et ex vacuo spatio deprehendi. Et certe hoc opusculum primis illis Ordinis temporibus conditum fuisse, intelligitur ex initio ejus, ubi mentio fit de Cisterciensibus, qui « Regulæ veritatem » seu puritatem, « prætermittis aliorum dispensationibus, » tunc « tenebant : » quod de primis temporibus intelligendum est. Et in libro Institutorum Cisterciensium, quæ anno 1134 a Rainardo Cistercii abbate collecta creduntur, inter eos libros, qui novellis monasteriis necessarii sunt, capite duodecimo muneratur Antiphonarium, cui præmissus erat hic tractatus in codice Cisterciensi. Sed omnem dubitationem adimit Vita Stephani abbatis Obazinensis, auctore ejus æquali, nuper edita ab erudito Baluzio in tomo quarto Miscellaneorum, ubi hæc verba leguntur in libri secundi capite decimo tertio : « Sed sciendum, quod libri, quibus primo Cistercienses in divinis officiis usi sunt, valde corrupti ac vitiosi fuerunt, et usque ad tempora sancti Bernardi sic permanserunt. Tunc enim abbatum communi decreto, ab eodem sancto abbate ejusque cantoribus sunt correcti et emendati, et sicut modo habentur dispositi. « Nihil luculentius hoc testimonio afferri potest.

3. In Supplemento Patrum, quod R. P. Jacobus Hommeyus Augustinianus anno 1684 Parisiis vulgavit, libello de Ratione cantandi Antiphonarium subjungitur tractatus de Ratione cantandi Gradale : de quo cum nulla fiat mentio in Bernardi epistola, sed tantum de Antiphonario, an Bernardo ejusve hoc in opere sociis tribui debeat, merito dubitare licet; multo magis de cæteris apud Hommeyum, quæ Bernardi esse non putamus. Hic subjiciendo est admonitio piissimi quondam viri Joannis Bona, de hoc opusculo ad me transmissa, quæ sic habet ut sequitur.

**693** « D. Joannes BONA, congregationis reformatæ S. Bernardi, ordinis Cisterciensis, abbas generalis, lectioni salutem.

« In celebri monasterio Sancti Salvatoris de monte Amiato Ordinis Cisterciensis in diœcesi Senensi, exstat ejusdem Ordinis vetus Antiphonarium, quod secum e Cistercio monachi detulerunt, cum primum Cisterciensis Reformatio in illud cœnobium introducta fuit a Venerabili Raynerio abbate anno Domini 1231. Huic Antiphonario præfixus est hic tractatus, D. Bernardo Claræ Vallensi abbati ascriptus. Nec dubito quin alia ejus exemplaria in aliis abbatibus Ordinis reperiantur. Carolus de Visch in Bibliotheca Cisterciensi unius meminit his verbis : « In monasterio Laudensi in Flandria servatur ejusdem « S. Bernardi « Epistola de ratione « Cantus nondum edita, cujus initium est : Bernardus humilis abbas Claræ-Vallis. » Possevinus in Bibliotheca selecta, libro decimo quinto, capite sexto, cæteris scriptoribus, qui de Musica scripserunt, S. Bernardum connumerat. Angelus Picigitonensis Minorita edidit Venetiis anno 1547 « Floris angelici de cantu plano « et figurato libros duos, » quorum primo plura citat ex hoc tractatu, nominatim capite vigesimo nono : « Hoc, » inquit, « comprobatur S. Bernardus in sua Musica, dicens, ubi molliorem sonum fieri expedit; B. molle « quandoque ponitur, furtim tamen, ne cantus similitudinem alterius toni assumere videatur. » Capite item quadragesimo sexto, de terminatione tonorum : « Doctissimus tam in divinis, quam in humanis scientiis S. « Bernardus has litteras describit in sua bene ponderata Musica, ubi dicit quod hæc litteræ D, E, F, G, sunt « cantuum terminativæ. » Et capite quadragesimo septimo, de ascensu et descensu tonorum : « Omnis tonus, » ait, « decem notas habere potest, ut aperte describit non minus verax quam doctus S. Bernardus in bene con- « siderato prologo suæ Musicæ, assignans tres potissimum rationes: videlicet psalterii auctoritatem, dignitatis « æqualitatem, et notandi necessitatem. » Quæ omnia cum præcise habeantur in hoc tractatu, hinc satis evidenter deducitur, ejus auctorem esse Bernardum. Nec stilus refragatur, quantum proprii Musicæ termini patiuntur. Voce barbara, Maneria sive Maneries, quæ hic sæpe repetitur, utuntur passim Musici. Reperitur etiam in libello de Musica practica, apud Bedam : nam Bedæ perperam ascriptum esse evincunt notæ musicales, trecentis fere annis eo posteriores, et multa quæ ibi sunt ad verbum accepta ex Doctrinali et Micrologo Guidonis Aretini. Ipse quoque Bernardus ea voce usus est epistola quadringentesima secunda, ad Balduinum. Ex his autem apparet, quam sollicitè curaverint majores nostri, ut in divinis officiis omni remota indecentia et novitate, ecclesiastica gravitas et majestas tam in cantu, quam in verbis conservaretur. Animus erat uberioribus notis hunc tractatum illustrare : sed re maturius perpensa, ab his abstinui : nam Musicæ disciplinæ peritis superflua; ignavis inutiles forent. Vide interim quæ de cantu ecclesiastico, et de tonis dissero in mea Psallentis Ecclesiæ Harmonia, cap. 17, § 3 et 4.

# S. BERNARDI ABBATIS

SUPER

## ANTIPHONARIUM CISTERCIENSIS ORDINIS

### EPISTOLA SEU PROLOGUS.

**694** BERNARDUS, humilis abbas Claræ Vallis, omnibus transcripturis hoc Antiphonarium, sive cantatoris in illo.

Inter cætera quæ optime æmulati sunt patres nostri, Cisterciensis videlicet Ordinis inchoatores, hoc quoque studiosissime et religiosissime curaverunt, ut in divinis laudibus id cantarent, quod magis authenticum inveniretur. Missis denique qui Metensis Ecclesiæ Antiphonarium (nam id Gregorianum esse dicebatur) transcriberent, et afferrent, longe aliter rem esse quam audierant, invenerunt. Itaque examinatum displicuit, eo quod et cantu, et littera inventum sit vitiosum, et incompositum nimis, ac pene per omnia contemptibile. Quia tamen semel cœperant, et usi sunt eo, et usque ad nostra tempora retinuerunt. Tandem aliquando non sustinentibus jam fratribus nostris abbatibus Ordinis, cum mutari et corrigi placuisset, curæ nostræ id operis injunxerunt. Ego vero accitis ex ipsis fratribus no-

stris, qui in arte et usu canendi instructiores atque peritiores inventi sunt, de multis et diversis novum tandem Antiphonarium in subjectum volumen collegimus, et cantu, sicut credimus, et littera irreprehensibile. Denique cantator ipsius, si tamen gnarus fuerit, hoc probabit. Ita ergo ut demum mutatum est, et in hoc volumine continetur, volumus in nostris de cætero monasteriis tam verbo, quam nota ubique teneri; et mutari omnino in aliquo ab aliquo, auctoritate totius capituli, ubi ab universis abbatibus concorditer susceptum et confirmatum est, prohibemus. Porro mutationis hujus causam et rationem, si quem evidentius et plenius nosse delectat, legat subjectam præfatiunculam, quam præfati discussores veteris Antiphonarii ad hoc ipsum præponere curaverunt: ut palam factis quæ in illo erant, tam cantus, quam litteræ vitiis, renovationis et correctionis necessitas atque utilitas clarius appareret.

## PRÆFATIO SEU TRACTATUS

### DE CANTU SEU CORRECTIONE ANTIPHONARII.

1. Cantum quem Cisterciensis Ordinis ecclesiæ cantare consueverant, licet gravis et multiplex obfuscet absurditas, diu tamen canentium commendavit auctoritas (200). Sed quia penitus indignum videbatur, qui regulariter vivere proposuerant, hos irregulariter laudes Deo decantare; ex eorum assensu cantum ita correctum invenies, quatenus eliminata falsitatum spurcitia, expulsisque illicitis ineptorum licentiis, integra regularum veritate fulciatur, aliorumque cantibus, quibus erat deterior, ad notandum et cantandum commodior habeatur. Dignum siquidem est, ut qui tenent Regulæ veritatem, prætermisissis aliorum **695** dispensationibus, habeant etiam rectam canendi scientiam, repudiatis eorum licentiis, qui similitudinem magis, quam naturam in cantibus attendentes, cohærentia disjungunt, et

conjungunt opposita; sicque omnia confundentes, cantum prout libet, non prout licet, incipiunt et terminant, deponunt et elevant, componunt et ordinant. Unde nemo miretur aut indignetur, si cantum aliter quam huc usque audierit, in plerisque mutatum invenerit. Ibi enim aut irregularis est progressio, aut progressionem sive dispositionem reclamant oppositio [*al.* compositio], aut oppositionem dissolvit oppositio. Hæc omnia cum vitia sint regularum, perfectionem magis exterminantia, quam determinantia, omnino procul sunt ab illis qui vitia magis abscindere, quam dispensare noverunt. Denique cum musica recta sit canendi scientia, omnes hujusmodi cantus a musica excluduntur, qui nimirum non recte, sed irregulariter et inordinate canuntur. De mutatione namque litteræ facilis est, nisi falli-

(200) Non posse mutari cantum sine morum mutatione docent Cicero II. De legibus, Plutarch., lib. De musica, etc.

mur, excusatio. Eam nimirum in plerisque adeo A parcam et restrictam reperimus, ut in eadem historia idem versus ter repeteretur aut quater, ac si in toto Veteri ac Novo Testamento reperiri non posset quidpiam, quod adeo commode posset apponi. In multis etiam historiis Postcommuniones ab iis, qui simplicitatem cantus ignorant Antiphonarii, pro Responsoriis appositae invenimus: quibus versus sub- juncti ita misere cohærentes, ut notari non posset, secundum quod eos pronuntiari necessarium erat.

2. Dedimus ergo operam, ut in nulla historia idem versus plusquam semel reperiatur, imo, nisi fallimur, vix tres versus reperies, qui in toto Antiphonario vel bis contineantur. Postcommuniones autem quasdam removimus, usitata et authentica pro eis responsoria apponentes: quorundam vero litteram ut sanctam et evangelicam retinentes, honestate et pulchritudine cantus supercoloravimus, sobriam tamen atque pudentem musicam ubique servantes. In multis denique locis litteram veteris Antiphonarii tantæ remissionis atque dissolutionis esse comperimus, ut multis falsitatibus sive apocryphorum nœniis respersa, non solum lædium, sed et odium sui legentibus inferret: ita ut novitii qui sub ecclesiastica disciplina eruditi fuerant, ipsum Antiphonarium tum pro littera, tum pro nota fastidientes et ignorantibus, in divinis laudibus tardiores redderentur et somnolentiores. Præmonitos autem esse volumus eos maxime qui libros notaturi sunt, ne notulas vel conjunctas disjungant, vel conjungant disjunctas; quia per hujusmodi variationem gravis cantuum oriri potest dissimilitudo: insuper et singulos cantus in propriis studeant terminare finalibus, per quarum inconsultam transmutationem tanta in cantibus orta est confusio, ut plures eorum alterius sint maneriarum, et alterius deputentur.

3. Quatuor enim sunt diversitates sive maneriarum cantuum, quibus omnis ipsorum multiplicitas includitur. Hæ apud Græcos vocantur, protus, deuterus, tritus, tetradus. Hæ inter se oppositæ sunt, et certis ab invicem differunt proprietatibus. Prima enim maneria est, quæ ab voce qua terminatur ascendit per tonum post semitonium, et descendit per tonum. Hæc duas tantum habet finales D et A, quarum utraque habet supra se prius tonum, post semitonium, et sub se tonum. Secunda maneria est, quæ a voce qua terminatur, ascendit per semitonium et tonum, et per tonum descendit. Hæc iterum habet duas finales E et B quadratum, apud quas nimirum illum ascensum et descensum naturaliter invenies. Tertia maneria est quæ ascendit per duos tonos, et descendit per semitonium: quæ nihilominus habet duas finales F et C, utpote taliū proprietatum susceptivas. Quarta ascendit per duos tonos, et descendit per tonum: et hæc unam tantum habet finalem G. Prima maneria duos continet modos, qui toni vulgariter dicuntur, videlicet primum et secundum: secunda duos, tertium et quartum: tertia duos, quintum et sextum: quarta

duos, septimum **696** et octavum. Bini vero et bini toni, qui sub singulis continentur maneriis, non distinguuntur a se diversitate finalium, quas prorsus easdem habent; sed progressionem et compositionem: quarum altera quantitatem, altera qualitatem determinat. Qui ergo libros notaturus es, tuæ diligenter imprime memoriæ, quod omnes cantus primæ maneriarum, qui facti sunt, vel qui regulariter fieri possunt, in D tantum et in A terminari habent; et quicumque cantus potest ponere in aliqua illarum, primæ profecto est maneriarum, id est primi vel secundi toni. Utrumque, inquires, falsum: quia nec omnes cantus primæ maneriarum in illa tantum possunt terminari, cum et finem in G ponant per B rotundum; nec omnes qui in illa terminantur primæ sunt maneriarum: quia « Benedicta tu in, » et « Petre, amas me, » et multæ consimiles Antiphonæ, in A tantum habent terminari; et tamen sunt secundæ maneriarum quarto tono deputatæ. Hæc quidem opinio jam multos sefellit, quam adduxit in medium B. rotundi adjectio, per quam multis erroribus Musicam maculavit ineptorum præsumptio. Sane non secundum aliquid accidentaliter adjectum, sed secundum primam et propriam litterarum institutionem distincta est finalium proprietas, apud quas nimirum principale et maximum de cantu versatur iudicium. In naturali autem computo litterarum septem invenies, quæ graves nominantur. Hæ ut cantus liberius discurreret duplicatæ; quædam vero ex ipsis triplicatæ sunt: in duplicatione acutas, in triplicatione superacutas reperies. Consideratis litterarum singularum habitudinibus, quas habent ad proximas sibi litteras alitrinsecus positas, nullam profecto reperies præter D et A, quæ ascendat per tonum et semitonium, et descendat per tonum. Unde et hæc tantum finales sunt primæ maneriarum, cujus est proprium sic ascendere et descendere. Ergo excluditur, quod in naturali ordine litterarum et ubi prius ponitur, et unde repetitur, nequaquam per tonum et semitonium, sed per duos tonos directe ascendit.

4. In hoc litterarum ordine non computatur B rotundum. Patet enim omnibus, quod non sit aliqua de gravibus; cum etiam inter eas nusquam ponatur: sed nec aliqua de acutis, cum nulli gravium per duplarem conjungatur proportionem. Est autem inventum, non ad proprietatem finalium determinandam, sed ad servandam in plerisque cantibus euphoniā, quam apud eos minueret vel auferret tritonus, qui apud B quadratum terminatur. Unde in qualibet maneria, ubi molliorem expedit fieri sonum, loco B quadrati B rotundum quandoque ponitur, furtim tamen ac raptim, ne propter ipsum generetur in cantu similitudo alterius modi; quod nimirum nullam lineam, nullumve spatium per determinationem alicujus litteræ in libris obtinet, nisi ipsum apponatur. Et si semel B quadratum supervenerit, de libro deleatur omnis ejus memoria, donec urgente supradicta necessitate iterum apponatur. Si ergo in G per ipsum aliquem cantum terminare

primæ maneriæ; contra inventionem ejus omnino ageres, et institutioni obviare finalium: quia nullus cantus extra finalem suæ maneriæ terminari debet. Quod si dixeris, G finalem esse primæ per B rotundum: respondeo, hoc esse non posse. Ad hoc enim ut finalis esset primæ maneriæ, necessarium esset ut secundum naturalem litterarum dispositionem ascenderet per tonum et semitonium, quod nec B rotundum, nec aliud quidpiam ei potest conferre. Licet igitur concedi possit, cantus primæ maneriæ quoquomodo posse notari vel cantari in G per B rotundum, nullatenus tamen concedendum est, vel sic, vel aliter G esse finalem illius, impediente quam diximus necessitate. Proinde quæ utilitas, quæve industria est, ut in aliena finali cantum aliquem accidentaliter notes, quem in naturali ac propria notare potes, eo securius quo irreprehensibilis, eo laudabilius quo diligentius, eo gratius quo verius? Propter hoc ne vitiosus aut superfluus inveniaris, ubi necesse est B rotundum studeas apponere, quod nimirum necessitas adinvenit. Nullus enim cantus qui sine ipso notari potest, per ipsum notari debet. Qui sunt qui **697** sine ipso notari non possunt? Qui apud eandem litteram, modo tonum, modo semitonium habent. Quia tamen superacitas et vicinas ipsis litteras minus notas habent imperfecti cantores; infirmitati eorum condescendens consuetudo quosdam cantus per B rotundum notat inferius, qui apud prædictas litteras sine ipso commodius possent notari. Nos vero volentes, ut sicut inferiores, ita et superiores in usu habeantur et in notitia (aliter enim frustra haberentur), quoscumque cantus natura confert inferioribus, eos in ipsis terminatos reperies. Terminantur vero in superioribus qui eas naturaliter habent finales. Similiter sciendum est de hac antiphona « Benedicta tu, » et consimilibus, quæ in A tantum terminari possunt, quod secundum hujusmodi dispositionem procul dubio primæ sunt maneriæ, et non quarto, sed secundo tono applicandæ sunt. Ecce enim hæc antiphona « Benedicta tu, » in quodam loco supra finalem tonum, postea semitonium naturaliter habet per B quadratum; alibi prius semitonium, deinde tonum per B rotundum. Quæ, obsecro, perspicacitas est ad judicandum de cantu illo cujus sit maneriæ, accidens præferri naturæ: et cum sit primæ secundum naturalem, judicari secundæ secundum accidentalem dispositionem? Ut autem magis mireris et abhorreas hujusmodi ineptiam, inspice hanc antiphonam, « Petre, amas me, » et multas alias hujusmodi: eas profecto invenies naturaliter habere supra finalem tonum et semitonium per B molle, et nusquam semitonium et tonum per B rotundum. Cur ergo judicantur esse secundæ? Similiter hanc antiphonam, « Nos qui vivimus, » secundum quod fere ubique cantatur, cum principaliter ac proprie terminari habeat in D, et sit secundi toni, notant eam iniqui prævaricatores in G per B rotundum, et sacramento asserunt eam esse octavi toni, licet apud eosdem G

A per B rotundum potius primæ quam quartæ maneriæ cantus terminet. Quis, obsecro, musicus patienter ferat, ut cantus qui propriam et naturalem habet finalem D, octavo tono attribuat: qui vero propriam et naturalem habet finalem A, sub quarto tono contineatur?

5. Horum ergo cantuum in A terminantium, in quibus naturam suffocat similitudo, necessaria correctio est: quia dissoluti per appositionem, quæ partes compositionis contaminat, alterum in principio, alterum in fine tonum redolent. In vetustissimis magnorum monasteriorum bibliothecis elegantissimum quoddam artis musicæ breviarium reperitur, quod sic incipit, « Quoniam pauci sunt: » quod quidem in parte legi, sed nomen auctoris me legisse non recolo. In eo, si bene memini, hujusmodi cantus nothi, id est degeneres, et non legitimi appellati sunt; eo, quod, ut ibi legitur, a septimo tono incipiant, et eundem in medio servantes, circa finem degenerent, aliis in primo, aliis in quarto tono desinentibus: in primo, sicut « Ex quo facta est; » in quarto, sicut « Benedicta tu. » Fine proinde competenter mutato, omnes hujusmodi cantus ad septimum tonum redactos reperies. Horum cantuum duæ sunt diversitates. Quidam enim eorum ab ea littera in qua incipiunt, hilari motu ascendunt ad quintam et pausant in ea, sub qua nisi prius esset tonus, deinde semitonium, postea tres toni, quæ dispositio potest reperiri tantum sub ea littera quæ quinta est a finali septimi toni, non possent ibi notari reliquæ partes eorum cantuum, ut potes videre in « Benedicta tu, » et similibus cantibus, qui tam in canite, quam in toto corpore tali utentes dispositione, transmutato circa finem per B rotundum semitonio, naturam secundi toni, et similitudinem quarti ordinate recipiunt. Propter hoc circa finem mutatione indigentes, in ea parte correcti sunt. Quidam vero sunt, qui ab ea littera in qua incipiunt, tono statim deponuntur, et redeunt ad quartam pausant in ea, quod magis videtur plagalium esse, sicut, « Dominus regit me, » et, « Post partum. » Hos ergo non solum in fine, sed etiam in principio mutatos invenies, ut septimo tono ubique arrideant. Iterum præmonendus **698** es de finalibus tertix et quartæ maneriæ, apud quas similiter magna invenitur confusio. Sunt enim quidam miserrimi cantus, nullius maneriæ habentes proprietatem, qui æque terminari possunt in C et in G, quæ diversarum sunt finales maneriarum. Quidam super hanc rem diligentius intuentes dicunt, et bene dicunt, omnes illos cantus esse irregulares, quos nullius maneriæ certitudo distinguit: et judicant omnium horum cantuum ita debere vel extendi progressionem, vel compositionem variari, ut in finalibus diversarum maneriarum terminari nullatenus possint. His proinde miserrimis cantibus suam incertitudinem leviter et breviter ablatam invenies, ut jam non sis dubius, quibus singulos finalibus applicare debeas. Omnes igitur cantus primæ maneriæ, id est primi vel se-

cundi toni, termines, ut diximus, in D vel A. Omnes secundæ maneriæ, id est tertii et quarti toni, in E vel in B quadratum: quod licet tam authentorum quam plagalium naturaliter susceptivum sit; nullum tamen authenticum in antiphonario reperies, quem in ipso terminare valeas. Si enim est Responsorium, versus illius authentici non potest ei competere, qui sub sexta littera in qua incipit semitonium habet: si vero est antiphona « Sæculorum, » ejusdem authentici non potest recipere propter eandem causam.

6. Nullum siquidem cantum, qui per diapente et semitonium ascendat ad sextam, terminare potes in B quadrato (201-2), quod supra se diapente non habet. Propter hoc non satis commode invenerunt in tertio tono versum, neuma, et « sæculorum. » Utrumque tamen forsitan consideraverunt, et sterilitatem B quadrati et habilitatem: sterilitatem, componentes versum. « neuma, » et « sæculorum, » cantibus in E erminantibus tantum incompetencia; habilitatem, sexta pro quinta utentes: ut si quando sterilitati illius finalis fecunditas succederet, parata esset littera, quæ authenticam ejus elevationem reciperet. Apud nos tamen authenticum in B quadrato terminari reperies, scilicet « Euntibus [al. add. et te Deum Patrem] »: quod alibi terminari non potest. Hoc communem versum nec habet, nec habere potest, sed habet suum proprium. Porro omnes cantus tertiæ maneriæ, id est quinti et sexti toni, termines in F, vel in C, F, majori parti authentorum; C vero omnibus fere plagalibus attribuens: omnes vero cantus quartæ maneriæ, id est septimi et octavi toni, in G tantum terminare debes. Harum septem litterarum, non unam magis, et aliam minus, sed omnes æqualiter principales ac proprias finales esse noveris; habentes nimirum tam authentorum elevationem, quam depositionem plagalium. Incipiunt autem a D gravi, et in C acuto desinunt: supra enim vel infra nullam invenies, cui non desit elevationis vel depositionis perfectio. Ut autem unaquæque earum progressionis præcelleret plenitudine, fecerunt Musici dispositionem litterarum a F græco usque in ee (203) superacutum: non quia maluissent abundare quam deficere; sed quia nec superabundare, nec deficere voluerunt, facientes dispositionem, quæ neque sine incommoditate contrahatur, nec sine superfluitate posset esse prolixior. Utquid enim aliquid superadderes, cum supradictæ plenitudini hæc dispositio sufficiat: cui e regione si aliquid subtraheres, aliquam profecto finalium ejusdem plenitudinis decore spoliare?

7. Præterea sunt multi cantus, in quibus duplari elevationi, hemioliam vel (204) epitritum depositionem quam habere solebant, subtractam invenies. Sicut « Cornelius, Sancte Paule, » et alii plures. Omnes

(201-2) Negant recentiores posse tertium et quartum tonum terminari in B molle, quia obstant tritonus et semidiapente.

(203) In manuscripto est hæc littera H, quæ si-

A enim hujusmodi cantus duplices sunt et irregulares: duplices, quia partim sunt authentici, partim plagales (205). Quod vero contra regulam se ascendant et descendant, testantur etiam ipsi doctores erroris; sed per licentiam dicunt hoc fieri, regulas confundentes ut vitia retineant, non vitia resecantes ut regulas custodiant. Quæ est ita licentia, quæ regionem perambulans dissimilitudinis, confusionem adducens incertitudinis, præsumptionis mater et refugium erroris, veritatem deprimit et perturbat **699** judicium? quæ est, inquam, hæc illicita licentia, quæ conjungens opposita, metasque naturales transgrediens, sicut inconcinnitatem juncturæ, ita et injuriam irrogat naturæ? Luce siquidem clarius est cantum illum male et inordinate compositum, qui vel ita deprimitur, quatenus, prout decet audiri nequeat; vel ita elevatur, ut cantari non valeat. Sic enim debet fieri, ut in inferioribus auditorem habeat, et in superioribus prolatorem. Hujus mediocritatis tenorem quidam in octo, quidam in novem vocibus esse voluerunt, non clamoriarum, sed vocum mediocrium possibilitatem considerantes. Verum tamen secundum illos, quorum exquisitior videtur esse sententia, usque ad decem voces potest cantus progredi, propter auctoritatem Psalterii quod decachordum est; et ut æqualis sint dignitatis singulæ voces diapason, quæ octo sunt: quatenus ultimæ, sicut et mediæ, geminam habeant habitudinem, scilicet elevari et deponi, collocatis altrinsecus duabus vocibus, altera superius, altera inferius; quia tantum hoc per octo voces habent cantus discurrere, et non per plures: propter quod regulari cantuum progressionem diapason sufficit. Licet enim in progressionem cantuum duabus vocibus hinc inde, ut dictum est, positus, decem voces inveniantur, non tamen per decem voces, sed tantum per octo medias cantus discurrere, et usque ad voces altrinsecus positas pervenire habet, sed per eas ire vel redire non habet. Et quod majus est, secundum dispositionem tonorum et semitoniorum; quam habent musici, qui primæ et quartæ et septimæ litteræ altrinsecus tonum attribuunt, secundæ et quintæ inferius tonum et supra semitonium, tertiæ vero et sextæ e converso, videlicet supra tonum et inferius semitonium, non prætermittentes quandoque B rotundum pro asperitate tritoni: secundum hanc, inquam, dispositionem nullus cantus fieri potest in decem vocibus vel citra qui notari non possit; sed undecim vocum cantus fieri potest, qui notari non potest. Fac enim cantum qui sit authenticus tertiæ maneriæ, et da dispositionem ejus in uno loco tonum, in alio semitonium; et eleva cantum illum decem vocibus, ut sint undecim, addita illa quæ est in depositione; scito profecto cantum illum non posse notari, quia sub C acuto terminari non potest: cum in depo-

gnificat E, id est E la in monochordo Guidonis.

(204) Hemiolia est proportio sesquialtera, epitritus sesquitercia.

(205) Hujusmodi toni dicuntur misti.

sitione, sub finali, modo tonum, modo semitonium A habeat, sed nec ibi, cum cantus excedat ee superacutum.

8. Est igitur triplex ratio, quare cantibus decem voces attribuantur: Psalterii auctoritas, dignitatis æqualitas, et notandi necessitas. Secundum hujusmodi sufficientiam decem vocum consideraverunt musici progressionis plenitudinem, propter quam singulis assignandam finalibus prædictam dispositionem protraxerunt a F græco usque in ee: alioquin insufficientis esset formula, nec daret singulis plenarium ascensum. Has decem voces in sua progressionem aliter ordinant plagales. Authentos vocamus, qui majoris sunt auctoritatis, primum, tertium, quintum, et septimum, qui gravari nolunt aut deprimi, sed leves in saltibus, agiles in motibus, quintam et eas quæ supra sunt litteras frequentant. Hi sub finali quæ una est de decem vocibus, unam subponunt, octo supraponunt. Plagales sunt qui minoris sunt dignitatis, secundus videlicet, quartus, sextus, et octavus, qui raro tangunt vel transeunt quintam, sed sub ipsa volunt morose gravari. Hi finales suas quasi in medio collocantes, quatuor ipsis voces subponunt, et quinque supra ponunt, pulchra videlicet rationis probabilitate, ut quot vocibus in elevatione superantur, tot superent authentos in depositione. Nullus itaque plagalis ultra sextam elevari, et nullus authenticus plus quam una voce debet deponi. Plane igitur insaniunt, qui plagalem elevari per diapason, et authenticum per diapente vel diatessaron deponere præsumunt. Ut quid enim sunt vel habentur hujusmodi cantus, graves quidem ad notandum, graviores ad cantandum, lineas variantes, arterias 700 crnciantes, caverniatam, [al. cauteriatam] habentes progressionem, nunc ascendentes usque ad cælos, nunc descendentes usque ad abyssos? Ne etenim ejusmodi cantus fierent, testante Widone, consilium fuit ut unusquisque quatuor modorum, videlicet protus, deuterus, tritus, tetradus, partiretur in duos, id est authenticum et plagalem, distributisque regulis, acuta acutis, et gravia convenirent gravibus. Cum enim hujusmodi cantus secundum unam partem sui sint graves et plani, secundum alteram acuti et alti; versus et psalmi uno eodemque modo prolati diversis competenter aptari non possunt. Quod enim subjungitur, si est grave, cum acutis non convenit: si acutum, a gravibus discordat. Prohibet etiam idem Wido, ne hujusmodi abusus elevationis et depositionis fiat in Antiphonis et Responsoriis, quorum cantibus, psalmis et versibus coaptandi sunt. Cum enim cantus sit communis et duplex, versus autem et « sæculorum, » vel tantum authentice, vel tantum plagaliter canantur, ad illius modi cantum competenter non possunt aptari, cum plures sint in quibus adeo confunditur gravitas et acumen, ut vix possit adverti, cui magis, id est authento vel plagali, conferantur.

9. Prohibentibus itaque melis naturæ necessariis, plus quam quatuor manerias inveniri impossibile est, quæ et ipsæ secundum depositionem plagalium et authentorum elevationem octo modis exprimuntur, quorum bini et bini, authentus videlicet et plagalis ejus, conveniunt omnino in maneria, sed differunt, hinc in depositione et elevatione progressionis, inde in hilaritate et gravitate compositionis; elevationem siquidem et hilaritatem usurpantibus authentis, depositionem vero et gravitatem plagalibus retinentibus.

10. Ad hos inter se distinguendos, « Neumata » inventa sunt singulis subjicienda antiphonis, quæ apud quosdam « Stivæ » vocantur, et apud Græcos signantur per hæc verba, « Hoa nocane » et « noais B (206) » et his similia, quæ quidem nihil significant, sed ad hoc tantum a Græcis sunt reperta, ut per eorum diversos ac dissimiles sonorum admiranda varietas aure simul et mente posset comprehendere. Hæc ita maneriam suorum modorum et compositionem debent exprimere, ut postquam tuæ diligentius memoriæ fuerint impressa, frequentatis aliquandiu cantuum diversitatibus, quibus arrideant cantibus auditu etiam facile cognoscas. Unumquodque ergo eorum suo modo singulare debet esse sufficiens: in hoc sufficiens, ut cuilibet finali sui modi convenire possit, in hoc singulare ut cantui alterius modi convenire non possit. Non enim ad discernendos modos a se invicem neumata competenter essent inventa, nisi unumquodque suo modo sufficeret, et cum evidenter ab aliis discerneret. Debet ergo maneriam et formam; tam communem, quam propriam, sui modi exprimere: maneriam videlicet per dispositionem; formam vero per compositionem; prætermittis interim neumatibus plagalium, quæ competenter inventa esse videntur, utpote sufficientia suis modis atque singularia. De neumatibus authentorum sciendum est, omnia mala esse inventa, vel post inventionem corrupta, præter neuma primi toni. Unde siquidem neuma quinti toni et incompetentem invenire reperies, quia suo modo nec sufficiens, nec singulare est. Cum enim ascendat per duos tonos, et semitonium, licet naturaliter C finalem habeat, in F tamen nisi accidentaliter terminari non potest. Unde non est sufficiens: quia naturaliter utrique finali debet convenire, non per B rotundum quod a distinguendis tonorum proprietatibus omnino excluditur. Valde enim absurdum est, ut in eisdem litteris, in quibus cantus totus comprehenditur, suum neuma quod ipsius naturam debet ostendere, recipere non possit, quod tibi contingit in hoc modo in cantibus ascendentibus per tritonum. Iterum singulare non est, quia naturaliter et proprie terminari habet in G, quæ est finalis quartæ maneriæ. Considera namque neuma septimi toni, et hoc illi conferas: ejusdem utrumque dispositionis prorsus 701 invenies et ejusdem fere compositionis, ita ut hoc septimo tono

(206) Ita in manuscripto. Alias, noe. ane; et noe ais.

et illud quinto, eadem possis aptare diligentia, qua A et hoc quinto, et illud septimo. Unde et hoc neuma septimi toni irrationabiliter est inventum, cum competere possit finali tertiæ manerix. Est aliud valde indecens in utroque neumate: habet enim utrumque in suo principio plagalem elevationem, ascendens per tonum et semitonium, et moram faciens in quarta, sicut prorsus invenies in neumate octavi toni, qui plagalis est. Ergo vel communem authentorum, vel propriam alicujus authentici compositionem neutrum exprimit, nec minus competenter assignari potest octavo tono, qui plagalis est. Propter hoc utrumque mutatum invenies; ita plane ut suo modo unumquodque sufficiens sit, et singulare, nec superflua utatur circuitione. Neuma similiter tertii toni insufficiens est, quia authentici qui B terminari possunt in B quadratum, convenire non potest; et ideo sub sexta semitonium ablatum invenies. Has neumatum exquisitas proprietates esse scias admodum necessarias ad distinguendos quosdam authenticos a suis plagalibus. Hæc enim antiphona, « Lex per Moysen data est [al. sede a dextris meis], » quæ semel quintam tangit, et se totam sub ea colligit, omnino plagalis esset, nisi propriam sui authentici compositionem haberet, quam in neumate ipsius invenies; videlicet, a finali per tonum [al. totum] B descendere, et inde surgere per diatessaron, constans ex duobus tonis et semitono; postea per duos tonos ascendere ad quintam; et inde per quasdam interpositiones redire ad finalem. Curre per quaslibet antiphonas primi, hanc fere in omnibus C compositionem invenies. Idem reperire potes in neumatibus aliorum authentorum. Caveant autem quicumque de cantuum distinctione perfectam volunt habere notitiam, ne propter aliquod brevitatis desiderium hæc neumata quasi superflua prætermittant. Adeptæ siquidem brevitatis non tantum valeret compendium, quantum amissæ commoditatis noceret dispendium.

702 11. His et aliis rationum probabilitatibus contra usum omnium Ecclesiarum Antiphonarium hoc corrigere coacti sumus: magis nimirum naturam, quam usum æmulantes. Nec hoc unice suggestit præsumptio, sed injunxit obedientia. Si ergo opus singulare et ab omnibus Antiphonariis diversum fecisse reprehendimur, id nobis restat solatii, quod nostrum ab aliis ratio fecit diversum: alia vero inter se diversa fecit casus, non ratio, vel aliud quidpiam, quod in causa casui non præponderat. Licet enim in vitis omnia fere conveniant, in quibus tamen rationabiliter convenire possent, adeo disconveniunt, ut idem Antiphonarium nec duæ canant provinciæ. Mirum proinde videri potest, quare majoris fuerint auctoritatis atque communioris notitiæ falsa quam vera, vitiosa quam sana. Ut enim de comprovincialibus loquar Ecclesiis, sume Remense Antiphonarium, et confer illud Belvacensi, vel Ambianensi seu Suessionensi Antiphonario, quod quasi ad januam habes; si identitatem inveneris, age Deo gratias. Nolumus autem latere posteros, quod hortatu dominorum et Patrum nostrorum multa retinimus de veteri Antiphonario, quæ quidem tolerabilia, sed multo melius possent haberi. Duo tamen incorrecta reliquimus, digna penitus correctione, videlicet, metrum quarti toni, metrumque septimi: quæ licet in graduali correximus, propter usum tamen psalmorum in Antiphonario non potuimus corrigere, reclamantibus eisdem Patribus nostris, quorum assensu et benedictione cætera pro viribus exsecuti sumus. Prædicta metra quare vitiosa sint ratio in promptu est. Cantus enim psalmorum quarti toni, impediante solo metro, nullis Antiphonis potest aptari quæ terminentur B quadrato; metrum vero septimi toni in ea littera pausat in qua tonus ille nullum principium sumit, quod nulli tono licet. In illis enim litteris debet pausare quilibet tonus, in quibus habet frequentius incipere.

## APPENDIX

AD

## TRACTATUS MORALES ET DOCTRINALES.

### MONITUM IN OPUSCULUM SEQUENS.

Sitne hæc commentationucula revera S. Bernardi, utique Claræ-Vallensis, nec ne, non ausim affirmate pronuntiare. Ita tamen nos sentire jubet codex Mellic. E. 42, licet non antiquior sæculo xvi, in quo illa *Stimulo amoris Ekeberti* illico subjicitur. Certe in ea nihil admodum Bernardo indignum reperias.

## S. BERNARDUS.

Super hymnum : *Jesu, nostra redemptio*(R. P. Bernardi PEZII *Bibliotheca ascetica antiquo-nova*, tom. VI, Ratisbonne 1725, in-12.)

*Tantus fuit amor ! Si Christus Filius Dei vivi tot membra habuisset, quot sunt stellæ in firmamento cœli, et unumquodque membrum suum corpus habuisset, omnia ad passionem Christus exposuisset, antequam unam animam in faucibus diaboli non redemptam reliquisset. O qualis et quanta est clementia Domini !*

*Quæ vicit clementia mei Jesu Christi, qui non minus diligit peccatorem conversum, quam eum qui peccati maculam nunquam contraxit.*

*Verbi gratia. Conversio peccatoris cibus et potus est Salvatoris.*

*Inferni claustra penetrans. Homo audacter dic : Peccavi ! Non te terreat ira Principis, nec timor Diaboli, nec poena infernalis, nec desperatio peccati enormis. Magis enim Judam desperatio quam peccatum quod commisit, damnavit.*

*Ipsa te cogat pietas. Peccavimus, et pepercit : offendimus, et adhuc placatus existit.*

*Tu nostrum gaudium. O bone Jesu, duo in me ignosce : naturam, quam fecisti, et peccatum, quod ego adjeci. Fateor quod per culpam deformavi naturam. Memento quod sum spiritus vadens et non rediens. Per me ivi in peccatum, per me redire non possum. Eia, benignissime Jesu ! tolle a me quod feci, ut remaneat quod tu fecisti, ne pereat quod pretioso sanguine in tua cruce redemisti. Amen.*

## MONITUM IN OPUSCULA DUO SUBSEQUENTIA.

Librum sequentem ex codice membranaceo sæculi XIII luci mandamus, qui tractat *De passione Christi, et doloribus, et planctibus Matris ejus*. Conscriptus est in forma dialogi, et num sit Bernardi Claræ-Vallensis vel alterius abbatis Bernardi, ignoramus; eum tamen publici juris facimus, quia valde devotus est.

Tractatum alterum *De laudibus B. V. M.* inscriptum ex alio codice chartaceo in quarto, ut vocant, sæculi XIV, exscribere necesse fuit. Hunc tractatum seu librum vidimus in Bibliotheca cœnobii S. Mariæ Magdalensæ ord. Prædic. Astæ, sign. N. A. B. C., num. 2. Num vero ejusdem sit vel alterius monachi deflorantis opera, ejusdem, judicent critici.

## LIBER DE PASSIONE CHRISTI

## ET DOLORIBUS ET PLANCTIBUS MATRIS EJUS.

(D. Eugenius de LEVIS, *Anecdota sacra*, p. 60. Augustæ Taurinorum 178... 4°.)

**702** Quis unquam regnans in cœlo sursum, vel A peregrinans in terra deorsum, audiens vel mente pertractans quomodo factus est opprobrium (Psal. xxii, 7) ipse Dominus angelorum, et abjectio plebis (ibid.) Filius Dei Patris, et poterit lacrymas continere, vel ei enim erit impossibile flere? Verumtamen, tu, gaude gaudio magno ab ipso (207), nunc glorifica in cœlis, quæ in menté clavis amarissimæ fuisti confixa suæ piissimæ mortis. Mihi tamen, obsecro, lacrymas illas infunde quas habuisti in sua passione, ut iis fluam largius.

De passione filii tui et Domini mei verba ad invicem conferamus.

Teneris promissionem reddere quam nobis superius promisisti. Memini te mihi in primo exordio nostri sermonis fuisse locutam de doloribus, quos B ipsa portasti pro morte unigeniti tui, quia, ut au-

divi, non modicum perturbatus cœpi quærere, dolens qui essent illi tui sermones.

Cui ipsa dixit : Qui sunt isti sermones? Interim recogita in amaritudine animæ tuæ. De his in consequentibus ad invicem conferemus.

Enarra, te flagito, seriem veritatis, quæ mater es veritatis. Ad quem illa :

Illud quæris; caput et initium est magni doloris. Sed quia glorifica (208) flere non possum, tu cum lacrymis scribe quæ cum magnis doloribus ipsa persensi.

Cui, inquam, flere peropto, et nihil mihi aliud libet, da quod jubes, et præbe quod cupio.

Audi, ac servis tuis dicat domina mea. Dic mihi si in Jerusalem eras, quando fuit captus filius tuus, et vinctus, et ductus, ad Annam tractus?

At illa : In Jerusalem eram, quando hoc audivi,

(208) *Glorifica, id est gloriosa, alibi glorificata.*



et gressu quo potui ad Dominum meum fleus per-  
 veni. Cumque illum fuissem intuita pugnis percuti,  
 a lapidis cædi, faciem conspui, spinis coronari et op-  
 probrium hominum fieri, *commota sunt omnia viscera*  
*mea (Gen. XLIII, 30), et defecit in me spiritus meus*  
*(Psal. LXXVI, 4)* et non erat mihi fere vox, neque  
 sensus. Erant et mecum meæ sorores et feminæ  
 multæ, mecum plangentes eum quasi unigenitum,  
 inter quas erat Maria Magdalena, quæ super omnes  
 alias, excepta illa quæ loquitur tecum, dolebat, et  
 dum Christus Deus, clamante præcone, imperante  
 Pilato, sibi bajulans crucem ad supplicium trahere-  
 tur, et factus est concursus populorum post ipsum  
 euntes, alii super ipsum plangentes, alii [cod. ei]  
 eum illudentes ridebant. Sequebatur et ipsum, prout  
 poterat, ejus mœstissima mater cum mulieribus,  
 quæ secutæ fuerant a Galilæa ministrantes ei, a  
 quibus trahebatur, et tenebatur velut emortua,  
 quousque perventum est ad locum ubi crucifixerunt  
 eum. Ante oculos ejus fuit in cruce levatus, et ligno  
 durissimis clavis affixus, et ipse *tanquam agnus co-*  
*ram tondente se vocem non dabat, nec aperiebat os*  
*suum (Isai. LIII, 7)*. Aspiciebat ancilla Dominum  
 suum, intuebatur mater filium suum in cruce pen-  
 dentem, morte impiissima morientem, et tanto do-  
 lore vexabatur in mente, quanto non posset expli-  
 cari sermone. Nec mirum, manabat ejus sanguis ex  
 quatuor partibus rigantibus nudis, ligno manibus,  
 pedibusque clavis confixus, de vultu illius pulchri-  
 tudo effluerat omnis. *Et qui erat præ filiis homi-*  
*num speciosus (Psal. XLIV, 2)*, videbatur omnium  
 indecorus. Videbam quod complebatur propheticum  
 illud in eo iudicium, *cum et non erat illi species, ne-*  
*que decor (Isai. LMI, 2)*, quoniam iniquorum vultum  
 illius verberum sædaverat livor, et videbam me de-  
 seri ab ipso quem genui, nec supererat alius, quo-  
 niam mihi erat unicus, et ideo non poterat capere  
 in me dolor meus; vox mea fere perierat omnis, sed  
 dabam gemitus suspiriaque doloris. Volebam loqui,  
 sed dolor verba rumpebat, quoniam verbum jam  
 mentem conceptum, dum ad formationem prætende-  
 ret oris, ad se imperfectum revocabat dolor, non  
 inimica cordis vox tristis sonabat foris vulnus de-  
 nuntians mentis, verba dabat amor, qui raucum  
 sonabat, non lingua vocis magistra perdiderat usum.  
 Loquendo videbam morientem, quem diligebat ani-  
 ma mea, et tota liquefiebam præ doloris angustia.  
 Aspiciebat et ipse benignissimo vultu me matrem  
 plorantem, et me verbis paucis consolari voluit.  
 Sed ipsis consolari non poteram, sed flebam di-  
 cendo, et dicebam plorando: Fili mi, fili mi, quis  
 mihi dabit, ut ego moriar pro te? Moritur filius,  
 cur nec secum misera moritur mater ejus? Amor  
 unico, fili mi dulcissime, noli me derelinquere post  
 te, *trahe me ad te ipsum (Cant. I, 3)*, ut ipsa moriar  
 tecum. Male solus moreris, tecum morte perimatur  
 ista tuageni trix, et mors, mihi miseræ parcere no-  
 li, tu mihi sola præ cunctis placens, exere vires  
 tuas, trucida matrem, et cum filio perime simul,

**A** Fili et indulcor unice, singulare gaudium vitæ meæ,  
 animæ et omne desiderium, et fac ut ipsa nunc  
 moriar tecum quæ te genui ad mortem, sine matre  
 noli mori. Recognosce me miseram matrem tuam,  
 et exaudi precem meam; decet enim filium exaudire  
 matrem. Exaudi me, obsecro, in tuo me suscipe  
 patibulo, ut qui una carne vivimus, una carne per-  
 eamus.

**O** Judæi, ipsi nolite mihi parcere, qui natum  
 meum crucifixistis. Matrem crucifigite, aut alia qua-  
 cunque me sæva morte perimite. Dum meo cum  
 filio finiar simul, male solus moritur. O mors, orbis  
 orbem radio, ne videam filium, gaudium, dulcorem!  
 vita mea, salus mea perimitur, ac de terra tollitur  
 spes mea. Cur ergo vivit post filium mater in dolore?  
**B** Tollite, suspendite matrem cum suo pignore. Non  
 parcis proli, non parcas et mihi; tu mihi, mors,  
 esto serva.

Tunc summe gauderem, si mori possem simul  
 cum Christo meo dulci, et simul mori misera. Sed  
 mors optata recedit. Væ mihi infelici! Tibi, Jesu,  
 præcepta vincit mors. Morte mori melius mihi  
 quam vitam dulcem mortis; sed fugit a misera,  
 et me infelicem relinquit, cui ipsa mors optata nunc  
 esset.

**O** fili chare, o benigne, summe nate, miseræ ma-  
 tris suscipe preces. Desine matris nunc esse durus,  
 qui semper fuisti benignus in cunctis. Suscipe ma-  
 trem in morte tecum, ut vivat tecum post mortem  
 semper. Nihil vivere dulcius mihi quam tecum  
 mori et vivere. Nihil vivere amarius est quam vi-  
 vere mihi post tuam mortem.

**702** Tu mihi pater, tu mihi mater, tu mihi  
 sponsus, tu mihi filius, tu mihi omnia eras. Nunc  
 orbor patre et matre, viduor sponso, et desolor præ  
 omnibus, omnia perdo. O fili mi, ultra quid faciam?  
 Væ mihi! veni, fili. Quo vadam? Ubi me vertar,  
 dulcissime? Quis mihi solamen, piissime? Quis mihi  
 de cætero subsidium et consilium ultra præstabit,  
 fili charissime? Omnia possibile sunt tibi. Sed si  
 non vis ut moriar tecum, mihi relinque aliquid be-  
 nigne consilium. Cui oculis et vultu, Domine, tam  
 anxie in cruce annues?

**D** De Joanne, ait: *Mulier, ecce filius tuus (Joan. XIX,*  
*26)*, et erat ipse præsens Joannes vultu tristis, la-  
 crymis semper plorans, ac si diceret:

**O** homulus [cod. homulus], ad flendum mollis, ad  
 dolendum! Tu scis quia ad hæc veni et de te car-  
 nem assumpsi, ut per crucis patibulum salvarem  
 genus humanum. Quomodo implebuntur Scripturæ?  
 Scis enim quia oportet me pati pro salute generis  
 humani, sed die tertia resurgam tibi, et discipulis  
 meis patenter apparens. Desine flere, dolorem de-  
 pone, quia ad Patrem vado, gloriam paternæ ma-  
 jestatis percipiendam ascendo. Quinimo et gratulare  
 mihi, quia nunc inveni ovem errantem, quam tam  
 longo tempore perdidisti. Moritur unus, et ut idem to-  
 tus reminiscatur mundus, ob meritum Christi, pec-  
 catores salvantur cuncti nunc, unius ob meritum.

Quod placet Deo Patri, quomodo displicet tibi, mater dilecta? *Calicem quem dedit mihi Pater (Joan. xviii, 11)*, non vis ut bibam illum? Noli flere, mulier, noli flere, dulcissima mater. Non te defero, non te derelinquo, tecum sum, tecum ero omni tempore sæculi; si secundum carnem subjaceo imperio mortis, secundum divinitatem fui, sum et ero semper immortalis et impassibilis. Bene scis unde processi et veni. Quare ergo tristaris si illuc ascendo unde descendi? *Tempus est ut revertar ad eum qui me misit, et quo ego vado, non potes modo venire; venies autem postea (Joan. xiii, 36)*.

Interim Joannes, qui nepos tuus reputabitur tibi filius, curam habebit tui, et erit tibi solatium fidelissimum. Inde Joannem intuitus ait: *Ecce mater tua (Joan. xix, 27)*, ei servies, curam illius habebis, eam tibi commendo, suscipe matrem meam, suscipe matrem tuam, imo magis suscipe meam.

Tacebant isti virgines, ambo præ dolore loqui non poterant, nec respondere verbum, quia illum videbant quasi mortuum. Erant enim illi velut mortui, unde spiritus eorum voces exhalare non poterant. Audiebant, et tacebant, quia præ dolore loqui non valebant. Defecerat enim spiritus eorum, et amiserant virtutem loquendi; solus illis dolor, luctus qui remansit anxius, amabat flere, et flebat amare. Amare flebant, quia amare dolebant. Nam gladius Christi animas utriusque transibat. Transibat sensus sæve, perimebat utrumque, quo magis amabat segnior flebat in matre. Mater sentiebat Christi dolores. Virgo quem peperit gladium est passa doloris, Christi morientis vulnera matris erant, Christi dolores fuerant tortores in anima matris. Mater mater erat levata pignoris morte;

Morte martyr erat percussa cuspe teli quo membra Christi servi foderunt inique, ipsa erant, quam dolor magnus tenebat. In mente ejus creverant immensi dolores, nec poterant exterius refundi. Intus atrocius sævientes dolores nati matris animam gladiabant. In carne Christus solvebat debitum mortis, quod gravius erat quam mori animæ matris.

Interim Christus Matri et Joanni dixit: *Sitio (Joan. xix, 28)*, et dederunt ei, qui crucifixerunt eum, acetum cum felle mistum. Quod cum gustasset noluit *bibere (Matth. xxvii, 34)*, et dixit *Consummatum est (Joan. xix, 30)*, et clamavit voce magna, dixitque: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum (Luc. xxiii, 46)*. Et sic dicens *expiravit (Matth. xxvii, 50)*.

Tunc tremuit terra, tunc sol sua lumina clausit, Mœrebant poli, mœrebant sidera cuncta, Omne suum jubar amisit sua lumina perdens, Omnis plangendo recessit fulgor ab alto. Scinduntur duri lapides, scinduntur culmina templi.

Surrexerunt multi apertis tumbis sepulcri fatentes Christum cum voce publica Deum.

**702** Cogitare libet quantus dolor interfuit matri, cum sic dolebat, quæ ita sensibilis erat. Non lingua loqui, nec mens cogitare valebat quanto do-

lore anima tunc tenebatur Mariæ. Juxta crucem Christi stabat emortua Virgo, quæ illum concepit virgo de sancto Spiritu; vox non erat ulla, dolor abstulerat vires. Imo strata jacens pallebat quasi mortua, vivens vivebat, moriens vivensque moriebatur, nec poterat mori, quia vivens mortua erat; in anima illius dolor sæve sæviebat, optabat mori quam vivere post mortem Christi, quod male vivens mortua tunc erat. Ibi stabat dolens, confecta sævo dolore, exspectans Christi corpus deponi de cruce; hæc plorabat, dicens, atque plorando dicebat: *Lædite mihi miseræ, vel corpus exanime. Complevisti vota. Exstinctum deponite. Mater, vel simili magis me morte jungite illi, ut cum suis pereant doloribus infiniti dolores. Deponite eum mihi, ut habeam mecum ejus exanime corpus, mihi solamen erit, vel saltem defunctus.*

*Juxta crucem stabat Maria (Joan. xix, 25)* considerans vultu benigno Christum pendentem in crucis ligno, stipite sævo, pedibusque flexis, junctisque manibus levabat in altum, amplectens crucem, ruens, et oscula ejus, Christi qua parte sanguis nuda rigabat, ut Christum valeret amplecti, quæ non poterat sursum volebat tendere manus. Sperat amor multa, quæ raro, vel neque fieri possunt sibi concedi. Cuncta amor impatiens credit, volebat amplecti Christum in alto pendentem; sed manus inde frustra tensæ in se complexæ redibant. Se levans a terra sursum se erigebat ad Christum, et quia tangere nequibat illum, male collidebatur ad terram; ibi prostrata jacebat doloris immensitate depressa, sed eam erigere compellebat vis magni amoris incensam. Impetu amoris surgebat intensis manibus attractare cupiens Christum. Erat enim vero magno cruciata dolore, terram iterum petere cogebatur. O quam male tunc illi erat, gravius erat illi vita vivere tali, quam mortis gladio ab impiis sæve necari, tamque mortis pallor ejus perfuderat mentem, vultu tamen perfuderat, et genis, et ore rubra erat Christi cruore. Cadentes guttas sanguinis ore tangebatur, terram deosculans, quam cruoris unda rigabat.

Interim quidam vir nobilis, nomine Joseph, qui erat discipulus ejus (*Matth. xxvii, 57*), sed tamen occulte, confidenter ad Pilatum ingreditur, sibi postulans dari corpus Domini nostri Jesu, quo concessio sibi, accersivit quemdam virum sapientem, et legisperitum discipulum Christi occulte similiter, nomine Nicodemum, et convenerunt ad locum ubi Dominus crucifixus erat, secum instrumenta portantes, quibus clavis avulsis de cruce possent deponere eum. Quos dum mater ejus vidit volentes deponere ipsum; quæ de morte consurgens, paululum reviviscens spiritus ejus, et illud, quod poterat, adiutorium ministrabat. Unus clavum e manibus trahebat, alius ne caderet corpus exanime sustentabat. Stabat et Maria, brachia levans in altum, ut caput et manus dependentia Christi super pectus traheret ipsa simul. Quem dum attingere valuit, in-

osculis, et amplexibus ruens de eo suo dilecto, licet extincto, satiari non poterat. Hoc dum de cruce in terra corpus depositum fuit, super ipsum ruens præ incontinentia doloris et immensitate amoris quasi mortua stabat.

Stabat ad caput extincti filii sui mater Maria lacrymis faciem ejus rigans; per diversa torquebatur suspiria interius, frontem, et genas, oculos, quasi simul et nasum, omniaque frequentius osculabatur, ipsa lacrymarum tanta ubertate flebat, ut carnem cum spiritu omnem in lacrymis resolvi putares. Rigabat lacrymis extinctum filii corpus expositum, cum fuerat in lapide, quem madebat, in quo ejus lacrymæ adhuc apparere ferunt; illius facta revocabat ad mentem.

Quis vel qualis fuerat, quem ipsa Virgo concepit sine umbedine, peperit et sine dolore, totum ei erat omne, quod ipsa videbat, tamen Deus et Dominus suus, et unicus filius ejus. Et sic male ei erat, sicut ipse omne poterat, et esse dolebat. Dicat, si potest, quicumque dicere cupit, quantam Christi mater tenebat miseriam doloris Virginis? Dolorem posse narrare non credo. Tamen rectus erat amoris continens modus; non desperabat, sed pie justeque dolebat, quem genuit Virgo, injusta morte dolebat damnatum, sperans tamen ipsum die tertio resurgere.

**702<sup>s</sup>** Quædam et illæ plorabant feminæ sanctæ, quarum prior erat numerus, paucique virorum, qui lugerent Christum simul cum Virgine matre. Erant et angeli simul cum illa dolentes, tamen dolentes si poterant, qui de pio dolentes, et justo dolore. Compatiebantur in morte Christi dolendo, gaudentes quod redimeretur genus humanum, flebant, ut arbitror, amarissime mente conturbati, quia matrem Christi videbant tanto dolore teneri. O quis angelorum vel archangelorum contra naturam illic non flevisset! imo contra naturam immortalis Deus homo mortuus jacebat. Videbant corpus Christi sic male tractatum ab impiis, sic vulneratum jacere exanime, et Mariam suo cruentatam cruore, illam piam, illam sanctam, totam bonam, totam dilectam, totam dulcem, totam pulchram, totam delectabilem Mariam suam beatissimam matrem tantis cruciari singultibus, tam amoris repletam doloribus, sic amarissime flere, unde suas lacrymas non poterat refrenare. Flebat luctus, et planctus, et mœror ab angelis præsentibus ibi quales docebat luctus spiritus almos. Imo mirare, si angeli cuncti non flevisset etiam in illa beatitudine ubi est impossibile flere. Credo propter quod loquor, quod dolebat, si dolere valebant, sicut enim fuit possibile Deum per assumptum hominem mori, ita possibile fuit angelos beatos dolere in morte Domini sui.

Joseph ab Arimathæa vir sanctus, et justus, qui cum Nicodemo deposuerat Christi corpus de cruce sicut Evangelium ei testimonium perhibet, posuit eum in sindone munda conditum pretiosissimis aromatibus (Joan. xix, 39), et posuit illud in monumen-

tum novum, quod fecerat sibi alacriter, et devote; tunc ad illius exsequias angelorum millia millium decantabant, quia omnes convenerant ad sepulturam Domini sui. Illi laudes extollebant ad cælum. Maria plorabat amare juxta sepulcrum, dum Joseph et Nicodemus Deum ponerent in sepulcrum. Volebat mater mœsta simul sepeliri cum illo. Hæc erat enixa super dilectum suum, amplectens illum cum omni amore, dulcissime deosculans ipsum, dicebat: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei* (Job xix, 21). Illum paululum relinquire, ut aliquam videndo habeam consolationem, o charissimi, adhuc mihi, ut faciem illius sub tecto, vel animam valeam contemplari, nolite eum tradere sepulturæ tam cito, date illum miseræ matri suæ, ut habeam illum mecum, vel saltem defunctum, aut si illum ponitis in sepulcro, me miseram deponite cum illo; mallet, quia et post id supererit mihi. Illi ponebant Christum in tumbam, et illa trahebat ad seipsam. Illa volebat eum ad se retinere, et illi volebant eum tradere sepulturæ, et sic fiebat hæc pia lis, et miseranda contentio inter eos. Omnis caro tamen sic amarissime flebat, ut nullus eorum ad plenum verba formare posset. Videbant intrare matrem omni destitutam solatio, et super illam dabant potius planctum, quam super extinctum filium suum, Dominum nostrum. Major illis erat dolor de matris dolore, quam fuerat de sui Domini morte. Flebant igitur cuncti miserando dolore gementes, et sic vitæ Dominum mortis sepulturæ dederunt. Sepulto Domino, sepulcrum mater amplectitur omni corde, et qua poterat voce benedicebat filium suum. Sedens ad sepulcrum in visocapite illi extendebat manus desuper osculans illud, nimis amare Dominum deplorabat singultu.

Accessit Joannes, cui eam commendaverat Christus, et lugens ipse eam levavit lugentem; nam cruciata gemitibus, fatigata dolore, afflicta plorationibus, pedibus stare fere nequibat, et tamen sic portatur, a mulieribus sanctis adjuta, a cunctis plorantibus simul, Jerusalem ingreditur; quam feminæ multæ videntes, motæ pietate super illius dolores ad luctum convertebantur amarum, et illarum quædam ambulantes post illam etiam lamentabantur. Plorantes plorabant, multæque condolebant Mariæ. Nam dolor ejus multos faciebat dolores. Vix poterat lacrymas continere quicumque videbat eam plorantem. Tam pie plorabat, et tam amare dolebat, quod ex pio suo ploratu multos etiam invitos trahebat ad luctum; planctus fiebant a quocunque transibat.

Maria plorabat ipsa, plorabant ambulantes cum ipsa, plorabant multi venientes obviam ei, sic usque deducitur a plorantibus plorantes quousque perventum est ad domum Joannis. Ibi resedit, ibique permansit in domo sua cum Joannes retinuit, et sicut propriam matrem eam in corde dilexit.

O felix, o beatus Joannes, cui talem Dominus commendavit thesaurum. Reddet tibi Dominus mer-

eedem dilectionis, quam in ejus matre tibi commenda-  
data ab ipso semper habuisti. Benedictus tu a Chri-  
sto. Benedictus a matre ipsius, quam dilexisti puro  
et mundo corde. Benedicti sunt omnes qui diligunt  
eam.

A Et semper sit benedictus filius ejus Jesus Christus  
Dominus noster, qui vivit et regnat cum Deo in  
unitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculo-  
rum. Amen

## TRACTATUS

### AD LAUDEM GLORIOSÆ V. MATRIS.

(Eugenius de LEVIS *Anecdota sacra*, p. 70.)

**702**° Syllabæ cœlestibus sacramentis plenæ, ore  
polluto, amorem mihi, et verecundiam intermittunt,  
quia *vir pollutus labiis ego sum* (*Isa. vi, 5*), cor im-  
mundum habeo, pollutam linguam rubigine pollutio-  
nis tinea denigratam. Ægra est conscientia quam  
tinea ad ultionem corruptionis corrodit. Ad loquen-  
dum igitur de hac salutatione non solum sermonis  
infirmiorem, sed et silentium profiteor. Superceci-  
dit ignis mihi, ut non possim videre hunc solem in  
radio, ino radium, de quo sol verus procedit. Sylla-  
bas hujus salutationis cœlestibus sacramentis plenas  
de illo libro credo sumptas, quem signatum vidit  
Isaias qui si detur scienti, vel non scienti litteras,  
neuter legere poterit (*Isa. xxix, 11*). Regina cœlorum  
hæc est, de qua loqui nitimur, sed mater misericor-  
diæ terret hoc; solatur illud, sed quia mater  
misericordiæ pro peccatoribus est facta porta Cœli,  
præsumit misericordiæ confidentia quod dissuadet  
misericordiæ altitudo. Scio siquidem quod fracti  
sunt ad numerum dentes mei. Scio certe quod non  
est splendida laus in ore peccatoris, et cum non  
præsumpserim psalmum, ut det tympanum sonum  
suum, *tanquam æs sonans aut cymbalum tinniens*  
(*I Cor. xiii, 1*), sed licet vox discordet a vita, scio  
tamen quod verbum de regina est ex altitudine magis  
gloriosum. Dicamus ergo: *Ave, Maria, gratia plena*  
(*Luc. i, 28*).

O noya, o cœlesti nectare delibata. O vere præ-  
dicanda salutio: *Surge, aquilo, et veni, auster*  
(*Cant. iv, 16*) perfla nobis syllabas hujus salutatio-  
nis in dulcedine, ut fluant aromata illius. In hac  
salutatione quælibet syllaba odore paradisi redolet,  
quia verba hæc vere sunt cœli melle mellita, et  
quia de throno procedunt in hac valle lacrymarum  
peregrina, vix habitant domos luteas Evæ filiis in-  
telligenda. *Nardus cum croco, et crocus cum nardo*  
*fistula, et cinnamomum, myrrha, et aloe, cum univer-*  
*sis lignis Libani*. (*Cant. iv, 14*). In salutatione mutua  
dulcedine respirant nitor verborum grammaticus,  
titubator dialecticus, exornator rhetoricus, et his  
verbis obstupescunt quod mirabilis salutio proce-  
dens a throno lampades habet coruscantes, ut ly-  
chnum pectoris perspiciant et illustret. Hæc saluta-

tio in sacrario Trinitatis est digito Dei conscripta,  
cum in consistorio cœlestis palatii a notatione  
majestatis sumpsisset originem, uni de fortissimis  
palatii ad deferendum est delegata. Gabriel namque  
*Dei fortitudinem* Hebræus interpretatur. Mittitur  
namque Gabriel archangelus, et egreditur de Rege  
ad reginam, de Imperatore ad imperantem, de civi-  
bus cœli ad condominam palatii. Ingreditur ad Vir-  
ginem regis perelectam, et eo forte alacrius, ut cum  
angeli prius haberent Regem, habituri essent et re-  
ginam, et ut ad supplendam ordinis angelici rui-  
nam, peccatores ingredi viam paradisi, *mater mi-*  
*sericordiæ*, reginam angelorum, porta fieret Cœli. In-  
gressus ergo angelus: *Ave, inquit, gratia plena, Do-*  
*minus tecum*. Libet intueri, libet amplecti, libet ad-  
mirari in hac salutatione titulos imperatricis nostræ  
radiantes in diademate, et ipsius gemmas contem-  
plari. Inspice syllabas hujus altissimæ salutationis,  
et invenies in sigillo imperatricis nostræ, quasi cha-  
racteres spiritualis gratiæ annulo auctoritatis im-  
pressos. Videtur mihi videre in hoc sigillo quasi  
quatuor potentissimi luminis gemmas mutua redum-  
bratione rutilantes. Quarum prima est *Gratia plena*,  
secunda *Dominus tecum*, tertia *benedicta tu in mu-*  
*lieribus*, quarta *benedictus fructus ventris tui*. Qua-  
rum tres tulit Gabriel de cœlo, quarta loquente Spi-  
ritu sancto per os Elisabeth prophetantis expressit.  
Pereminet autem his quatuor veluti in fronte sigilli  
sidereum nomen Virginis, videlicet *stella maris*,  
quia sequentibus in mortali luce intimi luminis ra-  
dios refundit. Turbulentissimo hujus mundi profundo  
superposita est hæc stella maris, ut a scopulis mu-  
niat, a fluctibus eripiat, a piratis defendat, ad por-  
tum perducatur. Quot autem, et quanta sint hujus im-  
pacatissimi maris pericula omnes filii Evæ ingemi-  
scunt, qui vel ad præmia suspirant, vel exsilium  
deplorant. Tota enim vita præsens tentatio est, de  
qua nimis vincitur quisquis vinci non veretur. In  
hoc enim mari magno, et spatioso manibus tot re-  
pilia sunt quot vitia, tot naufragia quot excessus.  
O fidelis anima, in omni naufragio tuo leva oculos  
ad radium hujus splendidissimi sideris. Inspice stel-  
lam, invoca Mariam. Fige mentis aciem in hoc se-

renissimum lumen. Si eadis, resurges. Si mergeris, erigeris. Si petis, accipies. Si yadis, evades. Nonne splendida speculatione hujus splendidissimi sideris *Theophilus* involutus de profundo æternæ damnationis enatavit? Nonne contemplatione hujus serenissimæ claritatis *Basilus* in precibus exauditus consolationem accepit? Hæc stella maris cœlos exornat, terras illustrat, mare illuminat, abyssum penetrat. O singulare remedium omnibus, qui tam causa originis, quam damnationis Evam matrem circumferebant, qui in has tenebras exteriores, inferiores projecti, tanti sideris claritate post tantæ mortis umbram inveniuntur! Hanc stellam si ægris inspexeris oculis sanat, si proficientibus confortat. Hæc stella vere medicinales habet radios, quæ fugat tenebras, urit vitia, auget virtutes, et quanto magis inspexeris, tanto magis illuminat. Hanc stellam, si in profundo sis, suspice; si nunquam vidisti, aspice; si defuisti, respice; si magis illuminari vis, inspice. Hæc stella levat de profundo, monstrat viam, imo in portum dat sine periculo.

Domine Jesu Christe, sol æterni luminis, qui voluisti ut mater tua esset stella maris, per stellam ipsam, quæso, illumina tenebras meas. Hæc stella maris radios habet cœlis admirabiles, inferis terribiles, terris salutare. Hoc præclarissimum sidus admirantur, et laudant astra matutina, et jubilent omnes filii Dei. Ad hujus credo novitatem sideris tota fraterna multitudo proclamat: *Quæ est ista quæ ascendit?* (*Cant. III, 6*), et est terribilis, inque portis inferni propter virtutum quibus præeminet excellentiam. Terribilis Judæo, terribilis Manichæo propter fecunditatem inauditam. Terribilis, inquam, hæreticis, qui in filio Virginis naturam confundunt, vel personam. Terribilis omnibus certe, qui de partu Virginis conjecturis naturalibus hebetati; cœlestis mysterium terrena argumentatione sugillant et corrodunt. Ad hujus cœlestis radium lippit Judæus, obtunditur hæreticus, Christianus illuminatur. Lux enim, quæ sanos delectat oculos, ægros offendit.

**702** Tibi autem, o fidelis anima, hujus stellæ radius illustrat mentis aciem, et depellit cæcitatem. Hæc est enim *gratia plena*. Plena, inquam, dulcedine, plena omni suavitate. Hanc enim inventor gratiarum omnium, distributor charismatum, *Paracletus* in accubitu totius Trinitatis tanquam regale palatium ornatu mirabili præparavit. *Ædificavit* enim sibi domum in ea Dei sapientia, et spirituali opere columnas in ea septem erexit, dum illum *Virgo* gestavit in utero, in quo omnis pulchritudo divinitatis corporaliter habitavit. Si vasa pigmentorum diu servant aromatum fragrantiam, et diu retinent odorem, quem prius receperunt, quanto magis apotheca omnium gratiarum, in qua cœlestis pigmentarius cum omnibus suis unguentis se collocavit, et cum omnibus deliciis accubuit, *Nardus Virginis dedit odorem suum* (*Cant. I, 11*), et regem de accubitu gloriæ attraxit, et virginalis aulæ sacrarium angelorum plenitudo implevit. O inviolabile

A castitatis lilium! *Beatissima Virgo Maria*, tu es vivum vivi Dei templum, Spiritus sancti sacrarium, cella pigmentaria, thalamus Sponsi, aureum vivi Salomonis reclinatorium, lectus cœlestium nuptiarum, cœtus aromatum, paradus omnium deliciarum. Tu plena gratia, de qua nobis plene plena gratia emanavit, quæ nobis omnia Pater cum Filio dedit, et merito cæteris es plenior, quia *Dominus tecum* in corde, tecum in utero, tecum in opere, tecum in verbo; tecum, ut te sanctificet, tecum, ut te conservet, tecum, ut in te inhabitet, tecum, ut te faciat matrem de filia, reginam de ancilla, cœlum de terra. *Dominus tecum*, qui misit me, *Dominus tecum*, qui loquitur in me, *Dominus tecum*, qui prævenit me. Sub eo, qui miserat, discurrebat angelus, sed mentes prævenit, quia velociter cucurrit sermo ejus. Deus vero in omni creatura est, quodammodo eum significat in propositione, cum dicitur fuisse in Maria virgine. In prophetis quidem, et apostolis fuit per inhabitantem gratiam, sed longe aliter in Virgine, quæ facta est ipsius habitantis gratia gratiæ habitaculum, et in utraque natura inviolatum Verbo Deo præbuit hospitium. *Dominus tecum* Pater cum Filio, *Dominus tecum* Filius cum Paracletis, Trinitatis opere indiviso. Et ideo *Benedicta tu in mulieribus*, quæ singularis meriti es, *Benedicta tu in mulieribus*, quæ mulier salvatrix es, *Benedicta tu in mulieribus*, quæ mater et virgo es. O vere femina super feminas benedicta! O benedicta super omnes benedictas præelecta! O vere præelecta super omnes præelectas unica! O vere gemma inæstimabilis de thesauro sapientiæ cœlestis producta, et totius Trinitatis artificio inseparabiliter adornata! O mater, et matrum gloria! O singularis puerpera, de cujus partu stupet Romanamet fides, miratur natura, fugit consuetudo. Utrumque enim supra rationem est; utrumque credere fidei meritum est: et quæ mater virgo, et qui Deus homo. Mater Eva, mater doloris, quæ prius filios damnasti quam pareres, amplectere cum omnibus filiabus pedes hujus novæ matris, quia ipsa tollit antiquam amaritudinem, tollit opprobrium, rescindit damnationis chirographum, delet proscriptionem.

O Virgo, virga nobilis, virga Jesse, per quam in ramo convaluit, quod perierat in radice. Radix amaritudinis Eva, radix æternæ dulcedinis Maria. Hæc est miranda, et profundissima dispensatrix sapientiæ, quæ talis virga nascetur de tali radice talis filia de tali matre, talis libera de tali proscripta, talis imperatrix de tali captiva, tam florens rosa de tam sicca spina! Mater tua vix habuit innocentiam, et amisit. Vix stetit, et cecidit. Nondum pepererat, et nascituros damnavit. Sed beatissima virgo Maria contra lethiferum suasionis venenum facta est regale antidotum, ut ex suo utero præpararet medicinæ cœlestis arcanum. Tu es vere benedicta in mulieribus, quia tu es mira medicina, virginum decus, innocentie speculum, castitatis exemplum, integritatis forma, ut adducantur regi virgines; servit iis virgo mater prima, et proximæ

ejus post eam afferunt lætitiā, et exultationem. Si enim filiæ regis in exultatione, honore sponsi, si filiæ Tyri intrant (Psal. XLIV, 13) ad nuptias, quanto magis tu Virgo, mater Sponsi, regina virginum in vestitu deaurato circumdata varietate (Ibid., 10), omnes choros cœlestium spirituum exornas. Tu es igitur ornamentum cœlestis curiæ, stupor angelorum; tota unum miraculum, tota unum inæstimabile novum. Tu es via compendiosa in cœlo, obses fidei, arca spei in cordibus fidelium. Tu es inter Deum et hominem vivum vivi fœderis tabernaculum. Tu es propitiatorium, quod non solum obumbrat cherubim, imo, et totius Trinitatis sanctorum sancta. Vere igitur *Benedicta tu in mulieribus*, quia benedictum nomen tuum. Benedicta maternitas tua, benedicta verba tua, benedicta pudicitia tua, benedicta humilitas tua, benedicta plenitudo tua, benedicta integritas tua. Et inde juste, quod *Benedictus fructus ventris tui*. Fructus vitæ, imo vitæ vita, omnesque paradisi delicias, aromatizans sub tantæ dulcedinis essentia. Hujus fructus odore homo de terra ad patriam trahit. Angelus in patria satiatur. Hujus fructus odor non enim, ut Jacob, *odor agri pleni* (Gen. XXVII, 27), sed plenitudo communis boni inebrians plene, satians plene, non habens per ætatem quia *delectationes in dextera ejus usque in finem* (Psal. XV, 11). In hoc fructu ventris tui amplectitur anima, quia lignum vitæ de paradiso in convallem transplantatum, et pretioso filo balsami surculo insitum, ubi intus suavis ligni nobilitas quadam gemina dulcedine reddit odorem suum.

**702** Tu es igitur pretiosi odoris filo balsami odor beata Virgo; imo quasi lignum vitæ, Verbum Patris in utero tuo. Cum felix illa peccatrix *fundaret unguentum super pedes Jesu, impleta est domus odore unguenti* (Luc. VII, 38; Joan. XII, 5). Quanto magis domus pudici pectoris reddit odorem suum omnium gratiarum chrismatibus perfusum illustratione Spiritus sancti. *Unguentum effusum nomen tuum, Virgo Maria* (Cant. I, 2). Unguentum est nomen Sponsi, qui ex te natus est. Trahe nos post te, ut curramus in odorem ventris tui, quia adolescentes diligentes Sponsum diligunt te. Fac nos intrare ad nuptias Sponsi ubi bibunt amici, et inebriantur lumine, saturantur figurarum mysteriis, videlicet ut pagina, ubi virginei partus novitatem tot præcedentia signa designarunt, sicut Moysis visionem in ardentem rubum (Exod. III); veneratur Aaron in arida virga flores unius sacramenti. Stupet Gedeon in sicca terra, velut in Madjan (Jud. VII). In porta Ezechiel miratur clausa solius regis transitum (Ezech. XLIV, 2). Thronum quoque fecit Salomon ex ebore, quem vestivit auro purissimo castitatis suæ, et charitatis suæ Matris virgo signans privilegium. Sed præcedentium figurarum, quasi stellæ minores, velut coruscantibus radiis hujus diem salutationis Gabriel angelus plenius illustrat dicens: *Ave, gratia plena, Dominus tecum*. Speciosa et suavis facta es in deliciis tuis sancta Dei Genitrix, quia totum tuis aspi-

rat unguentis quidquid habet hortus odoris, vel thesaurus spiritualium deliciarum in cubiculo, et in hortis aromatum. O Virgo benedicta, et inter benedictas unica, ex intemeratæ tuæ pudicitie thalamo sacramenta nostræ redemptionis ordinata sunt. Tu es laus et decus humani generis, advocata pacis, et hominis in terris, miraculum angelorum, naturæ ornamentum, lampas solis, imo sol solis Tabernaculum illuminans mirabiliter a montibus æternis.

Ex te ineffabiliter ascendit lumen in testa nostræ carnis, ut drachmam diu perditam choris revocaret angelorum sapientia cœlestis. Secundum est ut, cum te, serenissima Virgo, tot gratiarum radiis sol vivus perfundet, qui non solum in septentrionali polo, sed et in toto mundo cœlum et terram illuminans rutilares stella maris, et qui te ministrante lumen divinitatis in testa nostræ carnis per inventionem drachmæ decimæ hoc auctum est angelis, ut non solum de cœlestibus haberet gaudia, sed et in conversione peccatorum ampliorem gaudendi materiam inveniret in terris. O clementissima Virgo Maria, qui creavit te, regnat in te, et in suo corporaliter habitare figmento sigulus non dedignatur. Unde gratulanter mons Sion dicet: *Homo, et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus, et sicut lætantium omnium habitatio est in te, sancta Dei genitrix. Exsultabimus ergo, et lætabimur in te memores uberum tuorum. Meliora unguenta tua, Sion, super omnia aromata. Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas* (Psal. LXXXVI). Quia ergo congrue dicitur, ut tibi oranti nihil negari possit, fac nos tecum introduci in cellam vinariam, ubi rex ordinavit in te charitatem suam, ubi Joannes evangelista custos tibi delegatus est, et ubi Gabriel paronymphus miratur plenitudinem tuam, ubi inter cœlestis militiæ Theophenias chori virginum sequuntur te reginam, ubi vera stella maris quasi eundem cuncto sole tenens circulum, ubi lux es eclipsim nesciens, ubi immortalis charitas est inter te et Filium. *Ubi gloriosa aicta sunt de te, civitas Dei* (Psal. LXXXVI, 3), Mater Dei, sedes totius gratiæ, lampas lucis æternæ. Si enim *Justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum* (Sap. III, 7), quanto magis tu, quæ lumen de lumine, lumen a Patre luminum, lumen omnium protulisti astrorum. O serenissima stella maris, respice pro me peccatore, prece suppliciter ad solem tuum, ut possim videre hanc stellam cum suo sole inter speculationes angelicas tantæ claritatis intuentium. Deus meus, illumina tenebras meas. O beata Virgo, descendente in te Filium Dei Christiana pietas sinceræ fidei brachiis amplectitur, quæ quidquid in aliis matribus natura refert infirmum, totum tibi transivit in sacramentum, ut inæstimabile generante secretum ullo modo præsumat attingere cor humanum, nisi forte quasi similitudine dissimili ut rorem in lana, qui trajecto per solis radium speculo sic genitale aulæ thalamum verbum Patris introisse dixit. Non in igne, non in commotione domus, sed spiritus auræ tenuis, et in

eo domus contremiscit, ut populus in deserto, quem terrent coruscationes, et fulgura, sed ad ultimum sol in conspectu luminis ex Virgine videndum se præbuit, pia tamen nube carnis opposita.

**702** Gaude, beata Virgo, cujus gaudium in hac vita lucis contemplatione semper est indeficiens, dum eum lactas in terris, qui angelos nutrit in cælum. O gaudium matris contra matrem transcendens gaudia, cujus filius mortuos suscitatur, et de morte triumphat, cælos penetrat. Duo hæc nomina, Mater, et virgo in materiali repugnantia tibi, beata Virgo mirabiliter conveniunt, et quasi geminata luce tam salutarem quam mirabilem perpetuam merito claritatem infundunt. Tibi enim Christiana pietas plenissime credit esse collatam quamdam participationem divinitatis a Domino filio tuo gratuitam, Virgo mater capere potuit, vel sustinere. Sicut enim Deus Pater nulli angelorum dixit: *Filius meus es tu nisi Unigenito (Psal. II, 7)*, ita nulli inter filias Evæ dixit: *Mater Filii mei es tu, nisi tibi, beatissima Virgo*. Si autem cherubim et seraphim ardore charitatis ita inflammantur, ut forsitan quod tunc creatura potest in deitatis transeat statum, quanto magis tu mater Virgo unita es filio tuo, et tuam carnem deificatam in filio multitudo angelorum adorat. Licet enim Christiana pietas omnium sanctorum patrociniis juvetur, specialiter tamen plenitudo gratiæ humano generi ex tua intercessione, quasi puteus aquarum viventium de Libano cœlesti copiosius emicat. Persuadet enim, imo compellit tua nos celsitudo credere quod per angelos, et per angelorum ministeria sæpe tuis devotis subvenias, et postremum ad regnum filii tui perducas. Si enim angelus angelorum mittitur, confidenter debet credere Christianus devotus, quod imperatrix angelorum tanto magis habet angelos in obsequium, quanto differentius per illum nomen hæreditavit (*Hebr. I, 14*). Si autem cherubim et seraphim, immerito hoc hausto de fonte vitæ bibentes inferioribus angelorum ordinibus, ita de consilio palatii quædam arcana revelant ut *fluminis impetus totam illam lætificet civitatem (Psal. LXXXVI)*; quanto magis tu gloriosa *theodotos* [Sic. *ἁγιότοπος*?] de occultis filii in amplexu ejus degustata mysteria, et angelis et hominibus copiosius effundis.

Quid dicemus de te, o præclara mater inter mulieres? Si solem te dixerimus, splendidior es. Si

rosam, floridior es. Si cinnamomum, et balsamum aromatizans species, percellis odore, quia privilegia tibi concessa, non solum hominibus, sed et angelis, credimus admiranda. *Si splendida facta est facies Moysi ex consortio sermonis Domini (Exod. xxxiv 29)*; quam gloriosum credimus inter omnes sanctos lumen vultus tui, quæ cum filio una es caro ex mirabili genitura, et unus unius ardentissimæ charitatis spiritus. Si Josue dux Israel cum esset in sanguinis effusione jussit solem stare in Gabaon, quomodo non omnia sidera ad nutum imperatricis gloriosæ discurrunt? Respice ergo beatissima Virgo, ad nos proscriptos in exilio filios Evæ, in quibus, et primitiæ calamitatis participia et tributa mortis, et vectigalia peccati adhuc damnavit. Adhuc enim væ quod propinavit Eva damnat in nobis. Adhuc in pugna sumus. Adhuc serpens Evam, Eva virum impugnat. Adhuc enim sensualitas rationem, adhuc rationis instantia partem inferiorem sollicitat. Adhuc in eadem domo quinque in tres, et tres dividuntur in duos, *et inimici hominis domestici ejus (Mich. VII, 6)*. Ut igitur in eorum conflictu habeamus constantiam, mitte nobis illum egregium cœlestis curiæ principem paranympum tuum Gabrielem, qui, sicut nomine, ita et virtute fortitudinem divinam nobis ex sua benignitate mittere velit. O Mater misericordiæ, resiliente te non est in tota sanctorum conversatione, qui pro nobis loquatur, qui pro nobis intercedat ad filium tuum. Sed, te intercedente, *quatuor animalia, et viginti quatuor seniores mittentes voces suas procidunt ante thronum coram Agno (Apoc. IV)*, et universa multitudo sanctorum confidentium pro nobis orationem assumit. Precatur Moyses in conspectu Domini Dei sui, et orans pro populo suo rogat, ut memor sit juramenti, quod habuit ad Abraham, et Isaac, et Jacob, et placatus est Dominus. Sed tu, mitissima Virgo, roga Filium tuum, ut memor sit fœderis sempiterni, quod firmavit Verbum in carne de te sumpta, quod pepigit Verbum in sanguinis effusione, quod sigillavit indissolubili chirographo in sacramentis redemptionis nostræ. Qui ergo sub tua protectione confugimus, assume orationem ad judicem nostrum, Filium tuum, ut tu salus, quæ salutem nostram proficiendo inchoasti, intercedendo perficias. Amen.

#### MONITUM IN OPUSCULUM SEQUENS.

In majoris Augustiniani conventus codice num: 19 sequens tractatus eum ostentat titulum: *Incipit quidam tractatus beati Bernardi De corpore Domini*, atque in fine: *Explicit liber beati Bernardi De corpore domini*. Fides sit penes codicem, in quo notatu dignum est meditationes divi Bernardi nomine evulgatas ad decimum quartum caput se tantum extendere, iisque finire verbis: *Quantoque Deum plus amabit, tanto propius videbit, quem cernere finis est sine fine*. Edit. vero sic habent: *Tanto propius videbit, quem cernere cupit: etc.* Idem codex ministrat mihi librum Isidori Hispalensis. De norma vivendi, longe auctiorem sub titulo: *Formula honestæ vitæ*; sed de his alias.

## TRACTATUS DE CORPORE DOMINI

(HOMMEY, *Supplementum Patrum*, t. I, p. 147.)

**702** <sup>10</sup> Misericordias dei recolentes, gratias A  
agamus ei qui per viscera misericordiae suae visitavit  
nos, Oriens ex alto (Luc. 1, 38). Nam si, quod absit,  
ingrati exstiterimus ei qui propter se fecit nos, et  
propter sese redemit nos, tanquam servi inutiles  
projiciemur de domo, et velut infructuosa arbor  
evellemur de terra sanctorum. Abhorrentes ergo  
omnem ingratiudinem, quia filii gratiae sumus,  
videamus charitatem superfluentem; misericor-  
diam superabundantem quam quotidie peccatoribus  
exhibet illa majestas. Putatis quod semel venerit  
ad vos Deus, quod et reliquerit vos, quod semel  
visitaverit terram, et ultra non respexerit eam?  
Nunquid abbreviata est manus Dei, aut virtus ejus  
infirmata est, aut oblitus est misereri Deus, ut qui  
semel innotuit, nunc jam ex toto recesserit. Nequa-  
quam. *Ecce ego, inquit, vobiscum sum usque ad*  
*consummationem saeculi* (Matth. xxviii, 20). Veritas  
est quae loquitur, et veritatem loquitur, nec te  
fallit, o homo, qui multum te diligit, nec a te falli  
vult. Hoc totum pro te facit.

Ipse nobiscum vult permanere, ut nos cum eo  
simus, imo non sumus, ita ut nobis vere dicere  
possit: *Tanto tempore vobiscum sum, et non cogno-*  
*vistis me: Philippe, etc.* (Joan. 14, 6). Ideo dicit:  
*Filii hominum, usquequo gravi corde, ut quid diligitis*  
*vanitatem, et queritis mendacium?* (Psal. iv, 3).  
Ecce quotidie venit ad nos ipse humilis apparens,  
nec reputamus eum; quotidie descendit de sinu  
Patris super altare in manibus sacerdotis, et nesci-  
mus eum; quotidie humiliat se, sicut quando a  
regalibus sedibus venit in uterum Virginis, et nos  
obdurati non consideramus; o homo, credis hunc  
esse Filium Dei? Utique credo et confiteor. Et  
quomodo non totus deficis; non totus expave-  
scis, non totus contremiscis, quando ille quem  
tremunt angeli, et omnis coelicus ordo adorat,  
quotidie se abjiciat, pro te terra et cinere. Suspe-  
ctum te habeo ne voce solummodo confitearis,  
quod in corde non habes; et operibus contradicis?  
Etenim, si non credis, jam judicatus es; si vero  
credis ut dicis, et ita irreverenter agis, ad tam  
magnificum sacramentum stultus es, superbissimus  
es, et invenitur *iniquitas tua ad odium.* (Psal.

xxxv, 5.) Ipse enim dicit: *Qui manducat carnem meam,*  
*et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in*  
*eo.* (Joan. lv, 57.) Quomodo in eo manes quem  
iniquis operibus in honoras, et pravis moribus  
exacerbās, qui vere sanctus est, et in eo non nisi  
sanctum manere potest? Aut quomodo manet in te  
superbo, qui non nisi super humilem et quietum  
requiescit? (Isai. lxvi, 7.) Si ergo non manet in te,  
non manducas carnem ejus, nec ejus sanguinem  
bibis; si autem non manducas, salvari omnino non  
potes, ipso dicente: *Nisi manducaveritis carnem*  
*filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habe-*  
*bitis vitam in vobis.* (Joan. 40-54.)

Vis ergo manducare carnem Filii hominis ut  
habeas vitam aeternam: ut dignus sis, recollige ea  
quae pro te passus est, et assidua recordatione  
memoriae tuae commenda passiones animae,  
et corporis necessitates, revolve per singula  
omnia usque ad mortem Crucis: sic exhibe suo  
exemplo et imitatione, corpus et animam tuam,  
*hostiam viventem, sanctam, sibi placentem*, ut te to-  
tum exhibeas ei sacrificium acceptabile in odorem  
suavitatis, sicut ipse se totum in tua redemptione  
expendit. Ultimo vero, crede firmiter, absque omni-  
mentis scrupulo sanctum panem, et sanctum vinum  
super altare secundum formam sanctae Ecclesiae  
verum suum effici corpus et sanguinem in manu sa-  
cerdotis, et digna cum reverentia sume ipsum cum  
timore sancto, conscientia bona, charitate pura, et  
fide non ficta. Recolens quod sicut sanctis apostolis  
apparuit in vera carne, ita et modo se nobis osten-  
dit in sancto pane, et sicut ipsi intuitu carnis suae  
tantum ejus carnem videbant, sed Deum credebant  
oculis spiritualibus contemplantes, sic et nos viden-  
tes panem et vinum credamus esse ejus corpus et  
sanguinem et vivum esse et verum.

Ideo enim, ideo apparuit divina benignitas, ut  
homo humilis appareat gloriosus in divinitate. Sci-  
mus enim quod cum apparuerit, ei similes erimus,  
et videbimus eum sicuti est per gloriam suam quae  
plenissima, sufficientissima, et abundantissima est  
aeternaliter in omnibus qui diligunt eum in veritate.  
Ipsi soli honor et gloria in Spiritu sancto. Amen.



# TRACTATUS CANTANDI GRADUALE.

*Graduali Cisterciensi prologi instar præmissus.*

[Hoxmey Supplementum Patrum, I, p. 27.]

**702**<sup>41</sup> Sicut notatores Antiphonariorum præmunimus, ita et eos qui gradualia notaturi sunt, præmunimus et hos et illos obsecramus, et obtestamur, ne notulas conjunctas disjungant, vel jungant disjunctas; ut sicut in cantu ita et in modo proferendi, quantum ad pausationes pertinet, et distinctiones, servetur identitas. Eas autem solas litteras dici et esse finales, quæ tam depositionis plagalium quam elevationis authentorum plenitudine fulciuntur, id est, sub quatuor et supra se septem voces habent. Primam habes D grave, et ultimam C. acutum. Præter has, et eas solas quæ naturaliter interjacent, nullam supra vel infra invenies, cui non desit, vel plenitudo depositionis, vel elevationis perfectio.

Ut autem de singulis reddaris certior, seras primum modum, videlicet protum, qui primum tonum continet, et secundum, duas habere finales D grave, et A acutum. Illis ergo cantibus hujus maneræ qui supra quintam habent tonum, necessaria finalis est. D grave quod supra quintam naturaliter et habet tonum. Illis vero qui supra quintam non tonum, sed semitonum habent, propria finalis est A acutum, quod ibidem non tonum, sed semitonum habet. Eis quoque, qui duobus tonis sub finali descendunt, similiter necessarium est. Hac igitur proprietate diligenter considerata non miraberis eos cantus qui terminari solebant in D per B notatos esse naturaliter in A acuto, neque hoc imitari superfluum aut fastidiosum tibi videbitur.

Secundus modus, videlicet deuterus, qui tertium tonum continet et quartum, duas habet similiter finales E grave et B quadratum; quartum videlicet prima illorum cantuum hujus maneræ propria ac necessaria finalis est, qui sub sexta habent semitonum. Altera vero illis cantibus proprie habet servire, qui sub sexta non semitonum, sed tonum habent, et illis etiam qui finali tribus tonis descendunt. Nota quod multæ authenticæ ecclesiæ inter quas esse, arbitror, Ambianensium Morinorumque ecclesias, sicut in introitibus, ita et psalmos habent in post-communionibus. Licet autem paucos introitus, multas post-communiones apud eos invenire potes. Qui in B quadrato tantum terminari possunt, hi nullo modo cantum Psalmi tertii vel quarti toni recipere possunt, cum psalmi illorum tonorum supra quartam habeant, et B quadratum supra quartam habeat non tonum, sed semitonum. Nos etiam sicut et illi, multos habemus introitus qui naturaliter terminari habent in B quadratum ubique nimirum supra

A quartam habentes semitonum; sed quia ibi non possunt recipere psalmum qui supra quartam habet, ut diximus, tonum; ideo transferuntur ad inferiorem finalem per B rot. Propter hoc, cantus Psalmorum tertii et quarti toni ita mutatos invenies, ut utrique finali servire habeant.

Tertius modus, videlicet tritus, qui quintum tonum continet et sextum, duas similiter habet finales F grave et C acutum illis qui ibidem non semitonum, sed tonum habent. Sed quia nullum introitum habemus qui in C terminari possit, ideo in quinto tono cantum Psalmi mutatum invenies, licet utrique finali aptari non possit.

Quartus vero modus, id est tetradius, qui septimum tonum continet et octavum, unam tantum habet finalem G cantum Psalmi septimi toni in metro tantum mutatum invenies, quia ibi facit pausationem suam, ubi incipere non potest, quod nulli cantui licet. In illis enim litteris tantum cantus pausare potest, in quibus habet incipere; et in illis maxime quæ frequentius, et competentius cantuum usurpant principia.

Superflua insuper differentiarum multiplicitate exclusa, unam tantum quisque tonus differentiam retinet et illam solam quæ in finalibus desinens, suam, vel in se, vel in metro, maneriam certificat. Propter hoc in octavo tono illa differentia retenta est, quæ, reflexa usque ad D grave, per F redit ad finalem G: per hoc enim in finali alterius maneræ terminari non potest.

Cum autem differentiæ sex tonorum in propriis finalibus desinant, duorum tantum, id est, tertii et quinti tonorum differentiæ in suis finalibus non desinebant, et ideo adeo convenienter assignari poterant aliis tonis, sicut et illis. Hæ ad normam redactæ sunt, et in propriis terminantur finalibus. Præterea sunt quædam responsoria, videlicet, *Christus factus est; Ecce sacerdos; Exiit sermo*, et consimilia, quorum copiosa est multitudo.

In his responsorium est sexti toni, versus vero quinti; cum longe competentius suo responsorio versus subjungeres, si ejusdem toni esset cum eo, sicut est in aliis responsoriis ipsius Gradualis. In responsorio etiam quod sexti toni est, vitium oppositionis est: quia progressio plagalis, compositio vero authentica est; quod fieri non licet: propter hoc ipsa responsoria ad quintum tonum satis competentem redacta reperies. Licet ergo hujusmodi emendationes usui contrariæ videantur quia tamen

usui prævalet natura, non tantum tibi displiceat A admittere noluit, in regulis canendi falsitates aut  
usus immutatio, quantum placeat observatæ naturæ vitia non dispenses, uæ magis resecari debent  
integritas, ut qui in regula vivendi dispensationem quam dispensari.

## TONALE S. BERNARDI.

*Scriptores ecclesiastici de musica, sacra potissimum, publica luce donati a Martino GERBERTO, S. Blasii in  
Silva Nigra abbate. Typis San-Blasianis 1784, 4°, tom. II, pag. 265.*

### MONITUM.

Ex ms. *San-Blasiano* sæc. XIII edimus *Tonale*, prout ibi habetur anonymum, ab *Homeyo* autem in  
Supplemento Patrum *S. Bernardo Claræ-Vallensi* tribuitur. Certe si non ipsi *Bernardo*, cuidam saltem ex  
correctoribus cantus ac antiphonarii *Cisterciensis* sub auctu *S. Bernardi* tribui potest. Vid. etiam  
*Mabillonii* admonitio in *S. Bernardi* tractatum De correctione Antiphonarii ab ipso vulgatum t. II *Opp.*  
eiusdem, p. 691.

### 702<sup>us</sup> INCIPIT TONALE.

*Discipulus.* Quid est tonus

*Magister.* Regula, naturam et formam cantuum  
regularium determinans.

*D.* In quo natura, in quo forma cognoscitur.

*M.* Natura consistit in dispositione: forma in  
compositione et progressionem.

*D.* Quid dispositionem, quid progressionem, quid  
vero vocas compositionem?

*M.* Dispositio est tonorum et semitoniorum di-  
recta ordinatio secundum naturalem litterarum po-  
sitionem. Progressio vero est elevatio et depositio.  
Compositio autem consistit in levitate et gravitate,  
in extensione et reflexione, in variis anfractibus  
multisque diverticulorum varietatibus. Cognoscis  
ergo naturam cantus, si cognoveris cujus disposi-  
tionis sit, vel cujus maneræ: Cognoscis formam,  
cognito utrum authentice vel plagaliter progredia-  
tur sive componatur.

*D.* Quot sunt maneræ?

*M.* Quatuor.

*D.* Quomodo inter se differunt?

*M.* Prima est, quæ a finali ascendit per tonum et  
semitonium, et descendit per tonum. Secunda, quæ  
a finali ascendit per semitonium et tonum, et des-  
cendit per tonum. Tertia, quæ a finali ascendit per  
duos tonos, et descendit per semitonium. Quarta,  
quæ a finali ascendit per duos tonos, et descendit  
per tonum.

*D.* Quid vocas finalem?

*M.* Finales sunt litteræ terminativæ cantuum.

*D.* Quot finales singulæ habent maneræ?

*M.* Prima duas: D. et a. Secunda duas: E. et b.  
quadrum. Tertia duas: F. et c. Quarta unam tan-  
tum, scilicet G.

*D.* Utrum tot toni sunt, quot maneræ?

*M.* Quatuor sunt maneræ, sed octo sunt toni,  
qui sub maneriis continentur. Quorum impares, vi-

B delictet primus, tertius, quintus et septimus au-  
thentici vocantur, ut pote qui majoris sunt dignitatis.  
Pares vero, videlicet secundus, quartus, sextus et  
octavus tonus. quia indigniores sunt, plagales vo-  
cantur. Continet autem unaquæque maneria unum  
authenticum, et plagalem ejus. Prima primum et se-  
cundum, secunda tertium et quartum, tertia quin-  
tum et sextum, quarta septimum et octavum.

*D.* Quæ differentia est inter authentos et pla-  
gales?

*M.* Authentus potest ascendere ultra litteram,  
quæ sexta est a finali: plagalis non. Plagalis potest  
descendere plusquam una voce sub finali, authen-  
tus non.

*D.* Quot vocibus superat authentus plagalem in  
elevatione, et superatur ab ipso in depositione?

*M.* Tribus.

*D.* Quot ergo vocum est cantus?

*M.* Decem.

*D.* Quare?

*M.* Quia secundum dispositionem tonorum et se-  
mitoniorum, quam habent musici, nullus cantus  
fieri potest in decem vocibus vel citra, qui notari  
non possit sed undecim vocum cantus fieri potest,  
qui notari non potest. Ideo non est necesse, ut us-  
que ad incertitudinem illam infra vel supra cantus  
exeat.

*D.* Cujusmodi est dispositio quam habent mu-  
sici?

*M.* Primæ et quartæ et septimæ litteræ altrinse-  
cus tonum attribuunt, secundæ et quintæ inferius  
tonum, et supra semitonium, tertiæ et sextæ econ-  
verso, videlicet supra tonum, et inferius semitonium,  
non prætermittentes quandoque b. rotundum pro  
asperitate tritoni.

*D.* De illis cantibus quæro, qui non ascendunt  
ultra sextam, nec descendunt subter primam sub

finali, utrum authentici sint, an plagales?

*M.* Quidam eorum sunt authentici, quidam plagales.

*D.* Quæ inter illos est distinctio?

*M.* Hi non per progressionem, sed per compositionis distinguuntur considerationem. Quilibet enim cantus hujus diminutæ et contractæ progressionis, si in quinta inceperit, aut eam frequentans in ea pausaverit, vel incipiens in finali ad eam saltum fecerit, authenticus est; excipe in tertio tono sextam pro quinta. Quicumque autem cantus quartam non excesserit, sine dubio plagalis est. Quod si eam quandoque excesserit, sed se infra statim retraxerit, moras et circumflexiones suas sub ea faciens, iterum plagalis est; nisi constet, alicujus authentici propriam inesse compositionem.

*D.* Quæ sunt illæ propriæ compositiones?

*M.* Inspice neugma primi toni, et propriam ipsius compositionem in neugmate reperies, quam nisi hæc antiphona *Lex per Moysen*, et multæ consimiles haberent, omnino plagales essent. Similiter est in cæteris authentici. Iterum quilibet cantus hujus diminutæ progressionis, si in principio sui a finali ad quartam ascenderit per diatessaron plenarie formatum, et inde cito ad finalem rediens in ea pausaverit, plagalis est. Hoc determino propter quædam principia septimi toni, quæ licet per diatessaron ascendant, ipsum tamen reflectunt, et mox ad quintam prosiliunt. Per hanc regulam hæc antiphona: *Petrus Apostolus*, plagalis est; licet authentici sui propriam videatur habere compositionem.

*D.* Restat ut insinues, quis cantus sit regularis.

*M.* Ut eum tibi propria et convertibili descriptione comprehendam: cantus regularis est, qui sibi perfecte consonans suam in se maneriam certificat.

*D.* Expositione indiget brevis quidem, sed obscura definitio.

*M.* Ille cantus perfecte sibi consonat, in quo nec inconueniens est progressio, nec progressionis sive dispositioni dissimilis est compositio, nec compositionem dissolvit oppositio.

*D.* Da exemplum de singulis.

*M.* In illo cantu est inconueniens progressio, in quo authenticæ elevationi plagalis subjungitur depositio. Qui nimirum inconsulte progrediens, metasque debitas utrobique transgrediens, humano capiti caudam subjungit equinam. Hujus nævo vitii decolorata sunt hæc responsoria; *Sancte Paule, Cornelius*, et plures alii cantus, circa quos ut ingrediamur sine macula, operati sumus justitiam. Inconuenienter etiam cantus ille progreditur, qui nimis contractam habet elevationem; sicut enim sunt metæ, ultra quas non debet ascendere, ita sunt litteræ, ad quas eum necesse est ascendere. De omni namque authentico certum est, quod necesse est eum ascendere ad quintam. Plagalis autem elevari debet usque ad quartam, vel ad minus usque ad litteram illam, in qua incipit suum *Sæculorum*.

*A.* Assume enim hanc antiphonam: *Clamavi*, secundum quod canitur in quarto tono; qua finita, si ejus *Sæculorum* inceperis, ridiculosum et dissonantem saltum facies. Illa siquidem antiphona non ascendit ultra *F. grave*, *Sæculorum* autem incipit in *a. acuto*. Propter hoc prolixiorum dedimus ascensum quibusdam antiphonis in hoc vitiosis, scilicet: *Dele Domine, Omnis terra, Si iniquitates*, et consimilibus.

*D.* Procede, ut ea quæ sequuntur similis illuminet evidentia.

*M.* In illo cantu progressionis reclamatur compositio, qui ubique authenticam habens compositionem, plagalem alicubi descensum interserit; sicut erat: *Deus omnium, Sint lumbi*, et multa alia, tam antiphonæ quam responsoria. Sunt alii cantus, in quibus progressionis compositio consentit, sed dissentit a dispositione, quia secundum naturalem dispositionem litterarum unius sunt maneriæ, sed secundum compositionis similitudinem sub alia videntur et dicuntur contineri maneria, sicut *Benedicta tu*, et multæ consimiles antiphonæ, quæ apud fere omnes hoc laborant vitio, quia secundum naturalem dispositionem primæ sunt maneriæ, et tamen propter similitudinem compositionis dicuntur et creduntur esse secundæ. Illius vero cantus compositio oppositione dissolvitur, qui in partibus suis dissimiliter compositus est, ita ut in una parte sui cujusdam toni, in altera alterius toni esse videatur, sicut erat: *Beata Cæcilia, Videntes Joseph, et Dedisti, Domine*.

*D.* Qui sunt, qui suam in se maneriam non certificant?

*M.* Qui ita cujuslibet maneriæ carent proprietate, ut in diversarum finalibus maneriarum pariter terminari possint, et diversorum esse tonorum. De numero quorum erant: *Ecce sacerdos magnus*, et multi alii cantus septimi toni: *Visita nos*, et multi octavi toni: *Nazaræus vocabitur*, et plures quinti toni: *Miserere mei Deus*, et plures sexti toni.

*D.* Illas maneriarum proprietates mihi vellem exprimi, quibus cantus innixi, diversis non possunt fluctuare finalibus.

*D.* *M.* Qui cantus vitiose composuerunt, vel bene compositos male notando vel cantando postmodum depravaverunt, si has, quas requiris, cognovissent proprietates, non tot cantuum emersissent improprietates. Ut ergo ad interrogata breviter respondeam, in nullo prima vel secunda maneria debet prætermittere semitonium, quod finali vicinior est, quin alicubi vel semel inveniatur, et sic finales illarum maneriarum alternari non possunt. Similiter omnes cantus quinti toni debent habere sub finali vel sub quinta semitonium, vel supra sextam tonum: omnes vero cantus sexti toni exigunt sub finali vel sub quinta semitonium. Omnes autem cantus septimi toni debent habere sub quarta semitonium, et præter hoc vel sub finali tonum, vel supra

sextam semitonium: cujus plagalis semitonium sub quarta et tonum exigit sub finali.

*D.* Præmissis quæ ad notitiam tonorum videntur necessaria, ad faciendam doctrinam de singulis potes commodius accedere.

*M.* Tuis quæstionibus prout potui compendiose respondi: cæteris, si quas habes, eadem responsurus diligentia.

*Discipulus.*

Quid est primus tonus?

*M.* Regula authentum primæ maneriæ determinans.

*D.* Quæ est illa?


*M.* Quilibet cantus regularis authentice elevatus vel compositus, terminatus in D. vel in a. authenticus est primæ maneriæ. Quæ sit autem authentica elevatio vel compositio, superius dictum est.

*D.* Quid si cantus aliquis authentice elevetur, non tamen authenticam sed plagalem habeat compositionem?

*M.* Hunc sibi vetusta vindicat irregularitas, sicut a novitate usus nostri ita et a præsentis disputatione penitus alienum.

*D.* Quot differentias habet?

*M.* Exclusis multiplicium, quæ ab aliis canuntur superfluitatibus, differentiarum tres quibusdam videntur necessariæ. Prima, quæ maturis et gravibus; secunda, quæ levibus et acutis; tertia, quæ mediocribus habeat subservire principiis. Quorundam tamen importunitate minus discrete brevitatem æmulantium, relicta ea quæ gravibus principiis proprie convenit, et in primo tono canitur scilicet



A - men reliquis duabus in hoc tono utimur, quas subjecta docet formula. Nam tertiam differentiam, quæ illi antiphonæ, scilicet *Nos qui vivimus* adaptatur, magis voluntas quam ratio retinuit. Cum enim illam abjecerint, quæ non solum adeo propria sed et levior et usitator est, qua ratione hanc in uno tantum psalmo retinuerunt? Utinam tamen vel hac sola in primo tono contenti fuissent, cum primi toni proprietatem exprimat, et alii tono servire non possit. Nam de reliquis duabus differentiis neutrum verum est.

Glo - ri - a se - cu - lo - rum a - men. A. Pri - mum quæ ri - te reg - num  
De - i. A. A - ve Ma - ri - a. A. Mu - li - e - res.  
A. Ec - ce no - men. A. An - ge - li Do - mi - ni. A. Ve - nit lu - men. A. Ad - ju - to -  
ri - um A. Spe - ci - o - sus. A. Chri - sti vir - go. A. I - sti sunt. A. Bi -  
du - o vi - vens. A. O quan tus lu - ctus. A. Eu - ge ser - ve. A. In me -  
di - o. A. Cum sub - le - vas - set. Glo - ri - a se - cu - lo - rum a - men.  
A. Vi - di Do - mi - num. A. Ec - ce ve - re. A. A - per - tis. Glo - ri - a Pa -  
tri et Fi - li - o et Spi - ri - tu - i san - cto. A. Nos qui  
vi - vi - mus. Glo - ri - a se - cu - lo - rum a - men.

*Discipulus.*

Quid est secundus tonus?

*M.* Regula plagalem primæ maneriæ determinans.

*D.* Quæ est illa?

*M.* Quilibet cantus regularis plagaliter depositus vel compositus, finem faciens in D. vel in a. plaga-

lis, est primæ maneriæ. Quæ autem sit plagalis depositio vel compositio, superius dictum est.

*D.* Quot differentias habet

*M.* Unam tantum, omnibus ipsius principiis satis commode servientem : ut patet in sequentibus :

Glo - ri - a. se - cu - lo - rum a - men. A. Se - cun - dum au - tem si - mi - le est  
 hu - ic. A. I - sti sunt san - cti. A. O sa - pi - en - ti - a.  
 In u - ni - ver - sa ter - ra. A. In om - nem ter - ram. Glo - ri - a Pa - tri  
 et Fi - li - o et Spi - ri - tu - i san - cto.

*Discipulus.*

Quid est tertius tonus?

*M.* Regula authentum secundæ maneriæ determinans.

*D.* Quæ est illa?

*M.* Quilibet cantus regularis authentice elevatus

vel compositus terminatus in E. vel in  $\square$  authentus est secundæ maneriæ.

*D.* Quot differentias habet?

*M.* Duas, alteram inferioribus, alteram superioribus principiis satis commode deputatas : ut docet subjecta formula.

Glo - ri - a. se - cu - lo - rum a - men. A. Ter - ti - a di - es est quo hæc fa -  
 cta sunt. A. Cum for - tis ar - ma - tus. A. Ni - gra sum.  
 A. Ma - los ma - le. A. Quo - ni - am. A. Do - mi - ne. A. Glo - ri - a. se - cu -  
 lo - rum a - men. A. Qui de ter - ra est. Glo - ri - a Pa - tri et  
 Fi - li - o et Spi - ri - tu - i san - cto.

*Discipulus.*

Quid est quartus tonus?

*M.* Regula plagalem secundæ maneriæ determinans.

*D.* Quæ est illa?

*M.* Quilibet cantus regularis plagaliter depositus

vel compositus, finem faciens in E. vel in  $\square$ , plagalis est secundæ maneriæ.

*D.* Quot differentias habet?

*M.* Duas, unam principiis cantuum mature incedentium, alteram reliquis omnibus congruentem : ut subjecta docet descriptio.

Glo - ri - a. se - cu - lo - rum a - men. A. Quar - ta vi - gi - li - a ve - nit ad  
 e - os. A. Lau - da - bo. A. Nos sci - en - tes. A. Rubum quem vi -

de - rat. A. Ste - tit An - ge - lus. A. I - ste cog - no - vit. Glo - ri - a, se -  
 cu - lo - rum a - men. A. O - cu - li me - i. A. In pro - le ma - tris. A. Ni - si  
 di - li gen - ter. A. In do - mum. Glo - ri - a Pa - tri et Fi - li -  
 et Spi - ri tu - i san - cto.

*Discipulus.*

Quid est quintus tonus?

*M.* Regula authenticum tertiæ maneriæ determinans.

*D.* Quæ est illa?

*M.* Quilibet cantus regularis authentice elevatus

vel compositus, terminatus in F. vel in C. authenticus est tertiæ maneriæ.

*D.* Quot differentias habet?

*M.* Unam solummodo, omnibus ipsius principii congruentem ut inferius ostenditur.

Glo - ri - a, se - cu - lo - rum a - men. A. Quin - que pru - den - tes in - tra - ve - runt ad  
 nu - pti - as. A. Con - fi - te - bor Do - mi - no. A. In con - spe - ctu  
 an - ge - lo - rum. A. In so - le po - suit. Glo - ri - a Pa - tri et  
 Fi - lio et Spi - ri - tu - i san - cto.

*Discipulus.*

Quid est sextus tonus?

*M.* Regula plagalem tertiæ maneriæ determinans.

*D.* Quæ est illa?

*M.* Quilibet cantus regularis plagaliter depositus

vel compositus, finem faciens in F. vel in C. plagalis est tertiæ maneriæ.

*D.* Quot differentias habet?

*M.* Unam, universis ejus principii arridentem, ut subjecta formula declarat.

Glo - ri - a, se - cu - lo - rum a - men. A. Sex - ta ho - ra se - dit su - per  
 pu - te - um. A. O ad - mi - ra - bi - le com - mer - ci - um. A. Be -  
 ne - di - ctus Do - mi - nus. Glo - ri - a Pa - tri et Fi - li -  
 o et Spi - ri - tu - i san - cto.

*Discipulus.*

Quid est septimus tonus?

PATROL. CLXXXII.

*M.* Regula authenticum quartæ maneriæ determinans.

*D.* Quæ est illa?

*M.* Quilibet cantus regularis authentice elevatus vel compositus, terminatus in G. authenticus est quartæ maneriæ.

*D.* Quot differentias habet?

*M.* Duas, alteram servientem principiis, quæ in quinta fiunt, vel ad ipsam saliant: alteram congruentem principiis, quæ a finali per quosdam gradus ad quintam ascendunt, ut patet inferius.

Glo - ri - a se - cu - lo - rum a - men. A. Sep - tem sunt spi - ri - tus an - te thro - num

De - i. A. Omnes silien - tes. Ve - te - rem ho - mi -

nem. A. Ar - gen - tum. A. Vi - vit Do - mi - nus. Glo - ri - a se - cu - lo - rum a -

men. A. Di - xe - runt dis - ci - pu - li. A. Je - ru - sa - lem. A. Be - ne - di - cta - tu.

Glo - ri - a Pa - tri et Fi - li - o et Spi - ri - tu - i

(san - cto.

*Discipulus.*

*Quid est octavus tonus?*

*M.* Regula plagalem quartæ maneriæ determinans.

*D.* Quæ est illa?

*M.* Quilibet cantus regularis plagaliter depositus

vel compositus, terminatus in G. plagalis est quartæ maneriæ.

*D.* Quot differentias habet?

*M.* Duas, alteram servientem principiis cantuum in quarta a finali incipientium: alteram cæteris ipsius omnibus principiis deputatam: ut subjecta docent.

Glo - ri - a se - cu - lo - rum a - mea. A. O - cto sunt bea - ti - tu - di - nes.

A. Scri - ptum est. A. Nu - pli - æ. A. Ad - o - ra - te Do -

mi - num. A. Dum me - di - um. A. Glo - ri - a se - cu - lo - rum a - men. A. Ec - ce

an - cil - la. A. Do - mi - nus di - xit. A. De pro - fun - dis. A. In æ - ter - num.

Glo - ri - a Pa - tri et Fi - li - o et Spi - ri - tu - i

san - cto.

*D.* Memini te dixisse superius de duabus differentiis primi toni, quod proprietatem sui modi non exprimunt, et alii tonó possunt aptari. Supra positæ

differentiæ reliquorum modorum suntne obsecro propriæ?

*M.* Quædam illarum sunt propriæ et competenter

inventæ, sicut differentia secundi toni, et prima A differentia quarti, quæ ejusdem toni sunt cum suis antiphonis. Sed differentiæ tertii toni in secundo tono canuntur, et longe competentius cantibus secundi toni possunt aptari, quam cantibus tertii, cum in eisdem finalibus habéant terminari. Differentia vero quinti in quarto tono canitur, et differentia septimi itidem in secundo. Differentiæ autem sexti et octavi toni suorum modorum proprietates non expriment. Unde a peripateticis musicorum omnes hæ viliosæ reputantur; debet enim differentia illius modi esse, cui attribuitur, ut ejusdem modi sit differentia et antiphona, et in eodem modo psalmus canatur. Intellexisti hæc omnia?

D. Intellexi utique, et verissimum esse videtur, quod dicis. Est enim mysterium absconditum a seculis, et est mirabile sacramentum, quod non licet homini loqui, quod differentiæ tertii toni et septimi canuntur in secundo tono, et differentia quinti in quarto.

M. In hoc profecto peccavit inventio, vel inventionem corrumpit oblivio.

D. Miror similiter de versibus responsoriorum, quod in eisdem finalibus cum suis responsoriis terminari non habeant, et alterius toni esse convincantur, præter versus sexti et octavi toni.

M. Ad hoc solet dici, quia si de cantu versiculi per se judicetur, vere alterius modi est: sed de ipso non debet judicari sine illa parte responsorii, quæ resumitur, ut sit unus cantus versiculi et repetitionis, sicut in responsoriis multæ sunt clausulæ, quæ si per se judicarentur, et male compositæ, et alterius modi invenirentur. Proinde sicut unus cantus est totum responsorium, licet ex diversis clausulis constet, quæ diversorum sunt modorum: ita unus cantus est versiculi et repetitionis, ex hoc et illo compositus. Propter hoc repetitio responsorii debet concordare versiculo, et secundum litteraturam et secundum modulationem.

D. Lubrica ni fallor est hæc sententia, quoddamque videtur subterfugium, solido carens veritatis. B Cæterum jam de tuo sensu loquens, de metris, de differentiis, et versiculis quid sentias, profer in medium.

M. Quod quæris, non est præsentis negotii, cum prohibente sancto Cisterciensi capitulo, nec in Guidonis Antiphonario quidquam mutari jam liceat. Quære tamen musicam Guidonis Augensis, quam scribit ad sanctissimum magistrum suum dominum Guillelmum primum Rievallis abbatem. Ibi de talibus sufficienter doceri poteris.

## ORDO RERUM

### QUÆ IN HAC VOLUMINIS PRIMI PARTE PRIORI CONTINENTUR.

#### S. BERNARDUS ABBAS CLARÆ-VALLENSIS.

##### PRÆFATIO GENERALIS.

§ I. — De variis S. Bernardi Operum editionibus, ubi novissimæ hujus editionis tum causæ et rationes, tum commoda utilitatesque explicantur. 15

§ II. — De Bernardi sanctitate, doctrina et auctoritate in Ecclesia. 25

§ III. — De Bernardi profectu in emendandis moribus clericorum, monachorum et laicorum. 29

§ IV. — De schismate Anacleti per sanctum Bernardum compresso. 33

§ V. — De erroribus Petri Abælardi et Gilberti Porretani a sancto Bernardo refutatis. 41

§ VI. — De Henricianis et aliis hæreticis a sancto Bernardo repressis. 47

§ VII. — De expeditionis sacræ prædicatione per S. Bernardum facta ejusque infelici successu. 53

##### CHRONOLOGIA BERNARDINA.

57

#### S. BERNARDI OPERUM TOMUS PRIMUS. — EPISTOLÆ.

Epist. I. — Ad Robertum nepotem suum, qui de ordine Cisterciensi transierat ad Cluniacensem. — Robertum consanguineum, qui vel horrore strictioris regulæ, seu vitæ laxioris illecebra, vel etiam blanditiis et subdolis aliorum susurris inductus a Cisterciensibus ad Cluniacenses transierat, mira charitate et affectu plus quam paterno revocat. 67

Epist. II. — Ad Fulconem puerum qui postea fuit Lingonensis archidiaconus. — Fulconem canonicum regularem, quem avunculus blanditiis et promissis ad sæculum retraxerat, graviter et serio monet, ut potius Deo quam avunculo obediat et adhæreat. 79

Epist. III. — Ad canonicos regulares de Aildi curte. — Laudibus suis se terreri magis, quam demulceri. Deinde quosdam ex canonicis S. Augustini a se susceptos, non esse impediendos. 87

Epist. IV. — Ad Arnoldum abbatem Morimundi. — Arnoldum abbatem, temere relicto monasterio, peregrinantem, ad monasterii curam revocat, fratrum scandala et gregis pericula exponens. 89

Epist. V. — Ad Adam monachum. — Dehortatur, ne Arnoldo abbati Morimundi adhæreat, nec se peregrinationis, aut potius vagationis ejus socium præbeat. 91

Epist. VI. — Ad Brunonem Coloniensem. — Monachos quosdam abbatis Morimundi vagabundos opera Brunoni. reduci cupit ad monasterium. 92

Epist. VII. — Ad Adam monachum. — Adamum ut ad monasterium vel nunc tandem, abbate mortuo, redeat, hortatur: ostendit, in tali causa, nullum fuisse obedientiæ vinculum. Demum respondet, cur aliorum Ordinum religiosos recipiat. 93

Epist. VIII. — Ad Brunonem Coloniensem electum. — Bernardus a Brunone consultus de acceptando episcopatu Coloniensi, ita respondet, ut suspensum eum teneat, imo terreat mole tanti muneris, monens per orationes consulere Deum. 105

Epist. IX. — Ad eundem jam archiepiscopum Coloniensem. — Brunonem recens creatum archiepiscopum Coloniensem ad timorem inducit. 107

Epist. X. — Ad eundem. — Brunonem ad justum corripiendi zelum excitat. 108

Epist. XI. — Ad Guigonem priorem et cæteros Cartusiæ majoris religiosos. — De veræ et sinceræ charitatis lege, signis, effectis gradibus, perfectione Patriæ reservata, multa pie disserit. 108

Epist. XII. — Ad eosdem. — Orationibus eorum se commendat. 115

Epist. XIII. — Ad Dominum papam Honorium. — Alberici electionem ad episcopatum Catalaunensem ratam haberi petit. 116

Epist. XIV. — Ad eundem Honorium papam. — Causam ecclesiæ Divionensis, summo pontifici commendat. 117



- Epist. XV.** — Ad Haimericum cancellarium. — Unde supra. 118  
**Epist. XVI.** — Ad Petrum presbyterum cardinalem. — Unde supra. 119  
**Epist. XVII.** — Ad Petrum diaconum cardinalem. — Excusat se quod vocatus non venerit, de scriptis postulatis respondet. 119  
**Epist. XVIII.** — Ad eundem. — Opinionem sanctitatis a se amoliri nititur, et promittit se quos scripserat libellos communicaturum. 120  
**Epist. XIX.** — Ad eundem. — Commendat Remenses legatos. 122  
**Epist. XX.** — Ad Haimericum cancellarium. — Unde supra. 123  
**Epist. XXI.** — Ad Matthæum legatum. — Excusat se perbelle, quod vocatus ad negotia tractanda, non accesserit. 123  
**Epist. XXII.** — Ad Humbaldum Lugdunensem archiepiscopum et legatum. — Causam episcopi Meldensis commendat. 124  
**Epist. XXIII.** — Ad Attonem Trecensem episcopum. — Attonem episcopum, qui in morbo mortem cogitans, omnia sua distribuerat in pauperes, restitutum valetudini solatur, et laudat. 125  
**Epist. XXIV.** — Ad magistrum Gillebertum universalem, episcopum Londoniensem. — Laudat Gillebertum, quod, factus episcopus, paupertatem colat. 128  
**Epist. XXV.** — Ad Hugonem Rothomagensem archiepiscopum. — Hortatur Hugonem, ut apud suos Rothomagenses patiens simul ac pacificus esse studeat; zelum quoque discretionem moderetur. 129  
**Epist. XXVI.** — Ad Guidonem Lausannensem episcopum. 130  
**Epist. XXVII.** — Ad Ardutionem Gebennensem electum. — Monet ut electionem suam divinæ gratiæ tribuat, eique sedulo deinceps cooperari studeat. 130  
**Epist. XXVIII.** — Ad eundem jam episcopum. — Interim hortatur ut dignitatem, quam sine meritis præcedentibus obtinuit, saltem subsequentibus ornent. 131  
**Epist. XXIX.** — Ad Stephanum Metensem episcopum. — Congratulatur Stephano de pace Ecclesiæ reddita, idque non nisi unius Dei beneficio tribuendum. 132  
**Epist. XXX.** — Ad Alberonem primicerium Metensem. — Negotium quoddam, quod Albero urgebat, ex Dei beneplacito perficiendum monet, non tam requirens datum, quam fructum. 132  
**Epist. XXXI.** — Ad Hugonem comitem Campaniæ, militem Templi factum. — Hugoni gratulatur ob susceptam militiam sacram, et beneficiorum memoriam promittit. 133  
**Epist. XXXII.** — Ad Abbatem Sancti-Nicasii Remensis. — Abbatem ob discessum et transitum Drogonis monachi ad aliud monasterium, consolatur et ad patientiam hortatur. 136  
**Epist. XXXIII.** — Ad Hugonem Pontiniacensem abbatem. — Planius mentem suam prescribit de susceptione Drogonis, et omnem a se sinistram suspicionem depellit. 138  
**Epist. XXXIV.** — Ad Drogonem monachum. — Congratulatur Drogoni, quod ad strictiorem observantiam transierit; hortaturque ad perseverantiam. 139  
**Epist. XXXV.** — Ad magistrum Hugonem Farsitum. — Humberti cujusdam causam ei commendat, monetque ut in sententia quadam erronea corrigi non erubescat. 141  
**Epist. XXXVI.** — Ad eundem. — Respondet litteris Hugonis, suadetque ut ab impugnanda episcopi jam defuncti sententia desistat. 142  
**Epist. XXXVII.** — Ad Theobaldum comitem Campaniæ. — Miratur se in causa Humberti justa et æqua petentem pati repulsum: monetque ut intuitu supremi judicis misero non neget opem et misericordiam. 143  
**Epist. XXXVIII.** — Ad eundem. — Unde supra. 145  
**Epist. XXXIX.** — Ad eundem. — Diversorum causas Theobaldo commendat. Denique ut erga episcopos, concilii causa in ejus civitate constitutos, honorifice et reverenter se gerat, hortatur. 146  
**Epist. XL.** — Ad eundem. — Pauperem religiosum Theobaldo commendat. 147  
**Epist. XLI.** — Ad eundem. — Senem religiosum commendat. 148  
**Epist. XLII.** — Ad Henricum Senonensem archiepiscopum. — Hæc epistola potius Justi tractatus nomen et locum merebatur: itaque e sede sua submotam ad tomum secundum inter tractatus remisimus, cum hoc titulo: De moribus et officio episcoporum epistola 42 seu tractatus, ad Henricum Senonensem archiepiscopum. 148  
**Epist. XLIII.** — Ad eundem Henricum. — Scribit pro libertate ecclesiæ Molismensis. 148  
**Epist. XLIV.** — Ad eundem. — Unde supra. 148  
**Epist. XLV.** — Ad Ludovicum regem Francorum. — Cistercienses Ludovicum regem, Parisiensi episcopo infestum ac injurium, graviter ac libere redarguunt, causam illius apud pontificem Romanum acturi, si rex a male ceptis non destiterit. 149  
**Epist. XLVI.** — Ad dominum papam Honorium XI. — Unde supra. — Conqueruntur apud Pontificem, quod relaxatione interdicti subreptiue obtenta, Rex Galliæ jam pridem pronus ad pacem, factus sit obstinator. 153  
**Epist. XLVII.** — Ad eundem ex persona Gaufridi Carnotensis episcopi. — Exponit Pontifici causam episcopi Parisiensis a rege Ludovico inique oppressi, qui interdicto ab episcopis Gallicanis compulsus restitutionem promiserat, sed absolutione ab Honorio obtenta contumacior factus non præstitit. 153  
**Epist. XLVIII.** — Ad Haimericum cancellarium. — Unde supra, et contra obtrectatores. Querelas in se factas diluit, et solitudinis silentique facultatem precatur. 154  
**Epist. XLIX.** — Ad dominum papam Honorium. — Pro Henrico Senonensi archiepiscopo. 157  
**Epist. L.** — Ad eundem. — Unde supra. — Postulat ut archiepiscopo liceat ad sedem apostolicam appellare. 158  
**Epist. LI.** — Ad Haimericum cancellarium. — Unde supra. 158  
**Epist. LII.** — Ad eundem. — Episcopum Carnotensem non affectasse protectionem Jerosolymitanam. Causis et negotiis publicis absolvi se rogat. 159  
**Epist. LIII.** — Ad eundem. — Duos religiosos, et in his seipsum Haimerico repræsentat. 159  
**Epist. LIV.** — Ad eundem. — Vivianum abbatem commendat, monetque de cura animæ serio gerendæ. 160  
**Epist. LV.** — Ad Gaufridum Carnotensem episcopum. — Monachum quemdam reclusum desertorem instituti, sed jam resipiscentem, a Gaufrido suscipi et juvari postulat. 160  
**Epist. LVI.** — Ad eundem. — De peregrinatione Jerosolymitana Norberti se incertum esse. Sententiæ ejusdem de Antichristo se non assentire. Causam quoque Humberti commendat. 162  
**Epist. LVII.** — Ad eundem. — Per minora vota non debere impediri majora bona. Videtur hoc, ni fallor, scribere in causa monachi, de quo supra epistola LV. 163  
**Epist. LVIII.** — Ad Ebalum Catalaunensem episcopum. — Hortatur Ebalum, ut monasterio seu ecclesiæ omnium sanctorum virum idoneum præfici curet. 165  
**Epist. LIX.** — Ad Guilelmum Lingonensem episcopum. — Hortatur ut res quasdam ecclesiæ S. Stephani Divionensis, per obitum Garnerii vacantes, ad tollendam scandalis et calumniis ansam, eidem ecclesiæ cedat. 166  
**Epist. LX.** — Ad eundem. — Supplicat pro ecclesia Molismensi. 167  
**Epist. LXI.** — Ad Ricuinum Tullensem episcopum. — Hominem qui pœnitentiam subiturus, jussu episcopi Tullensis venerat, ad eundem remittit curandum. 167  
**Epist. LXII.** — Ad Henricum Virdunensem episcopum. — Feminam multis obstrictam peccatis, sed jam pœnitentem commendat episcopo. 168  
**Epist. LXIII.** — Ad eundem. — Purgat se de facto temerario, cujus insimulatus fuerat; ejus notitiam cupit: Guidonem eidem commendat. 168  
**Epist. LXIV.** — Ad Alexandrum Lincolnensem episcopum. — Philippus volens proficisci Jerosolymam, ad Claræ-Vallem forte divertens, illic manere decrevit. Alexandri ad hoc consensum requirit. Negotium cum creditoribus Philippi illi commendat. Denique hortatur eundem ne gloriæ mandanæ nimium fidat. 169  
**Epist. LXV.** — Ad Alvisum abbatem Aquiscincti. — Laudat in Alviso paternam erga Goduinum mansuetudinem. De admissione se excusat, et veniam precatur. 170  
**Epist. LXVI.** — Ad Gaufridum abbatem Sancti-Medardi. — Operam ejus requirit in reconciliando sibi abbate Alviso; solatur eundem in tribulationibus. 173  
**Epist. LXVII.** — Ad monachos Flaviacenses. — Susceptionem B. Monachi tuetur, tanquam de ignoto sibi hactenus monasterio, et justas ob causas discedentis. 175  
**Epist. LXVIII.** — Ad eosdem. — Unde supra. 176  
**Epist. LXIX.** — Ad Guidonem abbatem de Tribus Fontibus. — Guidonem, qui incuria ministrantium in consecratione calicis erraverat, ob defectum vini, instruit. 179  
**Epist. LXX.** — Ad eundem. — Docet qualis misericordia in pastore esse debeat, monetque ut sententiam in monachum transgressorem latam retractet. 182  
**Epist. LXXI.** — Ad monachos ejusdem loci. — Se distulisse hactenus visitationem, non incuria, sed expectatione opportunitatis; de Rogerii abbatis obitu eos consolatur. 183

- Epist. LXXII.** — Ad Rainaldum Fusniacensem abbatem. — Ostendit quam sit alienus alaudibus. Jugum Christi leve esse. Patris nomen detrectat, Frater vocari contentus. 184
- Epist. LXXIII.** — Ad eundem. — Rainaldum de comisso sibi prælationis munere nimis anxium et querulum instruit; monetque opem et solatium suis potius impendendum quam ab eis requirendum. 187
- Epist. LXXIV.** — Ad eundem. — Optaverat Bernardus Rainaldum molestis abstinere querimoniis; nunc jubet de rebus ejus se reddi certiore. 188
- Epist. LXXV.** — Ad Artaldum Prulliacensem abbatem. — Dissuadet monasterii conditionem in Hispania. 189
- Epist. LXXVI.** — Ad abbatem canonicorum S. Petri De Monte. — Quid agendum cum vero qui, post diurnam in domo et habitu religioso conversationem, ad sæculum et secundas nuptias transierat. 190
- Epist. LXXVII.** — Ad Magistrum Hugonem de S. Victore. — (Hæc quoque epistola hoc loco sublata inter tractatus tomo II locum meruit.) 190
- Epist. LXXVIII.** — Ad Sugerium abbatem Sancti Dionysii. — Laudat Sugerium, misso fastu et externo splendore, ad modestiæ et religiosæ disciplinæ curam inopinato conversum. Clericum aulæ potius, quam Dei ministerio deditum acriter perstringit. 191
- Epist. LXXIX.** — Ad abbatem Lucam. — Feminarum contubernium fugiendum monet. Et quid de fratre in crimen lapso faciendum. 199
- Epist. LXXX.** — Ad Guidonem abbatem Molismensem. — Consolatur afflictum ex gravi injuria: vindictam vero misericordia temperandam. 201
- Epist. LXXXI.** — Ad Gerardum abbatem Pultariensem. — Purgat se adversus iniquam criminationem. 202
- Epist. LXXXII.** — Ad abbatem Sancti Joannis Carnotensis. — Abdicationem curæ pastoralis, et peregrinationem Jerosolymitanam dissuadet. 202
- Epist. LXXXIII.** — Ad Simonem abbatem Sancti Nicolai. — Eum in persecutione solatur. Pios conatus non semper habere optatos successus. Prælato arctioris disciplinæ studioso quid agendum cum subditis. 204
- Epist. LXXXIV.** — Ad eundem. — Monachum erroneum remittit, sed reducem lenius et mitius tractari suadet. 205
- Epist. LXXXV.** — Ad eundem Guillelmum. — Suaviter perstringit Guillelmum, conquerentem sibi a Bernardo paribus amoris officiis non responderi. 206
- Epist. LXXXVI.** — Ad eundem. — Monachum fugitivum dure increpatum et increpandum remittit. Ipsi vero Guillelmo, mutationem aut vitam privatam meditantij, perseverare suadet. 210
- Epist. LXXXVII.** — Ad Ogerium canonicum regularem. — Improbatur abdicationem curæ pastoralis, etsi piæ quietis amore factam. Instruit nihilominus, quomodo deinceps privatus in cœnobio vivere debeat. 211
- Epist. LXXXVIII.** — Ad eundem. — Se multis occupationibus impeditum, hactenus non potuisse votis ejus satisfacere: cogique etiam modo parcius scribere. Opusculum quoddam suum edi in publicum vetat, nisi recognitum. 217
- Epist. LXXXIX.** — Ad eundem. — Scriptionis brevitate excusat prætextu sacri temporis, cui potius silentium competat: item professionis et ruditatis, ut docendi munus usurpare non audeat. 220
- Epist. XC.** — Ad eundem. — Amori sincero non opus esse prolixis litteris, aut multis verbis: seque a valetudine propemodum desperata convalescere. 221
- Epist. XCI.** — Ad abbates Suessione congregatos. — Abbates excitat ad strenue curandum negotium, cujus causa convenerunt. Studium profectus serio commendat: nil morandum, si tepidi quidam et dissoluti forsant detrectent et obmurmurent. 222
- Epist. XCII.** — Ad Henricum regem Anglorum. — Monachis a se missis ad construendum monasterium, regis favorem postulat. 224
- Epist. XCIII.** — Ad Henricum Wintoniensem episcopum — Officiose eum salutatur. 225
- Epist. XCIV.** — Ad abbatem cujusdam monasterii Eboracensis, unde exierat prior cum aliquantis fratribus. 226
- Epist. XCV.** — Ad Turstinum archiepiscopum Eboracensem. — Charitatem et beneficentiam ejus erga religiosos laudat. 228
- Epist. XCVI.** — Ad Richardum Fontanensem abbatem et socios ejus, qui de alio ordine ad Cisterciensem transierant. — Laudat eos ob renovationem religiosæ disciplinæ. 229
- Epist. XCVII.** — Ad ducem Conradum. — Dehortatur eum a bello comiti Gebennensi inferendo, ne contra se ultorem Deum provocet. 229
- Epist. XCVIII.** — De Machabæis, sed ad quem scripta sit ignoratur. — Respondet ad quæstionem, cur ex justis antiquæ legis, solis Machabæis Ecclesia diem festum decreverit. 230
- Epist. XCIX.** — Ad monachum quemdam. — Ob monachi cujusdam a suo cœnobio discessum anxius, ejusdem litteris sinistra se suspicione liberatum scribit. 234
- Epist. C.** — Ad episcopum quemdam. — Ejus erga religiosos pauperes favorem et beneficentiam laudat. 235
- Epist. CI.** — Ad religiosos. — Monachum qui sine licentia discesserat, redeuntem benigne suscipi postulat. 236
- Epist. CII.** — Ad quemdam abbatem. — Monachi cujusdam dyscoli emendationem omni modo tentandam; sed incorrigibilem ejiciendum, ne plures ejus consortio depraventur. 236
- Epist. CIII.** — Ad fratrem Willelmi monachi Claræ Vallensis. — Insigni paupertatis religiosæ commendatione prævia, perstringit in eo nimium in res terrenas affectum, cum damno pauperum, imo suo ipsius conjunctum, ut qui mallet sua morti, quam amori Christi cedere. 237
- Epist. CIV.** — Ad magistrum Gualterum de Calvo Monte. — Hortatur eum ad fugam sæculi, monens potior rem esse causam Christi, et animæ, quam parentum. 238
- Epist. CV.** — Ad Romanum Romanæ curiæ subdiacenum. — Vitæ religiosæ propositum urget, mortis memoriam inculcans. 240
- Epist. CVI.** — Ad magistrum Henricum Murdach. — Ad capessendum religiosæ vitæ statum excitat, ejus delicias breviter insinuans. 241
- Epist. CVII.** — Ad Thomam præpositum de Beverla. — Thomas iste Ordini Cisterciensi in Clara-Valle sese devoverat: procrastinantem Bernardus hortatur ad vota persolvenda. At surdo cantatum sequens docebit epistola, ubi infelicem Thomæ exitum commemorat. In hac vero tota salutis œconomia profundissime describitur. 242
- Epist. CVIII.** — Ad Thomam de Sancto-Audomaro, post transgressionem promissionis suæ veniendi ad conversionem. — Hunc relictis studiis religionem ingredi hortatur, proposito Thomæ de Beverla exitu infelici. 249
- Epist. CIX.** — Ad illustrem juvenem Gaufridum de Perona, et socios ejus. — Nobiles juvenes ob religiosæ vitæ propositum prædicat et ad perseverantiam hortatur. 251
- Epist. CX.** — Ad parentes ejusdem Gaufridi consolatoria. — Non esse cur filium religiosum tanquam perditum lugeant, vel etiam cur delictualo metuant. 253
- Epist. CXI.** — Ex persona Eliæ monachi ad parentes suos. — Hortatur eos ne se Deo servire volentem impedire aut retrahere conentur: indignum id fore et frustraneum. 253
- Epist. CXII.** — Ad Gaufridum Lexoviensem. — Dolet eum deserto religionis proposito rediisse ad seculum; et ad resipiscentiam hortatur. 255
- Epist. CXIII.** — Ad Sophiam virginem. — Eam prædicat ob spretam mundi gloriam: et expositis religiosarum virginum elogiis, privilegiis, præmiis ac ornamentis ad perseverantiam hortatur. 256
- Epist. CXIV.** — Ad alteram sanctimoniam. — Quæ sub habitu religioso animum gesserat mundo deditum, eam jam resipiscentem prædicat, et ne gratiam negligat, hortatur. 259
- Epist. CXV.** — Ad aliam sanctimoniam de monasterio Sanctæ-Mariæ Trecensis. — Dissuadet ei eremum, quam temere et imprudentes appetebat. 261
- Epist. CXVI.** — Ad Ermengardem quondam comitissam Britannia. — Affectum sui cordis, et vim religiosæ dilectionis suaviter et familiariter insinuat. 262
- Epist. CXVII.** — Ad eandem. — Laudat ejus in divino servitio alacritatem, suumque illius videndæ desiderium indicat. 263
- Epist. CXVIII.** — Ad Beatricem nobilem et religiosam matronam. — Officiosam ejus charitatem et sollicitudinem commendat. 265
- Epist. CXIX.** — Ad Ducem et Ducissam Lotharingiæ. — Gratias agit pro condonatis hactenus vectigalibus, sed cavere cupit, ne gratia principum opera ministrorum intervortatur. 264
- Epist. CXX.** — Ad Ducissam Lotharingiæ. — Pro beneficiis oblatis gratias agit, et ab iniquo bello eam deterret. 265
- Epist. CXXI.** — Ad Ducissam Burgundiæ. — Offensam Hugoni placare nititur, et assensum in conjugium quoddam ab ea exposcit. 266
- Epist. CXXII.** — Hildeberti Turonensis archiepiscopi ad Bernardum abbatem. — Bernardi fama nominis et sanctitatis permotus, familiaritatem ejus exposcit. 266
- Epist. CXXIII.** — Rescriptum abbatis Bernardi ad Hil-

debertum Turonensem archiepiscopum.—Laudes laudibus rependit. 267

Epist. CXXIV. — Ad eundem Hildebertum qui nondum receperat Dominum Innocentium papam. — Hortatur ut Innocentium, in Gallia ob schisma Petri Leonis exsulem, uti legitimum pontificem agnoscat. 268

Epist. CXXV. — Ad magistrum Gaufridum de Loratorio. — Operam ejus requirit in asserendo pontificatu Innocentii adversus schisma Petri Leonis. 269

Epist. CXXVI. — Ad episcopos Aquitanie contra Gerardum Engolismensem. — Causam Innocentii ut legitimi pontificis, egregie tuetur adversus Gerardum Engolismensem, schismatici partes agentem, cujus mores depingit, et subterfugia eludit. 270

Epist. CXXVII. — Ad Guillelmum comitem Pictavorum, ducem Aquitanie ex persona Hugonis ducis Burgundie. — Guillelmum, antipapae Anacleto faventem, hortatur ad Innocentium verum pontificem recipiendum. 281

Epist. CXXVIII. — Ad eundem. — Serio eum hortatur de reducendis ad Ecclesiam clericis quos expulerat. 282

Epist. CXXIX. — Ad Januenses. — Pacem quam aliquando coram conciliaverat, constanter retinendam et tuendam hortatur. 283

Epist. CXXX. — Ad Pisanos. — Pisanos laudat ob studium et favorem erga Innocentium papam, qui, Roma per antipapam Anacletum occupata, exsul Pisas concesserat. 285

Epist. CXXXI. — Ad Mediolanenses. — Cum Mediolanenses Innocentio reconciliati, tamen titubare in officio et obedientia viderentur, eos ad retinendam constantiam incitat reventia Romanæ Ecclesie erga illos beneficia memorans. 286

Epist. CXXXII. — Ad clerum Mediolanensem. — Gratulatur clero Mediolanensi, cujus opera civitas, relicto schismate Anacleti, ad unitatem Ecclesie redierat. 287

Epist. CXXXIII. — Ad universos cives Mediolanensium. — Invitatus ad componendam pacem, lætatur ad hoc opus suam operam requiri. 288

Epist. CXXXIV. — Ad novitios apud Mediolanum conversos. — Novitiis Mediolanensibus gratulatur de conversione, seque peracto concilio illos invisurum spondet. 289

Epist. CXXXV. — Ad Petrum Papiensem episcopum. — Delatas sibi laudes in Deum refundit. Episcopum ab operibus misericordie laudat. 289

Epist. CXXXVI. — Ad Innocentium papam. — Dalfinum, de illatis injuriis satisfacere paratum, mitius tractari cupit. 290

Epist. CXXXVII. — Ad Imperatricem Romanam. — Mediolanenses non ante receptos in gratiam a pontifice, quam ipsi Lotharium imperatorem reciperent. Hinc eos clementie imperatricis commendat. 291

Epist. CXXXVIII. — Ad Henricum regem Anglorum. — A rege suppetias petit pro Innocentio papa. 292

Epist. CXXXIX. — Ad Lotharium imperatorem. — Excitat imperatorem ad reprimendos schismaticos. Causam cujusdam ecclesie apud Tullum sitae commendat. 293

Epist. CXL. — Ad eundem. — Pisanos pontificis studiosos apud Lotharium commendat. 295

Epist. CXLI. — Ad Humbertum abbatem Igniacensem. — Graviter eum perstringit, ob munus prelationis inconsulto ac temere dimissum. 296

Epist. CXLII. — Ad monachos Alpenses. — Monachos Alpenses, qui se sub ordine Cisterciensi Claræ Vallensibus aggregaverant, commendat et consolatur de absentia patris ad altiore gradum assumpti. Hinc de novo abbate eligendo eos monet. 297

Epist. CXLIII. — Ad suos Claræ Vallenses. — Diurnam sui absentiam excusat, sibi non minus, imo magis gravem, quam suis. Interim breviter eos officii admonet. 298

Epist. CXLIV. — Ad eosdem. — Molestiam longioris absentie sue a dilecta Clara-Valle, et tenerrimum erga filios suos affectum ac desiderium exprimit. Solatium nihilominus suum in tantis pro Ecclesia laboribus indicat. 300

Epist. CXLV. — Ad abbates Cistercii congregatos. — Hos laborum et dolorum suorum conscios esse desiderat, excusans forte hoc pacto absentiam suam. Optat sane non peregre, sed inter suos mori. 302

Epist. CXLVI. — Ad Burchardum Balernensem abbatem. — Gaudet suos in eo formando labores non esse irritos: felicem tamen successum uni Deo tribuendum. 303

Epist. CXLVII. — Ad Petrum abbatem Cluniacensem. — Petrus Bernardum, peregre inter varios et difficiles pro Ecclesia labores agentem, misso Gebuino archidiacono Trecensi consolatus fuerat. Fjus itaque benevolam animam suavissime recollit, et feliciorum extincto jam schis-

mate Ecclesie statum prædicat. 304

Epist. CXLVIII. — Ad eundem. — Paucis Petro respondet, plura in aliam occasionem reservans. 305

Epist. CXLIX. — Ad eundem. — Monet ut a monasterio sancti Bertini tam operose sibi vindicando desistat. 306

Epist. CL. — Ad dominum papam Innocentium. — Laudat pontificem ex variis recte factis, ejusque zelum excoitat adversus ambitionem Philippi, qui modis illegitimis sedem Turonensem invadere tentabat. 306

Epist. CLI. — Ad Philippum Turonensis ecclesie invasorem. — Gravem animi sui dolorem exprimit super Philippo, Turonensis ecclesie præsulatum indebitis modis ambiente. 310

Epist. CLII. — Ad dominum papam Innocentium, pro Trecensi episcopo. — Insolentiam clericorum nutriri ignavia episcoporum: Trecensem vero ob clericos correptos gravari. 311

Epist. CLIII. — Ad Bernardum de Portis, de Ordine Cartusiensi. — Petenti expositionem in Cantica Salomonis, præterdit tenuitatem suam, tanto scilicet operi, et aliorum expectationi impari. 312

Epist. CLIV. — Ad eundem. — Non licuisse per negotia stare promissioni de invisendis Cartusiensibus. Mittit petitos sermones in Cantica. 313

Epist. CLV. — Ad Dominum papam Innocentium pro eodem quando electus est. — Bernardum de Portis, in Lombardia destinatum episcopum, dignum quidem eo honore, sed tali loco minus idoneum; ideoque alteri convenientius reservandum. 314

Epist. CLVI. — Ad eundem, pro clericis Aurelianensibus. 314

Epist. CLVII. — Ad Halmericum, pro eisdem. 315

Epist. CLVIII. — Ad dominum papam Innocentium, super interfectione magistri Thomæ, Prioris Sancti-Victoris Parisiensis. 315

Epist. CLIX. — Ad eundem, in persona Stephani Parisiensis episcopi. — Unde supra. 319

Epist. CLX. — Ad Halmericum cancellarium, in personæ ejusdem episcopi. — Unde supra. 320

Epist. CLXI. — Ad dominum papam Innocentium. — Adversus auctores cædis Archembaldi, subdecani Aurelianensis. 320

Epist. CLXII. — Ad Halmerium cancellarium de eodem. 321

Epist. CLXIII. — Ad Joannem Cremensem cardinalem presbyterum de eodem. 321

Epist. CLXIV. — Actio causæ Lingonensis ecclesie ad dominum papam Innocentium. — Conqueritur Bernardus, quod subdole et contra datam fidem tentata sit electio episcopi Ecclesie Lingonensis. 322

Epist. CLXV. — Ad Falconem decanum, et Guidonem thesaurarium Lugdunensis Ecclesie. — Unde supra. 325

Epist. CLXVI. — Ad dominum papam Innocentium. — Unde supra. 326

Epist. CLXVII. — Ad eundem. — Pro eodem negotio. 327

Epist. CLXVIII. — Ad episcopos et cardinales Romanæ curiæ. — Unde supra. 327

Epist. CLXIX. — Ad dominum papam Innocentium. — Cur clericos Ecclesie Lingonensis vocatos detinuerit; et quibus munus eligendi committendum. 328

Epist. CLXX. — Ad Lodovicum Juniolem regem Francorum. — Electionem Godefridi Prioris sui in episcopum Lingonensem, cui Rex adversari visus est, vindicare nititur. 329

Epist. CLXXI. — Ad dominum papam Innocentium. — Pro Falcone Lugdunensi archiepiscopo electo. 331

Epist. CLXXII. — Ad eundem in persona Godefridi Lingonensis episcopi. — Ejusdem cum superiore argumenti. 332

Epist. CLXXIII. — Ad ipsum Falconem. — Religiosorum quorundam causam commendat. 332

Epist. CLXXIV. — Ad canonicos Lugdunenses, de conceptione S. Mariæ. — Conceptionis festum novum esse; nullo niti legitimo fundamento: cæterum non fuisse instituendum inconsulta sede apostolica cui sententiam suam subjicit. 332

Epist. CLXXV. — Ad Patriarcham Jerosolymorum. — Præventus ejus litteris familiariter respondet, et milites Templi commendat. 336

Epist. CLXXVI. — Ad dominum papam Innocentium, ex persona Alberonis Treverensis archiepiscopi. — Suum erga Innocentium, citramontanæque Ecclesie studium et obedientiam declarat. 337

Epist. CLXXVII. — Ad eundem in persona ejusdem. — Queritur impositum sibi pastorale munus; sed in exsequendis quæ sui sunt muneris, impediri æmulatione aliq-

rum, non sine ipsius culpa Pontificis. 358  
**Epist. CLXXXVIII.** — Ad dominum papam Innocentium pro Alberone Treverensi archiepiscopo. — Queritur per-versos quosdam et Ecclesie perniciosos homines in exsequendis pravis consiliis pontificali auctoritate muniri: alios interim præsules, zelum Dei habentes, destitui et contemni. 359  
**Epist. CLXXXIX.** — Ad eundem pro eodem. — Causam Alberonis archiepiscopi Treverensis agit adversus abbatem Sancti-Maximini et monachos rebelles et contumaces. 342  
**Epist. CLXXX.** — Ad eundem pro eodem. — Iterum commendat pontifici negotium archiepiscopi Treverensis, ut sententiam, subreptitè obtentam, prævia meliore causæ cognitione, revocet. 343  
**Epist. CLXXXI.** — Ad Haimericum cancellarium. — Profitetur se beneficiis imparem, non nisi voluntatis affectu gratum se esse posse. 344  
**Epist. CLXXXII.** — Ad Henricum Senonensem archiepiscopum. — Hunc acriter perstringit, utpote durum, ut qui archidiaconum non recte deposuisset; et ad æqua postulata ac pacis consilia difficilem. 344  
**Epist. CLXXXIII.** — Ad Conradum regem Romanorum. — Reverentiam Sedis apostolicæ ei commendat. 345  
**Epist. CLXXXIV.** — Ad dominum papam Innocentium. — Non posse mitti quos Pontifex petierat monachos. 345  
**Epist. CLXXXV.** — Ad Eustachium occupatorem Valentinae sedis. — Hortatur ut memor ætatis suæ, et mortis imminentis, divinique judicii, respiscat, nec pravis adulatorum consiliis pareat. 346  
**Epist. CLXXXVI.** — Ad Simonem filium Castellani Cameracensis. — Ejus tutelæ Valcellenses monachos commendat, patris donationem ab eo ratam haberi rogans. 348  
**Epist. CLXXXVII.** — Ad episcopos Senonas convocatos, contra Petrum Abælardum. — Excitat episcopos ad causam religionis contra Abælardum strenue agendam. 349  
**Epist. CLXXXVIII.** — Ad episcopos et cardinales curiæ, de eodem. — Monet ad vigilandum adversus Petri Abælardi errores. 351  
**Epist. CLXXXIX.** — Ad dominum papam Innocentium, de eodem. — Animi dolorem indicat ob errores Abælardi post schisma statim exsurgentes, quibus Pontificem, occurrere monet. 354  
**Epist. CXC.** — Ad Innocentium pontificem, de erroribus quibusdam Petri Abælardi. 357  
**Epist. CXCI.** — Ad Innocentium ex persona domini archiepiscopi Remensis, etc. — Abælardum, vana scientiæ opinione tumidum, et de favore curiæ Romanæ gloriantem, auctoritate Pontificia mature reprimendum. 357  
**Epist. CXCII.** — Ad magistrum Guidonem de Castello. — Monet eum ita diligere ac fovere Abælardum, ut tamen errores ejus non foveat. 358  
**Epist. CXCIII.** — Ad magistrum Ivonem cardinalem, de eodem. — Indignum esse ut Abælardus in Romana curia fautores inveniat. 359  
**Epist. CXCIV.** — Rescriptum domini Innocentii contra hæreses Petri Abælardi. 359  
**Epist. CXCV.** — Ad episcopum Constantiensem. — Monet ut Arnaldum de Brixia, Italia et Gallia pulsum, et jam apud ipsum delitescens expellat, aut potius ad cavenda majora damna vincum teneat. 361  
**Epist. CXCVI.** — Ad Guidonem legatum, de eodem. — Cavendam ei familiaritatem Arnaldi de Brixia, ne sub ejus auctoritate securius errores suos disseminet. 363  
**Epist. CXCVII.** — Ad Petrum Bisuntinum decanum. — Increpat eum ob injurias abbati Chari-Loci illatas. 364  
**Epist. CXCVIII.** — Ad dominum papam Innocentium. — Guidonem a vi et injuriis oppressoris vindicari rogat. Nihil æque decere summum Ecclesie Præsulem ac zelum justitiæ. 365  
**Epist. CXCIX.** — Ad eundem. — Unde supra. Rogat sententiam pro Religiosis inique oppressis latam confirmari, nec ulterius aures præberi calumniis. 367  
**Epist. CC.** — Ad magistrum Ulcerium Andegavensem episcopum, pro gravi querela quæ erat inter ipsum et abbatissam Fontis-Ebraldi. 367  
**Epist. CCI.** — Ad Balduinum abbatem Reatini monasterii. — Hortatur ut strenue incumbat officio suo: huc vero requirit verbum prædicationis, exemplum operis, et præcipue studium orationis. 369  
**Epist. CCII.** — Ad clerum Senonensem. — Electionem novi Præsulis non inconsulte et præcipitanter instituendam. 370  
**Epist. CCIII.** — Ad Attonem episcopum et clerum Trecentensem. — Monet ut Ansellum clericum Trecentensem ab armis et conjugio revocent. 371  
**Epist. CCIV.** — Ad abbatem Sancti-Albani. — Suum erga eum affectum aperit: mutuum vero conspectum, si

præsens vita non permittat, futuræ reservari. 372  
**Epist. CCV.** — Ad episcopum Roffensem. — Durius se litteris ejus, sed circa culpam, perstringi. 372  
**Epist. CCVI.** — Ad Reginam Jerosolymorum. — Commendat quemdam consanguineum suum, et paucis monet Reginam ita vivere, ut regnet perpetuo. 373  
**Epist. CCVII.** — Ad Rogerium regem Siciliae. — Hortatur ut se pauperibus Religiosis benignum et beneficum exhibeat. 374  
**Epist. CCVIII.** — Ad eundem. — Desideratus a Rege, mittit ex suis, quos ut viscera suæ benigne suscipiet foveri rogat. 375  
**Epist. CCIX.** — Ad eundem. — Prædicat regiam ejus munificentiam in suscipiendis Religiosis a se missis. 375  
**Epist. CCX.** — Ad dominum papam Innocentium. — Remensem præsulum Pontifici commendat. 376  
**Epist. CCXI.** — Ad eundem. — Causam Cantuariensis archiepiscopi, necnon Londinensis episcopi commendat. 376  
**Epist. CCXII.** — Ad eundem. — Causam Salamenticensis episcopi pathetice agit apud Pontificem; insignem ejus humilitatem commendans. 377  
**Epist. CCXIII.** — Ad eundem. — Expostulat cum Pontifice, quod reconciliatio Petri Pisani, opera sua et auctoritate ipsius Papæ facta, irritetur. 378  
**Epist. CCXIV.** — Ad eundem. — Episcopum Camera-censem et abbatem Godescalcum commendat. 378  
**Epist. CCXV.** — Ad eundem. — Pro episcopo et decano Autissiodorensi. 379  
**Epist. CCXVI.** — Ad eundem. — Comitem Radulfum, qui repudiata uxore sua aliam duxerat, patronos in curia reperire queritur. 379  
**Epist. CCXVII.** — Ad eundem. — Theobaldum causa justitiæ et fidelitatis erga Sedem apostolicam, premi queritur: sed ad iniqua compulsus ope Pontificis expediri rogat. 380  
**Epist. CCXVIII.** — Ad eundem excusatoria et novissima. — Solita se apud Innocentium gratia excidisse animadvertens, causas offensæ occasione testamenti Ivonis cardinalis natus modeste diluit. 381  
**Epist. CCXIX.** — Ad tres episcopos curiæ, Albericum Ostiensem, Stephanum Prænestinum, Igmaram Tusculanum, et Gerardum cancellarium. — Pro interdicto quod erat in terra Regis propter archiepiscopum Bituricensem. 382  
**Epist. CCXX.** — Ad Ludovicum regem Francorum. — Iniquam regis postulationem in causa Radulfi rejicit, monens eundem non preinere innocentes, et irritare contra se Regem supremum. 385  
**Epist. CCXXI.** — Ad eundem. — Unde supra. — Gravier Ludovicum regem arguit, quod, pravis consiliis adhærescens, pacis consilia respuat. Se quidem hactenus regii nominis studiosum, deinceps solius veritatis patronum, necnon malefactorum ejus testem fore. 386  
**Epist. CCXXII.** — Ad Joslenum Suessionensem episcopum, et Sugerium abbatem Sancti-Dionysii. — Queritur apud eos, ut Regis consiliarios, de iniquis ejus contra Theobaldum molitionibus, contra pactum et pacem initam. 387  
**Epist. CCXXIII.** — Ad Joslenum episcopum Suessionensem. — Satisfacit episcopo, cujus litteris præfixa talis erat salutatio, « Salutem in Domino, et non spiritum blasphemiae. » Requirit nihilominus in eo majorem zelum ad vindicandas Christi et Ecclesie injurias. 390  
**Epist. CCXXIV.** — Ad Stephanum Prænestinum episcopum. — Malefacta Ludovici regis et injurias in Ecclesiam, episcopos, aliosque exponit. 391  
**Epist. CCXXV.** — Ad dominum episcopum Suessionensem. — Hortatur ad studium pacis. 394  
**Epist. CCXXVI.** — Ad Ludovicum regem Francorum. — Bernardus et Hugo queruntur de pertinacia regis in male ceptis: irritos esse suos in conciliandâ pace labores non sine regni ejus exitio dolent. 394  
**Epist. CCXXVII.** — Ad episcopum Suessionensem. — Opem episcopi perquam sollicitè et ardentè implorat. 396  
**Epist. CCXXVIII.** — Ad Petrum Cluniacensem abbatem, conquerentem quod ei non rescriberet. 396  
**Epist. CCXXIX.** — Petri Venerabilis ad Bernardum abbatem. — Bernardi litteris humanissime respondet, simulque causas dissensionum inter Cluniacenses et Cistercienses exponit. 398  
**Epist. CCXXX.** — Ad tres episcopos Ostiensem, Tusculanum, Prænestinum. — Monet illos officii, ut a Christi grege in episcopatu Metensi lupos arceant. 417  
**Epist. CCXXXI.** — Ad eosdem pro abbate Latiniacensi. — Innocentiam abbatis asserit ac tuetur, et capita accusationum in eum producta diluit. Denique zelum discipli-

næ religiosæ in ipsis requirit. 417  
 Epist. CCXXXII. — Ad eosdem. — Contra abbatem Sancti-Theofredi. 419  
 Epist. CCXXXIII. — Ad abbatem Joannem de Busaio, qui abbatiâ relinquerat, et abierat in solitudinem. — Blandè eum revocat a solitudine, ad quam, de misso monasterii regimine, se contulerat. 420  
 Epist. CCXXXIV. — Ad Herbertum abbatem Sancti-Stephani Divionensis. — Temerariæ scriptiois culpam Joanni condonari rogat. 421  
 Epist. CCXXXV. — Ad dominum papam Cœlestinum, pro intruso Eboracensi. — Auctoritatem sedis apostolicæ adversus infamem et simoniacum Eboracensis Ecclesiæ invasorem implorat. 422  
 Epist. CCXXXVI. — Ad totam curiam Romanam. — Unde supra. 424  
 Epist. CCXXXVII. — Ad totam curiam Romanam, quando elegerunt abbatem Sancti-Anastasi in papam Eugenium. — Miratur Bernardum abbatem Sancti-Anastasi, abstractum ab otio et solitudine, ad totius Ecclesiæ curam rapi: timetque hominem, quieti assuetum, et rebus gerendis minus exercitatum, tanto oneri haud parem fore: unde fidei cardinalium ope eum sublevari rogat. 425  
 Epist. CCXXXVIII. — Ad dominum papam Eugenium prima. — Bernardus Eugenio, recens in Pontificem assumpto, gratulatur ac condolet: ipsum ad munus apostolicum fortiter obeundum animat, ut conceptæ de se multorum expectationi respondeat. 427  
 Epist. CCXXXIX. — Ad eundem. — Depositionem Guillelmi Eboracensis urget apud Pontificem, cui soli ea potestas competat. 431  
 Epist. CCXL. — Ad eundem, de Eboracensi intruso. — Laudat zelum Eugenii. Porro eum nunc ostendi vult in deponendo Eboracensi, illam sedem fraudulenter occupante. 432  
 Epist. CCXLI. — Ad Hildesum comitem Sancti-Ægidii, de Henrico hæretico. — Henricum, Petri Brusii hæretici successorem, ejusque impia dogmata, et impura facinora describit, pungens Comitem, quod talem in sua ditione sineret impune grassari. 434  
 Epist. CCXLII. — Ad Tolosanum post reditum suum. — Sollicite fugiendos, imo et fugandos hæreticos. Exercendam hospitalitatem. Nec quosvis prædicatores admittendos. 436  
 Epist. CCXLIII. — Ad Romanos, quando recesserunt a domino papa Eugenio. — Romani; Arnaldo hæretico factionem inflammantem, antiquæ Reipublicæ ac libertatis formam restituere nitentur, sola sacrorum cura Pontifici relicta. Itaque vectigalia Pontificum sibi vindicant, jubentes Pontificem decimis, et oblationibus tantum more prisco contentum vivere. Hinc nata rebellio, et in Eugenium acrius concitata. Cujus occasione Bernardus asperè, sed juste increpat Romanos tam iniquos in Pontificem, cujus injuria in sanctos et omnes Catholicos redundet, non evasura Dei vindictam, nisi mox resipiscant. 437  
 Epist. CCXLIV. — Ad Conradum regem Romanorum. — Hortatur regem ad defensionem auctoritatis pontificiæ adversus rebelles Romanos. 440  
 Epist. CCXLV. — Ad dominum papam pro Aurelianensi episcopo. — Gaudet ob zelum pontificis in causa Aurelianensis episcopi, etc. 442  
 Epist. CCXLVI. — Ad eundem pro eodem, quando prædictus Aurelianensis depositus est. — Aurelianensem, sponte se episcopatu abdicantem, pontifici commendat, ut honori ejus cautum esse velit: id humilitatem ejus, et pontificis clementiam decere. 445  
 Epist. CCXLVII. — Ad eundem pro Remensis archiepiscopo. — Displicet ei præceps et severior in Samsonem archiepiscopum Remensem sententia, de Pallii usu sublato. 445  
 Epist. CCXLVIII. — Ad eundem. — Præmonet pontificem, ne Sagiensi, quantumvis supplicii, reditum in episcopatum molienti, faciles aures præbeat. 447  
 Epist. CCXLIX. — Ad eundem. — Priorem Casæ-Dei, electum in episcopum Valentinensem, uti dignum commendat. 449  
 Epist. CCL. — Ad Bernardum priorem Portarum. — Repulsam fratris Natalis in episcopum electi non debuisse tam moleste ferri a Religiosis. Id sua opera factum non esse. Veritum forte Papam, ne juvenilis ætatis vitia nunc demum calumniæ paterent. 449  
 Epist. CCLI. — Ad dominum Eugenium papam. — Balnenses monachos pro merito punitos in gratiam recipi cupit, et cum Æduensibus reconciliari. 451  
 Epist. CCLII. — Ad eundem, pro Eboracensi. — Sententiam, contra Eboracensem jam olim ab Innocentio latam, tandem executioni mandari postulat, ne mala ejus opera dissimulanti Pontifici imputentur. 452

Epist. CCLIII. — Ad abbatem de Præmonstrato. — Asperioribus Præmonstratensium litteris placide respondet, recensens sua in eos beneficia. Refellit quoque singula querelarum capita constantem se ipsis amicum fore professus. 453  
 Epist. CCLIV. — Ad abbatem Guarinum Alpensum. — Laudat in sene abbate studium reformandi Ordinis. Temporis brevitatem non obsistere studio perfectionis. In vita spirituali semper proficiendum, nunquam standum. 459  
 Epist. CCLV. — Ad Ludovicum regem Francorum. — Monet regem ne concilium hoc tempore Ecclesiæ et regno tam necessarium ipsiusque regis honori cessurum, impediatur. 462  
 Epist. CCLVI. — Ad dominum papam Eugenium. — Excitat Eugenium ad suppetias orientali Ecclesiæ ferendus; nec abjiciendum animum ob acceptam cladem in amissione civitatis Edessæ. Miratur vero se Carnoti in ducem belli electum. 463  
 Epist. CCLVII. — Ad eundem, pro fratre Philippo. 465  
 Epist. CCLVIII. — Ad eundem, pro fratre Rualeno. — Rualenum, jussu Pontificis abbatem Sancti Anastasi constitutum, sed invitum admodum ac renitentem, remitti ad se rogat. 466  
 Epist. CCLIX. — Ad eundem. — Unde supra. — Se eadem velle, et eadem nolle cum Pontifice; adeoque Rualenum suum libenter sistere jubenti Pontifici ad abbatiam Sancti Anastasi. 467  
 Epist. CCLX. — Ad Rualenum abbatem. — Compatitur Rualeno in demandata sibi præfectura, cui tandem acquiescendum monet. 467  
 Epist. CCLXI. — Ad dominum papam Eugenium. — Abbatem Sancti Urbani, ob susceptum militem Templi censuris subjectum, absolvi petit. 468  
 Epist. CCLXII. — Ad eundem pro monachis Mosomensibus. 468  
 Epist. CCLXIII. — Episcopo Suessionensi pro abbate Caziacensi. 469  
 Epist. CCLXIV. — Petri Cluniacensis abbatis ad Bernardum abbatem. Suum erga Bernardum desiderium indicat, et in solatium absentiæ dilectum sibi Nicolaum mitti obnixè postulat. 469  
 Epist. CCLXV. — Rescriptum Bernardi abbatis ad eundem. — Laudari detrectat, velut indignus: vicissim tamen laudes præconi suo rependit. 470  
 Epist. CCLXVI. — Ad Sugerium abbatem Sancti Dionysii. — Animat eum, ut mortem intrepidus excipiat. Desiderium suum ejus ante mortem visendi significat. 470  
 Epist. CCLXVII. — Abbati Cluniacensi. 472  
 Epist. CCLXVIII. — Ad dominum papam Eugenium. — Monet promotionem cujusdam indigni subreptitiæ factam, adeoque revocandam sententiam. 472  
 Epist. CCLXIX. — Ad eundem. — Litteris a se per dolum extortis robor et auctoritatem derogat. 473  
 Epist. CCLXX. — Ad eundem. — Scribit in causa Prioris Cartusiani contra transgressores quosdam. Mortem abbatis Cisterciensis nuntiat, et successorem commendat. 475  
 Epist. CCLXXI. — Ad comitem Campaniæ Theobaldum. — Monet filium ob minusculam ætatem ad dignitates ecclesiasticas non esse promovendum. 475  
 Epist. CCLXXII. — Episcopo Laudunensi. — Commonet eum piæ liberalitatis. 476  
 Eugenii papæ epistola ad Capitulum Cisterciense, Epistolæ CCLXXIII præmissa. — Capitulo Cistercii habendo se cupere interesse, si per occupationes pontificias liceret. Hortatur ad studium et zelum disciplinæ et perfectionis religiosæ in Capitulo promovendum. 476  
 Epist. CCLXXIII. — Ad dominum papam Eugenium. — Lætatur ob litteras, zelo et affectu plenas, a Pontifice ad capitulum scriptas. Hortatur, ut ea sollicitudine pergat fovere omnes, sed præcipue sui Ordinis Religiosos. Abbatem Trium Fontium a præfectura sua abstractum queritur. 478  
 Epist. CCLXXIV. — Ad Hugonem abbatem Trium Fontium, quando erat Romæ. — Pœnitet commendasse nepotem episcopi Autissiodorensis, improbens collatam illi præposituram. 480  
 Epist. CCLXXV. — Ad dominum papam Eugenium, pro Autissiodorensi electione. — De statu electionis Autissiodorensis, et fraude in ea commissa pontificem certiores facit. 480  
 Epist. CCLXXVI. — Ad eundem, post obitum episcopi Autissiodorensis. — De irreligioso episcopi Autissiodorensis testamento, non sine fraude Stephani diaconi facto, monet Pontificem; illudque scandali causa irritari debere. 481  
 Epist. CCLXXVII. — Ad eundem, pro abbate Cluniacensi. — Abbatem Cluniacensem benevole excipit, et

- honorifice tractari petit. 482  
**Epist. CCLXXVIII.** — Ad eundem, pro episcopo Belvacensi. 484  
**Epist. CCLXXIX.** — Ad Henricum comitem. — Comitem ob injuriam, a subditis ejus illatam, de restitutione in integrum compellat. 484  
**Epist. CCLXXX.** — Ad dominum papam Eugenium pro Autissiodorensi negotio. — Queritur sententiam apostolicam in causa electionis Autissiodorensis, a se jussu Pontificis denuntiatam, contemni. 485  
**Epist. CCLXXXI.** — Abbati Brunoni de Clara-Valle. — Brunonem perturbate et imprudenter scribentem redarguit. 487  
**Epist. CCLXXXII.** — Ad Ludovicum regem Francorum Juniores, pro electione Antissiodorensi. — Hortatur regem, ne electo Antissiodorensi episcopo obsistat. 488  
**Epist. CCLXXXIII.** — Ad dominum papam Eugenium, pro fratribus de Miratorio. — In compositione quadam litis frustra laboratum: ideoque auctoritate apostolica opus esse. 489  
**Epist. CCLXXXIV.** — Ad dominum papam Eugenium, pro Remensi archiepiscopo, et aliis personis. 490  
**Epist. CCLXXXV.** — Ad eundem, pro Odone abbate Sancti Dionysii. — Abbatem Sancti Dionysii commendat, et adversus suspectas aliorum criminationes, ex invidia et ambitione natas, tuetur. 491  
**Epist. CCLXXXVI.** — Ad eundem, pro eodem. 492  
**Epist. CCLXXXVII.** — Domino Ostiensi, pro eodem abbate. 492  
**Epist. CCLXXXVIII.** — Ad Andream avunculum suum, militem Templi. — Infelicem exitum sacræ expeditionis dolet; avunculi adventum optat. 493  
**Epist. CCLXXXIX.** — Ad reginam Jerosolymorum. — Instruit eam, quomodo se gerat, ut probæ viduæ coram Deo, et reginæ coram hominibus partes impleat. 494  
**Epist. CCXC.** — Domino Ostiensi, de Jordano cardinali. Legatum apostolicum describit, quam fæda ubique vestigia reliquerit. 496  
**Epist. CCXCI.** — Ad dominum papam Eugenium, pro ecclesia Sancti-Eugendi Jurensis. 496  
**Epist. CCXCII.** — Ad quemdam sæcularem. — Perstringit eum, quod Petrum, cognatum suum, a proposito vitæ religiosæ abstrahere conatus sit. 497  
**Epist. CCXCIII.** — Petro abbati de Cella, pro monacho Caziacensi, qui ad Claram-Vallem transierat. 498  
**Epist. CCXCIV.** — Ad dominum papam Eugenium, pro episcopo Cenomanensi. — Episcopum Cenomanensem, et alios Pontifici commendat. 499  
**Epist. CCXCV.** — Domino Henrico cardinali, pro eodem episcopo. 499  
**Epist. CCXCVI.** — Domino Ostiensi, pro eodem. 500  
**Epist. CCXCVII.** — Abbati Arremarensi. — Monachum apostatam poenitentem recipi petit. 500  
**Epist. CCXCVIII.** — Ad dominum papam Eugenium. — Nicolai notarii fraudes et imposturas detegit. 500  
**Epist. CCXCIX.** — Comiti Engolismensi, pro fratribus de Buxia. — Queritur de gravi exactione suis a comite imposta. 501  
**Epist. CCC.** — Blesensi comitissæ. — Solatur comitissam, filii delicta per ætatem excusans, et melioris frugis spem faciens; unde blande potius et leniter quam aspere tractandum monet. 502  
**Epist. CCCI.** — Sanciae sorori imperatoris Hispaniæ. — Controversiam, ex receptione cujusdam monasterii inter suos et alios quosdam Religiosos natam, ejus opera sopiri cupit. 503  
**Epist. CCCII.** — Legatis apostolicis, pro archiepiscopo Moguntino. — Causam archiepiscopi ab adversariis gravati commendat. 504  
**Epist. CCCIII.** — Ludovico Juniori regi Francorum. — Quid agendum regi causa cujusdam de Britannia adulteri et excommunicati. 505  
**Epist. CCCIV.** — Eidem. — Gaudet valetudinem suam regi esse curæ; Robertum regis germanum commendat. 506  
**Epist. CCCV.** — Ad dominum papam Eugenium. — Episcopum Belvacensem a Romano itinere justis ex causis detentum. Itaque causam ejus Pontificis consilio totam committit. 506  
**Epist. CCCVI.** — Domino Ostiensi pro electione abbatis Turolidi de Tribus-Fontibus. — Purgat se adversus columniam Hugonis episcopi Ostiensis, qui promotionem Turolidi in abbatem Trium-Fontium indigne ferebat: nam alium ipse, Nicolaum scilicet, designaverat. Roberti electionem in novi monasterii abbatem excusat. 507  
**Epist. CCCVII.** — Ad eundem. — Belvacensem episcopum contra sinistros rumores tuetur. Valetudinem suam extreme afflictam indicat: et quid archiepiscopo Lugdu-
- nensi acciderit 510  
**Epist. CCCVIII.** — Ad Alfonso Portugalliæ regem. — Petitione regis se adlaborasse respondet, et fratrem ejus brevi a terrena militia ad cœlestem transiturum prædicit. 512  
**Epist. CCCIX.** — Ad Eugenium Pontificem. — Laudat Sugerium abbatem, ejusque legatos Pontifici commendat. 513  
**Epist. CCCX.** — Ad Arnaldum Carnotensem abbatem Bonævallis. — Bernardus in extremis positus, hanc amico epistolam ultimam scripsit. 513  
Admonitio in epistolas sequentes. 515  
**Epist. CCCXI.** — Ad Haimericum cancellarium. — Æmulos quosdam piis aliorum conatibus adversantes acriter perstringit: Haimericum vero ad sedulam boni publici curam, oblata occasione, exstimulat. 515  
**Epist. CCCXII.** — Ad Raynaldum archiepiscopum Remensem. — De remissis ad se litteris gratias agit. 517  
**Epist. CCCXIII.** — Ad Gaufridum abbatem Sanctæ-Mariæ Eboracensis. — Religiosos, a laxiore ad strictiorem vivendi modum transire volentes, non impediendos; et apostatas censendos, qui post transitum resiliunt ad vitam priorem. 518  
**Epist. CCCXIV.** — Ad dominum papam Innocentium. — Bernardus post reconciliatos Ecclesiæ Mediolanenses jussu Innocentii ad pacificandas ipsas inter se Lombardiæ civitates profectus, Papiam et Cremonam se contulit. Sed apud Cremonenses nihil proficiens, eorum pertinaciam Pontifici significat, et ut severiorem, quam in archiepiscopum Mediolanensem parabat sententiam, paulisper suspendat, hortatur. 520  
**Epist. CCCXV.** — Ad Mathildem reginam Anglorum. — Rogat ut annuat petitioni alias insinuatæ pro monachis de Capella. 522  
**Epist. CCCXVI.** — Ad Henricum Senonensem archiepiscopum, et ad Haimericum cancellarium. — Hortatur ut nobili cuidam, bona ecclesiastica possidenti, sed nunc ea religiosis quibusdam cedere volenti, non adversentur. 522  
**Epist. CCCXVII.** — Ad Priorem suum Godefridum. — Schismate extincto, et pace composita, jam se quamprimum ad suos rediturum pollicetur. 523  
**Epist. CCCXVIII.** — Ad papam Innocentium. — Remensis Ecclesiæ pericula insinuat, et majorem opem a Pontifice desiderat. 525  
**Epist. CCCXIX.** — Ad Turstinum Eboraci archiepiscopum. — Hortatur curam pastoralem ne dimittat: si tamen justa causa, aut Pontificis consensus adsit, locum petat religiosæ disciplinæ magis observantem. 524  
**Epist. CCCXX.** — Alexandro Priori de Fontibus, et ejusdem loci fratribus. — Hortatur ad electionem novi abbatis unanimiter faciendam. 525  
**Epist. CCCXXI.** — Ad Henricum de Murdach, primum abbatem de Valle-Clara, postea de Fontibus, tandem archiepiscopum Eboracensem. — Jubet, ne electionem sui in abbatem de Fontibus refutet. 526  
**Epist. CCCXXII.** — Ad Hugonem novitium, postea Bonævallis abbatem. — Laudat vitæ religiosæ propositum, præmunitque eum adversus tentationes, et ad constantiam ac perseverantiam excitat. 527  
**Epist. CCCXXIII.** — Ad Innocentium papam. — Pro archiepiscopo Treverensi contra abbatem Sancti-Maximini. 528  
**Epist. CCCXXIV.** — Ad Robertum abbatem de Dunis. — Absentiæ mutuæ solamen suggerit, nempe animorum conjunctionem, imo et corporum, quandoque futuram. 530  
**Epist. CCCXXV.** — Ad eundem, de Iderio novitio. — Quid de novitio dyscolo faciendum rogatus consulit. 530  
**Epist. CCCXXVI.** — Guillelmi abbatis, ad Gaufridum Carnotensem episcopum, et Bernardum abbatem Claræ-Vallensem. — Ut Dei et Ecclesiæ causam adversus Petri Abælardi errores, quorum aliquot capitula producit, tueantur. 531  
**Epist. CCCXXVII.** — Rescriptum Bernardi ad Guillelmum abbatem. — Libellum contra Petrum Abælardum conscriptum laudat, mutuumque colloquium post Pascha promittit. 535  
**Epist. CCCXXVIII.** — Ad Romanum pontificem. — Contra electum Rutenensem. 533  
**Epist. CCCXXIX.** — Ad episcopum Lemovicensem. — Contra eundem electum Rutenensem. 534  
**Epist. CCCXXX.** — Ad Innocentium papam. — Contra Petrum Abælardum. 535  
**Epist. CCCXXXI.** — Ad Stephanum cardinalem et episcopum Prænestinum. — Ejusdem argumenti. 536  
**Epist. CCCXXXII.** — Ad G. cardinalem. — Item contra Petrum Abælardum. 537  
**Epist. CCCXXXIII.** — Ad G. cardinalem. — Ejusdem

- item argumenti. 538  
**Epist. CCCXXXIV.** — Ad Guidonem Pisanum. — Contra eundem Abælardum. 538  
**Epist. CCCXXXV.** — Ad quemdam presbyterum cardinalem. — Item contra Petrum Abælardum. 539  
**Epist. CCCXXXVI.** — Ad quemdam abbatem. — Ejusdem argumenti. 539  
**Epist. CCCXXXVII.** — Ad Innocentium pontificem, in persona Franciæ episcoporum. — Episcopi Galliæ exponunt Pontifici, quid actum sit in causa Petri Abælardi, Bernardum ad disceptationem in synodo provocantis, sed objectos sibi hæresum articulos respondere nolentis, et ad Sedem apostolicam appellantis. 540  
**Epist. CCCXXXVIII.** — Ad Haimericum cardinalem et cancellarium. — Petro Abælardo hæreseos convicto, non debere apud cardinales et curiam Romanam patere refugium. 542  
**Epist. CCCXXXIX.** — Ad papam Innocentium. — Alvisi Atrebatensis episcopi innocentiam adversus calumniatores ejus asserit. 544  
**Epist. CCCXL.** — Ad eundem Innocentium papam. — Pro episcopo Andegavensi. 544  
**Epist. CCCXLI.** — Ad Malachiam Hiberniæ archiepiscopum. — Fratres, litteras, et bâculum, ab eo missa grato animo suscipit. Locum Religiosis idoneum præparari jubet: seque ejus orationibus commendat. 545  
**Epist. CCCXLII.** — Ad Joslenum episcopum Suessionensem. — Archiepiscopum Burdegalensem apud regem purgari postulat. 546  
**Epist. CCCXLIII.** — Bernardi abbatis Itali ad Innocentium. — Conqueritur quod in monasterio Salvatoris omnia secundum pontificis promissa non contigerint. 547  
**Epist. CCCXLIV.** — Ejusdem Bernardi ad sanctum Bernardum. — Præfecturam sibi impositam conqueritur. 548  
**Epist. CCCXLV.** — Ad fratres de Sancto-Anastasio. — Commendat eorum in religiosa disciplina zelum et observantiam Atiamen nimium valetudinis per medicinas tuendæ studium improbat. 549  
**Epist. CCCXLVI.** — Ad dominum papam Innocentium. — Hortatur Pontificem, ne causæ archiepiscopi Eboracensis, utpote iniquæ, faveat. 551  
**Epist. CCCXLVII.** — Ad eundem dominum Innocentium papam. — Commendat nuntios, causâ archiepiscopatus Eboracensis Romam petentes. 552  
**Epist. CCCXLVIII.** — Ad eundem Innocentium. — Pro Arnulfo Lexoviensi episcopo electo. 552  
**Epist. CCCXLIX.** — Ad eundem. — Amicum pontifici commendat. 553  
**Epist. CCCL.** — Ad eundem. — Propinquum suum benedictione pontificis muniri rogat. 554  
**Epist. CCCLI.** — Ad eundem Innocentium. — Pauperes quosdam commendat. 554  
**Epist. CCCLII.** — Innocentii II papæ Privilegium sancto Bernardo concessum. — Innocentius Bernardo atque ordini Cisterciensi amplissima privilegia concedit ob præclara ejus in sedem apostolicam merita. 554  
**Epist. CCCLIII.** — Ad Willelmum abbatem de Rievalle. — Monet æquanimitè ferre illegitimam archiepiscopi Eboracensis ordinationem. 556  
**Epist. CCCLIV.** — Ad reginam Jerosolymorum Milisendem, filiam Balduini regis, et Fulconis uxorem. — Mortuo Fulcone viro suo, ut se gerere debeat. 556  
**Epist. CCCLV.** — Ad eandem reginam Jerosolymorum. — Præmonstratenses Jerosolymam peregrinantes commendat. 557  
**Epist. CCCLVI.** — Ad Malachiam Hiberniæ archiepiscopum. — Remittit religiosos, sed (quod negotiis imputat) non satis adhuc exultos et instructos. 558  
**Epist. CCCLVII.** — Ad eundem. — Perseverantem, imo et proficientem ab eo dilectionem requirit, eamque in fratribus a se missis, curandis et fovendis ostendi cupit. 558  
**Epist. CCCLVIII.** — Ad dominum papam, nempe Cælestinum. — Opem et auctoritatem Pontificis in pace Theobaldo Campaniæ comiti procuranda postulat. 560  
**Epist. CCCLIX.** — Claræ-Vallensium ad eundem Cælestinum. — Abbatem Morimundi Jerosolymam peregrinaturum cupiunt retinere. 560  
**Epist. CCCLX.** — Ad Willelmum abbatem de Rievalle. — Denuo hortatur Willelmum ad patientiam et æquanimitatem. 561  
**Epist. CCCLXI.** — Ad Theobaldum archiepiscopum, pro Joanne Salesberiensis. — Confusus de amicitia Theobaldi, Joannem ei commendat. 562  
**Epist. CCCLXII.** — Ad Robertum Pullum cardinalem et cancellarium. — Hortatur ut Eugenio, recens electo Pontifici, strenuum pro officio suo se adiutorem præbeat in negotiis Ecclesiæ. 563  
**Epist. CCCLXIII.** — Ad Orientalis Franciæ clerum et populum. — Ad arma contra infideles pro defensione Orientalis Ecclesiæ suscipienda hortatur. Præterea contra turbulentum quemdam prædicatorem docet Judæos non esse persequendos, nedum occidendos. 564  
**Epist. CCCLXIV.** — Ad Petrum abbatem Cluniacensem. — Invitat Petrum ad conventum Carnotensem, ubi de auxilio Orientali Ecclesiæ ferendo consultandum. 568  
**Epist. CCCLXV.** — Ad Henricum Moguntinum archiepiscopum. — Radulfum monachum, qui fideles in Judæorum necem armabat, arguit. 570  
**Epist. CCCLXVI.** — Ad Hildegardem abbatissam. — Laudibus suis modeste rejectis, ut ipsa Dei gratiam in se agnoscat, monet, et orationes pro se suisque, postulat. 572  
**Epist. CCCLXVII.** — G. Cancellario. — Episcopum Mentensem commendat. 572  
**Epist. CCCLXVIII.** — Ad G. diaconum cardinalem. — Affectum ejus, litteris et donis expressum, gratus amplectitur, et ab amore terrenorum opumque avocat. 573  
**Epist. CCCLXIX.** — Ad Sugerium abbatem. — Gratulatur Sugerio de reformatione ecclesiæ S. Genovefæ feliciter institutæ, et ut bene cœptis insistat, hortatur. 574  
**Epist. CCCLXX.** — Ad eundem. — Ecclesiam de Monte ei commendat. 575  
**Epist. CCCLXXI.** — Ad eundem. — Dissuadet matrimonium inter filium comitis Andegavensis et filiam regis Francorum, ob impedimentum consanguinitatis. 575  
**Epist. CCCLXXII.** — Ad P. episcopum Palentinum in Hispania. — Laudat eum ab humilitate, sed maxime a studio lectionis. 576  
**Epist. CCCLXXIII.** — Abbatis Sp. ad S. Bernardum. — De præfectura sibi imposita luget. 578  
**Epist. CCCLXXIV.** — Ad fratres de Hibernia, in transitu beati Malachiæ episcopi. — Sanctorum obitum gaudio potius quam luctu prosequendum. Singularem quoque Dei beneficio, Claram-Vallem tanti viri morte et sepultura honoratum. 578  
**Epist. CCCLXXV.** — Ad Idam comitissam Nivernensem. — Monachos Vizeliaceuses a comitissæ clientibus infestari queritur. 580  
**Epist. CCCLXXVI.** — Ad Sugerium abbatem. — Hortatur et rogat, ut duellis quorundam principum se opponat. 581  
**Epist. CCCLXXVII.** — Ad eundem. — Prædicat ejus zelum et studium boni communis, quod indixerit comitia regni pro ejus salute, hortaturque ad causam rei publicæ fortiter agendam. 581  
**Epist. CCCLXXVIII.** — Ad eundem. — Petit subsidium annonæ pro Religiosis Bituricensibus. 583  
**Epist. CCCLXXIX.** — Ad eundem. — Abbati cuidam inopi subveniri rogat. 583  
**Epist. CCCLXXX.** — Ad eundem. — De periculoso statu Ecclesiæ Orientalis. 583  
**Epist. CCCLXXXI.** — Ad eundem. — Monet se de ipso recte sentientem, dolere tamen quod mala regni palam ipsi imputentur. Hortatur ut caveat, ne eorum, per quos ista fiunt, consortio infametur. 584  
**Epist. CCCLXXXII.** — Ad Leonium abbatem Sancti-Bertini. — Ejus in se suosque beneficia gratus agnoscit. Thomam de sancto Audomaro ad Claræ-Vallenses transire volentem non prohibendum. 585  
**Epist. CCCLXXXIII.** — Ad eundem abbatem Sancti-Bertini. — Rogat ut officia humanitatis, hactenus fratribus suis exhibita, continuet. 586  
**Epist. CCCLXXXIV.** — Ad monachum ecclesiæ Sancti-Bertini. — Gratias agit beneficentiæ hactenus suis præstitæ largam a Deo retributionem promittens. 587  
**Epist. CCCLXXXV.** — Ad eosdem. — Eis de meliori observantia gratulatur, eosdemque ad studium religiosæ perfectionis et assidui profectus excitat. 587  
**Epist. CCCLXXXVI.** — Joannis Casæ-Marii ad Bernardum abbatem. — Solatur Bernardum de infelici expeditionis in Terram Sanctam successu. 590  
**Epist. CCCLXXXVII.** — Ad Petrum abbatem Cluniacensem. — Prævia sinceri in Petrum affectus et amoris protestatione, si quid acerbius litteris quibusdam scripserit, excusari rogat. 591  
**Epist. CCCLXXXVIII.** — Petri Venerabilis ad Bernardum abbatem Claræ-Vallensem. — Titulos et elogia respuit, et quanti Bernardum ejusque amicitiam faciat, luculenter ostendit. Ejusdem quoque satisfactionem de injuria litterarum libens admittit. 592  
**Epist. CCCLXXXIX.** — Ad Petrum abbatem Cluniacensem. — Perjucundas sibi fuisse Petri litteras, sed occupationum mole præpedito non licuisse prolixius respondere. 595

Epist. CCCXC. — Ad Eschilum Lundensem archiepiscopum, sedis apostolicæ in Dacia et Suecia legatum. — Amorem ejus gratus et humilis agnoscit, suumque vicissim ostendit. 596

Epist. CCCXCI. — Ad Abbatissam Faberniacensem. — Monet de reficiendis non tantum domibus, sed et moribus, et de diligenti hospitalis cura. 597

Epist. CCCXCII. — Ad Radulfum patriarcham Antiochenam. — Humilitatem præcipue ei inculcat. 599

Epist. CCCXCIII. — Ad W. patriarcham Jerosolymorum. — Ad humilitatem eum hortatur. 600

Epist. CCCXCIV. — Ad archiepiscopum Lugdunensem. — Pro abbate Athanacensi apud Lugdunum. 602

Epist. CCCXCV. — Ad Alvisum Atrebatensem episcopum. — Non satis æquam ejus petitionem esse, ut Thomas de Sancto-Audomaro, qui se Claræ-Vallensibus devoverat, dimittatur Bertinensibus, qui eum sibi ex voto parentum vindicare volebant. 604

Epist. CCCXCVI. — Ad Ricuinum episcopum Tullensem. — Excusat se apud eum, quod ejus professum Wilhelmu ignorans susceperat. 605

Epist. CCCXCVII. — Ad Odonem abbatem Majoris-Monasterii prope Turones. — Monachos, de quibusdam relictibus cum clericis contententes, arbitrorum sententiæ acquiescere debere. 606

Epist. CCCXCVIII. — Ad Guidonem abbatem et fratres Arremarenses. — Rogatus ab Arremarensibus, ut Officium de sancto Victore ipsorum patrono componat, tenuitatem suam et operis difficultatem præterdit, exponens qualia esse oportet quæ publice adhibentur divino cultui: cantus quoque ecclesiastici leges describit. 609

Epist. CCCXCIX. — Ad Lelbertum abbatem Sancti-Michaelis. — Monachum quemdam a perverso peregrinationis proposito dehortatus, remittit ad suum monasterium. 612

Epist. CD. — Ad abbatem Lætiensem. — Fratrem Robertum recipi, et benignius tractari, ac statutum abbatis sibi renuntiari cupit. 613

Epist. CDI. — Ad abbatem Balduinum de Castellione. — Timorem ei eximit, ex imprudenti cujusdam verbo natum. 613

Epist. CDII. — Ad Balduinum Noviomensem episcopum. — Puerum ei facete commendat. 614

Epist. CDIII. — Ad Henricum archidiaconum. — An valeat Baptismus hac verborum forma collatus: « Baptizo te in nomine Dei, et sanctæ et veræ crucis. » 614

Epist. CDIV. — Ad Albertum inclusum. — Consulit ei semel in die refici, et mulierculas prorsus non admittere. 615

Epist. CDV. — Ad G. abbatem. — Fratri cuidam ad vivendum more communitatis sat virium esse. 616

Epist. CDVI. — Ad abbatem Sancti-Nicolai. 616

Epist. CDVII. — Ad Odonem abbatem Belli-Loci. — Monet depositum pauperi sine dilatione reddendum. 616

Epist. CDVIII. — Ad W. Abbatem Trecensem. — Clericum delicatum sæculo valedicentem abbati Trecensi commendat, veritus rigori Claræ-Vallensium imparem fore. 617

Epist. CDIX. — Ad Rorgonem de Abbatis-Villa. — Monet corpoream præsentiam non magni pendendam: rogat terram quamdam incultam religiosis attribui. 618

Epist. CDX. — Ad Gilduinum abbatem Sancti-Victoris. — P. Lombardum commendat. 618

Epist. CDXI. — Ad Thomam Beverlacensem præpositum. — Suavissima sane et melliflua epistola que Thomam invitat ad vitam religiosam, peccatis etiam quibuscunque non obstantibus. Bonæ conscientie nihil præferri posse in hoc mundo. 619

Epist. CDXII. — Ad T. adolescentem qui vitam monasticam voverat. 620

Epist. CDXIII. — Ad Rainaldum abbatem. — Novitium in proposito confirmatum benigne recipi postulat. 621

Epist. CDXIV. — Ad Alardum monachum. — Unde supra. Perstringit eum, quod prædicto novitio expulso, ac jam reditum atque emendationem molienti, pertinacius obsistat. 622

Epist. CDXV. — Ad quemdam pacti sui prævaricatore. — Hortatur ut, excusso voluptatis carnalis iugo, promissum religionis votum exsequatur. 623

Epist. CDXVI. — Ad incognitum. — Eleemosynas comitis Theobaldi a se non fuisse distributas asserit. 623

Epist. CDXVII. — Ad abbatem de Trunco-Berengarii. — Fratrem Dodonem ab eo humane recipi postulat. 624

Epist. CDXVIII. — Ad Hugonem archiepiscopum Rotomagensem. — Donationem Saviniaco factam confirmari ab episcopo rogat. 625

Epist. CDXIX. — Ad Petrum abbatem Cellensem. — Furnum Cellensibus dimittit. 626

Epist. CDXX. — Ad Nicolaum Cameracensem episcopum. (Fragmentum.) 626

MONITUM in sequentes triginta sex epistolas. 626

Epist. CDXXI. — Ad mar. et uxorem ejus. — Hortatur eos ad eleemosynam et pia opera. 629

Epist. CDXXII. — Ad quemdam abbatem. — Excusat se de epistolæ brevitate, remittitque illi quemdam adolescentem, quem admittere cum suis minime poterat. 629

Epist. CDXXIII. — Ad quemdam episcopum. — Commendat ei causam monasterii Sancti-Martini. 630

Epist. CDXXIV. — Ad quemdam amicum. — Excusat se quod cum eo ad ligatum ire non queat. 630

Epist. CDXXV. — Ad quemdam judicem. — Commendat ei causam abbatie Fontaneti. 631

Epist. CDXXVI. — Ad quemdam amicum. — Commendat ei latorem præsentium. 631

Epist. CDXXVII. — Ad episcopum Trecensem. — Improbat quod archidiaconatum puerulo dederit. 631

Epist. CDXXVIII. — Ad quemdam abbatem. — Laudat eum et hortatur ad emendationem sui monasterii et præcipue hospitalis. 632

Epist. CDXXIX. — Ad quemdam amicum. — Gratias agit Deo de rebus prospere gestis. 632

Epist. CDXXX. — Ad quemdam amicum. — Quod beneficia ecclesiastica non de laicali manu, sed de episcopo accipienda sunt. 632

Epist. CDXXXI. — Ad Innocentium II papam. — Delegatus a summo pontifice iudex ad dirimendam litem inter duos contententes de archiepiscopatu Turonensi, declarat Philippi electionem esse nullam. 633

Epist. CDXXXII. — Ad dominum papam. — In gratiam episcopi Trecensis. 633

Epist. CDXXXIII. — Ad eundem. — In gratiam episcopi Trecensis. 633

Epist. CDXXXIV. — Ad eundem. — Ejusdem argumenti. 633

Epist. CDXXXV. — Ad eundem. — Commendat ei litterarum latorem. 636

Epist. CDXXXVI. — Ad eundem. — Commendat ei quemdam amicum. 636

Epist. CDXXXVII. — Ad eundem. — In gratiam Trecensis episcopi. 636

Epist. CDXXXVIII. — Ad eundem. — In gratiam Trecensis episcopi. 636

Epist. CDXXXIX. — Ad eundem. — In gratiam Trecensis episcopi. 636

Epist. CDXL. — Ad anonymum. — Hortatur ut animæ curam præferens corporis sollicitudini, sæculo renuntiet. 637

Epist. CDXLI. — Ad Priorem quemdam. — Mittit ei adolescentem qui in Ordine recipi postulabat. 638

Epist. CDXLII. — Ad quemdam Ordinis S. Benedicti abbatem. — Mittit ei duos adolescentes ad ordinem Cisterciensem viribus impares, sed sibi non forte inutiles. 638

Epist. CDXLIII. — Ad quemdam amicum. — De quodam adolescente, cujus pravos mores narrat, qui nobilium matrimonium ambiebat. 638

Epist. CDXLIV. — Ad quemdam abbatem. — De quodam monacho qui ad alium Ordinem transire volebat, quod fieri improbat. 639

Epist. CDXLV. — Ad quemdam abbatem. — Commendat ei L. fugitivum revertentem, quem benigne suscipi rogat. 639

Epist. CDXLVI. — Ad anonymum. — Scribit se ex morbo gravi convalescere, et mortis januas evasisse. 639

Epist. CDXLVII. — Ad Amedeum Altæ-Cumbæ abbatem. — Rogat ut nuntios mittat Montem-Pessulanum, quo ascendere debebant regis Siciliae naves, ut apud regem eum excusent, quod fratres in Siciliam non miserat. 640

Epist. CDXLVIII. — Ad anonymum. — Commendat ei abbatem Farfensem sanctæ Ecclesiæ Romanæ cardinalem. 640

Epist. CDXLIX. — Ad regem Francorum. — Excusat se a suscipienda dignitate ad quam electus erat. 641

Epist. CDE. — Ad amicum. — Scribit se tandem convalescere et a mortis faucibus ereptum. 642

Epist. CDLI. — Ad fratres \*\*\*. — Hortatur ad eleemosynas famis tempore faciendas. 642

Epist. CDLII. — Ad quemdam abbatem. — Hortatur ut benigne fugitivum recipiat, nec prælati dignitatem abiciat. 643

Epist. CDLIII. — Ad anonymum. — Laudat ejus prudentiam et humilitatem. 644

Epist. CDLIV. — Ad anonymum. — Stephano, si perseveraverit, promittit dignos pœnitentiæ fructus. 644

Epist. CDLV. — Ad materteram imperatoris Hispaniarum. — Fratrum ei suffragia concedit, oratque ut contro-



- versia, quæ inter suos et fratres de Careda erat, per episcopos terminetur. 644  
 Præfatio in epistolam sequentem. 645  
 Epist. CDLVI. — Ad Raymundum dominum Castri Ambrusii. 647  
 Epist. CDLVII. — Ad universos fideles. — De expeditione in terram sanctam. Festum SS. Petri et Pauli quo apud Magdeburgum conveniant, designat. 651  
 Epist. CDLVIII. — Ad Wladislaum ducem, Magnates et populum Bohemiæ. — Omnes ad expeditionem Hierosolymitanam invitat, idemque negotium episcopo Moraviensi commendat. 652  
 Epist. CDLIX. — Ad G. de Stopho. 652  
 Monitum in sequentem epistolam. 653  
 Epist. CDLX. — Ad N. 653

## APPENDIX AD EPISTOLAS S. BERNARDI.

## I. EPISTOLÆ DUBIÆ VEL SPURIE.

- Epist. CDLXI. — Ad Mattheum Albanensem episcopum. — Super Evangelio Lucæ, cap. xvi, 1-9: « Homo quidam erat dives qui habebat villicum. » 661  
 Epist. CDLXII. — Ad quosdam noviter conversos. — Hortatur ad constantiam propositi vitæ religiosæ et ne anteactæ vitæ peccatis se deterri sinant. 662  
 Epist. CDLXIII. — Ad Alfonso regem Portugalliæ. — Rex, obtenta de Saracenis victoria, reus voti de condendo Cisterciensibus monasterio tenebatur. Itaque postulatos e Clara-Valle monachos Bernardus mittit in Lusitaniam. 668  
 Epist. CDLXIV. — Ad Joannem Ciritan. — Cognito divinitus ejus zelo ac desiderio, mittit e Clara-Valle monachos ad fundandum in Lusitania monasterium. 669  
 Epist. CDLXV. — Ad abbatem Sancti-Benedicti. 670  
 Epist. CDLXVI. — Ad Ludovicum regem. 671

## II. NICOLAI CLARA-VALLENSIS IN PERSONA S. BERNARDI.

- Epist. CDLXVII. — Nicolai Clara-Vallensis ad comitem et Barones Britannicæ, in persona domini Clara-Vallensis, pro negotio crucis. 671  
 Epist. CDLXVIII. — Ejusdem ad Manuelem Comnenum Constantinopolitanum imperatorem, in persona domini Clara-Vallensis. — Ut filium comitis Theobaldi faciat novum militem. 671  
 Epist. CDLXIX. — Ejusdem ad Lucanum episcopum, in persona domini Clara-Vallensis. — Incitativa ad fortitudinem. 673

## III. DIVERSORUM AD S. BERNARDUM ET ALIOS.

- Epist. CDLXX. — Alfonsi regis ad S. Bernardum. 675  
 Epist. CDLXXI. — Sugerii abbatis S. Dionysii ad S. Bernardum. — Gratias agit de consolatione sibi in extremis agenti data, seque ipsius commendat orationibus. 675  
 Epist. CDLXXII. — Evervini Steinfeldensis præpositi ad S. Bernardum. — De hæreticis sui temporis. 676  
 Epist. CDLXXIII. — Henrici Remensis ad Bernardum. 680  
 Epist. CDLXXIV. — Joannis Aletani episcopi ad Bernardum. 680  
 Epist. CDLXXV. — M. Cracoviensis episcopi ad S. Bernardum. — Illum invitat ad conversionem Rutenorum. 681  
 Epist. CDLXXVI. — Thomæ quondam abbatis Maurigniacensis ad S. Bernardum. 682  
 Epist. CDLXXVII. — Matronæ cujusdam ad S. Bernardum. 685  
 Epist. — CDLXXVIII. — B. ad S. Bernardum. — De indiscipinato monacho agit. 686  
 Epist. CDLXXIX. — Hugonis Metelli ad S. Bernardum. — In qua ejus laudes fuse prosequitur. 687  
 Epist. CDLXXX. — Ejusdem Hugonis Metelli ad S. Bernardum. — Se suosque ab accusatione purgare conatur. 688  
 Epist. CDLXXXI. — Ejusdem Hugonis, in persona abbatis sui ad Guillelmum abbatem. — Excusat, quod ad Herberti sui calumnias aliquanto durius respondeat. 690  
 Epist. CDLXXXII. — Haimonis archidiaconi Catalaunensis ad Bernardum. 691  
 Epist. CDLXXXIII. — Ejusdem ad eundem. 691  
 Epist. CDLXXXIV. — G. ad S. Bernardum. — Ad excusandum Ambianensem episcopum ab expeditione transmarina. 692  
 Epist. — CDLXXXV. — Samsonis archiepiscopi Remensis ad sanctum Bernardum. — De conditione monasterii Morensis, diocesis Lingonensis. 693  
 Epist. CDLXXXVI. — Herici episcopi Trecensis ad S. Bernardum de Bulencuræ abbacia. 693  
 Epist. CDLXXXVII. — Gaufridi episcopi Carnotensis

- ad Stephanum episcopum Parisiensem. — De pace inter ipsum et Stephanum de Garlanda. 694  
 Epist. CDLXXXVIII. — Hugonis episcopi ad capitulum Cisterciense. — De morte Eugenii III papæ. 694  
 Epist. CDLXXXIX. — Bartholomæi, ex episcopo monachi, ad Samsonem archiepiscopum Remensem. — Redit rationem suæ administrationis. 696  
 Epist. CDXC. — Turstini archiepiscopi Eboracensis ad Willclmum Cantuariensem pontificem. 697  
 Epist. CDXCI. — Fastredi abbatis Clara-Vallensis tertii ad quemdam Ordinis sui abbatem. 704  
 Epist. — CDXCII. — Petri de Roya novitii Clara-Vallensis ad C. præpositum Noviomensem. — Transactæ vitæ errores enumerat, et Clara-Vallis optimam laudat institutionem. 706  
 Epist. CDXCIII. — Capituli generalis nigrorum monachorum ad Adriam IV. — De amovendo abbate Latinianensi. 713  
 Epist. CDXCIV. — Eorundem ad Alexandrum III. 714  
 Epist. CDXCV. — Ad abbatem Reatinensis monasterii. 716

## S. BERNARDI CHARTÆ.

- I. — Pro abbacia de Trunco-Berengarii. 715  
 II. — Pro Luxoviensi et Sancti-Apri monasteriis. 717  
 III. — Compositio facta inter Hugonem episcopum et Willclmum comitem Autissiodorensis. 717  
 IV. — Pro monasterio S. Victoris Parisiensis. 720  
 V. — Pro monasterio Sancti-Amantii. 720

## OPERUM S. BERNARDI TOMUS SECUNDUS. — TRACTATUS MORALES, DOCTRINALES ET ASCETICI.

- Præfatio in tomum II. 721  
 Monitum J. Merlonis Horstii ad lectores. 725  
 DE CONSIDERATIONE LIBRI QUINQUE ad Eugenium tertium.  
 Prologus. 727  
 LIBER PRIMUS. 727  
 CAP. I. — Pontifici, tam variis occupationibus presso, condolet. 727  
 CAP. II. — Vis consuetudinis ad inducendos pravos mores, et duritiam cordis. 729  
 CAP. III. — Indignum proceribus Ecclesiæ continue causis litigantium audiendis et decidendis incumbere. 731  
 CAP. IV. — Quæ servitus digna, quæ indigna servo servorum Dei. 732  
 CAP. V. — Non gerendam aliorum curam cum sui ipsius incuria et neglectu. 734  
 CAP. VI. — Non tam episcopis, quam principibus judicariam potestatem competere. 735  
 CAP. VII. — Pietati et rerum æternarum considerationi in primis vacandum esse. 736  
 CAP. VIII. — Ex pietate et contemplatione pulcherrimam quatuor primarum virtutum harmoniam et connexionem oriri. 737  
 CAP. IX. — Recentia Pontificum exempla paulatim corrigenda, vetera imitanda. 739  
 CAP. X. — Abusus advocatorum, judicum, procuratorum, eorumque fraudes graviter perstringit. 739  
 CAP. XI. — In advocatos et procuratores, qui ex iniquitate quæstum faciunt, severe animadvertendum. 741  
 LIBER SECUNDUS. 741  
 CAP. I. — Apologiam instituit, ob infelicem successum expeditionis in Terram Sanctam susceptæ. 741  
 CAP. II. — Considerationis a contemplatione distinctio. 745  
 CAP. III. — Considerationis quatuor puncta designat. 745  
 CAP. IV. — Notitiam sui ipsius triplici consideratione sui complectitur; et primum quidem considerationis membrum hic exsequitur. 746.  
 CAP. V. — Alterum membrum considerationis sui proponit: nempe, quis sit, et unde. 746  
 CAP. VI. — Quale debeat esse procerum Ecclesiæ studium. 747  
 CAP. VII. — Resumens priorem quæstionem, quis sit, diligentius expendit. 750  
 CAP. VIII. — De pontificiæ dignitatis et potestatis excellentia disserit. 751  
 CAP. IX. — Propriæ naturæ considerationem commendat. 752  
 CAP. X. — Tertium membrum considerationis sui, nempe qualis sit, exponit. 753  
 CAP. XI. — Serium examen sui Pontifici serio commendat. 754  
 CAP. XII. — Neque in prosperis animum nimis laxandum, neque in adversis deficientium. 755

CAP. XIII. — Ab otio et nugis vanisque sermonibus Pontificem dehortatur.	756
CAP. XIV. — Personarum acceptionem in judiciis summopere vitandam.	757
LIBER TERTIUS.	757
CAP. I. — Pontificis esse, non tam ut omnes suo dominio subijciat, sed ut omnes, quantum fieri potest, ad Ecclesiæ gremium perducatur.	757
CAP. II. — Quis modus in appellationibus ad sedem apostolicam adhibendus sit.	761
CAP. III. — Præsules Ecclesiæ non tam ut præsint, ac semetipsos pascant, quam ut aliis prosint, constitutos esse.	764
CAP. IV. — Gradus ordinum et dignitatum, quæ in Ecclesiæ sunt, non temere confundendos ac perturbandos. Hinc abusum quærendi privilegia ac exemptiones perstringit.	766
CAP. V. Summo Pontifici incumbere curam de apostolicis decretis, et majorum institutis per totum orbem servandis.	769
LIBER QUARTUS.	769
CAP. I. Tractat de iis quæ circa ipsum sunt.	771
CAP. II. — De cleri et populi Romani moribus agit, et de veterum pastorum cura ac vigilantia.	772
CAP. III. — De vestium pompa resecanda, et zelo Pontifici necessario.	775
CAP. IV. — Quales collaterales et coadjutores a Pontifice adhibendi : ubi de virtutibus prælatorum.	778
CAP. V. — Exemplis commendatur abstinentia munerum; et arrogantia ministrorum Papæ perstringitur.	782
CAP. VI. — Pontifici non convenire, utpote gravioribus intento, rei domesticæ curam; proindeque alteri potius œconomio committendam.	784
LIBER QUINTUS.	787
CAP. I. — De his qui supra nos sunt, id est de Deo rebusque divinis, considerationem instituit, ad quas modo per creaturas erigimur.	787
CAP. II. — Assignat varios considerationis gradus.	789
CAP. III. — Ea quæ supra nos sunt, Deum scilicet et angelos, investigari opinione, fide et intellectu.	790
CAP. IV. — Angeli quomodo considerandi.	791
CAP. V. — Grætiæ ac dotes angelorum a Deo in ipsos derivari.	794
CAP. VI. — Principii et essentiæ rationem proprie soli Deo convenire.	795
CAP. VII. — Deum et simplicem et trinum esse.	797
CAP. VIII. — Personarum pluralitatem in Deo consurgere ex proprietatibus; essentiam tamen unam et simplicem esse.	799
CAP. IX. — Uti in Deo simplex natura est in tribus personis, sic contra in Christo plures naturas in unam personam coalescere.	800
CAP. X. — Parabola, quæ est apud Matthæum de tribus satis, Christi personæ accommodatur.	801
CAP. XI. — Continuatio considerationis de Deo.	802
CAP. XII. — Deum et bonorum operum pium remuneratorem, et scelerum æquissimum vindicem esse.	802
CAP. XIII. — De longitudine, latitudine, profunditate et sublimitate Dei profunde et eleganter discurret.	804
CAP. XIV. — Modum, quo prædicta secundum Apostolum comprehendere possimus, ostendit.	805
Admonitio in opusculum sequens.	807
TRACTATUS DE MORIBUS ET OFFICIO EPISCOPORUM.	
Prologus.	809
CAP. I. — Arduum at periculosum esse munus episcopi; ideoque ei bonis consiliariis opus.	809
CAP. II. — Honorem et decus dignitatis ecclesiasticæ non consistere in externo splendore, sed in morum et virtutum decore.	813
CAP. III. — Præsulum potissima et dignissima ornamenta, castitas, charitas, humilitas.	816
CAP. IV. — Cura sinceræ fidei, et charitatis non fictæ, præsuli maxime necessaria.	818
CAP. V. — De virtute humilitatis omnibus quidem, sed prælatis in primis necessaria.	820
CAP. VI. — Laus et vera gloria in conscientia cujusque reponenda; attamen non sine formidine, quia Deus est scrutator et Judex cordium.	822
CAP. VII. — Ambitionem ecclesiasticorum, promotionem juniorum, et pluralitatem beneficiorum perstringit.	825
CAP. VIII. — Humilitatem et modestiam episcopo commendat.	828
CAP. IX. — Abbates exemptionibus præpostere studentes arguuntur.	830
Admonitio in opusculum sequens.	835
SERMO DE CONVERSIONE AD CLERICOS.	
CAP. I. — Quod nemo converti ad Dominum, nisi Dei	

voluntate præventus et ejus voce interius clamante, possit.	833
CAP. II. — Quod ipsa vox Domini omnibus se offerat, et animam sibi ipsi nolentem repræsentet.	835
CAP. III. — Quod per vocem Dei, animæ ratio, quasi in libro, omnia mala deprehendere, reprehendere, dijudicare et discernere valeat.	836
CAP. IV. — Quod diligens iniquitatem, odit animam, et carnem suam : et de pœnitentia infructuosa post mortem.	837
CAP. V. — Quod vermis conscientiæ in præsentem sentiri et suffocari debet, non in immortalitatem foveri ac nutriri.	838
CAP. VI. — Difficultatem conversionis et luctam resistere parantis, graphice repræsentat.	839
CAP. VII. — Respiratio consolationis pauperibus spiritui seu animæ miseriam agnoscenti.	841
CAP. VIII. — Carnales voluptates, et divitias esse omnino vanas, fallaces, et momentaneas.	841
CAP. IX. — Quod impossibile sit peccantem latere.	844
CAP. X. — Non solum declinando a malo, sed et faciendo bonum salutem obtineri.	845
CAP. XI. — Converti molientes acrius a solitis vitiis tentari, ipsis vero lucrum esse necessarium.	846
CAP. XII. — Quomodo voluntas suaviter inducenda ad amandum et desiderandum cœlestia.	847
CAP. XIII. — Conversos mira suavitate ac deliciis vitæ piæ ac spiritualis refici.	847
CAP. XIV. — In terrenis non esse ullam satietatem nisi fastidio conjunctam : at cœlestium desideria experiendo semper crescere.	848
CAP. XV. — Purganda memoria a peccatorum sordibus fiducia divinæ misericordiæ.	849
CAP. XVI. — Misericordiam divinam obtineri, miserendo sibi ipsi primum; deinde proximo.	850
CAP. XVII. — Oculos cordis continuo mundandos, ut Deus videri possit.	850
CAP. XVIII. — Pacificos merito beatificari nomine filiorum Dei.	851
CAP. XIX. — Graviter perstringit ambitiosos, qui temere et indigne sacras Ecclesiæ functiones usurpant.	852
CAP. XX. — Arguit incontinentes, qui sacros Ordines impudenter temerare non verentur.	855
CAP. XXI. — Serio cohortatur ad pœnitentiam.	855
CAP. XXII. — Bonorum pastorum est docere; nec fugere persecutiones propter justitiam.	855
Admonitio in opusculum sequens.	857

## LIBER DE PRÆCEPTO ET DISPENSATIONE.

Epistola ad abbatem Columbensem, de opere sequenti.	859
Præfatio ad monachos Carnotenses in tractatum sequentem.	861
CAP. I. — An monasticæ Regulæ instituta præcepta sint, an consilia duntaxat.	861
CAP. II. — In constitutionibus majorum quando et a quibus dispensandum.	862
CAP. III. — Dispensationem in lege divina soli Deo reservatam esse. At quæ sunt legis æternæ, omnino etiam Deo esse immutabilia.	864
CAP. IV. — Quid prælatis circa dispensationem Regulæ liceat.	865
CAP. V. — Legem obedientiæ non esse extendendam a prælatis ultra limites professionis, neque citra contrahendam.	867
CAP. VI. — Religiosum perfectionis cupidum non debere obedientiam intra certos professionis limites constringere.	868
CAP. VII. — Obedientiæ gradus, et inobedienciæ gravitas quomodo noscenda, juxta distinctiones præmissas.	868
CAP. VIII. — Gravius peccari legum contemptu quam neglectu.	870
CAP. IX. — Prælato tanquam Deo obediendum esse.	871
CAP. X. — Obedientiam non esse gravem et molestam, nisi imperfectis, invitis et carnalibus; cæteris suavem et facilem.	874
CAP. XI. — Præcepta esse imparia, ideoque transgressionem.	875
CAP. XII. — In Regula æque ac in lege divina disparitatem esse inobedienciæ.	877
CAP. XIII. — Refellit monachos, difficultatem, vel etiam impossibilitatem obedientiæ religiosæ nimium exaggerantes.	878
CAP. XIV. — Cur conscientia errans non æque convertat malum in bonum, uti bonum in malum.	880

CAP. XV. — An quantum obedientia varet ad meritum, tantum inobedientia valeat ad demeritum.	884
CAP. XVI. — Transitus et mutatio monasterii quatenus probanda.	885
CAP. XVII. — Ad dubia quædam ex Patribus proposita respondet.	888
CAP. XVIII. — Morte abbatis non licere professis mutare locum.	890
CAP. XIX. — Ad alia quædam dubia respondet.	891
CAP. XX. — Binas Pauli sententias in speciem pugnantibus conciliat	892
Admonitio in opusculum sequens.	893
APOLOGIA S. BERNARDI ABBATIS AD GUILLELMUM THEODERICI ABBATEM.	
Præfatiuncula.	893
CAP. I. — Profitetur se suosque ab obtreptione religiosi Ordinis prorsus alienos.	898
CAP. II. — Purgat se S. Bernardus, et Ordinem Cluniacensium commendat.	900
CAP. III. — Varietatem religiosorum Ordinum non debere præjudicare vinculo charitatis.	901
CAP. IV. — Se cæteros omnes Ordines charitate, unum professione tenere.	903
CAP. V. — Religiosos aliorum Ordinum æmulos et obtreptatores acri stylo aggreditur.	904
CAP. VI. — Arguit temere judicantes, et calumniantes modum vivendi Cluniacensium.	905
CAP. VII. — Spiritualis exercitatio fructuosior corporali.	907
CAP. VIII. — Cluniacensium vitia, virtutum nomine palliata, perstringit.	908
CAP. IX. — Eorundem intemperantiam comparat cum antiquorum monachorum parcimonia.	909
CAP. X. — Vestium ornatum luxumque in eisdem persequitur	912
CAP. XI. — De causa cur superiores subditorum vitia non corrigant. Luxum et splendidum prælatorum apparatus perstringit.	913
CAP. XII. — Luxum et abusum in templis et oratoriis extruendis, ornandis, pingendis, arguit.	914
CAP. XIII. — Modos et media mutuæ charitatis et pacis fovendæ summam colligit, denique transfugas instabilitatis notat.	916
Admonitio in opusculum sequens.	917
LIBER AD MILITES TEMPLI, de Laude novæ militiæ.	
Prologus.	921
CAP. I. — De Laude novæ militiæ.	921
CAP. II. — De militia sæculari.	923
CAP. III. — De Militibus Christi.	924
CAP. IV. — De conversatione Militum Christi.	925
CAP. V. — De Templo.	927
CAP. VI. — De Bethleem.	929
CAP. VII. — De Nazareth.	930
CAP. VIII. — De monte Oliveti et valle Josaphat.	931
CAP. IX. — De Jordane.	931
CAP. X. — De loco Calvariæ	932
CAP. XI. — De Sepulcro.	932
CAP. XII. — De Bethphage.	938
CAP. XIII. — De Bethania.	939
Admonitio in opusculum sequens.	940
TRACTATUS DE GRADIBUS HUMILITATIS ET SUPERBIE.	
Præfatio.	941
CAP. I. — Christum esse viam humilitatis, qua pervenitur ad veritatem.	941
CAP. II. — Quo fructu ascenduntur gradus humilitatis.	943
CAP. III. — Quo ordine gradus humilitatis ad propositum bravium veritatis perducant, et quomodo Christus per passionem didicit misericordiam.	944
CAP. IV. — Primus veritatis gradus est, primum seipsum attendere, seu propriam miseriam agnoscere.	948
CAP. V. — Secundus gradus veritatis est, ex agnitione propriæ infirmitatis, compati miseriam proximi.	950
CAP. VI. — Tertius gradus veritatis, mundare oculum cordis ac contemplanda coelestia et divina.	951
CAP. VII. — Quomodo sancta Trinitas hoc tres veritatis gradus in nobis operatur.	952
CAP. VIII. — Gradus iidem in raptu sancti Pauli declarantur.	954
CAP. IX. — Gemitus et suspiria sancti Bernardi, ad Veritatem anhelantis.	955
ALTERA PARS TRACTATUS. De duodecim gradibus superbiæ.	
CAP. X. — De primo superbiæ gradu, qui est curiositas.	957
CAP. XI. — De secundo gradu superbiæ, qui est levitas animi	965

CAP. XII. — De tertio gradu superbiæ, qui est inepta lætitia.	965
CAP. XIII. — De quarto gradu superbiæ, qui est jactantia.	964
CAP. XIV. — De quinto gradu superbiæ, qui dicitur singularitas.	965
CAP. XV. — De sexto gradu superbiæ, id est arrogantia.	965
CAP. XVI. — De septimo gradu superbiæ, qui est præsumptio.	966
CAP. XVII. — De octavo gradu superbiæ, qui est defensio peccatorum.	966
CAP. XVIII. — De nono gradu superbiæ qui est simulata confessio.	966
CAP. XIX. — De decimo gradu superbiæ, qui est rebellio.	968
CAP. XX. — De undecimo gradu superbiæ, qui est libertas peccandi.	968
CAP. XXI. — De duodecimo gradu superbiæ, qui est consuetudo peccandi.	969
CAP. XXII. — An et quomodo orandum pro desperatis, et mortuis secundum animam.	969
Admonitio in opusculum sequens.	971
LIBER DE DILIGENDO DEO.	
Præfatio.	973
CAP. I. — Quare et quomodo diligendus sit Deus.	974
CAP. II. — Deus quantum opere ab homine mereatur amari, ob bona tuum corporis tum animæ. Quomodo ea agnoscenda et habenda citra donantis injuriam.	975
CAP. III. — Christiani quantos habeant stimulos amandi Deum præ infidelibus.	978
CAP. IV. — Quinam ex Dei recordatione consolationem cupiant: quive magis ad ejus amorem idonei.	980
CAP. V. — Christiano quantum incumbat debitum amoris.	982
CAP. VI. — Brevis anacephalæosis et summa prædictorum.	983
CAP. VII. — Non sine fructu et præmio diligere Deum; et terrenis non satiari humani cordis appetitum.	984
CAP. VIII. — De primo gradu amoris, quo diligit homo se propter se.	987
CAP. IX. — De secundo et tertio gradu amoris	989
CAP. X. — De quarto gradu amoris cum nec seipsum diligit homo nisi propter Deum.	990
CAP. XI. — Hæc amoris perfectio non competit etiam solutis animabus beatorum, ante resurrectionem.	993
CAP. XII. — De charitate ex epistola ad Cartusianos scripta.	993
CAP. XIII. — De lege propriæ voluntatis et cupiditatis, servorum et mercenariorum.	996
CAP. XIV. — De lege charitatis filiorum.	997
CAP. XV. — De quatuor gradibus amoris, et felici statu patriæ coelestis.	998
Admonitio in opusculum sequens.	999
TRACTATUS DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO.	
Præfatio.	1001
CAP. I. — Ad boni operis meritum, una cum gratia Dei, concurrere liberi arbitrii consensum.	1001
CAP. II. — Quid liberum arbitrium, seu in quo consistat libertas.	1003
CAP. III. — Triplicem esse libertatem, Naturæ, Gratiæ, Gloriæ.	1004
CAP. IV. — Qualis libertas competat animabus sanctis carne solutis: quæve Deo, et omni creaturæ rationali communis.	1006
CAP. V. — An libertas a miseria, seu complaciti, detur in hoc sæculo.	1008
CAP. VI. — Ad volendum bonum gratiam omnino esse necessariam.	1010
CAP. VII. — Utrum primi homines in paradiso trina illa libertate præditi fuerint, et post peccatum.	1013
CAP. VIII. — Libertatem arbitrii remanere post peccatum.	1014
CAP. IX. — Imaginem et similitudinem Dei ad quam conditi sumus, in triplici libertate consistere.	1016
CAP. X. — Similitudinem divinæ imaginis in nobis reformari per Christum.	1018
CAP. XI. — Libero arbitrio nihil derogari per gratiam, neque per tentationem.	1020
CAP. XII. — An negans fidem metu mortis et poenarum, excusetur a culpa, vel destituatur libero arbitrio. Ubi negatio Petri discutitur.	1021
CAP. XIII. — Merita hominis mera esse Dei munera.	1024
CAP. XIV. — Quid gratiæ, quid libero arbitrio in negotio salutis attribuendum.	1025
Admonitio in opusculo sequens.	1029

## TRACTATUS DE BAPTISMO ALIISQUE QUÆSTIONIBUS.

Præfatio.	1031
CAP. I. — Non obligasse Baptismum, ex quo dictum fuit Nicodemo, « Nisi quis renatus, » etc.	1031
CAP. II. — Baptismi obligationem cœpisse primum post sufficientem ejus promulgationem. In necessitatis tamen articulo sufficere Baptismum fide et voto susceptum, sicut et martyrium.	1034
CAP. III. — Justos Veteris Testamenti non tam claram habuisse notitiam futurorum mysteriorum fidei, quam nos habemus præteritorum.	1038
CAP. IV. — Ostendit dari peccatum per ignorantiam, contra assertorem contrariæ opinionis.	1041
CAP. V. — Sententiam quamdam suam male acceptam a calumnia vindicat, nempe, quod Angelos latuerit consilium Incarnationis Dominicæ.	1042
Admonitio in opusculum sequens.	1045

## CAPITULA HÆRESUM PETRI ABÆLARDI.

CAP. I. — Horrenda similitudo de sigillo æreo, de specie et genere ad Trinitatem.	1049
CAP. II. — Quod Spiritus sanctus non sit de substantia Patris.	1049
CAP. III. — Quod ea Deus solummodo possit facere, vel dimittere, vel eo modo tantum, vel eo tempore quo facit, non alio.	1049
CAP. IV. — Quod Christus non assumpsit carnem, ut nos a jugo diaboli liberaret.	1050
CAP. V. — Quod neque Deus et homo, neque homo persona, quæ Christus est, sit tertia persona in Trinitate.	1051
CAP. VI. — Quod Deus non plus faciat ei qui salvatur antequam cohæreat gratiæ, quam ei qui non salvatur.	1051
CAP. VII. — Quod Deus non debeat mala impedire.	1052
CAP. VIII. — Quod non contraximus ex Adam culpam, sed pœnam.	1052
CAP. IX. — Quod corpus Domini non cadit in terram.	1052
CAP. X. — Quod propter opera nec melior nec pejor efficiatur homo.	1052
CAP. XI. — Quod non peccaverunt qui Christum crucifixerunt ignoranter; et quod non sit culpæ ascribendum quidquid sit per ignorantiam.	1053
CAP. XII. — De potestate ligandi et solvendi.	1053
CAP. XIII. — De suggestionem, delectationem, et consensu.	1054
CAP. XIV. — Quod ad Patrem proprie vel specialiter pertinet omnipotentia.	1054

## TRACTATUS DE ERRORIBUS ABÆLARDI.

Præfatio.	1053
CAP. I. — Impia Abælardi de sancta Trinitate dogmata recenset, et explodit.	1055
CAP. II. — In Trinitate non esse admittendam ullam disparitatem, sed omnimodam æqualitatem.	1057
CAP. III. — Absurdum dogma Abælardi, nomina absoluta et essentia alia uni personæ proprie et specialiter attribuentis, oppugnat.	1058
CAP. IV. — Refellit definitionem fidei, qua dicit Abælardus fidem, esse æstimationem.	1061
CAP. V. — Arguit Abælardum, sua sensa aut somnia unanimi Patrum sententiæ præferentem, præsertim ubi dicit Christum non ideo incarnatum, ut hominem liberaret de potestate Satanæ.	1062
CAP. VI. — In opere liberationis humanæ non solum misericordiam, sed et justitiam relucere.	1065
CAP. VII. — Abælardum perstringit, impie ac temere Dei secreta scrutantem et extenuantem.	1067
CAP. VIII. — Quare Christus tam gravem ac laboriosum nos liberandi modum susceperit, cum sola ejus voluntas seu jussio sufficeret.	1068
CAP. IX. — Christum venisse in mundum, non solius instructionis nostræ, sed et liberationis causa.	1071

## VITA SANCTI MALACHIE.

Præfatio Ad Conganum abbatem.	1073
-------------------------------	------

CAP. I. — Pueritia et adolescentia S. Malachiæ.	1073
CAP. II. — Religiosæ vitæ tirocinium.	1077
CAP. III. — Ordinibus initiatus episcopi vices gerit.	1078
CAP. IV. — Malcho episcopo plenius instituendus adheret.	1079
CAP. V. — Sorori defunctæ sacrificii oblatione succurrit.	1081
CAP. VI. — Monasterium Benchorense desolatum instaurat.	1082
CAP. VII. — Dyssenteria laborantem curat.	1083
CAP. VIII. — Episcopatum Conneretensem, licet invitus, suscipit.	1084
CAP. IX. — Monasterium Ibracense construit.	1085
CAP. X. — Fit archiepiscopus seu primas Hiberniæ.	1086
CAP. XI. — Insidias evadit incolomis, auctoribus male perditis.	1088
CAP. XII. — Hostes seu æmulos, in ipsum armatos, virtute animi et constanti in Deum fide lenit, et sibi conciliat.	1089
CAP. XIII. — Deus Malachiæ detractores punit.	1091
CAP. XIV. — Sedem metropolitanam paci redditam resignat.	1092
CAP. XV. — Romam proficisci deliberat, pallium a Pontifice petiturus.	1092
CAP. XVI. — Romam tendens, et inde rediens, Claram-Vallem visitat.	1094
CAP. XVII. — Diversa beneficia sanitatum per eum collata.	1095
CAP. XVIII. — Reversus in patriam, totus curæ pastorali et reformationi incumbit.	1096
CAP. XIX. — Virtutum ejus insignia, et mores vero præsule digni.	1097
CAP. XX. — Energumenos vexatos a dæmoniis liberat.	1099
CAP. XXI. — Beneficia moribundis et parturientibus præstita.	1100
CAP. XXII. — Concubinario obstinato exitium denuntiat.	1100
CAP. XXIII. — Varia sanitatum beneficia variis præstita.	1101
CAP. XXIV. — Femina sine sacramento Extremæ Unctionis defunctam resuscitat.	1103
CAP. XXV. — Alia diversa beneficia in diversos collata.	1104
CAP. XXVI. — Veritatem corporis Christi in Eucharistia propugnat.	1105
CAP. XXVII. — Pacem et concordiam inter dissidentes mirabiliter conciliat.	1106
CAP. XXVIII. — Sacrum ædificium moliens; adversarium patitur, sed mox ultione divina correptum.	1108
CAP. XXIX. — Claret prophetiæ spiritu, et omni miraculorum gratia.	1111
CAP. XXX. — Locum et diem mortis suæ prædicat, et causa pallii denuo iter ad papam Eugenium suscipit.	1112
CAP. XXXI. — Rursus Claram-Vallem venit, moriturus loco et tempore quo desideraverat.	1114

## HYMNUS DE S. MALACHIA.

Admonitio in opusculum sequens	1118
Prologus super Antiphonarium Cisterciensis ordinis.	1121

## TRACTATUS DE CANTU.

## APPENDIX AD TRACTATUS MORALES ET DOCTRINALES.

Monitum in opusculum sequens.	1131
S. BERNARDUS SUPER HYMNUM: <i>Jesu nostra redemptio.</i>	1133
Monitum in opuscula duo sequentia.	1133
LIBER DE PASSIONE CHRISTI ET DOLORIBUS MATRIS EJUS.	1134
TRACTATUS AD LAUDEM GLORIOSÆ V. MARIE	1141
Monitum in opusculum sequens.	1147
TRACTATUS DE CORPORE DOMINI.	1149
TRACTATUS CANTANDI GRADUALE.	1151
TONALE S. BERNARDI.	1153

## INDEX ALPHABETICUS

## EPISTOLARUM S. BERNARDI.

## A

- (209) Abbati Sancti-Albini Andegavensis, epistola 204  
 Abbati Sancti-Benedicti, 421.  
 Abbati canonicorum regularium Sancti-Petri de Monte,  
 76.  
 Abbati cuidam, forte Bernardo Italo, 336.  
 Abbati Eboracensi, 94, 313.  
 Abbati Sancti-Nicasii Remensis, 32.  
 Abbati Trunco-Fontium, 274.  
 Abbati de Trunco-Berengarii, 417.  
 Abbati cuidam Ordinis Sancti-Benedicti, 445.  
 Abbatibus Cistercii congregatis, 145.  
 Abbatibus Suessione congregatis, 91.  
 Abbatibus quibusdam, 102, 421, 427, 442, 444, 452.  
 Abbatissæ Faberniacensi, 391.  
 Adamo monacho Morimundi, 5, 7.  
 Adelaidi ducissæ Lotharingæ, 119, 120.  
 Aildicurtis canonicis regularibus, 3.  
 Alardo monacho Cisterciensi, 414.  
 Alberico cardinali episc. Ostiensi, 219, 230-232.  
 Alberoni primicerio Metensi, 30.  
 Alberto incluso, 404.  
 Alexandro episcopo Lincolnensi, 64.  
 Alexandro Priori de Fontibus, 320.  
 Alfonso regi Portugaliæ, 308, 457.  
 Alpensibus monachis, 142.  
 Alviso abbati Aquiscincti, 65.  
 Alviso episcopo Atrebatensi, 395.  
 Amedeo Altæ-Cumbæ abbati, 447.  
 Amicis quibusdam, 424, 426, 429, 430, 443, 450.  
 Anastasii (Sancti-) monachis, 345.  
 Andree avunculo suo, militi Templi, 288.  
 Angelberto comiti Engolismensi, 299.  
 Anonymis quibusdam, 440, 446, 448, 453, 454.  
 Aquitanie episcopis, 126.  
 Ardutioni Gebennensi electo, 27.  
 Ardutioni jam episcopo, 28.  
 Arnaldo abbati Bonæ-Vallis, 310.  
 Arnaldo abbati Morimundi, 4.  
 Artaldo abbati Prulliacensi, 75.  
 Ascelino seu Anselmo episcopo Roffensi, 205.  
 Attoni episcopo Trecensi, 25.  
 Attoni et clero Trecensi, 205.

## B

- Balduino abbati de Castellione, 40.  
 Balduino jam episcopo Noviomensi, 402.  
 Balduino abbati Reatino, 201.  
 Beatrici nobili et religiosæ matronæ, 118.  
 Benedicti (Sancti-) abbati, 465.  
 Bernardo legato apostolico, 302.  
 Bernardo Priori Portarum, 250.  
 Bernardo de Portis Cartusiensi, 153, 154.  
 Bertini (Sancti-) monachis, 384, 385.  
 Blesensi comitissæ, 500.  
 Brunoni abbati de Clara-Valle, 281.  
 Brunoni Coloniensi, 6.  
 Brunoni Coloniensi electo, 8.  
 Brunoni jam archiepiscopo Coloniensi, 9, 10.  
 Burchardo abbati Balernensi, 146.  
 Burgundiæ ducissæ, 121.

(209) Notæ numerales epistolam designant

## C

- Capitulo Cisterciensi, 145.  
 Capitulo nigrorum monachorum, 91.  
 Celestino II papæ, 235, 358, 359.  
 Canonicis regularibus de Aildicurte, 3.  
 Cardinali presbytero, 355.  
 Cardinalibus Romanæ curiæ, 168, 188, 230-232, 236,  
 237.  
 Claræ-Vallensibus monachis, 143, 144.  
 Cisterciensi capitulo, 145, et ante 273.  
 Clero Mediolanensi, 132.  
 Clero et populo Franciæ orientalis, 363.  
 Conrado duci Zeringensi, 97.  
 Conrado regi Romanorum, 183, 244.  
 Constantiensi episcopo, 195.  
 Conversis quibusdam, 462.

## D

- Drogoni monacho Sancti-Nicasii Remensis, 34.  
 Duci et ducissæ Lotharingæ, 119.  
 Ducissæ Burgundiæ, 121.  
 Ducissæ Lotharingæ, 119, 120.

## E

- Ebalo episcopo Catalaunensi, 58.  
 Eboracensi archiepiscopo, 95.  
 Eliæ cardinali, 296.  
 Eliæ monachi parentibus, 411.  
 Engolismensi comiti, 299.  
 Episcopis Aquitanie, 126.  
 Episcopis et cardinalibus Romanæ curiæ, 168, 188.  
 Episcopis Senonas convocandis, 187.  
 Episcopo cuidam, 100.  
 Episcopo cuidam, 422.  
 Episcopo Trecensi, 427.  
 Ermengardi quondam comit. Britannie, 116, 117.  
 Eskilo archiepiscopo Lundensi, 390.  
 Eugenio III papæ, 238-240, 245-249, 251, 252, 256-259,  
 261, 262, 268-270, 275, 275-278, 280, 283-286, 291, 294,  
 298, 305, 309.  
 Eustachio occupatori Valentiniæ sedis, 185.

## F

- Faberniacensi abbatissæ, 391.  
 Falconi decano Ecclesiæ Lugdunensis, 165.  
 Falconi electo archiepiscopo, 173.  
 Flaviacensibus monachis, 67, 68.  
 Franciæ orientalis clero et populo, 363.  
 Francorum regi, 448.  
 Fratibus, 450.  
 Fulconi adolescenti, 2.

## G

- G. abbati, 405.  
 G. cardinali, 332, 333.  
 G. cardinali diacono, 368.  
 Galtero episcopo Laudunensi, 272.  
 Gaufrido abbati Sanctæ-Mariæ Eboracensis, 94, 313.  
 Gaufrido abbati Sancti-Medardi, 66.  
 Gaufrido episcopo Carnotensi, 55, 56, 57.  
 Gaufrido Lexoviensi, 112.

Gaufrido de Perrona, 109.  
 Gaufrido de Perrona et sociis ejus, 109.  
 Gaufridi parentibus, 111.  
 Gerardo abbati Pultariensi, 81.  
 Gerardo cancellario sanctæ Romanæ Ecclesiæ, 219.  
 Gilduino abbati Sancti-Victoris Parisiensis, 410.  
 Gilleberto Universali episcopo Londoniensi, 24.  
 Godefrido Priori Claræ-Vallensi, 317.  
 Gregorio Tarquinio cardinali, 333.  
 Gualtero de Calvo-Monte, 104.  
 Guarino abbati Alpensi, 254.  
 Guidoni abbati Arremarensi, 297, 398.  
 Guidoni abbati Molismensi, 80.  
 Guidoni abbati Trium-Fontium, 69, 70.  
 Guidoni cardinali et cancellario, 367.  
 Guidoni cardinali Pisano, 334.  
 Guidoni de Castello, 192.  
 Guidoni episcopo Lausannensi, 26.  
 Guidoni legato sanctæ Romanæ Ecclesiæ, 196.  
 Guidoni thesaurio Ecclesiæ Lugdunensis, 163.  
 Guigoni Priori, et cæteris Cartusie majoris Religiosis, 11, 12.  
 Guilenco episcopo Lingonensi, 59, 60.  
 Guillelmo abbati Sancti-Theodorici, 85, 86, 327.  
 Guillelmo comiti Pictavorum et duci Aquitanie, 127, 128.

## H

Haimérico cancellario sanctæ Romanæ Ecclesiæ, 13, 20, 48, 51-54, 157, 160, 162, 181, 511, 316, 358.  
 Helie cardinali, 295.  
 Helie monachi parentibus, 111.  
 Henrico archidiacono, 403.  
 Henrico archiepiscopo Moguntino, 363.  
 Henrico archiepiscopo Senouensi, 42, 43, 182, 316.  
 Henrico cardinali, 295.  
 Henrico de Murdach, abbati de Valle-Clara, 106, 321.  
 Henrico comiti Campanie, 279.  
 Henrico episcopo Virdunensi, 62, 63.  
 Henrico episcopo Wintonensi, 93.  
 Henrico regi Anglorum, 92, 138.  
 Herberto abbati Sancti-Stephani Divionensis, 234.  
 Hibernie fratribus, 374.  
 Hildeberto archiepiscopo Turonensi, 123, 124.  
 Hildefonso comiti Sancti-Egidii, 241.  
 Hildegardi abbatissæ, 366.  
 Hildegario abbati Flaviacensi, 67, 68.  
 Honorio II papæ, 15, 14, 46, 47, 49, 50.  
 Hugoni abbati Pontiniacensi, 33.  
 Hugoni abbati Præmonstratensi, 253.  
 Hugoni abbati Trium-Fontium, 274.  
 Hugoni archiepiscopo Rothomagensi, 25, 418.  
 Hugoni cardinali episcopo Ostiensi, 287, 290, 296, 306, 307.  
 Hugoni comiti Campanie, Templi militi facto, 31.  
 Hugoni Farsito, 35, 36.  
 Hugoni novitio, postea Bonæ-Vallis abbati, 322.  
 Hugoni de Sancto-Victore, 77.  
 Hugoni episcopo Rothomagensi, 418.  
 Humbaldo archiepiscopo Lugdunensi, 22.  
 Humberto abbati Igniacensi, 141.

## I

Idæ comitissæ Nivernensi, 375.  
 Igmáro seu Ymaro carninali episcopo Tusculano, 219, 230-232.  
 Ignotis quibusdam, 98, 416.  
 Imperatrici Romanorum, 137.  
 Innocentio II papæ, 136, 150, 152, 155, 156, 158, 159, 161, 164, 166, 167, 169, 171, 172, 176-180, 184, 189, 190, 191, 198, 199, 210-218, 314, 318, 323, 350, 357, 339, 340, 345, 346-351, 432.  
 Ivoni seu Yvoni cardinali, 193.

## J

Januensibus civibus, 129.  
 Jerosolymorum patriarchæ, 173, 193.  
 Jerosolymorum reginæ, 206, 289, 334, 353.  
 Joanni abbati de Buzaio, 235.  
 Joanni Cirite abbati, 464.  
 Joanni Cremensi cardinali presbytero, 163.  
 Joannis (Sancti-) Carnotensis abbati, 82.  
 Joranno abbati Sancti-Nicasii Remensis, 32.  
 Josleno episcopo Suessionensi, 222, 223, 225, 227, 263, 342.  
 Judici cuidam, 423.

PATROL. CLXXXII.

## L

Lætiensi abbati, 400.  
 Laudunensi episcopo, 272.  
 Legatis apostolicis, 302.  
 Leiberto abbati Sancti-Michaelis, 350.  
 Lemovicensi episcopo, 329.  
 Leonio abbati Sancti-Bertini, 582, 383.  
 Lotharingie duci et ducissæ, 119.  
 Lotharingie ducissæ, 120.  
 Lothario imperatori, 139, 140.  
 Lucæ abbati Cuissiacensi, 79.  
 Ludovico Grosso regi Francorum, 45, 255.  
 Ludovico Juniori regi Francorum 170, 220, 221, 226, 227, 303, 304.  
 Ludovico regi Francorum, 466.  
 Lugdunensi archiepiscopo, 394.  
 Lugdunensibus canonicis, 174.

## M

Malachie archiepiscopo Hibernie, 341, 356, 357.  
 Mar. et uxori ejus, 421.  
 Mariæ (Sanctæ-) Trecensis sanctimoniali cuidam, 113.  
 Materteræ imperatoris Hispaniarum, 455.  
 Mathildi comitissæ Blesenci, 300.  
 Mathildi ducissæ Burgundie, 121.  
 Mathildi reginæ Anglorum, 315.  
 Matthæo legato, 21.  
 Mattheo Albanensi episcopo, 461.  
 Mediolanensibus civibus, 131, 135.  
 Mediolanensi clero, 132.  
 Mediolanensibus novitiis, 134.  
 Milisendi Jerosolym. reginæ, 206, 289, 334, 353.  
 Monacho cuidam, 99.  
 Monachis de Sancto-Anastasio, 345.  
 Monachis Trium-Fontium, 71.

## N

Nicasii (Sancti-) Remensis abbati, 32.  
 Nicolai (Sancti-) de Saltu abbati, 83, 84, 406.  
 Novitiis Mediolanensibus, 134.  
 Novitiis quibusdam, 462.

## O

Odoni abbati Belli-Loci, 407.  
 Odoni abbati Majoris-Monasterii, 397.  
 Ogerio canonico regulari, 87, 88, 89, 90.  
 Ostiensi episcopo, 287, 290, 296, 306, 307.

## P

Papæ in gratiam Trecensis episcopi, 432-439.  
 Patriarchæ Jerosolymitano, 175, 393.  
 Petro abbati Cellensi, 293, 419.  
 Petro abbati Cluniacensi, 147-149, 228, 263, 267, 364, 387, 389.  
 Petri (Sancti-) de Monte abbati, 76.  
 Petro decano Bisuntino, 197.  
 Petro diacono cardinali, 17, 18, 19.  
 Petro episcopo Palentino, 372.  
 Petro episcopo Papiensi, 135.  
 Petro presbytero cardinali, 16.  
 Philippo Turonensis Ecclesiæ invasori, 131.  
 Pisanis civibus, 130.  
 Præmonstratensi abbati, 253.  
 Prævaricatori cuidam pacti sui, 415.  
 Priori cuidam Vallis, 441.

## R

Radulfo patriarchæ Antiocheno, 392.  
 Rainaldo abbati Fusniacensi, 72-74, 413.  
 Rainaldo archiepiscopo Remensi, 312.  
 Regi Francorum, 449.  
 Reginæ Jerosolymorum, 206, 289, 334, 353.  
 Religiosis quibusdam, 101.  
 Richardo abbati Fontanensi in Anglia, 96.  
 Richeræ imperatrici Romanorum, 137.  
 Ricuino episcopo Tullensi, 61, 396.  
 Roberto abbati de Dunis, 324, 325.  
 Roberto nepoti suo, 1.  
 Roberto Pullo cardinali cancellario, 362.  
 Rossensi episcopo, 205.  
 Rogerio regi Sicilia, 207, 208, 209.  
 Romanæ curiæ cardinalibus et episc., 236, 237.  
 Romanæ curiæ tribus episc., 219, 230, 231, 232.  
 Romano pontifici, 328.  
 Romano subdiac. sanctæ Romanæ Ecclesiæ, 103.

Romanis, sive senatui populoque Romano, 215.  
Rorgoni de Abbatis-Villa, 409.  
Rualeno abbati Sancti-Anastasio, 260.

## S

Sæculari cuidam, 292.  
Sanctæ sorori imperatoris Hispaniæ, 301.  
Sanctimoniali cuidam, 114.  
Sanctimoniali de monasterio Sanctæ-Mariæ Trecensis, 113.  
Senonensi clero, 202.  
Simoni abbati S. Nicolai de Saltu, 83, 84, 406  
Simoni duci Lotharingiæ, 119.  
Simoni filio Castellani Cameracensis, 186.  
Sophiæ virgini, 113.  
Spirensi populo, 363.  
Stephano abbati Sancti-Joannis Carnotensis, 82.  
Stephano cardinali episcopo Prænestino, 219, 224, 250-252, 331.  
Stephano episcopo Metensi, 29.  
Sugerio abbati, 78, 222, 266, 369-371, 376-381.

## T

T. adolescenti, qui vitam monasticam voverat, 412.  
Theobaldo archiepiscopo Cantuariensi, 361.  
Theobaldo comiti Campaniæ, 37-41, 271.  
Thomæ de Sancto-Audomaro, 108.  
Thomæ præposito de Beveria, 107, 411.  
Tolosanis civibus, 242.  
Trecensi clero, 203.  
Trecensi episcopo, 427.  
Trium-Fontium monachis, 71.  
Trunci-Berengarii abbati, 417.  
Turstino archiepiscopo Eboracensi, 93, 319.

## U

Ulgerio episcopo Andegavensi 200.

## V

Vallis cuidam Priori, 441.  
Wilenco episcopo Lingonensi, 59, 60.  
Willelmo abbati de Rievalle, 553, 560.  
Willelmo abbati Trecensi, 408.  
Willelmo comiti Antissiodorensi, 464.  
Willelmi monachi Claræ-Vallensis fratri, 103.  
Willelmo patriarchæ Jerosolymorum, 175, 393.

## Y

Ymaro seu Igaro cardinali episcopo Tusculano, 219, 250-252.  
Yvoni seu Ivoni cardinali, 193.

## DIVERSORUM EPISTOLÆ AD BERNARDUM ET ALIOS.

A. cujusdam abbati Reatinensi, epist. 482.  
Abbatis Spinæ ad S. Bernardum, epist. 373.  
Adriano IV papæ capituli generalis nigrorum monachorum, epist. 480.  
Alexandro III papæ capituli generalis nigrorum monachorum, epist. 481.  
Bartholomæi episcopi Laudunensis, ad Samsonem Remensem, epist. 476

Bernardi abbatis Itali ad Innocentium, epist. 343.  
Bernardi ejusdem ad S. Bernardum, epist. 354, 466.  
Britanniæ comiti et baronibus, Nicolai Claræ-Vallensis, in persona Bernardi, epist. 461.  
Cælestino II Claræ-Vallensium, epist. 359.  
Capituli generalis nigrorum monachorum ad Adrianum IV, epist. 480.  
Capituli ejusdem ad Alexandrum III, epist. 481.  
Capitulo Cisterciensi Eugenii epistola, præmissa epist. 273.  
Capitulo eidem Hugonis episc. Ostiensis, epist. 475.  
Claræ-Vallensium ad Cælestinum II, epist. 359.  
Episcopis apud Senones congregatis Innocentii, II papæ rescriptum, epist. 194.  
Eugenii III papæ ad capitulum Cisterciense epistola, præmissa epist. 273.  
Fåstredi abbatis Claræ-Vallensis ad quemdam ordinis sui abbatem, epist. 478.  
G. ad S. Bernardum, epist. 472.  
Gaufridi episcopi Carnotensis ad Stephanum episcopum Parisiensem, epist. 427.  
Guillelmi abbatis Sancti-Theoderici ad Gæufridum Carnotensem et Bernardum, epist. 326.  
Henrici episcopi Trecensis ad S. Bernardum, epist. 474.  
Hildegerti archiepiscopi Turonensis ad S. Bernardum, epist. 122.  
Halmonis archidiaconi Catalaunensis ad S. Bernardum, epist. 470, 471.  
Hugonis episcopi Ostiensis ad capitulum Cisterciense, epist. 457.  
Hugonis Metelli ad S. Bernardum, epist. 467-469.  
Hugonis Metelli in persona abbatis sui ad Guillelmum abbatem, epist. 469.  
Innocentii II papæ rescriptum ad episcopos Senonis congregatos, epist. 194.  
Innocentii II papæ privilegium S. Bernardo concessum, epist. 352.  
Innocentio II papæ Bernardi abbatis Itali, epist. 343.  
Joannis abbatis Casæ-Marii ad S. Bernardum, epist. 386.  
Lucano episcopo Nicolai Claræ-Vallensis, epist. 463.  
Manueli Comneno imperatori Constantinopolitano Nicolai Claræ-Vallensis, epist. 462.  
Nicolai Claræ-Vallensis ad comitem et barones Britanniæ, in persona Bernardi, epist. 461.  
Nicolai Claræ-Vallensis ad Manuelem Comnenum imperatorem Constantinopolitanum epist. 462.  
Nicolai Claræ-Vallensis ad Lucanum episcopum, epist. 465.  
Noviomensi præposito G. Petri de Roya, epist. 479.  
Petri Venerabilis, abbatis Cluniacensis, ad S. Bernardum, epist. 229, 264, 388.  
Petri de Roya novitii Claræ Vallensis ad C. præpositum Noviomensem, epist. 479.  
Reatinensi abbati cujusdam A. epist. 482.  
Samsonis archiepiscopi Remensis ad S. Bernardum, epist. 473.  
Stephano episcopo Parisiensi Gaufridi episcopi Carnotensis, epist. 463.  
Turstini archiepiscopi Eboracensis ad Willelmum Cantuariensem pontificem, epist. 477.  
Willelmo Cantuariensi pontifici Turstini archiepiscopi Eboracensis, epist. 477.

# INDEX EPISTOLARUM S. BERNARDI

## PRO ARGUMENTI QUALITATE DISPOSITUS.

### (210) EPISTOLÆ ECCLESIASTICÆ.

#### *De rebus theologicis, et de disciplina ecclesiastica.*

De tempore quo cœpit obligare baptismus, 77, modo tractatus 11 in tomo II.

Super Evangelio Lucae, 461

De forma baptismi, 403.

Contra errores Petri Abælardi, 187-195, 326, 327, 330-338.

Contra errores Arnaldi Brixienensis, 195, 196.

Contra Henricum hæreticum; 241, 242.

Contra schisma, 219.

Judæos non esse persequendos, 565.

De bello contra hostes Ecclesiæ, 256, 363

De ejus successu, 298, 386.

De pœnitentia ob defectum in Missa commissum, 69.

De pœnitentijs ob crimina imponendis, 61, 62.

De impedimento matrimonii ob consanguinitatem, 371.

Contra divortium et nuptias post ipsum, 216, 220, 221.

De qualitate divinatorum officiorum, 598.

De conceptione beatæ Mariæ, 174.

De festo Machabæorum, 98.

Adversus clericum conjugatum et militem, 203.

Adversus eos qui beneficia pueris conferunt, 271, 426

Contra turbas ecclesiarum, 156, 157, 230, 318, 454

Contra occisores clericorum, 158, 163.

Pro diversis causis ecclesiasticis, 19, 20, 22, 50, 59, 251, 261, 262, 270, 283, 285, 314.

Pro juribus ecclesiarum seu monasteriorum, 14, 15, 16, 43, 44, 60, 263, 291, 352.

De exemptionibus monasteriorum, 179, 188, 323.

#### *e summo pontifice et curia Romana.*

Hortatoriæ ad suscipiendum Innocentiam, 124-134, 138-140.

Congratulatoriæ de Eugenio electione, 257, 258.

Pro reconciliatione Romanorum cum Eugenio. 243, 244

De morte ejusdem Eugenio, 457.

Pro reverentia erga pontificem, 176, 183.

Paræneticæ ad pontificem pro defensione oppressorum, 198, 199, 217.

Pro pace procuranda, 358.

Pro monasteriis 275.

Admonitoriæ ad cancellarium sanctæ Romanæ Ecclesiæ, 311, 362.

Contra quemdam legatum, 290.

#### *De episcopis.*

Pro electione episcopi, 202.

Pro confirmatione episcoporum, 13, 170-172, 249, 348.

Deliberativa, an acceptandus episcopatus, 8.

Contra quasdam electiones, 155, 164-170, 250, 275, 280, 328-430.

De recta episcopalis dignitatis administratione, 9, 10, 25-28, 42.

Exhortatoriæ ad humilitatem, 592, 595.

Congratulatoriæ ob pacem procuratam, 29.

Congratulatoriæ ob amorem pauperum et paupertatis, 23, 24.

Commendatoriæ pro Remensi archiepiscopo, 247, 284.

Commendatoriæ pro alijs episcopis, 294-296, 302, 303, 307, 359, 340, 342, 428, 432, 434, 437, 439.

(211) Notæ numerales epistolam designant.

Pro episcopis depositis, 212, 246, 257.

Apologeticæ episcoporum apud reges, 43, 46, 47.

Apologeticæ episcoporum apud Papam, 49, 50, 51, 152, 153.

Pro juribus episcoporum, 177-180, 429.

Contra quosdam episcopos, 182, 248, 252, 268.

Contra intrusos, 150, 151, 183, 235, 236, 239, 240, 346, 347.

Quomodo se gerendum erga episcopum intrusum 353 360.

Contra testamentum episcopi, 276.

Deliberativa, an abdicandus episcopatus, 319.

Reddita ratio administrationis, 437

### EPISTOLÆ MORALES.

#### *De virtutibus et vitiis.*

De caritate et compassione, 11, 12.

De eleemosynis, 23, 24, 95, 100, 207, 416, 420, 451.

De eleemosynis in monasteria, 316.

De restitutione, 279, 283.

De reddendo deposito, 407.

De vera amicitia, 271, 324, 409.

De perseverantia, 454.

Contra avaritiam, 103.

Contra duella, 376.

#### *Ad reges et principes.*

De reverentia papæ et episcopis ab eis exhibenda, 45, 185.

Pro pace cum Ecclesia, 220-226.

Pro concilio celebrando, 255.

Pro confirmatione episcoporum, 282.

Pro vitando excommunicato, 503.

De charitate et eleemosyna, 207, 208, 209.

Contra Ecclesiæ vexationes 224

Contra exactores, 299.

Dehortatoria a bello, 97.

#### *Ad ministros regios.*

Pro pace, 222-227.

Hortatoria ad zelum, 377.

Ad studium bonæ famæ, 581

#### *Ad viduas nobiles.*

De modo vivendi in viduitate, 289.

Quomodo se gerat regina vidua, 554.

Consolatoria de filii vita degeneri, 500

### EPISTOLÆ ASCETICÆ.

#### *De vocatione, statu et virtutibus religiosis.*

Hortatoria, ut animæ cura præferatur corporis sollicitudini, et ut sæculo renuntiatur, 440.

Paræneticæ ad ingressum in religionem, 101-108, 411, 412.

Ad profectum, 254, 345, 385.

Ad studium disciplinæ regularis, nunc præmissa epistolæ 275.

De capitulis generalibus nigrorum monachorum, 91, 493.

De moribus primorum Cisterciensium, 188, 492.



Congratulatoriæ de electione vitæ religiosæ 51, 54, 109, 131, 322.

De reformatione monasterii, 489.

Ad revocandos eos, qui in laxiora desciverant, 1.

Ad revocandos apostatas, 2, 112, 415.

Ad revocandos errantes, 4-7.

Contra eos qui alios a vita religiosa avocant, 292.

Excusatoriæ ad parentes eorum qui ad vitam monasticam confugerant, 64, 111.

De amore solitudinis et silentii, 21, 48, 52, 69.

De vitanda monachis peregrinatione, 57, 399.

De usu pharmacorum, 345.

De consortio mulierum monachis vitando, 79, 403.

Pro pace inter Cluniacenses et Cistercienses, 229.

De brevitate et paritate litterarum, 88, 90.

De Religioso qui nupserat, 76.

De transitu ad aliam religionem, 94, 315, 443.

Apologeticæ de admissione alienorum Religiosorum, 3, 52, 53, 65-68, 253, 293, 382, 395, 396.

*Ad sanctimonialia.*

De virginitatis prærogativa, 115.

An eremi propositum sanctimoniali conveniat, 115.

Congratulatio ad sanctimonialiam, quæ ad meliorem frugem se receperat, 114.

*Pro abbatibus et superioribus.*

De abbatis electione, 520, 521.

Pastoralis officii monia describuntur, 201.

Hortatoria ad curam animarum, 54.

Ad onera prælaturæ patienter toleranda, 75, 260.

Querela de imposita præfectura, 544, 575.

Ad leniter recipiendos errantes, 53, 70, 80, 84, 101, 297, 400, 414, 417, 421, 444, 452.

De ejectione incorrigibilium, 102.

De monacho indisciplinato, 466.

De novitio dyscolo, 325.

De fundatione monasteriorum, 75, 542.

Pro reformatione monasteriorum, 58, 61, 96, 391, 427.

Congratulatoriæ de ipsa reformatione, 78, 142, 254, 369.

Consolatoria de conatu reformationis frustrato, 83.

Responsoriæ de abdicando onere pastoralis, 82, 86-87, 452.

De amovendo abbate indisciplinato, 493.

Contra eos qui curam pastorem temere abjecerant, 141, 353.

Commendatoriæ pro abbatibus, 394, 147.

EPISTOLÆ VARIE.

*Pro se ipso.*

Apologeticæ pro se ipso, 48, 81, 205, 218, 223, 250, 306, 307, 425.

Retractoriæ, 269, 274.

Excusatoriæ, 446, 448.

Urbanæ seu familiares, 74, 85, 116, 118, 143, 144, 145, 147, 148, 204, 228, 442, 445, 449.

Ad agendas gratiarum actiones, 120, 147, 181, 304, 312, 341, 368, 384, 390, 428.

Modestæ, 18, 72, 123, 135, 146, 153, 218, 223, 265.

*Pro aliis.*

Pacificæ, 56, 97, 121, 136, 137, 148, 200, 253, 304, 397.

Commendatoriæ pro afflictis et pauperibus, 35, 37-40, 56, 227, 351, 422, 424, 425.

Pro amicis, 53, 258, 277, 278, 309, 435, 436.

Pro consanguineo, 206.

Pro abbate vexato, 231.

Pro alio abbate inope, 379.

Pro religiosis, 41, 53, 173, 175, 186, 198, 208, 335, 337, 385, 418, 419, 442.

De adolescente qui se in ordine recipi postulabat, 441.

Consolatoria de morte amici, 374.

Increpatoria, 281.

De bello sacro, 457, 458.

ELENCHUS AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CLXXXII CONTINENTUR.

S. BERNARDUS ABBAS CLARAE-VALLENSIS.

OPERUM TOMUS PRIMUS. - Epistolae.

OPERUM TOMUS SECUNDUS. - Tractatus morales, doctrinales et ascetici.

De consideratione.

De moribus et officio episcoporum.

Sermo de conversione, ad clericos.

De praecepto et dispensatione.

Apologia.

Liber ad milites Templi de laude novae militiae.

Tractatus de gradibus humilitatis et superbiae.

Liber de diligendo Deo.

Tractatus de gratia et libero arbitrio.

Tractatus de baptismo aliisque quaestionibus.

Capitula haeresum Petri-Abaelardi.

Tractatus de erroribus Petri Abaelardi.

Vita S. Malachiae.

Hymnus de S. Malachia.

Tractatus de cantu.

Appendix ad tractatus morales et doctrinal

S. Bernardus super hymnum: "Jesu nostra redemptio.

Liber de Passione Christi et doloribus matris ejus.

Tractatus ad laudem gloriosae virginis Mariae.

Tractatus de corpore Domini.

Tractatus cantandi Graduale.

Tonale S. Bernardi.

ORDO RERUM QUAE IN HAC VOLUMINIS PRIMI PARTE PRIORI CONTINENTUR.

S. BERNARDUS ABBAS CLARAE-VALLENSIS.

PRAEFATIO GENERALIS.

§ I. - De variis S. Bernardi Operum editionibus, ubi novissimae hujus editionis tum causae et rationes, tum commoda utilitatesque explicantur.

§ II. - De Bernardi sanctitate, doctrina et auctoritate in Ecclesia.

§ III. - De Bernardi profectu in emendandis moribus clericorum, monachorum et laicorum.

§ IV. - De schismate Anacleti per sanctum Bernardum compresso.

§ V. - De erroribus Petri Abaelardi et Gilberti Porretani a sancto Bernardo refutatis.

§ VI. - De Henricianis et aliis haereticis a sancto Bernardo repressis.

§ VII. - De expeditionis sacrae praedicatione per S. Bernardum facta ejusque infelici successu.

CHRONOLOGIA BERNARDINA.

S. BERNARDI OPERUM TOMUS PRIMUS. - EPISTOLAE.

EPIST. I. - Ad Robertum nepotem suum, qui de ordine Cisterciensi transierat ad Cluniacensem. - Robertum consanguineum, qui vel horrore strictioris regulae, seu vitae laxioris illecebra, vel etiam blanditiis et subdolis aliorum susurris inductus a Cisterciensibus ad Cluniacenses transierat, mira charitate et affectu plus quam paterno revocat.

EPIST. II. - Ad Fulconem puerum qui postea fuit Lingonensis archidiaconus. - Fulconem canonicum regularem, quem avunculus blanditiis et promissis ad saeculum retraxerat, graviter et serio monet, ut potius Deo quam avunculo obediat et adhaereat.

EPIST. III. - Ad canonicos regulares de Aildi curte. - Laudibus suis se terreri magis, quam demulceri. Deinde quosdam ex canonicis S. Augustini a se susceptos, non esse impediendos.

EPIST. IV. - Ad Arnoldum abbatem Morimundi. - Arnoldum abbatem, temere relicto monasterio, peregrinantem, ad monasterii curam revocat, fratrum scandala et gregis pericula exponens.

EPIST. V. - Ad Adam monachum. - Dehortatur, ne Arnoldo abbati Morimundi adhaereat, nec se peregrinationis, aut potius vagationis ejus socium praebeat.

EPIST. VI. - Ad Brunonem Coloniensem. - Monachos quosdam abbatis Morimundi vagabundos opera Brunoni. reduci cupit ad monasterium.

EPIST. VII. - Ad Adam monachum. - Adamum ut ad monasterium vel nunc tandem, abbate mortuo, redeat, hortatur: ostendit, in tali causa, nullum fuisse obedientiae vinculum. Demum respondet, cur aliorum Ordinum religiosos recipiat.

EPIST. VIII. - Ad Brunonem Coloniensem electum. - Bernardus a Brunone consultus de acceptando episcopatu Coloniensi, ita respondet, ut suspensum eum teneat, imoterreat mole tanti muneris, monens per orationes consulere Deum.

EPIST. IX. - Ad eundem jam archiepiscopum Coloniensem. - Brunonem recens creatum archiepiscopum Coloniensem ad timorem inducit

EPIST. X. - Ad eundem. - Brunonem ad justum corripiendi zelum excitat.

EPIST. XI. - Ad Guigonem priorem et caeteros Cartusiae majoris religiosos. - De verae et sincerae charitatis lege, signis, effectis gradibus, perfectione Patriae reservata, multa pie disserit.

EPIST. XII. - Ad eosdem. - Orationibus eorum se commendat.

EPIST. XIII. - Ad Dominum papam Honorium. - Alberici electionem ad episcopatum Catalaunensem ratam haberi petit.

EPIST. XIV. - Ad eundem Honorium papam. - Causam ecclesiae. Divionensis, summo pontifici commendat

EPIST. XV. - Ad Haimericum cancellarium. - Unde supra.

EPIST. XVI. - Ad Petrum presbyterum cardinalem. - Unde supra.

EPIST. XVII. - Ad Petrum diaconum cardinalem. - Excusat se quod vocatus non venerit, de scriptis postulatis respondet.

EPIST. XVIII. - Ad eundem. - Opinionem sanctitatis a se amoliri nititur, et promittit se quos scripserat libellos communicaturum.

EPIST. XIX. - Ad eundem. - Commendat Remenses legatos.

EPIST. XX. - Ad Haimericum cancellarium. - Unde supra.

EPIST. XXI. - Ad Matthaum legatum. - Excusat se perbelle, quod vocatus ad negotia tractanda, non accesserit.

EPIST. XXII. - Ad Humbaldum Lugdunensem archiepiscopum et legatum. - Causam episcopi Meldensis commendat.

EPIST. XXIII. - Ad Attonem Trecensem episcopum. - Attonem episcopum, qui in morbo mortem cogitans, omnia sua distribuerat in pauperes, restitutum valetudini solatur, et laudat.

EPIST. XXIV. - Ad magistrum Gillebertum universalem, episcopum Londoniensem. - Laudat Gillebertum, quod, factus episcopus, paupertatem colat.

EPIST. XXV. - Ad Hugonem Rothomagensem archiepiscopum. - Hortatur Hugonem, ut apud suos Rothomagenses patiens simul ac pacificus esse studeat; zelum quoque discretione moderetur.

EPIST. XXVI. - Ad Guidonem Lausannensem episcopum.

EPIST. XXVII. - Ad Ardutionem Gebennensem eletum. - Monet ut electionem suam divinae gratiae tribuat, eique sedulo deinceps cooperari studeat.

EPIST. XXVIII. - Ad eundem jam episcopum. - Interim hortatur ut dignitatem, quam sine meritis praecedentibus obtinuit, saltem subsequentibus ornet.

EPIST. XXIX. - Ad Stephanum Metensem episcopum. - Congratulatur Stephano de pace Ecclesiae reddita, idque nonnisi unius Dei beneficio tribuendum.

EPIST. XXX. - Ad Alberonem primicerium Metensem. - Negotium quoddam, quod Albero urgebat, ex Dei beneplacito perficiendum monet, non tam requires datum, quam fructum.

EPIST. XXXI. - Ad Hugonem comitem Campaniae, militem Templi factum. - Hugoni gratulatur ob susceptam militiam sacram, et beneficiorum memoriam promittit.

EPIST. XXXII. - Ad Abbatem Sancti-Nicasii Remensis. - Abbatem ob discessum et transitum Drogonis monachi ad aliud monasterium, consolatur et ad patientiam hortatur.

EPIST. XXXIII. - Ad Hugonem Pontiniacensem abbatem. - Planius mentem suam prescribit de susceptione Drogonis, et omnem a se sinistram suspicionem depellit.

EPIST. XXXIV. - Ad Drogonem monachum. - Congratulatur Drogoni, quod ad strictiorem observantiam transierit; hortaturque ad perseverantiam.

EPIST. XXXV. - Ad magistrum Hugonem Farsitum. - Humberti cujusdam causam ei commendat, monetque ut in sententia quadam erronea corrigi non erubescat.

EPIST. XXXVI. - Ad eundem. - Respondet litteris Hugonis, suadetque ut ab impugnanda episcopi jam defuncti sententia desistat.

EPIST. XXXVII. - Ad Theobaldum comitem Campaniae. - Miratur se in causa Humberti justa et aequa petentem pati repulsum: monetque ut intuitu supremi judicis misero non neget opem et misericordiam.

EPIST. XXXVIII. - Ad eundem. - Unde supra.

EPIST. XXXIX. - Ad eundem. - Diversorum causas Theobaldo commendat. Denique ut erga episcopos, concilii causa in ejus civitate constitutos, honorifice et reverenter se gerat, hortatur.

EPIST. XL. - Ad eundem. - Pauperem religiosum Theobaldo commendat.

EPIST. XLI. - Ad eundem. - Senem religiosum commendat.

EPIST. XLII. - Ad Henricum Senonensem archiepiscopum. - Haec epistola potius Justitracatus nomen et locum merebatur: itaque e sede sua submotam ad tomum secundum tractatus remisimus, cum hoc titulo: De moribus et officio episcoporum epistola 42 seu tractatus, ad Henricum Senonensem archiepiscopum.

EPIST. XLIII. - Ad eundem Henricum. - Scribit pro libertate ecclesiae Molismensis.

EPIST. XLIV. - Ad eundem. - Unde supra.

EPIST. XLV. - Ad Indovicum regem Francorum. - Cistercienses Ludovicum regem, Parisiensi episcopo infestum ac injurium, graviter ac libere redarguunt, causam illius apud pontificem Romanum acturi, si rex [... ] male coeptis non destiterit.

EPIST. XLVI. - Ad dominum papam Honorium XI - Unde supra - Conqueruntur apud Pontificem, quod relaxatione interdicti subreptitiae obtenta, Rex Galliae jam pridem pronus ad pacem, factus sit obstinatio.

EPIST. XLVII. - Ad eundem ex persona Gaufridi Carnotensis episcopi - Expomt Pontifici causam episcopi Parisiensis a rege Ludovico imque oppressi, qui interdicto ab episcopis Gallicis compulsus restitutionem promiserat. sed absolute ab Honorio obtenta contumacior factus non praestitit.

EPIST. XLVIII. - Ad Haimericum cancellarium. - Unde supra, et contra obrectatores. Querelas in se factas diluit, et solitudinis sirentrique facultatem precatur.

EPIST. XLIX. - Ad dominum papam Honorium. - Pro Henrico Senonensi archiepiscopo.

EPIST. L. - Ad eundem. - Unde supra. - Postulat ut archiepiscopo liceat ad sedem apostolicam appellare.

EPIST. LI. - Ad Haimericum cancellarium. - Unde supra.

EPIST. LII. - Ad eundem. - Episcopum Carnotensem non affectasse protectionem Jerosolymitanam. Causis et negotiis publicis absolvi se rogat.

EPIST. LIII. - Ad eundem. - Duos religiosos, et in his se ipsum Haimerico repraesentat.

EPIST. LIV. - Ad eundem. - Vivianum abbatem commendat, monetque de cura animae serio gerendae.

EPIST. LV. - Ad Gaufridum Carnotensem episcopum. - Monachum quemdam reclusum desertorem instituti, sed jam resipiscentem, a Gaufrido suscipi et juvari postulat.

EPIST. LVI. - Ad eundem. - De peregrinatione Jerosolymitana Norberti se incertum esse. Sententiae ejusdem de Antichristo se non assentire. Causam quoque Humberti commendat.

EPIST. LVII. - Ad eundem. - Per minora vota non debere impediri majora bona. Videtur hoc, ni fallor, scribere in causa monachi, de quo supra epistola LV.

EPIST. LVIII. - Ad Ebalum Catalaunensem episcopum. - Hortatur Ebalum, ut monasterio seu ecclesiae omnium sanctorum virum idoneum praefici curet.

EPIST. LIX. - Ad Guilencum Lingonensem episcopum.

- Hortatur ut res quasdam ecclesiae S. Stephani Divionensis, per obitum Garnerii vacantes, ad tollendam scandalis et calumniis ansam, eidem ecclesiae cedat.

EPIST. LX. - Ad eundem. - Supplicat pro ecclesia Molismensi.

EPIST. LXI. - Ad Ricuinum Tullensem episcopum. - Hominem qui poenitentiam subiturus, jussu episcopi Tullensis venerat, ad eundem remittit curandum.

EPIST. LXII. - Ad Henricum Viridunensem episcopum. - Feminam multis obstrictam peccatis, sed jam poenitentem commendat episcopo.

EPIST. LXIII. - Ad eundem. - Purgat se de facto temerario, cujus insimulatus fuerat; ejus notitiam cupit: Guidonem eidem commendat.

EPIST. LXIV. - Ad Alexandrum Lincolniensem episcopum. - Philippus volens proficisci Jerosolymam, ad Claram-Vallem forte divertens, illic manere decrevit. Alexandri ad hoc consensum requirit. Negotium cum creditoribus Philippi illi commendat. Denique hortatur eundem ne gloriae mandanae nimium fidat.

EPIST. LXV. - Ad Alvisum abbatem Aquiscincti. - Laudat in Alviso paternam erga Goduinum mansuetudinem. De admissione se excusat, et veniam precatur.

EPIST. LXVI. - Ad Gaufridum abbatem Sancti-Medardi. - Operam ejus requirit in reconciliando sibi abbate Alviso; solatur eundem in tribulationibus.

EPIST. LXVII. - Ad monachos Flaviacenses. - Susceptionem B. Monachi tuetur, tanquam de ignoto sibi hactenus monasterio, et justas ob causas discedentis.

EPIST. LXVIII. - Ad eosdem. - Unde supra.

EPIST. LXIX. - Ad Guidonem abbatem de Tribus Fontibus. - Guidonem, qui incuria ministrantium in consecratione calicis erraverat, ob defectum vini, instruit.

EPIST. LXX. - Ad eundem. - Docet qualis misericordia in pastore esse debeat, monetque ut sententiam in monachum transgressorem latam retractet.

EPIST. LXXI. - Ad monachos ejusdem loci. - Se distulisse hactenus visitationem, non incuria, sed expectatione opportunitatis; de Rogerii abbatis ebitu eos consolatur.

EPIST. LXXII. - Ad Rainaldum Fusniacensem abbatem. - Ostendit quam sit alienus alaudibus. Jugum Christi leve esse. Patris nomen detrectat, Frater vocari contentus.

EPIST. LXXIII. - Ad eundem. - Rainaldum de commissio sibi praelationis munere nimis anxium et querulum instruit; monetque opem et solatium suis potius impendendum quam ab eis requirendum.

EPIST. LXXIV. - Ad eundem. - Optaverat Bernardus Rainaldum molestis abstinere querimoniis; nunc jubet de rebus ejus se reddi certiore.

EPIST. LXXV. - Ad Artaldum Prulliacensem abbatem. - Dissuadet monasterii conditionem in Hispania.

EPIST. LXXVI. - Ad abbatem canonicorum S. Petri De Monte. - Quid agendum cum vero qui, post diuturnam in domo et habitu religioso conversationem, ad saeculum et secundas nuptias transierat.

EPIST. LXXVII. - Ad Magistrum Hugonem de S. Victore. - (Haec quoque epistola hoc loco sublata inter tractatus tomo II locum meruit.)

EPIST. LXXVIII. - Ad Sugerium abbatem Sancti Dionysii. - Laudat Sugerium, misso fastu et externo splendore, ad modestiae et religiosae disciplinae curam inopinato conversum. Clericum aulae potius, quam Dei ministerio deditum acriter perstringit.

EPIST. LXXIX. - Ad abbatem Lucam. - Feminarum contubernium fugiendum monet. Et quid de fratre in crimen lapsio faciendum.

EPIST. LXXX. - Ad Guidonem abbatem Molismensem. - Consolatur afflictum ex gravi injuria: vindictam vero misericordia temperandam.

EPIST. LXXXI. - Ad Gerardum abbatem Pultariensem. - Purgat se adversus iniquam criminationem.

EPIST. LXXXII. - Ad abbatem Sancti Joannis Carnotensis. - Abdicationem curae pastoralis, et peregrinationem Jerosolymitanam dissuadet.

EPIST. LXXXIII. - Ad Simonem abbatem Sancti Nicolai. - Eum in persecutione solatur. Pios conatus non semper habere optatos successus. Praelato arcioris disciplinae studioso quid agendum cum subditis.

EPIST. LXXXIV. - Ad eundem. - Monachum erroneum remittit, sed reducem lenius et mitius tractari suadet.

EPIST. LXXXV. - Ad eundem Guillelmum. - Suaviter perstringit Guillelmum, conquerentem sibi a Bernardo paribus amoris officiis non responderi.

EPIST. LXXXVI. - Ad eundem. - Monachum fugitivum dure increpatum et increpandum remittit. Ipsi vero Guillelmo, mutationem aut vitam privatam meditantem, perseverare suadet.

EPIST. LXXXVII. - Ad Ogerium canonicum regularem. - Improbatur abdicationem curae pastoralis, etsi pia quietis amore factam. Instruit nihilominus, quomodo deinceps privatus in coenobio vivere debeat.

EPIST. LXXXVIII. - Ad eundem. - Se multis occupationibus impeditum, hactenus non potuisse votis ejus satisfacere: cogique etiam modo parcius scribere. Opusculum quoddam suum edi in publicum vetat, nisi recognitum.

EPIST. LXXXIX. - Ad eundem. - Scriptionis brevitate excusat praetextu sacri temporis, cui potius silentium competat: item professionis et ruditatis, ut docendi munus usurpare non audeat.

EPIST. XC. - Ad eundem. - Amori sincero non opus esse prolixis litteris, aut multis verbis: seque a valetudine propemodum desperata convalescere.

EPIST. XCI. - Ad abbates Suessionensium congregatos. - Abbates excitat ad strenue curandum negotium, cujus causa convenerunt. Studium profectus serio commendat: nil morandum, si tepidi quidam et dissoluti forsitan detrectent et obmurmurent.

EPIST. XCII. - Ad Henricum regem Anglorum. - Monachis a se missis ad construendum monasterium, regis favorem postulat.

EPIST. XCIII. - Ad Henricum Wintoniensem episcopum - Officiose eum salutat.

EPIST. XCIV. - Ad abbatem cujusdam monasterii Eboracensis, unde exierat prior cum aliquantis fratribus.

EPIST. XCV. - Ad Turstinum archiepiscopum Eboracensem. - Charitatem et beneficentiam ejus erga religiosos laudat.

EPIST. XCVI. - Ad Richardum Fontanensem abbatem et socios ejus, qui de alio ordine ad Cisterciensem transierant. - Laudat eos ob renovationem religiosae disciplinae.

EPIST. XCVII. - Ad duces Conradum. - Dehortatur cum a bello comiti Gebennensi inferendo, ne contra se ultorem Deum provocet.

EPIST. XCVIII. - De Machabaeis, sed ad quem scripta sit ignoratur. - Respondet ad quaestionem, cur ex justis antiquae legis, solis Machabaeis Ecclesia diem festum decreverit.

EPIST. XCIX. - Ad monachum quemdam. - Ob monachi cujusdam a suo coenobio discessum anxius, ejusdem litteris sinistra se suspicione liberatum scribit.

EPIST. C. - Ad episcopum quemdam. - Ejus erga religiosos pauperes favorem et beneficentiam laudat.

EPIST. CI. - Ad religiosos. - Monachum qui sine licentia discesserat, redeuntem benigne suscipi postulat.

EPIST. CII. - Ad quemdam abbatem. - Monachi cujusdam dyscoli emendationem omni modo tentandam; sed incorrigibilem ejiciendum, ne plures ejus consortio depraventur.

EPIST. CIII. - Ad fratrem Willelmi monachi Clarae-Vallensis. - Insigni paupertatis religiosae commendatione praevia, perstringit in eo nimium in res terrenas affectum, cum damno pauperum, imo suo ipsius conjunctum, ut qui mallet sua morti, quam amoris Christi cedere.

EPIST. CIV. - Ad magistrum Gualterum de Calvo-Monte. - Hortatur eum ad fugam saeculi, monens potius esse causam Christi, et animae, quam parentum.

EPIST. CV. - Ad Romanum Romanae curiae subdiaconum. - Vitae religiosae propositum urget, mortis memoriam inculcans.

EPIST. CVI. - Ad magistrum Henricum Murdach. - Ad capessendum religiosae vitae statum excitat, ejus delicias breviter insinuans.

EPIST. CVII. - Ad Thomam praepositum de Beverla. - Thomas iste Ordini Cisterciensi in Clara-Valle sese devoverat: procrastinantem Bernardus hortatur ad vota persolvenda. At surdo cantatum sequens docebit epistola, ubi infelicem Thomae exitum commemorat. In hac vero tota salutis oeconomia profundissime describitur.

EPIST. CVIII. - Ad Thomam de Sancto-Audomaro, post transgressionem promissionis suae veniendi ad conversionem. - Hunc relictis studiis religionem ingredi hortatur, proposito Thomae de Beverla exitu infelici.

EPIST. CIX. - Ad illustrem juvenem Gaufridum de Perrona, et socios ejus. - Nobiles juvenes ob religiosae vitae propositum praedicat et ad perseverantiam hortatur.

EPIST. CX. - Ad parentes ejusdem Gaufridi consolatoria. - Non esse cur filium religiosum tanquam perditum lugeant, vel etiam cur delictualo metuant.

EPIST. CXI. - Ex persona Eliae monachi ad parentes suos. - Hortatur eos ne se Deo servire volentem impedire aut retrahere conentur: indignum id fore et frustraneum.

EPIST. CXII. - Ad Gaufridum Lexoviensem. - Dolet eum deserto religionis proposito rediisse ad seculum; et ad resipiscentiam hortatur.

EPIST. CXIII. - Ad Sophiam virginem. - Eam praedicat ob spretam mundi gloriam: et expositis religiosarum virginum elogiis, privilegiis, praemiis ac ornamentis ad perseverantiam hortatur.

EPIST. CXIV. - Ad alteram sanctimoniam. - Quae sub habitu religioso animum gesserat mundo deditum, eam jam resipiscentem praedicat, et ne gratiam negligat, hortatur.

EPIST. CXV. - Ad aliam sanctimoniam de monasterio Sanctae-Mariae Trecensis. - Dissuadet ei eremum, quam temere et imprudenter appetebat.

EPIST. CXVI. - Ad Ermengardem quondam comitissam Britanniae. - Affectum sui cordis, et vim religiosae dilectionis suaviter et familiariter insinuat.

EPIST. CXVII. - Ad eandem. - Laudat ejus in divino servitio alacritatem, suumque illius videndae desiderium indicat.

EPIST. CXVIII. - Ad Beatricem nobilem et religiosam matronam. - Officiosam ejus charitatem et sollicitudinem commendat.

EPIST. CXIX. - Ad Ducem et Ducissam Lotharingiae. - Gratias agit pro condonatis hactenus vectigalibus, sed cavere cupit, ne gratia principum opera ministrorum intervertatur.

EPIST. CXX. - Ad Ducissam Lotharingiae. - Pro beneficiis oblatis gratias agit, et ab iniquo bello eam deterret.

EPIST. CXXI. - Ad Ducissam Burgundiae. - Offensam Hugoni placare nititur, et assensum in conjugium quoddam ab ea exposcit.

EPIST. CXXII. - Hildeberti Turonensis archiepiscopi ad Bernardum abbatem. - Bernardi fama nominis et sancti tatis permotus, familiaritatem ejus exposcit. 26

EPIST. CXXIII. - Rescriptum abbatis Bernardi ad Hildebertum Turonensem archiepiscopum. - Laudes laudibus rependit.

EPIST. CXXIV. - Ad eundem Hildebertum qui nondum receperat Dominum Innocentium papam. - Hortatur ut Innocentium, in Gallia ob schisma Petri Leonis exsulem, uti legitimum pontificem agnoscat.

EPIST. CXXV. - Ad magistrum Gaufridum de Loratorio. - Operam ejus requirit in asserendo pontificatu Innocentii adversus schisma Petri Leonis.

EPIST. CXXVI. - Ad episcopos Aquitaniae contra Gerardum Engolismensem. - Causam Innocentii ut legitimi pontificis, egregie tuetur adversus Gerardum Engolismensem, schismatici partes agentem, cujus mores depingit, et subterfugia eludit.

EPIST. CXXVII. - Ad Guillelmum comitem Pictavorum, ducem Aquitaniae ex persona Hugonis ducis Burgundiae. - Guillelmum, antipapae Anacleto faventem, hortatur ad Innocentium verum pontificem recipiendum.

EPIST. CXXVIII. - Ad eundem. - Serio eum hortatur de reducendis ad Ecclesiam clericis quos expulerat.

EPIST. CXXIX. - Ad Januenses. - Pacem quam aliquando coram conciliaverat, constanter retinendam et tuendam hortatur.

EPIST. CXXX. - Ad Pisanos. - Pisanos laudat ob studium et favorem erga Innocentium papam, qui, Roma per antipapam Anacletum occupata, exsul Pisas concesserat.

EPIST. CXXXI. - Ad Mediolanenses. - Cum Mediolanenses Innocentio reconciliati, tamen titubare in officio et obedientia viderentur, eos ad retinendam constantiam incitat recentia Romanae Ecclesiae erga illos beneficia memorans.

EPIST. CXXXII. - Ad clericum Mediolanensem. - Gratulatur clero Mediolanensi, cujus opera civitas, relicto schismate Anacleti, ad unitatem Ecclesiae redierat.

EPIST. CXXXIII. - Ad universos cives Mediolanensium. - Invitatus ad componendam pacem, laetatur ad hoc opus suam operam requiri.

EPIST. CXXXIV. - Ad novitios apud Mediolanum conversos. - Novitiis Mediolanensibus gratulatur de conversione, seque peracto concilio illos invisurum spondet.

EPIST. CXXXV. - Ad Petrum Papiensem episcopum. - Delatas sibi laudes in Deum refundit. Episcopum ab operibus misericordiae laudat.

EPIST. CXXXVI. - Ad Innocentium papam. - Dalfinum, de illatis injuriis satisfacere paratum, mitius tractari cupit.

EPIST. CXXXVII. - Ad Imperatricem Romanam. - Mediolanenses non ante receptos in gratiam a pontifice, quam ipsi Lotharium imperatorem reciperent. Hinc eos clementiae imperatricis commendat.

EPIST. CXXXVIII. - Ad Henricum regem Anglorum. - A rege suppetias petit pro Innocentio papa.

EPIST. CXXXIX. - Ad Lotharium imperatorem. - Excitat imperatorem ad reprimendos schismaticos. Causam cujusdam ecclesiae apud Tullum sitae commendat.

EPIST. CXL. - Ad eundem. - Pisanos pontificis studiosos apud Lotharium commendat.

EPIST. CXLI. - Ad Humbertum abbatem Igniacensem. - Graviter eum perstringit, ob munus praelationis inconsulto ac temere dimissum.

EPIST. CXLII. - Ad monachos Alpenses. - Monachos Alpenses, qui se sub ordine Cisterciensi Clarae Vallensibus aggregaverant, commendat et consolatur de absentia patris ad altiore gradum assumpti. Hinc de novo abbate eligendo eos monet.

EPIST. CXLIII. - Ad suos Clarae-Vallenses. - Diurnam sui absentiam excusat, sibi non minus, imo magis gravem, quam suis. Interim breviter eos officii admonet.

EPIST. CXLIV. - Ad eosdem. - Molestiam longioris absentiae suae a dilecta Clara-Valle, et tenerrimum erga filios suos affectum ac desiderium exprimit. Solatium nihilominus suum in tantis pro Ecclesia laboribus indicat.

EPIST. CXLV. - Ad abbates Cistercii congregatos. - Hos laborum et dolorum suorum conscios esse desiderat, excusans forte hoc pacto absentiam suam. Optat sane non [ ] eregre, sed inter suos mori.

EPIST. CXLVI. - Ad Burchardum Balernensem abbatem. - Gaudet suos in eo formando labores non esse irritos: felicem tamen successum uni Deo tribuendum.

EPIST. CXLVII. - Ad Petrum abbatem Cluniacensem. - Petrus Bernardum, peregre inter varios et difficiles pro Ecclesia labores agentem, misso Gebuino archidiacono Trecensi consolatus fuerat. itaque benevolum animum suavissime recolat, et feliciorum extincto jam schismate Ecclesiae statum praedicat.

EPIST. CXLVIII. - Ad eundem. - Paucis Petro respondet, plura in aliam occasionem reservans.

EPIST. CXLIX. - Ad eundem. - Monet ut a monasterio sancti Bertini tam operose sibi vindicando desistat.

EPIST. CL. - Ad dominum papam Innocentium. - Laudat pontificem ex variis recte factis, ejusque zelum excitat adversus ambitionem Philippi, qui modis illegitimis sedem Turonensem invadere tentabat.

EPIST. CLI. - Ad Philippum Turonensis ecclesiae invasorem. - Gravem animi sui dolorem exprimit super Philippo, Turonensis ecclesiae praesulatum indebitis modis ambiente.

EPIST. CLII. - Ad dominum papam Innocentium, pro Trecensi episcopo. - Insolentiam clericorum nutriri ignavia episcoporum: Trecensem vero ob clericos correptos gravari.

EPIST. CLIII. - Ad Bernardum de Portis, de Ordine Cartusiensi. - Petenti expositionem in Cantica Salomonis, praetendit tenuitatem suam, tanto scilicet operi, et aliorum exspectationi imparem.

EPIST. CLIV. - Ad eundem. - Non licuisse per negotia stare promissioni de invisendis Cartusiensibus. Mittit petitos sermones in Cantica.

EPIST. CLV. - Ad Dominum papam Innocentium pro eodem quando electus est. - Bernardum de Portis, in Lombardia destinatum episcopum, dignum quidem eo honore, sed tali loco minus idoneum; ideoque alteri convenientius reservandum.

EPIST. CLVI. - Ad eundem, pro clericis Aurelianensibus.

EPIST. CLVII. - Ad Haimericum, pro eisdem.

EPIST. CLVIII. - Ad dominum papam Innocentium, super interfectione magistri Thomae, Prioris Sancti-Victoris Parisiensis.

EPIST. CLXIX. - Ad eundem, in persona Stephani Parisiensis episcopi. - Unde supra.

EPIST. CLX. - Ad Haimericum cancellarium, in personae ejusdem episcopi. - Unde supra.

EPIST. CLXI. - Ad dominum papam Innocentium. - Adversus auctores caedis Archembaldi, subdecani Aurelianensis.

EPIST. CLXII. - Ad Haimerium cancellarium de eodem.

EPIST. CLXIII. - Ad Joannem Cremensem cardinalem presbyterum de eodem.

EPIST. CLXIV. - Actio causae Lingonensis ecclesiae ad dominum papam Innocentium. - Conqueritur Bernardus, quod subdole et contra datam fidem tentata sit electio episcopi Ecclesiae Lingonensis.

EPIST. CLXV. - Ad Falconem decanum, et Guidonem thesaurarium Lugdunensis Ecclesiae. - Unde supra.

EPIST. CLXVI. - Ad dominum papam Innocentium. - Unde supra.

EPIST. CLXVII. - Ad eundem. - Pro eodem negotio.

EPIST. CLXVIII. - Ad episcopos et cardinales Romanae curiae. - Unde supra.

EPIST. CLXIX. - Ad dominum papam Innocentium. - Cur clericos Ecclesiae Lingonensis vocatos detinuerit; et quibus munus eligendi committendum.

EPIST. CLXX. - Ad Lodovicum Juniorem regem Francorum. - Electionem Godefridi Prioris sui in episcopum Lingonensem, cui Rex adversari visus est, vindicare nititur.

EPIST. CLXXI. - Ad dominum papam Innocentium. - Pro Falcone Lugdunensi archiepiscopo electo.

EPIST. CLXXII. - Ad eundem in persona Godefridi Lingonensis episcopi. - Ejusdem cum superiore argumenti.

EPIST. CLXXIII. - Ad ipsum Falconem. - Religiosorum quorundam causam commendat.

EPIST. CLXXIV. - Ad canonicos Lugdunenses, de conceptione S. Mariae. - Conceptionis festum novum esse; nullo niti legitimo fundamento: caeterum non fuisse instituendum inconsulta sede apostolica cui sententiam suam subjicit.

EPIST. CLXXV. - Ad Patriarcham Jerosolymorum. - Praeventus ejus litteris familiariter respondet, et milites Templi commendat.

EPIST. CLXXVI. - Ad dominum papam Innocentium, ex persona Alberonis Treverensis archiepiscopi. - Suum erga Innocentium, citramontanaeque Ecclesiae studium et obedientiam declarat.

EPIST. CLXXVII. - Ad eundem in persona ejusdem. - Queritur impositum sibi pastorale munus; sed in exsequendis quae sui sunt muneris, impediri aemulatione aliorum, non sine ipsius culpa Pontificis. 38

EPIST. CLXXVIII. - Ad dominum papam Innocentium pro Alberone Treverensi archiepiscopo. - Queritur perversos quosdam et Ecclesiae perniciosos homines in exsequendis pravis consiliis pontificali auctoritate muniri: alios interim praesules, zelum Dei habentes, destitui et contemni.

EPIST. CLXXIX. - Ad eumdem pro eodem. - Causam Alberonis archiepiscopi Treverensis agit adversus abbatem Sancti-Maximini et monachos rebelles et contumaces.

EPIST. CLXXX. - Ad eumdem pro eodem. - Iterum commendat pontifici negotium archiepiscopi Treverensis, ut sententiam, subreptitiae obtentam, praevia meliore causae cognitione, revocet.

EPIST. CLXXXI. - Ad Haimericum cancellarium. - Profitetur se beneficiis imparem, non nisi voluntatis affectu gratum se esse posse.

EPIST. CLXXXII. - Ad Henricum Senonensem archiepiscopum. - Hunc acriter perstringit, utpote durum, ut qui archidiaconum non recte deposuisset; et ad aequa postulata ac pacis consilia difficilem.

EPIST. CLXXXIII. - Ad Conradum regem Romanorum. - Reverentiam Sedis apostolicae ei commendat.

EPIST. CLXXXIV. - Ad dominum papam Innocentium. - Non posse mitti quos Pontifex petierat monachos.

EPIST. CLXXXV. - Ad Eustachium occupatorem Valentinae sedis. - Hortatur ut memor aetatis suae, et mortis imminentis, divinique iudicii, respiscat, nec pravis adulatorum consiliis pareat.

EPIST. CLXXXVI. - Ad Simonem filium Castellani Cameracensis. - Ejus tutelae Valcellenses monachos commendat, patris donationem ab eo ratam haberi rogans.

EPIST. CLXXXVII. - Ad episcopos Senonas convocatos, contra Petrum Abaelardum. - Excitat episcopos ad causam religionis contra Abaelardum strenue agendam.

EPIST. CLXXXVIII. - Ad episcopos et cardinales curiae, de eodem. - Monet ad vigilandum adversus Petri Abaelardi errores.

EPIST. CLXXXIX. - Ad dominum papam Innocentium, de eodem. - Animi dolorem indicat ob errores Abaelardi post schisma statim exsurgentes, quibus Pontificem, occurrere monet.

EPIST. CXC. - Ad Innocentium pontificem, de erroribus quibusdam Petri Abaelardi.

EPIST. CXCI. - Ad Innocentium ex persona domini archiepiscopi Remensis, etc. - Abaelardum, vana scientiae opinione tumidum, et de favore curiae Romanae gloriantem, auctoritate Pontificia mature reprimendum.

EPIST. CXCV. - Ad magistrum Guidonem de Castello. - Monet eum ita diligere ac fovere Abaelardum, ut tamen errores ejus non foveat.

EPIST. CXCVI. - Ad magistrum Ivonem cardinalem, de eodem. - Indignum esse ut Abaelardus in Romana curia fautores inveniat.

EPIST. CXCVII. - Rescriptum domini Innocentii contra haereses Petri Abaelardi.

EPIST. CXCVIII. - Ad episcopum Constantiensem. - Monet ut Arnaldum de Brixia, Italia et Gallia pulsum, et jam apud ipsum delitescens expellat, aut potius ad cavenda majora damna vincum teneat

EPIST. CXCVIII. - Ad Guidonem legatum, de eodem. - Cavendam ei familiaritatem Arnaldi de Brixia, ne sub ejus auctoritate securius errores suos disseminet.

EPIST. CXCVIII. - Ad Petrum Bisuntinum decanum. - Increpat eum ob injurias abbati Chari-Loci illatas.

EPIST. CXCVIII. - Ad dominum papam Innocentium. - Guidonem a vi et injuriis oppressoris vindicari rogat. Nihil aeque decere summum Ecclesiae Praesulem ac zelum justitiae.

EPIST. CXCVIII. - Ad eumdem. - Unde supra. Rogat sententiam pro Religiosis inique oppressis latam confirmari, nec ulterius aures praeberi calumniis.

EPIST. CC. - Ad magistrum Ulcerium Andegavensem episcopum, pro gravi querela quae erat inter ipsum et abbatissam Fontis Ebraldi.

EPIST. CCI. - Ad Balduinum abbatem Reatini monasterii. - Hortatur ut strenue incumbat officio suo: huc vero requirit verbum praedicationis, exemplum operis, et praecipue studium orationis.

EPIST. CCII. - Ad clerum Senonensem. - Electionem novi Praesulis non inconsulte et praecipitanter instituendam.

EPIST. CCIII. - Ad Attonem episcopum et clerum Trecensem - Monet ut Ansellum clericum Trecensem ab armis et conjugio revocent.

EPIST. CCIV. - Ad abbatem Sancti-Albani. - Suum erga eum affectum aperit: mutuum vero conspectum, si praesens vita non permittat, futurae reservari.

EPIST. CCV. - Ad episcopum Roffensem. - Durius se litteris ejus, sed circa culpam, perstringi.

EPIST. CCVI. - Ad Reginam Jerosolymorum. - Commendat quemdam consanguineum suum, et paucis monet Reginam ita vivere, ut regnet perpetuo.

EPIST. CCVII. - Ad Rogerium regem Siciliae. - Hortatur ut se pauperibus Religiosis benignum et beneficium exhibeat.

EPIST. CCVIII. - Ad eumdem. - Desideratus a Rege, mittit ex suis, quos ut viscera suae benigne suscipiet foveri rogat.

EPIST. CCIX. - Ad eumdem. - Praedicat regiam ejus munificentiam in suscipiendis Religiosis a se missis.

EPIST. CCX. - Ad dominum papam Innocentium. - Remensem praesulum Pontifici commendat.

EPIST. CCXI. - Ad eumdem. - Causam Cantuariensis archiepiscopi, necnon Londinensis episcopi commendat.

EPIST. CCXII. - Ad eumdem. - Causam Salamenticensis episcopi pathetice agit apud Pontificem; insignem ejus humilitatem commendans.

EPIST. CCXIII. - Ad eumdem. - Expostulat cum Pontifice, quod reconciliatio Petri Pisani, opera sua et auctoritate ipsius Papae facta, irritetur.

EPIST. CCXIV. - Ad eumdem. - Episcopum Cameracensem et abbatem Godescalcum commendat.

EPIST. CCXV. - Ad eumdem. - Pro episcopo et decano Autissiodorensi.

EPIST. CCXVI. - Ad eumdem. - Comitem Radulfum, qui repudiata uxore sua aliam duxerat, patronos in curia reperire queritur.

EPIST. CCXVII. - Ad eumdem. - Theobaldum causa justitiae et fidelitatis erga Sedem apostolicam, premi queritur: sed ad iniqua compulsus ope Pontificis expediri rogat.

EPIST. CCXVIII. - Ad eumdem excusatoria et novissima. - Solita se apud Innocentium gratia excidisse animadvertens, causas offensae occasione testamenti Ivonis cardinalis natus modeste diluit.

EPIST. CCXIX. - Ad tres episcopos curiae, Albericum Ostiensem, Stephanum Praenestinum, Igmaram Tusculanum, et Gerardum cancellarium. - Pro interdicto quod erat in terra Regis propter archiepiscopum Bituricensem.

EPIST. CCXX. - Ad Ludovicum regem Francorum. - Iniquam regis postulationem in causa Radulfi rejicit, monens eumdem non premere innocentes, et irritare contra se Regem supremum.

EPIST. CCXXI. - Ad eumdem. - Unde supra. - Graviter Ludovicum regem arguit, quod, pravis consiliis adhaerescens, pacis consilia respuat. Se quidem hactenus regii nominis studiosum, deinceps solius veritatis patronum, necnon malefactorum ejus testem fore.

EPIST. CCXXII. - Ad Joslenum Suessionensem episcopum, et Sugerium abbatem Sancti-Dionysii. - Queritur apud eos, ut Regis consiliarios, de iniquis ejus contra Theobaldum molitionibus, contra pactum et pacem intam.

EPIST. CCXXIII. - Ad Joslenum episcopum Suessionensem. - Satisfacit episcopo, cujus litteris praefixa talis erat salutatio, "Salutem in Domino, et non spiritum blasphemiae." Requirit nihilominus in eo majorem zelum ad vindicandas Christi et Ecclesiae injurias.

EPIST. CCXXIV. - Ad Stephanum Praenestinum episcopum. - Malefacta Ludovici regis et injurias in Ecclesiam, episcopos, aliosque exponit.

EPIST. CCXXV. - Ad dominum episcopum Suessionensem. - Hortatur ad studium pacis.

EPIST. CCXXVI. - Ad Ludovicum regem Francorum. - Bernardus et Hugo queruntur de pertinacia regis in male coeptis: irritos esse suos in concilianda pace labores non sine regni ejus exitio dolent.

EPIST. CCXXVII. - Ad episcopum Suessionensem. - Opem episcopi perquam sollicito et ardentem implorat.

EPIST. CCXXVIII. - Ad Petrum Cluniacensem abbatem, conquerentem quod ei non rescriberet.

EPIST. - CCXXIX. - Petri Venerabilis ad Bernardum abbatem. - Bernardi litteris humanissime respondet, simulque causas dissensionum inter Cluniacenses et Cistercienses exponit.

EPIST. CCXXX. - Ad tres episcopos Ostiensem, Tusculanum, Praenestinum. - Monet illos officii, ut a Christi grege in episcopatu Metensi lupos arceant.

EPIST. CCXXXI. - Ad eosdem pro abbate Latiniacensi. - Innocentiam abbatis asserit ac tuetur, et capita accusationum in eum producta diluit. Denique zelum disciplinae religiosae in ipsis requirit.

EPIST. CCXXXII. - Ad eosdem. - Contra abbatem Sancti-Theofredi.

EPIST. CCXXXIII. - Ad abbatem Joannem de Busaio, qui abbatiam reliquerat, et abierat in solitudinem. - Blande eum revocat a solitudine, ad quam, de misso monasterii regimine, se contulerat.

EPIST. CCXXXIV. - Ad Herbertum abbatem Sancti-Stephani Divionensis. - Temerariae scriptionis culpam Joanni condonari rogat.

EPIST. CCXXXV. - Ad dominum papam Coelestinum, pro intruso Eboracensi. - Auctoritatem sedis apostolicae adversus infamem et simoniacum Eboracensis Ecclesiae invasorem implorat.

EPIST. CCXXXVI. - Ad totam curiam Romanam. - Unde supra.

EPIST. CCXXXVII. - Ad totam curiam Romanam, quando elegerunt abbatem Sancti-Anastasio in papam Eugenium. - Miratur Bernardum abbatem Sancti-Anastasio, abstractum ab otio et solitudine, ad totius Ecclesiae curam rapi: timetque hominem, quieti assuetum, et rebus gerendis minus exercitatum, tanto oneri haud parem fore: unde fidei cardinalium ope eum sublevare rogat.

EPIST. CCXXXVIII. - Ad dominum papam Eugenium prima. - Bernardus Eugenio, recens in Pontificem assumpto, gratulatur ac condolet: ipsum ad munus apostolicum fortiter obeundum animat, ut conceptae de se multorum expectationi respondeat.

EPIST. CCXXXIX. - Ad eumdem. - Depositionem Guillelmi Eboracensis urget apud Pontificem, cui soli ea po [...] estas competat.

EPIST. CCXL. - Ad eumdem, de Eboracensi intruso. - Laudat zelum Eugenii. Porro eum nunc ostendi vult in deponendo Eboracensi, illum sedem fraudulenter occupante.

EPIST. CCXLI. - Ad Hildefonsum comitem Sancti-Aegidii, de Henrico haeretico. - Henricum, Petri Brusii haeretici successorem, ejusque impia dogmata, et impura facinora describit, pungens Comitem, quod talem in sua ditione sineret impune grassari.

EPIST. CCXLII. - Ad Tolosanum post reditum suum. - Sollicite fugiendos, imo et fugandos haereticos. Exercendam hospitalitatem. Nec quosvis praedicatores admittendos.

EPIST. CCXLIII. - Ad Romanos, quando recesserunt a domino papa Eugenio. - Romani; Arnaldo haeretico factionem inflammante, antiquae Heipublicae ac libertatis formam restituere nitebantur, sola sacrorum cura Pontifici relicta. Itaque vectigalia Pontificum sibi vindicant, jubentes Pontificem decimis, et oblationibus tantum more prisco contentum vivere. Hinc nata rebellio, et in Eugenium acrius concitata. Cujus occasione Bernardus aspere, sed juste increpat Romanos tam iniquos in Pontificem, cujus injuria in sanctos et omnes Catholicos redundet, non evasura Dei vindictam, nisi mox respiscant.

EPIST. CCXLIV - Ad Conradum regem Romanorum. - Hortatur regem ad defensionem auctoritatis pontificiae adversus rebelles Romanos.

EPIST. CCXLV. - Ad dominum papam pro Aurelianensi episcopo. - Gaudet ob zelum pontificis in causa Aurelianensis episcopi, etc.

EPIST. CCXLVI. - Ad eundem pro eodem, quando praedictus Aurelianensis depositus est. - Aurelianensem, sponte se episcopatu abdicantem, pontifici commendat, ut honori ejus cautum esse velit: id humilitatem ejus, et pontificis clementiam decere.

EPIST. CCXLVII. - Ad eundem pro Remensis archiepiscopo. - Displicet ei praeceptum et serverior in Samsonem archiepiscopum Remensem sententia, de Pallii usu sublato.

EPIST. CCXLVIII. - Ad eundem. - Praemonet pontificem, ne Sagiensi, quantumvis supplici, reditum in episcopatum molienti, faciles aures praebeat.

EPIST. CCXLIX. - Ad eundem. - Priorem Casae-Dei, electum in episcopum Valentinensem, uti dignum commendat.

EPIST. CCL. - Ad Bernardum priorem Portarum. - Repulsam fratris Natalis in episcopum electi non debuisset tam moleste ferri a Religiosis. Id sua opera factum non esse. Veritum forte Papam, ne juvenilis aetatis vitia nunc demum calumniae paterent.

EPIST. CCLI. - Ad dominum Eugenium papam. - Balmenses monachos pro merito punitos in gratiam recipi cupit, et cum Aeduensibus reconciliari.

EPIST. CCLII. - Ad eundem, pro Eboracensi. - Sencientiam, contra Eboracensem jam olim ab Innocentio latam, tandem executioni mandari postulat, ne mala ejus opera dissimulanti Pontifici imputentur.

EPIST. CCLIII. - Ad abbatem de Praemonstrato. - Asperioribus Praemonstratensium litteris placide respondet, recensens sua in eos beneficia. Refellit quoque singula querelarum capita constantem se ipsis amicum fore professus.

EPIST. CCLIV. - Ad abbatem Guarinum Alpansems. - Laudat in sene abbate studium reformandi Ordinis. Temporis brevitatem non obsistere studio perfectionis. In vita spirituali semper proficiendum, nunquam standum.

EPIST. CCLV. - Ad Ludovicum regem Francorum. - Monet regem ne concilium hoc tempore Ecclesiae et regno tam necessarium ipsiusque regis honori cessurum, impediatur.

EPIST. CCLVI. - Ad dominum papam Eugenium. - Excitat Eugenium ad suppetias orientali Ecclesiae ferendus; nec abjiciendum animum ob acceptam cladem in amissione civitatis Edessae. Miratur vero se Carnoti in ducem belli electum.

EPIST. CCLVII. - Ad eundem, pro fratre Philippo.

EPIST. CCLVIII. - Ad eundem, pro fratre Rualeno. - Rualenum, jussu Pontificis abbatem Sancti Anastasii constitutum, sed invitum admodum ac renitentem, remitti ad se rogat.

EPIST. CCLIX. - Ad eundem. - Unde supra. - Se eadem velle, et eadem note cum Pontifice; adeoque Rualenum suum lihenter sistere jubenti Pontifici ad abbatiam Sancti Anastasii.

EPIST. CCLX. - Ad Rualenum abbatem. - Compatitur Rualeno in demandata sibi praefectura, cui tandem acquiescendum monet.

EPIST. CCLXI. - Ad dominum papam Eugenium. - Abbatem Sancti Urbani, ob susceptum militem Templi censuris subjectum, absolvi petit.

EPIST. CCLXII. - Ad eundem pro monachis Mosomensibus.

EPIST. CCLXIII. - Episcopo Suessionensi pro abbate Caziacensi.

EPIST. CCLXIV. - Petri Cluniacensis abbatis ad Bernardum abbatem. Suum erga Bernardum desiderium indicat, et in solatium absentiae dilectum sibi Nicolaum mitti obnixè postulat.

EPIST. CCLXV. - Rescriptum Bernardi abbatis ad eundem. - Laudari detrectat, velut indignus: vicissim tamen laudes praeconi suo rependit.

EPIST. CCLXVI. - Ad Sugerium abbatem Sancti Dionysii. - Animat eum, ut mortem intrepidus excipiat. Desiderium suum ejus ante mortem visendi significat.

EPIST. CCLXVII. - Abbati Cluniacensi.

EPIST. CCLXVIII. - Ad dominum papam Eugenium. - Monet promotionem cujusdam indigni subreptitiae factam, adeoque revocandam sententiam.

EPIST. CCLXIX. - Ad eundem. - Litteris a se per dolum extortis robur et auctoritatem derogat.

EPIST. CCLXX. - Ad eundem. - Scribit in causa Prioris Cartusiani contra transgressores quosdam. Mortem abbatis Cisterciensis nuntiat, et successorem commendat.

EPIST. CCLXXI. - Ad comitem Campaniae Theobaldum. - Monet filium ob minusculam aetatem ad dignitates ecclesiasticas non esse promovendum.

EPIST. CCLXXII. - Episcopo Laudunensi. - Commonet eum pia liberalitatis.

Eugenii papae epistola ad Capitulum Cisterciense, Epistolae CCLXXIII praemissa. - Capitulo Cistercii habendo se cupere interesse, si per occupationes pontificias liceret. Hortatur ad studium et zelum disciplinae et perfectionis religiosae in Capitulo promovendum.

EPIST. CCLXXIII. - Ad dominum papam Eugenium. - Laetatur ob litteras, zelo et affectu plenas, a Pontifice ad capitulum scriptas. Hortatur, ut ea sollicitudine pergat fovere omnes, sed praecipue sui Ordinis Religiosos. Abbatem Trium Fontium a praefectura sua abstractum queritur.

EPIST. CCLXXIV. - Ad Hugonem abbatem Trium Fontium, quando erat Romae. - Poenitet commendasse nepotem episcopi. Autissiodorensis, improbens collatam illi, praeposituram.

EPIST. CCLXXV. - Ad dominum papam Eugenium, pro Antissiodorensi electione. - De statu electionis Antissiodorensis, et fraude in ea commissa pontificem certiore facit.

EPIST. CCLXXVI. - Ad eundem, post obitum episcopi Autissiodorensis. - De irreligioso episcopi Autissiodorensis testamento, non sine fraude Stephani diaconi facto, monet Pontificem; illudque scandali causa irritari debere.

EPIST. CCLXXVII. - Ad eundem, pro abbate Cluniacensi. - Abbatem Cluniacensem benevole excipi, et honorifice tractari petit.

EPIST. CCLXXVIII. - Ad eundem, pro episcopo Belvacensi.

EPIST. CCLXXIX. - Ad Henricum comitem. - Comitem ob injuriam, a subditis ejus illatam, de restitutione in integrum compellat.

EPIST. CCLXXX. - Ad dominum papam Eugenium pro Autissiodorensi negotio. - Queritur sententiam apostolicam in causa electionis Autissiodorensis, a se jussu Pontificis denuntiatam, contemni.

EPIST. CCLXXXI. - Abbati Brunoni de Clara-Valle. - Brunonem perturbate et imprudenter scribentem redarguit.

EPIST. CCLXXXII. - Ad Ludovicum regem Francorum Junioem, pro electione Antissiodorensi. - Hortatur regem, ne electo Antissiodorensi episcopo obsistat.

EPIST. CCLXXXIII. - Ad dominum papam Eugenium, pro fratribus de Miratorio. - In compositione quadam litis frustra laboratum: ideoque auctoritate apostolica opus esse.

EPIST. CCLXXXIV. - Ad dominum papam Eugenium, pro Remensi archiepiscopo, et aliis personis.

EPIST. CCLXXXV. - Ad eundem, pro Odone abbate Sancti Dionysii. - Abbatem Sancti Dionysii commendat, et adversus suspectas aliorum criminationes, ex invidia et ambitione natas, tuetur.

EPIST. CCLXXXVI. - Ad eundem, pro eodem.

EPIST. CCLXXXVII. - Domino Ostiensi, pro eodem abbate.

EPIST. CCLXXXVIII. - Ad Andream avunculum suum, militem Templi. - Infelicem exitum sacrae expeditionis dolet; avunculi adventum optat.

EPIST. CCLXXXIX. - Ad reginam Jerosolymorum. - Instruit eam, quomodo se gerat, ut probae viduae coram Deo, et reginae coram hominibus partes impleat.

EPIST. CCXC. - Domino Ostiensi, de Jordano cardinali. Legatum apostolicum describit, quam faeda ubique vestigia reliquerit.

EPIST. CCXCI. - Ad dominum papam Eugenium, pro ecclesia Sancti-Eugendi Jurensis.

EPIST. CCXCII. - Ad quemdam saecularem. - Perstringit eum, quod Petrum, cognatum suum, a proposito vitae religiosae abstrahere conatus sit.

EPIST. CCXCIII. - Petro abbati de Cella, pro monacho Caziacensi, qui ad Claram-Vallem transierat.

EPIST. CCXCIV. - Ad dominum papam Eugenium, pro episcopo Cenomanensi. - Episcopum Cenomanensem, et alios Pontifici commendat.

EPIST. CCXCV. - Domino Henrico cardinali, pro eodem episcopo.

EPIST. CCXCVI. - Domino Ostiensi, pro eodem.

EPIST. CCXCVII. - Abbati Arremarensi. - Monachum apostatam poenitentem recipi petit.

EPIST. CCXCVIII. - Ad dominum papam Eugenium. - Nicolai notarii fraudes et imposturas detegit.

EPIST. CCXCIX. - Comiti Engolismensi, pro fratribus de Buxia. - Queritur de gravi exactione suis a comite imposita.

EPIST. CCC. - Blesensi comitissae. - Solatur comitissam, filii delicta per aetalem excusans, et melioris frugis spem faciens; unde blande potius et leniter quam aspere tractandum monet.

EPIST. CCCI. - Sanciae sorori imperatoris Hispaniae. - Controversiam, ex receptione cujusdam monasterii inter suos et alios quosdam Religiosos natam, ejus opera sopiri cupit.

EPIST. CCCII. - Legatis apostolicis, pro archiepiscopo Moguntino. - Causam archiepiscopi ab adversariis gravati commendat.

EPIST. CCCIII. - Ludovico Juniore regi Francorum. - Quid agendum regi causa cujusdam de Britannia adulteri et excommunicati.

EPIST. CCCIV. - Eidem. - Gaudet valetudinem suam regi esse curae; Robertum regis germanum commendat.

EPIST. CCCV. - Ad dominum papam Eugenium. - Episcopum Belvacensem a Romano itinere justis ex causis detentum. Itaque causam ejus Pontificis consilio totam committit.

EPIST. CCCVI. - Domino Ostiensi pro electione abbatis Tuoldi de Tribus-Fontibus. - Purgat se adversus columniam Hugonis episcopi Ostiensis, qui promotionem Tuoldi in abbatem Trium-Fontium indigne ferebat: nam alium ipse, Nicolaum scilicet, designaverat. Roberti electionem in novi monasterii abbatem excusat.

EPIST. CCCVII. - Ad eundem. - Belvacensem episcopum contra sinistros rumores tuetur. Valetudinem suam extreme afflictam indicat: et quid archiepiscopo Lugdunensi acciderit

EPIST. CCCVIII. - Ad Alfonsum Portugalliae regem. - Petitione regis se adlaborasse respondet, et fratrem ejus brevi a terrena militia ad coelestem transitum praedicat.

EPIST. CCCIX. - Ad Eugenium Pontificem. - Laudat Sugerium abbatem, ejusque legatos Pontifici commendat.

EPIST. CCCX. - Ad Arnaldum Carnotensem abbatem Bonaevallis. - Bernardus in extremis positus, hanc amico epistolam ultimam scripsit.

Admonitio in epistolas sequentes.

EPIST. CCCXI. - Ad Haimericum cancellarium. - Aemulos quosdam piis aliorum conatibus adversantes acriter perstringit: Haimericum vero ad sedulam boni publici curam, oblata occasione, exstimulat.

EPIST. CCCXII. - Ad Raynaldum archiepiscopum Remensem. - De remissis ad se litteris gratias agit.

EPIST. CCCXIII. - Ad Gaufridum abbatem Sanctae-Mariae Eboracensis. - Religiosos, a laxiore ad strictiorem vivendi modum transire volentes, non impediendos; et apostatas censendos, qui post transitum resiliunt ad vitam priorem.

EPIST. CCCXIV. - Ad dominum papam Innocentium. - Bernardus post reconciliatos Ecclesiae Mediolanenses jussu Innocentii ad pacificandas ipsas inter se Lombardia civitates profectus, Papiam et Cremonam se contulit. Sed apud Cremonenses nihil prosiciens, eorum pertinaciam Pontifici significat, et ut severiorem, quam in archiepiscopum Mediolanensem parabat sententiam, paulisper suspendat, hortatur.

EPIST. CCCXV. - Ad Mathildem reginam Anglorum. - Rogat ut annuat petitioni alias insinuatae pro monachis de Capella.

EPIST. CCCXVI. - Ad Henricum Senonensem archiepiscopum, et ad Haimericum cancellarium. - Hortatur ut nobili cuidam, bona ecclesiastica possidenti, sed nunc ea religiosis quibusdam cedere volenti, non adversentur.

EPIST. CCCXVII. - Ad Priorem suum Godefridum. - Schismate extincto, et pace composita, jam se quamprimum ad suos reditum pollicetur.

EPIST. CCCXVIII. - Ad papam Innocentium. - Remensis Ecclesiae pericula insinuat, et maturam epem a Pontifice desiderat.

EPIST. CCCXIX. - Ad Turstinum Eboraci archiepiscopum. - Hortatur curam pastorem ne dimittat: si tamen justa causa, aut Pontificis consensus adsit, locum petat religiosae disciplinae magis observantem.

EPIST. CCCXX. - Alexandro Priori de Fontibus, et ejusdem loci fratribus. - Hortatur ad electionem novi abbatis unanimiter faciendam.

EPIST. CCCXXI. - Ad Henricum de Murdach, primum abbatem de Valle-Clara, postea de Fontibus, tandem archiepiscopum Eboracensem. - Jubet, ne electionem sui in abbatem de Fontibus refutet.

EPIST. CCCXXII. - Ad Hugonem novitium, postea Bonae-Vallis abbatem. - Laudat vitae religiosae propositum, praemunitque eum adversus tentationes, et ad constantiam ac perseverantiam excitat.

EPIST. CCCXXIII. - Ad Innocentium papam. - Pro archiepiscopo Treverensi contra abbatem Sancti-Maximini.

EPIST. CCCXXIV. - Ad Robertum abbatem de Dunis. - Absentiae mutuae solamen suggerit, nempe animorum conjunctionem, imo et corporum, quandoque futuram.

EPIST. CCCXXV. - Ad eundem, de Iderio novitio. - Quid de novitio dyscolo faciendum rogatus consultit.

EPIST. CCCXXVI. - Guillelmi abbatis, ad Gaufridum Carnotensem episcopum, et Bernardum abbatem Clarae-Vallensem. - Ut Dei et Ecclesiae causam adversus Petri Abaelardi errores, quorum aliquot capitula producit, tueantur.

EPIST. CCCXXVII. - Rescriptum Bernardi ad Guillel mum abbatem. - Libellum contra Petrum Abaelardum conscriptum laudat, mutuumque colloquium post Pascha promittit.

EPIST. CCCXXVIII. - Ad Romanum pontificem. - Contra clectum Rutenensem.

EPIST. CCCXXIX. - Ad episcopum Lemovicensem. - Contra eundem electum Rutenensem.

EPIST. CCCXXX. - Ad Innocentium papam. - Contra Petrum Abaelardum.

EPIST. CCCXXXI. - Ad Stephanum cardinalem et episcopum Praenestinum. - Ejusdem argumenti.

EPIST. CCCXXXII. - Ad G. cardinalem. - Item contra Petrum Abaelardum

EPIST. CCCXXXIII. - Ad G. cardinalem. - Ejusdem item argumenti.

EPIST. CCCXXXIV. - Ad Guidonem Pisanum. - Contra eundem Abaelardum.

EPIST. CCCXXXV. - Ad quemdam presbyterum cardinalem. - Item contra Petrum Abaelardum.

EPIST. CCCXXXVI. - Ad quemdam abbatem. - Ejusdem argumenti.

EPIST. CCCXXXVII. - Ad Innocentium pontificem, in persona Franciae episcoporum. - Episcopi Galliae exponunt Pontifici, quid actum sit in causa Petri Abaelardi, Bernardum ad disceptationem in synodo provocantis, sed objectos sibi haeresum articulos respondere nolentis, et ad Sedem apostolicam appellantis.

EPIST. CCCXXXVIII. - Ad Haimericum cardinalem et cancellarium. - Petro Abaelardo haereseos convicto, non debere apud cardinales et curiam Romanam patere refugium.

EPIST. CCCXXXIX. - Ad papam Innocentium. - Alvisi Atrebatensis episcopi innocentiam adversus calumniatores ejus asserit.

EPIST. CCCXL. - Ad eundem Innocentium papam. - Pro episcopo Andegavensi.

EPIST. CCCXLI. - Ad Malachiam Hiberniae archiepiscopum. - Fratres, litteras, et baculum, ab eo missa grato animo suscipit. Locum Religiosis idoneum praeparari jubet: seque ejus orationibus commendat.

EPIST. CCCXLII. - Ad Joslenum episcopum Suessionensem. - Archiepiscopum Burdegalensem apud regem purgari postulat.

EPIST. CCCXLIII. - Bernardi abbatis Itali ad Innocentium. - Conqueritur quod in monasterio Salvatoris omnia secundum pontificis promissa non contigerint.

EPIST. CCCXLIV. - Ejusdem Bernardi ad sanctum Bernardum. - Praefecturam sibi impositam conqueritur.

EPIST. CCCXLV. - Ad fratres de Sancto-Anastasio. - Commendat eorum in religiosa disciplina zelum et observantiam Attamen nimium valetudinis per medicinas tuendae studium improbat.

EPIST. CCCXLVI. - Ad dominum papam Innocentium. - Hortatur Pontificem, ne causae archiepiscopi Eboracensis, utpote iniquae, faveat.

EPIST. CCCXLVII. - Ad eundem dominum Innocentium papam. - Commendat nuntios, causa archiepiscopatus Eboracensis Romam petentes.

EPIST. CCCXLVIII. - Ad eundem Innocentium. - Pro Arnulfo Lexoviensi episcopo electo.

EPIST. CCCXLIX. - Ad eundem. - Amicum pontifici commendat.

EPIST. CCCL. - Ad eundem. - Propinquum suum benedictione pontificis muniri rogat.

EPIST. CCCLI. - Ad eundem Innocentium. - Pauperes quosdam commendat.

EPIST. CCCLII. - Innocentii II papae Privilegium sancto Bernardo concessum. - Innocentius Bernardo atque ordini Cisterciensi amplissima privilegia concedit ob praeclara ejus in sedem apostolicam merita.

EPIST. CCCLIII. - Ad Willelmum abbatem de Rievaille. - Monet aequanimiter ferre illegitimam archiepiscopi Eboracensis ordinationem.

EPIST. CCCLIV. - Ad reginam Jerosolymorum Milisendem, filiam Balduini regis, et Fulconis uxorem. - Mortuo Fulcone viro suo, ut se gerere debeat.

EPIST. CCCLV. - Ad eandem reginam Jerosolymorum. - Praemonstratenses Jerosolymam peregrinantes commendat.

EPIST. CCCLVI. - Ad Malachiam Hiberniae archiepiscopum. - Remittit religiosos, sed (quod negotiis imputat) non satis adhuc exultos et instructos.

EPIST. CCCLVII. - Ad eundem. - Perseverantem, imo et proficientem ab eo dilectionem requirit, eamque in fratribus a se missis, curandis et fovendis ostendi cupit.

EPIST. CCCLVIII. - Ad dominum papam, nempe Coelestinum. - Opem et auctoritatem Pontificis in pace Theobaldo Campaniae comiti procuranda postulat.

EPIST. CCCLIX. - Clarae-Vallensium ad eundem Coelestinum. - Abbatem Morimundi Jerosolymam peregrinaturum cupiunt retinere.

EPIST. CCCLX. - Ad Willelmum abbatem de Rievaille. - Denuo hortatur Willelmum ad patientiam et aequanimitatem.

EPIST. CCCLXI. - Ad Theobaldum archiepiscopum, pro Joanne Salesberiensis. - Confisus de amicitia Theobaldi, Joannem ei commendat.

EPIST. CCCLXII. - Ad Robertum Pullum cardinalem et cancellarium. - Hortatur ut Eugenio, recens electo Pontifici, strenuum pro officio suo se adiutorem praebeat in negotiis Ecclesiae.

EPIST. CCCLXIII. - Ad Orientalis Franciae clerum et populum. - Ad arma contra infideles pro defensione Orientalis Ecclesiae suscipienda hortatur. Praeterea contra turbulentum quemdam praedicatorem docet Judaeos non esse persequendos, nedum occidendos.

EPIST. CCCLXIV. - Ad Petrum abbatem Cluniacensem. - Invitat Petrum ad conventum Carnotensem, ubi de auxilio Orientali Ecclesiae ferendo consultandum.

EPIST. CCCLXV. - Ad Henricum Moguntinum archiepiscopum. - Radulfum monachum, qui fideles in Judaeorum necem armabat, arguit.

EPIST. CCCLXVI. - Ad Hildegardem abbatissam. - Laudibus suis modeste rejectis, ut ipsa Dei gratiam in se agnoscat monet, et orationes pro se suisque, postulat.

EPIST. CCCLXVII. - G. Cancellario. - Episcopum Metensem commendat.

EPIST. CCCLXVIII. - Ad G. diaconum cardinalem. - Affectum ejus, litteris et donis expressum, gratus amplectitur, et ab amore terrenorum opumque avocatur.

EPIST. CCCLXIX. - Ad Sugerium abbatem. - Gratulatur Sugerio de reformatione ecclesiae S. Genovefae feliciter institutae, et ut bene coeptis insistat, hortatur.

EPIST. CCCLXX. - Ad eundem. - Ecclesiam de Monte ei commendat.

EPIST. CCCLXXI. - Ad eundem. - Dissuadet matrimonium inter filium comitis Andegavensis et filiam regis Francorum, ob impedimentum consanguinitatis.

EPIST. CCCLXXII. - Ad P. episcopum Palentinum in Hispania. - Laudat eum ab humilitate, sed maxime a studio lectionis.

EPIST. CCCLXXIII. - Abbatis Sp. ad S. Bernardum. - De praefectura sibi imposita luget.

EPIST. CCCLXXIV. - Ad fratres de Hibernia, in transitu beati Malachiae episcopi. - Sanctorum obitum gaudio potius quam luctu prosequendum. Singularem quoque Dei beneficio, Claram-Vallem tanti viri morte et sepultura honoratum.

EPIST. CCCLXXV. - Ad Idam comitissam Nivernensem. - Monachos Vizeliaceuses a comitissae clientibus infestari queritur.

EPIST. CCCLXXVI. - Ad Sugerium abbatem. - Hortatur et rogat, ut duellis quorundam principum se opponat.

EPIST. CCCLXXVII. - Ad eundem. - Praedicat ejus zelum et studium boni communis, quod indixerit comitia regni pro ejus salute, hortaturque ad causam rei publicae fortiter agendam.

EPIST. CCCLXXVIII. - Ad eundem. - Petit subsidium annonae pro Religiosis Bituricensibus.

EPIST. CCCLXXIX. - Ad eundem. - Abbati cuidam inopi subveniri rogat.

EPIST. CCCLXXX. - Ad eundem. - De periculoso statu Ecclesiae Orientalis.

EPIST. CCCLXXXI. - Ad eundem. - Monet se de ipso recte sentientem, dolere tamen quod mala regni palam ipsi imputentur. Hortatur ut caveat, ne eorum, per quos ista fiunt, consortio infametur.

EPIST. CCCLXXXII. - Ad Leonium abbatem SanctiBertini. - Ejus in se suosque beneficia gratus agnoscit. Thomam de sancto Audomaro ad Clariae-Vallenses transire volentem non prohibendum.

EPIST. CCCLXXXIII. - Ad eundem abbatem SanctiBertini. - Rogat ut officia humanitatis, hactenus fratribus suis exhibita, continuet.

EPIST. CCCLXXXIV. - Ad monachus ecclesiae Sancti-Bertini. - Gratias agit beneficentiae hactenus suis praestitae largam a Deo retributionem promittens.

EPIST. CCCLXXXV. - Ad eosdem. - Eis de meliori observantia gratulatur, eosdemque ad studium religiosae perfectionis et assidui profectus excitat.

EPIST. CCCLXXXVI. - Joannis Casae-Marii ad Bernardum abbatem. - Solatur Bernardum de infelici expeditionis in Terram Sanctam successu.

EPIST. CCCLXXXVII. - Ad Petrum abbatem Cluniacensem. - Praevia sinceri in Petrum affectus et amoris protestatione, si quid acerbius litteris quibusdam scripserit, excusari rogat.

EPIST. CCCLXXXVIII. - Petri Venerabilis ad Bernardum abbatem Clariae-Vallensem. - Titulos et elogia respuit, et quanti Bernardum ejusque amicitiam faciat, luculenter ostendit. Ejusdem quoque satisfactionem de injuria litterarum libens admittit.

EPIST. CCCLXXXIX. - Ad Petrum abbatem Cluniacensem. - Perjucundas sibi fuisse Petri litteras, sed occupationum mole praepedito non licuisse prolixius respondere

EPIST. CCCXC. - Ad Eschilum Lundensem archiepiscopum, sedis apostolicae in Dacia et Suecia legatum. - Amorem ejus gratus et humilis agnoscit, suumque vicissim ostendit.

EPIST. CCCXCI. - Ad Abbatissam Faberniacensem. - Monet de reficiendis non tantum domibus, sed et moribus, et de diligenti hospitalis cura.

EPIST. CCCXCII. - Ad Radulfum patriarcham Antiochenum. - Humilitatem praecipue ei inculcat.

EPIST. CCCXCIII. - Ad W. patriarcham Jerosolymorum. - Ad humilitatem eum hortatur.

EPIST. CCCXCIV. - Ad archiepiscopum Lugdunensem. - Pro abbate Athanacensi apud Lugdunum.

EPIST. CCCXCV. - Ad Alvisum Atrebatensem episcopum. - Non satis aequam ejus petitionem esse, ut Thomas de Sancto-Audomaro, qui se Clariae-Vallensibus devoverat, dimittatur Bertinensibus, qui eum sibi ex voto parentum vindicare volebant.

EPIST. CCCXCVI. - Ad Ricuinum episcopum Tullensem. - Excusat se apud eum, quod ejus professum Willelmum ignorans susceperat.

EPIST. CCCXCVII. - Ad Odonem abbatem Majoris-Monasterii prope Turones. - Monachos, de quibusdam rebus cum clericis contententes, arbitrorum sententiae acquiescere debere.

EPIST. CCCXCVIII. - Ad Guidonem abbatem et fratres Arremarenses. - Rogatus ab Arremarensibus, ut Officium de sancto Victore ipsorum patrono componat, tenuitatem suam et operis difficultatem praetendit, exponens qualia esse oportet quae publice adhibentur divino cultui: cantus quoque ecclesiastici leges describit.

EPIST. CCCXCIX. - Ad Leibertum abbatem Sancti-Michaelis. - Monachum quemdam a perverso peregrinationis proposito dehortatus, remittit ad suum monasterium.

EPIST. CD. - Ad abbatem Laetiensem. - Fratrem Robertum recipi, et benignius tractari, ac statutum abbatis sibi renuntiari cupit.

EPIST. CDI. - Ad abbatem Balduinum de Castellione. - Timorem ei eximit, ex imprudenti cujusdam verbo natum.

EPIST. CDII. - Ad Balduinum Noviomensem episcopum. - Puerum ei facete commendat.

EPIST. CDIII. - Ad Henricum archidiaconum. - An valeat Baptismus hac verborum forma collatus: "Baptizo " te in nomine Dei, et sanctae et verae crucis."

EPIST. CDIV. - Ad Albertum inclusum. - Consulit ei semel in die refici, et mulierculas prorsus non admittere.

EPIST. CDV. - Ad G. abbatem. - Fratri cuidam ad vivendum more communitatis sat virium esse.

EPIST. CDVI. - Ad abbatem Sancti-Nicolai.

EPIST. CDVII. - Ad Odonem abbatem Belli-Loci. - Monet depositum pauperi sine dilatione reddendum.

EPIST. CDVIII. - Ad W. Abbatem Trecensem. - Clericum delicatum saeculo valedicentem abbati Trecensi commendat, veritus rigori Clariae-Vallensium imparem fore.

EPIST. CDIX. - Ad Rorgonem de Abbatis-Villa. - Monet corpoream praesentiam non magni pendendam: rogat terram quamdam incultam religiosis attribui.

EPIST. CDX. - Ad Gilduinum abbatem Sancti-Victoris. - P. Lombardum commendat.

EPIST. CDXI. - Ad Thomam Beverlacensem praepositum. - Suavissima sane et melliflua epistola que Thomam invitat ad vitam religiosam, peccatis etiam quibuscumque non obstantibus. Bonae conscientiae nihil praeferri posse in hoc mundo.

EPIST. CDXII. - Ad T. adolescentem qui vitam monasticam voverat.

EPIST. CDXIII. - Ad Rainaldum abbatem. - Novitium in proposito confirmatum benigne recipi postulat.

EPIST. CDXIV. - Ad Alardum monachum. - Unde supra. Perstringit eum, quod praedicto novitio expulso, ac jam reditum atque emendationem molienti, pertinacius obsistat.

EPIST. CDXV. - Ad quemdam pacti sui praevaricatorem. - Hortatur ut, excusso voluptatis carnalis jugo, promissum religionis votum exsequatur.

EPIST. CDXVI. - Ad incognitum. - Eleemosynas coomitis Theobaldi a se non fuisse distributas asserit.

EPIST. CDXVII. - Ad abbatem de Trunco-Berengarii. - Fratrem Dodonem ab eo humane recipi postulat.

EPIST. CDXVIII. - Ad Hugonem archiepiscopum Rotomagensem. - Donationem Saviniaco factam confirmari ab episcopo rogat.

EPIST. CDXIX. - Ad Petrum abbatem Cellensem. - Furnum Cellensibus dimittit.

EPIST. CDXX. - Ad Nicolaum Cameracensem episcopum. (Fragmentum.)

MONITUM in sequentes triginta sex epistolas.

EPIST. CDXXI. - Ad mar. et uxorem ejus. - Hortatur eos ad eleemosynam et pia opera.

EPIST. CDXXII. - Ad quemdam abbatem. - Excusat se de epistolae brevitate, remittitque illi quemdam adolescentem, quem admittere cum suis minime poterat.

EPIST. CDXXIII. - Ad quemdam episcopum. - Commendat ei causam monasterii Sancti-Martini.

EPIST. CDXXIV. - Ad quemdam amicum. - Excusat se quod cum eo ad ligatum ire non queat.

EPIST. CDXXV. - Ad quemdam judicem. - Commendat ei causam abbatiae Fontaneti.

EPIST. CDXXVI. - Ad quemdam amicum. - Commendat ei latorem praesentium.

EPIST. CDXXVII. - Ad episcopum Trecensem. - Improbat quod archidiaconatum puerulo dederit.

EPIST. CDXXVIII. - Ad quemdam abbatem. - Laudat eum et hortatur ad emendationem sui monasterii et praecipue hospitalis.

EPIST. CDXXIX. - Ad quemdam amicum. - Gratias agit Deo de rebus prospere gestis.

EPIST. CDXXX. - Ad quemdam amicum. - Quod beneficia ecclesiastica non de laicali manu, sed de episcopi accipienda sunt.

EPIST. CDXXXI. - Ad Innocentium II papam. - Delegatus a summo pontifice iudex ad dirimendam litem inter duos contententes de archiepiscopatu Turonensi, declarat Philippi electionem esse nullam.

EPIST. CDXXXII. - Ad dominum papam. - In gratiam episcopi Trecensis.

EPIST. CDXXXIII. - Ad eundem. - In gratiam episcopi Trecensis.

EPIST. CDXXXIV. - Ad eundem. - Ejusdem argumenti.

EPIST. CDXXXV. Ad eundem. - Commendat ei litterarum latorem

EPIST. CDXXXVI. - Ad eundem. - Commendat ei quemdam amicum.

EPIST. CDXXXVII. - Ad eundem. - In gratiam Trecensis episcopi.

EPIST. CDXXXVIII. - Ad eundem. - In gratiam Trecensis episcopi.

EPIST. CDXXXIX. - Ad eundem. - In gratiam Trecensis episcopi.

EPIST. CDXL. - Ad anonymum. - Hortatur ut animae curam praeferens corporis sollicitudini, saeculo renuntiet.

EPIST. CDXLI. - Ad Priorem quemdam. - Mittit ei adolescentem qui in Ordine recipi postulabat.

EPIST. CDXLII. - Ad quemdam Ordinis S. Benedicti abbatem. - Mittit ei duos adolescentes ad ordinem Cisterciensem viribus impares, sed sibi non forte inutiles.

EPIST. CDXLIII. - Ad quemdam amicum. - De quodam adolescente, cujus pravos mores narrat, qui nobilium matrimonium ambiebat.

EPIST. CDXLIV. - Ad quemdam abbatem. - De quodam monacho qui ad alium Ordinem transire volebat, quod fieri improbat.

EPIST. CDXLV. - Ad quemdam abbatem. - Commendat ei L. fugitivum revertentem, quem benigne suscipi rogat.

EPIST. CDXLVI. - Ad anonymum. - Scribit se ex morbo gravi convalescere, et mortis januas evasisse.

EPIST. CDXLVII. - Ad Amedeum Altae-Cumbae abbatem. - Rogat ut nuntios mittat Montem-Pessulanum, quo ascendere debebant regis Siciliae naves, ut apud regem eum excusent, quod fratres in Siciliam non miserat.

EPIST. CDXLVIII. - Ad anonymum. - Commendat ei abbatem Farfensem sanctae Ecclesiae Romanae cardinalem.

EPIST. CDXLIX. - Ad regem Francorum. - Excusat se a suscipienda dignitate ad quam electus erat.

EPIST. CDL. - Ad amicum. - Scribit se tandem convalescere et a mortis faucibus ereptum.

EPIST. CDLI. Ad fratres \*\*\*. - Hortatur ad eleemosynas famis tempore faciendas.

EPIST. CDLII. - Ad quemdam abbatem. - Hortatur ut benigne fugitivum recipiat, nec praelati dignitatem abiciat.

EPIST. CDLIII. - Ad anonymum. - Laudat ejus prudentiam et humilitatem.

EPIST. CDLIV. - Ad anonymum. - Stephano, si perseveraverit, promittit dignos poenitentiae fructus.

EPIST. CDLV. - Ad materteram imperatoris Hispaniarum. - Fratrum ei suffragia concedit, oratque ut controversia, quae inter suos et fratres de Careda erat, per episcopos terminetur.

Praefatio in epistolam sequentem.

EPIST. CDLVI. - Ad Raymundum dominum Castri Ambruosii.

EPIST. CDLVII. - Ad universos fideles. - De expeditione in terram sanctam. Festum SS. Petri et Pauli quo apud Magdeburgum conveniant, designat.

EPIST. CDLVIII. - Ad Wladislaum ducem, Magnates et populum Bohemiae. - Omnes ad expeditionem Hierosolymitanam invitat, idemque negotium episcopo Moraviensi commendat.



EPIST. CDLIX. - Ad. G de Stopho.  
MONITUM in sequentem epistolam.  
EPIST. CDLX. - Ad N.

APPENDIX AD EPISTOLAS S. BERNARDI.

I. EPISTOLAE DUBIAE VEL SPURIAE.

EPIST. CDLXI. - Ad Mattheum Albanensem episcopum. - Super Evangelio Lucae, cap. XVI, 1-9: "Homo quidam erat dives qui habebat villicum."  
EPIST. CDLXII. - Ad quosdam noviter conversos. - Hortatur ad constantiam propositi vitae religiosae et ne anteactae vitae peccatis se deterreri sinant.  
EPIST. CDLXIII. - Ad Alfonsum regem Portugalliae. - Rex, obtenta de Saracenis victoria, reus voti de condendo Cisterciensibus monasterio tenebatur. Itaque postulatos e Clara-Valle monachos Bernardus mittit in Lusitaniam.  
EPIST. CDLXIV. - Ad Joannem Ciritam. - Cognito divinitus ejus zelo ac desiderio, mittit-e Clara-Valle monachos ad fundandum in Lusitania monasterium.  
EPIST. CDLXV. - Ad abbatem Sancti-Benedicti.  
EPIST. CDLXVI. - Ad Ludovicum regem.

II. NICOLAI CLARA-VALLENSIS IN PERSONA S. BERNARDI.

EPIST. CDLXVII. - Nicolai Clarae-Vallensis ad comitem et Barones Britanniae, in persona domini Clarae-Vallensis, pro negotio crucis.  
EPIST. CDLXVIII. - Ejusdem ad Manuelem Comnenum Constantinopolitanum imperatorem, in persona domini Clarae-Vallensis. - Ut filium comitis Theobaldi faciat novum militem.  
EPIST. CDLXIX. - Ejusdem ad Lucanum episcopum, in persona domini Clarae-Vallensis. - Incitativa ad fortitudinem.

III. DIVERSORUM AD S. BERNARDUM ET ALIOS.

EPIST. CDLXX. - Alfonsi regis ad S. Bernardum.  
EPIST. CDLXXI. - Sugerii abbatis S. Dionysii ad S. Bernardum. - Gratias agit de consolatione sibi in extremis agenti data, seque ipsius commendat orationibus.  
EPIST. CDLXXII. - Evervini Steinfeldensis praepositi ad S. Bernardum, - De haereticis sui temporis.  
EPIST. CDLXXIII. - Henrici Remensis ad Bernardum.  
EPIST. CDLXXIV. - Joannis Aletani episcopi ad Bernardum.  
EPIST. CDLXXV. - M. Cracoviensis episcopi ad S. Bernardum. - Illum invitat ad conversionem Rutenorum.  
EPIST. CDLXXVI. - Thomae quondam abbatis Maurigniacensis ad S. Bernardum.  
EPIST. CDLXXVII. - Matronae cujusdam ad S. Bernardum.  
EPIST. - CDLXXVIII. - B. ad S. Bernardum. - De indisciplinato monacho agit.  
EPIST. CDLXXIX. - Hugonis Metelli ad S. Bernardum. - In qua ejus laudes fuse prosequitur.  
EPIST. CDLXXX. - Ejusdem Hugonis Metelli ad S. Bernardum. - Se suosque ab accusatione purgare conatur.  
EPIST. CDLXXXI. - Ejusdem Hugonis, in persona abbatis sui ad Guillelmum abbatem. - Excusat, quod ad Herberti sui calumnias aliquanto durius respondeat.  
EPIST. CDLXXXII. - Haimonis archidiaconi Catalaunensis ad Bernardum.  
EPIST. CDLXXXIII. Ejusdem ad eundem.  
EPIST. CDLXXXIV. - G. ad S. Bernardum. - Ad excusandum Ambianensem episcopum ab expeditione transmarina.  
EPIST. - CDLXXXV. - Samsonis archiepiscopi Remensis ad sanctum Bernardum. - De conditione monasterii Morensis, dioecesis Lingonensis.  
EPIST. CDLXXXVI. - Herici episcopi Trecensis ad S. Bernardum de Bulencuriae abbatia.  
EPIST. CDLXXXVII. - Gaufridi episcopi Carnotensis ad Stephanum episcopum Parisiensem. - De pace inter ipsum et Stephanum de Garlanda.  
EPIST. CDLXXXVIII. - Hugonis episcopi ad capitulum Cisterciense. - De morte Eugenii III papae.  
EPIST. CDLXXXIX. - Bartholomaei, ex episcopo monachi, ad Samsonem archiepiscopum Remensem. - Reddit rationem suae administrationis.  
EPIST. CDXC. - Turstini archiepiscopi Eboracensis ad Willelmum Cantuariensem pontificem.  
EPIST. CDXCI. - Fastredi abbatis Clarae-Vallensis tertii ad quemdam Ordinis sui abbatem.  
EPIST. - CDXCII. - Petri de Roya novitii Clarae-Vallensis ad C. praepositum Noviomensem. - Transactae vitae errores enumerat, et Clarae-Vallis optimam laudat institutionem.  
EPIST. CDXCIII. - Capituli generalis nigrorum monachorum ad Adriam IV. - De amovendo abbate Latiniacensi.  
EPIST. CDXCIV. - Eorumdem ad Alexandrum III.  
EPIST. CDXCV. - Ad abbatem Reatinensis monasterii.

S. BERNARDI CHARTAE.

I. - Pro abbacia de Trunco-Berengarii.  
II. - Pro Luxoviensi et Sancti-Apri monasteriis.  
III. - Compositio facta inter Hugonem episcopum et Willelmum comitem Autissiodorensis.  
IV. - Pro monasterio S. Victoris Parisiensis.  
V. - Pro monasterio Sancti-Amantii.

OPÉRUM S BERNARDI TOMUS SECUNDUS. - TRACTATUS MORALES, DOCTRINALES ET ASCETICI.

Praefatio in tomum II.

Monitum J. Merlonis Horstii ad lectores.

DE CONSIDERATIONE LIBRI QUINQUE ad Eugenium tertium.

Prologus.

LIBER PRIMUS.

CAP. I - Pontifici, tam variis occupationibus presso, condolet.  
CAP. II. - Vis consuetudinis ad inducendos pravos mores, et duritiam cordis.  
CAP. III. - Indignum proceribus Ecclesiae continue causis litigantium audiendis et decidendis incumbere.  
CAP. IV. - Quae servitus digna, quae indigna servo savorum Dei.  
CAP. V. - Non gerendam aliorum curam cum sui ipsius incuria et neglectu.  
CAP. VI. - Non tam episcopis, quam principibus judiciariam potestatem competere.  
CAP. VII. - Pietati et rerum aeternarum considerationi in primis vacandum esse.  
CAP. VIII. - Ex pietate et contemplatione pulcherrimam quatuor primarum virtutum harmoniam et connexionem oriri.  
CAP. IX. - Recentia Pontificum exempla paulatim corrigenda, vetera imitanda.  
CAP. X. - Abusus advocatorum, judicum, procuratorum, eorumque fraudes graviter perstringit.  
CAP. XI. - In advocatos et procuratores, qui ex iniquitate quaestum faciunt, severe animadvertendum.

LIBER SECUNDUS.

CAP. I. - Apologiam instituit, ob infelicem successum expeditionis in Terram Sanctam susceptae.  
CAP. II. - Considerationis a contemplatione distinctio.  
CAP. III. - Considerationis quatuor puncta designat.  
CAP. IV. - Notitiam sui ipsius triplici consideratione sui complectitur; et primum quidem considerationis membrum hic exsequitur,  
CAP. V. - Alterum membrum considerationis sui proponit: nempe, quis sit, et unde.  
CAP. VI. - Quale debeat esse procerum Ecclesiae studium.  
CAP. VII. - Resumens priorem quaestionem, quis sit, diligentius expendit.  
CAP. VIII. - De pontificiae dignitatis et potestatis excellentia disserit.  
CAP. IX. - Propriae naturae considerationem commendat.  
CAP. X. - Tertium membrum considerationis sui, nempe qualis sit, exponit.  
CAP. XI. - Serium examen sui Pontifici serio commendat.  
CAP. XII. - Neque in prosperis animum nimis laxandum, neque in adversis deficientium.  
CAP. XIII. - Ab otio et nugis vanisque sermonibus Pontificem dehortatur.  
CAP. XIV. - Personarum acceptionem in judiciis summopere vitandam.

LIBER TERTIUS.

CAP. I. - Pontificis esse, non tam ut omnes suo dominio subiciat, sed ut omnes, quantum fieri potest, ad Ecclesiae gremium perducat.  
CAP. II. - Quis modus in appellationibus ad sedem apostolicam adhibendus sit.  
CAP. III. - Praesules Ecclesiae non tam ut praesint, ac semetipsos pascant, quam ut allis prosint, constitutos esse.  
CAP. IV. - Gradus ordinum et dignitatum, quae in Ecclesiae sunt, non temere confundendos ac perturbandos. Hinc abusum quaerendi privilegia ac exemptiones perstringit.  
CAP. V. Summo Pontifici incumbere curam de apostolicis decretis, et majorum institutis per totum orbem servandis.

LIBER QUARTUS.

CAP. I. Tractat de his quae circa ipsum sunt.

CAP. II - De cleri et populi Romani moribus agit, et de veterum pastorum cura ac vigilantia.

CAP. III. - De vestium pompa resecanda, et zelo Pontifici necessario.

CAP. IV. - Quales collaterales et coadjutores a Pontifice adhibendi: ubi de virtutibus praelatorum.

CAP. V. - Exemplis commendatur abstinentia munerum; et arrogantia ministrorum Papae perstringitur.

CAP. VI. - Pontifici non convenire, utpote gravioribus intento, rei domesticae curam; proindeque alteri potius oeconomus committendam.

LIBER QUINTUS.

CAP. I. - De his qui supra nos sunt, id est de Deo rebusque divinis, considerationem instituit, ad quas modo per creaturas erigimur.

CAP. II. - Assignat varios considerationis gradus.

CAP. III. - Ea quae supra nos sunt, Deum scilicet et angelos, investigari opinione, fide et intellectu.

CAP. IV. - Angeli quomodo considerandi.

CAP. V. - Gratias ac dotes angelorum a Deo in ipsos derivari.

CAP. VI. - Principii et essentiae rationem proprie soli Deo convenire.

CAP. VII. - Deum et simplicem et trinum esse.

CAP. VIII. - Personarum pluralitatem in Deo consurgere ex proprietatibus; essentiam tamen unam et simplicem esse.

CAP. IX. - Uti in Deo simplex natura est in tribus personis, sic contra in Christo plures naturas in unam personam coalescere.

CAP. X. - Parabola, quae est apud Matthaeum de tribus satis, Christi personae accommodatur.

CAP. XI. - Continuatio considerationis de Deo.

CAP. XII. - Deum et bonorum operum pium remuneratorem, et scelerum aequissimum vindicem esse.

CAP. XIII. - De longitudine, latitudine, profunditate et sublimitate Dei profunde et eleganter discurre.

CAP. XIV. - Modum, quo praedicta secundum Apostolum comprehendere possimus, ostendit.

Admonitio in opusculum sequens.

#### TRACTATUS DE MORIBUS ET OFFICIO EPISCOPORUM.

Prologus.

CAP. I. - Arduum at periculosum esse munus episcopi; ideoque ei bonis consiliariis opus.

CAP. II. - Honorem et decus dignitatis ecclesiasticae non consistere in externo splendore, sed in morum et virtutum decore.

CAP. III. - Praesulum potissima et dignissima ornamenta, castitas, charitas, humilitas.

CAP. IV. - Cura sincerae fidei, et charitatis non fictae, praesuli maxime necessaria.

CAP. V. - De virtute humilitatis omnibus quidem, sed praelatis in primis necessaria.

CAP. VI. - Laus et vera gloria in conscientia cujusque reponenda; attamen non sine formidine, quia Deus est scrutator et Judex cordium.

CAP. VII. - Ambitionem ecclesiasticorum, promotionem juniorum, et pluralitatem beneficiorum perstringit.

CAP. VIII. - Humilitatem et modestiam episcopo commendat.

CAP. IX. - Abbates exemptionibus praepostere studentes arguuntur.

Admonitio in opusculum sequens.

#### SERMO DE CONVERSIONE AD CLERICOS.

CAP. I. - Quod nemo converti ad Dominum, nisi Dei voluntate praeventus et ejus voce interius clamante, possit.

CAP. II. - Quod ipsa vox Domini omnibus se offerat, et animam sibi ipsi nolentem repraesentet.

CAP. III. - Quod per vocem Dei, animae ratio, quasi in libro, omnia mala deprehendere, reprehendere, dijudicare et discernere valeat.

CAP. IV. - Quod diligens iniquitatem, odit animam, et carnem suam: et de poenitentia infructuosa post mortem.

CAP. V. - Quod vermis conscientiae in praesenti sentiri et suffocari debet, non in immortalitatem foveri ac nutrir.

CAP. VI. - Difficultatem conversionis et luctam respiscere parantis, graphice repraesentat.

CAP. VII. - Respiratio consolationis pauperibus spiritu seu animae miseriam agnoscenti.

CAP. VIII. - Carnales voluptates, et divitias esse omnino vanas, fallaces, et momentaneas.

CAP. IX. - Quod impossibile sit peccantem latere.

CAP. X. - Non solum declinando a malo, sed et faciendo bonum salutem obtineri.

CAP. XI. - Converti molientes acrius a solitis vitiis tentari, ipsis vero luctum esse necessarium.

CAP. XII. - Quomodo voluntas suaviter inducenda ad amandum et desiderandum coelestia.

CAP. XIII. - Conversos mira suavitate ac deliciis vitae ac spiritualis refici.

CAP. XIV. - In terrenis non esse ullam satietatem nisi fastidio conjunctam: at coelestium desideria experiendo semper crescere.

CAP. XV. - Purganda memoria a peccatorum sordibus fiducia divinae misericordiae.

CAP. XVI. - Misericordiam divinam obtineri, miserendo sibi ipsi primum; deinde proximo.

CAP. XVII. - Oculos cordis continuo mundandos, ut Deus videri possit.

CAP. XVIII. - Pacificos merito beatificari nomine filiorum Dei.

CAP. XIX. - Graviter perstringit ambitiosos, qui temere et indigne sacras Ecclesiae functiones usurpant.

CAP. XX. - Arguit incontinentes, qui sacros Ordines impudenter temerare non verentur.

CAP. XXI. - Serio cohortatur ad poenitentiam.

CAP. XXII. - Bonorum pastorum est docere; nec fugere persecutiones propter justitiam.

Admonitio in opusculum sequens.

#### LIBER DE PRAECEPTO ET DISPENSATIONE.

Epistola ad abbatem Columbensem, de opere sequenti.

Praefatio ad monachos Carnotenses in tractatum sequentem.

CAP. I. - An monasticae Regulae instituta praecepta sint, an consilia duntaxat.

CAP. II. - In constitutionibus majorum quando et a quibus dispensandum.

CAP. III. - Dispensationem in lege divina soli Deo reservatam esse. At quae sunt legis aeternae, omnino etiam Deo esse immutabilia.

CAP. IV. - Quid praelatis circa dispensationem Regulae liceat.

CAP. V. - Legem obedientiae non esse extendendam a praelatis ultra limites professionis, neque citra contrahendam.

CAP. VI. - Religiosum perfectionis cupidum non debere obedientiam intra certos professionis limites constringere.

CAP. VII. - Obedientiae gradus, et inobedientiae gravitas quomodo noscenda, juxta distinctiones praemissas.

CAP. VIII. - Gravius peccari legum contemptu quam neglectu.

CAP. IX. - Praelato tanquam Deo obediendum esse.

CAP. X. - Obedientiam non esse gravem et molestam, nisi imperfectis, invitis et carnalibus; caeteris suavem et facilem.

CAP. XI. - Praecepta esse imparia, ideoque transgressionem.

CAP. XII. - In Regula aequae ac in lege divina disparitatem esse inobedientiae.

CAP. XIII. - Refellit monachos, difficultatem, vel etiam impossibilitatem obedientiae religiosae nimium exaggerantes.

CAP. XIV. - Cur conscientia errans non aequae convertat malum in bonum, uti bonum in malum.

CAP. XV. - An quantum obedientia varet ad meritum, tantum inobedientia valeat ad demeritum.

CAP. XVI. - Transitus et mutatio monasterii quatenus probanda.

CAP. XVII. - Ad dubia quaedam ex Patribus proposita respondet.

CAP. XVIII. - Morte abbatis non licere professis mutare locum.

CAP. XIX. - Ad alia quaedam dubia respondet.

CAP. XX. - Binas Pauli sententias in speciem pugnantem conciliat

Admonitio in opusculum sequens.

#### APOLOGIA S. BERNARDI ABBATIS AD GUILLELMUM THEODERICI ABBATEM.

Praefatiuncula.

CAP. I. - Profitetur se suosque ab obtrectatione religiosi Ordinis prorsus alienos.

CAP. II. - Purgat se S. Bernardus, et Ordinem Cluniacensium commendat.

CAP. III. - Varietatem religiosorum Ordinum non debere praepredicare vinculo charitatis.

CAP. IV. - Se caeteros omnes Ordines charitate, unum professione tenere.

CAP. V. - Religiosos aliorum Ordinum aemulos et obtrectatores acri stylo aggreditur.

CAP. VI. - Arguit temere judicantes, et calumniantes modum vivendi Cluniacensium.

CAP. VII. - Spiritualis exercitatio fructuosior corporali.

CAP. VIII. - Cluniacensium vitia, virtutum nomine palitata, perstringit.

CAP. IX. - Eorumdem intemperantiam comparat cum antiquorum monachorum parcimonia.

CAP. X. - Vestium ornatum luxumque in eisdem persequitur

CAP. XI. - De causa cur superiores subditorum vitia non corrigant. Luxum et splendidum praelatorum apparatus perstringit.

CAP. XII. - Luxum et abusum in templis et oratoriis exstruendis, ornandis, pingendis, arguit.

CAP. XIII. - Modos et media mutuae charitatis et pacis fovendae summatim colligit, denique transfugas instabilitatis notat.

Admonitio in opusculum sequens.

LIBER AD MILITES TEMPLI, de Laude novae militiae. Prologus.

CAP. I. - De Laude novae militiae.

CAP. II. - De militia saeculari.

CAP. III. - De Militibus Christi.

CAP. IV. - De conversatione Militum Christi.

CAP. V. - De Templo.

CAP. VI. - De Bethleem.

CAP. VII. - De Nazareth.

CAP. VIII. - De monte Oliveti et valle Josaphat.

CAP. IX. - De Jordane.

CAP. X. - De loco Calvariae

CAP. XI. - De Sepulcro.

CAP. XII. - De Bethphage.

CAP. XIII. - De Bethania.

Admonitio in opusculum sequens.

#### TRACTATUS DE GRADIBUS HUMILITATIS ET SUPERBIAE.

Praefatio.

CAP. I. - Christum esse viam humilitatis, qua pervenitur ad veritatem.

CAP. II. - Quo fructu ascenduntur gradus humilitatis.

CAP. III. - Quo ordine gradus humilitatis ad propositum bravium veritatis perducant, et quomodo Christus per passionem didicit misericordiam.

CAP. IV. - Primus veritatis gradus est, primum seipsum attendere, seu propriam miseriam agnoscere.

CAP. V. - Secundus gradus veritatis est, ex agnitione propriae infirmitatis, compati miseriae proximi.

CAP. VI. - Tertius gradus veritatis, mundare oculum cordis ac contemplanda coelestia et divina.

CAP. VII. - Quomodo sancta Trinitas hoc tres veritatis gradus in nobis operatur.

CAP. VIII. - Gradus iidem in raptu sancti Pauli declarantur.

CAP. IX. - Gemitus et suspiria sancti Bernardi, ad Veritatem anhelantis.

ALTERA PARS TRACTATUS. De duodecim gradibus superbiae.

CAP. X. - De primo superbiae gradu, qui est curiositas.

CAP. XI. - De secundo gradu superbiae, qui est levitas animi

CAP. XII. - De gradu superbiae, qui est inepta laetitia.

CAP. XIII. - De gradu superbiae, qui est jactantia.

CAP. XIV. - De gradu superbiae, qui dicitur singularitas.

CAP. XV. - De superbiae, id est arrogantia.

CAP. XVI. - De septimo gradu superbiae, qui est praesumptio.

CAP. XVII. - De octavo gradu superbiae, qui est defensio peccatorum.

CAP. XVIII. - De nono gradu superbiae qui est simulata confessio.

CAP. XIX. - De decimo gradu superbiae, qui est rebellio.

CAP. XX. - De undecimo gradu superbiae, qui est libertas peccandi.

CAP. XXI. - De duodecimo gradu superbiae, qui est consuetudo peccandi.

CAP. XXII. - An et quomodo orandum pro desperatis, et mortuis secundum animam.

Admonitio in opusculum sequens.

#### LIBER DE DILIGENDO DEO.

Praefatio.

CAP. I. - Quare et quomodo diligendus sit Deus.

CAP. II. - Deus quantopere ab homine mereatur amari, ob bona tuum corporis tum animae. Quomodo ea agnoscenda et habenda citra donantis injuriam.

CAP. III. - Christiani quantos habeant stimulos amandi Deum prae infidelibus.

CAP. IV. - Quinam ex Dei recordatione consolationem cupiant: quive magis ad ejus amorem idonei.

CAP. V. - Christiano quantum incumbat debitum amoris.

CAP. VI. - Brevis anacephalaeosis et summa praedictorum.

CAP. VII. - Non sine fructu et praemio diligi Deus; et terrenis non satiari humani cordis appetitum.

CAP. VIII. - De primo gradu amoris, quo diligit homo se propter se.

CAP. IX. - De secundo et tertio gradu amoris.

CAP. X. - De quarto gradu amoris cum nec seipsum diligit homo nisi propter Deum.

CAP. XI. - Haec amoris perfectio non competit etiam solutis animabus beatorum, ante resurrectionem.

CAP. XII. - De charitate ex epistola ad Cartusianos scripta.

CAP. XIII. - De lege propriae voluntatis et cupiditatis, servorum et mercenariorum.

CAP. XIV. - De lege charitatis filiorum.

CAP. XV. - De quatuor gradibus amoris, et felici statu patriae coelestis.

Admonitio in opusculum sequens.

#### TRACTATUS DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO.

Praefatio.

CAP. I. - Ad boni operis meritum, una cum gratia Dei, concurrere liberi arbitrii consensum.

CAP. II. - Quid liberum arbitrium, seu in quo consistat libertas.

CAP. III. - Triplicem esse libertatem, Naturae, Gratiae, Gloriam.

CAP. IV. - Qualis libertas competat animabus sanctis carne solutis: quaeve Deo, et omni creaturae rationali communis.

CAP. V. - An libertas a miseria, seu complaciti, detur in hoc saeculo.

CAP. VI. - Ad volendum bonum gratiam omnino esse necessariam.

CAP. VII. - Utrum primi homines in paradiso trina illa libertate praediti fuerint, et post peccatum.

CAP. VIII. - Libertatem arbitrii remanere post peccatum.

CAP. IX. - Imaginem et similitudinem Dei ad quam conditi sumus, in triplici libertate consistere.

CAP. X. - Similitudinem divinae imaginis in nobis reformari per Christum.

CAP. XI. - Libero arbitrio nihil derogari per gratiam. neque per tentationem.

CAP. XII. - An negans fidem metu mortis et poenarum, excusetur a culpa, vel destituatur libero arbitrio. Ubi negatio Petri discutitur.

CAP. XIII. - Merita hominis mera esse Dei munera.

CAP. XIV. - Quid gratiae, quid libero arbitrio in negotio salutis attribuendum.

Admonitio in opusculo sequens.

#### TRACTATUS DE BAPTISMO ALIISQUE QUAESTIONIBUS.

Praefatio.

CAP. I. - Non obligasse Baptismum, ex quo dictum fuit Nicodemo, "Nisi quis renatus," etc.

CAP. II. - Baptismi obligationem coepisse primum post sufficientem ejus promulgationem. In necessitatis tamen articulo sufficere Baptismum fide et voto susceptum, sicut et martyrium.

CAP. III. - Justos Veteris Testamenti non tam claram habuisse notitiam futurorum mysteriorum fidei, quam nos habemus praeteritorum.

CAP. IV. - Ostendit dari peccatum per ignorantiam, contra assertorem contrariae opinionis.

CAP. V. - Sententiam quamdam suam male acceptam a calumnia vindicat, nempe, quod Angelos latuerit consilium Incarnationis Dominicae.

Admonitio in opusculum sequens.

#### CAPITULA HAERESUM PETRI ABAELARDI.

CAP. I. - Horrenda similitudo de sigillo aereo, de specie et genere ad Trinitatem.

CAP. II. - Quod Spiritus sanctus non sit de substantia Patris.

CAP. III. - Quod ea Deus solummodo possit facere, vel dimittere, vel eo modo tantum, vel eo tempore quo facit, non alio.

CAP. IV. - Quod Christus non assumpsit carnem, ut nos a iugo diaboli liberaret.

CAP. V. - Quod neque Deus et homo, neque homo persona, quae Christus est, sit tertia persona in Trinitate.

CAP. VI. - Quod Deus non plus faciat ei qui salvatur antequam cohaereat gratiae, quam ei qui non salvatur.

CAP. VII. - Quod Deus non debeat mala impedire.

CAP. VIII. - Quod non contraximus ex Adam culpam, sed poenam.

CAP. IX. - Quod corpus Domini non cadit in terram.

CAP. X. - Quod propter opera nec melior nec pejor efficiatur homo.

CAP. XI. - Quod non peccaverunt qui Christum crucifixerunt ignoranter; et quod non sit culpae ascribendum quidquid fit per ignorantiam.

CAP. XII. - De potestate ligandi et solvendi.

CAP. XIII. - De suggestionem, delectationem, et consensu.

CAP. XIV. - Quod ad Patrem proprie vel specialiter pertinet omnipotentia.

#### TRACTATUS DE ERRORIBUS ABAELARDI.

Praefatio.

CAP. I. - Impia Abaelardi de sancta Trinitate dogmata recenset, et explodit.

CAP. II. - In Trinitate non esse admittendam ullam disparitatem, sed omnimodam aequalitatem.

CAP. III. - Absurdum dogma Abaelardi, nomina absoluta et essent alia uni personae proprie et specialiter attribuentis, oppugnat.

CAP. IV. - Refellit definitionem fidei, qua dicit Abaelardus fidem, esse aestimationem.

CAP. V. - Arguit Abaelardum, sua sensa aut somnia unanimi Patrum sententiae praefertentem, praesertim ubi dicit Christum non ideo incarnatum, ut hominem liberaret de potestate Satanae.

CAP. VI. - In opere liberationis humanae non solum misericordiam, sed et justitiam relucere.

CAP. VII. - Abaelardum perstringit, impie ac temere Dei secreta scrutantem et extenuantem.

CAP. VIII. - Quare Christus tam gravem ac laboriosum nos liberandi modum suscepit, cum sola ejus voluntas seu jussio sufficeret.

CAP. IX. - Christum venisse in mundum, non solius instructionis nostrae, sed et liberationis causa.

#### VITA SANCTI MALACHIAE.

Praefatio Ad Conganum abbatem.

CAP. I. - Pueritia et adolescentia S. Malachiae.

CAP. II. - Religiosae vitae tirocinium.

CAP. III. - Ordinibus initiatus episcopi vices gerit.

CAP. IV. - Malcho episcopo plenius instituendus adhaeret.

CAP. V. - Sorori defunctae sacrificii oblatione succurrit.

CAP. VI. - Monasterium Benchorense desolatum instaurat.

CAP. VII. - Dyssenteria laborantem curat.

CAP. VIII. - Episcopatum Conneretensem. licet invitus, suscipit.

CAP. IX. - Monasterium Ibracense construit.

CAP. X. - Fit archiepiscopus seu primas Hiberniae.

CAP. XI. - Insidias evadit incolumis, auctoribus male perditis.

CAP. XII. - Hostes seu aemulos, in ipsum armatos, virtute animi et constanti in Deum fide lenit, et sibi conciliat.

CAP. XIII. - Deus Malachiae detractores punit.

CAP. XIV. - Sedem metropolitanam paci redditam resignat.

CAP. XV. - Roman proficisci deliberat, pallium a Pontifice petiturus.

CAP. XVI. - Roman tendens, et inde rediens, Claram-Vallem visitat.

CAP. XVII. - Diversa beneficia sanitarum per eum collata.

CAP. XVIII. - Reversus in patriam, totus curae pastoralis et reformationi incumbit.

CAP. XIX. - Virtutum ejus insignia, et mores vero praesule digni.

CAP. XX. - Energumenos vexatos a daemone liberat.

CAP. XXI. - Beneficia moribundis et parturientibus praestita.

CAP. XXII. - Concubinario obstinato exitium denuntiat.

CAP. XXIII. - Varia sanitarum beneficia variis praestita.

CAP. XXIV. - Femina sine sacramento Extremae Unctionis defunctam resuscitat.

CAP. XXV. - Alia diversa beneficia in diversos collata.

CAP. XXVI. - Veritatem corporis Christi in Eucharistia propugnat.

CAP. XXVII. - Pacem et concordiam inter dissidentes mifabiliter conciliat.

CAP. XXVIII. - Sacrum aedificium moliens; adversarium patitur, sed mox ultione divina correptum.

CAP. XXIX. - Claret prophetiae spiritu, et omni miraculorum gratia.

CAP. XXX. - Locum et diem mortis suae praedicit, et causa pallii denuo iter ad papam Eugenium suscipit.

CAP. XXXI. - Rursus Claram-Vallem venit, moriturus loco et tempore quo desideraverat.

#### HYMNUS DE S. MALACHIA.

Admonitio in opusculum sequens

Prologus super Antiphonarium Cisterciensis ordinis.

#### TRACTATUS DE CANTU. APPENDIX AD TRACTATUS MORALES ET DOCTRINALES.

Monitum in opusculum sequens.

S. BERNARDUS SUPER HYMNUM: *Jesu nostra redemptio.*

Monitum in opuscula duo sequentia.

LIBER DE PASSIONE CHRISTI ET DOLORIBUS MATRIS EJUS.

TRACTATUS AD LAUDEM GLORIOSAE V. MARIAE

Monitum in opusculum sequens.

TRACTATUS DE CORPORE DOMINI.

TRACTATUS CANTANDI GRADUALE.

TONALE S. BERNARDI.